ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI

OCCIDENTALIUM MONACHORUM PATRIARCHÆ.

In quibus non modo res monasticæ, sed etiam ecclesiasticæ historiæ non minima pars continetur.

Auctore Domno JOHANNE MABILLON, presbytero & monacho ejusdem Ordinis è Congregatione S. Mauri.

TOMUS QUINTUS,

Complectens res gestas ab anno Christi MLXVII. ad annum MCXVI. inclusive, cum Appendice, & Indicibus necessariis.

LUTECIÆ PARISIORUM,

Sumtibus CAROLI ROBUSTEL, via Jacobea, ad insigne Arboris Palmæ.

M. DCC XIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS ET SUPERIORUM FACULTATE.

IN TOMUM QUINTUM

ANNALIUM BENEDICTINORUM

PRÆFATIO

FR. RENATI MASSUET.

SI quintus hic Annalium Ordinis nostri tomus serius quam sperabatur, in lucem prodeat; causa omnibus nota legitimam habet excusationem. Nam præter inopinatam acerbamque toti Ordini nostro, immo & reipublicæ litterariæ, tum auctoris, inclytæ memoriæ domni Johannis Mabillon, tum discipuli ejus domni Theoderici Ruinart, mortem, quæ Annalibus nostris grave & irreparabile damnum intulit; ingravescente paullo post ex asperiori hieme diuturniorique bello annona, interruptoque commercio, animum sic despondérant bibliopolæ, ut ingratas musis ferias prælis suis imperassent. Ast mentem cœptis dignam resumente bibliopola nostro, animosque addente illustrissimi abbatis Bignonii, litteris semper propitia, beneficentia, prodit tandem, qui diutius in scriniis delituerat quintus hic Annalium tomus. Is enim ipse est quem jam typis paratum nuntiaverat Mabillonius in præfatione quarti voluminis: adeo ut talis fere detur, qualem reliquit vir clarissimus; paucis quibusdam exceptis quæ tum à Ruinarto, tum à nobis postmodum addita sunt, ex variis quæ per amicos nobiscum communicata sunt, monumentis.

Complectitur vero hic tomus annos quinquaginta, triginta scilicet & quatuor residuos undecimi sæculi, & sexdecim duodecimi. Haud scio an ulla pars historiæ nostræ & jucundior & utilior esse possit. Huic enim tanta conjunctio cum ecclesiastica & civili, adeo cognata & colligata cum monasticis ecclesiastica & civilia illius ævi eventa, ut alia sine aliis enarrari non potuerint. Enarravit porro Mabillonius ea qua pollebat dexteritate & solertia, tamque conserte & artificiose intermiscuit, ut generalem potius quam particularem historiam scripsisse videatur. Describenda siquidem illi erant gesta & insignia virtutum exempla, quibus non modo Ordinem nostrum, sed & ecclesiam ac rempublicam illustrarunt Hugo ille magnus, Cluniacensis familiæ decus, Ber-

nardus Claraevallensis, qui nascenti Cisterciensi congregationi tantum splendorem contulit, ut ab eo nomen deinceps acceperit; Petrus Damiani, Lanfrancus & Anselmus, uterque Cantuariensis archiepiscopus, ut omittam summos pontifices multos, primarum sedium episcopos, legatos sanctæ sedis, & alios plures, qui omnium fere rerum sui sæculi participes exstitere, tantaque apud principes, magnates, summos pontifices & episcopos gratia & auctoritate valuere, ut humiles monachi legum & judiciorum arbitri evasisse viderentur. Quam quidem gratiam & auctoritatem conciliavit, non ambitus, aulæ frequentatio, turpis assentatio, aliæque ejusmodi artes mundi gloriæ cupidis familiares; sed sola sanctitatis & eruditionis fama, quæ inviarum & inaccessarum solitudinum, studiosius quæsitarum, tenebras evincens, virtutem vel invitam prodebat, mundumque exosum licet ac contemptum ad fugientes retrahebat.

Non mirum proinde si Ordo Benedictinus fulgens undecimo ac duodecimo sæculo tot præclaris luminibus, ut nullo pæne alio aut plura protulerit aut majora, tam longe lateque eo ævo propagatus sit; certatim ac pia æmulatione contendentibus principibus, magnatibus, nobilibus, ipsis etiam plebeiis, vel de novis exstruendis monasteriis, vel de veteribus reformandis. Hinc tot novæ iis sæculis ortæ congregationes, quibus velut repullulascens Ordo, ramos in omnem terram emisit, fructusque protulit Ecclesiæ nec ingratos, nec inutiles. Absit ut ostentationis causa longam seriem hic texamus eorum qui e nostris assumti ad primas Ecclesiæ dignitates, ecclesiastica munia summa cum laude obierunt: si quæ fuerint eorum in ecclesiam merita, eidem quod debuere persolverunt. Ut enim fideles quique, sic & monachi in ecclesiæ gremio nati & educati, suam ei operam, cum opus fuerit, ipsaque vocaverit, præstare tenentur. Sed operæ forsitan pretium erit hoc loco, ad nostrorum documentum, accendendosque tum superiorum, tum inferiorum animos, majorum nostrorum studium commendare, qui de tuenda aut restituenda monastica disciplina sic solliciti fuere, ut sacrarum litterarum studia apud suos & per suos in ecclesia reflorescere simul curarent.

Existimabant illi, idque funesta decimi sæculi experientia didicerant, tantam esse pietati ac disciplinæ tum ecclesiasticæ tum monasticæ cum scientia necessitudinem, ut altera sine altera stare vix possit, neglectisque semel bonis studiis latissimus ad vitia quæque aditus cito pandatur. Præ oculis habebant clericorum conjugatorum ac simoniacorum, maleque institutorum monachorum dissolutos mores, quos sacrorum canonum regularumque monasticarum turpis ignorantia in mala præcipites egerat. Quare ne ad eum scopulum alliderent ii quos instituendos susceperant; scientiæ facem præferendam esse, necessariumque pietatis & disciplinæ subsidium ac fulcimentum sacrarum litterarum notitiam advocandam esse censuerunt. Ea propter suis in monasteriis tanto cum labore academias instituerunt, in quibus excitata, quæ ubique pæne non sine magno ecclesiæ detrimento exstincta erant, litterarum studia viam ad informandos ad pietatem adolescentium seu sæcularium seu regularium mores tutius aperirent, quo probe exculti juvenes, hausta

cum

cum virtutibus ſcientia, aut utilem ſibi curam impendere, aut aliorum ſaluti, ſi ſeſe daret occaſio, fructuoſam operam navare poſſent. Tales fuere in Galliis academia Cluniacenſis, Beccenſis, Fiſcamnenſis, Cadomenſis, Floriacenſis, Corbeïenſis; in Germania Fuldenſis, Hirſaugienſis, Corbeïenſis-nova; in Anglia Weſt-monaſterienſis, Malmeſburienſis, ſancti Albani, ipſaque publica Cantabrigenſis academia, quæ a Crulandenſibus noſtris fundata, ſuam ordini Benedictino refert acceptam originem: e quibus omnibus prodiere inſignes viri non pauci, qui ſanctitatis & doctrinæ laude commendandi, egregiis ſcriptis eccleſiam & rempublicam litterariam locupletavere, & cum ingenti utriuſque fructu vel ſui temporis hæreticos refellere, vel pravas hominum cupiditates coërcere ac refrænare laborarunt.

Norunt eruditi quique, maximam veterum librorum partem monachorum curis atque diligentia ab interitu ſervatam fuiſſe: totque nunquam exſcriptos fuiſſe codices atque ſæculo undecimo in monaſteriis. Is erat patrum noſtrorum quotidianus labor: vel in veteres libros deſcribendos, vel in novos edendos incumbebant; rati ſibi non licere inter ſolitudinis otia diffluere otio, turpique languori ac deſidiæ ſe dedere. Alii de veteribus chartis, quæ plerumque inſignia erant fundatorum ac benefactorum pietatis monumenta, conſervandis ſolliciti, eas in chartularia tranſcribebant: alii res in ſuis monaſteriis vel in patria ſua geſtas litteris mandabant, ut vel ſic de ſuis bene mererent. Quod utinam imitarentur poſteri, aut ſaltem quæ à majoribus ſcripta ſunt relegentes, operam ſuam paulo libentius accommodare vellent iis qui publicæ utilitati inſervire ſtudent. *Abſque monachis*, ait Joannes Marsham, *nos ſane in hiſtoria patria ſemper eſſemus pueri.* Et revera, ſi quam habent Angli rerum ſuarum notitiam, monachis fere ſolis debent: quod idem, proportione ſervata, de aliis gentibus dici poſſet, ut ſatis teſtantur tot chronica vel hiſtorica monumenta ab undecimi præſertim & duodecimi ſæculi monachis elucubrata.

Propyl. tom. I. Monaſt. Angl.

Singulare eſt, nec ſilentio prætermittendum, quod apud monachos Anglos ſtatutum refertur, in ſingulis regalibus monaſteriis deligendum eſſe peritum aliquem accuratumque ſcriptorem, qui præcipua regis geſta & regni eventa notaret, & in acta referret; omnia ad proximum generale capitulum, poſt obitum Regis, deferenda: ut ex omnium collatione, a ſagacioribus quibuſdam a capitulo deſignatis facta, accurata chronica conſcriberentur, in archivis monaſteriorum diligenter aſſervanda. Sic patriæ mortui, ei tamen utilius inſerviebant, quam tot alii qui hac una ratione de patria ſua bene mereri ſe poſſe putant, ſi monachis invidiam conflantes, eos ceu inutiles ac otioſos homines traducant, quorum tamen laborioſis otiis debent quidquid fere de patriæ ſuæ hiſtoria norunt. Si tanta fuerit patrum noſtrorum in conſcribendis hiſtoriis, quibus bibliothecas ſuas locupletarent, diligentia; non minor fuit de veteribus reparandis, aut novis comparandis libris cura: adeo ut certorum quorumdam prædiorum annuos reditus ad bibliothecæ augmentum aſſignatos conſecratoſque voluerint. Præclaram ea de re conſtitutionem Udonis abbatis ſancti Petri Carnutenſis habemus, ſuo loco referendam. Plures alias ſimiles exhibere liceret, quibus palam

Præfat. ad Matth. Pariſ.

sit, majoribus nostris nihil antiquius fuisse, quam ut ignorantiam a claustris modis omnibus arcerent, bonas litteras foverent, bibliothecasque suas optimis quibusque libris instructas haberent. Qui etiam nunc superstites manent, temporum edacitati, ac tot incendiorum & vastationum calamitati subducti codices, eorum studium satis superque commendant, posterisque clamare videntur, ut piissimorum patrum vestigiis insistentes, quod cœperunt amplificent, & vanis ac inutilibus impensis parcentes, eas potius in desolatas bibliothecas conferant. Quid enim turpius, quam monachorum oculos frivolis ac nugatoriis ornamentis pascere, dum bibliothecæ libris vacuæ impastam mentem ad inutilia ferri cogunt?

Hæc & alia animo reputandi occasionem præbebit hic Annalium tomus, in quo eumdem ubique Mabillonium, eamdem eruditionem, diligentiam, modestiam ac pietatem suspiciet quisque. Optandum sane fuisset, hæcque erant piorum omnium vota, ut vir tantus, Ordinis nostri decus, totum opus absolvere potuisset. At cum mors, sera licet, immatura tamen, tantum bonum nobis inviderit, enitemur operi supremam manum imponere: ast longe dispari & dexteritate & successu & festinatione. Si lentior videatur gradus, quintumque hunc tomum paulo tardius sequatur sextus, quam vellent nostri; meminerint gradum viribus & eruditioni respondere, nobisque in hoc scribendi genere parum exercitatis satis esse, si id tandem pluribus annis absolvamus, quod paucioribus absolvisset Mabillonius, modo non infeliciter prorsus absolvamus. Interim operæ pretium facturos nos putamus, si brevem celeberrimi piissimique auctoris vitæ synopsim lectorum oculis hic subjiciamus. Quamvis enim id patria lingua jam præstiterit piæ memoriæ domnus Theodericus Ruinart, pro ea qua valebat eruditione, ac in magistrum suum observantia & dilectione; quia tamen ex Ordinis alumnis multi Gallicum librum aut videre aut intelligere non possunt, haud ingratum illis erit, si præcipua quæque tanti viri gesta huic tomo præmittentes, ejus memoriam posteritati commendemus. Nec abs re erit, puto, discipulum cum magistro consociare, ipsiusque Theoderici Ruinart, de Annalibus nostris tam bene meriti, vitæ compendium breve Mabillonii vitæ synopsi subnectere.

2-77
Vol V

j

DOMNI JOHANNIS MABILLON
VITÆ SYNOPSIS.

DOmnus Johannes Mabillon honestis parentibus natus est die XXIII. Novembris anni M DC XXXII. in vico sancti Petri de Monte, vulgo *Saint Pierre-mont*, diœcesis Remensis, in Campaniæ finibus, duabus circiter Gallicis leucis a Mussiponte. Ruri primis grammatices elementis imbutus, postea Remos mature missus, liberalibus artibus in Academiæ gymnasio operam navavit. Progressus is fuit, qui parentum magistrorumque spem longe superaret. Quæ tum elucebant in juvene singulares animi dotes, ingenii sagacitas, judicii maturitas ætate major, utrique par modestia, nec pietas minor, quis qualisque futurus esset adultus jam portendebant: adeo ut doctrina & virtute cæteris prælucentem Mabillonium sine invidia suspicerent sodales, ipsique magistri non sine admiratione in exemplum aliis proponerent.

I. Mabillonii ortus.

Tantæ spei adolescentem ut arctius diœcesi Remensi manciparent ejusdem rectores, locum ei concesserunt anno M DC L. in Metropolitanæ ecclesiæ Seminario, sed alium jam designaverat superna Dei providentia. Expleto quippe philosophiæ cursu, frequentatisque per annum sacræ Theologiæ scholis, monasticam vitam in Congregatione sancti Mauri amplecti constituit. Admissus pro votis in celebre, quod exstat in urbe Remensi, sancti Remigii monasterium, ubi tum instituebantur novitii, ibique per annum probatus, sollemnem professionem emisit die VI. Septembris anni M DC L IV. Tantos autem in virtute progressus fecit juvenis monachus, tantæque animi dotes singulari cum pietate in eo relucebant, ut summam de eo spem jam tum conciperent Superiores Congregationis. Sed spem in arcto posuit contractus ex fervore nimio morbus. Dum enim fidei ardori magis quam corporis imbecillitati consulens Mabillonius acriori, quam par erat, studio in exercitia pietatis incumbit, in gravissimum, cumque continuum capitis dolorem incidit, quo diu conflictatus, sic defecit, ut qui aliis recte cogitandi exemplar futurus erat, vix cogitare ac ne vix quidem officium divinum recitare posset. Tentatis primum remediis morbus exasperabatur potius quam leniebatur. Unde cum spes exigua superesset, ad monasterium beatæ Mariæ de Novigento prope Codiciacum missus est: ut ruris otio & liberiori cælo afflicta valetudo refici posset.

II. Ingressus in congregationem S. Mauri.

Infirma valetudo.

Grata quidem Mabillonio fuit Novigenti solitudo: at eadem semper corporis valetudo. Inter eas tamen nebulas, quibus velut offuscabatur nobile ingenium, se prodebat animus ad antiquitatis investigationem comparatus. Dum enim omnia morbi pertinacioris evincendi causa rebus externis vacat; rudera omnia monasterii vicinorumque locorum, tristes Calviniani furoris reliquias, aliave, si qua nunciarentur, antiqua monumenta sollicitus perlustrabat, ut abditum quidpiam inde erueret, quo animum jam tum antiquarum rerum cupidum expleret. Missus

III. Prima studia & officia.

initio Julii anni MDCLVI. Corbeiam-veterem, nobile agri Ambianensis monasterium, antiquis monumentis, manuscriptisque codicibus, rebus Mabillonio gratissimis, locuples; cum nec iis vacare pro votis, nec scholas quæ tum ibi habebantur assidue frequentare, immo nec regularibus exercitiis insistere, præ morbo, liceret, exterioribus officiis deputatus est. Viliora non refugit humilis monachus: sed ad præcipuum cellerarii munus promotus, suscepit quidem hortante obedientia, ægre tamen. Terrebat nempe in eo munere gravior ac multiplex rerum temporalium cura, frequentiorque cum sæcularibus hominibus consuetudo, in quibus modum tenere, nec umquam extra cancellos religiosi status egredi, arduum. Hæc Mabillonio, ad tranquilla solitudinis otia nato, molestissima cum essent, immo & periculosa viderentur, ab importuno munere absolvi petiit, obtinuitque.

IV. Sanitatem recipit.

Inter ea sacer presbyteratus ordo, ad quem promotus est die XXVII. Martii an. MDCLX. novos pietati stimulos addit, cujus fovendæ gratia optimos quosque libros, quantum per valetudinem licebat, evolvit. Dum in tot sanctorum hominum, qui Corbeïam olim pietate ac eruditione sua illustrarunt, vitas & historiam, quo exemplis eorum accendi posset, animum confert; incidit in historiam Adalhardi, sanctissimi quondam Corbeïensis abbatis, cui præ cæteris impensius studuit. Cumque legisset, sanctum Gerardum, Corbeïensem undecimo sæculo monachum, eadem ferme corporis infirmitate laborantem, atque ipse tunc conflictabatur, Adalhardi precibus & meritis convaluisse; eadem spe & ipse fretus sanctissimum abbatem humilibus continuisque precibus rogavit, ut quod olim Gerardo præstiterat, sibi non denegaret. Nec vana fuit spes: quæ enim medicamenta tenacis morbi vis hactenus vicerat, eadem effectum paulatim sortita, acerrimum ac diuturnum capitis dolorem levare primum cœperunt, ac demum penitus depulerunt. Reddito sibi Mabillonio prima cura fuit meritas Adalhardo gratias referre. Et ut in hoc etiam insisteret Gerardi vestigiis, qui ut gratum se præberet in beneficum sibi sanctum, ejus vitam, antiphonas & responsoria in ejus festo decantanda composuerat; ipse accepti beneficii memoriam significare studuit, editis in Adalhardi laudem hymnis, qui etiam nunc in abbatia Corbeïensi in illius festo cani solent. Hoc primum Mabillonii peritiæ specimen Corbeïensibus probatum cum fuisset, ab iis rogatus hymnos etiam in laudem sanctæ Bathildis reginæ composuit: tum ad alia ejusdem monasterii officia propria manum admovit, & vel nova edidit, vel vetera emendavit: quæ omnia in unum collecta typis edita sunt, ad usum ecclesiæ Corbeïensis. Et hic primus fuit fœtus confirmatæ à morbo valetudinis Mabillonii, uberiores posthæc & ampliores edituri.

V. Parisios venit.

Missus anno MDCLXIII. in regalem sancti Dionysii abbatiam prope Parisios, ibi per annum cimeliarchæ munus sic implevit, ut strenuam litteris operam navaret. Tum temporis degebat in suburbano S. Germani a Pratis Parisiensi monasterio domnus Lucas d'Acheri, qui in eruenda colligendaque summo cum delectu vetera monumenta indefessus incumbebat. Spicilegii nomen indiderat operi, cujus aliquot tomos, summo cum eruditorum omnium plausu, jam in lucem emiserat.

rat. Monente vero exacta jam & affecta ætate sarcinas colligendas esse, consilium fuit aliquem eximiæ spei adolescentem in partem operis vocare, qui & post auctoris mortem persequi posset. Oculos statim conjiciunt Superiores in Mabillonium, quem egregio ad litteras ingenio natum probe noverant. Vocatur itaque ut suppetias ferat venerando seni. Tulit ille, nec litterarias modo, sed & civiles quascumque potuit, in infirmum præsertim senem beneficus & officiosus. At angustis Spicilegii (cujus tamen posteriores septem tomi ipso juvante vulgati sunt) limitibus contineri non potuit vastissimum ingenium. curas in novam sancti Bernardi operum editionem conferre compulsus est. Eam quidem susceperat domnus Claudius Chantelou, qui delectos quosdam sermones uno volumine in 4°. comprehensos jam publicaverat. Sed dum novam omnium operum editionem parat, inopina mors piis conatibus intercedens, rem infectam vixque cœptam dimittere jubet, totumque onus in Mabillonium devolvit. Subit ille, nec invitus, pro innata sibi in Bernardum pietate, mss. codices undique conquirit, diligenter consulit, errata præcedentium editionum corrigit, genuina à spuriis secernit, plura hactenus inedita luce donat, omnia denique doctissimis præfationibus, notis & observationibus illustrat. Prodiit ea editio anno MDCLXVII. tum duobus voluminibus in fol. tum novem minoribus in 8°. Opus eruditis omnibus acceptissimum celebritatem & nomen tota Europa fecit auctori, magnaque ex tam præclaris initiis constituta in eo spes omnium. Tam felici successu permoti superiores nostræ Congregationis, animum ad sanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum editiones ad antiquorum exemplarium fidem expurgandas adjecerunt; quod factum hactenus eo successu, quem non modo probi quique, sed & Ecclesiæ præsules, ipsique summi pontifices non semel gratulari haud dedignati sunt.

Novam editionem Sancti Bernardi adornat.

Distractis vero prioris Bernardi editionis exemplaribus, novam prælo subjicere rogatus Mabillonius, eo lubentius annuit, quo studiis in Bernardum assidue collatis, auctiorem ac perfectiorem editionem ejus operum dudum meditabatur. Accurate igitur recognitis sancti doctoris operibus, secundam editionem duobus tomis in folio publicavit anno MDCXC. auctam quinquaginta fere novis epistolis, pluribusque dissertationibus præviis & annotationibus illustratam: adeo ut secunda hæc editio numeris omnibus absoluta dici posset, nisi ea iterum brevi distracta, tertiam majori studio perpolire, novisque accessionibus locupletare cogitasset vir doctissimus, si Deus vitam paulo diutius produxisset. Libros de Consideratione elegantioribus typis commodiorique forma separatim edi curavit anno MDCCI. monitus acceptissimum munus fore Clementi XI. Romano pontifici, si opus à Bernardo scriptum ad Eugenium Papam, ejus successori nuncuparetur, qui id in promptu, velut quoddam enchiridion, se habere velle declaraverat.

VI. Eamdem recognitam recudi curat.

Aliud, nec minus operosum, maximique ad Ordinem nostrum, immo & ecclesiam momenti consilium mente dudum agitabant majores nostri, ut nimirum generalis & accurata Ordinis sancti Benedicti historia conscriberetur. Jamque materiam operis parari jusserant, missis varias in provincias ac regiones peritis monachis, qui monasteriorum

VII. Acta sanctorum Ordinis in lucem emittit.

& ecclesiarum bibliothecis & archivis sollicite perlustratis, ex iis colligerent quæcumque in rem facere viderentur. Eo loco res erant, cum Mabillonius Parisios venit. Ubi prima sui specimina dedit, omnium statim opinio fuit, nec vana, peritiorem nullum architectum tantæ molis operi præfici posse. Paruit ille superiorum mandatis; remque ut ab imis fundamentis duceret, a publicandis sanctorum Ordinis actis authenticis, e quibus præcipua historiæ nostræ capita petenda erant, incipiendum esse sibi merito censuit. Jam igitur collectis ab Acherio bene multis sanctorum actis, ad ea in unum corpus redigenda & in ordinem digerenda, habita sæculorum & temporum ratione, aggressus est Mabillonius, sincera a spuriis, integra a vitiatis, certa ab incertis secernendo, omnia vero criticis annotationibus & observationibus illustrando. Primum tomum vulgavit anno MDCLXVIII. quem paulatim secuti sunt alii octo: unus dumtaxat superest ad complendum opus, isque fere typis paratus. Omnibus porro nomen suum sic præfigi curavit, ut Acherii semper præponi, in posterioribus Ruinarti adjungi voluerit: quamquam cujus potiores essent in opere partes nullus nesciret. Quantum valeat ea actorum collectio non tantum ad informandos sanctorum exemplis mores, sed etiam ad illustrandam historiam tum civilem, tum ecclesiasticam, tum monasticam, immo & ad firmanda catholicæ religionis dogmata, norunt eruditi, quibus eorum actorum ope, ac facem præferente Mabillonio, licet multa historiæ capita obscurissima ac pæne impervia tuto pervadere, quæ nemo hactenus nisi infeliciter tentaverat. Sed pretium augent quam maxime eruditissimæ illæ præfationes singulis tomis præmissæ, tanti visæ multis, ut eas separatim edere non semel cogitarint. In iis vero præfationibus selecta, eaque difficillima cujusque sæculi historiæ capita, ac præcipua quæque quæ ad disciplinam, tum ecclesiasticam, tum monasticam pertinent, ipsaque dogmata sic pertractantur, ut miretur, quisquis legerit, summam auctoris eruditionem, nec minorem eruditione modestiam. Si quem enim interdum confutat, (plures certe, nec infimi nominis viros, feriit ejus censura) tam modeste, tam civiliter ac urbane confutat, ut confutantem vel invitus amet qui confutatur. Certe quantum lucis attulerit vir doctissimus controversiis quæ nono sæculo de rebus eucharisticis efferbuerunt, quantas difficultates secuerit, patefactis quorumdam operum genuinis auctoribus; quantum rem catholicam juverit, hæreticam afflixerit, verum quæstionis statum aperiendo & restituendo, grati agnoscunt eruditi omnes. Nemo nescit, nomen & ætatem Anonymi Cellotiani per Mabillonium nobis innotuisse, Ratramno Corbeiensi monacho invicte assertum fuisse librum de corpore & sanguine Domini, de quo prius ambigebatur, Ratramni an Johannis Scotti Erigenæ fœtus esset, utriusque demum auctoris catholicam de Eucharistia fidem a Calvinianorum objectionibus strenue vindicatam fuisse. Alia multa sileo, quibus eruditarum præfationum pretium commendari posset: hæc quippe usu & lectione notiora fient, quam verbis.

VIII. Quo affectus erat animo dum scriberet.

Initio tamen non omnes, e Benedictina familia præsertim, collectioni Mabillonianæ æqui bonique consuluerunt. Quem enim modum tenuit vir recti amans, veritatisque studiosissimus, in deligendis sanc-

torum actis, nec nisi veris indubitatisque Ordinis alumnis Ordini vindicandis & asserendis, is displicuit pluribus, quos immodicum Benedictini nominis studium infuscaverat. Male actum cum Ordine existimabant illi, si Benedictinus eos albo sanctorum nostrorum expungeret, quos credula nimis majorum nostrorum pietas kalendariis nostris inscripserat. Hinc multiplices in auctorem querelæ, sparsaque scripta, interdum duriora. Ingrata quidem hæc illi fuere, scriptisque apologiis propositum suum approbare præpositis necesse fuit: sed quidquid egerint adversarii, flecti numquam potuit animus veri tenax, palamque contestatus est Mabillonius, malle se a scribendo penitus cessare, quam Ordinis gloriæ ultra modum studiosis gratificando quidquam scribere, quod a veritate & sinceritate, præcipuis historiæ scriptoris dotibus, vel latum unguem declinaret. Ut æquitatis amor, aiebat ille in apologia ms. prima judicis dos est, sic & rerum ante actarum sincera & accurata investigatio historici munus esse debet. Judex persona publica est, ad suum cuique tribuendum constituta; ejus judicio stant omnes in rebus de quibus fert sententiam: maximi proinde criminis reum se facit, si pro virili sua parte jus suum unicuique non reddat. Idem historici munus est, qui & ipse persona publica est, cujus fidei committitur examen rerum ab antiquis gestarum. Cum enim omnibus non liceat eas per se investigare; sententiam ejus sequuntur plerique, quos proinde fallit, nisi æquam ferre conetur. Nec satis est tamen verum amet & investiget, nisi is insit animi candor, quo ingenue & aperte dicat quod verum esse novit. Mentiri si Christianis omnibus, à fortiori religiosam vitam professis nulla umquam ratione licet, longe minus cum mendacium exitiale & perniciosum multis evadit. Fieri vero non potest, quin historici mendacia vertant in perniciem multorum, qui verbis ejus fidem adhibentes decipiuntur, dum errorem pro veritate amplectuntur. Non levis proinde ejus culpa est, quæ tot alias secum trahit. Debet ergo, si candidus sit, procul studio partium certa ut certa, falsa ut falsa, dubia ut dubia tradere, neque dissimulare quæ utrique parti favere aut adversari possint. Hæc Mabillonii verba, quæ quo affectus erat animo, dum scriberet, probant: sed id scripta ipsa verbis omnibus luculentius demonstrant.

IX. *De pane azymo & fermentato scribit.*

Cum vero in præfatione in primam partem tomi tertii actorum inter cætera disseruisset de materia sacrificii eucharistici, probassetque contra Sirmundum, perpetuum fuisse solius azymi panis in ecclesia Latina usum, nec a Photii tempore adhiberi cœpisse; quæ etiam oblique saltem feriebant sententiam eminentissimi Cardinalis Bona, contendentis promiscuum & indifferentem fuisse, ante Photii schisma, azymi & fermentati panis apud Latinos usum: hic, pro innato sibi veritatis amore, non moleste tulit, immo ad Mabillonium litteras dedit, quibus hortabatur, ut rem accuratius & enucleatius pertractaret, residuosque scrupulos excuteret. Paruit ille, dissertationemque *de pane eucharistico, azymo & fermentato* edidit anno M DC LXXIV. in 8°. eminentissimo Cardinali Bona nuncupatam, in qua retractato toto argumento difficultatem plenius ac uberius expendit, sententiam suam novis rationibus & auctoritatibus muniit, & adversariorum argumenta, dubia, scrupulos

omnes discussit excussitque. Accepta perlectaque erudita dissertatione gratias egit Em. Cardinalis, & de victoria perinde Mabillonio gratulatus est, ac si ipse reportasset. Procul dissimilis ab iis qui disputationes æternare student, & quantumvis adversariorum argumentis obruantur, gravissimum pondus excutere non valentes, movere tamen utcumque nituntur, nihilque adeo reformidant, quam victos se silentio saltem suo fateri. Quæ vero disputatio doctissimis viris discordiæ fomes esse potuisset, eos potius sanctioris amicitiæ nexibus, sola morte solvendis, sic conjunxit, ut quidquid deinceps alteruter scripserit, alteri consilium suum approbaverit, emergentesque subinde difficultates proposuerit.

X. Animadversiones in Vindicias Kempenses.

Paullo diversa fuit, tum argumento, tum certandi modo, controversia quam non multo post habuit Mabillonius cum uno e RR. PP. canonicis regularibus congregationis Gallicanæ, occasione libelli de Imitatione Christi. Eo fere devenerat cœpta dudum disputatio, ut causæ periculum ex scriptis codicibus penderet. Cum autem plures proferrentur à nostris, qui Johanni Gerseni aperte faverent; adversarii, præeunte Gabriele Naudæo, qui ob susceptas Romæ cum Constantino Cajetano Casinensi inimicitias, iras deinceps per libellos suos ubique totis paginis adversus Benedictinos evomuit, nodum hunc secare conati sunt, falsi postulando codices; sicque majores nostros corruptorum exemplarium reos palam ac publice agebant. Fœda certe atque illiberalis nota, quam a piissimis patribus nostris amoliri officii nostri esse duximus. Facile fuit. Impetratis quippe iis ipsis codicibus qui falsi postulabantur, nec iis tantum, sed & illis omnibus qui ex Italia, Germania, Belgio & Gallia, quam maximo numero fieri potuit, corrogari potuerunt, Luteciamque Parisiorum adductis, exhibiti sunt peritis, si qui tunc temporis fuerint, perspicacibus, & a studio partium alienis judicibus, ut decretoriam de sinceritate aut corruptione sententiam ferrent. Quibus vero? Clarissimis viris, Antonio Faure Doctori Parisiensi Sorbonico, Carolo le Cointe Oratorii Presbytero, Annalium Eccles. Francorum auctori, Antonio de Vion domino d'Herouval Rationum publicarum auditori, Hadriano Valesio Historiographo Regio, Stephano Baluzio Colbertinæ bibliothecæ præfecto, & Johanni Baptistæ Cotelerio socio Sorbonico: quorum omnium agmen ducebat illustrissimus Parisiorum archiepiscopus Franciscus Harlæus, qui in causæ cognitionem descendere haud dedignatus est, conventumque in ædes suas hac de re indixit anno MDCLXXI. Prolatis codicibus &, quam diligentissime potuit, excussis, & ad severioris criticæ leges exactis, comprobati sunt omnes, & ab iis falsi suspicio prorsus remota; quod solemni instrumento non solum peritissimi arbitri, sed etiam illustrissimus archiepiscopus declararunt. Cui quidem instrumento postea subscripsit, expensis seorsim codicibus, qui ad examen vocatus opportuno tempore adesse non potuerat, Carolus du Fresne domnus du Cange, regii ærarii Quæstor, vir in mss. codicum lectione versatissimus. Exacto dein biennio cum suos codices exponere non curassent adversarii, noster Franciscus Delfau instrumentum vulgavit, apologiamque pro Johanne Gersen edidit, instrumento maxime innixam. Toto triennio, quo superstes fuit Delfavius, nulla apologiæ Gersenianæ responsio opposita est: eo vero, dum Britanniæ

tanniæ inferioris fretum trajiceret, sæviente procella aquis obruto, jam inexspectata prodiit, sub hoc titulo, *Vindiciæ Kempenses a R. P..... Canonico Regulari Congregationis Gallicanæ, adversus R. P. Franciscum Delfau &c.* Nec id reprehensione dignum, si auctor a verbis temperasset, quæ in totius Benedictinæ familiæ redundabant injuriam. Eam dissimulandam non esse ratus Mabillonius edidit anno MDCLXXVII. *Animadversiones in vindicias Kempenses*, in quibus illatas Ordini Benedictino & Delfavio injurias solita moderatione propulsat, mss. codicibus & prædicto instrumento fidem & auctoritatem asserit, adversariique præcipuas objectiones diluit.

XI. Iniquum auctoris bibliothecæ criticæ judicium.

Biblioth. crit. to. 1. p. 18 & seqq. p. 89. & seqq.

Utrumque scriptum, Delfavii videlicet & Mabillonii, si legisset auctor bibliothecæ criticæ, quatuor tomis distinctæ, quæ Gallico idiomate cum omnium offensione prodiit annis MDCCVIII. & MDCCX. a referendis tum brevi quodam R. P. Du Molinet, Canonici Regularis, (si quæ critico fides) schediasmate, tum Naudæi virulento calamo scriptis libellis forte abstinuisset. Sed longe magis debuisset, si vel oculos injecisset in ea quæ Mabillonius scripsit lib. III. de Re Diplomatica c. III. & in Supplemento cap. IV. & XIII. ubi singulas Naudæi, aliorumque Naudæo similium criminationes valide refellit. Hæc dissimulanda non erant, nec ea iterum in os impingenda quæ jam turpis calumniæ convicta fuerant; longe minus audacter pronuntiandum erat, Parisiensibus omnibus probata fuisse Naudæi scripta, & ab eo jus omne stetisse. Forte Parisienses non erant illustrissimus Parisiensium archiepiscopus, Johannes Launoius, * Antonius Faure, Carolus le Cointe, aliique peritissimi & integerrimi arbitri, qui præmisso diligenti examine a Gersenianis Benedictinorum codicibus omnem falsi suspicionem removerunt. Præstat certe ab ejusmodi judicibus absolvi, quam a critico damnari, cujus jam notior fides, quam ut cuiquam imponere possit solita dicendi confidentia. Egregium sane judicem, qui sententiam ferre ne lectis quidem litis instrumentis ausit; immo ex iis ipsis partis unius instrumentis, in quibus ingenium non minus quam eloquentiam desiderari fatetur ipsemet. Ast non admodum attendebat bonus ille Criticus, obviis quibusque modo libros inferciret, ut crescente librorum & numero & mole, accresceret & auctori merces. Sane legenda erant quæ ex erudito Societatis Jesu presbytero, Maximiliano Rallero, refert Mabillonius in Supplementi loco citato. Ille diplomatis Lindaviensis vindicias suscipiens adversus Hermanni Conringii censuram, sancti Benedicti familiam ab inusta per iniquum censorem confecti Lindaviensis diplomatis nota vindicat; * improbatque quod attexuerit hic auctor censuræ suæ Gabrielis Naudæi satyram, an diras, contra totum amplissimum magni Patriarchæ cœtum, eamque ipse latinitate donaverit (idem facinus est in novam lucem protulisse, quod in oblivione dudum jacebat.) quod facere boni viri non fuisse dicit. Nam vel ea labes, inquit, adulterandi nimirum Pontificum, Cæsarumque decreta, vel mss. codices, vere adhæsit Ordini tam inclyto; vel ab homine irato, & sui præ vindictæ cupidine impote, ex toto, aut magnam partem per nefas conficta est. Si illud; profecto lex illa caritatis, tantopere in sacris oraculis inculcata, non faciendi alteri quod tibi fieri nolis, vulgari & propalari

* vid. *Animadvers. in vind. Kemp. p. 58.*

* *De cens. dipl. Lindav. c. 1. n. 8.*

„ arcanum non finebat; tantoque minus finebat, quod res non unum „ aliquem hominem, sed cœtum numero amplissimum, antiquitate ve- „ nerabilem, & nullis non titulis hodieque præfugentem, tangebat. nec „ enim vel privatus quisque æquo fert animo, quod nullus aut pauci „ sciebant, id unius loquacitate populi rumorem fieri. Quid ergo necesse „ erat communi eruditorum lingua vulgari (diceremego, denuo publi- „ care) quod soli Galli, & ex his non multi, (jam pene nulli) ad eam „ diem legerant & sciebant? At si commenta sunt ista hominis rancore & „ invidia tabescentis, ut saneexistimo, quæ prudentiæ, quæ humanitatis, „ quæ caritatis jura ac leges sinebant, ne dicam jubebant, tenaci char- „ tarum memoriæ eadem illini, & viros plane innocentes tam turpiter „ & ignominiose coram eruditis omnibus traduci? Quem igitur æstima- „ bimus Conringium, (vel Criticum Conringio longe iniquiorem) qui „ istud facere non dubitarit? Quid fidei mereatur, qui nullo, vel suo „ vel publico emolumento famam alienam tam invide allatravit; tam „ probrose traduxit? Hoc omnino est artibus non bonis uti. Hæc religiosus Soc. Jesu presbyter ad hominem heterodoxum. Sed quid ad catholicum? Quid ad sacerdotem, qui in iis artibus, quas ille non bonas vocat, consenuit? Facinus horruisset vir pius, nec jam artes non bonas, sed pessimas, & characterem sacerdotalem dedecorantes vocare non dubitasset. Sed jam ad cœptum sermonem redeo.

XII. Veterum Analectorum tomi quatuor.

Ex quo vulgandis Sanctorum nostrorum actis animum adjecerat Mabillonius, varias bibliothecas & archiva perlustrare necesse fuerat. Ex iis autem, præter Sanctorum acta, alia plurima monumenta litteraria eruit, hactenus inedita, quæ in communem reipublicæ litterariæ usum publicare operæ pretium visum fuit. Huic collectioni inditum nomen *veterum analectorum*, quorum primus tomus prodiit anno MDCLXXV. in 8°. tres alii annis MDCLXXVI. MDCLXXXII. & MDCLXXXV. Antiqua monumenta sunt, non temere & prout sors offerebat, collecta & inserta, sed maturo examine selecta, qualia sunt opuscula theologica, fragmenta conciliorum, chronica, fundationes ecclesiarum & monasteriorum, epistolæ imperatorum, regum, summorum pontificum & episcorum, inscriptiones, acta, formulæ, & alia ejusmodi, quibus pretium addunt collectoris notæ, observationes & dissertationes. Plura alia ejusmodi monumenta in scriniis reliquit, suo tempore publicanda.

XIII. Libri de re diplomatica.

Sed fructum quem hactenus ex Mabillonii peregrinationibus, plurimisque ab eo lustratis archivis ceperat respublica litteraria, vicit, eruditorum omnium judicio, is quem percepit ex libris *de re diplomatica*. Dum archiva perscrutaretur, plura in iis invenerat tum primorum regum nostrorum, tum imperatorum, tum veterum summorum pontificum, tum denique aliorum nobilium virorum diplomata, quorum pulverem excutere vix tentabat quisquam, quia vix legere poterat. Studiose vero collegit vir sagacissimus, rei pretii non ignarus. Alium quemvis deterruissent insolentes ac impliciti litterarum characteres, styli barbaries, sermonis ambages, ut alia bene multa sileam, crucem alteri cuivis figere nata. At difficultates improbo labore non tantum ipse superavit, sed & superandi viam alios edocuit, certas regulasque tradidit, quibus tota veterum instrumentorum ratio, usus, formulæ,

auctoritas, sinceritas aut falsitas dignosci potest. Ut tamen non minus novum, quam arduum ac salebrosum erat argumentum, nihil festinandum esse censebat vir prudens, donec maturitatem assecutum esset tantæ molis opus. At cœpta dudum, jamque satis meditata maturate compulit Danielis Papebrochii, viri editis Sanctorum actis celeberrimi, tentamen. Is cum veterum chartarum nulla sibi fuisset parabilis copia, nullasque fere scripturas authenticas vidisset, quod nulla sibi archiva lustrare licuisset, ut modeste fatetur vir candidus; unius dumtaxat aut alterius chartæ inspectione in transversum actus, judicium omnibus iniquum tulit. Pronuntiare siquidem non dubitavit, in Propylæo ad Aprilis tomum secundum, chartas fidem habere eo minorem, quo majorem præferunt antiquitatem: in toto Franciæ regno nullam chartam sinceram ac genuinam reperiri ante regnum primi Dagoberti; paucissimas autem sub illo, ac post illum usque ad secundæ stirpis Reges scriptas haberi, quæ vel autographæ dici possint, vel ex autographis fideliter desumtæ: eodem modo ratiocinandum & de privilegiis apostolicis, quibus ab episcoporum jurisdictione exempta monasteria, & sub immediatam sedis Romanæ protectionem suscepta sunt: denique de Adeodati papæ privilegio pro Martiniano cœnobio, deque aliis aliorum pontificum pro Dionysiano, atque aliis porro omnibus, tempore primæ stirpis regiæ editis, illud omnino tenendum esse, tanto minus adhibendum eis fidei, quanto plus præ se ferunt antiquitatis.

XIV. Eorum scopus & argumentum.

Hæc & alia cum archivum Dionysianum velut officinam falsorum diplomatum traducerent, & in omnium aliorum, in uno confossorum, immo totius Francici regni redundarent injuriam, æquo animo ferre non valens Mabillonius, falsis Papebrochii regulis veras opponendas esse duxit. Ad argumentum igitur dudum susceptum jam probe meditatus accedens, quæcumque ad rem diplomaticam pertinebant accuratius & attentius expendit, digerit, explicat, archivorum fidem & auctoritatem tuetur, collatisque secum invicem infinitis propemodum, quas inspexerat, chartis, regulas eruit quibus genuinæ a spuriis, integræ a vitiatis discerni queant, veterum scripturarum varia specimina, in tabulis LX. accuratissime delineata, oculis exhibet; & ut verbo dicam, insignem illam de re diplomatica lucubrationem in lucem emittit, anno MDCLXXXI. in fol. maj. Ad novum illud antiquariæ artis genus, quod hactenus aggressus erat nemo, obstupuit litteratus orbis, ac præter mentis acumen auctoris, ingenii sagacitatem, profundam eruditionem, immensam veterum recentiorumque lectionem, miratus est rem diplomaticam certis quibusdam regulis subjici potuisse, quibus coërceri posse desperabant omnes. Ea laus poterat esse hominis dumtaxat longo usu in ea arte contriti ac subacti. Plausere proinde antiquarii, forenses, omnis generis & nationis homines, novamque sibi viam aperiri & æquari gestierunt, quam imperviam, ancipitem & inexplicabilem esse putabant. Plausit in primis vir doctissimus Daniel Papebrochius, omnemque respectum sincero, quo flagrabat, veri studio postponens, non tantum non moleste tulit, se a Mabillonio confutatum fuisse, nec præpropere conceptam opinionem vanis rationibus & cavillationibus tueri studuit, ut juvenculus quispiam tyro fecisset; sed scriptis ad auctorem

litteris gratias egit, eique tropæum ipse ponere non detrectavit. Litteras ex autographo, quod penes nos est, vulgavit Mabillonius initio Supplementi ad rem diplomaticam, de quo inferius.

XV. A quibusdam impugnantur.

Hæc fuit Mabillonii gloria, tam diu mansura quam diu vigebit antiquitatis studium, ad quam illustrandam quantum conferant veteres chartæ, norunt qui experti sunt. Ut tamen juncta semper invidiæ gloria, quam vir doctus merito consecutus erat, quidam post viginti & amplius annos quam prodierat opus de re diplomatica, imminuere conati sunt. Sed conatibus non respondit pro votis exitus. Quæ enim de auctore & opere fuerat apud eruditos existimatio, mansit incolumis; immo ex irritis conatibus crevit. Idque verissimum esse expertus est prudens quisquis rerum æstimator, quod initio libri primi de re » diplomatica pronuntiaverat Mabillonius, ad id argumentum pro di- » gnitate tractandum opus esse in primis eruditione non vulgari, tum » multo veterum chartarum atque archivorum usu, quibus etiam mo- » deratio & æquitas accedat. Qui vel uno horum destitutus id susceperit, » timendum esse, ne aut falsas regulas pro veris obtrudat, aut incidat in » temerariam præcipitemque censuram. Nam, ut addit in Supplementi » cap. 1. si de uno singulari instrumento decretorium ferre judicium diffi- » cile est homini in hoc argumenti genere minus versato: quanto magis » de universis statuere arduum & periculosum, si non adsit ea experien- » tia, quæ non nisi longo hujusmodi monumentorum usu comparari » potest? Nec sufficiunt ad hoc judicium humaniores artes, orationis po- » litioris studium, nec denique lectio assidua melioris litteraturæ aucto- » rum: immo hæc studia ad id plurimum obsunt, si eadem dicendi ele- » gantia vel puritas in vetustis illis instrumentis exigitur. Ad hæc enim » improbanda vel rejicienda suopte marte ducitur animus politioribus » illis imbutus auctoribus, quorum leges aliquo modo dediscendæ » erunt, ut his infimæ latinitatis monumentis animus assuescat. Et tamen » plerumque accidit, ut qui illis studiis imbuti sunt, de his quoque sum- » mo jure judicandi potestatem usurpent, rideantque alios qui secus sen- » tiant. Quapropter qui se rei diplomaticæ arbitros profiteri volunt, de » his idem exigendum est, quod de pædagogis exigebat Quintilianus: » nimirum, ut aut sint eruditi plane, aut se non eruditos esse sciant. » Hactenus Mabillonius.

Quintil. l. 1. c. 1.

XVI. Præmittitur novæ eorumdem editioni Supplementú.

Cum autem vir clarissimus adversariorum rei diplomaticæ objectiones jam plus satis vel confutasset, vel occupasset in opere de re diplomatica, vel ea principia statuisset ex quibus omnes pæne à peritis facile solvi possent, nova scripta doctorum judicio permittere maluit, quam data opera refellere; ne refellendo, vel eadem cum tædio lectorum iteraret, vel lites cum temporis majorisque momenti laborum dispendio perennaret. Ne tamen & sibi & doctorum amicorum consiliis prorsus deesse videretur, mediam hanc iniit rationem. Paratum dudum habebat Supplementum, novæ librorum de re diplomatica editioni ab omnibus expetitæ, quam tum meditabatur, subjungendum; separatim tamen imprimendum, ne qui priorem editionem sibi comparassent, novam emere cogerentur. Huic illud præmittere consultius esse duxit, ratus (nec fefellit spes) id plus satis esse ad succutiendas

inanes

inanes adversariorum objectiones; iis tamen, velut si nulli fuissent, ne nominatis quidem aut expresse confutatis. Prodiit igitur in lucem *Supplementum* anno MDCCIV. in fol. dilata interim in opportunius tempus nova editione, quæ demum vulgata est anno MDCCIX. In eo Supplemento, retractata breviter Diplomaticæ totius argumento, archetypa pro regulis proposita, ipsæque regulæ denuo confirmantur, novisque speciminibus & argumentis asseruntur & illustrantur; diplomata plura, formulæ, veteraque monumenta hactenus invisa in lucem emittuntur, ac demum objectiones omnes, quæcumque proponi poterant, aut propositæ hactenus fuerant, sedulo excutiuntur ac planissime diluuntur: ita ut nihil jam superesse confidens, quod lectorem æqui verique amantem remorari posset, a contentiosis scriptis abstinendum sibi merito censuerit. Si quis, inquit, rixas & contentiones persequi & ingerere amet, „ nihil responsi a me exspectet. Ut enim ab ejusmodi cavillationibus semper abhorruit animus; ita, nunc maxime, his tricis confici puderet „ reliquum hoc ætatis meæ ac temporis, quod melioribus studiis occupari decet. Fecit quod dixit vir pacificus: quidquid enim egerint quidam ut veteranum militem proritarent, a proposito dimoveri non potuit, non causæ suæ diffisus, quæ jam absoluta videbatur, sed paci ac tempori consulens.

XVII. Mabillonii vindicias suscipiunt doctissimi viri.

Quibusdam tamen ex Mabillonii amicis cum major tanti viri moderatio videretur, quam res ferret; amici, veterumque diplomatum, adeoque venerandæ antiquitatis vindicias susceperunt. Inter eos excelluit illustrissimus D. Justus Fontaninus, tunc in Romano archigymnasio publicus eloquentiæ professor, vir non solo politiorum musarum studio, sed omnigena eruditione conspicuus, & ad ejusmodi pugnam, si quis alius, instructus & munitus. Is ergo librum edidit Romæ anno MDCCV. cui titulus, *Vindiciæ antiquorum diplomatum*, quem summo pontifici Clementi XI. nuncupavit, in quo singulas adversariorum objectiones accurate expendit, ac solide & erudite refellit. Egregium opus non multo post exceperunt epistolæ duæ de eodem argumento: altera est *Domini Lazzarini ex nobilibus de Murro ad amicum Parisiensem, pro vindiciis antiquorum diplomatum Justi Fontanini Forojuliensis. Romæ* MDCCVI. Altera est *M. Antonii Gatti ad v. c. Jacobum Bernardum. Amstelodami* MDCCVII. Ea omnia continenter referre visum est, quia ad idem argumentum pertinent. Nunc ad inceptum redeo.

XVIII. Oblatas pensiones recusat.

Opus suum de re diplomatica nuncupavit Mabillonius illustrissimo viro D. Johanni Baptistæ Colbert, generali ærarii moderatori, summoque regiorum ædificiorum præfecto, cui acceptissimum munus fuit, tum ob argumenti novitatem ac dignitatem, tum ob auctoris ipsius meritum. Is pro amore suo ac studio in bonas artes & scientias, quas ad regni decus & ornamentum modis omnibus promovere satagebat, eruditos homines quoscumque noverat, mira liberalitate fusis ex ærario donis recreare & accendere gestiebat. Mabillonium proinde inter eruditos non infimum tenentem locum, sibique jam dudum & virtute sua & eruditione notissimum, inter beneficiarios Regis describi curavit; constitutaque ei ex ærario regio annua pensione, misit qui schedulam deferret. Sed qui repulsam ferre, in iis præsertim rebus, non solebat, mi-

ratus est regiæ munificentiæ dona a Mabillonio recusari. Ubi enim schedulam vidit humillimus & religiosæ paupertatis amantissimus monachus, statim abnuit, nec ulla ratione flecti potuit ut acciperet. Id unum responsi elici ab eo potuit, se illustrissimo litteratorum Mæcenati pro liberalitate ac beneficentia, quam maximam posset, habere gratiam: cæterum se nullius rei indigere, ut pote cui necessaria omnia, pro statu ac conditione, affatim e monasterio & congregatione suppeditarentur; se id unum ab illustrissimo viro efflagitare, ut congregationi suæ, quæ litteras litteratosque pro modulo colit, favere pergat; quod si obtineat, se opipare muneratum ac perbeatum existimare. Sic fuit piissimi viri animus, quam diu vixit: nec semel alias ejusmodi *pensiones* sibi ab amicis oblatas accepturum se constanter negavit, studio paupertatis utique, monasticarumque legum, quibus nihil potius umquam habuit.

XIX. Criminationes auctoris bibliothecæ criticæ.

Quod si a pensionibus annuis adeo abhorruerit Mabillonius, quod repugnare viderentur monasticis legibus, a quibus ne latum unguem deflectere volebat; quis fuerit ejus animus erga ecclesiastica vel monastica beneficia, quæ eum monastico statu penitus eduxissent, amplisque reditibus excusso obedientiæ jugo ditassent, facile, me etiam tacente, probus quisque judicabit. Et tamen mox citatus Criticus palam asserere non erubuit, Mabillonium dignitatem abbatialem ambivisse, vel nullum non lapidem movisse ut exitum sibi e congregatione sancti Mauri pararet. Is nempe in bibliothecæ criticæ tom. 4. pag. 293. & seqq. fabellas pro more narrat, dignum bibliothecæ criticæ argumentum, quas referre nec juvat, nec decet. Id tantum ad institutum facit. Famam fuisse, Mabillonio graves cum monacho quodam simultates fuisse, quod hic, ut erat in mss. codicum lectione versatissimus, passim inveheretur in Mabillonii studia: aiebat enim sibi, dum Landeveneci in inferiori Britannia habitaret, plusquam mille & ducentas chartas videre licuisse, ex quibus saltem octingintas falsas deprehendisset. Nec inter illos dumtaxat iras fuisse, sed & inter alios omnes qui in monasterio sancti Germani a pratis litteris operam dabant; adeoque flagrasse, ut non solum foras erumperent, sed etiam Mabillonius, turbarum si non auctor, saltem incentor, earum tandem pertæsus nihil intentatum reliquerit, ut congregatione discederet: quod revera fecisset, si regularem abbatiam rex christianissimus ab illustrissimo præsule rogatus concedere voluisset. Hæc fabula, quam frigidis inficetiis identidem ornare studet auctor. Ubi quot fere verba, tot calumniæ sunt.

XX. Diluuntur.

Falsum si quidem est, ullas umquam Mabillonio cum dicto monacho simultates fuisse; nisi quod Mabillonius, pro sua pietate & regularis disciplinæ studio, impatienter ferret illius mores, haud satis religiosos. Falsum est, hunc Landeveneci umquam habitasse: vix tota vita sua quatuor dies in eo monasterio moratus est, per quos monasterii chartarium vix evolvere licuit. Hæc leviora. Sed gravius & insulsius, eum amplius mille & ducentas chartas ibi vidisse, quarum octogintæ saltem falsæ essent, à monachis utique aut suppositæ aut vitiatæ: hac enim familiari criminatione delectatur in primis Criticus, illucque per fas & nefas, opportune importune semper revocat conceptum in monachos odium inexorabile: quamvis de injuriis lege postulatus, mente

male conſcia timens, ne meritas dudum pœnas tandem daret, palinodiam ſollemni ſcripto, dato die 19. Martii anno MDCC. coram eminentiſſimo Cardinale de Noailles archiepiſcopo Pariſienſi cavere, quam cauſam adhibitis probationibus dicere ſibi tutius eſſe cenſuerit. Leviſſima certe ſatisfactio, ſi injuriarum toties repetitarum ratio habeatur: quam tamen hortantibus tum chriſtiana caritate, tum eminentiſſimo Cardinale, tum clariſſimo quodam abbate, amico communi, accepere Benedictini, meliora deinceps de hoſte ſperantes. At ſi palinodia inſuper habita ad ingenium redire chriſtianæ leges ſinant, artificioſius ſaltem inſtruenda erat criminatio, nec ita infabre cudenda, ut riſum magis quam ſtomachum moveat. Ridiculum ſane in exiguo ſatis & obſcuro monaſterio, cenſu tenui, in angulo Britanniæ minoris ad mare ſito, cui ſi quæ alia vicina ſint monaſteria, ea certe perpauca, modicique cenſus, tantum occurrere potuiſſe chartarum ſeu genuinarum ſeu ſpuriarum numerum, quantum vix tota Britannia ſuppeditaret. Niſi contendat Criticus maximam partem illius provinciæ chartarum, ſive quæ in archivis publicis, ſive quæ in monaſteriis aliiſque eccleſiis, ſive quæ apud privatos aſſervantur, falſitatis aut corruptionis vitio laborare. Id certum, ſi quas umquam chartas illi monacho videre licuerit, pauciſſimas fuiſſe, quaſdam nimirum ex iis quæ in hiſtoria Britanniæ a noſtro domno Alexio Lobineau conſcriptæ aut citantur, aut integræ referuntur; quæ ſi falſi poſtulentur, falſitatis argumenta, ſi quæ ſint, non calumniæ, convitia, falſi rumores, anileſve fabulæ proferantur; excipiet auctor, nec concertationem detrectabit. Sed mirum prorſus falſis chartis indeſinenter repetitis aures noſtras obtundi a garrulis illis, qui ne forte quidem unam authenticam tota vita ſua viderint, legere vix poſſint, nec prima regularum elementa noverint, quibus genuinæ a ſpuriis diſcerni queant. Verum calumniis citius quam argumentis res conficitur.

XXI. *Aliæ critici criminationes tum in Mabillonium, tum in monachos expenduntur.*

Quod addit Criticus, fictitiarum diſſenſionum vel auctorem vel incentorem fuiſſe Mabillonium, adeo inſulſum eſt, ut ſi perſuadere voluerit, iis certe ſcripſerit, qui Mabillonium ne nomine quidem noverint: aliis, quibus perſpecta eſt piiſſimi viri morum lenitas, humanitas, caritatis ac pacis ſtudium, animus, non dicam à rixis, ſed ab ipſis rixarum & contentionum umbris alieniſſimus, veſana calumnia videbitur. Hæc gravis quidem: ſed longe gravior & intolerabilior ea, qua tanti viri famam adſpergere non veretur Criticus, quaſi regularem abbatiam ille ambiiſſet, ut à congregationis noſtræ legibus ſolutus ſibi deinceps viveret. Id enim conſtanter ac fidenter affirmamus, fidemque apud probos & honeſtos quoſque habebit affirmatio, eam eſſe cogitationem quæ non tantum Mabillonii mentem numquam ſubierit, ſed a qua, pro ſua in Deum pietate, ſincero in congregationem amore, tenaci in perſolvendo officio conſtantia, ſcrupuloſa in minimis quibuſque regularibus exercitiis diligentia, abhorruiſſet tanti viri animus. Vacante quidem abbatia ſancti Tiberii, quæ modici cenſus regularis abbatia eſt noſtræ congregationis, in Agathenſi diœceſi, ad quam nominandi jus penes regem Chriſtianiſſimum eſt; hortati ſunt Mabillonium Superiores majores, & tantum non juſſerunt, ut opera & favore illuſtriſſimi

e ij

Remensium archiepiscopi, Caroli Mauricii le Tellier, apud quem multum poterat, eam à Rege sibi impetrari curaret: non ut abbatiali reditu frueretur, ac de eo arbitratu suo statueret; hoc numquam consilium fuit: sed ut eo cedente monasterio, res illius afflictæ hac accessione relevari possent. Eo animo paruit vir optimus, archiepiscopum adiit, hic regem. at negotium non successit ex sententia; damno utique, non Mabillonii, sed monasterii. Sed quam alienus fuerit ab ejusmodi dignitatibus humillimi viri animus, alia paulo post patefecit occasio. Defuncto abbate Mauri monasterii *, quæ regularis abbatia est in Alsatia, nulli congregationi addicta, liberaque eligendi sibi abbatis, annuente rege, facultate gaudens, de substituendo in ejus locum Mabillonio cogitavit amicus ejus, R. P. piæ memoriæ domnus Hiacynthus Alliot, abbas regularis Mediani-monasterii, congregationis sancti Vitoni; eoque facilius obtinuisset à monachis, quo gratiæ & auctoritati, quibus apud eos plurimum valebat, accessisset candidati per se commendatissimi virtus. at eo adduci numquam potuit Mabillonius, ut huic rei assentiretur. Quidquid enim scriptis ad eum litteris egerit optimus abbas, ut consensum eliceret, adductis etiam in medium monasterii rebus non nihil confusis ac perturbatis, quibus pietate ac prudenti œconomia subveniret; hic constanter negavit, respondítque se sua sorte contentum, dignitates nec ambire, nec adipisci velle; abbatialem neque proposito, neque studiis, neque vivendi rationi convenire; gratiis proinde amico actis rogare, ut ab incœpto desistat, nec optatam quietem sibi invideat. Hæc fere Mabillonii epistola, cujus autographum penes R. Patrem Alliot vidisse se fidem facit testis omni exceptione major R. P. domnus Augustinus Calmet congregationis sancti Vitoni monachus, eruditis ac exquisitis in sacram Scripturam commentariis celeberrimus.

* Maursmunster.

Hæc & alia si diligenti sciscitatione quærere voluisset Criticus, ab inofficiosa censura forte temperasset; temperare certe debuisset. Sed ejusmodi scrupulis dudum excussis, majorem ingenii fœcunditatem, quam religionem & diligentiam in conscribendis historiis prodere voluisse videtur. In exemplum, inter sexcenta alia, proferri adhuc potest quod ait, Benedictinos sancti Germani a pratis, mortua Maria *Morifet*, relicta Ludovici *Billaine*, Typographi Parisiensis, ex solo mercimonio librorum ad usum congregationis sancti Mauri ab eo editorum, iniquis omnino rationibus sibi vindicasse summam viginti & novem millium librarum, fraudatis ea summa hæredibus; hæcque se didicisse ex ipsis instrumentis quæ secum communicavit D. *Touret*, dictæ viduæ hæres ex asse. Atqui tamen & D. *Touret* adhuc vivens & valens, cum id audivisset, palam protestatus est coram gravissimis viris, quorum fides, religio & auctoritas paullo minus nutant quam Critici, totam eam narrationem falsam esse & calumniosam: & ipsa authentica instrumenta & acceptilationes, quæ penes nos sunt, clamant, non Benedictinos a D. *Touret*, sed hunc potius a Benedictinis accepisse viginti mille & nongentas libras, pretium videlicet librorum ad usum congregationis sancti Mauri impressorum, puta Breviariorum, Diurnalium, Gradualium; & aliorum ejusmodi, quos in auctione publica mercimonii dictæ viduæ licitati

Biblioth. crit. to. 4. p. 54.

licitati sunt. Sic instrumenta legit Criticus, summaque cum fide refert summam iis expressam. Ejusdem fidei est Calvinismi accusatio, quam in Benedictinos, novæ Augustini operum editionis auctores, moliri non veretur : cui tamen quatuor aut quinque voculæ dumtaxat ansam præbuerunt. Nempe monuerunt, ab Apostoli verbis, Rom. I. 20. *Ut sint inexcusabiles*, quæ citat Augustinus libro de Spir. & lit. cap. XII. particulam *ita*, quam præferunt editi, abesse tum in mss. Augustini codicibus, tum in ipsius Apostoli textu Græco, qualem utique exhibent libri cum editi publica auctoritate, tum ipsi etiam manu exarati. *Editi*, inquiunt, ITA UT. *Abest* ITA *à mss. & a Græco.* Paucissima verba, eaque pure historica. Ipsa tamen sunt quæ catholicæ fidei studio succensus optimus ille Catholicus acriter redarguit, quasi dedita opera scripta ut Calvinianorum impietas firmetur; hincque conjici posse audacter asserit, eodem animo omissas fuisse in nova editione Lovaniensium annotationes, quibus Calvinianorum errores refelluntur. Sane præstat egregiis Dialectici illius argumentis Calvinianismi postulari, quam Episcoporum, doctissimorumque hominum, tum Catholicorum, tum Protestantium rationibus, ipsisque edictis publicis, Socinianismi, aliorumque gravissimorum errorum, ac flagitiosæ malignitatis palam argui.

Biblioth. crit. to. 3. p. 110.

Alia ejusdem furfuris plurima, quæ nec in bibliotheca critica, nec uspiam alibi locum habere debuissent, missa facimus. Sicubi vela dedit auctor ingenio mordaci, (primum hoc specimen non fuit) nullibi certe tam passa. Non mirum proinde si tantam habuerit apud omnes offensionem, ut querelis ad illustrissimum Cancellarium delatis, Regii consilii decreto suppressum fuerit opus, sub gravissimis pœnis prohibitum, & ad chartariorum pistillum damnatum. Et merito quidem. Tanta quippe comminiscendi lascivia est, ut pauca sint quibus sua ex omni parte constet veritas, plurima ex toto conficta, secum pugnantia, falsi sæpe convicta & confutata, iterum tamen incredibili audacia prolata: tantæ iræ, ut laxatis frenis in obvios quosque, vivos, defunctos, ipsosque sanctos, nullo discrimine habito, insiliat auctor, mordeat, laceret, discerpat; sed nullos crudelius quam monachos, Benedictinos præsertim, hominum genus injuriis opportunum. Si homini fides, falsarii, sunt, chartarum, diplomatum & manuscriptorum corruptores, prædones, fæneratores, impostores ex suppositis Sanctorum reliquiis quæstum facientes, Calvinianorum fautores, omnis eruditionis expertes atque ignari, quorum editiones, quibus a tot annis incumbunt, inutiles prorsus, nec aliud exhibent quam male congestas codicum mss. lectiones, absque judicio & eruditione; quorum claustra discordiæ sedes, &, ut verbo dicam, dæmones sunt. Nihil hic verbis exaggeratur. Iis enim coloribus passim in tota bibliotheca critica delineantur monachi. Et tamen sacerdos fuit, isque fere octogenarius, qui hæc proferre, scribere, in vulgus efferre, & ad nauseam repetere non erubuit, quæ horresceret honestus quivis ethnicus. Pudet quidem tantas ineptias, calumnias & impietates retulisse; ast protulisse pudere debuisset magis. Sed, ut Sallustii verbis utar, *cum omnibus locis nos maledictis laceret* Criticus, *non placuit*, occasione data, *reticere : ne quis modestiam in conscientiam duceret.* Operæ saltem pretium fuerit hominis ingenium patefecisse,

To. 1. p. 22. 101. 109. To. 2. p. 223. To. 3. p. 101. & seqq. 104. 105 & seqq. 110 111. 115. 116. 331. & seqq. 334. 335. 337 339. 344. 353 354 360. 361. 365. To 4. p. 54 297. 298.

non ut recens mortui (utinam ſatis expiata quæ viventem aduſſit aliis invidiam conflandi purigine) cineribus dolorem inurere videar: ſed ne cui fucum faciat in ſcriptis ſemper manens affectata dicendi confidentia. Sed ad Mabillonium, a quo non nihil digredi coëgerunt ſæpius iteratæ, hactenuſque diſſimulatæ criminationes, redeat oratio.

XXII. In Germaniam proficiſcitur Mabillonius.

Anno MDCLXXXII. Burgundiam ſtudiorum cauſa paragravit, ut illius provinciæ archiva & bibliothecas perluſtraret. Occaſione captata, illuſtriſſimus D. Johannes-Baptiſta Colbert diplomata quædam ad regiam familiam ſpectantia per eum examinari curavit. Ex relatione ſibi facta magis ac magis comperit vir illuſtriſſimus ſummam eſſe Mabillonii iis in rebus peritiam, nec minorem ſinceritatem & fidem. Quas quidem animi dotes cum eximias ac ſingulares eſſe cogitat, eas totas, dum liceret, in reipublicæ litterariæ utilitatem, regnique ipſius decus, quo nihil antiquius habebat, convertere ſtatuit. Inter hæc ſubiit mentem cogitatio, ſi Mabillonius in Germaniam nomine & ſumtibus regis mitteretur, ampliſſimas illius regionis bibliothecas & chartophylacia luſtratum, magnum inde emolumentum, & in bibliothecam regiam, & in ſcientias redire poſſe. nec fallebat opinio. Re chriſtianiſſimo regi per magnificum litteratorum patronum approbata, Mabillonius ad iter accingere ſe jubetur. Paret ille; & quamvis a ſolitudine monaſtica avelli in exteras regiones ægre ferret: ea tamen diſpendia abunde reſarcitum iri ſperabat, ex iis quæ ad illuſtrandam hiſtoriam noſtram collecturus erat. Ubi doctiſſimi viri in Germaniam adventus proximi fama ad amicos, quos frequentes illic habebat, perlata fuit, cuncti gaudere, gratulari, & tantum non feſtos dies agere, nulli non ad ſe invitare. *Omnibus ſolatium erit*, ſcribebat unus, *vel conſpexiſſe tantum virum.* Diſcedit ergo Pariſiis anno MDCLXXXIII. menſe Junio exeunte, ſocium itineris habens, qui & ſtudiorum erat, domnum Michaëlem *Germain*. Quinque menſium ſpatio peragrat Burgundiæ comitatum, Alſatiam, Sueviam, Bavariam, Tirolium, Helvetiam, aliaſque provincias. In Auſtriam cogitabat: ſed iter intercluſit Turcarum exercitus Viennam tunc obſidens, qui etiam reditum maturare coëgit, ne quæ ſuſpicio oriri poſſet de Gallis monachis Germaniam ſuſpicionis pleno tempore percurrentibus. Non morabor peregrinationis circumſtantias, ampliſſimoſque honores clariſſimo peregrino ubique exhibitos: hiſtoriam ipſe deſcripſit initio tomi quarti Analectorum; & quamvis præ innata ſibi modeſtia maximam delatorum honorum partem reticuerit, ex iis tamen quæ ſcripſit ſatis conjicitur quod non ſcripſit, certatim videlicet contendiſſe ornatiſſimos omnium ordinum viros de excipiendo, quo maximo poterat honore, tam inſigni hoſpite.

XXIII. Quartum Analectorum tomum, & Liturgiam Gallicanam publicat.

Rediit porro Mabillonius ex ea peregrinatione non honoribus tantum cumulatus, ſed, quod jucundius erat, pretioſis antiquitatis monumentis onuſtus, quæ ex archivis & bibliothecis, ſibi ubique fere ultro reſeratis, eruerat. Haud contemnendam partem luce donavit in tomo quarto Analectorum, qui primus itineris fructus fuit: in quo præter iter Germanicum, operi præmiſſum, ubi narrat præcipua quæque quæ ſibi occurrerunt, & quæ in Germaniæ bibliothecis viſuntur, plurima reperiuntur hactenus inedita; quæ quiſque hiſtoriæ ſtudioſus legerit,

laboris eum non pœnitebit. Aliis vero multis, quæ publici juris facere operæ pretium non erat, usus est ad illustrandos Annales Ordinis nostri. Sed gratior forte Gallis nostris, immo & Germanis ipsis, itineris Germanici fructus fuerit eximium opus de liturgia Gallicana. Cum enim Germaniam adiret vir doctissimus, ad Luxoviense monasterium accessit, atque inter semilaceras veteris ejus loci bibliothecæ reliquias invenit antiquissimum Lectionarium litteris Franco-Gallicis seu Merovingicis scriptum, quod in sacris ad legendas prophetias & epistolas cum evangeliis ante annos mille apud Gallos in usu fuerat. Re post reditum maturius expensa, accurateque digesta, hoc de argumento singularem edidit tractatum: in quo liturgiæ Gallicanæ, qualis ante Carolum Magnum apud majores nostros recepta erat, veram formam, genuinosque ritus explicavit. Opus in tres libros tribuitur. In primo tota liturgiæ Gallicanæ ratio, vetus sacræ supellectilis apud Gallos nostrates, ecclesiarumque forma & apparatus describitur, & illustratur. Argumentum hactenus obscurissimum, & a nemine, nisi irrito conatu, tentatum; deficientibus quippe idoneis hujus rei monumentis. Quæ fuerit etiam majorum nostrorum per id tempus de eucharistia fides & persuasio, in exordio & fine libri exponitur. Secundus liber exhibet lectionarium Gallicanum, continens lectiones prophetiarum, epistolarum & evangeliorum per totum annum in missa, & in aliis majorum sollemnitatum officiis recitandas: quibus omnibus lucem afferunt Mabillonii observationes subjectæ. Tertium librum constituunt missalia tria antiquissima, Gothico-Gallicanum, Francorum, & Gallicanum vetus, quæ quidem licet a Josepho-Maria Thomasio jam edita, a Mabillonio probationum instar iterum vulgata sunt, ne ob raritatem exemplarium Romanæ editionis ea suo operi deesse nonnulli causarentur. Accedit denique doctissima & singularis disquisitio de cursu Gallicano, id est de divinis officiis quæ in ecclesia Gallicana jam inde a primis temporibus obtinuerunt. Hæc fere summa operis de liturgia Gallicana, quod prodiit in 4°. anno MDCLXXXV. non minor certe fructus quem ex Mabillonii itinere Germanico retulit res christiana. Eidem itineri accepta referri debet Trithemii annalium Hirsaugiensium nova editio, triplo ut minimum auctior quam hactenus fuerat. Cum enim inter mss. codices bibliothecæ sancti Galli pretiosum hunc thesaurum reperisset Mabillonius, mox San-Gallenses nostros hortatus est ut eum eruditis cupientibus diutius non inviderent. Benigne concesserunt illi, suisque typis opus in duos tomos in fol. distinctum ediderunt anno MDCXC.

XXIV. Iter Italicum.

Reversus e Germania Mabillonius illustrissimum Colbertum, itineris auctorem, e vivis ereptum magno tum sui, tum eruditorum omnium mœrore reperit. Fore ut optata quiete frui diutius sibi liceret, spes erat; at non permisit qui litterarum promovendarum post Colbertum curam susceperat illustrissimus Remorum archiepiscopus Carolus-Mauricius *le Tellier*. Cum enim Mabillonio impense faveret, suoque & aliorum experimento didicisset quantum utilitatis ex itinere Germanico cepisset ecclesia; eum ad Italicam peregrinationem inducendum esse existimavit, tum ut aliquid utilitatis ecclesiæ, reique litterariæ inde accederet; tum ut conquisitis regia bibliotheca libris fieret locupletior. Pro-

positum Rex consilium laudavit, jussitque ut iter Italicum, quemadmodum & Germanicum, regiis impensis conficeretur. Mandata regia exsequi dum non jubetur modo, sed & urgetur Mabillonius ineunte vere anni MDCLXXXIV. iter in annum sequentem differre cogit superveniens morbus. Interim dum confirmatur valetudo, autumnum in perlustranda Normannia, studiorum causa, insumit. Sed tandem exacta hieme, longinquior ac diuturnior in Italiam peregrinatio suscipienda fuit. Discedit itaque Parisiis, cum D. Michaële *Germain*, prima die Aprilis MDCLXXXV. illuc reversurus die 11. Julii anni insequentis. Totis quindecim mensibus Italiæ bibliothecas veteres ac novas, archiva & cimelia perlustravit, ipsasque adeo librariorum officinas: ex quibus omnibus magnam pretiosamque supellectilem, utilitati publicæ consecrandam, secum retulit, bibliothecam regiam ter mille & amplius rarissimis libris, tum scriptis, tum editis auxit. Quas vero urbes, bibliothecas, ecclesias, monasteria, &c. inviserit, quidve in singulis observatione dignum invenerit, enucleate docet iter Italicum tomo primo Musæi Italici præmissum. Opus ab iis omnibus legendum, tum qui rei litterariæ Italicæ notitiam sibi comparare voluerint, tum qui eadem loca cum fructu peragrare cupierint. Longum esset summos honores ubique locorum a Principibus, Ducibus, Cardinalibus, Legatis, Præsulibus, Abbatibus, eruditis omnibus, omniumque ordinum spectatissimis viris, Mabillonio delatos enarrare. Facilis usque ad viros principes aditus, theses publicæ ei nuncupatæ, laudes ejus frequenti auditorum cœtu stricta & soluta oratione celebratæ, illustrissimi cujusque urbis viri turmatim in occursum ejus effusi, ac de excipiendo & retinendo apud se tam insigni hospite contendentes, secretiora & pretiosiora quæque ei comiter & hilariter reserata, satis superque testantur quanta esset tanti viri apud Italos fama & existimatio. At tantum abest ut honores ambiret humillimus monachus, ut potius studiose fugeret: adeo ut sæpius delituerit, amicorumque consilium frustratus fuerit, ne qui deferrentur; sæpe tamen & ipse ea in re deceptus ab amicis. Romæ dum moratur, ad congregationem Indicis inter consultores vocatus, sententiam pronuntiare suffragiumque suum promere jussus de quibusdam libris Vossianis de diluvio non universali, tanta cum eruditione & modestia protulit, ut mirati Cardinales secundum eum sententiam dixerint.

XXV. Musæum Italicum.

Perlustratis demum præcipuis quibusque Italiæ locis, quo duxerat non vana curiositas, sed illustrandæ antiquitatis cupiditas, Parisios rediit, thesauros illic inventos & Italiæ & orbi cum fœnore redditurus. Primitiæ fuerunt *Musæum Italicum*, in 4°. vulgatum anno MDCLXXXVII. in duas partes divisum. Prima continet Iter Italicum litterarium, in quo totius itineris seriem describit; Italicarum bibliothecarum, monumentorumque veterum, quæ occurrerunt, notitiam exteris hominibus, qui litteras amant, præbet, additis ubique criticis observationibus; ac denique viros litteratos, quos in Italia novit, in aliorum cognitionem venire curat. Altera pars complectitur vetera monumenta plura hactenus numquam vel imperfectius edita, quales sunt virorum illustrium epistolæ & vitæ, episcoporum, ducum & abbatum indices, concilia, capitularia,

capitularia, libri diurni Romanorum Pontificum supplementum, antiquissima belli sacri seu expeditionis Hierosolymitanæ historia, a teste oculato scripta, varia de ritu Ambrosiano, quibus lucem afferunt Mabillonii annotationes non hic modo, sed & singulis monumentis præmissæ. Sed pretiosius nullum, quam vetus Sacramentarium ante mille annos scriptum, in Bobiensi monasterio repertum, quod ad liturgiam Gallicanam pertinere demonstrat vir doctissimus, & propter ea Gallicanum vocat; quod excipit antiquus liber pœnitentialis, in quo multa scitu digna occurrunt ad veteris disciplinæ ecclesiasticæ cognitionem. Biennio post, id est anno MDCLXXXIX. prodiit alter ejusdem Musæi Italici tomus, in quo continentur antiqui libri rituales S. R. E. qui Ordinis nomine comprehendi solent, plerique antea haud vulgati; et si qui jam editi, ob novas accessiones & notas quamdam novitatis gratiam præ se ferentes. Operi pretium addit præmissus in ordinem commentarius, in quo præcipuos Romanæ ecclesiæ ritus explicat Mabillonius. Plura alia ejusdem operis volumina in lucem edidisset, ex iis quæ in Italia collegerat, nisi consilio obices injecissent tum alia studia, quibus otium impendere necesse fuit, tum maxime turbatus rerum Europæ status, quo liberum commercium cum exteris interclusum fuit.

XXVI. Disceptatio cum Canonicis Regularibus Burgundiæ.

Inter ea Mabillonii auxilium implorantibus suis, ad alia calamum vertere compulsus est Ordinis monastici vindex acerrimus. In sollemnes ordinum ducatus Burgundiæ conventus ab hominum memoria non modo admissi sunt Benedictini præcipuarum & antiquissimarum provinciæ abbatiarum octo, sed & primum ex parte cleri regularis, ante cæteros omnes Regulares, locum semper tenuerunt. Ea prærogativa nemine contradicente gavisi sunt, donec Canonici Regulares circa annum MDCLXXXVII. litem movere eosque de possessione dejicere tentarent. Id ut obtinerent, scriptum obtulere tum Regi, tum ordinibus Burgundiæ, in quo auctor sic fere causam agebat, ut unam Ordinis sui antiquitatem ab Apostolis ipsis repetitam obtenderet, aliaque proferret argumenta quæ Benedictinorum possessionem nihil aut parum attingebant. Huic scripto aliud opposuit Mabillonius, in quo missis adversarii declamationibus, obiterque castigatis verbis in Ordinem monasticum probrosis, ad rem propius veniens, de antiquitate & clericatu utriusque Ordinis disseruit. Cumque Mabillonii scripto respondere conatus fuisset alter e Canonicis Regularibus, sed priori moderatior, ejus responsionem altero scripto confutavit. Acta sunt ea omnia anno MDCLXXXVII. Erit forte qui litem hanc aliis ejusdem naturæ similem esse putans, totam consuetis litium ambagibus agi existimaverit. at judicium longe diversum tulerit, qui viri doctissimi scripta perlegerit. Totidem dissertationes sunt, omnigena eruditione refertæ, in quibus quidquid ad antiquitatem tum monastici, tum canonici Ordinis spectat, expenditur & illustratur, quas quisque partes in ecclesiæ officiis, honoribus, dignitatibus & administratione obierit, exponitur; antiquorum canonum & auctorum testimonia elucidantur; uno verbo præclara historiæ ac disciplinæ seu ecclesiasticæ seu monasticæ capita solide pertractantur, adeo ut mirum sit tam brevibus scriptis, si rerum ratio habeatur, tanta congeri ac digeri potuisse. Ea postmodum suos

in usus Latine converterunt, edique curarunt Benedictini nostri Helvetii & Germani, a Canonicis Regularibus similiter lacessiti.

XXVII. Epistola de primario Romarici-montis instituto.

* *Remiremont.*

Eodem anno scribere compulsus est Mabillonius epistolam ad amicum, de primario instituto Romarici-montis*, quæ ecclesia, olim nobile monasterium sanctimonialium Ordinis sancti Benedicti, nunc, collapsa regulari disciplina, conversa est in collegium Canonicarum sæcularium. Cum enim illius loci abbatissa Canonicarum suarum mores in melius reformare vellet; hæ novæ reformationis impatientes, abbatissæ litem intenderunt. In iis vero scriptis quæ in vulgus emisere, non tantum contendebant ecclesiam suam numquam monastico Ordini & regulæ sancti Benedicti addictam fuisse, sed & Mabillonium assertionis suæ vadem perperam omnino citabant. Is eo magis indignatus, quo contrarium aperte statuerat multis in locis, & in iis ipsis quæ allegabant; edidit anno MDCLXXXVII. epistolam, in qua accuratius retractato argumento, solita eruditione ac moderatione probat, abbatiam Romarici-montensem, in monialium dumtaxat gratiam conditam, regulæ sancti Benedicti ab ipsis primordiis addictam fuisse, nec illius loci monachas eam regulam profiteri destitisse, donec anno circiter M D. abjecto cum monasticis vestibus & nomine, in sæculares Canonicas, nullis constrictas votis, evaserunt.

XXVIII. Tractatus de vocibus *Missa* & *Communio* in Regula S. Benedicti adhibitis.

Biennio post alia difficultas Mabillonium cum doctissimis viris, quos impense venerabatur, commisit. Illustrissimus quidam abbas scripserat Gallico idiomate commentarios in Regulam sancti Benedicti, in quibus contendebat, nullam in tota Regula mentionem fieri sacrificii eucharistici, communionisque sacramentalis; ac proinde voces *Missa* & *Communio sancta*, quibus utitur sanctus Patriarcha regulæ suæ capitibus XXXV. & XXXVIII. a vulgata acceptione detorquendas esse, ut priori significetur divinorum officiorum conclusio seu finis; posteriori, pauculum panis & vini quod a lectore mensæ sumitur ante lectionem, in signum ecclesiasticæ communionis cum fratribus suis, quibuscum edere non potest. Violenta quidem & toti contextui repugnans videbatur hæc explicatio: cum tamen illustrissimi abbatis commentarius typis editus non esset, sed à multis exscriptus dumtaxat & lectus, facile dissimulari potuisset, nisi doctissimus auctor dissertationis Gallicæ de Hemina vini, quam suis indulget sanctus Benedictus, in secunda editione in abbatis sententiam, sua retractata, non modo ivisset, sed & pro ea decertasset: quem non multo post subsecutus est alter, qui Regulam e Latino in Gallicum sermonem convertit. Veritus Mabillonius ne nova hæc opinio, a constanti totius Ordinis traditione discedens, & communi interpretum Regulæ sententiæ repugnans, latius serperet, eam scriptis coërcendam esse sibi putavit. Tractatum proinde patrio sermone edidit anno MDCLXXXIX. in quo novam eorum auctorum explicationem confutat, nullaque solida ratione niti posse demonstrat. Argumenta vero petit tum a priorum monachorum, sancto Benedicto antiquiorum, praxi, tum a communi totius Ordinis disciplina, tum ab interpretum fere omnium sententia: ostenditque eum in monasteriis morem semper obtinuisse, ut singulis dominicis ac festis diebus monachi eucharistiæ sacrificio interessent, sacraque communione Christi corporis refice-

rentur : eos vero fratres qui coquinæ & refectorio deserviebant, & lectorem mensæ, quibus indultum erat ut pauculum panis & vini (quod *mixtum* vocabatur) ante refectionem sumere possent, *ne grave eis esset jejunium sustinere, mixti* sumptionem iis diebus *post Missas & Communionem*, id est post missæ sacrificium & communionem eucharisticam, quæ a jejunis percipienda erat, distulisse : tum vero lectorem *mixtum* sumsisse *propter Communionem sanctam*, ne ipsa lectione & contentione vocis periculo sacras particulas exspuendi objiceretur. Hæc fere tractatus summa, in quo auctor identidem alia affinia disciplinæ ecclesiasticæ & monasticæ capita illustrat. Hunc tractatum domnus Claudius *de Vert*, ex antiqua observantia Cluniacensi, quem nonnihil feriebat, confutare aggressus est, opposita dissertatione, sed verbis (sæpius parum urbanis & inofficiosis) ac confidentia, quam argumentis & rationibus graviori ; in qua proinde refellenda a contentione semper abhorrens Mabillonius otium abuti noluit : quamvis justæ querelæ locus esse potuisset, quod auctoris tractatus nomen ideo sibi ignotum esse dissimulasset dissertationis auctor, ut incivilius appetere posset.

XXIX. Tractatus de studiis monasticis.

Gravior ac paulo diuturnior exstitit quæ subinde exarsit Mabillonium inter & clarissimum abbatem Trapensem, ex strictiori observantia Cisterciensi, concertatio de studiis monachorum. Jam dudum Mabillonium hortabantur & urgebant non modo majores nostræ congregationis, sed & alii doctissimi viri, ut accurate dissereret de studiis monachorum, quæ nimirum & qualia & quousque eis frequentanda essent, certamque studendi methodum præscriberet, qua cum ipse tam feliciter usus esset, alii, pro suo quisque fine ac ingenio, iisdem vestigiis insistentes similiter uti possent, & ad eam studia sua cum fructu exigere ; rati videlicet, nihil periculosius esse junioribus, quam ut rectore ac duce destituti seipsos avidius quam consultius immensæ lectioni committentes, obvia quæque temere captarent, sicque incerti quo ferrentur, totam vitam in studiis, sed incasso labore, ducerent, sibi & ecclesiæ inutiles semper futuri. Re, ut par erat, expensa Mabillonius Superiorum & amicorum consiliis concedendum esse putavit ; atque adeo tractatum edidit de studiis monasticis in 4°. anno MDCXCI. quem in tres partes distribuit. In priori ostendit, studia litterarum, ea etiam quæ consuetis jamque receptis scholarum exercitiis coluntur, monastico statui non tantum non repugnare, iisque monachis non interdici, sed adeo necessaria esse, ut monastica disciplina, rectusque monasteriorum ordo & œconomia sine iis consistere vix possint : quod eo verius esse demonstratur, quo jam monachi clericatu nobilitati, ea scientia, aliisque dotibus instructi esse debeant, quas sacri canones exigunt. Tum argumenta petit ab ipsius sancti Benedicti regula & praxi, ab exemplo tot illustrium Benedictinorum qui scientiæ laude floruerunt, a locupletissimis præcipuorum monasteriorum bibliothecis, & a constanti demum & perpetua totius Ordinis traditione & disciplina ; probatque tantum abesse ut a litterarum studiis monachos arcuerint concilia & summi pontifices, ut potius admoveri jusserint, longeque majoribus ac funestioribus malis objici monachos imperitos, quam litterarum studiosos. In secunda parte expendit ea omnia studiorum genera, quæ

monachis solitariis convenire possunt, ostenditque omnia illis permitti posse, quæ ecclesiasticis viris liceant. Tum, quod caput est, præcipuusque operis finis, ad singula particulatim descendens, quo quisque gradu ferri debeat, quibus subsidiis munitus ad studium sibi præscriptum, aut a se delectum accedere, quos auctores & quo ordine evolvere, qua ratione lectiones suas dirigere & digerere, qua arte collectanea conficere, & in adversaria redigere; uno verbo, qua certa methodo quisque procedere, ut ab errandi periculo tutus ad scientiæ, cui vacat, culmen pertingere valeat, fuse pertractat & docet. In tertia parte agit de fine quem sibi in studiis suis proponere debent monachi, eumque esse debere merito contendit, ut ad veritatis notitiam & caritatem referantur, nec a præcipuis, quibus monachus quisque tenetur, monasticæ vitæ officiis avocent; secus non inutilia modo, sed & noxia futura. Hanc partem excipit curiosa & ordine sæculorum digesta series difficultatum, quæ in lectione conciliorum, Patrum, & historiæ ecclesiasticæ occurrere possunt, subnotatis auctoribus qui eas solvere conati sunt: ut ad eas attendant legentes, & studiosius observent ea omnia quibus illustrari possunt. Accedit denique catalogus selectorum librorum quibus ecclesiastica bibliotheca instrui potest, indicatis, ubi opus fuit, melioribus editionibus.

XAX. Multoties & variis linguis editus.

Nullus fere liber majori omnium plausu exceptus est, quam tractatus iste de studiis monasticis, qui non monachis dumtaxat, sed omnibus aliis, doctis juxta & indoctis, utilis, incipientibus tutam & expeditam ad scientias viam, provectioribus exemplar, omnibus vastissimum eruditionis campum aperit: adeo ut mirum sit, hominem qui in eruendis e pulvere & situ chartis veteribusque monumentis maximam vitæ partem egerat, de aliis omnibus scientiis sic disseruisse, quasi in unaquaque totam vitam insumpsisset. Tanta fuit operis fama, ut brevi distractis prioris editionis exemplaribus, alteram vix elapso anno curare necesse fuerit; quam eamdem anno insequenti typis suis recudere Bruxellenses. Et ne tanto munere defraudarentur exteri, librum in Latinum sermonem convertit, Campodunensibusque typis in Suevia edi curavit anno MDCCII. R. P. Udalricus *Staudigl*, monasterii sancti Angeli Andechs, e congregatione sanctorum Angelorum custodum Benedictino-Bavarica monachus: dubia historica etiam latine vertit, & in suorum usum apud sanctum Gallum in Helvetia edidit R. P. Hermannus *Schenk*, ejus monasterii bibliothecarius. Totam vero secundam operis partem quæ ad usum magis comparata est, cum difficultarum serie, Italico sermone donatam, Romæ vulgavit anno MDCCI. sub hoc titulo, *La scuola Mabillonia*, R. P. Nicolaus Hieronymus *Ceppi*, Augustinianus. Hæc quo in pretio apud omnes esset Mabillonii tractatus, satis superque testantur.

XXXI. Ab Trapensi abbate impugnatus.

Probatum tamen omnibus de studiorum monasticorum ratione opus displicuit viro clarissimo Amando-Johanni Butillerio abbati B. M. de Trappa, strictioris observantiæ Cisterciensis: adeo ut sententiam de eo suam dissimulare non potuerit. Jam enim edito tractatu vernaculo *de sanctis monasticæ vitæ officiis*; severioris disciplinæ zelo ultro metas abreptus, studia monachorum non modo vexare aggressus erat, verum illis

illis turbari monasteria, sanctiorem disciplinam enervari, monachorum animos a rebus seriis ad nugas avocari, superbiaque inflari, pietatem exstingui, ea tandem cum religiosæ vitæ professione, sanctorumque patrum legibus & institutis constare non posse acerbe deploraverat. Non poterat Mabillonius, de studiis monasticis scribens, abbatis illius testimonium, quod magni ponderis apud multos esse intelligebat, silentio præterire, & argumenta illius ad examen non revocare. Fecerat id, more suo, tam modeste, ut nihil contentiosæ disputationis haberet ejus oratio, quam ita temperaverat, ut nobilis ille adversarius ne verbulo quidem læsum se queri posset. Is tamen lecto tractatu de studiis monasticis, statim illum, ne monachis suis, ut aiebat, fraudi foret, (quibus tamen asceticos dumtaxat, non certe Mabillonianum legere permittebat) refellendum suscepit; sed stylo vehementiori, quasi actum foret de monastica disciplina. Causam porro non tam argumentis, quam vivida & variis figuris splendida oratione ita pertractat, ut non Mabillonius modo, sed congregationes religiosæ & personæ pietate conspicuæ ab inofficiosa censura intactæ non sint; quasi scilicet nihil tam abditum in profana etiam litteratura sit, quod non Mabillonius addiscere juberet; ipsas veteres inscriptiones, numismata, fabulas, linguas peregrinas, leviora tandem pabulum studii doctrinæque ascetarum esse vellet.

XXXII. Abbas refellitur.

Tam sinistre accipi sententiam suam doluit Mabillonius. Et si quidem soli sibi, quamvis immerenti, facta fuisset injuria, corde facile pressisset: sed contumelias in totum Ordinem jactas, oblitosque studiis litterarum falsos colores dissimulari nec posse, nec debere, non ipse modo, sed & Superiores, virique alii clarissimi, inter quos illustrissimus Franciæ Cancellarius, censebant. Iis igitur hortantibus resumto calamo, abbatis Trapensis responsioni animadversiones in eamdem responsionem (is libro titulus) opponere festinavit: adeo ut octavo circiter mense quam prodierat responsio, (prodierat mense Februario anni MDCXCII. ineunte) animadversiones e prælo exierint, mense videlicet Septembri ejusdem anni ineunte, anno insequenti iterum recusæ. Ubi in ipso limine plurima sibi ab abbate male impacta fuisse conquestus est, ostenditque; dissimulatum aut male constitutum quæstionis statum restituit; an videlicet studia litterarum, ea maxime quæ viros ecclesiasticos decent, monachis liceant, majora tamen aut minora, pro cujusque captu & Superiorum judicio; non vero, ut falso exposuerat abbas, utrum scientiæ omnes, de quibus egerat Mabillonius in tractatu suo, monachis necessariæ sint; longe minus an monachi omnes promiscue, nulloque discrimine habito, in majora studia altius sese demittere debeant. Tam insulsa cogitatio Mabillonii mentem numquam subierat; & quam ab ea abhorreret, sic declaraverat, ut disertius non posset, tum in tractatus sui epistola nuncupatoria ad juniores monachos, tum alibi passim; ubi ea studia quæ ad mediocrem saltem litterarum sacrarum intelligentiam conferunt, omnium; majora & altiora, paucorum; certa quædam, ut mathematicarum, numismatum, inscriptionum, &c. fere nullorum esse scribit. Itaque restituto, quem deformaverat abbas, genuino quæstionis statu, totum argumentum instaurat, eaque vi & effi-

cacia, soliditate & perspicuitate pertractat, adversarii objectiones solvit, criminationes diluit, nimium in omnibus zelum coërcet, vehementiores impetus reprimit, male lacessitos plures illustres ac sanctos viros integrasque congregationes vindicat, ut si abbatem suscepti consilii non pœnituerit, saltem pœnitere debuisse constans omnium sententia fuerit. Sed si in tota ea disputatione Mabillonii eruditionem, præstantissimumque ingenium; moderationem non minus mirati sunt universi: quamvis enim inofficiose & dure, immerens licet, exceptus fuisset, eum tamen modum tenuit, ut verbum nullum exciderit quod convicium sapiat, causamque interdum infirmare malit, quam ea confutare, quæ non nisi inclementioribus verbis refelli possent. Et ne qua vel levissima tecti in corde odii suspicio in aliorum animis oboriri posset, clarissimum abbatem, quem impense veneratus semper fuerat, a serenissima principe fœmina invitatus, ultro adiit, habiturus ei honorem, veteremque amicitiam, si forte disputatione refrixisset, renovaturus. Sic finita est controversia quæ diutius attentos tenuerat omnium animos.

XXXIII. Annales Ordinis S. Benedicti scribit Mabillonius.

Eos labores eluctatus Mabillonius, totum se deinceps ad sanctius otium referre, convertereque se a turba in solitudinem meditabatur, ubi curis alienis vacuus, totus Deo sibique vacans cogitaret dies antiquos & annos æternos jugiter in mente haberet. Piissimum quidem consilium, sed ecclesiæ damnosum, quæ ex tanti viri laboribus non modicum fructum adhuc collectura erat. Id ubi audierunt duo illustrissimi præsules, graviter improbarunt, rati, quod res erat, tanto viro non licere ingenii dotes sibi a Deo in aliorum commodum concessas obruere. Hortati sunt proinde ut novam sancti Cypriani operum editionem curaret. Assensit ille; jamque ad opus se accingebat, cum ab alio occupatum esse cognoscens, pristinum consilium repetere volebat. Sed acriter obstitere tum Superiores, tum amici, exposueruntque, suscepta hactenus studia, peregrinationes, opera, ad illustrandam Ordinis nostri historiam collimare cum debuissent, eamdem ab eo solo conscribi & posse & debere, præter quem vix ullus alius umquam occurreret, qui tot subsidiis & dotibus instructus ad opus accedere posset: hanc esse omnium de eo spem, omnium vota, totius Ordinis exspectationem, quæ si frustraretur, justum de eo apud posteros expostulationis locum fore; ex se quidem arduum esse opus, sed ei longe facilius qui tantam rerum monasticarum peritiam jugi studio, summamque scribendi facilitatem assidua exercitatione comparaverat; quod proinde aggredi si negaret, alios deinceps ejus exemplo deterritos ne tentare quidem ausuros, sicque opere utilissimo, immo & necessario Ordinem, ecclesiam & ipsam rempublicam defraudatum iri. His similibusque rationibus permovebatur quidem Mabillonii animus; una remorabatur caduca jam ætas affectaque valetudo: at Dei auxilio confisus rei tandem manum admovere constituit. Admovit revera medio mense Julio anni MDCLXXXXIII. hucque deinceps studium omne contulit.

XXXIV. Epistola encyclica de morte Mariæ de Blemur.

E maxima tamen occupatione tempus interdum eripuit vel caritas proximi, cui inservire studebat, vel promovendæ aut defendendæ religionis necessitas. Cum anno MDCLXXXXVI. e vita cessisset Maria de

Blemur, e Benedictina Congregatione adorationi perpetuæ sanctissimi Sacramenti addicta, monialis, rogatus scripsit epistolam encyclicam de ejus morte ad cætera ejusdem instituti monasteria, animam piissimæ virginis sororum precibus commendaturus, ejusque laudes celebraturus. Eo lubentius fecit, quo eximia illius pietas, præclaraque in totum Ordinem, immo & ecclesiam merita justis laudibus dignissima essent. Ipsa est enim quæ Annum Benedictinum Gallice conscripsit, opus XII. voluminibus in 4°. distinctum, in quo præcipuorum Ordinis sanctorum vitas, prout in kalendario singulis anni diebus occurrunt, digessit; ac postmodum aliorum sanctorum in ecclesia notiorum acta descripsit, edíditque duobus voluminibus in folio, & aliis pluribus libris pietatem & scientiam suam posteris commendavit. Anno sequenti regulam sancti Benedicti cum statutis quæ Stephanus Poncherius, episcopus Parisiensis, ad reformanda monialium Ord. sancti Benedicti monasteria diœcesis Parisiensis ediderat, Gallice denuo convertit Mabillonius in gratiam monialium inclyti parthenonis Calensis.

Regula sancti Benedicti cum statutis Poncherii.

XXXV. Epistola de cultu sanctorum ignotorum.

Sed insignius fuit quod anno subsequenti MDCXCVIII. edidit opus, mole quidem parvum, sed argumenti dignitate magnum. Epistola est, quam sub nomine Eusebii Romani ad Theophilum Gallum, de cultu sanctorum ignotorum scripsit. Nomen si dissimulaverit Mabillonius, fecit prudentia; quod nimirum haud nesciret lubricum & invidiosum esse argumentum, pluribusque displicituram esse epistolam. At latebras frustra quærebat auctor, quem styli nitor, modestia, pietas, rationum pondus & efficacia, ac eruditio semper eadem sibique constans, vel invitum satis prodebant; adeo ut Mabillonium ex iis dotibus facile agnoscerent periti. Conscribendæ vero epistolæ ea fuit occasio. Sæpius & aures & animum pulsaverat ea quæstio, an veri martyres habendi essent illi, sive anonymi, sive obscuri nominis, quorum corpora e Romanis cœmeteriis eruuntur: tum quibus indiciis eorum sanctitas & martyrium discerni possint: quo denique cultus genere sancti illi incogniti sint honorandi. Dum Romæ versaretur, his de rebus viros Romanæ ecclesiæ peritos consulere, & subterranea urbis cum reverenter, tum accurate lustrare cœmeteria curaverat, ut ejusmodi quæstionibus aliquid lucis afferre posset. Reversus statuit scriptis committere quæ hac de re didicerat, tum ut piorum hominum votis satisfaceret, tum ut cavillos refelleret hæreticorum, qui Romanam ecclesiam ea de re traducunt & infamant, quasi sanctos personatos fidelibus venerandos exponat; approbetque profusos illos cultus, qui ejusmodi reliquiis impenduntur nonnullis in locis. Sic omnino ille consilium exponit in postrema epistolæ editione. Exsequi vero distulit, aliis scilicet studiis occupatus, donec interrogatus quid sentiret de duabus duorum tumulorum inscriptionibus, quarum altera in agro Vesuntionensi, altera apud Ambianos nuper reperta erat; deque corporibus in illis tumulis inventis, essentne christianorum, an paganorum; &, si quidem christianorum, an sanctorum dicenda essent, iisque cultus impendi posset, qualis corporibus sanctorum Roma advectis impendi solet; occasione hinc captata, rem altius repetens, epistolam de cultu sanctorum ignotorum scripsit, vulgavitque. In ea epistola tria sibi discutienda proponit,

expenditque, primo quid de Romanis cœmeteriis sentiendum sit, & utrum omnes qui in eis sepulti sunt, martyres, an saltem sancti habendi. Quod si non omnes, an certis notis & indiciis sancti ac martyres ab aliis secernantur. Ad hæc, an sanctos illos, sive proprio nomine præditos, sive anonymos, quos ob inditum recens nomen *Baptizatos* appellari mos est, profuso illo cultu, qualis in quibusdam Gallicanis ecclesiis impendi solet, honorari velit summus pontifex, cujus hac in re summa est auctoritas. Quo præstructo fundamento, de prædictis duabus inscriptionibus, duobusque tumulis apud Vesuntionem & Ambianos repertis disserit.

XXXVI. Quibusdam displicet.

Ea epistola eruditorum omnium favorem habuit, & quibusdam episcopis ita placuit, ut ad præscriptum ejus sanctorum ignotorum cultum in diœcesi sua exigi voluerint. Nec semel deinceps in Gallia & Belgio tum Latine tum Gallice recusa fuit. Ex Protestantibus qui candidiores erant, ea lecta confessi sunt, plura sæpe Romanæ ecclesiæ vel apostolicæ sedi perperam vitio verti, quæ privatorum hominum vel inscitia, vel immoderata pietas in cultum sacrum invexit; quæ tamen catholici peritiores palam damnant, nec Romana probat ecclesia. Quæcumque tamen fuisset auctoris circumspectio ut neminem læderet, vitare non potuit quin aliquorum offensionem incurreret. Quidam, quos bonus quidem, sed cæcus ac præposterus impellebat zelus, quidam, quos occultior quæpiam causa, quam palam efferre pudor erat, ægre ferebant severioribus regulis coërceri populorum pietatem, cujus remissionem non frustra timebant. Hinc Mabillonii lucubratiuncula libellis aliquibus impetita fuit, sed tam infeliciter ut vix quisquam legere dignatus sit. Alii ut invidiam auctori conflarent, epistolam ad Romanæ Inquisitionis tribunal detulerunt; nec felicius. Cum enim Mabillonius non ipsum cultum sanctorum ignotorum reprehendisset, sed abusum, qui aliquibus in locis, præter regulas a summis pontificibus constitutas, irrepserat; hunc eum in modum excrevisse, qui ferri non deberet, ultro fassi sunt e Romanis doctiores. Quod & Mabillonius liquido ostendit in commonitoria epistola ad D. Claudium Estiennot, procuratorem generalem congregationis sancti Mauri in curia Romana, super epistola de cultu sanctorum ignotorum. Quam cum legissent utrique congregationi, Inquisitionis & Indicis, præfecti cardinales & prælati, sibi admodum probari contestati sunt, virique doctissimi epistolam de cultu sanctorum ignotorum ab omni censura tutam esse palam asseruere plures.

XXXVII. Ad Congregationem Indicis defertur, sed frustra.

Ut tamen repulsis accenditur potius quam extinguitur invidia, malevoli homines paucis interjectis annis ad solitas artes rediere, acriusque quam antea Mabillonii damnationem apud congregationem Indicis insistere cœperunt, bene sibi cessisse putantes si per latus doctissimi & celeberrimi viri, nostræ congregationis famæ aliquam infamiæ notam adspergere possent. Eo rem adduxerant, ut vix de lucubratiunculæ censura dubitaretur, cum sapientissimorum quorumdam cardinalium consilio tota conspiratio diremta est. Ii quippe, pro suo in ecclesiæ, Romanæque sedis decus studio, summum pontificem Clementem XI. adierunt, expposituri, indignum probis omnibus visum iri, si Mabillonius,

billonius, vir doctus ac pius, præcipiti censura notaretur, quod profusum & interdum imprudentiorem sanctorum ignotorum cultum intra justos limites coërcere studuisset, quem ejus decessor & Rituum Congregatio reprimere decretis suis studuerant. Hæc, ut Mabillonio, cujus epistolam Cardinalis legerat, propitius erat pontifex, benigne excepit, statimque Congregationem Indicis ulteriori causæ cognitione interdixit; prudenter ratus, monitum Mabillonium, pro sua pietate intimaque in sanctam Romanam ecclesiam & apostolicam sedem observantia, haud repugnanter nullaque mora explicaturum quidquid in epistola sua obscurius videretur. nec spem pontificis fefellit vir optimus: nam ubi primum ejus voluntas innotuit, ilico novam epistolæ suæ editionem vulgavit ann. MDCCV. in qua retractato argumento, novisque accessionibus aucta lucubratione, si quid scrupulum injicere potuisset, explicuit; si quid durius, emollivit; si quid minus accuratum, emendavit; omnemque vel levissimam offensionis occasionem amoliri satagit. Romanis omnibus probata est nova hæc editio, summo pontifici in primis, qui ea lecta, laudavit, gratulatoriasque ad auctorem suo nomine scribi jussit litteras per procuratorem generalem congregationis sancti Mauri. Scripserunt & cardinales multi, in quibus Eminentissimus Otthobonius iis verbis usus est: *Ut*, inquit, *in sacra Indicis Congregatione comparuit*, (nova editio) *Eminentissimorum patrum unanimi consensu plenisque suffragiis commendata & approbata fuit.*

Nova ejusdem epistolæ editio.

XXXVIII. Epistola ad catholicos Anglos.

Paullo post editam primum epistolam de cultu sanctorum, alteram longe diversi argumenti ea occasione scribere necesse fuit. Miser quidam religiosus, non nostri quidem Ordinis, sed cujus nomen ad Mabillonianum satis accedebat, abjecta cum monasticis vestibus fide, ad Protestantes defecit. Hinc sinister per Germaniam & Angliam dissipatus rumor, Mabillonium catholicæ fidei desertorem ad hæreticorum castra in Hollandiam perfugisse. Tam atrocem maleque structam excitari de se calumniam doluit ex animo vir pius, catholicæque fidei, si quis alius, studiosissimus; nec minus catholici, quos fictus ille tanti viri casus non parum conturbabat. Et quidem sparsa in Germaniam calumnia fidem, eamque timidam apud paucos habuerat; quam proinde scriptis illuc litteris ad amicos reprimere haud difficile fuit. Latius vero per Angliam vagabatur, sollicite dissipantibus, sive gaudio, sive dolo, Protestantibus, indeque adversus afflictos catholicos superbius sese efferentibus. Id ubi Mabillonio renunciatum est postremis anni MDCXCVIII. diebus, nec mora scripsit epistolam ad catholicos Anglos, qua infabre cusam calumniam falsi revincit, quid de catholica fide sentiat umquamve senserit, exponit, eosque demum, pro suo in eam fidem studio, hortatur ut in illa perseverent, quam solam veram & ad salutem necessariam esse probat. at epistola haud opus fuit ut reprimeretur fama, quam detecta nominis æquivocatio, perlatæque in Angliam variæ, tum e Gallia, tum e Hollandia litteræ, satis compressere; adeo ut epistolam illuc mittere necesse non fuerit.

XXXIX. Epistola ad illustrissimum episcopum Blesensem de ve-

Nondum summi pontificis prudentia & æquitate finitum erat negotium, quod Romæ facessere Mabillonio studebat aliquorum invidia, cum inde accepta occasione aliud non Mabillonio soli, sed toti Ordini

teribus reliquiis discernendis.

Benedictino arcessere conatus est Johannes Baptista Thiers, vehementioribus scriptis notissimus. In abbatiali ecclesia sanctissimæ Trinitatis Vindocinensi, diœcesis alias Carnutensis, nunc Blesensis, asservatur, maximaque fidelium veneratione & concursu colitur, jam ab ipsa monasterii fundatione, id est a sexcentis amplius annis, pretiosa quædam cistella vitream ampullam cærulei coloris continens, qua inclusa creditur una ex Christi lachrymis, quas in excitatione Lazari fudit Salvator. Hoc munere Vindocinensem ecclesiam donavere Gaufridus Martellus & Agnes ejus conjux, monasterii conditores, accepto, ut ferunt, ab Henrico rege, cui a Nitkero Frisingensi episcopo, allatum ex urbe Constantinopoli, donatum fuerat. Hanc historiam repræsentant tum ipsa capsula, tum arcuata rudi artificio structa fabrica, sub qua hæc capsula reclusa est, eodem fere tempore erecta, quarum specimen æri incisum exhibet Mabillonius tomo Annalium IV. p. 532. Ceteræ translationis circumstantiæ prorsus incertæ sunt, ut quas scriptis mandare neglexerint primi Vindocinenses monachi. Sæculo proxime elapso unus ex eodem cœnobio brevissimum quemdam libellum Vindocinensibus typis ad vulgi usum edidit, in quo quid ferret accepta populis ea de re traditio haud eleganti sermone, nec majori artis criticæ peritia, simpliciter tamen & bona fide exposuit, populi pietati magis, quam criticæ regulis consulens. Plerumque prostat libellus ad majores ecclesiæ valvas apud mulierculas infimæque sortis mercatores, victum sibi ex ejusmodi mercibus corradentes. Is ipse tamen est, quem litteratis prorsus ignotum serio sibi refellendum suscepit Joannes-Baptista Thiers, scripta dissertatione adversus sacram lacrymam Vindocinensem, anno MDCXCIX. Parisiis edita. Si quidem solum id fecisset, giganteos in formicam elidendam conatus risissent omnes. Sed quod captata hinc ansa diras in totum Ordinem Benedictinum scripserit, Benedictinosque traduxerit, quasi turpissima omnium impostura falsas reliquias populis obtrudere gestiant; quod impios ac scurriles jocos ex profligatissimo omnium libro, apparatu ad apologiam Herodoti, haustos sermonibus admiscere non puduerit; quod demum eas regulas ad secernendas veras reliquias a falsis statuerit, quæ si valeant, pessum eunt omnes reliquiæ, ullæque vix inconcussæ stare possunt; id dissimulari omnino non potuit, nec decuit. Veritus Mabillonius, pro sua pietate, ne hominis fama qualiscumque levissimis ac futilibus argumentis adderet pondus, indeque conturbati fideles sacras omnes reliquias promiscue & temere in dubium revocarent, immo & contemptui haberent; repressa hominis temeritate, causam non Vindocinensis modo, sed & omnium aliarum ecclesiarum, quæ per Vindocinensis latus configebantur, sibi agendam esse duxit. Scripsit proinde patrio sermone epistolam ad illustrissimum episcopum Blesensem, de veteribus reliquiis discernendis, editque anno MDCC. In ea primum expendit regulas a dissertationis auctore propositas, & exempla quibus muniebantur; tum ostendit alias falsas esse, & in reliquiarum omnium perniciem ac fidelium conturbationem constitutas, alias vero nihil prorsus ad rem facere; tum alias, majori certe judicio, prudentia ac pietate, ipse constituit, ad quas in veterum reliquiarum habendo discrimine attendendum sit;

tum expostulat cum adversario, cujus impie scurriles & dicaces impetus identidem castigat, quod iniquo partium studio abreptus falsatum aut dubiarum reliquiarum, quales perperam fingebat, crimen Benedictinis solis affingat; cum tamen veteres omnes ecclesiæ cum sæculares, tum regulares, similibus glorientur, gloriarique se merito posse existiment; tum denique ecclesiæ Vindocinensis traditionem ac bona cum fide junctam possessionem legitimis niti fundamentis, & ab adversarii similiumque telis tutam esse demonstrat.

XL. Iniquum de ea epistola judicium auctoris bibliothecæ criticæ.

Johannis Thiers dissertationem accurate legit Criticus alter, nec æquior, nec moderatior, auctor videlicet bibliothecæ criticæ superius memoratus, adeoque placuit, ut omnes quibus scatebat, injurias, probra, convitia, calumnias & ineptias, unis exceptis Herodotianis, quas tamen aliis ubertim compensavit, dignas censuerit, quas in adversaria sua, ejusmodi suppellectile, si quæ alia, ditissima, referret, ut iterum Benedictinis solita fide, ingereret *. Mabillonii vero epistolam si viderit, vel ab ipso titulo statim fastidiens, tanto vito indignam esse audacter pronuntiat; immo graviter reprehendit, quod dissertationi Thiersii respondere aggressus sit. Non quod invalida esse Mabillonii argumenta probet; ne quidem attingere audet: ea quippe est ejus prudentia, ut scripta quibus obloquitur, eminus quidem adlatret, cominus numquam adoriatur. Sed id revera in Mabillonii epistola offensionem habet apud ejusmodi homines, quod vir pius præcipitem temerariamque audaculorum censuram coërceat, easque leges in habendo veterum reliquiarum discrimine constituat, quæ nihil imprudenti aleæ, nihil effrenatis animi levioris impetibus permittant, sed totum maturiori judicio & examine, maxima cautione, & circumspecta pietate fieri jubeant. Hæc effreni criticæ molestiora, quam ut placere possint.

* *Biblioth. crit. tom. 3. p. 331. & seqq.*

XLI. In regiam Inscriptionum academiam cooptatus Mabillonius.

Cum anno M DCCI. regiam Inscriptionum academiam novo sociorum delectorum supplemento augeri, novisque statutis informari Rex Christianissimus jussisset, in spectatissimorum hominum cœtum merito & eruditione sua adscitus est Mabillonius, litterasque ea de re ad illum scribere dignatus est illustrissimus comes *de Pontchartrain*. Delatum honorem tantum refugit vir modestissimus, quantum alii ambiunt; accipit tandem, a clarissimo abbate Bignonio, majoribusque suis jussus. Tam inclyti nominis socio auctam se gloriata est academia, quantique illum faceret publicis argumentis, quoties occasio se tulit, demonstravit. Cui quidem existimationi pro virili sua parte respondere conatus est gratissimus Mabillonius, academiam, quantum per occupationes licebat, frequentando, eamque novarum lucubrationum lectione interdum recreando.

XLII. Librum edit de morte christiana.

Inter honores quibus undique cumulabatur humilis monachus, suæ sortis numquam oblitus ad extrema semper respiciebat. Dumque ex sanctissimi patriarchæ sui præscripto, *mortem quotidie ante oculos suspectam haberet*, quæcumque inter legendum occurrebant piissimi sanctorum hominum obitus exempla, ab oculatis testibus, aut qui ab his acceperant, enucleate descripta; ea sibi eisdem omnino verbis studiose colligebat, identidem relecturus. Hanc collectionem cum legissent plures pietate & sapientia conspicui viri, dignam censuerunt quæ in fidelium

usum patrio idiomate vulgaretur. Acquievit tandem Mabillonius, librumque edidit anno MDCCII. *De morte christiana*, reginæ majoris Britanniæ nuncupatum. Præmissa huic epistola nuncupatoria, cum admonitione, auctoris pietatem, mentemque cui jugi mortis meditatione fastidit mundus, pie affectis lectoribus produnt.

XLIII. Annales Ordinis emittit in lucem.

Jam totum novennium in Annales Ordinis nostri conscribendos insumpserat Mabillonius: præcipua hæc ejus erat cura; cætera quæ cœpto majoris molis opere scripta memoravimus, horis subsecivis elucubrata sunt. Quamvis autem rerum ecclesiasticarum & monasticarum, immo & patriæ historiæ scientia, miraque scribendi facilitate nulli secundus esset, opus tamen præfestinare noluit, donec maturitatem esset assecutum, duosque saltem tomos typis paratos haberet: ut dum hi prælo subjicerentur, cæteros parare liceret, citiusque prioribus subjungere. Iis igitur paratis, primum in lucem emisit anno MDCCIII. Insigne, si quod sit, opus historicum, eruditorum omnium laudibus merito commendatum, cui pretium faciunt styli nitor, scrupulosa diligentia, prudens critica, multa paucis complectens oratio, mira rerum varietas sapiensque delectus, singularis modestia, & identidem inspersæ observationes, ex rebus ipsis natæ, quæ vel rerum aridarum fastidium minuant, vel lectoris animum ad pietatem accendant & a vitiis dehortentur. Hæc enim auctoris laus est, studiose semper, quotiescumque se sponte obtulit occasio, adnotasse, adnotarique a lectoribus curasse, unde primum vitia & virtutes ortum & incrementum acceperint, a quibus initiis labefactata vel instaurata regularis, vel ipsa etiam ecclesiastica disciplina: ut quisquis Annales legerit, non nudam & jejunam rerum historicarum notitiam referat, sed & egregia documenta & exempla inde colligat, ad quos mores instituat. Notius est opus, quam ut diutius in explicando & scopo & argumento immoremur. Sed si quis forte ab eo legendo deterritus fuerit, quod exsanguem rerum monasticarum, quæ nihil aut parum ad multos attineant, historiam complecti putet; is legitimam sibi operis ideam haud effingit. Nam historia monastica, ecclesiastica & civilis scite adeo & perite intermiscentur, ut historia generalis propemodum dici possit; nulla certe, quæ Francorum historiæ præcipua quæque eventa accuratius & certius exponat. Ad hæc, infinita pene eventa, aut eventorum circumstantiæ, e tenebris eructa & illustrata; chronologia, quæ prius in multis vacillabat, ex certissimis monumentis firmata vel restituta; concilia hactenus ignota, ignoti episcopi, abbates, viri illustres, scriptores, &c. in lucem primum prodeuntes; eruditæ identidem, licet breves, dissertationes, selecta vetera monumenta quæ dictis fidem conciliant, & alia ejusmodi bene multa, quæ enarrare longum esset, omnium curiositatem accendere debent, vel morosiorum quorumque abunde explere poterunt.

XLIV. In lethalem morbum incidit.

Secundus Annalium tomus prodiit anno sequenti M DCC IV. tertius anno M DCC VI. quartus anno M DCC VII. In iis idem semper Mabillonius, sibique constans res eadem methodo, perspicuitate, diligentia, ac eruditione pertractat: omnes proinde eodem plausu ab omnibus excepti. Quintum prælo subjecturus erat, sextoque operam dare cœperat, cum ecce labori immoritur. Dum prima die Decembris anni M DCC VII.

Calam

Calam *, nobile virginum Benedictinarum agri Parisiensis cœnobium, octo circiter millibus à Lutetia dissitum proficisceretur, stranguriæ morbo in ipso itinere correptus, gravissimosque dolores perpessus, vix tandem illuc pedes adversa & iniqua omnino tempestate pervenire potuit. Remediis per octo dies nequicquam tentatis, quippe natura morbi haud satis cognita, Parisios reversus est, ubi opportunioribus adhibitis remediis nonnihil remisit se morbus, dubiique aliquamdiu inter spem & metum hæsere socii & amici. Sed tandem gravissima interveniente febre, recrudescentibusque doloribus, salutis spes abiit. Iis diutius gravissimeque conflictatus, succubuit tandem ecclesiæ sacramentis munitus, die 27. Decembris sancto Johanni Evangelistæ patrono suo sacra, anno MDCCVII. hora quinta vespertina.

* Chelles.

Pie obit.

XLV. Mabillonii mores & virtutes.

Sic cessit e vita præclarum Ordinis nostri lumen, immo & ecclesiæ, quibus inservire semper studuerat, hunc nec alium sibi laborum suorum finem proponens. Vita respondit morti, & hæc vitæ; utraque sanctissima, qualis piissimum monachum decebat, qui ad sanctorum exempla, quorum virtutes descripserat, mores instituere conatus fuerat. Quæ fuerit ejus pietas, quæ humilitas, paupertatis & pœnitentiæ studium, ac vitæ regularis amor, scripta satis produnt, in quibus animi sensus identidem emicant. nec dispar fuit animi sensibus vita. Quisquis ad tot & tanta, & tam exquisitæ eruditionis opera, & ad litterarum commercium, quod ipsi cum omnium ordinum & nationum ornatissimis viris intererat, animum adtenderit, dixerit sane Mabillonium studiis altius immersum nihil aliud vel cogitasse, vel egisse: sed quisquis in totam vitæ seriem oculos convertisset, dixisset numquam studuisse, aut scripsisse. Sic quippe studiis vacabat, ut a consuetis, immo etiam minimis, vitæ regularis exercitiis numquam discederet; sic regularibus exercitiis insistebat, ut studia non negligeret. Orationis præsertim studiosissimus fuit, cui cujusque diei initia & finem consecravit semper, & ad quam in ipso studiorum æstu mentem, ne plus æquo distraheretur, identidem revocabat. Tantum abest ut doctrina qua valebat, publicis honoribus, omnium laudibus, ipsorum etiam celsissimorum hominum existimatione ac benevolentia superbiret, ut potius sincera humilitate magis sese demitteret, ad vilissima quæque ministeria & officia, ubi licebat, sese abjiciens, latebras quærens, lucem splendoremque fugiens, omnibus, ipsis etiam inferioribus & imperitioribus, cedens, omnibus ubi se offerebat opportunitas, inservire gaudens, nulli umquam molestus, nullum despiciens, effusa caritate omnes complectens. Interdum visus est eos homines adiisse a quibus ipse graviter offensus fuerat, vel de quibus justa querela esse potuisset; eos veniam demisissime rogaturus, qui rogare debuissent, ut sic exulceratum eorum animum mitigaret. Vir simplex & rectus ac timens Deum, toto corporis habitu modestiam spirans, in conversatione mansuetus, de rebus piis differere festinus, de litterariis tardior; sententiam, cum rogabatur, promebat quidem, sed modeste, a vincendi, longe magis contendendi studio alienissimus; ea dumtaxat quæ ad rem quæsitam faciebant, proferens, cætera omnia humili silentio premebat. Ad regulam tum quam voverat, tum quam sibi ipse statuerat, actiones omnes sic exigebat, ut ab ea, sive

bona, ſive adverſa valetudine, ſive intra, ſive extra monaſterium degens, numquam, quantum licebat, declinaret; iiſdem horis mane ſurgens, & lectum petens, iiſdem orationi & lectionibus piis, quas numquam etiam in itineribus omittebat, vacans, & officia divina recitans. Peregrinationes vero quas identidem ſuſcepit, ita confecit, ut pedibus, paupertatis & pœnitentiæ cauſa, quantum ætas & vires permiſere, incedens, potius in cella degens, quam in itinere conſtitutus videretur. Eadem quippe mentis in Deum intentio, eædem lectiones piæ, orationes, preces, officia divina conſtitutis horis perſoluta; itineris moleſtias pſalmorum & hymnorum ſacrorum cantu levare ſolitus. Ea loca adiit, non quo vana curioſitas, ſed quo juſta neceſſitas vocabat: illa præ cæteris inviſere gaudens, quæ reliquiis ſacris, & ſanctorum tutela, miraculis & habitatione celebriora erant. Hæc dum primum eminus videre licebat, equo ſtatim deſiliens, ſi conſcendiſſet, in genua procumbebat, loci tutelares ſupplex veneraturus; tum reliquum iter, interdum pedibus, & nudo capite, inter ipſos ſolis ardores, ſemper vero pſalmos cantans, piiſſimaſque orationes fundens, conficiebat. Quas orationes fundere non omittebat, quotieſcumque novæ diœceſeos fines ſubibat, ut tutelarium patrocinium imploraret. Nulli tamen moleſtus, ſi quibus extraneis itineris ſociis adjungi neceſſe foret; eos in pia colloquia ſollerter inducebat; vana, multo magis mala, prudens ſemper avertebat. Ita in ipſis itineribus & in ipſa turba ſolitudinem extra ſolitudinem reperiebat aut ſibi parabat pius ille ſolitarius. Quamvis tenuis & infirma eſſet corporis valetudo, nemo tamen ſibi minus indulſit, vix quidquam, majorum juſſu, de conſuetis jejuniis, abſtinentiis, corporiſque macerationibus remittens, niſi cum tanta erat morbi vis, ut alias ſuccumbendi periculum fuiſſet. Uno verbo, ſi eruditiſſimus vir fuit Mabillonius, ſanctiſſimus exſtitit monachus, qui pietatem cum ſcientia miro & individuo nexu ſic conjunxit, ut illam tamen iſta ſuperiorem eſſe ſemper voluerit, quique monachorum ſtudia, qualia eſſe debeant, dum in ſuo tractatu de ſtudiis monaſticis delineavit, ſua ipſius, qualia fuerint, expreſſit.

XLVI. Patientia in extremo morbo.

Ut primum morbo tentatus eſt, extremum eſſe ſtatim perſenſit; dudumque antea familiari ſuo Ruinarto, velut vaticinando, dixerat, ſe ſtranguria moriturum, & eodem ætatis anno quo S. Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus obierat, id eſt ſeptuageſimo-ſexto ineunte. Ut igitur fatalem morbum ſenſit, ilico curis omnibus terrenis abjectis, totum ſe ad Deum convertit, ſpiritualibuſque ſtudiis addixit. Inter acutiſſimos, quibus vexabatur, dolores, ea erat vultus ſerenitas ac mentis tranquillitas, ut nihil fere pati videretur, nullæ aut pauciſſimæ erumpebant querelæ, nulla prorſus impatientia, ſed divinæ voluntati ſe totum permittens, illud cum ſancto Job frequenter ingeminabat: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.*

XLVII. Pietas & humilitas.

Cum divinis officiis intereſſe, ſolitiſque ſpiritualibus exercitiis vacare jam non liceret; jacturam compenſare ſtudebat, ſatagens ut libri pii, ii præſertim qui ad mortem ſancte obeundam juvare poſſent, ſibi legerentur, divinaque officia prope lectum recitarentur, ſanctum vero ſacrificium in ſacello vicino, in quod e cubili proſpectus erat, celebra-

retur: quæ attentis auribus, attentiori mente audiebat, quibusque pro modulo respondebat. Cæterum psalmorum, canticorum, & ecclesiæ precum recitatione, jugi oratione, cælestiumque meditatione, æternæ felicitatis gaudia prævenire nitebatur, & ad ea totus anhelabat; aliis omnibus insuper habitis. Hinc cum frequens esset singulis diebus virorum omnium ordinum spectatissimorum in abbatiam San-Germanensem confluxus, ut de Mabillonii valetudine sciscitarentur, de qua solliciti & anxii erant omnes; vix tamen ullos admittere voluit, nisi quorum verbis ad pietatem accendi poterat animus, de cæterorum adventu vel sollicitudine ne quidem moneri se passus est, ne quæ vanitatis aura animum afflaret. Vix exprimi potest quo fervore, amore, pietate ac humilitate divina sacramenta sibi allata susceperit, cui Deus id indulsit, ut ipsa suprema die, Johanni patrono suo sacra, sanctissima eucharistia iterum summo mane pastus fuerit. Nihil deinceps ex ejus ore erupit, præter sacra cantica, jaculatorias orationes, quibus mentem ad humilem fiduciam in Deum concipiendam excitabat. Sic demum animo pæne usque ad ultimum momentum præsenti, inter fratrum gemitus & selectorum amicorum suspiria piissimam mortem cum piissima vita commutavit magnus ille Mabillonius, in memoria æterna apud Deum & homines futurus. Id semper in votis habuerat, sæpiusque humilibus a Deo precibus efflagitaverat, ut sibi Annales Ordinis usque ad obitum S. Bernardi perducere liceret. Piissimis votis & precibus annuit misericors Deus: Annales quippe non tantum usque ad mortem S. Bernardi, sed etiam ultra triennium perducere dedit.

XLVIII. Omnium mœror de Mabillonii morte.

Ubi primum tanti viri casus lugubri majorum campanarum sonitu per urbem dissipatus est, mœror omnium animos invadere, amici sibi dolere, nobis condolere, omnes in monasterium confluere, ut ejus vel mortui conspectu frui semel adhuc liceret. Die sequenti SS. Innocentium sepultus est in oratorio beatissimæ Virginis, ubi Superiores dumtaxat sepeliri solent, præsentibus omnium ordinum ornatissimis viris, cum infinita promiscui vulgi multitudine. Sed postera die, quo solemnia pro eo sacra facta sunt, longe major fuit concursus; quotquot enim fere Mabillonium noverant, (eccui ignotus erat tantæ famæ vir?) nobiles & eruditi, iis sacris interesse voluerunt, lacrymasque suas & preces cum nostris miscere. Deinceps in tanti viri laudes effusi oratores & poëtæ laudationibus funebribus sepulcrum ejus certatim exornaverunt: adeo ut si omnes colligerentur, justum volumen ex iis confici posset. Sed in primis excelluit regia inscriptionum academia, cujus secretarius panegyricum, frequente ornatissimorum hominum cœtu, socio quondam suo, immo & sibi dixit. Ea enim fuit oratio, quæ numeris omnibus ac partibus expleta, meritas laudes utrique conciliaverit. Id quidem pro more academiæ factum est: sed præter morem fuit, quod oratio typis confestim mandata fuerit, ut publicis omnium votis fieret satis; unico ac singulari hactenus exemplo. Nec ipsi exteri, ii etiam qui ab ecclesia Romana discissi sunt, a lacrymis & laudibus, ubi mortis nuntium fama detulit, temperarunt. Quotquot enim fuere quibuscum interfuit cum Mabillonio commercium, cardinales, episcopi, principes, in primis magnus Etruriæ dux, & eminentissimus cardinalis Mediceus, nobiles, eruditi,

perceptum dolorem litteris suis significare dignati sunt. Acerbissime doluit & ipse summus pontifex Clemens XI. pro paterno quo Mabillonium fovebat affectu; litterisque ad eminentissimum cardinalem Coloredum missis, in quibus tota Mabillonii morbi & mortis series describebatur, semel & iterum lectis, per eumdem eminentissimum significari jussit, *jucundum sibi fore, si talem virum aliquo magis distincto loco humaremus;* apposito ad sepulcrum lapide, cujus indicio moneantur litterati omnes, quorquot Parisios venerint, ibi Mabillonii cineres delitescere. at eam distinctionis notam, licet meritissimam, non ferunt Congregationis nostræ leges.

Domni Theoderici Ruinart vitæ compendium

Mabillonii mortem vehementer dolentes tum socios, tum amicos una spes recreabat, fore ut domnus Theodericus Ruinart, tanti magistri præceptis, arte & veluti manu ad scientias informatus, cœptos Annales prosequeretur, absolveretque. Eo major spes erat, quo magistri laborum socius & particeps dudum factus, in operum partem venerat, suis jam in lucem editis maximo cum successu notissimus. Sed ecce præpropera mors, quæ doctissimum virum florente ætate, elapso nondum a morte Mabillonii biennio eripuit, consolationem hanc nobis invidit. Descripta breviter magistri vita, licebit, re ipsa monente, in discipuli, de Ordine & Annalibus nostris tam bene meriti, præcipua saltem gesta excurrere.

XLIX. Ruinartii natales & adolescentia.

Theodericus Ruinart honesto genere natus est Remis die decima Junii anno MDCLVII. A piis parentibus pie & liberaliter educatus, novennis collegium academiæ Remensis, vulgo dictum *Bonorum puerorum*, frequentare cœpit, humanioribus litteris operam ibi daturus. Liberalium artium cursu feliciter ac naviter confecto, in clerum per tonsuram clericalem jam adscriptus, artium laurea redimitus est an. MDCLXXIV. Dehinc mundi vix sibi noti pertæsus, de sanctiori azylo, ubi innocentiam tutaretur, cogitare, monasterium sancti Remigii adire, ut admitteretur omnibus precibus contendere. Admissus tandem, pro votis, die secunda Octobris an. MDCLXXIV. veste monastica indutus est die 18. ejusdem mensis, sollemnem professionem emissurus die 19. Octobris anni insequentis, in monasterio sancti Faronis Meldensi, quo translatus fuerat novitiatus. Prioris ac monachorum utriusque monasterii conspirantibus suffragiis ad professionem facile admissus est; cujus morum puritas & vitæ innocentia, fervens pietas, egregiæ animi dotes, ingenium acre, judicium ætate majus, qualis in adulta ætate futurus esset, satis portendebant. nec fefellit opinio. Nam expleto, pro more congregationis S. Mauri, a professione biennio, cujus partem Meldis*, partem Latiniaci*, in spiritualibus exercitiis eadem semper pietate ac animi fervore egit; veterem Corbeiam consuetorum philosophiæ (quam iteravit) & theologiæ studiorum causa missus, inter primos sic excelluit, ut ingenium ad scientias egregie comparatum facile adverterint periti rerum æstimatores. Jam tum in lectione assiduus, scripturæ sacræ intentus, in evolvendis Patribus, bonisque auctoribus indefessus, quæcumque occurrebant vetera monumenta historica laudanda curiositate expendebat, observabatque. Sed quisquis esset in litteris progressus, major erat in pietate ac virtute. Sic studere solitus, ut de religione nihil decederet; morum

* Meaux.
* Lagny.

morum candore, humilitate, manſuetudine, ſincera ac ferventi in Deum pietate, omnibus approbatus, ac condiſcipulis ut ſtudendi, ſic & vivendi exemplum factus.

L. A Mabillonio in ſtudiorum ſocietatem adſciſcitur.

Interim Mabillonius magnæ ſpei juvenem quærebat, quem in laborum partem vocare poſſet, ut ad ea, quibus ipſe vacabat, ſtudia a ſe informatus, iiſdem ille inſiſtere poſſet, eaque ſtrenue perſequi. Egregiæ Ruinarti animi dotes, quas ex fama didicerat, animo ſtatim cum obveniſſent, hunc ſibi dari ſtudiorum ſocium & participem Superiores rogavit, facileque obtinuit. Confectis igitur ſtudiis, Pariſios vocatus eſt Ruinartus anno M DC LXXXII. Mabillonio duce ac comite litteris operam navaturus. Prima magiſtri cura fuit diſcipuli ingenium & mores excolere; alterum certiſſimis regulis ad ſcientias, alios ſanctiſſimis præceptis ad pietatem informare, tyronique viam inoffenſam aperire, quam ipſe dudum anticipaverat. Hanc facile iniit optimi magiſtri diſcipulus optimus, eique ita inſtitit, ut quem ducem aſſequi non valeret, ſaltem quam proxime liceret, ſequeretur.

LI. Acta martyrum ſincera & ſelecta in lucem emittit.

Quam feliciter ſe ad Mabillonii inſtituta & mores finxiſſet Ruinartus, brevi patefecit, in lucem editis jam ab anno MDCXC. *Actis martyrum ſinceris & ſelectis.* Liber eſt in 4°. continens authentica, quotquot reperiri potuerunt, primorum martyrum acta, eorum qui prioribus quatuor eccleſiæ ſæculis pro chriſtianæ fidei defenſione paſſi ſunt. Ea mire illuſtrant exquiſita eruditione refertæ admonitiones in ſingula, & notæ in difficiliora loca. Operi præmiſſa doctiſſima præfatio, in qua primum recenſet modos quibus ſincera martyrum acta ad nos pervenerint; tum invicte probat infinitos prope modum martyres exſtitiſſe, quorum acta vel perierint, vel deſcripta non fuerint; nec proinde martyrum numerum ex actorum numero repetendum eſſe. Id quidem voluerat Henricus Dodwellus edita anno MDCLXXXIV. Oxonii inter Cyprianicas diſſertatione, *de martyrum paucitate* inſcripta, in qua contendebat, paucos admodum martyres in primævis perſecutionibus paſſos fuiſſe; tantamque ſanctorum martyrum turbam, quam eccleſia catholica in martyrologiis, aut in officiis eccleſiaſticis celebrat, nulla alia quam fabulatorum, aut monachorum otioſorum auctoritate fulciri. Temerariam hominis ſententiam, vaniſſimis conjecturis, ut ſolet, ac commentis potius quam argumentis fultam tam valide refellit Ruinartus, ut is ad incitas redactus ne mutire quidem deinceps auſus fuerit. Agit denique Ruinartus de honore quo martyres in eccleſia afficiebantur, oſtenditque maximam ſemper & ab omni ævo fuiſſe totius eccleſiæ in eos reverentiam. Primus huic Ruinarti fœtus in pretio fuit apud eruditos, nomenque fecit auctori. Ut noſtratium qui latine neſciunt, utilitati inſervire poſſet, patrio ſermone donatum duobus tomis in 8°. edi curavit anno MDCCIX. clariſſimus *D. Droüet de Maupertuis.* Sed Latinam editionem jam rariorem, ab auctore ante mortem recognitam, elegantibus typis ſuis renovari curat, magno rei chriſtianæ & litterariæ bono, D. Weſtein Amſtelodamenſis typographus.

LII. Hiſtoria perſecutionis Wandalicæ.

Huic operi ſatis affinis eſt *Hiſtoria perſecutionis Vandalicæ*, quam anno MDCXCIV. publici juris fecit Ruinartus in 8°. cum nulla fere perſecutio

sit, quæ plures cælo martyres intulerit. Eam historiam descripsit Victor Vitensis episcopus, cujus proinde aureum opusculum, cum variis codicibus accurate collatum & emendatum, notisque & observationibus illustratum præmittitur. Sed quia Victor multa prætermiserat, & narrationem suam intra solius Africæ fines concluserat, quamvis ad longe plures provincias persecutionem Genserici pervasisse fateatur; omissa ab eo supplere studuit Ruinartus, remque altius repetens totam historiam a tempore, quod a prima Vandalorum in Gallias impressione effluxit, usque ad exstinctum eorum in Africa imperium, id est annos circiter centum & vinginti-octo persecutus est. Et ut major ei lux affulgeret, de imperii vicissitudinibus, ac de illis principibus qui tunc temporis imperarunt, breviter egit, veteraque nonnulla interseruit scripta, quæ historiam confirment & illustrent, filo tamen minime interrupto. Addidit alia quædam antiqua opuscula hactenus nondum, vel imperfectius edita, quorum potissimum est notitia ecclesiæ Africanæ, cui accedunt auctoris notæ & observationes.

LIII. Nova editio operum Gregorii Turonensis.

Absoluta ea historia, stimulum addentibus pluribus viris clarissimis & amicis, novam editionem operum sancti Gregorii Turonensis aggressus est, eamque demum publicavit anno MDCXCIX. in fol. Hactenus quidem non semel prodierant ea opera, sed dispersa, & cum variis variorum auctorum operibus permixta, eaque mendis respersa, & pluribus in locis mutila. Hæc in unum volumen collegit vir doctissimus, & ad veteres codices accurate recognita pristino decori restituit, additis ad marginem brevibus notis quibus textus explicatur, rejectis vero ad calcem fusioribus, quibus ea quæ ampliorem exigebant adnimadversionem, elucidantur. Addidit Fredegarii scholastici epitomen Gregorianæ historiæ & chronicon, quod est ejus veluti continuatio, cum chronici continuationibus, & aliis antiquis monumentis. Totum editionis consilium & scopum exhibet præfatio, in qua, præter cætera, auctor plura pertractat quæ ad veterum Francorum historiam, mores & disciplinam ecclesiasticam spectant, quæ legisse non pœnituerit.

LIV. Sextum sæculum Actorum Sanctorum Ordinis.

Anno sequenti MDCC. Mabillonius in lucem emisit sextum sæculum actorum sanctorum Ordinis S. Benedicti, duobus tomis in fol. distinctum. Cum magnam partem in actis digerendis, in ordinem redigendis & illustrandis habuisset Ruinartus, hunc merita laude defraudare nolens modestissimus & æquissimus Mabillonius, utriusque nomen operi præfigi curavit.

LV. Apologia pro missione sancti Mauri in Franciam.

Biennio post, missionem sancti Mauri, discipuli sancti patriarchæ Benedicti, in Franciam a criticorum quorumdam cavillationibus vindicandam sibi suscepit Ruinartus. Jam illustrissimi Harlæi archiepiscopi Parisiensis temporibus, cum in reformandum Parisiense breviarium naviter incumberent delecti ab eo periti critici, lectionesque omnes breviario inserendas ad severioris criticæ leges expenderent, lis ea de re mota fuerat, sed facile sopita, prolatis quippe a nostris San-Germanensibus argumentis & auctoritatibus, quibus vetus & recepta hactenus in ecclesia Parisiensi, & toto Ordine Benedictino traditio nitebatur firmabaturque. Sic festum sancti Mauri abbatis, quod sollemni veneratione semper celebravit ecclesia Parisiensis, ex quo præsertim ejus

reliquiæ in monasterium Fossatense Parisiis vicinum illatæ sunt, pristinam sedem & dignitatem in novo breviario retinuit, cujus lectiones in eo festo legi solitæ missum à sancto Benedicto Maurum in Gallias palam asserere perrexerunt. Sed cum illustrissimus archiepiscopus Antonius *de Noailles*, nunc cardinalis eminentissimus, breviarium Parisiense accuratius recognitum & emendatum edere meditaretur, acrius recruduit sopita, non exstincta, de missione sancti Mauri controversia. Qui enim missioni adversabantur, resumtis ea occasione animis, eam modis omnibus concutere conati sunt; non quidem prolatis rationibus & auctoritatibus, quæ rem factam negarent; nullæ erant: sed congestis difficultatibus & cavillationibus, quibus vulgata sancti Mauri acta in suspicionem vocarentur, infirmataque veteri traditione, nova opinio paulatim succresceret. Vocatis in commune consilium partibus, auditisque ac expensis utrimque rationibus, sententiam a decessore latam confirmavit illustrissimus archiepiscopus. Nec sic tamen a cœpto destitere adversarii, sed quæ viva voce protulerant, sparsis per urbem scriptis, immo & in Hollandiam missis, publicare cœperunt. Lectis iis scriptis Protestantes pro more exsultare, triumphos agere, Catholicis, immo & sancto Mauro, quasi larvæ, insultare, Benedictinisque ipsis palam imponere, quasi adversariorum argumentis victi agnovissent tandem, fabulosam esse totam sancti Mauri historiam, sanctumque ipsum fictitium. Hactenus nulla ea de re scripta protulerant nostri, satis habentes adversariorum objectiones viva voce dissolvisse. Sed quod factum nondum fuerat, jam tum facto opus esse res ipsa monebat. Hanc provinciam cum suscepisset Ruinartus, edidit anno MDCCII. patrio idiomate *Apologiam missionis sancti Mauri, Benedictinorum in Francia apostoli*, in 8°. Ab ipso limine probat, exstitisse sanctissimum quemdam Benedicti discipulum, nomine Maurum, quem ipsum esse primum abbatem ac conditorem monasterii Glannafoliensis in Andecavensi comitatu, receptà jam ac constantissima nono sæculo traditio ferebat. Quam quidem traditionem a sancti Benedicti temporibus ad nonum sæculum, dehinc vero ad nostra usque tempora continuata serie manasse, certissimisque argumentis, auctoritatibus & monumentis fultam esse demonstrat vir doctissimus: & quamvis acta sancti Mauri interpolata fuerint, certos tamen in iis residuos esse characteres, quibus sarta tecta maneat eorum auctoritas, ac secerni haud difficile valeant posterioris manus additamenta a primæ ductibus, qui missionis sancti Mauri testimonium ferunt, nullis argumentis, sive Basnagii, sive aliorum (quæ quam infirma sint, ostendit) concutiendum. Et quia Basnagius, & alii quidam cum eo critici modum omnem excedentes, non tantum acta vulgata, sed ipsum etiam martyrium, immo & personam sancti Placidi, sancti Benedicti discipuli, & sociorum ejus, meram esse fabulam contendebant; Ruinartus additamento ad calcem apologiæ suæ facto, morosiores illos criticos egregie refellit. Ingenue quidem fatetur, vulgata martyrii acta vix ullam fidem mereri; inconcussam tamen manere veterem traditionem, tum de misso a patre suo Benedicto in Siciliam Placido, tum de ejus illic ac sociorum martyrio, quam invicte confirmat inventio corporum sanctorum martyrum facta anno

MDLXXXVIII. in ecclesia sancti Johannis Baptistæ Messanensi. Hæc fere summa apologiæ sancti Mauri, quam latine conversam edidit Mabillonius ad calcem tomi primi Annalium Ordinis sancti Benedicti.

LVI. Ecclesia Parisiensis vindicata.

In alterum postea certamen venit Ruinartus, pro magistri sui Mabillonii gloria, haud tamen periclitante, pugnaturus. Libros de re diplomatica scriptis publicis adorti fuerant, venerandumque senem aliis intentum ad certamen provocaverant quidam. Is rixas fugiens, publicato statim Supplemento quod dudum paratum erat, captos frustra conatus infringere satis habuit. Ne tamen causam Mabillonio tradere viderentur adversarii, nova scripta Supplemento opposuere. Veritus Ruinartus ne verborum pompa & apparatu, auctorumque confidentia imperitorum oculis pulvis ostenderetur, oppositam Supplemento disceptationem refellere sic aggressus est, ut tamen in omnibus excutiendis, quæ confidentius objiciebantur, tempus frustra terendum non esse merito censeret. Ex omnibus selecta una singulari charta, in quam majores fuerant impetus, hujus defensionem præ cæteris suscepit, ratus si tutam ab adversariorum telis facile servaret, ex hoc vel uno specimine facile intellecturos omnes, quo loco habendæ & quanti faciendæ essent aliæ in alia diplomata leviores objectiones. Testamentum Vandemiris est, viri illustris, & Erchambertæ uxoris ejus, quod insignis ecclesiæ Parisiensis veteres titulos seu basilicas spectat, a Vandemire magnificæ dotatas, quod proinde ab injuriosis ictibus illæsum servari multum illius ecclesiæ intererat. Strenue servavit Ruinartus, scripta an. MDCCVI. lucubratiuncula sub hoc titulo, *Ecclesia Parisiensis vindicata*, &c. in qua expensis singulis objectionibus, eas nullius roboris esse invicte demonstrat.

LVII. Præfatio in novam editionem librorum de re Diplomatica.

Mortuo anno insequenti Mabillonio, quam acerbus Ruinarti animum invaserit dolor, facile conjecerit, qui generosam ejus indolem, summam adversus magistrum reverentiam, intimum amorem, gratissimum ob accepta beneficia animum, mutuam demum amicitiæ conjunctionisque necessitudinem cognoverit. Sed qui prius magistri laborum socius & particeps erat, totum eorum pondus deinceps solus sustinere debuit. Novam editionem librorum de re diplomatica, viris litteratis ex variis Europæ partibus efflagitantibus, paulo ante mortem aggressus erat Mabillonius, præloque subjecerat, recognitam, auctam & emendatam: properabat ad finem, cum invidente fato, laboris fructum degustare non licuit. Una supererat præfatio, quam majori otio & cura conscribendam servaverat, cum appendice nova, in quam vetera aliquot monumenta relaturus erat. In præfatione accurate expendendam sibi proponebat sententiam clarissimi viri Georgii Hickesii. Hic enim in suo *Linguarum septentrionalium thesauro*, qui prodiit e theatro Sheldoniano Oxonii anno MDCCV. postquam Mabillonii opus de re diplomatica summis laudibus extulit, plura ex eo decerpsit, regulasque a doctissimo viro constitutas, si recte explicentur, calculo suo probavit; nescio quo fato in transversum actus, in Mabillonium ipsum paulo incivilius insurgit, quia regulis male explicatis abuti quispiam potest. Hæc sunt quæ Mabillonius expendere statuerat. At quod morte occupatus exsequi non potuit, supplevit Ruinartus, præmissa novæ editioni præfatione,

præfatione, in qua post explicatas novæ isti editioni factas accessiones, & commendatam artis diplomaticæ necessitatem & utilitatem, regulas a Mabillonio constitutas a præcipiti Hickesii censura vindicat, ostenditque plerasque a Hickesio nonnihil oscitanter lectas & expensas fuisse, unde imprudentius quam malignius Mabillonio plura imposuerit quæ verbis ejus & sensui aperte repugnant; omnes vero tanta cautione, diligentia ac circumspectione ab auctore ipso explicatas fuisse, ut nemo, nisi qui sponte cæcutire voluerit, abuti umquam possit. Quod vero spectat ad appendicem, præter ea vetera monumenta quæ paraverat Mabillonius, nonnulla addidit Ruinartus quæ ad se post ejus obitum venere.

LVIII. Mabillonii vitæ synopsin edit Ruinartus.

Cum a multiplicibus curis, in quas conjecerat Mabillonii mors, paullo liberiorem se sensit Ruinartus, primum consilium fuit egregia clarissimi viri gesta posterorum memoriæ tradere. Ad id non modo hortabatur gratissima in magistrum pietas, sed etiam accendebant nobilissimorum hominum vota & preces, veritorum scilicet ne dum æternum viveret libris satis commendata eruditio, multorum præclare ac pie gestorum, quæ paucis nota intra claustri fines continuerat religiosa humilitas, interiret aliquando memoria. Obstabant dumtaxat Congregationis nostræ mores, a quibus id alienum esse videbatur; hactenus saltem data opera factum non fuerat. At tanti meriti viro singularem prærogativam deberi monentibus iis, quorum monita præceptorum loco habenda erant; Mabillonii vitæ synopsim, quam vernaculo sermone paraverat Ruinartus, in lucem emitti concessere majores nostri. Edita est igitur, cum maximo bonorum omnium plausu, anno MDCCIX. sanctos Mabillonii mores, ac totius piissime actæ vitæ seriem accuratius, quam operum ac librorum historiam describens; hæc quippe satis nota, illa minus.

LIX. Ejusdem fatalis morbus & mors.

Totum se deinceps convertit Ruinartus ad Annales Ordinis nostri, quos tamen intactos brevi dimissurus erat alteri, nisi quod quinto tomo, quem paratum reliquerat Mabillonius, plura addiderit. Dum enim ad continuandos cæteros probe jam meditatus accessurus erat, prius in Campaniam, Galliæ provinciam, proficisci voluit, locupletissima illius regionis ecclesiarum & abbatiarum archiva iterum lustraturus. Jam quidem a Mabillonii morte, tum jugis assiduitas morienti nocte dieque exhibita, tum pressus, non exstinctus, hærensque semper animo dolor, valetudinem sensim affecerat, fessumque corpus fatiscebat. Ut tamen sibi minus quam aliis parcebat Ruinartus, itineri se commisit sub mensis Augusti finem. Vix aliquo pervenerat, cum missa quietis & valetudinis cura, indefesso labore perquirebat exscribebatque quæcumque ad rem suam opportuna videbantur. Sic Remos pervenit, commodiori tamen, quam cum hinc discesserat, valetudine. Sed cum peractis ex sententia rebus Parisios revertitur, ad Altivillarensem* sancti Petri abbatiam, Congregationis sancti Vitoni, agri Remensis, octo circiter millibus a metropoli, divertit. Eo vix pervenerat, cum ipsa nocte in febrim quotidianis incrementis gravem incidit, qua per decem & septem dies conflictatus, tandem die 27. Septembris, expetitis & intimo pietatis sensu susceptis ecclesiæ sacramentis munitus, ad supernam patriam,

*Hautvillers

(ſic ſpes eſt) quam imo pectore defixam ſemper habuerat, quamque moriens in ore ſemper habebat, evolavit, annum ætatis agens quinquageſimum tertium. Sic vitam finivit doctiſſimus ac piiſſimus noſter Theodericus Ruinart, præclaris, quibus eccleſiam illuſtravit, ingenii ſui monumentis toto orbe celebris, ſed inſigni pietate, morum puritate, regularis vitæ ſtudio, animi candore, ſingulari comitate, humilitate ſincera, aliiſque chriſtianis ac monaſticis virtutibus magis adhuc quam eruditione commendandus, & ut verbo plura complectamur, totus ad Mabillonii magiſtri ſui mores & præſcriptum effictus. Sic enim litterarum ſtudiis indefeſſus vacavit, ut nihil umquam optimi aſcetæ officiis deceſſerit, de quibus vel inter ipſas itinerum moleſtias, aut valetudinis incommoda nihil quidquam, quantum licuit, remiſſum voluit. Extremo morbo oppreſſus, inter ipſos continuæ febris ardores, de paſcendo ſolitis lectionibus piis animo ſollicitus erat, conſuetaſque preces ſibi ad lectum conſtitutis horis recitari volebat. Et quamvis in alterius Congregationis monaſterio hoſpes decumberet, eadem tamen in monaſterii Superiores reverentia ac obedientia erat, nihil vel minimum quidquam iis inconſultis agere volens.

L X. Altivillarenſium monachorum ſingularis in Ruinartum humanitas.

Quæ fuerit RR. PP. Altivillarenſium in hoſpitem ſuum humanitas, cura, aſſiduitas, quæ caritatis officia ei certatim exhibita, vix exprimi poteſt. Pium erat inter eos de caritate certamen, quis ægroto majori ſtudio ac impenſiori cura miniſtraret; & cum unus noctu diuque ſatis fuiſſet ægroto miniſtraturus, plures tamen ſimul, de hoſpitis valetudine quam de ſua ſollicitiores, vigilias noctis, eaſque ſæpius repetitas, agitare pertinaci, ſed amico ſtudio volebant, promptam & alacrem operam ad minimum quemlibet nutum oblaturi. Medici & chirurgi e diſſitis etiam urbibus & opidis vocati; remedia quæcumque opportuniora viſa ſunt affatim & liberaliter miniſtrata; nullis denique ſumtibus & impenſis parſum. Hæc breviter commemorare libuit, ut meritam gratiam verbis ſaltem perſolvamus iis, a quibus obtineri nulla ratione potuit, ut ſumtus facti, ut par erat, refunderentur. Mortuum denique magno eorum & omnium noſtrum mœrore Ruinartum honorifico loco in eccleſiæ ſuæ navi ſepeliere, inſcripto tumbæ lapideæ hoc epitaphio: *Hic jacet domnus Theodericus Ruinart, Remenſis, preſbyter & monachus S. Germani a Pratis, pietate, morum lenitate & doctrina conſpicuus, qui in hoc monaſterio hoſpes exceptus, gravi febre decumbens obiit die 27. Septembris anni* MDCCIX. *Requieſcat in pace.*

L X I. Alia quædam Ruinarti opera nondum edita.

Præter opera ſuperius memorata, ſtudioſe collegit Ruinartus epiſtolas omnes, quotquot inveniri potuerunt, Urbani II. papæ e noſtris, quarum plurimæ nondum editæ ſunt. Collectioni vero præmiſit accuratam geſtorum ejuſdem pontificis hiſtoriam, quæ lucem afferat epiſtolis. Ejuſmodi operibus iniquior cum ſit turbida bellorum tempeſtas, tantiſper exſpectandum donec reformata pace, tranquilliori luce donari poſſit. Plurimum etiam laboravit in conquirendis & colligendis Mabillonii epiſtolis, ut delectu facto eas in lucem emittere poſſet, quæ digniores viderentur. Sed eo labori immortuo, larga hactenus non fuit meſſis. Largiorem reddere ſi dignentur ii ad quos ſcripſit Mabillonius, remiſſis ad nos epiſtolis, gratiſſimum certe & nobis & eruditis facient.

BREVIARIUM

TOMI QUINTI

ANNALIUM BENEDICTINORUM.

LIBER SEXAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1067. ad annum 1071.

Balduinus ejus filius sancto Ghisleno infestus.

LXIX. *Aurea-vallis monasterium. Bullionis cella & alia sancto Huberto data. Sigebergensi monasterio reliquia data.*

LXX. *Roma mortuus reviviscit.*

LXXI. *Legerensis monasterii dotes confirmata.*

LXXII. *Alfonsi regis Castella in Cluniatenses benevolentia.*

LXXIII. *Cluniacensium gratitudo.*

LXXIV. *S. Pauli basilica porta area.*

LXXV. *Offa abbatissa obitus.*

LXXVI. *Fructuaria privilegium.*

LXXVII. *Monasterium de Dunfermelin in Scotia conditur, &c.*

LXXVIII. *Casinensis ecclesia dedicatio. Guaiferius Casini monachus.*

LXXIX. *Lanfranci iter Romam & lis cum Thoma Eboracensi.*

LXXX. *Monachi cathedrali Wintonia asserti.*

LXXXI. *Idem factum in ecclesia Cantuariensi.*

LXXXII. *Anselmus Monologium scribit.*

LXXXIII. *Lanfrancus, archiepiscopi nepos, Becci monachus.*

LXXXIV. *Mauricius ibidem monachus.*

LXXXV. *Herluinus abbas Lanfrancum adit.*

LXXXVI. *Gerberti abbatis commendatio.*

LXXXVII. *Gervino abbati lepra percusso nepos succedit.*

LXXXVIII. *Herimarus abbas S. Remigii obit.*

LXXXIX. *Willelmus ejus successor.*

XC. *Ibriacense monasterium conditur.*

XCI. *Floriaco facta donatio.*

XCII. *Vindocino asserta capella castri Oleronis.*

XCIII. *SORICINI abbas Raimundus.*

XCIV. *Dalmatius Crassa abbas.*

XCV. *Coxano facta donatio pro missis.*

XCVI. *Romani ritus in Hispania recepti.*

XCVII. *Aquilinus abbas ob id Romam missus.*

XCVIII. *Cella Tricensis donatio firmata.*

XCIX. *Malmundarium Stabulaco restitutum.*

C. *Anno duo monasteria condit. Salefelda monasterium. Lambertus eo venit.*

CI. *Fridiburga virgo Treviris sacras reliquias detegit.*

CII. *Willelmi Hirsaugia abbatis ordinatio & virtutes.*

CIII. *Aldenmunster cella instauratur.*

CIV. *S. Udalrici ecclesia dedicata.*

CV. *Ekkehardus junior obit.*

CVI. *Angia intrusi abbates. Einsidlenses & Corbeia nova abbates.*

LIBER LXIV.

Ab anno Christi 1072. ad annum 1076.

I. C*Asinense monasterium renovatur.*

II. *Johannes archipresbyter Casini monachus. S. Angeli ad Formam monasterium Casino datum.*

III. *Sublacensis reformatio per Johannem abbatem.*

IV. *Farfensium lis de Minione composita.*

V. *Petri Damiani ultima legatio & obitus.*

VI. *Agnes imperatrix Wormatiam adit.*

VII. *Rubertus abbas ob simoniam Angia pulsus. Udalricus abbas sancti Galli.*

VIII. *Sigifridus archiepiscopus Cluniacum secedit. Ruthardus Hersfeldensis abbas.*

IX. *Gruninga cœnobium conditur. Item Gotwicense.*

X. *Pibo sancto Apro duo dat altaria. Herimannus episcopus Mettensis. Gemblacenses abbates.*

XI. *Dervo facta donatio. Eidem quadam asserta.*

XII. *Walterus ad sanctum Remigium sepultus.*

XIII. *Lis de Credone rursus agitata. Parisiense concilium.*

XIV. *Ebroilo datur ecclesia apud Rutenos.*

XV. *S. Isidori monasterium in Hispania. Veremundus abbas Hirachensis.*

XVI. *Anglicanum concilium.*

XVII. *Glocestrenses & Elienses abbates.*

XVIII. *Lanfranci epistola pro sancto Hilario.*

XIX. *Anselmi quadam epistola.*

XX. *Praclara ejus monita ad abbates.*

XXI. *Galterius abbas Pontisara regimen deserit.*

XXII. *Hugo Mellenti comes, Becci monachus.*

XXIII. *Gandensia.*

XXIV. *Heinrici mali mores.*

XXV. *Lis de decimis. Othlonus vitam sancti Bonifacii scribit.*

XXVI. *Alexandro succedit Gregorius VII.*

XXVII. *Desiderio abbati aliisque scribit.*

XXVIII. *Willelmus abbas sancti Remigii ei scribit.*

XXIX. *S. Remigii abbatiam vult abdicare. Gregorii hac de re epistola.*

XXX. *Dominici abbatis Casauriensis & episcopi successores.*

XXXI. *Anselmus Lucea episcopus fit monachus.*

XXXII. *Johannis Gualberti abbatis obitus.*

XXXIII. *Gregorii papa epistola ad Vallumbrosianos.*

XXXIV. *Johannis vita scriptores & discipuli.*

XXXV. *Gregorii epistola de variis abbatiis.*

XXXVI. *Fraxineti & sancti Prosperi monasterium.*

XXXVII. *Stephanus de Tigerno facultatem obtinet instituendi sui Ordinis. Examinatur hac bulla.*

XXXVIII. *Sancti Benigni corpus an translatum in Germaniam?*

XXXIX. *Godefridus quinquennis fit monachus. Parentum ejus pietas. Odo ejus frater aliique monachi piissimi.*

XL. *Tumultus apud sanctum Audoenum.*

XLI. *Beccensium altera mutatio. Ainardus Diva abbas obit.*

XLII. *Vindocinensia.*

XLIII. *Ebrardi vicecomitis donatio facta Majori-monasterio, ejusque conversio.*

XLIV. *Lesati & sancti Licerii monasteria Cluniaco subjecta.*

XLV. *Dominicus Silensis obit. Placitum Hispanicum.*

XLVI. *Simorra asserta cella sancta Doda in concilio Orrea.*

XLVII. *Rotense monasterium conditur.*

XLVIII. *Civilia bella in Saxonia.*

XLIX. *Herfeldenses & Fuldenses res direpta.*

L. *Ruthardus & Arnoldus abbates mortui.*

LI. *Colonia seditio.*

LII. *Corbeia nova abbates.*

LIII. *Augia abbati intruso succedit Echardus.*

LIV. *Sancta Crucis Parthenon turbatur ob advocatiam.*

LV. *Monasteria duo in Alsatia condita.*

LVI. *S. Apro Baini-villa asserta.*

LVII. *Lis fratrum sancti Michaelis ad Mosam cum episcopo.*

LVIII. *Pibo Tullensis falso accusatus.*
LIX. *Willelmus S. Remigii abbatiam abdicat.*
LX. *S. Caloceri seu Mauri-montis abbatia instaurata.*
LXI. *Theodoricus abbat Romam adis.*
LXII. *Simon Crispiacensis de patre mortuo sollicitus. Bellum ejus cum Philippo rege.*
LXIII. *Hugo abbas Cluniaci Romam vocatus. Odo item prior,*
LXIV. *Odonis genus & prima facta.*
LXV. *Figiacenses Cluniaco se subdunt.*
LXVI. *Alia res Cluniacenses.*
LXVII. *Condomenses abbates,*
LXVIII. *Anianenses & Gellonenses abbates.*
LXIX. *Willelmus abbas S. Theotfridi.*
LXX. *Gregorii VII. varia epistola pro monasteriis. Pulsarienses exacti.*
LXXI. *S. Sulpicii & Belliloci abbates.*
LXXII. *Lis inter S. Sergii & S. Albini abbates.*
LXXIII. *Vindocino illata injuria reparatur.*
LXXIV. *Vindocinensium concordia cum Ebroliensibus. S. Maxentii abbates.*
LXXV. *Donadeus abbat Lemovicensis & successores.*
LXXVI. *Jarento fit Casa-Dei monachus.*
LXXVII. *S. Germani & S. Columba abbates.*
LXXVIII. *S. Adalhardi corpus refertur in Flandriam.*
LXXIX. *Fontanellensium lis finita.*
LXXX. *Hanfridus de Vetulis obit.*
LXXXI. *S. Catharina abbates.*
LXXXII. *Cantuariensis ecclesia reformatio.*
LXXXIII. *Northumbria monasteria restituta. Turgoti Dunelmensis varia fortuna.*
LXXXIV. *S. Theobaldi translatio Vangadiciam.*
LXXXV. *Placentina & Perusina monasteria.*
LXXXVI. *Clusini ab episcopo Taurinensi vexati. Eporedienses contra beneficiis affecti.*
LXXXVII. *Beneventana synodi decretum pro S. Sophia monasterio.*
LXXXVIII. *Benedicti abbatis sollicitudo.*
LXXXIX. *Abbates a papa legati.*
XC. *Herimannus Bamberga episcopus fit monachus.*
XCI, *Widerado abbati Fuldensi succedit Ruthardus.*
XCII. *Laureshami abbates.*
XCIII. *Anno archiepiscopus Coloniensis obit. Hermannus item prior Sigebergensis.*
XCIV. *Willelmus Hirsaugia abbas Romam adit. Augiensis rixa.*
XCV. *S. Vitoni, &c. jura advocatorum temperata.*
XCVI. *Ivo abbas S. Dionysii simonia incusatus.*
XCVII. *Galterii abbatis zelus & austeritas. Cacilia regia puella, monacha.*
XCVIII. *Simon comes bello & nuptiis renuntiat. Casa Dei viri illustres.*
XCIX. *Gervinus Centula abbas obit.*
C. *Gervinus ejus nepos ac successor.*
CI. *Molismi cœnobium condit Rotbertus. Latisco & Latiscensis pagus. Sinemuri cella.*
CII. *Floriaco duo altaria concessa.*
CIII. *Miciaci abbas Christianus. Pontis-monachorum cella.*
CIV. *Res Vindocinenses & Pontilevienses.*
CV. *Pictavense concilium. Monasterii-novi abbates. Kemperlegiensibus data S. Mariæ ecclesia. Doli obsidio.*
CVI. *S. Stephani de Vallibus abbatia conditur. Assiliensis cœnobii jura asserta.*
CVII. *Bulla castrum S. Luciano restituitur. Donatio eidem facta.*
CVIII. *Roffenses episcopi.*
CIX. *Londoniense concilium. Lanfranci caritas & prudentia.*
CX. *Schisma in ecclesia. Kadalaus papa legatus.*
CXI. *Godefridi ducis cades.*
CXII. *Stephanus Mureti suum Ordinem instituit Quodnam ejus institutum.*
CXIII. *Regula peculiaris an ab eo scripta?*
CXIV. *Magenciaco facta donatio.*
CXV. *Bellilocense & Gigniacense monasteria Cluniacensibus commissa.*
CXVI. *Monasterii-novi privilegia.*
CXVII. *Evenus abbas fit Dolensis archiepiscopus.*
CXVIII. *Rotbonenses abbates.*
CXIX. *Guitmundus & Durandus in Berengarium scribunt.*
CXX. *Anselmus Guibertum erudit.*
CXXI. *Gundulfus episcopus Roffensis creatur.*
CXXII. *Anselmi ad eum epistola. Gundulfi extremitia.*
CXXIII. *Belli abbates primi.*
CXXIV. *Ingulfus fit abbas Crulandensis.*
CXXV. *Gerardus Jerosolymis reversus fit abbas.*
CXXVI. *S. Medardi abbas Arnulfus.*
CXXVII. *Abbatia cedit. Gerardus suffectus pellitur.*
CXVIII. *Codiciacus ejusque Domini.*
CXXIX. *S. Bajolo data duo altaria.*
CXXX. *S. Theoderici & S. Prajecti abbates atque Humolarienses.*
CXXXI. *Varia de Belgicis monasteriis.*
CXXXII. *Gerardus II. episcopus Cameracensis.*
CXXXIII. *Turba clericorum conjugatorum.*
CXXXIV. *Varia de Aquitanicis aliisque monasteriis.*
CXXXV. *Almontense monasterium conditur.*
CXXXVI. *Thiemonis vita monastica.*

LIBER LXV.

Ab anno Christi 1077. ad annum 1080.

I. **H***Einricus rex absolutus, rursus fidem fallit. Bernardus abbas captus.*
II. *Lambertus Scafnab. nobilis historicus. Gerardi & Agnetis augusta obitus.*
III. *Benedictus abbas Clusensis multa passus. Musinasci & Caramania monasteria.*
IV. *Warmundus abbas fit archiepiscopus Viennensis.*
V. *Cluniaco auctus census à rege Alfonso. Carionis monasterium & alia eidem data.*
VI. *Cluniaci & Hugonis abbatis elogium.*
VII. *Æduense concilium. Jarento fit abbas Divionensis.*
VIII. *Manasses Remorum archipræsul exauctoratus.*

IX. *Turba in S. Remigii monasterio. Henricus ejus loci abbas.*

X. *Novigentensis monasterii primordia.*

XI. *S. Nicolai in Bosco initia.*

XII. *Simonis Crispiacensis conversio.*

XIII. *Beccensis ecclesia dedicatio. Cadomensis item ecclesia. Paulus abbas S. Albani.*

XIV. *Rodbertus abbas Carnutum postulatus episcopus.*

XV. *Hucbertus & Eustachius abbates Carnutenses.*

XVI. *Ainardo Divensi abbati succedit Fulco. Hugo Lexovii episcopus obit.*

XVII. *S. Symphoriani ecclesia Floriaco datur.*

XVIII. *Res Vindocinenses.*

XIX. *Anastasius monachus Sarracenis fidem prædicat. Frotardus S. Pontii abbas.*

XX. *S. Johanni de Pinna facta donatio. Nobiliaci abbates. Morlanensis cella.*

XXI. *Brunwillarenses villam ablatam repetunt.*

XXII. *Turba apud S. Gallum.*

XXIII *Schirensis cœnobii origo.*

XXIV. *Concilia duo Romana. Berengarius denuo examinatur.*

XXV. *Hugo Abbas Cluniacensis quanti habitus.*

XXVI. *Evenus præsul ab æmulo vexatur.*

XXVII. *Pictavense concilium. Abbates in illo concilio.*

XXVIII. *Vindocino asseritur Olona. Campionum oblatio.*

XXIX. *S. Florentii cella prope Dolum. Johannes ejus auctor, qui?*

XXX. *Cluniaco datur Avalonis ecclesia. Odo prior factus episcopus Ostiensis.*

XXXI. *Widonis comitis conversio. Hugonis item ducis Molismo beneficia.*

XXXII. *Cluniaco & Moisiaco quædam subjecta monasteria. Hugonis abbatis ad Moisiacenses epistola.*

XXXIII. *Elariaci parthenon.*

XXXIV. *Casa-Dei datur S. Andulfi ecclesia.*

XXXV. *Durando abbati facto episcopo succedit Seguinus. S. Illidii abbates.*

XXXVI. *Adalelmus abbas in Hispaniam missus.*

XXXVII. *Pontius Fraxineti abbas.*

XXXVIII. *Floriaco data S. Gervasii ecclesia.*

XXXIX. *Herluinus Becci abbas obit.*

XL. *Anselmus abbas eligitur.*

XLI. *Beccenses monachi sub Herluino.*

XLII. *Johanni abbati Fiscamnensi succedit Guillelmus II.*

XLIII. *Wulstani episcopi constantia in Lanfrancum.*

XLIV. *Abbates S. Michaëlis ad Mosam & S. Vitoni.*

XLV. *Gemblaci abbates & viri illustres. Sigebertus monachus.*

XLVI. *Thiofridus Epternacensis abbas.*

XLVII. *Mediolacenses abbates & Laurishamenses.*

XLVIII. *S. Ægidii abbatia in Hungaria.*

XLIX. *Pinaroli abbates & benefactores.*

L. *S. Theobaldi reliquiæ Latiniacum translatæ. Latiniaci abbates.*

LI. *Stephanus abbas S. Urbani vitam scribit.*

LII. *Synodus Romana in Berengarium. Albericus & Bruno ejus adversarii.*

LIII. *Bruno Signiensis episcopus.*

LIV. *Gregorii in Berengarium versipellem caritas.*

LV. *Falso accusatus a Berengario relapso & aliis.*

LVI. *Gregorii epistola ad Hugonem abbatem S. Martini de Campis ecclesia Cluniaco data.*

LVII. *Johanni archiepiscopo Rotomagensi succedit Guillelmus.*

LVIII. *Guitmundus Italiam petit.*

LIX. *Anselmus Becci abbas ut se gerit. Lanfranci in Beccen. et caritas.*

LX. *Anselmus in Angliam trajicit. Ejus sententia de Elfegi sanctitate.*

LXI. *Beccenses in Angliam missi.*

LXII. *Radulfi Belvacensis conversio. Buriaci ecclesia Angeriaco data.*

LXIII. *Corbeia vicecomitatus restitutus.*

LXIV. *Majori monasterio data ecclesia S. Nicolai de Receio.*

LXV. *Vindocinensibus remissæ exactiones.*

LXVI. *Cella S. Sepulcri de Balgenciaco.*

LXVII. *S. Eutropii ecclesia instaurata.*

LXVIII. *Baldricus abbas Burgulensis. Sabbato abstinentia à carnibus. Sancti Sev ni monasterium.*

LXIX. *S. Mariæ de Solaco ecclesia monachis S. Crucis asserta. Dolensium rixa componitur.*

LXX. *Bernardus abbas Massiliensis, legatus.*

LXXI. *S. Victori donatio facta.*

LXXII. *Bernardus abbas obit. Richardus ejus frater succedit.*

LXXIII. *Montis-majoris abbates. Ejus bona restitui jubet Gregorius.*

LXXIV. *Aquicinctense monasterium conditur. S. Sepulcri abbatia.*

LXXV. *Walo abbas Metensem episcopatum occupat. Wilo abbas S. Apri.*

LXXVI. *Corbeia-nova abbates. Fritislar combustum.*

LXXVII. *Leoni Cavæ abbati Petrus succedit.*

LXXVIII. *Quædam ejus facta.*

LXXIX. *Turba nova in ecclesia. Giselbertus monachus obit.*

LXXX. *Decretum pro Cluniaco.*

LXXXI. *Robertus monachus apud Gregorium male audit.*

LXXXII. *Varia hujus anni concilia. Arnulfus Suessionum episcopus eligitur.*

LXXXIII. *Willelmo Floriaci abbati succedit Veranus. Galterius abbas Ferrariensis.*

LXXXIV. *S. Dionysii de Nogiomo monasterium datur Cluniaco.*

LXXXV. *Monasterium item S. Benedicti ad Padum.*

LXXXVI. *Piroerensis cellæ facta donatio. Curvavilla cella.*

LXXXVII. *Fulcherius de Turre monachus. Servi voluntarii oblatio.*

LXXXVIII. *Johel Culturæ abbas.*

LXXXIX. *Dolensium lis cum episcopo Lemovicensi. Auriliacensibus cella Dalmaraci restituta.*

XC. *Maimacum monasterium conditur.*

XCI. *Abbates Uzercenses, Tutelenses & Sollemniacenses.*

XCII. *S. Fermerii monasterium S. Florentio subjicitur.*

XCIII. *Leothericus monachus Cormaricensis.*

XCIV. *S. Cypriano privilegium datum.*

LIBER LXVI.

Ab anno Chiisti 1081. ad annum 1085.

LXIX. *Andrense monasterium conditur.*
LXX. *Majoris-monasterii cella in Morinis. Bernardus abbas. Hamense monasterium.*
LXXI. *Angeriaco subjicitur S. Luciani ecclesia.*
LXXII. *Guibertus studia prosequitur.*
LXXIII. *S. Theoderici abbates.*
LXXIV. *B. Mariæ de Campis ecclesia Parisiis.*
LXXV. *S. Remigio Senonensi ecclesia S. Baldi concessa. S. Germani Autisiodorensis abbates.*
LXXVI. *S. Juliani & Nucariarum abbates.*
LXXVII. *Silva-majoris institutum apud Aragones.*
LXXVIII. *Mediani-monasterii & S. Apri abbates.*
LXXIX. *Sigefridus archiepiscopus obit.*
LXXX. *Hirsangienses Anselmum consulunt.*
LXXXI. *Abendoniæ abbates ex Gemetico.*
LXXXII. *S. Indaleris translatio in Pinnatense monasterium.*
LXXXIII. *Lirinenses abbates.*
LXXXIV. *Odo in Germaniam legatus.*
LXXXV. *Reinardi-fontanum monasterium & alia.*
LXXXVI. *Bellum novum in S. Gallum. Alia res Germanica.*
LXXXVII. *Jarento abbas papam comitatur Salernum. Legatus cum Petro Igneo ad suos redit.*
LXXXVIII. *Gregorii papæ extrema facta, & obitus.*
LXXXIX. *Roberti Guiscardi obitus, & dona Casino facta.*
XC. *Desiderius pontificatum refugit.*
XCI. *Saxi-vivi cœnobium conditur.*
XCII. *Odo episcopus Ostiensis e Germania redit. Abbatia S. Dalmatii de Pedona.*
XCIII. *Theodericus monachus in Gregorium scribit.*
XCIV. *Nova turba apud S. Trudonem.*
XCV. *Asmantia capella data S. Michaeli ad Mosam.*
XCVI. *S. Vitoni monachi apud S. Benignum recepti. Hugonis professio.*
XCVII. *Jarentonis eximia caritas.*
XCVIII. *Pibo episcopus fit monachus Divione.*
XCIX. *Robertus Molismo secedit ad cellam Alseusem.*
C. *Observanda quædam de Alberico & Stephano.*
CI. *Besuensis monasterii status. Stephanus abbas.*
CII. *Novi-monasterii abbates.*
CIII. *Udalricus scribit consuetudines Cluniacenses. Eximia caritatis exemplum.*
CIV. *Willelmi Hirsaugiensis liberalitates. Ejus caritas in Hasungenses.*
CV. *Cluniacenses consuetudines qua occasione scripserit Udalricus. Bernardus hunc præcesserat.*
CVI. *Hirsaugia consuetudines.*
CVII. *Udalricus inique vexatus. Simoniacus presbyter ad celebrandum non recte admissus.*
CVIII. *S. Baudilii cella Casæ-Dei subjecta. S. Pontii res confirmatæ.*
CIX. *Seguini abbatis prophetia de S. Illidii abbate. Maimacensis monasterii privilegium.*
CX. *Arnulfus Suessionum episcopatum abdicat. Hilgotus Petra-pontis cellam auget.*
CXI. *Compendiense concilium.*
CXII. *Strumense parthenium conditum.*
CXIII. *Res Anglicana. Paulus abbas S. Albani.*
CXIV. *Cella S. Sulpicii prope Aquilam.*
CXV. *Alfani Salernitani archiepiscopi obitus & scripta.*
CXVI. *Monasterium Vallium Malliaco subjicitur.*

LIBER LXVII.

Ab anno Christi 1086. ad annum 1091.

I. D*Esiderius abbas papa renuntiatur invitus.*
II. *Hugonis archiepiscopi de ea electione judicium refellitur.*
III. *Anselmi Lucensis obitus & scripta.*
IV. *Camaldulensium sanctimonialium primum monasterium.*
V. *S. Victori datur ecclesia B. Mariæ de Monachia.*
VI. *S. Savini Levitani reformatio.*
VII. *Calmeliacenses abbates.*
VIII. *Gerardi prioris Caritatis obitus.*
IX. *Caritatis cellæ.*
X. *Girardi successores.*
XI. *Anastasii monachi obitus.*
XII. *Lis de cella Domnæ-Mariæ.*
XIII. *S. Petro de Cultura facta donatio. Mille missæ. Berno Vindocini abbas.*
XIV. *Gotfridus Novigenti abbas.*
XV. *Nobiles feminæ ejus consiliis reguntur.*
XVI. *S. Basoli abbates. Valentianis basilica B. Mariæ conditur.*
XVII. *Affligemii & Aquicincti dedicatio.*
XVIII. *Affligemii pax turbata.*
XIX. *S. Trudonis nova turba.*
XX. *Mettensis quoque ecclesia turbata.*
XXI. *S. Galli rerum quis status.*
XXII. *Res Anglicana. Malmesburia abbates.*
XXXIII. *Victoris III. consecratio, acta, & obitus.*
XXIV. *Ejus scripta & discipuli.*
XXV. *Aldemarii abbatis acta.*
XXVI. *Oderisius Casini abbas.*
XXVII. *Leo Marsicanus.*
XXVIII. *Amatus, Constantinus & Guaiferius Casinates.*
XXIX. *S. Nicolai translatio Barium. Barensia monasteria.*
XXX. *S. Jacobi de Pontida prior S. Albertus.*
XXXI. *Grava cella conditur.*
XXXII. *Amatus S. R. E. legatus, an monachus?*
XXXIII. *S. Lupercii cella.*
XXXIV. *Pontio Andaonensi abbati succedit Petrus.*
XXXV. *S. Benigno facta restitutio.*
XXXVI. *Arnulfus Suessionum præsul obit.*
XXXVII. *Hariulfus ejus vitæ scriptor.*
XXXVIII. *Aldenburgenses abbates. Hariulfi scripta.*
XXXIX. *S. Medardi monachi corpus S. Arnulfi subripere tentant.*
XL. *S. Theoderici abbatiæ altaria data.*
XLI. *Adalbero abbas Laudunensis.*
XLII. *S. Sergii & S. Albini quædam acta.*
XLIII. *Monasterii-novi bona confirmata, & abbates.*

XLIV. *Willelmus Rex Anglorum obit.*
XLV. *Cadomi humatur.*
XLVI. *Beccenses libertatem suam strenue defendunt. Normanniæ infelix status.*
XLVII. *Abbatum mortes in Anglia. Turgotus prior Dunelmensis.*
XLVIII. *Apud S. Trudonem nova turba.*
XLIX. *Cella in castro Porciensi fundata, & data Andaginensibus. Theoderici abbatis Andaginensis obitus. Senonienses abbates.*
L. *Benno Osnabrugi episcopus, duorum monasteriorum auctor. Marcwardus successor.*
LI. *Ad S. Udalricum missa S. Felicis reliquia. Frideruna Geisenfeldæ abbatissa.*
LII. *Urbanus II. eligitur. Bantini monasterii basilicam dicat.*
LIII. *Hugonis archiepiscopi epistola ad Mathildem.*
LIV. *Toletana ecclesia primatum restituit.*
LV. *Petrus abbas fit episcopus Compostellanus.*
LVI. *Hugoni abbati Cluniacensi Urbanus electionem suam significat.*
LVII. *Cluniaci nova ecclesia construi cœpta. Ejus descriptio.*
LVIII. *Andaonensibus facta donatio. Pueri oblatio Gellone.*
LIX. *Pontonis monasterium. Burdegalense concilium.*
LX. *S. Cypriano abbatia S. Romani data. S. Laurentii ecclesia Angeriaco data.*
LXI. *Bernardi Tironiensis vitæ primordia, & monachatus. S. Cypriani monachi illustres.*
LXII. *Andreas Vallumbrosanus in Gallia condit monasteria.*
LXIII. *Besuenses reformat Stephanus abbas.*
LXIV. *Reomaenses & Noviomenses abbates.*
LXV. *Theodericus episcopus Virduni, à monachis absolutus moritur.*
LXVI. *Richerus successor per Rodulfum abbatem reconciliatur.*
LXVII. *Alosti & Gistellæ parthenia.*
LXVIII. *Fulgentius Affligemii abbas. Affligemienses monachi illustres.*
LXIX. *Witebiense monasterium instauratur. Beata Maria Eboracensis origo.*
LXX. *Wigorniæ monachi instituti & aucti. Sedes episcopalis in monasterio Bathoniensi.*
LXXI. *Halberstatenses episcopi.*
LXXII. *Lambacensis ecclesia dedicatur.*
LXXIII. *Augienses abbates.*
LXXIV. *Lanfranci archiepiscopi obitus, & apologia. Scripta ejus & discipuli.*
LXXV. *Quædam in ejus scriptis notanda.*
LXXVI. *Sagienses abbates & Troarnenses.*
LXXVII. *Girberto abbati Fontanellæ succedit Lanfrancus.*
LXXVIII. *Anselmus scribit in Roscelinum.*
LXXIX. *Fulco monachus fit episcopus Belvacensis.*
LXXX. *Anselmi hortamenta ad vitam monasticam.*
LXXXI *Ejus epistola pro abbate S. Wlmari.*
LXXXII. *Fiscamnenses ab archiepiscopo vexati.*
LXXXIII. *Majori-monasterio facta donatio. Kemperlegiensi item monasterio.*
LXXXIV. *Rainaldus archiepiscopus in S. Remigium beneficus.*
LXXXV. *S. Agerici abbates. Marcianis facta donatio.*
LXXXVI. *Melfitanæ synodi statuta.*
LXXXVII. *Berardi Farfæ abbatis obitus & statuta. Rixa de successore.*
LXXXVIII. *Gregorius Farfæ chartophylax.*
LXXXIX. *Padoliron subjicitur S. Martini monasterium in collibus.*
XC. *Mellicense monasterium Benedictinis datum.*
XCI. *S. Bernardi Claravallensis ortus illustris.*
XCII. *Bruno e Cartusia Romam evocatur. Seguini Casæ-Dei abbatis epistola.*
XCIII. *S. Nicasii abbates.*
XCIV. *S. Remigii renovata privilegia.*
XCV. *S. Theoderici corpus in Flandriam delatum.*
XCVI. *S. Clementis translatio Mettas.*
XCVII. *S. Quintino Albani asserti.*
XCVIII. *Capellæ monasterium conditur. Anselmi monita ad Idam comitissam.*
XCIX. *Vindocino facta donatio.*
C. *Majori-monasterio privilegium ab Urbano datum.*
CI. *Bernardus abbas præfecturam abdicare vetatur. Namnetensem episcopum sibi reconciliat.*
CII. *Lis inter S. Sergii & S. Albini monachos.*
CIII. *Rangerius ex monacho archiepiscopus Regiensis*
CIV. *Hilgotus episcopus ad Majus-monasterium secedit.*
CV. *Clannafolio facta restitutio.*
CVI. *Taunacense monasterium.*
CVII. *Calmeliacense privilegium. Lis cum Cluniacensibus.*
CVIII. *Crassæ duæ abbatiæ restitutæ, &c.*
CIX. *Farfæ novus abbas Beraldus II.*
CX. *Palumbus monachus specus Sublacensis.*
CXI. *Casinates duo facti episcopi.*
CXII. *Herrandus episcopus in schismaticos scribit.*
CXIII. *Laureshami incendium.*
CXIV. *Theotgerus abbas S. Georgii.*
CXV. *S. Felicis eremitæ Hispani translatio.*

LIBER LXVIII.

Ab anno Christi 1091. ad annum 1094.

I. B*Eneventana synodus. Patri Cavensis modestia.*
II. *Rainerus abbas Crispinii Urbanum adit cum Arberto*
III. *Gervinus episcopus Ambianensis; Urbani de eo epistola.*
IV. *Serlo abbas Sagii episcopus creatur. Rogerius electus abbas Uticensis.*
V. *Pauliacense monasterium restruitur.*
VI. *Montis-burgi monasterium conditur.*
VII. *Seditio apud Cenomannos.*
VIII. *Nobiliaci abbates. S. Crucis abbatissa.*
IX. *Casa-Dei donatio facta.*
X. *Fontis-Gombaudi abbatia conditur. Angeriaci & Moissiaci abbates.*
XI. *S. Eugendi abbates. Cluniaco facta donatio.*
XII. *Nova turba apud S. Trudonem.*
XIII. *Heribrandi & aliorum conversio.*
XIV. *Antonius fit abbas Senoniensis. Res Medianenses.*
XV. *Wolfelmus abbas obit.*
XVI. *Willelmus item Hirsaugiensis. Ejus discipuli.*

XVII. *Thiemo archiepiscopus Salzburgi.*
XVIII. *Communis vita laicorum.*
XIX. *Benedictus Clusensis obit.*
XX. *Willelmus, ejus vitæ scriptor. Ermengaudus successor.*
XXI. *S. Augustini Cantuariensis translatio.*
XXII. *Crulandæ incendium.*
XXIII. *Dira machinatio in Crulandenses.*
XXIV. *Ingulfi abbatis historia.*
XXV. *Compostellani episcopi.*
XXVI. *Ansgerius episcopus Catana.*
XXVII. *S. Cypriano concessa ecclesia. Ivonis episcopi ordinatio.*
XXVIII. *Italicæ res turbatæ. Johannes abbas pacem dissuadet.*
XXIX. *Canusii monasterium. Padelironenses & Fructuarienses vexati.*
XXX. *Aversano monasterio privilegium concedit Urbanus. Cavensis basilica dedicatur ab Urbano.*
XXXI. *Matera monasteria.*
XXXII. *Bruno in Calabria domum condit.*
XXXIII. *Anselmus in Angliam agre trajicit.*
XXXIV. *Cestrense monasterium ordinat. B. Mariæ de Bono-nuntio cella.*
XXXV. *Nicolao S. Audoëni abbati succedit Helgotus. Fulco Divensis abbas exsul.*
XXXVI. *Bertoldi-curtis monasterium.*
XXXVII. *Aldebertus archiepiscopus Bituricensis. S. Gandulfi monasterium Virzioni subjicitur.*
XXXVIII. *Corneliacensis cella aucta. S. Aviti parthenium.*
XXXIX. *Bonæ vallis abbates.*
XL. *Dolensium dissensio.*
XLI. *Blesenses abbates. Philippi regis copula cum Berta.*
XLII. *Odo Aurelianensis celebris magister, Augustini libri de libero arbitrio lectione conversus.*
XLIII. *Wolbodo in S. Laurentii abbatiam denuo intrusus. Gemblacenses abbates.*
XLIV. *Ruperti primordia & institutio.*
XLV. *S. Vincentii abbatia Vesontionensis. Laitensis cellæ dedicatio.*
XLVI. *Res Germanicæ. Marcwardus episcopus Corbeiam repetit.*
XLVII. *Qualis rerum civilium status.*
XLVIII. *Anselmus Cantuariæ archiepiscopus invitus eligitur.*
XLIX. *Consentientibus omnibus consecratur.*
L. *Anselmi hac de re epistola.*
LI. *Willelmus in abbatia ei suffectus.*
LII. *Cantuariæ abbates S. Petri. Ernulfus prior in ecclesia Christi. S. Albani & Elienses abbates.*
LIII. *Anselmi epistola de cantoris Parisiensis secessu.*
LIV. *Concilium Suessionense in Roscelinum.*
LV. *S. Theobaldi de Basilicis monasterium.*
LVI. *Gervino episcopo Ambianensi scripta litteræ.*
LVII. *S. Theoderico altaria data.*
LVIII. *S. Maglorii monasterium reformatum.*
LIX. *S. Faræ monasterii infelix status.*
LX. *S. Martini de Valle cella.*
LXI. *Goffridus Vindocinensis abbas electus.*
LXII. *Collecta pro Urbano facta. Gervasii abbatis & Bernardi altercatio.*
LXIII. *Bernardi Tironiensis secessus in eremum.*
LXIV. *Gervasii S. Savini abbatis varia fortuna.*
LXV. *Prulliaci monasterium.*
LXVI. *Eremitæ Credonenses. Robertus de Arbrisello.*
LXVII. *Vitalis & Radulfus.*
LXVIII. *Herveus inclusus.*
LXIX. *Eva reclusa, & Benedicta.*
LXX. *Casale-Benedictum conditur.*
LXXI. *Alfonsus Rex Cluniaco munificus. Hugo quoque vir nobilis Cluniaci monachus.*
LXXII. *Ramirus Deo apud sanctum Pontium oblatus.*
LXXIII. *Berengarii monachi obitus.*
LXXIV. *Rainaldus abbas S. Stephani de Vallibus.*
LXXV. *S. Michaelis cella Burguliensis. Burdegalense concilium.*
LXXVI. *S. Trudonis abbatiæ infelix status.*
LXXVII. *Lacense monasterium inchoatur.*
LXXVIII. *Satanaci cella Gorziæ restituta.*
LXXIX. *S. Nicolai monasterium in Lotharingia.*
LXXX. *Bursfeldense monasterium conditur.*
LXXXI. *Pegaviense item, aliaque Germaniæ monasteria.*
LXXXII. *Udalrici Cluniacensis obitus.*
LXXXIII. *Gigniaco & Novalisiæ facta donationes.*
LXXXIV. *Pomposiæ abbas Hieronymus, & insignis bibliotheca.*
LXXXV. *Rerum status anni sequentis.*
LXXXVI. *Petrus eremita Urbanum excitat ad sacram expeditionem.*
LXXXVII. *Anselmus libros de Incarnatione scribit.*
LXXXVIII. *Regis indignationem incurrit.*
LXXXIX. *Willelmus Becci abbas ordinatur. Monachis vitandi discursus.*
XC. *Beccensium lis cum Molismensibus de cella Pexei.*
XCI. *Boso & Eadmerus Anselmi discipuli.*
XCII. *Beccensium vestis alba.*
XCIII. *Pratellenses benefactores.*
XCIV. *Galteri abbatis Pontisarensis pœnitentia & obitus.*
XCV. *Theobaldus ejus successor. Hildeburgis istuc secedit.*
XCVI. *Ivoni S. Dionysii abbati succedit Adam. Sagerius monachus. Latiniacenses abbates.*
XCVII. *S. Remigio satisfacit Hugo comes.*
XCVIII. *Majoris-monasterii libertas asserta.*
XCIX. *S. Dionysii de Nogento cella Cluniaco vindicata. S. Sergii abbates.*
C. *Nobiles viri Cluniaci monachi.*
CI. *Marciniacensium sanctimonialium mira fides & constantia.*
CII. *Biliomi monasterium S. Lupi. Direptum à Biliomensibus canonicis.*
CIII. *Seguino Casæ-Dei abbati succedit Pontius. Viennensis S. Andreæ abbatia Casæ-Dei subjecta. Moisiacenses turbæ.*
CIV. *Silvæ-majoris cella in Hispania.*
CV. *S. Michaelis ad Mosam abbates.*
CVI. *Laubiensis abbas Fulcardus. Bullonii cella.*
CVII. *Weingartense monasterium ditatur.*
CVIII. *Campidonensis abbatis Eberhardi obitus. Uitemburæ casus.*
CIX. *Formbacensis cella in abbatiam erigitur. Abrinsbergense monasterium seu Mons-sanctus.*
CX. *S. Blasii monasterium augetur. Gotwicum colonia deducta.*

CXI. *Liparensis & Pactensis ecclesia Benedictinis data.*

CXII. *Cartasia Squillacensis dedicatio.*

LIBER LXIX.

Ab anno Christi 1095. ad annum 1100.

I. U*Rbani papa acta Placentia & alibi. Albertus abbas Pontida obit.*

II. *Anselmus pallium accipit. Herbertus episcopus Norwicensis.*

III. *Anselmi varia epistola.*

IV. *Wolstanus episcopus obit.*

V. *S. Dionysio ecclesia S. Goberti data. S. Vincentio data ecclesia Altimontensis.*

VI. *Henrico abbati S. Remigii succedit Robertus. S. Petri Remensis abbatissa.*

VII. *Novigenti res in synodo confirmata.*

VIII. *S. Helena probata reliquia.*

IX. *Resbaci abbates. S. Quintino de Monte facta donatio.*

X. *S. Martini Tornacense monasterium instauratur. Alulfi monachi conversio.*

XI. *Alio fugere volentes retinentur.*

XII. *Sanctimoniales apud S. Martinum.*

XIII. *Viri quidam illustres.*

XIV. *Radulfi aliorumque conversio.*

XV. *Conversarum duo domicilia.*

XVI. *Alii viri insignes, & scriptores.*

XVII. *Hugo abbas Elnonensis, S. Martini fratribus succurrit. Gisleberti monachi obitus.*

XVIII. *Johanni abbati Sithiensi succedit Lambertus.*

XIX. *Verano Floriaci abbati Joscerandus. S. Sergio facta donatio.*

XX. *Geraldus abbas Silva-majoris obit.*

XXI. *Urbani papa gesta ante concilium Claromontanum.*

XXII. *Claromontanum concilium. Durandi episcopi obitus.*

XXIII. *Concilii acta. Majoris-monasterii & Vindocinensis libertas denuo asserta.*

XXIV. *Gervino abbatia S. Richarii ablata.*

XXV. *Statuta de redemtione altarium, & vicariis perpetuis.*

XXVI. *Expeditio sacra.*

XXVII. *Jarento abbas in Angliam legatus.*

XXVIII. *Guntardo Gemetici abbati suffectus Tancardus.*

XXIX. *Urbani acta post concilium.*

XXX. *Mauricius Burdinus an Userca monachus?*

XXXI. *Urbani acta apud Lemovicas.*

XXXII. *Humbaldo episcopo suffectus Guillelmus. Usercenses abbates.*

XXXIII. *Neresheimense monasterium conditur.*

XXXIV. *Urbani acta Pictavis, Andecavis & Vindocini. Natali S. Nicolai abbati succedit Lambertus.*

XXXV. *Turonis acta ab Urbano. Majoris-monasterii dedicatio.*

XXXVI. *Cruce signati iter aggressi.*

XXXVII. *Urbani acta in Aquitania.*

XXXVIII. *S. Georgii Oleronensis ecclesia Vindocino restituta.*

XXXIX. *Aasculfus Angeriaci abbas ab Urbano honoratus. Ejus lis cum Clusensibus. Aurea-vallis cella origo.*

XL. *B. Maria de Solaco ecclesia S. Cruci asserta. Generensis ecclesia dicatur.*

XLI. *Urgellense B. Maria cœnobium instauratur. Tarascorensis cella.*

XLII. *Urbani acta Tolosa & Nemausi. Juviniaco datum privilegium.*

XLIII. *S. Antonii Ordinis Viennensis origo. Urbani reditus Romam.*

XLIV. *S. Vigoris cella S. Benigno data. Robertus de Tumbalenia abbas. Guisfredus abbas Pratellensis.*

XLV. *Episcopi ab Anselmo ordinati. Willelmi episcopi Dunelmensis obitus.*

XLVI. *Benedicto Selebiensi abbati succedit Hugo.*

XLVII. *Forestense parthenium conditur.*

XLVIII. *Fulconi Corbeia abbati succedit Nicolaus. Odelricus an Corbeia abbas?*

XLIX. *S. Martino à Campis data S. Gemma ecclesia. Commerciacensis cella.*

L. *Isnense monasterium conditur. Sigefridi & Liutfridi abbatum obitus.*

LI. *Reinhausense monasterium.*

LII. *S. Petri vivi abbates.*

LIII. *Latiniacensium lis cum episcopo Parisiensi.*

LIV. *Fossatenses vita laxioris.*

LV. *Vindocinensium concordia cum comite. Ivonis hac de re epistola.*

LVI. *Ebrardus ex canonico monachus; an denuo possit esse canonicus? Quinciacensium lis cum Majori-monasterio.*

LVII. *Sablolio & Burgulio facta donationes.*

LVIII. *Aldebertus archiepiscopus Bituricensis obit. Dolenses abbates. Hoelli episcopi, & Jobelli abbatis obitus.*

LIX. *Hildebertus sit episcopus Cenomannensis; an monachus?*

LX. *Abbates Bellilocenses.*

LXI. *Bernardus Tironiensis a S. Savini monachis quasitus fugit.*

LXII. *Navenses abbates.*

LXIII. *Adelelmus abbas Burgis obit.*

LXIV. *Santonensis concilii decretum pro Vindocino. Lis de monasterio S. Æmiliani.*

LXV. *Roberti abbatis S. Remigii causa examinata.*

LXVI. *Remensis synodi sententia rescissa. Robertus Odoni cardinali commendatus à Baldrico.*

LXVII. *Monachi emancipatio penes abbatem.*

LXVIII. *Odo episcopus Ostiensis ex monacho.*

LXIX. *Novei cella conditur.*

LXX. *Petri Abaelardi prima facta. Discidium cum Guillelmo de Campellis. S. Victoris abbatia origo.*

LXXI. *An auctor epistola contra Roscelinum?*

LXXII. *Hugo sit abbas Flaviniacensis.*

LXXIII. *Alsense monasterium & Balernense conduntur.*

LXXIV. *Claniacensium lites cum Trenorchio.*

LXXV. *Saviniacensium judicium de vicariis. Niorti ecclesia iisdem data.*

LXXVI. *Nivernense S. Stephani monasterium instauratur.*

LXXVII. *Nivernensium episcoporum index emendatur. Abbatia suburbana sancti Victoris Niver-*

nensis monasterio Caritatis subjecta.
LXXVIII. *S. Amando altaria data.*
LXXIX. *S. Jacobi cella in Lotharingia.*
LXXX. *Bella-vallis cella, & alia Medianenses. Vandani montis comites.*
LXXXI. *Romaricensis monasterii status.*
LXXXII. *Augia Brigantina. Lauresbamenses abbates. S. Eadmundi item abbates.*
LXXXIII. *Anselmus archiepiscopus in Galliam venit.*
LXXXIV. *Glannafolium Casinatibus restitutum. Casinensis monasterii prærogativa.*
LXXXV. *Casa-aurea monasterium sedi Apostolicæ commendatur & instauratur. Farfense monasterium in monte coeptum.*
LXXXVI. *Cisterciensis monasterii & Ordinis primordia.*
LXXXVII. *Anselmus archiepiscopus Romam pergit. Telesiam, deinde Capuam adit.*
LXXXVIII. *Hugonis abbatis discordia cum episcopo Æduensi.*
LXXXIX. *S. Remigii combustum monasterium. Anscherus Centulensis abbas.*
XC. *S. Michaëlis ad Mosam cœmeterium.*
XCI. *S. Quintini de Monte abbates.*
XCII. *Vindocinenses à comite vexati. Comitis satisfactio.*
XCIII. *Goffridi abbatis egregia monita & facta.*
XCIV. *Placitum pro S. Nicolao apud Andecavos.*
XCV. *Burdegalense concilium.*
XCVI. *Vaurensis ecclesia Tomeriensi unitur.*
XCVII. *Anselmus cum Urbano Aversæ.*
XCVIII. *Barensi in concilio Græcos refellit. Romæ pro eo acta. Cingla & S. Sophia monasteria Casinatibus asserta.*
XCIX. *Vindocinensium, aliorumque privilegia.*
C. *Bernardus abbas Majoris monasterii exagitatus.*
CI. *Padolironenses abbates. Gaufredus Mala-terra monachus & historicus.*
CII. *Post concilium Romanum Anselmus Lugdunum redit.*
CIII. *Rotbertus Molismum redire cogitur.*
CIV. *Albericus Cistercii abbas.*
CV. *Rotbertus an Cisterciensis congregationis auctor?*
CVI. *Levitatis immerito culpatus.*
CVII. *Urbani bulla pro variis monasteriis.*
CVIII. *Urbani II. obitus & instituta. Paschalis II. ejus successor.*
CIX. *Landuinus Cartusiæ prior Brunonem adit. Brunonis epistola.*
CX. *Baldricus Aurelianensi episcopatu exclusus.*
CXI. *Leotherici monachi obitus. Res Uticenses.*
CXII. *Buxiensibus Cassanolii ecclesia data. Galterius eremita.*
CXIII. *S. Petri de Estoncia monasterium instauratur.*
CXIV. *S. Michaëli ad Mosam jus monetæ concessum.*
CXV. *Rodulfus abbas S. Vitoni obit.*
CXVI. *Laurentius ejus successor; Romam missus.*
CXVII. *Hugo abbas Æduensis.*
CXVIII. *Guiberti abbatis elevatio.*
CXIX. *Theodericus S. Trudonis abbas eligitur. Res Germanicæ.*
CXX. *Mediolanensis S. Protasii ecclesia monachis asserta.*
CXXI. *Berardi Farfensis abbatis successores. Monasterium S. Michaëlis Montis-Caveosi.*
CXXII. *Paschalis prima facta.*
CXXIII. *Cistercii confirmatio per Paschalem.*
CXXIV. *Hugo abbas Flaviniacensis restituitur.*
CXXV. *Pictavensis synodi acta. Rotberti abbatis S. Remigii causa retractata.*
CXXVI. *Presbyteri incontinentis infelix exitus.*
CXXVII. *Wiberti antipapæ obitus, & successores.*
CXXVIII. *Landuinus Cartusiæ prior obit. Ejus successores.*
CXXIX. *Anselmus Rege mortuo in Angliam revocatur.*
CXXX. *S. Eadmundi abbates. Elienses & Abendonienses abbates.*
CXXXI. *Hugo abbas S. Germani Autissiodorensis. Commodoliaci gesta ab Hugone abbate.*
CXXXII. *Monasteria Cluniaco addicta triplicis generis.*
CXXXIII. *Paschalis privilegium pro Dervo. Humolarienses abbates.*
CXXXIV. *Bernardus abbas Majoris-monasterii obit. Hilgotus succedit.*
CXXXV. *Gervini episcopi donatio. Widonis comitis restitutio.*
CXXXVI. *Bernardus Tironiensis fit abbas S. Cypriani.*
CXXXVII. *Pictavensi concilio interest.*
CXXXVIII. *Fontis-Ebraldi monasterii & Ordinis origo.*
CXXXIX. *Viri abbatissæ subjecti.*
CXL. *S. Benedicti regula utrisque præscripta. Fontebraldensium quantus numerus.*
CXLI. *Goffridus abbas Vindocinensis, an auctor epistolæ ad Rotbertum?*
CXLII. *Marbodi ad eumdem epistola.*
CXLIII. *Santonensis abbatissa. Casæ-Dei subjecta monasteria S. Baudilii & S. Mariæ apud Nemausum.*
CXLIV. *Res Alemannicæ & Germanicæ.*
CXLV. *Montis Gargani xenodochium Casino datum. Paulus cæcus, monachus Casinensis, aliique.*
CXLVI. *Mathildis comitissæ littera pro Vallumbrosanis.*
CXLVII. *Pictavense concilium.*
CXLVIII. *Cellæ-novæ infestatio.*
CXLIX. *Ordinis nostri propagatio in locis sacris.*
CL. *Monasterii de Latina initia.*
CLI. *Ordinis militaris S. Johannis inde origo.*

LIBER LXX.

Ab anno Christi 1101. ad annum 1105.

I. *Cisterciensium prima statuta.*
II. *Cluniacensium propagatio. Sithiensium reformatio.*
III. *Alchiacensium quoque & Bergensium.*
IV. *Anselmus ob regis conjugium immerito culpatus.*
V. *Ob investituras à Rege vexatus.*
VI. *Norwicense monasterium conditur. Monachis de Bello cœmeterium assertum.*
VII. *Westmonasterii abbas Gislebertus, & alii scriptores.*
VIII. *Johannes cardinalis missus in Angliam.*

IX.

XCVIII. *Lis de cella Credonensi.*

XCIX. *Monasteriolum Berlaii, & alia data monachis S. Nicolai.*

C. *Hilgoto abbati Majoris-monasterii succedit Willelmus.*

CI. *S. Maxentii & S. Maximini abbates. Res Lemovicenses. Tatelenses abbates.*

CII. *Vallis-coloris cella Molismensis.*

CIII. *Columbenses abbates. Ivonis sententia de decimis monachorum.*

CIV. *S. Fasciani monasterium.*

CV. *Altimontis ecclesia S. Vincentio data.*

CVI. *Odo abbas electus episcopus Cameracensis.*

CVII. *Nicolai de S. Walarici privilegio narratio expenditur.*

CVIII. *Viri comati arguuntur.*

CIX. *Godefridi mira humilitas.*

CX. *Gebehardus abbas fit episcopus Spirensis. Bruno in Hirsangia ei succedit.*

CXI. *Cuno fit abbas Sigebergensis.*

CXII. *Braburgense parthenum, ejusque prima abbatissa.*

CXIII. *S. Albani & Isineburgenses abbates. Medianenses item abbates.*

CXIV. *Petrus Anagniæ episcopus obit.*

CXV. *Casino facta donatio. Oderisio abbati succedit Otto.*

CXVI. *Casinenses quidam ritus.*

CXVII. *Res Casaurienses.*

LIBER LXXI.

Ab anno Christi 1106. ad annum 1110.

I. H*Einrici IV. abdicatio & obitus. Paschalis iter in Galliam.*

II. *Antipapa sub Paschali.*

III. *Farfensium abbatum series, & Berlandi acta.*

IV. *Anselmus infirmatur in Normannia. Regis ac reginæ de eo dolor.*

V. *Præclara ejus monita ad sanctimoniales.*

VI. *Pratellis facta donatio judiciariæ potestatis. Abbas amissas possessiones revocare debet.*

VII. *B. Virginis capilli Anselmo, aliisque dati.*

VIII. *Fulconi Divensi abbati succedit Radbertus intrusus. S. Taurini abbatia Fiscamno subjecta.*

IX. *Guiberti abbatis mater obit.*

X. *Mauriniacensis monasterii initia. Philippi & Ludovici regum benefacta.*

XI. *Urso priori S. Martini a Campis succedit Theobaldus.*

XII. *Manasse Remorum archiepiscopo succedit Radulfus.*

XIII. *Lambertus S. Bertini abbas ad id electus non acquiescit. S. Quintino de Insula data altaria.*

XIV. *Latiniaci & S. Columbæ abbates.*

XV. *Blesenses item abbates.*

XVI. *Bernerius abbas Bonæ-vallis.*

XVII. *Bernardus Tyronensis S. Cyriani libertatem tuetur. Varias lustrat solitudines.*

XVIII. *S. Albini abbates. Stephanus abbas Nucariensis. Pictavense concilium. Pamperonii cella.*

XIX. *Hugoni archiepiscopo Lugdunensi succedit Joceramnus abbas.*

XX. *Salmensis ecclesia S. Benigno restituta.*

XXI. *Aletha S. Bernardi mater sepulta apud S. Benignum.*

XXII. *Vizeliacensis abbatis cædes, ejusque successores. Goffridus abbas vexatus. S. Agerici & S. Michaelis abbates.*

XXIII. *Thiofridus abbas Epternacensis obit. Ejus successores. Buosonis-villa monasterium.*

XXIV. *Lorsacensi monasterio Erminoldus præficitur.*

XXV. *Corbeia-novæ abbates, & eventus.*

XXVI. *Paschalis iter, & gesta per Franciam.*

XXVII. *S. Benedicti transpositio in novam thecam. Boso abbas Simoni succedit.*

XXVIII. *Petri diaconi fabula refellitur.*

XXIX. *Otto Casini abbas durior in fratres. Bruno ejus successor.*

XXX. *Anselmus in Angliam redux res ecclesiæ curat.*

XXXI. *S. Eadmundi & S. Augustini abbates ordinati. Ejus scripta & exercitia in morbis.*

XXXII. *Guillelmo Fiscamnensi abbati succedit Rogerius.*

XXXIII. *Horum abbatum & Fiscamnensium elogium.*

XXXIV. *Organa musica an probanda? Cadomenses abbates.*

XXXV. *Angliæ regnum Anselmo commissum. Vota facta ante professionem an tenenda?*

XXXVI. *S. Amandi parthenium Rotomagi. Elnonenses abbates.*

XXXVII. *S. Eligii parthenium Fossatensibus tributum.*

XXXVIII. *Novigenti & Guiberti abbatis elogium. Plani-castelli cella erigitur.*

XXXIX. *Bernardus Tironium secedit.*

XL. *Qualis ejus vitæ institutio & fama.*

XLI. *Orbisterii monasterium conditur. Maroliï & Brolii-Grolandi monasteria.*

XLII. *Gordanica cella Aniana adjudicata. S. Severi abbates. Res Lemovicenses.*

XLIII. *S. Benigno libertas ab Hugone duce firmata.*

XLIV. *Willelmi Matisconsis comitis donatio facta Cluniaco. Alia res Cluniacenses.*

XLV. *Turba in Tornacensi S. Martini monasterio. Quomodo sedata.*

XLVI. *Dunensis monasterii initia.*

XLVII. *Theoderico S. Trudonis abbate mortuo, nova ibi turba.*

XLVIII. *Falcardo Laubiensi abbati succedit Walterius. Illic etiam turbatio.*

XLIX. *Turba in Virdunensi ecclesia.*

L. *Piboni Tullensi episcopo succedit Riquinus.*

LI. *Levino facta donatio.*

LII. *S. Modoaldi reliquiæ translatæ in Saxoniam. Berengosus abbas Trevirensis.*

LIII. *Cella Paulina initia. Gerungus primus abbas.*

LIV. *Paschalis acta Beneventi & Capuæ. Capuana S. Benedicti ecclesia dedicata.*

LV. *Johannes chronographus S. Vincentii ad Wulturnum.*

LVI. *Philippus rex humatus Floriaci. Ludovicus coronatur.*

LVII. *Nivernensium episcoporum index emendatur.*

LVIII. *Ludovici colloquium cum rege Anglorum.*

LIX. *Gundulfus episcopus Roffensis obit. Radul-*

fus Sagienfis ei fuccedis.
LX. *Anfelmi notabiles epiftola. S. Neoti monafterium Becco datum.*
LXI. *Turgotus electus epifcopus S. Andrea. Priores Cantuarienfes.*
LXII. *Elienfis ecclefia in epifcopalem erecta. Elienfis hiftoria fcriptores.*
LXIII. *Tornetenfis monafterii abbates.*
LXIV. *Nogionis cella in Vileaffino.*
LXV. *Godefridi epifcopi modeftia.*
LXVI. *Baldricus epifcopus Dolenfis. Guibertus abbas ejas fucceffor.*
LXVII. *Majori-monafterio data ecclefia Infula Aaron & Dinanni.*
LXVIII. *Hugonis abbatis Cluniacenfis ultima ftatuta.*
LXIX. *Richardus abbas S. Victoris fit archiepifcopus Narbonenfis. Craffa abbates & S. Remigii.*
LXX. *Rodulfus abbas S. Trudonis, ejufque prima facta.*
LXXI. *S. Difibodi monafterium inftauratur. Alia res Germanica.*
LXXII. *Anfelmus archiepifcopus Cantuarienfis obit. Eadmerus ejus vita fcriptor, & alii.*
LXXIII. *Hugo quoque abbas Cluniacenfis obit. Vita fcriptores.*
LXXIV. *Sanctitatis ejus varia argumenta. Cluniaci fub eo celebritas.*
LXXV. *Pontius ei fuccedit.*
LXXVI. *Albericus abbas Ciftercii obit. Coloris mutatio ab eo inducta.*
LXXVII. *Alberico fuccedit Stephanus. Pratenfes monachi in Ciftercienfes benefici.*
LXXVIII. *Mauriaci grande fcandalum.*
LXXIX. *Floriaci facta a rege manumiffio. Alia ab epifcopo.*
LXXX. *Dolotenfis ecclefia Majori-monafterio data.*
LXXXI. *Contentio de perfectiori ftatu vitanda.*
LXXXII. *S. Vitalis ecclefia Trenorchio afferta.*
LXXXIII. *Adelelmus eremita duo monafteria condis. Eftivalis & Nidi-avis monafteria.*
LXXXIV. *Guillelmus abbas Cormelienfis obit. Redonenfes abbates.*
LXXXV. *Alfonfi regis obitus, & benefacta. Monafteria ab eo condita.*
LXXXVI. *Ingulfus Crulanda abbas obit.*
LXXXVII. *Goisfridus ejus fucceffor locum inftauras.*
LXXXVIII. *Cantabrigienfem academiam inftituit.*
LXXXIX. *Aurelianenfium fcholarum celebritas. Mauriniacenfes abbates.*
XC. *S. Vedafti monafterium reformatur.*
XCI. *Ottonis epifcopi Bambergenfis prima facta. Monafteria ab eo condita.*
XCII. *Fuldenfes abbates, & S. Udalrici.*
XCIII. *Egino fit abbas S. Udalrici.*
XCIV. *Res ecclefiaftica & civiles.*
XCV. *Fabarienfium libertas afferitur contra epifcopum Bafileenfem.*
XCVI. *Arnaldo abbati Senonenfi fatisfacit.*
XCVII. *Floriacenfe concilium. Floriacenfibus ecclefia confirmata.*
XCVIII. *Hugo de S. Maria Floriacenfis monachus doctus, ejufque fcripta.*
XCIX. *Rotbertus abbas Molifmenfis Alpenfes & Balernenfes monachos reconciliat.*
C. *Rotbertus abbas obis.*
CI. *Wido ejus fucceffor. Rotberto epifcopo dat monafticum habitum.*
CII. *Stephani Ciftercii abbatis memorabile factum.*
CIII. *Bernardi corporis & anima dotes, & pericula.*
CIV. *Hinc mundum fugere cogitat.*
CV. *Guigo Cartufia prior quintus. Statutorum ejus fpecimen.*
CVI. *Clumaco reftituta ecclefia S. Columba. Confiaco data ecclefia.*
CVII. *Guibertus Lifiardo gefta Dei per Francos dicat. Lifiardi quadam fcripta.*
CVIII. *S. Angilberti miracula, & canonizatio.*
CIX. *Guillelmus Rotomagi archiepifcopus obit.*
CX. *Servis monachorum teftificandi poteftas afferta. Diogili cella.*
CXI. *Bernardus Tironienfis monafterium conftruit.*
CXII. *Principum ac Regum in eum beneficia.*
CXIII. *Monafteria Tironio fubjecta.*
CXIV. *Bonifacius abbas Conchenfis. Petrus epifcopus Pampilonenfis. Lerinenfes abbates, & S. Eugendi.*
CXV. *Conftantienfes ad Rhenum epifcopi.*
CXVI. *Bertholdus abbas Garftenfis, ejufque pia opera.*
CXVII. *Cremifanenfes abbates. Mellicio immunitas data. Alia res Germanica.*
CXVIII. *S. Guiberti Gemblacenfis elevatio.*
CXIX. *Lefcienfe monafterium inftauratur.*
CXX. *Fructuaria donatio Villa-nova confirmata.*
CXXI. *Grimoaldo abbati fuccedis Albericus.*

LIBER LXXII.

Ab anno Christi 1111. ad annum 1116.

I. P*afchalis a Cefare capitur. Heinrico inveftituras cedere cogitur.*
II. *Id improbat cum multis Bruno abbas Cafinas. Abbatiam abdicat.*
III. *Ivonis hac de re fententia.*
IV. *S. Vitoni monachi denuo vexati & pulfi.*
V. *Conradus quoque archiepifcopus exagitatur.*
VI. *Rupertus fcribit libros de divinis officiis.*
VII. *Adverfarii ejus multi. Guillelmus à S. Theoderico.*
VIII. *Guillelmus Campellenfis, & Anfelmus Laudunenfis.*
IX. *Gottis Augienfe monafterium conditur.*
X. *Senonienfi monafterio infeftus Herimannus comes fatisfacit.*
XI. *Metenfes & Tullenfes abbates. Dervenfibus facta donationes.*
XII. *Sugerius Tauriaci jura propugnat.*
XIII. *Elnonenfibus facta donationes a Rotberto comite. Rotberti Flandria comitis mors, & fucceffor.*
XIV. *S. Laurentii de Helliaco ecclefia varii ftatus.*
XV. *Nobiliaco afferta Frontiniaci ecclefia. Cafa-Dei Gazenolienfes ecclefia.*
XVI. *Aymericus abbas fit epifcopus Claromontenfis. Stephanus poft eum fit abbas.*
XVII. *Fontis-dulcis monafterii fundatio. Tenalia & Granateria monafteria.*
XVIII. *Gerardi de Salis vita initia. Grandis-*

silvæ monasterium.

XIX. *Raimundus monachus fit episcopus Massiliensis.*

XX. *S. Benigni abbates.*

XXI. *Paschalis concilium ad se purgandum cogit.*

XXII. *Pontificatum abdicare vult. Ejus apologia per Hildebertum. An merito culpatus a Baronio?*

XXIII. *Concilium Viennense ejus causa habitum.*

XXIV. *Goffridus abbas hac de re graviter scribit.*

XXV. *Leonis Ostiensis ultima facta, & obitus. Alberico abbati Casauriensi succedit Giso.*

XXVI. *Fructuariensibus commissa ecclesia in locis sacris.*

XXVII. *Clusensis abbas in Hispaniam missus.*

XXVIII. *Cluniaco datur monasterium in Hispania. Pontius abbas Ivonem consulit.*

XXIX. *Bernardus propinquos, aliosque Deo lucratur.*

XXX. *Gualdrici episcopi Laudunensis, ac civium cædes.*

XXXI. *Communitatum origo, & mala ex his secuta.*

XXXII. *Guibertus tractatum in Judæos edit.*

XXXIII. *Manichæi hæretici judicio aquæ probati.*

XXXIV. *Radulfo S. Theoderici abbati succedit Gaufridus.*

XXXV. *S. Nicasio Raminiaci ecclesia subjecta. S. Nicasii viri illustres.*

XXXVI. *Helgoto abbati S. Audoëni succedit Guillelmus. Cadomenses abbatissæ.*

XXXVII. *Floriaco remissæ exactiones.*

XXXVIII. *Andreas abbas Casalis-Benedicti obit. Ejus successores.*

XXXIX. *S. Sulpicii parthenon Redonis fundatur.*

XL. *Ejus cella, & abbatissæ.*

XLI. *Majori-monasterio facta donationes.*

XLII. *Tucionis monasterium conditur.*

XLIII. *Saviniacense item monasterium.*

XLIV. *Sithienses Cluniacensibus subjici detrectant.*

XLV. *Aquicinctenses abbates. Alvisus abbas.*

XLVI. *Sigeberti Gemblacensis obitus.*

XLVII. *Lacense monasterium conditur. Ejusque abbates.*

XLVIII. *Apud S. Gallum schisma de eligendo abbate.*

XLIX. *Robertus fit abbas Thornetensis.*

L. *Bernardus Cisterciium ingreditur. Novitius ut se gerit.*

LI. *Juliaci parthenii origo.*

LII. *Illuc Bernardi sociorum uxores se recipiunt. Juliacensium propagatio.*

LIII. *Petrus prior Juliacensis.*

LIV. *Bartholomæus fit episcopus Laudunensis.*

LV. *Guibertus abbas moralia in Genesim ei dicat.*

LVI. *Abaelardus Laudunum adit Anselmum auditurus. Parisiis docet.*

LVII. *Odo episcopus Cameracensis obit.*

LVIII. *Alulfus monachus Gregorialem componit.*

LIX. *Godefridus episcopus Ambianensis S. Dionysii cellam restituit.*

LX. *Godefridus ob turbas in Cartusiam secedit.*

LXI. *Firmitatis monasterium conditur.*

LXII. *Tironienses monachi in Angliam translati.*

LXIII. *Borneti monasterium conditur. Ebalus abbas Tastelensis.*

LXIV. *Beringerus abbas Rupertum Cunoni abbati commendat.*

LXV. *Rupertus Sigebergam se recipit. Gemblacenses abbates, & aliæ res Belgicæ.*

LXVI. *Gosvinus fit Aquicincti monachus. Wirnto abbas Formbacensis. Incorrupta cadavera. Dedicatio ecclesiæ Mellicensis. Eidemque facta donationes. Mellicenses abbates.*

LXVII. *Pontidæ Liprandus presbyter obit.*

LXVIII. *Sublaci gesta per Paschalem papam, & Johannem abbatem. Thaborenses monachi a Turcis cæsi.*

LXIX. *Radulfus fit archiepiscopus Cantuariensis.*

LXX. *Ernulfus post eum episcopus Roffensis.*

LXXI. *Crulandensis novæ ecclesiæ fundamenta jacta.*

LXXII. *Wlfii anachoretæ vitæ compendium.*

LXXIII. *Res Belgicæ. S. Georgii de Bacherevilla ecclesia in abbatiam erigitur.*

LXXIV. *Richardus Virdunensis electus obit. Laurentius S. Vitoni abbas restituitur.*

LXXV. *Pontii abbatis Cluniacensis iter Romam.*

LXXVI. *Molismensium lis cum monachis S. Petri-vivi.*

LXXVII. *Pontiniaci monasterium exstruitur.*

LXXVIII. *Dolonensis cœnobii primordia.*

LXXIX. *Liguriense parthenium conditur. Girardi de Salis elogium.*

LXXX. *S. Martialis abbates.*

LXXXI. *Varia de Kemperlegio & S. Sergio. Burguliensium duellum pro Coliberto.*

LXXXII. *Fontis-Gombaudi abbates, & monasteria combusta. S. Maxentii & S. Launomari abbates.*

LXXXIII. *Paschalis decretum de cella Gordanica pro Aniana.*

LXXXIV. *Canigonense monasterium Crassensi subjicitur.*

LXXXV. *Crassæ & Saviniaci abbates.*

LXXXVI. *Ceperanum concilium. Casinates a Saracenis cæsi.*

LXXXVII. *Belvacense concilium. Episcopum petunt Ambianenses. Judicium pro parthenone sancti Pauli.*

LXXXVIII. *Erminoldus fit abbas Prufeningensis.*

LXXXIX. *Monasteria imperialia & regia. Aliæ res Germanicæ.*

XC. *Godefridus episcopus e Cartusia venit ad Remense concilium.*

XCI. *Guibertus de eo sinistre sentit.*

XCII. *Synodi Remensis littera pro S. Amando. Alia concilii acta. Catalaunense concilium.*

XCIII. *S. Pauli cellæ altare.*

XCIV. *S. Crispino facta restitutio. Odo S. Crispini abbas.*

XCV. *Bernardus Claram-vallem construit. Abbas ordinatur.*

XCVI. *Claræ-vallis florens status.*

XCVII. *Morimundi abbatia conditur.*

XCVIII. *Robertus Cluniaco migrat Cisterciium.*

XCIX. *Molismo Nanciaci cella B. Mariæ data.*

C. *Castellaci cellam S. Apro cedunt Molismenses.*

CI. *Paschalis epistola pro S. Albino.*

CII. *Radulfo Cantuariensi pallium defertur. Turgotus episcopus obit.*

CIII. *Placentiæ apud S. Sixtum monachi feminis substituti.*

CIV. *Mathildis comitissæ donatio facta S. Benedicto.*

CV.

APPROBATIO.

JUssu illustrissimi Franciæ Cancellarii, *Annalium Benedictinorum Tomum quintum, opus posthumum viri clarissimi Domni Johannis Mabillonii*, legi, editioneque dignissimum judicavi: cum non solius Benedictini Ordinis, sed Ecclesiæ totius historiæ explicandæ plurimum lucis afferat. Lutetiæ Parisiorum 19. Martii 1713.

EUSEBIUS RENAUDOT.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maitres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Grand-Conseil, Prevost de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers & Officiers qu'il appartiendra, SALUT. Nostre bien amé CHARLES ROBUSTEL, Libraire à Paris, Nous a très-humblement fait remontrer qu'il a ci-devant fait imprimer, en vertu de nos Lettres de Privileges, les Livres qui ont pour titre, *Sermons des Missions*, par le Pere Lorior: *Prieres Chrétiennes en forme de Méditations : Exercices de pieté pour les trois Consecrations : Vies des Saints tant de l'ancien que nouveau Testament, avec des Reflexions : Consolation interieure*, ou *l'Imitation de Jesus-Christ : Année Chrétienne, & Reflexions des saints Peres sur l'Eucharistie : L'Histoire Ecclesiastique du Sieur de Tillemont : Histoire des Empereurs dudit Sieur de Tillemont : Jesus-Christ pénitent : Prieres tirées de l'Ecriture*, par le Sieur Treuvé : *Sermons sur les Dimanches : Vie des Riches & des Pauvres : Traité de la Flaterie & de la médisance : Les Ouvrages de Dom Mabillon* : mais que le temps que nous luy avons accordé par nos Privileges pour la vente & l'impression desdits Livres devant bien-tôt expirer, & qu'étant encore chargé d'un grand nombre d'Exemplaires, il auroit besoin de nos Lettres de continuation de Privilege, qu'il Nous a fait supplier de luy accorder, dans la crainte qu'il a qu'on ne les luy contrefasse. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Exposant, & ceux qui auront droit de luy, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Presentes, d'imprimer ou faire réimprimer lesdits Livres autant de fois qu'il voudra, de telles marges, caracteres, & gran-

deur qu'il souhaitera dans tout le Royaume, Terres & Seigneuries de nostre obéissance, pendant le temps de quinze années consecutives, à compter du jour & datte des Presentes. Faisons défenses à tous Libraires, Imprimeurs, & à toutes autres personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, de contrefaire ni imprimer lesdits Livres sous aucun prétexte que ce soit, en vendre ni distribuer aucuns Exemplaires contrefaits, en tout ou en partie, soit dedans & hors nostre Royaume, à peine de confiscation desdits Exemplaires, & de trois mille livres d'amende contre chacun des Contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'Exposant, & de tous dépens, dommages & interests, à la charge que ces Presentes seront registrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles, & que l'impression sera faite dans nostre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & de beau caractere, conformément aux Reglemens de l'imprimerie; & qu'avant de les exposer en vente il en sera mis deux Exemplaires dans nostre bibliotheque publique, un dans le Cabinet de nos Livres en nostre Chasteau du Louvre, & un dans la Bibliotheque de nostre très-cher & feal Chevalier, Chancelier de France, le Sieur Phelypeaux Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres; le tout à peine de nullité des Presentes, du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouïr l'Exposant ou ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble & empêchemens. Voulons que la copio desdites Presentes, qui sera imprimée au commencement ou à la fin de chaque Exemplaire desdits Livres, soit tenuë pour dûment signifiée; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers-Secretaires, foy soit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles tous actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Chatre Normande, & autres Lettres à ce contraires : CAR tel est notre plaisir. DONNE' à Versailles le vingt-uniéme jour de Mars, l'an de grace mil sept cens onze; & de notre regne le soixante-huitiéme. *Signé*, Par le Roy en son Conseil, LAUTHIER.

Registré sur le Registre numero 3. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 154. numero 163. conformément aux Reglement, & notamment à l'Arrest du 13. Aoust, 1703. A Paris le 15. Avril 1711. *Signé*, DE LAUNAY, *Syndic.*

Permissio R. R. Superioris Generalis Congregationis Sancti Mauri.

NOs Frater Arnulfus de Loo, Superior Generalis Congregationis S. Mauri, Ordinis sancti Benedicti, facultatem concedimus charissimo fratri nostro Domno Renato Massuet, ejusdem Ordinis & Congregationis presbytero & monacho, in lucem edendi tomum quintum Annalium Ordinis sancti Benedicti, opus posthumum Domni Johannis Mabillon, a viro clarissimo & eruditissimo Domino Eusebio Renaudot, jussu illustrissimi Franciæ Cancellarii examinatum, & approbatum. In cujus rei fidem has litteras propria manu subscriptas, & a Secretario nostro subsignatas, dedimus. Parisiis in monasterio S. Germani a Pratis, die tricesima-prima Martii, anno Domini millesimo septuagesimo decimo-tertio.

F. ARNULFUS DE LOO.

De mandato R. P. Superioris Generalis,
F. NICOLAUS DOE', *Secretarius.*

ANNALES

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI
OCCIDENTALIUM MONACHORUM
PATRIARCHÆ.

LIBER SEXAGESIMUS TERTIUS.
Ab anno Christi 1067. ad annum 1071.

ANN. CHR. 1067.

I. Florentini episcopi causa igne probata.

EFFERBUIT usque ad annum insequentem millesimum sexagesimum septimum inter Florentinos [a] seditio; eoque prorupit, ut, civitate in duas factiones divisa, alii in alios mutuis cædibus conflictarentur. Sed tandem inter eos convenit, ut e Vallumbrosano monasterio accerseretur venerabilis abbas Johannes, cujus judicio hæc contentio finiretur. Nec mora, vir sanctus Florentiam adit, tum pseud-episcopum convenit, urgetque ut crimen agnoscat, ut tanto scandalo finis demum imponatur. At ille factum negare pergit. ideo Johannes ignis probatione rem dirimendam censuit. Placet utrique parti sententia. Eligitur ad eam actionem Septimianum cœnobium, septimo ab urbe milliario distans. Illic duæ strues lignorum, utraque decem aut duodecim pedum, altrinsecus juxta se in longum dispositæ exstruuntur, relicta in medio intervallo unius brachii semita, & ipsa strata siccis lignis, igni concipiendo maxime idoneis, per quam unus homo transire posset, ut veritas erueretur, si pertransiret illæsus. Mox utraque pyra succenditur: flammæ in multa volumina glomerantur. Tum Johannes Petro discipulo suo præcipit, sacra ut mysteria peragat, exutusque dein casula, Dei misericordiæ confisus, inter utramque pyram pertranseat. Ingreditur Petrus fide succensus ardentem rogum, transitque omnino illæsus. Quo facto stupefacti omnes, unanimi consensu simoniacum episcopum condemnant, & sede Florentina extrudendum conclamant. Epis-

[a] V. lib. 62. n. 3. & 4.

ANN. CHR. 1067.

tolam de toto hoc negotio scripsere Florentini ad Alexandrum papam, quam Baronius ad annum M LXIII. referendam putavit. Ast eam ad hunc annum differendam esse discimus ex codice bibliothecæ sancti Remigii Remensis, in quo hæc epistola habetur sub hac inscriptione: *Incipit textus miraculi, quod Dominus ad destructionem simoniacæ hæresis operari dignatus est in episcopatu Florentino, anno ab incarnatione sua millesimo* LXVII. *mense Februario, feria quarta prioris hebdomadæ in quadragesima.* Consentit epistola Florentinorum, in qua id factum legitur feria quarta primæ hebdomadæ quadragesimæ, sed mense haud designato. Johannes-Baptista Marus mensem Februarium itidem habet in notis ad librum tertium Victoris, sed fallit in assignando ejus mensis die decimo sexto, qui nec anno M LXIII. nec M LXVII. sed anno M LXV. convenit. Prima quadragesimæ hebdomada concurrebat cum mense Februario anno M LXVII. quo anno pascha in octavum Aprilis, non anno M LXIII. quo in vicesimum ejusdem mensis incidebat. Hanc historiam itidem retulit Victor III. in libro tertio Dialogorum.

Hinc multa in existimatione fuit Petrus ille monachus, Johannis abbatis discipulus, qui ex hoc facto Igneus cognominatus est, ac demum Albanensis episcopus creatus, clarus quoque legationibus in Germaniam & in Gallias, dum Heinricus IV. & Rodulphus de imperio decertarent, eo ipso tempore superstes, quo Victor III. hæc scribebat. Post mortem, quæ VI. idus Januarii, anno M LXXXVII. accidit, apud suos Vallumbrosanos humari voluit.

Petrus Igneus.

II.

Petrus pseudepiscopus resipiscit.

Quod attinet ad Petrum illum simoniacum episcopum, auctor est Victor III. cum demum resipuisse, & pœnitentia tactum *sub sanctæ conversationis regula* reliquum vitæ tempus exegisse. At quando Florentina sede cesserit, non ita exploratum. Si Ughelli [a] tabulis fidere licet, post Petri simoniaci depositionem Alexander pontifex alteri Petro, viro venerabili & catholico, Florentinam ecclesiam regendam attribuit: verum quod ait post Baronium, illius Petri depositionem anno M LXIII. factam esse, falsum esse patet ex iis, quæ modo a me allata sunt. Veri similius est, alterum Petrum esse illum, qui donationes parthenoni sancti Petri, quem Majorem vocant, a Florentinis factas confirmavit, datis [b] hoc anno litteris, quas Ughellus integras profert. Earum summa est, esse quamdam ecclesiam in honorem S. Petri, non longe » a Florentina urbe positam, Florentinorum sumtibus innovatam & decoratam, quam » ex canonicorum suorum consilio ancillarum Dei ordini committere cupiat, eam» que munificentia sua juvare, ut illic progressu temporis ancillarum Dei accrescat » numerus. Cum vero nec ipse ad id omnino sufficeret, divina miseratione contigisse, » ut quædam potens ac nobilis matrona, Gisla nomine, multa de prædiis suis prædicto » venerabili contulerit loco, in quo quatuor filias suas sanctimoniales omnipotenti » Deo servituras obtulerit: cujus donationem in præsentia Gottifredi ducis & mar» chionis, atque Gregorii Vercellensis episcopi & regis cancellarii confirmavit. quod etiam ejus rogatu præstitit Alexander papa diplomate [c] dato Laterani XI. kal. Junii, anno ab incarnatione M LXVII. indictione V. quod diploma *carissimo fratri Petro Florentino episcopo* inscriptum est. Post annos sex Rainerius Florentinus [d] præsul ejusdem loci possessiones auxit; statuitque, ut de ejusdem monasterii congregatione abbatissa eligatur. Hactenus idem monasterium perstat Ordini nostro addictum, nunc muris urbis inclusum.

a *Ital. sac. tom.* 3. *p.* 97.

S. Petri monasterium Florentiæ.

b *ibid. p.* 98.

c *ibid. p.* 100.

d *ibid. p.* 101.

III.

Willelmus Belli monasterium condit.

Cum Willelmus dux Normannorum Angliam in potestatem suam redegisset, & Londoniæ in natali Domini coronatus fuisset, mox de exsequendo voto quod in procinctu pugnæ de construendo monasterio fecerat, cogitare cœpit, ejusque operis curam [e] Willelmo Fabro, Majoris-monasterii monacho, qui olim in sæculo ipsi servierat, tumque in ejus comitatu erat, commisit, cujus consilio illud monasterium in honorem sancti Martini dedicari curavit. Nec mora conducti artifices monasterii fabricam aggressi sunt ipso in loco, ubi prælium commissum fuerat, illudque Belli vocabulo in rei memoriam rex insigniri voluit. Loci ariditatem causatus Willelmus Faber, monasterium in loco aptiori construendum suggesserat; at restitit princeps pollicitus se daturum operam, ut magis ei vini abundaret copia, quam aquarum in alia præstanti abbatia. Faber itaque opus acceleraturus, Majus-monasterium ocius adiit, indeque quatuor monachos, scilicet Tedbaldum cognomento Vetulum, Willelmum *Coche*, Rotbertum de Bolonia, & Rotbertum Blancardum, viros religione insignes, qui operis adjutores essent, secum in Angliam

e *Monast. Angl. tom.* 1. *p.* 311.

abduxit. Hoc monasterium positum erat in agro Suffexiensi, in loco *Hethelande* dicto, Orderico *Senlac*, ubi prælium, ut dixi, commissum fuerat; idque non modo in facti monumentum rex institui voluit, sed etiam in memoriam eorum, qui in illa pugna occubuerant, ut scilicet pro eis in perpetuum preces & hostiæ salutares Deo illic offerrentur.

ANN. CHR. 1067.

Dispositis ad construendum monasterium omnibus, rex ad componendum regni statum applicavit animum; & nobiles Anglos beneficiis sibi conciliare studuit. Tum in Neustriam reversurus, Willelmo [a] Osberni filio rei bellicæ, Odoni episcopo fratri suo rerum ecclesiasticarum curam commisit. Dehinc oceano transmisso, in Neustriam venit ipsis quadragesimæ diebus, quos ejus adventus in paschalia gaudia commutavit. Ad Fiscamnense sanctæ Trinitatis profectus monasterium, pascha ibidem cum frequenti curia celebravit. Inde ad monasterium super Divam, quod jam dudum a Lescelina comitissa exstructum fuerat, accessit, interfuitque illius basilicæ dedicationi, quæ kalendis Maii in honorem beatæ Mariæ facta est. Non dubitem, quin tunc lustraverit utrumque Cadomense monasterium, quod nuper ipse cum Mathilde uxore construxerat. Altero post mense, id est kalendis Julii, ecclesiam sanctæ Mariæ apud Gemeticum dedicari curavit a Maurilio archiepiscopo, cui celebritati & ipse adfuit. Utraque ecclesia ab eo large dotata.

IV. Ejus reditus in Neustriam, & gesta.

a Orderic. lib. 4 p. 506.

Non diu post hanc dedicationem superstes fuit Maurilius archiepiscopus e nostris, quippe qui insequenti mense, nimirum v. idus Augusti, ad Deum, cui diu piissime servierat, migravit. Is in extremo agone positus, dimidia fere die pro mortuo habitus, dum in ecclesiam jam jam deferendus esset, ad se reversus adstantibus dixisse fertur, se a dæmonibus territum fuisse, quod *veniales culpas confessione* non diluisset, hisque dictis spiritum emisisse. Hæc Albericus in Chronico. Corpus ejus in majori ecclesia, quam ipse ante annos quinque consecraverat, ante crucifixum honorifice conditum est, cum epitaphio cupri laminis litteris aureis insculpto, quod Richardus Herluini filius, ejusdem ecclesiæ canonicus, composuit in hunc modum.

V. Maurilio archiepiscopo succedere Lanfrancus recusat.

Humani cives, lacrymam nolite negare
Vestro pontifici, Maurilio monacho.
Hunc Remis genuit, studiorum Legia nutrix
Potavit trifido fonte philosophico.
Vobis hanc ædem cœptam perduxit ad unguem,
Lætitia magna fecit & encenia.
Cum tibi, Laurenti, vigilat plebs sobria Christi,
Transit, & in cælis laurea festa colit.

Vir fuit, si quis alius, pietate & sanctitate insignis, qui in pontificali dignitate monachi modestiam & exercitia retinuit. Corpus ejus *miraculo, ut aiunt, divino*, tribus pedibus altius supra terram elevatum est. Ita Albericus. Locum habet in martyrologiis Gallicano & Benedictino: sed tamen neque in Rotomagensi ecclesia, neque Fiscamni, ubi monasticam professus est vitam, ullo publico cultu honoratur. Eo mortuo, Rotomagenses canonici Lanfrancum Cadomensem sibi præsulem elegerunt, ejusque electioni rex Willelmus cum suis optimatibus, & universo populo ultro assensus est. At vir modestissimus [b] *tanti primatus sarcinam refutavit, & sibi ad hunc apicem Johannem Abrincatensium præsulem præferri satagit.* Inter ea Willelmus rex, dum in Neustria moraretur, ejus tranquillitati [c] sollicite prospiciebat, justis legibus ferendis, & rectis judiciis sanciendis; optimosque duces & rectores per singulas provincias constituit. Monasteriis etiam paterna caritate providit, eaque regiis privilegiis ab injustis exactionibus liberavit; & sub finem hujus anni in Angliam reversus est; ubi multos conflictus cum seditiosis & rebellibus sustinuit, de quibus hic agere non est nostri instituti.

b Orderic. ibid. p. 507.
c ibid. p. 509.

Paullo ante Maurilium fato functus est Gervasius Remorum archipræsul, in Ordinem nostrum munificus, qui eximium fidei suæ argumentum dedit in extremis, cum sacrum viaticum perciperet. Id ex codice ecclesiæ Remensis, conscripto ab Odolrico præposito, qui rei gestæ interfuit, totidem verbis referre juvat. *Anno episcopatus domni Gervasii XII. nondum finito, sed in ipsis idibus* [d] *Octobris, si viveret, finiendo, III. kal. Julii, festivitate sanctorum Petri & Pauli ad vesperum aggravatus infirmitate, qua post sexto die mortuus est, prædictus domnus Gervasius archiepiscopus fecit*

VI. Gervasius Remorum præsul obit.

d V. supra lib. 60. n. 64.

ANN. CHR. 1067.

ad se fratres & canonicos convocari, qui tunc inveniri poterant. quibus accersitis & praesentibus credulitatem suam aperuit, &, ut vere catholicus, confessionem suam fecit; sicque postea communicavit de sacrificio altaris Domini. Nobis quoque, ut ei ante Deum testes fuissemus, quod idem vere corpus & sanguinem credidisset, injunxit, & postulavit. Post hæc, ut in eadem membrana legitur, admonitus, ut ecclesiæ Remensi ob damna ab ipso illata faceret satis, *vadium dedit Odolrico præposito*, promisitque, se, si superviveret, omnia emendaturum. Idem etiam promissum fecit Herimaro sancti Remigii abbati. In eodem codice Gervasius multa Remensi ecclesiæ ornamenta contulisse dicitur, quæ omnia recensentur; insuper *fratribus ecclesiæ Remensis* ad » anniversarium suum faciendum dedisse quatuor molendinos bene instructos ad » Duos-pontes super Vidulam; & sancto Remigio cambutam auream ponderis trium & semis librarum. *ad honorem Remensis archiepiscopi, semper ibidem mansuri* *. In veteri necrologio, quod in eodem codice habetur, IV. *nonas Julii decessisse perhibetur domnus Gervasius, archiepiscopus, qui dedit sanctæ Mariæ molendinos citra pontem, ad dividendum canonicis, quidquid inde exierit, in anniversario suo.* Hic dies convenit iis, quæ modo de ejus obitu retulimus. Ex bis patet falli Marlotum [a] qui eum IV. Aprilis obiisse dicit. Post ejus obitum Manasses simoniace pontificatum invasit, ex quo postea merito dejectus fuit. Unde in veteri indice archiepiscoporum Remensium, cujus prima manus in Gervasio definit, expuncto hoc Manasse, proxime subjicitur Rainoldus, & post eum Manasses secundus, qui prioris infamiam recte factis delevit. Manasses tamen ille prior à quatuor episcopis ordinatus fuit, sed tandem depositus anno M LXXIX. ut suo loco dicturi sumus. Guibertus malos ejus mores graphice depingit.

* *f.* mansuram

a Marlot. to. 2. p. 119.

VII. S. Martini de Campis dedicatio.

Hoc ipso anno Philippus rex ecclesiam sancti Martini de Campis, à patre suo Heinrico instauratam, dedicari curavit, & quidem IV. KAL. Junii, ut recens schedula habet. Ad hanc dedicationem convenit cum rege magna pontificum & procerum multitudo. Hi omnes subscripti [b] reperiuntur diplomati, quo idem Philippus donationes, eidem ecclesiæ à patre suo factas, confirmavit, addita nuper abbatia sancti Symphoriani & sancti Samsonis apud Aurelianos sita, cum media parte proventuum, qui ex nundinis, ab ipso in loco ipsius monasterii institutis, perciperentur. *Actum Parisius publice anno ab incarnatione Domini* M LXVII. *indictione* V. *anno regni Philippi regis VII.* Subscribunt post regem Hugo frater regis, Balduinus comes Flandriæ, tum Richerus Senonensis archiepiscopus, Gaufridus Parisiensis, Guido Ambianensis, Gualterus Meldensis, Hugo Trecensis, Rogerus Catalaunensis, & Ivo Saxensis seu Sagiensis episcopi; dein multi clerici, in quibus Milo decanus sancti Dionysii de Carcere, Engelardus abbas ipsius loci, scilicet sancti Martini de Campis, & Gislebertus prior, an etiam sancti Martini, ubi necdum monachi instituti erant. His subjuncti sunt Balduinus comes junior, filius scilicet Balduini Pii comitis Flandrensis, qui tertius subscripsit; Hugo comes Mellendis seu Mellentis; Willelmus Suessionensis & Rainaldus Turbulensis item comites. Præterea alios proceres, qui prædicto diplomati subscripserunt, in quibus *Engelramus pædagogus regis* locum habet; & post omnes Giraldus Ostiensis episcopus, & Rainbaldus apostolicæ sedis legatus, qui aliquando post alios subscripsit.

b Martin. p. 14.

VIII. Gerardus episcopus Ostiensis.

Si Giraldus seu Gerardus ille Ostiensis episcopus hoc anno prædictis litteris subscripsit, in hac dignitate successerat Petro Damiani ante ejus obitum, qui non ante annum M LXXII. contigit. Certe Petrus hanc dignitatem longe ante [c] abdicaverat, etsi Ostiensis episcopi titulo deinceps insigniatur; potuitque Gerardus in ejus locum substitui, cum ille constanter in sua abdicatione perseveraverit. Gerardus porro, natione Germanus, patria Ratisponensis, monachus ac prior fuerat Cluniacensis, post Petrum creatus ab Alexandro papa II. cardinalis episcopus Ostiensis, in Galliam [d] primum ab eodem, tum à Gregorio VII. in Hispaniam, postremo in Germaniam legatus; quo in munere ab Heinrico IV. dire exagitatus, & in carcerem conjectus; demum vinculis excussis, Romam reversus excessit e vivis Gregorii VII. pontificatu.

c V. lib. 61. n. 39.

d V. lib. 64. n. 13.

IX. Balduino comiti succedit Balduinus alter.

Quod attinet ad Balduinum Flandriæ comitem, cognomento Pium, seu Insulanum, qui prædicto diplomati tertius subscripsit, is tutor ac moderator Philippi regis necdum adulti ab Heinrico rege designatus fuerat, eoque munere recte perfunctus, sub finem hujus anni decessit kalendis Decembris, Insulis in templo sancti Petri ab se condito sepultus. Paullo ante obitum, penuriæ sancti Winnoci monacho-

rum compassus, suggerente conjuge sua Adela cum filiis suis Balduino atque Rotberto, totam decimam [a] Wormholti, aliasque sancto Winnoco, per manus Rumoldi abbatis concessit. Actum Bergis hoc anno in solemni curia pentecostes, adstante Drogone Tervanensi episcopo, qui *jussu comitis* hanc donationem excommunicationis interminatione firmavit in præsentia corporis sancti Winnoci. Litteris hac de re scriptis subscripsit post comitem, ejusque uxorem ac filios Eustachius comes Boloniæ, Rogerius de S. Paulo, aliique. Adela vero ejus conjux, Rotberti Francorum regis filia, post mariti obitum Romam profecta, ab Alexandro papa sacrum velamen accepit; indeque reversa, in Messinensi parthenone, quem ipsa condiderat, reliquum vitæ piissime peregit, marito tantum quadriennio [b] superstes. Successit patri in comitatu Balduinus alter, dictus Montensis. Hic cum Rotberto Frisio patruo suo, qui Flandriæ tutelam sibi ex fratris testamento asserere volebat, acre bellum sustinuit, quo in bello Philippum regem habuit adjutorem.

a Miræi Not. p. 192.

b V. Lotrium p. 106. & seq.

X. Floriaco asserta & data.

Balduinus Pius ejus pater adhuc subscriptus invenitur litteris Philippi regis, quibus Floriacensium nostrorum composuit querelas adversus quemdam Widonem, qui multas eis vexationes intulerat, extorquendo varias consuetudines in terra sancti Benedicti. Guido vero demum pœnitentia ductus, in conventu procerum coram Philippo rege se contra Deum & sanctum Benedictum peccasse confessus est: *cujus humilitatem agnoscentes abbas & monachi, pro amore mei*, ait rex, *quidquid inde foris fecerat, dimiserunt ei.* Hugo tunc Floriacensis monasterii abbas erat. Philippi regis litteris subscribunt Wido episcopus Ambianensis, Gaufridus Parisiacensis, tum Carnotensis, cujus nomen in membrana lacera deest, & Hadericus Aurelianensis; tum post Widonem de Monte-Leutherico & Wazelinum de *Chalnei*, Anna regina; dein *Balduinus consul, cujus regni providentia monarchia servabatur;* & post multos alios *Ingelramnus magister regis, & Marcellinus magister Hugonis fratris regis. Actum publice Meleduno anno ab incarnatione Domini* M LXVII. *regis Philippi VI.* [*] Balduinus cancellarius subscripsit.

* l. VII. vel VIII.

Eodem anno Willelmus rex Angliæ ac dux Normannorum pactum fecit cum Hugone Floriacensi abbate de ecclesia sanctæ Gemmæ & sancti Jacobi, quam olim Richardus dux Normannorum & Rotbertus ejus frater sancto Benedicto contulerant. Quia vero hæc ecclesia in confinio Normanniæ & Britanniæ sita erat, Willelmus sua interesse putavit, ut ad Normanniæ præsidium ibidem castellum exstrueretur. Ejus rei causa *leugam cum sanguine, & teloneo & mercato de Cruce*, à Ramnulfo abbate sancti Michaelis de Monte comparavit, multaque alia fecit ad illius loci augmentum & commodum. Horum mediam partem Hugo abbas & monachi Floriacenses ab eo obtinuerunt, ea lege ut unaquaque hebdomada pro « sua uxorisque ac filiorum salute & incolumitate missam unam celebrarent, & sem- « per unum pauperem pascerent; & post ejus obitum preces & eleemosynas pro illius « animæ refrigerio, tam Floriaci, quam in omnibus ejus cellis, persolverent. *Actum publice apud Redolium super Auduram* [*] *fluvium, mense Aprili anno ab incarnatione Domini* M LXVII. *regnante Philippo rege anno* VIIII. His litteris prævio signo crucis apposita sunt signa Willelmi regis Anglorum & ducis Normannorum, Mathildis conjugis suæ, Rotberti & Richardi ejus filiorum, aliorumque.

* l'Eure.

XI. Majori monasterio data ecclesia S. Machuti.

Eædem sunt chronicæ notæ litterarum, quibus Rotbertus de Sabulio [c] & uxor ejus Hadvisa conferunt Majoris-monasterii monachis collegiatam sancti Machuti ecclesiam ejusdem castri, ita ut decedentibus quatuor ejus canonicis totidem monachi « ibidem constituantur. Hanc autem eleemosynam faciunt pro animabus propinquo- « rum suorum, signanter pro anima Gaufridi, scilicet comitis Andecavensis, fratris « Hadvisæ; eamque fecit confirmari auctoritate Philippi regis Francorum, *dum esset* « *rex in obsidione castelli Calvi-montis, & Balduini cognati ipsius regis, filii Balduini comitis Flandriæ, & comitis Gaufridi, de cujus casamento erat; & uxoris ejus, nomine Julitta, & fratris ejus Fulconis; tum etiam Bartholomæi Turonensis archiepiscopi, in cujus erat archiepiscopatu, & ad quem singulariter cura tunc pertinebat Cenomanensis episcopatus, in quo post Wlgrinum episcopum nondum erat alius substitutus.* Testes adfuerunt Gaufridus episcopus Parisiacensis, Adhericus seu Hadericus Aurelianensis, Ivo Sagiensis, Baldricus *æquilibrator*, id est moderator regis, aliique majores regni officiales. *Data* VII. *iduum Augustarum anno* IX. *Philippi gloriosissimi regis. Actum apud castellum Calvi-montis, indictione* V. *anno ab incarnatione Domini* M LXVII. Annus nonus Philippi regis, in superiori & posteriori hoc instrumento notatus, desumendus est ab anno M LIX. quo rex a patre designatus fuit.

c Spicil. to. 13. p. 294.

V. Menage, Sablé p. 98.

ANN. CHR. 1067.

XII. Wlgrini episcopi obitus.

Ex hoc autem posteriori documento discimus Wlgrinum Cenomannensem episcopum, qui antea sancti Sergii apud Andecavos abbas fuerat, hoc anno defunctum fuisse: cujus depositio in necrologio Sergiano notatur VI. idus Maii. Sepultus est in capitulo monasterii sancti Vincentii in suburbio Cenomannensi. Post eum Arnaldus seu Ernaldus episcopatum adeptus est, ex Abrincatensi territorio [a] oriundus, nepos Rotberti celebris eo tempore grammatici, qui Cenomannensi ecclesiæ multa commoda doctrinæ & utilitatis contulit. Eo mortuo scholarum regimen habuit Arnaldus, primum Gervasii, dein Wlgrini pontificatu. Electus demum est episcopus a clero & populo, contradicentibus tamen nonnullis, propterea quod filius esset sacerdotis. Consultus hac de re Alexander papa rescripsit, quod in Christo spiritualiter renato generatio carnalis non posset officere, quo minus ad sacerdotium promoveri deberet, si nullus eo melior in ecclesia illa posset inveniri. Ejus tempore multæ rixæ fuerunt de comitatu Cenomannensi, qui ad Willelmum ducem Nortmannorum devolutus erat: quo in Angliæ rebus [b] occupato, Atto Italiæ marchio comitatum usurpavit.

a Analect. to. 3. p. 512.

b ibid. p. 314. & seqq.

XIII. Majori monasterio aliæ donationes factæ.

Exstat in Castro-Ledi apud Cenomannos ecclesia [c] sancti Guingualoëi, seu Wingualoëi, quam Gervasius, tunc Cenomannorum præsul, postmodum Remensis archiepiscopus, ejusque propinqui pro canonicis construxerunt, atque dotaverunt. Orto autem bello inter Gaufredum Andecavorum comitem, & dominum prædicti castelli, cum idem comes cuncta circumquaque ferro & flamma devastasset, res quoque illius ecclesiæ diripuerat, ita ut plerique e canonicis inopia hac illacque diffugere coacti essent; sicque divina illic officia negligentius celebrarentur: quod gravate admodum ferens Gervasius miles, ad quem ex parentum hereditate hæc ecclesia spectabat, eam in pristinum statum restituere statuit. Adhibito itaque procerum & amicorum suorum, necnon Ernaldi episcopi mox laudati consilio, hanc ecclesiam Bartholomæo Majoris-monasterii abbati commisit, ut in ea monachos canonicorum loco constitueret, qui illic die noctuque divino cultui deservirent: ut eorum precibus „ suffulti, tam Gervasius ipse quam parentes ejus Rotbertus & Elisabeth, uxorque sua „ Aremburgis, necnon ipsius avus Amelinus & avia Hildeburgis, ac Gervasius Remo- „ rum archiepiscopus, qui locum illum fundaverant, peccatorum veniam a Domino „ consequi possent. Hanc autem donationem Alexander papa, ejusdem Gervasii militis rogatu, confirmavit, diplomate dato Lucæ IX. kal. Octobris anno M LXVII. pontificatus sui anno VII. per manum Petri sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi ac bibliothecarii.

c Spicil. to. 11. p. 296.

Eodem anno Hugo de Roceto, qui ante aliquot annos ecclesiam sancti Martini de Belismo Majori-monasterio, quibusdam rebus exceptis, donaverat; idipsum, quod sibi retinuerat, eidem dedit, cum illic monachus factus est. Actum in eadem ecclesia *anno ab incarnatione Domini* M LXVII. *præsidente* Majori-monasterio *anno quarto domno Bartholomæo, mense Decembri*, VIII. *idus ejusdem mensis, præsentibus tunc ibidem atque hanc donationem suscipientibus nonno Odone tunc priore, nonnoque Beraldo ecclesiæ ipsi præposito; præsente quoque atque favente domno Ivone Sagiensi episcopo, de cujus erant ea omnia fevo.* Huic donationi eodem die obstitit Herveus de Breviareo, prædicti Hugonis propinquus, hac scilicet ratione, quod ambo inter sese pactum fecissent, ut qui prior eorum obiret, alteri res suas dimitteret. Sed tandem Herveus ille, agentibus Odone atque Beraldo monachis, accepta quadam pecuniæ summa, sub annuo censu factæ donationi acquievit, præsente eodem Ivone episcopo. quod etiam roboratum est signis Philippi Francorum regis, Hugonis Mellendis comitis, Balduini dapiferi, Galeranni camerarii, Guillelmi comitis Nivernendis, qui *ipso die filiam suam donavit Wiberto vicecomiti Cenomannorum.* Sicc rescebat in dies, Bartholomæo abbate, res familiaris Majoris-monasterii cum religione, cujus fama circumquaque diffundebatur, Cluniaco quodam modo æmula, ita ut nulla fere esset ecclesia, quæ alterutrius loci monachos habere non cuperet. quod ex consequentibus amplius manifestum fiet.

XIV. S. Florentio restituta ecclesia castri Salmurensis.

Hoc etiam anno sancti Florentii monachis restituta fuit ecclesia castri Salmurensis, quam seculares canonici occupaverant. Id quo pacto factum sit, ex veteri notitia [d] sic accipe. Glonnenses sancti Florentii monachi, destructo a Nortmannis suo monasterio, cum hac illaeque palabundi refugissent; demum in Salmurense castrum a Theobaldo comite cum sancti Florentii corpore admissi, novum inibi mo-

d Gall. chr. t. 4. p. 195.

nasterium construxerunt. Non multo post Fulco Andecavorum comes, cognomento Niger, obsesso Salmurensi castro, novum illud cœnobium injecto igne consumsit. Hinc ad proximam sui juris ecclesiam secedere compulsi monachi, Salmurensis castri ecclesiam, utcumque instauratam, ab Hucberto Andecavorum episcopo reconciliari curarunt, & à sex monachis suis inhabitari, usque dum Gaufridus Martellus, prædicti Fulconis filius, castrum illud dono patris accepit. Interim sancti Florentii monachi cœnobium in alio quidem eidem castro proximo, sed quietiori ac secretiori loco construere cœperunt. Intercessit Gaufridus, eosque hortatus est, ut monasterium denuo intra castrum restruerent. At illi sibi nec salutiferum, nec tutum esse reposuerunt, in medio scilicet turbarum versari, ubi sua omnia jam bis consumsisset incendium: quod non probans Gaufridus, canonicos in castro loco monachorum constituit. Injuriam sibi factam dolentes monachi, nihil tamen ab eo extorquere potuerunt, dum ille ad extrema perductus, ductusque pœnitentia, si qua hujusmodi errata commisisset, partim ipse correxit, partim suis corrigenda mandavit. Eo mortuo, ipsius nepotem & honoris heredem Gaufridum, cognomento Barbatum, iridem convenerunt monachi, placitoque publico coram Eusebio Andecavensi episcopo, & eodem comite, aliisque illarum partium primoribus habito, factam sibi conquesti injuriam, jus antiquum sibi reformari postularunt. Petitioni assensere omnes; nec tamen aliud præter Mauniacum villam cum ecclesia, ejusque adjunctis a comite obtinere potuerunt.

Post non multum tempus, & quidem hoc anno, Fulco Richinus, ejusdem Gaufridi germanus, fratre comprehenso, & in carcerem conjecto, Salmurensis castri factus est dominus. Hunc adeuntes canonici possessionem ipsam, quam solam ex toto jure suo monachi tum receperant, eis rursus auferri, sibi restitui petunt. Evenit tunc temporis, *ut apostolicæ sedis legatus Stephanus cardinalis, summa sedis auctoritate Gallicanarum correctionem procurans ecclesiarum*, ad prædictum castrum veniret. Adfuit etiam cum illo Bartholomæus Turonensis archiepiscopus, aliique complures utriusque ordinis viri nobiliores. In eorum audientiam admissi monachi querelas denuo iterarunt. Tandem omnimoda eis adjudicata restitutio: sed tamen exoratum, ut canonicis necessaria subsidia suppeditarent. quod facile illi annuerunt. *Acta & pacta sunt hæc apud cœnobium sancti Florentii, anno ab incarnatione Domini* M LXVII. *regnante Philippo rege anno* VIIII. *præsidente eidem cœnobio domno abbate Sigone anno* XII. *mense Martio & quinto ejusdem mensis.* Præmisso chrismo & litteris græcis A & Ω, Stephanus cardinalis & sedis apostolicæ legatus subscripsit cum Fulcone comite, *qui hæc monachis restituit pro anima Gaufredi avunculi sui, & sua, & parentum suorum.* His litteris item apposita sunt signa Bartholomæi archiepiscopi Turonensis, Warechi episcopi Namnetensis, episcopi Venerensis, Sigonis abbatis, Rademundi abbatis Dolensis, Vitalis abbatis sancti Gildasii, qui ambo erant ex diœcesi Bituricensi; Stephani abbatis Belli-loci, Frotmundi abbatis sancti Amandi seu Amantii, diœcesis Ecolismensis. quod monasterium Buxiense * dictum, ab Arnaldo Ecolismensi comite inchoatum [a], perfectumque est à Guillelmo ejus filio sub finem sæculi præcedentis. Perstitit Sigo abbas ad annum circiter M LXX. unde consequens est falsam esse chronologicam notam cujusdam instrumenti, in tomo primo Galliæ-christianæ [b] relati, in quo Willelmus abbas, qui Sigoni successit, anno M LXIV. a Gaufrido Parisiorum episcopo ecclesiam castri de Brueriis aliasque obtinuisse dicitur.

* de Boiss. [a] V. Gall. chr. to. 4. p. 37. [b] to. 1. p. 432.

XV. Dolenses abbates & Kemperlegienses.

Rademundus abbas Dolensis idem esse videtur cum Raymundo piæ memoriæ abbate, notato in brevi chronico [c] Dolensi, ubi anno M LXIII. obiisse dicitur, forte legendum M LXXIII. illudque monasterium magnopere exornasse. Raymundo successit [d] Petrus, Petro Guarmundus, creatus demum archiepiscopus Viennensis.

Eodem anno Conanus, Alani Britanniæ ducis filius, cum in Andecavos [e] armis irrupisset, subita morte interiit. quo item anno, post mortem Ingumarii abbatis Kemperlegiensis, factus est abbas Benedictus, frater Hoëli Cornubiæ comitis, postmodum episcopus Namnetensis.

[c] Labbe bibl. to. 1. p. 316. [d] id. to. 2. p. 741. [e] id. to. 1. p. 288.

S. Georgii abbatissæ.

Eodem anno Adela sancti Georgii apud Redonas abbatissa, de qua superius [f], ex hac vita migravit IV. nonas Martii, de qua hoc distichon ad ipsum diem:

Hoc Adela die sua solvit debita terræ:
Cum Genitrice Dei vivat per sæcula felix.

[f] lib. 36. n. 82.

ANN. CHR. 1067.

Ei successit Hodierna, soror vicecomitis de Dinanno, a Mainone Redonensi episcopo benedicta, cui post annos decem successit ad sexennium Theophania, eo nomine prima, benedicta a Silvestro episcopo Redonensi. Haud scio an proxime ei suffecta fuerit Adela II. Hoelli comitis Namnetensis, postmodum Britanniæ ducis, & Hadwisæ filia, quæ ultra medium sæculum duodecimum vixit. Hanc excepit Adela de Mathefelone, ex cujus stirpe tres aliæ abbatissæ processu temporis fuere in eodem cœnobio, quod primæ nobilitatis abbatissas & plurimas sanctimoniales illustres habuit, hactenus amplissimo virginum collegio nobilitatum.

XVI. Cluniaco datur Ajas insula & Excisum. * Chastaillon. * Aix.

Paullo ante hoc tempus Isembertus filius Eblonis, dominus Castri-Alionis * una cum uxore sua Clariscia, assentiente eorum filio Eblone, insulam Ajas * apud Pictones Hugoni abbati & Cluniacensi monasterio largitus est. Eamdem donationem Isembertus post mortem Clarisciæ conjugis suæ confirmavit una cum Gilberga secunda uxore & filio suo Eblone, eamque auxit, laudante Guidone Pictavorum comite, adductus fama Cluniacensis monasterii, quod *inter alias totius orbis ecclesias religionis observantia tunc florebat, tractusque odore unguentorum illius*, quæ ejus verba sunt, *ut tanta ecclesia beneficium*, id est communionem suffragiorum, *promereri posset*. Hujus rei testes recensentur ipse Hugo abbas Cluniacensis, Odo Angeriacensis, Ademarus Lemovicensis seu sancti Martialis. Tunc etiam Willelmus quidam & uxor ejus Aimeruz cum filiis suis ecclesiam sanctæ Geniveræ virginis & martyris, cum subjectis ei ecclesiis, Cluniaco itidem contulerunt. His litteris præsenti anno datis apposita sunt signa Hugonis vicecomitis, Odonis abbatis incerti loci, & aliorum. Quo in loco sita fuerit hæc ecclesia, non liquet.

* vulgo Eisses. * le Lot.

Denique hoc ipso anno Fulco quidam, filiique fratris sui Willelmi conferunt Cluniaco monasterium Excisum, *Exu* * vulgo nominatum, cum suis appendicibus, situm in pago Aginnensi ad Oltum * fluvium prope Villam-novam, in honorem sanctorum martyrum Gervasii & Protasii constructum, quod abbati & fratribus Moissiacensis cœnobii regendum committunt, quamdiu in subjectione monasterii Cluniacensis perstiterint. Exiense monasterium modo est sub congregatione sancti Mauri.

XVII. Angeriaci monacha Senegundis, & filii monachi. * Essovert. a Besly C. p. 445.

Dum Odo abbas Angeriacensi monasterio præesset, Aimericus, ejusque mater Senegundis, domina Mare-vallis, Angeriacensibus cesserunt quidquid habebant apud Exolvertum * in manu Odonis abbatis, anno Domini M LXVII. Jam ante id tempus hæc donatio facta fuerat ab eadem Senegunde, quæ, facto hoc dono, quoddam molendinum a ex ipso alodio suo, permissu Gaufridi abbatis, ad proprias necessitates retinuerat, ea lege, ut post ipsius obitum ad jus monasterii rediret. Tum *religionis habitum suscepit, & prope cœnobium sancti Johannis mutata veste diu permanens, de stipendiis monachorum assidue vixit*, & post decessum suum inter illos sepulta fuit. Dehinc Aimericus ejus filius, qui donationem probaverat, res donatas invasit; ast, agente Odone abbate, eas restituit, & cessionis chartam, acta in ea cruce, super altare posuit. Nihilominus idem Aimericus prædictum alodium denuo invasit: sed, cum apud Nobiliacum * gravi morbo decumberet, facti pœnitens, vocato ad se Odone abbate, ablata rursus restituit, & factus ilico monachus, inter monachos sepultus est. Hanc restitutionem ratam habuit Hugo ejus filius, qui & ipse monastico indutus habitu, *in cœmeterio monachorum humatus fuit.*

* Noaillé.

XVIII. Rotbertus Casæ-Dei abbas obit.

De anno, quo sanctus Rotbertus Casæ-Dei abbas ad cælum migravit, variæ sunt recentiorum sententiæ. At rem aperte definit Bernardus monachus in opere de ejus vita tripertito, in quo ait, eum decessisse XV. kal. Maii, tertio die post octavas paschæ, quod festum hoc anno M LXVII. in diem octavum Aprilis incidebat. Certe Hugo Flaviniacensis, auctor illorum temporum, hoc ipso anno Rotbertum ad Deum migrasse, & successorem Durannum designasse diserte tradit. Feria sexta ante dominicam in ramis palmarum, cum *in orientali collocutorio* Casæ-Dei, nonnullis fratribus sibi adstantibus, de rebus monasterii sermonem haberet, locum sibi sepulturæ ad portam monasterii cælitus designatum audivit. Insequenti hebdomada in vigiliis, aliisque divinis officiis peracta, sabbato sancto *infantes nobilium terræ illius virorum, ut mos eorum erat, illi ad baptizandum oblati sunt.* Verum, uno vix baptizato, febre correptus, uni e fratribus alios sacro fonte lustrandos commisit, *ceterisque sacris ab eo peractis*, ad lectum defertur. Sacro paschæ die nihilo minus, resumtis viribus, missarum sollemnia celebravit; iisque expletis, à fratribus imbecilla membra sustentantibus ad stratum suum deducitur. Ingravescente morbo, omnes fratres ad retinendam

nendam hortatus est caritatem, quæ eos in unum congregaverat. Propterea se majus altare *in præcipuo summi Dei nomine, quod est caritas*, consecrari curasse, ut istius cœnobii, membrorumque ejus caritas obtineret principatum; nec ullus tenacitati atque avaritiæ superesset locus. Si hæc servaverint, bona eis temporalia, ac demum gaudia æterna repensanda: si vero contra his defuerint, tribulationem & rerum omnium penuriam eos manere. Dehinc mortis suæ diem & horam prædixit: postea *inunctus*, in oratorium se portari fecit, ubi imago beatæ Mariæ, Christum infantem in gremio gestantis, aderat; ibique pastoralem baculum in brachia Christi deposuit, in hæc omnino verba: Jesu-Christe, Domine meus & Deus meus, a te baculum regiminis hujus loci suscepi; tibi, tuæque Genitrici eumdem trado, quos perpetuos rectores istius loci, in quantum ad me pertinet, volendo relinquo, & deprecando substituo. His dictis, *divinis Sacramentis* munitus, dato fratribus osculo, pueris in choro psallentibus & dicentibus, *Omnis spiritus laudet Dominum*, xv. kal. Maii, feria tertia post octavam paschæ, hora diei tertia, uti prædixerat, ad societatem angelorum migravit, deductus a sanctissima Christi Matre, uti Radulfo cognomento Passerono, ejus discipulo, in quiete revelatum fuisse tradunt Marbodus Redonensis præsul & Bernardus monachus qui ejus acta in litteras retulere, post Geraldum de Venna Casæ-Dei monachum, ipsius Rotberti capellanum. Humatus est octavo post obitum die in loco designato, corpore ejus vino prius abluto, & in corio cervino diligenter composito; retentis ejus vestimentis in gratiam præsentium & futurorum. Servatur adhuc in ecclesia Casæ-Dei pars superior baculi ejus eburnei, in modum litteræ T desinentis.

XIX. Ejus discipuli, successor & monasteria.

Mirum est, quanta fuerit Casæ-Dei sub sancto Rotberto abbate celebritas; ut intra viginti circiter annos, quibus locum rexit, ad trecentos numerus ejus discipulorum excreverit. Hi tum in principe illo monasterio, tum in cellis & monasteriis ei subjectis habitabant, quæ omnia *ordinem Casæ-Dei*, instar Cluniacensis & Majoris-monasterii, constituebant. His adde, quod sæcularium non modicam multitudinem verbo & exemplo ad vitam pie instituendam adduxit, & quod quinquaginta circiter ecclesias, quæ in solitudinem redactæ erant, instauravit. Ex discipulis ejus præcipui fuere Stephanus, quem ex milite vir Dei ad Christum convertit. Alius fuit Radulfus-Passeronus, ex villula sancti Silvani apud Arvernos, Murato opido proxima, oriundus, quem mimicæ arti addictum Christo lucratus est, cujus opera multæ possessiones monasterio provenerunt. Tertius exsistit Geraldus de Venna*, qui viculus est itidem apud Arvernos non longe a Budilione * castro. Hic beati Rotberti capellanus fuit, primusque ejus vitam & miracula, quod opus excidit, litteris mandavit, retulitque ad summum pontificem, Alexandrum II. an Gregorium VII. qui ejus memoriam solemni cultu celebrari sanxerit. Tot vero ac tanta fuere sancti Rotberti miracula, ut, cum innumerabilem hominum turbam ad ejus tumulum adducerent; majores monasterii zelo ferventiores, eum deprecati sunt, ut a patrandis deinceps miraculis cessaret, ne in posterum divina officia, ut tunc fiebat, interturbarentur. Interim cautum fuit, ne quis ad sancti Rotberti tumulum accederet; nec eis ulterius valvæ apertæ sunt, nec obsequia exhibita: sicque paullatim desiit inquietudo, *& succrevit sanctæ quietis religio.* His ejus discipulis accensendi sunt Durandus seu Durantus, ejusdem Rotberti in abbatiali regimine successor, & postmodum evectus ad sedem Claromontensem, ubi *ex privato genere* hominum illius urbis ortus erat; tum Adelelmus, electus post Durandum abbas, qui statim in Hispaniam ad regendam Burgensem abbatiam missus, locum fecit Seguino abbati, qui unus ex insignioribus beati Rotberti discipulis fuit. Præter hos omnes Casam-Dei in primis illustravit Petrus Rogerii ibidem monachus, post varios dignitatum gradus tandem promotus ad summum pontificatum, dictus Clemens VI. Inter varias cellas & abbatias, quæ Casæ-Dei subjectæ fuere, eminent præ ceteris Mons-Albanus in comitatu Tolosano, a Johanne XXII. erectus in sedem episcopalem; ac Mons-Pilosus in Basilicata provincia regni Neapolitani, in qua cum aliquamdiu stetisset episcopalis sedes, exstincto postea episcopatu, jurisdictio ad abbatem Casæ-Dei devoluta fuit; sed postmodum ibidem restituta episcopalis sedes.

* *la Venne.*
* *Buillon.*

Quædam etiam virginum cœnobia eidem abbatiæ subjecta fuere, quorum unum, sancti Andreæ de Cumis* olim, postea de Valle-Dei * appellatum, vivente sancto

* *de Comps.*
* *de Vaudieu.*

ANN. CHR. 1067.

* Senoire.
* de Lugeac.

Rotberto condi cœpit. Situm est in diœcesi olim Claromontensi, modo sancti Flori, ad ripam Sinus-aurei * fluvioli. Primi ejus auctores Radulfus de Lauziaco *, filiique ejus Petrus & Bertrandus, necnon Radulfus abbas Brivatensis, qui ecclesiam illam sancti Andreæ Deo & domno Rotberto Casæ-Dei abbati contulerunt; eodemque tempore prædictus Radulfus de Lauziaco filium suum Bernardum Rotberto dedit. Paullopost Rotbertus comes Arvernorum & filius ejus Willelmus quædam prædia eidem loco dederunt propter amorem Audetæ comitissæ, prædicti Rotberti comitis uxoris. Item Rotbertus comes, & Guillelmus frater ejus sanctimonialibus de Cumis terram, quæ Inter-mentes vocatur, contulerunt. Mitto alias donationes eidem factas parthenoni seu prioratui, qui hodie quoque subsistit, Casæ-Dei subjectus, in quo beati Simonis Crispiacensis sponsa [a] monasticum habitum videtur induisse. Mitto etiam alias cellas Casæ-Dei subjectas, de quarum plerisque in consequentibus agemus.

a lib. 64. n. 99.

ANN. CHR. 1068.

XX. Henrici Germaniæ regis male facta.

ANno insequenti MLXVIII. ut in chronico Saxonico necdum edito legitur, Heinricus Germaniæ rex lascivienti adolescentiæ laxatis frenis, Saxonia ceteris imperii partibus prælata, principes despicatui habere cœpit, venationi ac ludicris, non justitiæ operam dare, omnia denique per fas & nefas agere. Unus apud eum in pretio & honore erat Adelbertus Bremensis archiepiscopus, qui in his omnibus adolescenti assentabatur, homo tantæ superbiæ, ut neminem sibi sanctitate parem existimaret, seque Petro apostolo potestate haud imparem diceret. Atque ut tantæ potestatis quoddam præberet argumentum, cuidam abbatissæ, quæ tunc ægrotabat, præcepisse dicitur, ut intra quindecim dies moreretur; non minorem ratus esse suam potestatem, quam Petri in Saphiram. Atqui tamen abbatissa intra quindecim dies illos convaluit. quod multum probrum archiepiscopo accersivit. Is erat consiliarius, quo Heinricus per abrupta vitiorum ferebatur, maxime in libidinem effusior, propria conjuge despecta. Quin etiam unicæ sorori suæ, quod flagitiorum pessimum est, haud pepercisse dicitur, *cui non profuit*, ait auctor, *quod imperatoris filia, quod ipsius ex utroque parente soror unica, quod sacro capitis velamine Christo fuerat desponsata.* Hæc videtur fuisse Adalheidis Gandersheimensis abbatissa, cujus paullo ante rogatu quamdam silvam [b] Heciloni Hildensheimensi episcopo concesserat. A stupris ventum ad cædes & homicidia, quæ ipsum toti imperio exosum reddiderunt. Talis fuit Heinricus quartus, quem adversarium infestissimum Gregorius VII. sustinuit, quem vero patronum ac fautorem simoniaci & incontinentes clerici habuere. Unde Fridericus palatinus comes, Adelberti archiepiscopi germanus, fratri regis gratiam plurimi faciendam esse suggerenti, respondisse traditur: *Vere cognovi, quod qui hujus regis familiariter habet gratiam, habere non poterit æternam vitam.*

b Annal. Paderborn. p. 551.

Tegernsenses abbates.

Tantis flagitiis ac male-factis id insuper addidisse dicitur, quod episcopos non pro meritorum qualitate, sed pro majori pecunia vel adulandi studio constitueret. Unde suspectum redderetur Bernardi abbatis Tegernsensis meritum, quem hoc anno post mortem Seifridi ei loco [c] præfecit, nisi ipsius Bernardi recte facta ejus meritum comprobarent. Fuit is nobilis Suevus, idemque monasterium laudabiliter ac pie administrasse traditur, vetera instaurasse ædificia, nova erexisse, claustrum muro cinxisse. Eo post annos regiminis tres ac viginti defuncto, subrogatus itidem ab Heinrico Udalscalcus, frater comitis Sibothonis. Alios successores apud Hundium videre licet. nam piget abbatum, qui nihil memoratu dignum gessere, nuda nomina his annalibus inserere.

c Hund. to. 3. p. 392.

XXI. Johannis abbatis liber ad Agnetem.

d Analect. to. 1. p. 133.

Talia filii sui flagitia intolerabilia erant Agneti augustæ, quæ ut ne oculis ea proprius cerneret, jam dudum aulæ se subtraxerat, & Romæ plurimum versabatur, nempe in monasterio sanctæ Petronillæ. Hæc dudum a Johanne [d] abbate, & quidem, ut videtur, Fiscamnensi, petierat, ut ex Scripturis & sententiis patrum colligeret breves quosdam sermones, in quibus ipsa facile disceret normam bene vivendi. Fecit ille quod rogatus erat: atque insuper sermonem addidit de vita & moribus virginum, *ad instruendas sanctimoniales, quæ in tuo*, inquit, *monasterio congregatæ sunt.* Et quia eam actibus misericordiæ deditam compererat, illam monet, ut, *non ecclesiasticis divitias multas possidentibus, sed viduis, orphanis, infirmis, peregrinis, illisque permaxime, qui vere sunt pauperes Christi*, eleemosynas suas dispenset. Sub finem

præfationis petit admoneri eos, si qui ipsius libellum habere cupierint, ut eum diligenter transcribi curent, nec aliquid addi, vel subtrahi, aut immutari patiantur. & in fine: *Ego Johannes, ultimus servorum Christi, & qui mecum sunt fratres, beatitudinem tuam salutamus in Christo, pia mater pauperum, & nobile decus viduarum.* Sequuntur libri duo, varias preces continentes, ex quibus nonnullas apud sanctum Anselmum videre licet.

ANN. CHR. 1068.

XXII. Anselmus Guibertum instituit. [a] Guib. lib. 1. vita sua c. 16.

Jam vero quando Anselmi incidit mentio, succurrit id, quod Guibertus, Flaviacensis tunc monachus, de eo [a] commemorat, nimirum se eum in studio sacrarum Scripturarum præcipuum habuisse incentorem, virum doctrina incomparabilem, & vita sanctissimum: qui, cum Beccensis cœnobii prior esset, ac deinde abbas, ipsum Guibertum in suam familiaritatem admiserat, & vixdum adolescentem super regimine corpusculi sui ac rationis informaverat, subinde Flaviacum accedere solitus, ut de religione ac doctrina cum eo sermonem conferret. Ab eo doctore subdit se didicisse modum commentandi sacros libros secundum triplicem aut quadruplicem sensum; ac primum experimentum fecisse in expositione Geneseos, quam postea Bartholomæo Laudunensi episcopo nuncupavit.

Quædam ejus virtutes.

Cum vero Anselmus foras progredi pro monasterii sui negotiis cogebatur, quibus ob decrepitam ætatem Herluinus abbas vacare non poterat; equos & alia equitaturis necessaria privatim Anselmo subministrari pius abbas præceperat. At ille *ad nomen proprietatis inhorruit*, & quæcumque sibi ad iter faciendum parata fuerant, omnibus foras profecturis communia esse voluit. quod quidem tum ex concepta monastici voti religione oriebatur, tum ex innata quadam humanitate, qua ita, etiam in sæculo, comparatus erat, ut sua omnia in commune aliorum commodum libenter effunderet. Nec illud omittendum, quod oblata sibi quælibet, etiam auri & argenti, donaria numquam in proprios usus accipere voluit, sed abbati dari omnia ad communem fratrum utilitatem. Cum autem is, qui sua offerebat, ei soli concessa esse vellet: ille se talium opus non habere, nec a quoquam quidvis privatim se accepturum reponebat.

Hinc in tanta omnium æstimatione erat Anselmus, ut certatim ab aliorum monasteriorum abbatibus & monachis ad faciendum de rebus spiritualibus sermonem invitaretur, ejusque dicta pro sacris oraculis haberentur. Frendebat ad hæc invidia humani generis hostis, & quos occultis fraudibus ab ejus opinione avertere non valebat, manifesta increpatione id facere tentabat. Id patuit in quodam nobili milite, nomine Cadulo, qui plurimum viri Dei auctoritati deferebat. Hic quadam die, cum vigiliis & precibus insisteret, diabolum audivisse traditur sub voce scutarii sui, quasi omnia sua a latronibus diriperentur, jamque asportanda, ni citius accurreret, suggerentem. at ille nequaquam his motus est, *majus videlicet damnum deputans orationi cedere, quam sua perdere.* Id cum dæmoni non successisset, vertit se ad alias artes: de quibus miles Anselmum consulendum censuit, nihil curans ejus voces, quibus Anselmum hypocritam esse suggerebat. Venit itaque ad Anselmum Cadulus, eoque audito, abnegato seipso & sæculo, religiosæ vitæ se devovit, moxque in Majori-monasterio cucullam induit. Is enim erat in Anselmo propriorum commodorum neglectus, ut nulli umquam, qui monachus fieri vellet, suum alienis monasterium prætulerit; & quidem prudenter, ne, si aliquando in illo monasterio, quod ex alterius suggestione ingressus esset, male se haberet, id illius persuasioni imputaret.

XXIII. Godefridi futuri episcopi Ambian. nativitas.

Ad hunc annum revocanda est nativitas Godefridi, futuri Ambianorum episcopi; siquidem anno M C XVIII. quinquagenarius decessit. Ortus est parentibus maxime ingenuis & catholicis, Frodone & Elisabetha, qui in suo prædio pagi Suessionensis, vocabulo Moulicurte, degere consueverant. Forte ad eos aliquando divertit venerabilis Godefridus, monasterii sancti Quintini de Monte abbas, cujus superius [b] meminimus: qui ab eis honorifice exceptus, post multa de rebus sacris colloquia, quæ illi ex ejus ore attentis animis excipiebant, percontatur, num aliquem e liberis suis Deo jam obtulissent. Tum vero illi non sine lacrymis reponunt, se id necdum fecisse: duos vero tantum sibi esse filios, quorum alter Fulco, alter Odo dicebatur, sed jam sæculari militia implicatos: ceterum sibi toto decennio nullam editam fuisse prolem; jamque ætate provectis nullam spem habendæ sobolis deinceps superesse. Si tamen viri Dei precibus filium obtinere possent, se eum monasticæ professioni mancipaturos. Ad hæc ille, se unum ad id impetrandum imparem esse respondit;

[b] lib. 61. n. 11.

ANN. CHR. 1068.

aliorum servorum Dei preces ad id promerendum postulandas. Deum tamen illi precarentur, nec dubitarent, id quod cum certa fiducia peterent, se accepturos. His ultro citroque dictis, discessuro venerabili abbati duas vineas contulere, unam apud Morellicortem, alteram apud Cupheias, ad ejus monachorum usus: qui, monente abbate, pro duobus illis piis conjugibus preces & sacrificia cum jejuniis Deo offerre non destiterunt, donec Elisabeth filium enixa est. Ubi primum in lucem editus est infans, hunc parentes ad prædictum sancti Quintini monasterium deferunt, ab ipso Godefrido baptizandum, ejusque manibus e sacro fonte suscipiendum: cui ille nomen suum imposuit, dato parentibus mandato, ut eum sollicite enutrirent, utpote Deo aliquando ab ipsis offerendum.

XXIV. S. Vincentio Laudunensi data S. Gobani ecclesia.

Tunc temporis Laudunense sancti Vincentii monasterium quod Laudunensium episcoporum secunda sedes tum censebatur, eratque cœmeterium præsulum, canonicorum & nobilium, sub Regineto abbate ad egestatem ita redactum erat, ut monachorum solitum numerum minui necesse esset. Verum eorum inopiæ consulens Elinandus episcopus, ad Regineri abbatis preces, opportunum eis contulit subsidium, altare scilicet sancti Gobani: situm in Vadogiaca silva *, cum capella vici Selviaci *, alioque altari: ut ipsi monachi preces Deo fundant pro salute corporis & animæ suæ, suorumque successorum, necnon cleri sui, & omnium militum, omniumque illic bumatorum & humandorum. Actum incarnationis dominicæ anno M LXVIII. indictione VI. epacta XIIII. regnante Philippo anno IX. anno XVI. præsulatus Elinandi. Sancti Bobani * ecclesia conversa est in prioratum, qui locus vitrariæ artis officina nunc insignis est.

* de Voas. * Servay. » » » * S. Bobain.

XXV. Vindocinensium lis de cella Credonensi.

Cum Stephanus cardinalis in Gallia legati apostolici munere fungeretur, sancti Albini monachi eum adiere apud Salmurum, ubi eum anno superiori [a] versatum fuisse diximus, precati, ut causam de cella Credonensi, inter se ac Vindocinenses, jam non semel ventilatam, denuo expenderet. Respondit legatus se eos auditurum Burdegalæ, ubi proxime concilium esset habiturus. Convenere patres in illam urbem kalendis Aprilis. Prolatæ sunt, lectæque in synodo Hugonis Trecensis, & alterius Hugonis Nivernensis, necnon Walteri Meldensis episcoporum litteræ, quibus testabantur, rem in synodo Romana secundum Vindocinenses a Nicolao papa fuisse definitam. His auditis, legatus dixit non licere denuo retractari, quod Romanus pontifex semel definiisset. Hanc sententiam comprobavere synodi patres, scilicet Goscelinus Burdegalensis, Goderannus Santonensis, Guillelmus Engolismensis, Isembertus Pictavensis, Ragemundus Vasatensis, Quiriacus Namnetensis, Mengisus Venetensis, Iterius Lemovicensis, & Guillelmus Aginnensis. Non tamen huic judicio acquievere sancti Albini monachi, sed novam hac de re litem coram Gerardo [b] Ostiensi episcopo, itidemque legato, excitarunt. Hunc itaque convenere apud Carnotum Odericus Vindocinensis & Otbrannus sancti Albani abbates, flagitantes, ut litem hanc tandem componeret. Hac de re inferius.

a supra n. 12.

b V. supra num. 8.

XXVI. Alia lis de S. Aniano.

Ex superioribus colligitur, Archembaldum sancti Maxentii abbatem, jam tum dejectum fuisse sede Burdegalensi, ejusque loco promotum fuisse Goscelinum, qui prædictæ synodo Burdegalensi interfuit. Id amplius elucescit ex alio instrumento Vindocinensi, dato hoc anno mense Octobri, quo tempore Odericus Vindocini abbas Guidonem Aquitanorum ducem & Pictavorum comitem apud castrum [c] Surgerias * adiit, expostulaturus adversus comitis præpositum, qui terræ de sancto Aniano quæ cum omnimoda libertate Vindocinensibus concessa fuerat, varias exactiones imponebat. Impeditus alias comes, hanc causam *Archembaldo archiepiscopo jam deposito* atque Gosfrido de Rupeforti discutiendam commisit. Post varias altercationes, re infecta, denuo ventum ad comitem: isque donationem ab Agnete matre factam, & à Guillelmo fratre suo roboratam omnimode confirmavit, omnemque terram Vindocinensis monasterii, ubicumque sita sit, *ab omni consuetudine consulari*, id est consuli seu comiti debita, liberam penitus & exemtam esse voluit. Testes Odo abbas sancti Johannis de Angeriaco, abbas sancti Michaelis de Hero seu de Heremo, ut scribebant, aliique viri nobiles, & post eos *Archembaldus archiepiscopus de sancto Maxentio*.

c Besly comit. p. 447. Gall. chr. to. 1. p. 104. * Surgeres. »

XXVII. Agnes comitissa adhuc superstes.

Vixit ad hunc annum Agnes comitissa Pictavorum, mater Agnetis imperatricis, uti discimus ex quadam charta monasterii Vindocinensis, cui illa mediam [a] partem ecclesiarum & decimæ de Olona donavit. Litem hac de re intentavit Cadolo de Ta-

a Besly comit. p. 448.

lamonte: at mox lis sedatur. *Actum est hoc castro Talamonte, in camera ipsius Cadalonis, tempore Philippi Francorum regis, & Guidonis Pictavorum comitis, præsulante Pictavis Isemberto pontifice, venerabili autem Oderico monasterium Vindocinense fideliter & prudenter administrante; Agnete vero comitissa adhuc vivente, sed jam veste mutata, anno* M LXVIII. *ab incarnatione Domini.* Certe Agnes anno præcedenti superstes erat, præsensque aderat in curia Guillelmi Pictavorum comitis, filii sui, quando sententia lata est contra quemdam Wlgrinum, filium Ulgerii decani sancti Martini, exigentem iniquas consuetudines a monachis Majoris-monasterii apud Loratorium [a], qui locus tunc ad illos pertinebat, positusque est in confinio Turonum & Pictonum. Id actum anno M LXVII. paschalis hebdomadæ feria quarta, quæ illo anno in tertium idus Aprilis incidebat. Testes Isembertus Pictavorum episcopus, Hildebertus comes de Marchia, Hugo de sancta-Maura, multique alii. Decennio post apud Loratorium rixa contigit, in qua nepos Hugonis de sancta-Maura cæsus fuit. Interveniente Bartholomæo Majoris-monasterii abbate, statutum est ut Loratorii homines pro multa *decem libras denariorum Turonensium masculorum*, id est fortium, Hugoni persolverent, & monachi pro anima occisi ejus nepotis preces Deo funderent. Nunc Loratorii prædium est abbatis Majoris-Monasterii. Ceterum prædictæ Agnetis obitus notatur in necrologio Vindocinensi IV. idus Novembris in hæc verba: *Obiit Agnes Pictavorum comitissa, post sæcularem maritum Deo meliori marito copulata, vivens mundo mortua, post mortem felicius victura.*

Loratorii cella.

[a] *Loroir.*

XXVIII. Burgulio cella S. Porcarii data.

Cum Goscelinus Burdegalensis archiepiscopus in Pictavensi sancti Hilarii basilica quæ Major dicitur, thesaurarii officio fungeretur; ad eum accessit Raimundus [b] Burguliensis abbas, qui monasterio sancti Porcarii apud Pictones, non ut abbas, sed ut præpositus præerat; rogavitque Goscelinum ut hoc sancti Porcarii monasterium « Burguliensi abbatiæ conferret, ac cellæ nomine subjiceret. Annuit ille petenti, con- « sensu & jussu domini sui abbatis Gosfredi Aquitanorum ducis, & Isemberti Picta- « vensis episcopi, necnon beati Hilarii canonicorum, eo pacto, ut solitas consuetudines canonicis & ecclesiæ beati Hilarii persolverent. *Acta sunt hæc mense Majo, anno* VIII. *regni Philippi regis Francorum, &* XI. *Gosfridi ducis Aquitanorum, & ab incarnatione Domini* M LXVIII. *anno.* Subscribunt Goscelinus Burdegalensis archiepiscopus & thesaurarius beati Hilarii, Gosfridus dux Aquitanorum & Mathilda comitissa ejus uxor, Odo de Marchia, aliique permulti. Ubi observare convenit, Gosfridum ducem trinominem fuisse, dictumque Guidonem-Gosfridum-Guillelmum, qui abbatis sancti Hilarii titulo gaudebat, uti & alii Pictavorum comites, ex quo sancti Hilarii basilica a monachis ad sæculares canonicos transiit; eoque nomine reges Francorum eumdem titulum retinent, eumdemque pari jure in Turonensi sancti Martini basilica, a tempore Rotberti fortis. De sancto Porcario sancti Hilarii quondam abbate, cujus nomine prædicta cella insignita est, in primo horum annalium volumine [c] egimus.

[b] *Besly comites p.* 451.

[c] *lib.* 7. *num.* 55.

XXIX. Concilia tria.

Tria hoc anno concilia in Gallia habita fuere, præsidentibus Romanæ ecclesiæ legatis: unum Burdegalæ superius memoratum [d], cui Stephanus cardinalis ac legatus præfuit: alterum in urbe Ausciorum, præsente Hugone Albo cardinali, tertium Tolosæ sub eodem cardinale. Tolosani chronicæ notæ vitiatæ sunt in designando saltem anno Philippi regis. Hoc enim concilium habitum dicitur anno ab incarnatione M LXVIII. indictione VI. octavo anno Alexandri secundi, *secundo vero anno Philippi regis Francorum, ac tuitione Balduini Flandrensis comitis*, qui sub finem anni superioris decesserat, sed forte nuntium de ejus morte nondum ad illas partes pervenerat. quod argumento est istud concilium habitum fuisse initio anni M LXVIII. qui Philippi regis octavus a morte patris erat. In illo concilio decretum est, ut Lectorensis [e] ecclesia, quæ propemodum destructa erat, & in monasterium conversa, denuo in episcopatum reformaretur; ejusque conventus episcopus, nomine Raimundus, locum propriæ suæ sedis in illo monasterio poneret, & monachos ibi morantes religiose & secundum regulam sancti Benedicti vivere ut Do- « minus abbas constringeret, usque mortuis clericos probos substitueret. Adfuere « huic concilio cum Hugone cardinale Guillelmus Ausciensis archiepiscopus, & Aimo « Bituricensis; ex episcopis Durannus Tolosanus, Geraldus Caturcensis, Godemarus Santonensis, Gregorius Lascurrensis, Petrus Adurensis, Guillelmus Comvenensis, & ipse Raimundus Lectorensis, Bernardus Coseranensis, & Bernardus Aquensis.

[d] *supra num.* 22.

[e] *Lectoure.*

ANNO CHR. 1068.

Ex abbatibus vero Hugo Cluniacensis, Ademarus de sancto Martiale, Beraldus de sancto Ægidio, Raimundus Condomensis, Odo de sancto Johanne Angeriaco, Bernardus Massiliensis, Constantius de Clayraco, Raimundus de sancto Papulo, & Frotardus de sancto Pontio. Episcopi e nostris erant Guillelmus, cognomento de Monte-alto, archiepiscopus Ausciensis ex monacho sancti Orientii, de quo mox agemus, & Durannus episcopus Tolosanus, præter alios forte, quorum professio nobis ignota.

Eodem anno celebratum est aliud concilium apud Ausciam civitatem metropolitanam, tenuitque concilium prædictus Hugo-Albus cardinalis *cum bonæ memoriæ* Austindo archiepiscopo & omnibus suffraganeis suis episcopis, & abbatibus, atque magnatibus totius Wasconiæ. In hoc concilio statutum est, ut semper quartam partem decimæ unaquæque ecclesia suis sedibus persolveret. At Raimundus abbas sancti Orientii, de quo superius [a] actum est, huic decreto intercessit pro suo monasterio, in quo sanctus Orientius confessor sepultus fuerat, asserens, ejus ecclesiam, quæ per tot tempora ingenua & immunis fuerat, tali jugo submitti non debere. Assensere omnes, decretumque est, ut pristina illius ecclesiæ immunitas inconvulsa permaneret.

a lib. 61. num. 103.

XXX. Clariacum monasterium.

Clariacum vulgo Clairacum monasterium sancti Petri,, situm in diœcesi Aginnensi ad Oltum * fluvium, in amœnissima valle pagi Nitrobrigum, incertæ est originis. Ejus primordia referunt ad Carolum Magnum, sed nullo fundamento. Nihil de eo comperti nobis occurrit ante hunc annum, quo Constantius abbas prædicto Tolosano concilio subscripsit. Hoc monasterium pessum dedere Albigenses; ac demum hæretici nostri temporis penitus solo æquarunt. Ejus reditus ecclesiæ Lateranensi attribuit Henricus IV. rex Francorum, annuente cum paucis, qui illic supererant, monachis Johanne abbate, qui Romæ in ecclesia Lateranensi sepultus est. Alia est Clariaci abbatia sæcularis apud Benearnos, cujus sæpe meminit Petrus de Marca in historia Benearnensi.

* le Lot.

XXXI. Fratricidæ pœnitentia.

Per id tempus Alexander II. epistolam [b] scripsit ad Guillelmum Petragoricensem ac Durannum Tolosanum episcopos, atque ad Hugonem Cluniaci abbatem, in qua pœnitentiæ modum ei præscribit, qui fraternæ cædis, quamquam nolens, causa fuerat. Huic condignam pœnitentiam prædicti episcopi imposuerant: at cum ille Romam adiisset, eam moderandam censuit pontifex. Sed vide qualis moderatio: » Præcipit siquidem Alexander, ut, cum ille domum redierit, mediam partem to- » tius patrimonii sui pro fratris animæque suæ remedio pauperibus tribuat; alterius * » vero hereditatis suæ portionem pro eadem causa distribuat, usu-fructu suæ necessi- » tati reservato: &, sic ordinatis omnibus, *liber* in monasterium ingrediatur, ubi » per unum annum ejusmodi pœnitentia maceretur, scilicet ut a pentecoste usque » ad festum sancti Michaëlis bis in unaquaque hebdomada jejunet in pane & aqua: » dehinc usque ad quadragesimam tribus diebus jejunet similiter in pane & aqua, to- » taque quadragesima præter dies dominicos; & ut a corpore & sanguine Domini » toto triennio abstineat, nisi periculum mortis immineat. Ad hæc ut arma numquam » per totam vitam suam portet; conjugio usque ad peractam septem annorum pœni- » tentiam non utatur; ac demum sexta feria, donec vixerit, jejunet. Quis non hoc tempore crudelem vocet hanc moderationem? Vide sis aliam pœnitentiam [c] ab eodem pontifice impositam patri, qui filium non sponte occiderat.

b Alex. ep. 33.

* f. alterum.

c id. ep. 37.

XXXII. Cluniaco datæ ecclesiæ S. Stephani Nivernensis & Laudensis.

Ex his apparet, quanta fuerit fama non tantum sanctitatis, sed etiam doctrinæ Hugonis abbatis Cluniacensis, utpote ad quem pœnitentium crimina adjudicanda referebantur ab episcopis & ab ipso pontifice Romano. Unde non mirum quod tot ecclesiæ ejus tempore Cluniaco subjectæ fuerint. Ex his duæ hoc anno concessæ leguntur: una est sancti Stephani Nivernensis, quam ruinæ proximam Malguinus ejusdem urbis episcopus, Willelmus comes, & Hugo ipsius Nivernensis ecclesiæ decanus una cum Hugone vicecomite ac Leone ejus fratre, necnon Gauzberto mi- » lite, dono Gerardi clerici, qui unus e canonicis ecclesiæ sancti Stephani superstes » erat, Deo & sanctis apostolis Petro & Paulo ad locum Cluniacum, cui domnus Hu- » go abbas præerat, conferunt, remissis omnibus malis consuetudinibus, quas ab illa » ecclesia exigere solebant. Hanc ecclesiam hactenus possident Cluniacenses.

Eodem etiam anno Ingezo quidam, civis Laudensis in Lombardia, constructam ab se in ejus urbis suburbio, dotatamque sancti Marci evangelistæ ac sancto-

rum Fabiani & Sebastiani ecclesiam donat Cluniacensibus abbatibus, ut secundum ejus loci facultates monachos illic constituant, qui officium divinum regulariter viventes peragant, sicut ceteri monachi Cluniacenses: nec illius ecclesiæ reditus alio possint divertere; alias in potestatem heredum suorum reversuros.

ANN. CHR. 1068

XXXIII. Usercences abbates.

Haud dubie Cluniacenses fuerint tres illi nominatissimi monachi, quos Ademarus vicecomes adduxisse traditur in Usercense monasterium, quorum primus Guillelmus, cognomento Deva, Arnaci præpositus, tum Calesii prior & Figiaci abbas extitit: secundus Alcius, prior Lemovicensis: tertius Geraldus, quem Usercenses abbatem elegerunt post obitum Constantini, de quo alias [a] actum est. Hic, scilicet Geraldus, Usercensem ecclesiam bonis temporalibus & spiritualibus auxisse dicitur, eamque viginti-octo annis laudabiliter rexisse: quibus exactis apud Lemovices in monasterio sancti Martialis fato functus est die festo sancti Mauri, ibidemque humatus. Ibidem etiam post duos regiminis annos decessit ejus successor Gaubertus Malafayda, vir nobilis: cujus nepos Stephanus Malafayda monachus, cæcus a nativitate, qui in monasterio Soliacensi beatissimæ Virginis ope luce donatus est. Hæc fusius in chronico [b] Gaufridi Prioris Vosiensis.

[a] *lib.* 56. *n.* 49.

[b] *Labbe to.* 2. *bibl. p.* 288. *& seqq.*

Cella Barri ad Sequanam.

Hoc etiam anno Rainardus, cognomento Hugo, ex antiqua Barro-Sequanensium comitum stirpe ortus, parœcialem Barri-Sequanensis ecclesiam, a progenitoribus fundatam atque dotatam, in cellam erexit, eamque Tornodorensibus sancti Michaëlis monachis regendam commisit. Rem sacram facienti adfuere archidiaconi sex, Ewrardus decanus, & Gozelinus cancellarius, qui chartam conscripsit. Archidiaconorum princeps erat Gebuinus, Hugonis III. comitis Divionensis filius, post aliquot annos creatus archiepiscopus Lugdunensis. Hæc ex chronico Lingonensi, auctore Jacobo Vignerio Soc. Jesu. Tunc Tornodorense sancti Michaëlis monasterium rexisse videtur Angelbertus seu Engelbertus abbas post Rotbertum, cum hic Cellensis abbatiæ administrationem resumere coactus est.

ANN. CHR. 1069.

XXXIV. Petrus Damiani Heinrici divortio resistit.

Vix biennium erat, ex quo Heinricus Germaniæ rex Bertam, Ottonis Italiæ marchionis filiam, uxorem duxerat, cum divortium facere decrevit; atque ut id facilius exsequeretur, Sigefridum Moguntinum archiepiscopum, decimis in totam Turingiam, quas ille magnopere cupiebat, ei concessis, ad indicendum super ea re Moguntiæ conventum induxit. Interim, dum rei eventus exspectatur, Berta regina in Laureshamense monasterium secedere compellitur. Alexander papa, ea re comperta ex litteris ipsius Sigefridi, qui ab hoc divortio se abhorrere, vere an simulate, significavit; Petrum Damiani, virum [c] ætate & vitæ innocentia admodum reverendum, legatum in Germaniam ad impediendum divortium misit. Is Moguntinum archiepiscopum ab habendo concilio, Heinricum a faciendo divortio deterruit, rem pessimam, & a nomine christiano nedum regio alienam esse caussatus. Hæc fusius Lambertus, & alii. Constat post hæc reconciliatam utcumque reginam fuisse regi, qui ex ea Heinricum filium, futurum regni successorem, suscepit.

[c] *Lambert. in chron.*

Alexandri querelas patitur.

Re feliciter perfecta reversus in Italiam Petrus, cui Eugubina ecclesia commissa erat, amaras super ea ab Alexandro litteras accepit, quarum caussa non omnino explorata. Ad has rescripsit [d] modestissime, sed tamen validissime Petrus, peccatis suis deputans, quod Eugubina ecclesia, velut area, quæ pedibus conculcatur, abjecta sit. Hoccine esse, quod caussæ pontificis perorator tot conciliis adfuerit; tot legationes obierit, in quibus, quasi quidam caussidicus, pro eo declamaverat; quod in ejus hostes acriter invectus, eos represserit; denique quod tot pro eo labores ac pericula pertulerit? Agat ergo pontifex, ut is, qui læsit, condignam agat pœnitentiam; ut is, qui læsus est, non compellatur debitam exaggerare querelam. Mitiget ergo pontifex aceti mordentis acrorem, ne ipsi quoque aliquid duriusculum excidat. Hæc pluribus Petrus.

[d] *Pet. Dam lib.* 1. *ep.* 14

XXXV. Marianus Moguntiæ inclusus.

Marianus Scottus de se ipse scribit, se hoc anno, *jussu episcopi Moguntinensis & abbatis Fuldensis*, feria sexta ante Palmas, III. nonas Aprilis, post decem annos reclusionis suæ in monasterio Fuldensi, inde Moguntiam venisse, & in festo sanctorum Septem-fratrum secundo inclusum fuisse; eodemque anno, & quidem IX. kal. Decembris, novum sanctæ Mariæ monasterium consecratum fuisse. Quodnam sit istud monasterium, an ecclesia sanctæ Mariæ in Campis, nunc sanctæ

ANN. CRR. 1069.

Crucis dicta; an sanctæ Mariæ ad Gradus, nunc collegium canonicorum, nobis incompertum est, uti & locus, ubi reclusus fuit Moguntiæ Marianus, qui post mortem in sancti Martini cathedrali ecclesia sepultus est, non in sancti Albani monasterio, ubi veri simile videri possit eum reclusum fuisse.

XXXVI. Willelmus electus Hirsaugiæ abbas. a *lib.* 61, *n.* 107.

Interim Hirsaugiense monasterium pastore destitutum erat, Friderico abbate exauctorato. Unde Hirsaugienses rectore diutius privari noo ferentes, Willelmum sancti Emmerammi monachum, cujus superius [a] facta mentio est, communibus votis eligunt. Id ubi per eorum nuntios rescivit Willelmus, Dei voluntatem precibus ac jejuniis consulendam censuit. Dein professus est, se non alio pacto electioni factæ assensurum, nisi prius eidem mooasterio sua libertas restitueretur. Sub hac conditione Hirsaugiam venit v. kal. Junias hujus anni, nesciens injuriarum, ait Trithemius, quæ Friderico abbati illatæ fuerant. quas ut rescivit, Adelbertum comitem, qui ejus exauctorationis auctor erat, exhortari cœpit, ut innoxium virum suæ dignitati restitueret, nefas esse ratus, ejus locum, dum viveret a quoquam occupari. Tergiversaote comite, jam reditum ad suos parabat Willelmus: sed ab Hirsaugiensibus exoratus, in loco remansit, cum eo, ut, vivente Friderico, abbatialem benedictionem ab episcopo non susciperet. Is fuit Hirsaugiæ status ad annum sequentem, quo defunctus est Fridericus: sed tamen ad alterum annum Willelmi dilata benedictio est.

XXXVII. Augienses abbates.

Longe alius animus, aliique mores erant Meginwardi abbatis Hildinesheimensis, qui Augiensem abbatiam post mortem Udalrici abbatis hoc anno invasisse dicitur apud Lambertum, *patefacto in eam sibi per multam largitionem aditu.* Verum, cum se contemtum, & quidem merito, animadverteret, post annum & aliquot menses abbatiam resignavit; sicque locum fecit Ruperto abbati Babengergensi, sed ipso non meliori, qui ab Alexandro II. ob simoniæ crimen exauctoratus est, ut in consequentibus videbimus.

XXXVIII. Gorzensibus ecclesia Satanaci data. b *V lib.* 17. *n.* 2. * *Sonay.* c *Mir. not. p.* 95.

Tunc temporis Lotharingiam superiorem & inferiorem administrabat dux Godefridus, cognomento Magnus seu Barbatus. Is ecclesiam sancti Ragoberti [b] regis & martyris apud Satanacum *, quod nunc opidum est in confinio Lotharingiæ & ducatus Luxemburgensis ad Mosam, ejusdem sancti martyris corpore, multisque aliis sanctorum reliquiis illustratam dolens, omnino neglectam esse a canonicis, qui carnalem illic vitam agebant; *virum [c] boni testimonii & sanctæ conversationis Heinricum Gorziensem abbatem*, ejusque monachos, instinctu Beatricis coojugis suæ, *cum consilio domni Cuonradi, sanctæ Treverorum sedis archiepiscopi, in cujus diœcesi locus ipse situs erat*, aliorumque fidelium, eo convocavit, amotisque canonicis monachos substituit. *Actum Bulioni, anno dominicæ incarnationis* M LXIX. *indictione* VII. *regnante Heinrico, filio imperatoris Heinrici, anno regni ejus* XIII. His litteris subscribunt cum Godefrido duce & Beatrice ejus conjuge Godefridus Barbati filius, Heselinus & Fulco comites, aliique. Non diu post hæc superstes fuit Godefridus Barbatus, primum Gozeloni, patri adhuc viventi in ducatu Mosellano suffectus, tum eo spoliatus ab Heinrico imperatore, profectusque in Italiam, ubi Beatricem, Bonifacii Tusciæ marchionis viduam, secundis nuptiis uxorem duxit; ac demum in Galliam reversus, & in ducatum restitutus, post mortem sepultus est Virduni in monasterio sancti Vitoni. Ex priori conjuge habuit Godefridum Gibbosum, qui præmissis litteris subscripsit, Lothariogiæ inferioris ducem; & Idam Eustachii secundi Boloniensis comitis uxorem, Godefridi Bulionii matrem. Bulionius vero, Gibbosi avunculi sui honorem adeptus, ecclesiam sancti Dagoberti, ab Arnulfo comite occupatam, monachis Gorziensibus restituit. Porro ex priori illa donatione, quæ cum consilio Cuonradi Trevirensis archiepiscopi facta dicitur, colligere licet, ipsum Cuonradum, de cujus nece superius [d] actum est, ad hunc annum superstitem fuisse.

d *lib.* 62. *num.* 112.

XXXIX. Udoni Tullensi episcopo succedit Pibo.

Non alienum erit ab instituto nostro hic emaculare mendum, quod in chronicon Lamberti Scafnaburgensis irrepsit ad hunc annum, in hæc verba: *Tolosæ episcopus obiit, cui Bibo cancellarius successit.* qui locus ita restituendus est: *Udo Tulli episcopus obiit, cui Pibo cancellarius successit.*

Salvatoris monasterium Tulli.

Udo Pibonis aotecessor, memor beneficiorum, quæ a Brunone prædecessore suo acceperat, ab ipso quippe educatus & successor designatus, quoddam mooumentum, id est monasterium, io ejus memoriam & animæ remedium erigere coostituit. Erat in suburbio Tullensi quædam possessio ad Indense pertinens monasterium, ecclesia

clesia videlicet sancti Aniani, quam episcopi Tullenses jam pridem in suum dominium transferre cogitaverant nec potuerant: sed tandem Udo eam ab Heinrico tertio imperatore per legalem commutationem rerum sibi a parentibus relictarum, *laude & consensu Werrici abbatis* Indensis fratrumque omnium ejus loci, & ejus advocati Heinrici comitis palatini, in jus suum proprium vindicavit, ibique *ad memoriam & venerationem Salvatoris mundi, ob remedium animæ sanctæ memoriæ Leonis noni apostolici* cœnobium construere decrevit, & Salvatoris nomine abbatiam vocitari, ac ipsius loci præcipuam festivitatem celebrari voluit *in octavis pentecostes, in festo summæ Trinitatis.* Dein successores suos obtestatur, ut ne alterius Ordinis congregationem ibi constituant, nisi monachorum sub regula S. Benedicti viventium. Stationes quoque festivas ibidem instituit, quinta feria paschæ & pentecostes, & in festo sancti Johannis Evangelistæ post natale Domini. Hæ litteræ, chronicis destitutæ notis, relatæ sunt in Appendice novæ historiæ Gallicæ R. P. Benedicti Capucini, qui ait, non diu monachos nostri Ordinis illic perstitisse, sed ecclesiam illam ante mortem ipsius Udonis ad priorem statum rediisse.

ANN. CHR. 1069

Pibo ejus successor natione Saxonicus erat, parentibus claris, patre scilicet Theotmaro, & matre Duguerca * progenitus, ut in actis episcoporum Tullensium legitur; primum canonicus in ecclesia Halberstatensi, adeoque linguæ Tullensium ignarus. Hinc ingemiscens, quod populum sibi creditum patria lingua erudire non posset, *divinitus linguam Tullensium sexagenarius didicisse traditur.* Hic cum Conrado comite Jerosolymam profectus, voto se obligavit, se, si quando in Galliam rediret, monasticam vitam professurum. quod reipsa exsecutus est in Divionensi sancti Benigni monasterio, cui primo sui pontificatus anno altaria ab Udone concessa litteris suis confirmaverat.

* al. Udica.

XL. Selebiense monasterium conditur.

Tria hoc anno condita invenio nostri Ordinis monasteria. Primum Selebiense in Anglia, duo alia in Gallia, scilicet sancti Martini in pago Vilcassino prope Pontisaram, & Monasterium-novum apud Pictavos. Selebiensis primordia discimus ex auctore [a] anonymo, qui sub finem sæculi duodecimi libros duos de illius monasterii origine & progressu composuit. Sita est Selebia super ripam Usæ fluminis, ad australem plagam Eboracæ civitatis, ab eaque distans spatio milliarium circiter decem, silvis undique ac nemoribus coronata. Illuc se contulit Gallus quidam monachus, Benedictus nomine, ex Autissiodorensi monasterio sancti Germani ejusdem urbis episcopi, cujus digitum furtim secum asportavit. Cum aliquandiu illic sub tentorio constitisset, exstruendo in honorem sancti Germani oratorio subsidia ei subministravit Hugo vicecomes Eboracensis, qui locum etiam a Willelmo Anglorum rege ad condendum monasterium obtinuit. Fratrum conventu illic adunato, Benedictus, volente ac jubente rege, a Thoma seniore Eboracensi archiepiscopo abbas ordinatus est, rexitque monasterium annis viginti-septem, quibus exactis, orta inter fratres discordia, loco cessit, ut fusius suo loco exponemus. Prædictus anonymus ait raros tunc fuisse in illis Eboracensibus partibus monachos, & fere nullos, præterquam in ecclesia [b] Dunelmensi. Et tamen idem auctor memorat Durannum [c] monachum sanctæ Mariæ Eboraci, cui haud dubie præerat Stephanus ille Eboracensis abbas mox laudatus, qui ad Benedictum comprehendendum a rege missus fuerat.

a *Labbe bibl. to. 1. p. 594. & seqq.*

b *ibid. p. 601. & seq.*

c *ibid. p. 610.*

XLI. S. Dionysio data ecclesia in Anglia.

Dum in Anglia versamur, non omittenda Willelmi regis donatio, facta Parisiensi sancti Dionysii monasterio, cui ecclesia [d] de *Derhest*, sita in territorio Gloecestrensi data est, prout eam antea rex Edwardus Balduino ejusdem cœnobii tunc monacho, postmodum sancti Eadmundi abbati, in suos usus concesserat. Actum Wincestræ in monasterio sancti Swithuni * secunda die paschæ, dum missa celebraretur. His litteris subscribunt cum Willelmo rege Mathildis *regina ejusdem regis*, & Richardus ejusdem filius; tum Stigandus Cantuariensis, & Aldredus Eboracensis archiepiscopi; dein episcopi novem, in quibus Odo Bajocensis frater regis, Goisfridus sancti Laudi seu Constantiensis, Balduinus Ebroicensis, Ernaldus Cenomannensis; ex laicis Rotbertus comes regis frater, Willelmus comes Osberni filius, Rotbertus comes Augensis castri, & alii. Tunc temporis Dionysiano monasterio præerat Rainerius abbas, qui privilegiorum confirmationem ab Alexandro II. [e] obtinuit, & a Philippo rege præceptum, quo rex auctoritate sua roboravit ejusdem pontificis judicium, vetantis, ne generales [f] ad monasterium accessus, & communes stationes ab episcopo & clericis Parisiensibus fierent. Idem abbas multa in diœcesi Bituricensi amissa recupe-

d *Doublet p. 839.*

* *al. Spidun.*

e *id. p. 466. & 469.*

f *Hist. Paris. t. 1. p. 721.*

ANN. CHR. 1069.

a *Doublet p. 469.*

ravit, favente Richardo archiepiscopo, cujus hac de re litteris [a] testes adhibentur Warmundus abbas Dolensis, Walterius Millebeccensis, Sulpicius Masciacensis, Gerardus Exoldunensis, Humbaldus Virsionensis, omnes abbates; Emeno præpositus Cambonensis, & post canonicos Bituricenses Albertus monachus sanctæ Valeriæ, & Willelmus monachus sancti Dionysii. Actum apud Masciacum in vigilia Ascencionis, regnante Philippo.

XLII. Balduinus abbas S. Eadmundi.

b *Monast. Anglic. t. 1. p. 188. & seqq.*

c *ibid. p. 190.*

Balduinus seu Baldewinus mox laudatus, ex monacho sancti Dionysii abbas sancti Eadmundi monasterii, quod a Cnuto rege conditum antea diximus, hanc præfecturam adeptus est initio regni Willelmi conquæstoris, cujus favore [b] multa prædia & complures liberos homines, quos *Sokemannos* vocant, monasterio suo acquisivit. Tantarum possessionum copia cupiditatem proritavit Erfasti Tetfordensis episcopi, qui ob eam causam sedem episcopatus sui apud sanctum Eadmundum constituere molitus est. Ad hanc controversiam dirimendam Balduinus Romam profectus est ad Alexandrum papam, qui monasterii libertatem novo diplomate asseruit, ipsumque Balduinum sacerdotem ordinavit, eidemque altare quoddam, gestatorium scilicet, ex porphyretico lapide, ab se consecratum, donavit. Hanc monasterii libertatem postmodum rex Willelmus litteris suis roboravit, in quibus totam controversiam explicavit. Eamdem postea redintegrarunt alii Tetfordenses seu Norwicenses episcopi, ut patet ex notitia, quam hac de re ad posterorum cautionem Willelmus *Curteys* abbas [c] scriptis mandavit, usque ad Alexandri III. pontificatum. De Rotberto Balduini successore inferius.

XLIII. S. Martini cœnobium prope Pontisaram conditur.

* *la Viosne.*

d *Neustria pia p. 550.*

Alterum ex tribus illis monasteriis, quæ hoc anno condita fuisse diximus, cœnobium est sancti Martini prope Pontisaram, haud ignobile pagi Vilcassini opidum in finibus diœcesis Rotomagensis. Huic abbatiæ originem dedere duo illius opidi illustres viri, Warnerius & Amauricus, qui oratorium in honorem sancti Germani Parisiorum episcopi eo in loco, scilicet ad confluentes Bionæ * fluvioli in Isaram construxere: ubi pauci monachi principio inhabitarunt. Id discimus ex litteris [d] Philippi regis, apud Pontisaram hoc anno datis, quibus prima hæc monasterii rudia principia confirmat, subscribuntque Hugo comes, Walerannus, Balduinus dapifer, Rainaldus buticularius, Walterus constabularius, Wido de Monte-Lethario, Adam de Insula, & Hugo de Monte-morenciaco. Accitus est ad regendum monasterium ex Resbacensi Galterius seu Gauterius vir sanctus, ortus in Ambianensium finibus, pago Vinenacensi, & quidem in loco qui Andani-villa * nuncupatur. Parentum nomina reticent ejus vitæ scriptores. Litteris instructus adolescens, relicta patria secessit ad Resbacense monasterium, ibique monasticen professus, ita in virtutis studio profecit, ut nullus eo dignior ad regendum novum sancti Germani monasterium visus sit. quod munus nonnisi ægre admodum subiit. Memoriæ proditum est eum, cum pastoralem baculum pro more illorum temporum in signum investituræ a rege acciperet, manum suam regis dexteræ superposuisse, ac dixisse: Non a te, sed desuper regimen ecclesiæ suscipio. quod generose dictum omnes, & rex ipse approbarunt. Non multo post Galterius in proximo colle novam exstruxit basilicam in honorem sancti Martini, cujus nomine hactenus cum toto monasterio insignita est: tametsi sanctus Germanus Parisiorum episcopus ibidem primarius etiam nunc patronus habetur. Cum aliquamdiu hoc cœnobium rexisset vir sanctus, pastoralis officii pondus refugiens, ad Cluniacense monasterium secessit, ut postea dicturi sumus.

Galterius abbas.

* *Anville.*

XLIV. Monasterium-novum Pictavis conditur.

Duobus illis monasteriis tertium addendum est, scilicet Monasterium-novum, (sic enim vocatur) quod Guido-Willelmus dux Aquitanorum & Pictavorum comes hoc anno in suburbio Pictavensi ædificare cœpit, testante chronographo Maxentiano seu Malliacensi, illudque magnifice dotatum in honorem beatissimæ Virginis, sancti Johannis Evangelistæ & sancti Andreæ apostoli dedicari curavit. Hujus monasterii constructio tribuitur quoque sancto Hugoni abbati Cluniacensi in ejus vita: sive quod ejus instinctu a Guidone comite exstructum sit: sive quod eidem abbati commissum fuerit, ejusque curis absolutum, forte per Guidonem, quem primum illic abbatem instituit anno MLXXV. quo anno illud monasterium Hugoni abbati commissum fuisse dicitur, cum scilicet jam perfectum esset. Plura de hoc monasterio inferius.

XLV. S. Cypriani monachi ad id quid contulerint.

e *Vita Bern. abb. Tiron.*

Pictavensi sancti Cypriani monasterio per id tempus præfectus erat Rainaldus abbas, unus ex discipulis [e] beati Rotberti Casæ-Dei abbatis, qui Rainaldus rem præ-

ANN. CHR 1069.

clare administravit. Cum ejus tempore surgeret Monasterium-novum mox laudatum, aliquid ad ejus dotem conferre voluit, ut probat ejus charta, cujus hæc verba sunt. *Ego in Dei nomine Rainaldus abbas, & fratres nostri cœnobii beati Cypriani, videntes humilitatem & devotionem Willelmi piissimi ducis circa ædificationem sanctæ ecclesiæ, aliquod auxilium impendere optamus Novo-monasterio, quod ipse dux ædificavit Pictavis, ut ibidem fratres monachilis habitus Deo deservirent. Dedimus itaque, & dando ipsi novo monasterio concedimus medietatem ecclesiæ de Livers, & de decimis, & de omnibus, quæ ad eam pertinent: quam ecclesiam totam, & omnia ad eam pertinentia ex integro dederat nobis Airaudus pius, quando factus est monachus cœnobii nostri sancti Cypriani.* Hic est Airaudus seu Airaldus de Montoiranno, qui prædictam ecclesiam & alodium suum de *Bellefont*, cum ecclesia sancti Hilarii, cœnobio sancti Cypriani donavit per manus Rainaldi abbatis, qui eum *monachum ordinavit, regnante Philippo rege*, ut in ejus charta legitur, cujus hoc initium: *Airaldus peccator de Montoiranno.* His adjungere licet restitutionem alodii Ludriaci, & ecclesiæ sanctæ Farcintæ, monasterio sancti Cypriani factam ab Isemberto episcopo, & quidem ut Beslio [a] videtur, ejus nominis secundo, qui patrem suum Manassen, matremque Ameliam vocat, & avunculum Sandebaldum, quorum corpora in eodem monasterio sepulta esse dicit. Quo tempore Rainaldus regimen cœnobii sancti Cypriani inierit, incertum: at certum est eum floruisse jam inde à pontificatu Gregorii VII. & ad Paschalem II. pervenisse. Cluniacensibus monachis qui ejus monasterium sibi subjicere moliebantur, strenue restitit tribus in conciliis, faventibus sibi Amato legato, & Isemberto episcopo Pictavensi. Virum doctrinæ haud mediocris fuisse probant scriptæ ad eum epistolæ Lanfranci & Anselmi, ut inferius videbimus.

[a] *Besly Evesq. p. 63.*

XLVI. Lanfrancus in Berengarium scribit.

Non serius, nec forte prius hoc anno Lanfrancus opusculum adversus Berengarium composuit. Epistolam vocat, scribens ad Alexandrum II. qui illud opusculum petierat. Tempus scripti opusculi subindicat Lanfrancus, cum ait se illud composuisse, cum adhuc Cadomensis abbas esset. Hæc ipsa verba sunt epistolæ, quam ille jam Cantuariorum archiepiscopus scripsit. *Epistolam*, inquit, *quam Berengario schismatico, dum adhuc Cadomensi cœnobio præessem, paternitati vestræ, sicut præcepistis, transmittere curavi.* quæ verba satis innuunt, hunc librum tum, cum hæc scriberet, novum fuisse: cum necdum in manus Alexandri papæ venisset, & quidem editum extremo tempore præfecturæ suæ in Cadomensi monasterio, quod ab anno M LXIII. rexit ad annum M LXX. quo anno creatus est archiepiscopus Cantuariensis. Ex his consequens est, ea, quæ de concilio Romano sub Gregorio VII. in capite secundo editionis Acherianæ dicta sunt, ab eodem Lanfranco postmodum, cum jam archiepiscopus esset, adjecta & inserta fuisse. Certe in antiquioribus editis tres illæ de concilio Romano capitis secundi sectiones desunt.

XLVII. Rivipullo cella B. Mariæ data.

Ad res Hispanicas quod attinet, hoc anno Ermengaudus comes & marchio, credens, ut ejus verbis [b] utar, adorans, ac metuens divinum judicium, monasterium in honorem sanctæ Dei-Genitricis Mariæ ex rebus suis propriis in loco, qui *Gualter* vocatur, juxta fluvium Sicoris, construere decrevit cum consilio uxoris suæ Luciæ, & Bernardi-Willermi Urgellensis episcopi. qui locus *antiquitus ab incolis Mater-ecclesia honoris gratia vocitatus est*; sed tunc ex nimia vetustate magna ex parte consumtus. Hunc vero locum ab se dotatum tradit comes in manibus domni Bernardi Rivipullensis abbatis, ejusque monachorum, quibus jure legali ac donatione Guifredi comitis proavi sui hic locus jam subjacebat. Facta hæc charta donationis IV. idus Junii, anno IX. regni Philippi regis. Post annos tres Rivipullense [c] monasterium subjectum fuit Massiliensi sancti Victoris monasterio, ex quo assumti sunt deinceps Rivipullenses abbates, quorum primus notatur Bernardus, qui alius videtur ab eo cujus in præmissis litteris facta mentio est.

[b] *Marca Hisp. p. 1151.*

[c] *Labbe to. 1. biblioth. pag. 340.*

XLVIII. S. Gregorii monasterium in Italia.

Petro-Damiani ex legatione Germanica reverso Petrus Bennonis filius, nobilis Ariminensis, prædium obtulit ad construendum monasterium prope Marcianum ad Conchæ profluentem in Romandiola, Opizone episcopo probante; illudque liberaliter dotavit, ut ex ejus litteris [d] discimus. In his ait sibi jam dudum venisse in " mentem, ut omnia quæ ex divina liberalitate acceperat, ad utilitatem servorum " Dei conferret, & ex his unum elegisse, quem inter mortales magis idoneum ad " hoc opus existimaverat, eique omnia commisisse, *videlicet domno Petro-Damiani san-* " *ctissimo anachoretæ patri suo*, consentiente uxore sua Algunga, hoc est partem suam "

[d] *Ital. sac. to. 2. p. 421.*

ANN. CHR. 1069.

» de ecclesia sancti Johannis Evangelistæ, palatium suum dominicatum; casam bor-
» tosque suos in civitate Arimino, & in ejus suburbio; aliaque permulta, quæ in illis
» litteris enumerantur. Actum anno M LXIX. Alexandri papæ octavo, die septimo-de-
» cimo mensis Junii. Post biennium Petrus Damiani monasterium illud submisit Opi-
» zoni episcopo, subscripsitque post eum litteris bac de re confectis *Ungarus pres-
byter, monachus atque abbas sancti Gregorii.* Petrus Damiani Urbano ejusdem loci abbati apparuisse dicitur. Hæc abbatia, vulgo dicta sancti Gregorii de Concha, cœnobio sancti Laurentii in Monte, Ordinis Olivetani, a Martino V. unita fuit.

ANN. CHR. 1070. XLIX. Stigandus Cantuariæ sede dejicitur. *Roger. Hoved.*

Ubi primum rex Willelmus Angliæ regnum quiete ac tranquille obtinuit, tum primum componendo ecclesiarum & reipublicæ statui sedulam operam impendit, maxime instituendis, sicubi defecerant, episcopis, aut deponendis illis, qui vitio creati fuerant. Eam ob rem maximam synodum episcoporum in octavis paschæ Wintoniæ anno M LXX. celebrari curavit, præsidentibus Ermenfredo Sedunensi episcopo, & presbyteris Johanne & Petro cardinalibus, Alexandri papæ legatis. In hac synodo quidam exauctorati episcopi, in his Stigandus Cantuariæ archiepiscopus tum ob multa alia, tum quia Cantuariensem archiepiscopatum, vivente Rotberto archiepiscopo, retento Wintoniensi episcopatu, usurpaverat. Die autem Pentecostes altera item synodus Windresoris habita est, in qua nonnulli itidem episcopi depositi sunt, & abbates, quorum dignitates Normannicis monachis dedit. Has duas synodos in unam Windressorensem conflavit Milo-Crispinus in libello de vita Lanfranci, & post eum Ordericus-Vitalis [a]: at præferenda videtur Rogerii-Hovedeni, aliorumque Anglicanorum scriptorum auctoritas, qui duas distinguunt, & in priori, scilicet Wintoniensi, depositum Stigandum tradunt. De bac depositione purgare se rex conabatur, præceptum papæ objectans, ut Willelmus Malmesburiensis auctor est. Non tamen opinionem affectatæ depositionis excludere potuit, vel ex boc maxime, quod Stigandum toto vitæ ejus tempore Wintoniæ sub custodia detinuit: ubi ille tenui admodum victu vitam toleravit. quippe modicum annonæ ex fisco ei inferebatur: & ipse ingenita mentis duritia id de suo suppleri non ferebat, per omne sanctum pejerans, se nec nummum repositum habere, etsi ingentem opum copiam, ut post ejus mortem compertum fuit, in subterraneis specubus reconditam servaret, cujus claviculam ex collo dependentem gerebat.

a Orderic. lib. 4. p. 516.

L. Lanfrancus ei suffectus.

Cogitanti regi, ac regni proceres consulenti, nullus ad vitia exstirpanda & saluberrimam doctrinam instillandam aptior visus est, quam Lanfrancus, tunc Cadomensis abbas, vir pietate & litterarum scientia insignis, quo in Normannia consiliario antea usus fuerat. Mox apud eum qua precibus, qua jussis institit rex, ut ad se accederet, oblatam accepturus dignitatem. Hanc vero constanter recusavit vir modestissimus, qui Rotomagensem archiepiscopatum paullo ante recusaverat. Rex tamen a cœpto non destitit: sed ad eum expugnandum mittendos apostolicæ sedis legatos censuit. Ex bis Ermenfridus episcopus, coacto Normanniæ episcoporum atque abbatum concilio, regis petitionem ac mandatum, simulque suam aliorumque legatorum voluntatem Lanfranco exposuit. Ille vero inducias ad consulendum petiit. Instat regina cum filio, ut votis omnium cedat; jubet Herluinus abbas vel invitus, quippe qui optimi discipuli solatio ac consilio se destitui ægre patiebatur. In his angustiis mœstus Lanfrancus in Angliam excusatum ire statuit. Adventantem rex cum multo gaudio, nec impari reverentia excipit, reluctantem expugnat. Victus itaque Lanfrancus post paucos a suo adventu dies, in sede metropolitana IV. kalendas Septembris consecratus archiepiscopus a Willelmo Londoniensi, aliisque provincialibus episcopis.

Quantum violentiæ in subeunda illa dignitate passus sit Lanfrancus, testis est ipsius ad Alexandrum papam epistola, in qua salutatione præmissa ita loquitur: *Cum de Beccensi congregatione, in qua habitum religionis assumsi, a principe Normannorum Willelmo abstractus, Cadomensi præessem cœnobio, imparque exsisterem paucorum regimini monachorum; incertum habeo, quo judicio omnipotentis Dei factus sum, te cogente, speculator multorum, numeroque carentium populorum. quod cum præfatus princeps, jam rex Anglorum factus, multis variisque modis laboravit efficere; cassatis tamen laboribus suis, a me nullo modo potuit impetrare, quoad usque legati tui, Hermenfredus videlicet Sedunensis episcopus, atque Hubertus sanctæ Romanae ecclesiæ cardinalis, in Normanniam venerunt, episcopos, abbates, ejusdemque patriæ nobiles convenire fecerunt, atque in eorum præsentia,*

ANN. CHR. 1070.

ut Cantuariensem ecclesiam regendam susciperem, ex apostolica sedis auctoritate praeceperunt. Adversus hoc imbecillitas mearum virium, morumque indignitas prolata in medium nihil profuit: excusatio incognita linguae gentiumque barbararum, nullum apud eos locum invenire praevaluit. Quid plura? assensum praebui, veni, suscepi: in quo tot molestias, tot tadia, tantumque ab omni fere bono defectum mentis quotidie sustineo, tot aliorum in diversis personis perturbationes, tribulationes, damna, obdurationes, cupiditates, spurcitias, tantumque sanctae ecclesiae casum incessanter audio, video, sentio, ut taedeat me vitae meae, doleamque plurimum, me usque ad haec tempora pervenisse. Post hæc pontificem rogat Lanfrancus, ut ab imposito munere se absolvat, vitamque cœnobialem, quam *prae omnibus rebus* diligere se dicit, repetendi licentiam concedat, commemorans officia quæ ejus consanguineis, aliisque ejus nomine ex urbe Roma venientibus contulerat; simulque se vereri asserens, ne, si pontifex dimissionem neget, peccati periculum incurrat. Nullum quippe in ista terra sui profectum esse; aut, si ullus sit, tam exiguum esse, ut detrimentis suis comparari non possit. In fine addit, se Romam ire, & tribus, quatuorve mensibus in palatio hospitari, ut pontifex petierat, modo non posse. quod postea exsequi in votis habeat. Ceterum summopere optandum esse, ut Deus longam vitam, pacemque domino suo Willelmo regi Anglorum concedat. Eo enim vivente pacem qualemcumque habendam: at post ejus mortem, nec pacem, nec quodvis aliud bonum sperandum esse. quod in consequentibus probavit eventus.

LI. Angliae status per eum innovatus.

Non tamen profectus expers Lanfranci labor in Anglia exstitit, tametsi multa passus sit adversa ab indigenis, qui extraneis ecclesiasticas dari dignitates indignanter ferebant. Quippe Lanfranci curis & studio innovatur institutionis ecclesiasticæ status: monasticus ordo qui ad laïcalem dissolutionem multis in locis prolapsus erat, ad probatissimorum disciplinam monasteriorum reformatur: clerici canonica coërcentur regula: denique populus, rituum barbarorum interdicta vanitate, ad rectam fidei, morumque formam componitur. Hæc Milo-Crispinus in Lanfranci vita: quæ Ordericus [a] Vitalis itidem Willelmo regi tribuit, cujus scilicet auctoritate hæc per Lanfrancum præstita sunt. Hujus quoque, ut credere par est, instinctu Willelmus, post mortem cujuslibet pastoris, ad orbatas ecclesias legatos mittebat, qui res ecclesiæ vacantis, ne a profanis diriperentur, describerent. Deinde præsules & abbates, aliosque prudentes viros convocabat, eorumque consilio, quis melior ad regendam Dei domum & utilior esset, sollicite ac diligenter indagabat, eumque rectorem constituebat. quod per quinquaginta-sex annos, quibus in Nortmannia & Anglia regnavit, accurate observavit. Ad hæc simoniacam, ut tum vocabatur, hæresim omnimodis abhorrebat; atque in eligendis episcopis & abbatibus præ omnibus sanctitatem & sapientiam electorum attendebat. Denique sub eo pax in Anglia regnabat [b] & publica securitas, adeo ut nemo prædari auderet: instaurabantur veteres basilicæ, & novæ construebantur, atque in eis res divina cum decore per sacros oratores rite adimplebatur. Res ab eo gestas ad hunc usque annum scripsit [c] Guillelmus, Pictavinus dictus, propterea quod illic philosophiam didicisset; sed Nortmannus genere, ortus e vico Pratellensi, ubi sororem habuit in sancti Leodegarii monasterio abbatissam, forte Emmam, quæ prima illic abbatissa fuit; demum ex archidiacono Lexoviensi creatus ejusdem ecclesiæ episcopus. Willelmi tamen regnum non ita gloriosum & innocuum fuit, ut in conseqoentibus testatur Ordericus, nimirum infestum per extraneos dominos, scilicet Nortmannos, quos rex, prætermissis indigenis, moderandis provinciis præficiebat. Verum hæc, utpote ab instituto nostro aliena, omitto.

a Orderic. lib. 4. p. 516.

b id. p. 520.

c ibid. p. 521.

LII. Glastoniæ turbæ ob cantum.

Unum tantum addo, quod ad res nostras facit, de Turstino monacho Cadomensi, quem rex Glastoniensi monasterio præposuerat. Hic, [d] ut protervus erat, suos Glastonios cantum, quem a beati Gregorii papæ discipulis acceperant, relinquere, sibique ignotum nec auditum antea cantum, a Flandrensibus & Nortmannis [e] ediscere coëgit. Hinc orta lis est acerrima, quam mox sacri ordinis contumelia subsecuta est. Cum enim nova instituta recipere detrectarent monachi, & nihilominus contumacis pertinacia magistri persisteret; laïci abbati suffragati monachis vim intulere: quorum alii crudeliter percussi, alii letaliter sauciati sunt. Hinc Turstinus Nortmannus vocatur in Monastico [f] Anglicano, isque anno M LXXXI. Glastoniæ præfectus fuisse dicitur, forte anno M LXXI. ubi Willelmus rex illius monasterii res magnopere mutilasse perhibetur, easque militibus suis in feudum tradidisse. quam jacturam postea utcumque farcire studuit. Eam vero fere ex integro reparavit Turstini successor Herlewinus abbas, qui novam ecclesiam inchoavit.

d ibid. p. 523.

e V. Annal. to. 4. p. 659.

f Monast. Anglic. to. 1. p. 17.

ANN. CHR. 1070.

LIII. Guitmundus episcopatum recusat.

a Orderic. lib. 4. p. 514.
b V. supra lib. 61. n. 94.

Secundum Lanfrancum Guitmundus seu Witmundus, monachus cœnobii, quod Crux-Eltonis [a] seu sancti Audoëni, aliis sancti Leutfredi vocatur, præclarum itidem modestiæ specimen dedit. Is quippe ut erat ætate maturus, necnon pietate insignis [b] & doctrina, quam probat ejus liber de corpore & sanguine Domini contra Berengarium, cum jussu Willelmi regis in Angliam transfretasset, oblatum sibi a rege & proceribus episcopatum constanter recusavit, scripsitque insuper gravem regi epistolam, in qua occupatum regnum rapinam deputat, cumque de cetero officii sui admonet. Integram epistolam refert Ordericus, ex qua quædam loca excerpere visum est ad demonstrandam viri religionem. Principio se ecclesiastico ministerio excusat. *Multæ,* inquit, *causæ me repellunt ab ecclesiastico regimine, quas omnes singulatim nolo, nec decet exprimere. In primis infirmitates meas, quibus in corpore & anima incessanter premor, considero: quibus diligenter perspectis, divinum examen vehementer pertimesco, mærens, quod in via Dei quotidie laboro, & a veritate vacillo. Et dum me ipsum salubriter moderari nequeo, qualiter aliorum vitam ad salutis viam dirigere valeo? Omnibus vigili mente perlustratis, non video qua lege digniter praeesse valeam illorum cuneo, quorum extraneos mores, barbaramque locutionem nescio: quorum patres, carosque parentes & amicos occidistis gladio, vel exheredatos opprimitis exsilio, vel carcere indebito, vel intolerabili servitio. Scrutamini Scripturas & videte, si qua lege sancitur, ut dominico gregi pastor, ab inimicis electus, violenter imponatur. Ecclesiastica electio prius debet ab ipsis subjectis fidelibus cum sinceritate fieri: ac postmodum adstipulatione patrum & amicorum, si canonica est, reverenter confirmari. alioquin cum caritate debet emendari. Quod bello & effusione multi cruoris truculenter rapuistis, qua ratione mihi, aliisque contemtoribus mundi, qui sponte pro Christo nudati sumus propriis, sine culpa impartiri potestis?* Hæc sunt rationes, quæ » Guitmundum ab acceptando episcopatu deterrebant. Deinceps regem monet, ut ne » eum decipiant fallaces adulatores, nec pro secundis eventibus insolescat; immo Dei » judicia suspiciat: quippe regna pro ejus nutu mutari. proinde ne glorietur victor de » ruina comparis, certus, nec ipsum staturum, nisi quantum siverit dispositio Conditoris. » Remotis legitimis heredibus, ipsi cessisse regnum Angliæ, ex divino judicio, quod » quanto occultius, tanto terribilius exiget rationem commissæ villicationis. Ceterum » se paratum esse cum ejus venia quantocius in Normanniam redire, & opimam An- » gliæ prædam amatoribus mundi, ceu quisquilias, relinquere. *Liberam paupertatem Christi amo,* inquit, *quam Antonius & Benedictus amplexati sunt, magis quam divitias mundi, quas Crœsus & Sardanapalus nimis amaverunt, & postmodum misere pereuntes hostibus suis deseruerunt.* Hæc, aliaque plura Guitmundus in epistola ad Willelmum: qui adeo gravibus hisce monitis offensus non est, ut potius admiratus sit cum proceribus suis tantam insignis monachi constantiam, multumque reverentiæ ei exhibuerit, & condigne honoratum in Normaniam remeare permiserit, jusseritque, ubicumque vellet, se præstolari. Ille vero ad monasterium suum reversus est, multorum passus deinceps invidiam & oblocutiones, quod monasticam paupertatem episcoporum divitiis prætulisset; & quod obtentum Angliæ regnum rapinam appellasset; denique quod episcopos & abbates, qui Anglis invitis eorum ecclesiis prælati fuerant, rapacitatis redarguerit. Alter fuit [c] Witmundus monachus sanctæ Trinitatis Rotomagensis, de quo superius egimus.

c lib. 62. n. 21.

LIV. Westmonasterii abbas Vitalis.

d lib. 61. n. 83.

Mortuo vel amoto Eadwino, qui primus [d] instaurato Westmonasterio præfectus est, successit in ejus locum Vitalis, tum Bernacensis abbas, agente Willelmo rege, & annuente Johanne abbate Fiscamnensis monasterii, a quo Bernacense tunc pendebat. Willelmus hac de re litteras ad Johannem scripsit, quas ex codice Fiscamnensi accepimus, hoc tenore.

Willelmus rex Anglorum Johanni abbati salutem. Diu mecum cogitanti, mi dilecte, in cujus manu & custodia possem mittere & commendare abbatiam sancti Petri de Westmonasterio, quam in maxima veneratione & habeo, & ex debito habere debeo; (ibi enim jacet vir beatæ memoriæ dominus meus & cognatus rex Ethwardus; ibi etiam tumulata est regina Egith, uxor ejus inclyta; ego etiam ibidem, Dei clementia providente, sceptrum & coronam totius regni Anglici suscepi:) tandem consilio Lanfranci archiepiscopi meorumque procerum, Vitalem abbatem, quamvis invitum ad hoc coëgi, ut illam assumeret. Cum enim abbatiam de Bernaco ex minimo multum, ut patet, sublimaverit, intellexi illum dignum esse abbatia de Westmonasterio, & utilitate, & prudentia. Quapropter liceat mihi istud fieri, quod de eo communi consilio meorum providi procerum, licentia tua & bona volun-

tate, & conventus fratrum. Volo etiam tibi notum esse, me elegisse Osbernum, fratrem scilicet Vitalis abbatis, ut habeat abbatiam de Bernaco. Et hoc tua licentia mihi fieri liceat. Vale.

ANN. CHR. 1070.

Osbernus abbas Bernaci.

Ad has litteras Johannes respondit in hunc modum.

Willelmo, divina favente gratia, Anglorum regi in magna gloria, Johannes Fiscannensis cœnobii pater, victoriam de inimicis in gladio Domini & Gedeonis. Rex inclyte gentis Anglicæ, & dux Nortmannorum bellicosa virtute, ecce ego Johannes, vester totus in Domino, humiliter vobis suggero, & litteris significo, quam moleste acceperim, quod frater noster domnus Vitalis sine licentia nostra de abbatia ad abbatiam migravit, nisi hoc quod vos diligo, & vestra consilia honorare volo. Idcirco laudo & confirmo, quod vestra regalis sancivit auctoritas. Jam vero quod Osbernum suum fratrem germanum, non Fiscannensem monachum, in nostri juris loco elegistis abbatem; annuo libenter ad vestram fidelitatem; ita tamen, ut fiat secundum auctoritatem: videlicet ut, accepta licentia a suo abbate, noster fiat monachus & obediens secundum regulam sancti Benedicti & ordinem. His ita prælibatis, rogo dominum meum, ut memor meæ senectutis, jam me ad terminum vitæ curvantis judicet causas nostras, & faciat nobis justitiam, ut ego lætus in Domino moriar. Quæ sunt hæ causæ? Primum ex promisso, quod perdimus in Astingo, recompenset in corde pleno, & animo benevolo. Sunt alia plures causarum nostrarum necessitates, quas rogo pius rex judicet & finiat, dum vivit & vacat, ad summæ Trinitatis honorem & gloriam: quatinus ipsa Deus-Trinitas illum de Anglis provehat ad gloriam, quæ est in angelis. Valete.

His subjungendæ videntur litteræ, quibus Johannes abbas Vitalem Bernaci abbatem permittit migrare ad Westmonasterii abbatiam. sic vero se habent.

Johannes Fiscannensis abbas confratri Vitali salutem. Scire te volo, utilis & honeste frater, quod pro amore regis & merito tuæ dilectionis, autorizo tuam promotionem, & fratris Osberni in nostro Bernaco ordinationem. Sed ego & totus conventus sanctæ Trinitatis rogamus & monemus, ut memor tuæ professionis, memor nostræ societatis, locum tuum melius recognoscas & honores, quamplures, qui de nobis exierunt, fratres, & per nostrum locum venerunt ad magnos honores. Vale.

Osbernus Vitalis frater, qui Bernaco post eum suffectus est, monachus erat Troarnensis monasterii, cui tunc Durandus abbas præerat.

LV. Guillelmus Cadomi abbas post Lanfrancum.

Ex longo diverticulo revertendum est ad Cadomense sancti Stephani cœnobium, cui post Lanfranci promotionem ad sedem Cantuariensem præfectus est Guillelmus, cognomento Bona-anima, quem Lanfrancus secum e Beccensi monasterio ad Cadomense adduxerat, ut novitios erudiret. Erat is Ratbodi [a] Sagiensis episcopi filius, an ex legitimo ante episcopatum [b] conjugio, & consobrinus Guillelmi Ebroïcensium præsulis; primum quidem Rotomagensis canonicus & archidiaconus sub Maurilio archiepiscopo; tum ad sacrum Christi Domini sepulcrum profectus cum Theodorico Uticensi abbate, dein post reditum factus Becci monachus, postmodum Lanfranci adjutor in Cadomensi monasterio informando, cujus secundus abbas fuit, futurus demum post novem annos archiepiscopus Rotomagensis.

a *Orderic. lib. 4. p. 520.*

b *V. infra lib. 65. n. 55.*

LVI. Odilo abbas Crucis litem movet de Gisortii cella.

Præerat hoc tempore Odilo abbas monasterio Crucis sancti Audoëni seu sancti Leutfredi diœcesis Ebroicensis, quod Rotomagensi abbatiæ sancti Audoëni subjectum erat. Hic Odilo monachis Majoris-monasterii litem movit de cella sancti Audoëni de Gisortio, quam Bartholomæo Majoris-monasterii abbati ab Hugone de Calvo-monte datam fuisse superius [c] diximus. Tracta est causa in curiam Johannis Rotomagensis archiepiscopi: rationibus ultro citroque prolatis, Odilo juri cessit, assensitque Nicolaus abbas sancti Audoëni, *ad quem abbatia de Cruce respiciebat.* Nihilominus Majoris-monasterii monachi pacis & caritatis causa, Odiloni abbati *sex libras denariorum* concesserunt. Acta sunt hæc in curia archiepiscopi XIII. kal. Martii anno ab incarnatione Domini M. LXX. in præsentia multorum Nortmanniæ procerum & aliorum, adstantibus Nicolao abbate sancti Audoëni cum Gesleberto monacho & Rotberto *camerlario* abbatis; necnon Odilone abbate de Cruce cum Witmundo seu Guitmundo & Bosone aliisque monachis. qui Guitmundus ille ipse est, qui episcopatum in Anglia, ut mox dicebamus, recusavit. Postera die Nicolaus abbas in capitulo suo id confirmavit; & post quatuor dies idem præstitit Odilo abbas in capitulo de Cruce.

c *lib. 62. n. 99.*

LVII. Majori-monasterio donationes factæ.

Eodem anno Gerardus, cognomento Brunellus, totam terram suam de Seon-villa contulit sancto Martino & monachis Majoris-monasterii, qui ei suffragiorum suorum societatem grati animi ergo rependerunt, insuper polliciti, se eum gratuito admissuros, si vellet fieri monachus; secus, post mortem eum apud se humaturos. Hoc pacto

ANN. CHR. 1070. » assensere uxor Ermengardis & tres filii sui, acceptis viginti solidis, ut firmior & magis » spontanea esset eorum concessio: quarto vero ejus filio datum psalterium, hoc ad- » dito, quod monachi eum pascerent duobus annis apud Castrum-dunum, si illuc mit- » teretur ad scholam. *Actum per manum Odonis prioris & Herberti monachi, anno incarnationis Domini* M LXX. *domni Bartholomai abbatis octavo.* Paullo ante, id est, Bartholomæi abbatis anno septimo, Burchardus de Insula monachis Majoris-monasterii apud Tavennum Riperam contulit ad farciendum damnum, quod eis intulerat, quando bellum habuit cum Gaufredo Foaldo avunculo suo, qui ei *honorem* suum auferre volebat. Hunc Burchardus in Tavennensi monasterio inclusum, seque e turri ecclesiæ defendentem cum capere non posset, totum monasterium injecto igne in favillas redegit. cujus facti postmodum pœnitentia ductus, primo Riperæ mediam partem loco reparando concessit; dein morti proximus alteram, annuente Gaufredo ipsius avunculo: ibique post mortem in capitulo humatus est, præsente Fulcone Andecavorum comite, qui prædictam donationem confirmavit. Tunc octodecim monachi erant apud Tavennum.

* *Mante.*

Sub idem tempus Guillelmus miles de Madanta*, cognomento Rufinus, capellam sancti Ægidii, Madantæ proximam, sancti Martini monachis concessit, ut in ea monastica religione Deo serviretur, cum eo spatio terræ adjunctæ, quod construendis officinis & cœmeterio sufficeret. quod donum rex Philippus manu sua & nominis sui charactere confirmavit, Simone de Nielsa sedente ad pedes regis, & Erchenaldo monacho chartam tenente, *quando rex in ea signum crucis scripsit.*

His addenda est ecclesia sanctæ Mariæ & sancti Lupi in castro Reliaco diœcesis Andecavensis, quam Airardus præpositus ædificaverat: ubi tum *clerici sub titulo canonicorum* negligentius res divinas tractabant. De his cum Gaufridus de Reliaco, cognomento Papabos, querimoniam apud Eusebium Andecavensem episcopum fecisset, consilium ab eo accepit, ut aliunde alios probatioris vitæ clericos, vel monachos illuc adsciseeret. Monachos prætulit Gaufridus, adeoque Bartholomæo abbati Majoris-monasterii, ejusque monachis prædictam ecclesiam concessit cum consensu Adoisæ uxoris suæ, suorumque fidelium. Hanc mutationem Eusebius episcopus litteris suis confirmavit, eo pacto, ut anniversarius ejus dies a fratribus Majoris-monasterii in perpetuum recoleretur.

Odelina Belli-montis abbatissa.

Eodem tempore Odelina abbatissa Belli-montis parthenoni præerat, ut discimus ex litteris Bartholomæi abbatis & monachorum Majoris-monasterii, qui hoc anno aream molendini in fluvio Chausilii apud Fraxinum sub annuo censu recipiunt ab Odelina abbatissa Deo sacratarum feminarum Belli-montis. Theophaniam ejus loci primam abbatissam in superioribus[a] laudavimus: quænam vero inter eam & Odelinam abbatissæ fuerint, quæve Odelinæ successerint, nobis incompertum.

a *lib.* 51. *n.* 103.

LVIII. Bartholomæi abbatis epistola de Vivonio.

Sub idem tempus Bartholomæus abbas litteras ad Ernaldum[b] Cenomannensem episcopum scripsit, querelarum plenas, quod altare de Vivonio, sancto Martino ab Wlgrino episcopo ejus decessore concessum, revindicare tentabat, contra fidem ab eodem episcopo & canonicis datam, qui ob id *in societatem totius benefacti* monasterii admissi fuerant, facto hac de re scripto, quod ab ipso Ernaldo ante episcopatum compositum fuerat. Hanc porro molitionem in sanctæ Cenomannensis ecclesiæ injuriam redundare ait abbas: *cum omnes ecclesia totius Francia & Aquitania, immo & totius Gallia, hanc obtineant dignitatem, ut quod semel in capitulo earum firmatum est, nullus posterorum violare præsumat.* In fine profitetur Bartholomæus, se decrevisse, numquam hac de re, tanta auctoritate firmata, in judicium venire. Hanc epistolam[c] in elogio ipsius Bartholomæi abbatis integram retulimus.

b *V. lib.* 63. *num.* 11.

c *Sæc.* 6. *parte* 2. *p.* 387.

LIX. Oratoria domestica monasteriorum.

Hoc ipso anno Agoberto Carnutensi episcopo, de quo sæpe in superioribus mentio facta est, successit Arraldus, ut discimus ex quodam instrumento Vindocinensis monasterii, in quo legitur, anno M LXX. indictione VIII. nonis Decembris consecrationem capellæ, *quæ maxime propter pauperes & familiam monasterii sanctæ Trinitatis in ejus cœmeterio condita fuerat*, factam fuisse *per domnum Carnotensem episcopum anno primo ordinationis ipsius.* quod de Arraldo interpretandum esse ex eo intelligitur, quod ipse Arraldus litem de Credone biennio post composuit, ut suo loco dicturi sumus. Ejusmodi domestica oratoria in bene moratis cœnobiis tunc temporis fabricari mos erat, ut nos docet ejusdem monasterii chartaceus codex, in cujus charta CLII. hæc legimus: *Ut moris est in ordinatis monasteriis professionis nostræ, capellam quamdam*

quamdam cœpimus infra murum monasterii facere.* Ejusmodi oratoria alia erant pro monachis, ubi secretius orare possent, ut alias observavimus: alia erant pro familiaribus & domesticis, qualis erat illa, cujus modo meminimus.

* i. e. *intra.*

LX. Vindocini sancti Columbæ abbatis reliquiæ.

Prædicta capella dedicata fuit *in honorem & venerationem gloriosæ Dei-genitricis & semper virginis Mariæ, & sanctorum Leonis papæ, & Eutropii Santonensis episcopi & martyris, atque sancti Leontii Santonensis episcopi & confessoris, sancti quoque Columbæ abbatis, & sanctæ Brigidæ virginis*, & aliorum. Horum sanctorum, scilicet Eutropii, & Columbæ reliquiæ in ecclesia Vindocinensi jam tum asservatæ erant, & quidem radius brachii S. Columbæ hactenus ibidem asservatur cum corpore sancti Eutropii, quod ab ipso Gaufredo Vindocinensis monasterii conditore istuc ex urbe Santonum translatum est. Sancti Columbæ festum boc ipso anno illic celebratum fuisse discimus ex quodam instrumento in hæc verba: *Actum Vindocini in capitulo beatæ & individuæ Trinitatis, anno dominicæ incarnationis* M LXX. *indictione* VIII. *mense Junio*, V. *idus ejusdem mensis, feria* IIII. *circa horam diei sextam, post missam in memoriam & honorem beati Columbæ abbatis, eodem die sollemniter celebratam.* Hæc obiter. Hic Columba abbas non alius videtur a sancto Columba Hiiensi abbate de quo in tomo primo nostrorum Annalium actum est.

Hoc eodem anno Rainaldus filius Rotberti Burgundionis, & uxor ejus Euroguena, filia Rotberti de Vitreo, *nata de ipsius legali conjuge, filia videlicet Warini, naturalis heredis & domini Credonensis honoris*, donationem ecclesiæ sancti Clementis Credonensis, a Gaufrido Andecavorum comite factam, Vindocinensibus confirmavit, tamquam naturalis heres ex parte suæ conjugis. Quam ob rem eidem Rainaldo Vindocinenses monachi dederunt quinquaginta denariorum libras; & uxori ejus septem. « quibus acceptis, idem Rainaldus venit ad ecclesiam sancti Clementis, & *donum illud* « *super altare sancti Clementis per frustum ligni tradidit*, confecta hac de re charta, cujus « exemplum Romam transmitti, & super altare beati Petri imponi decrevit, ibique in testimonium in perpetuum reservari. *Actum est hoc apud Credonem in monasterio sancti Clementis, anno ab incarnatione Domini* M LXX. *indictione* VIII. *regnante Philippo Francorum rege anno* XI. *& præsulante Eusebio episcopo anno* XXII. *patrocinante; & domno Oderico abbate anno* XXV. Has litteras in appendice integras habes.

LXI. Nucariarum & Cormeriaci abbates.

Sub idem tempus Gaufrido Nucariensi abbati[a] successit Rainerius seu Raginerius, *vir admirandæ pietatis & sollicitudinis.* Hic cum Bartholomæo Majoris-monasterii abbate concordiam iniit de loco & ecclesia sancti Ægidii de Insula-Burcbardi, quam Turonenses monachi, qui *in obedientia Taventi agebant*, suam esse contendebant. Causam obtinuit Raincrius ipso Bartholomæo judice, quem apud Majus-monasterium convenit, a quo *in signum amicitiæ casulam* dono accepit. Idem Rainerius cum aliquando Lemovicensem obiret pagum, ad sanctum Valericum pervenit: ubi ei occurrit Maingaudus miles pagi Turonensis, a quo pratorum census recepit, *eo quod nutritus fuisset* apud Nucarias, eoque impensas suppeditante claustra refecit, idem monasterii instaurator. Stephanum habuit successorem, de quo inferius.

a *V. lib.* 61, *n.* 115.

Tunc Cormaricense monasterium post Rotbertum[b] secundum regebat Guido seu Wido abbas, ejus nominis secundus. Ejus tempore Fulco Andium comes Cormariceno cœnobio largitus est villam & ecclesiam de Vedunra * pro remedio animæ suæ, atque avunculi sui Gaufredi Martelli, donationem firmante Hugone fratre Amelini de Longeïo, præsentibus ex baronibus comitis Rotberto Burgundione, Johanne de Caïnone, Gervasio de Ledio, Hugone de sancta Maura, & aliis. *Data Turonis civitate, mense Augusto, die ipsius mensis* XXVIII. *regnante Philippo Francorum rege, anno ab incarnatione Domini* M LXX. *vacante sede Turonica ab episcopo, anno tertio post mortem Bartholomæi archiepiscopi.* qui locus notandus est ad finiendum tempus obitus illius archiepiscopi, quod incertum relinquitur in editis libris.

b *V. lib.* 60. *n.* 58.

* *Vonte.*

Vedunta locus est prope fluvium Agnerem *, Cormarico mille passibus distans, ubi prioratus est seu capella regularis. De hoc loco non multo post litem movit Hugo de sancta Maura, causatus, se Fulconis comitis domini sui metu ac reverentia prædictam donationem confirmasse. Guidone abbate Cormeriaci floruit beatus Leothericus monachus, sanctitate & miraculis clarus, ut suo loco videbimus.

* *l'Indre.*

LXII. Sigoni Salmurensi abbati succedit Guillelmus.

Jam venerabilis Sigo[c] abbas Salmurensi sancti Florentii monasterio annis tredecim ac mensibus fere septem præfuerat, cum jam amplius morum quam annorum maturitate canescens, plenus dierum decessit pridie idus Junii. Ejus corpus fratres, quos verbis & exemplis informaverat, juxta decessorem ipsius pone altare Cruci-

c *V. lib.* 60. *num.* 66.

ANN. CHR. 1070.

fixi cum honore debito humarunr, post multos annos repertum incorruptum ad indicium ejus sanctitatis. Subrogatus est in ejus locum quidam bonæ indolis adolescens, filius Rivalloniæ de Dolo, nomine Guillelmus, natalium splendore clarus, sed morum probitate longe clarior, qui locum sanctitatis opinione adeo illustravit, ut ad ejus fratrumque orationum præsidia non modo vicini, sed etiam remotiores quique concurrerent. Exemplo est illustris Apuliæ dux G. (an Guiscardus) qui audita Guillelmi abbatis, ejusque monachorum fama religionis, pretiosa eis xenia submisit, eosque ab omni debito, quo erga ipsum tenebanrur, absolvit; sicque meruit, ut anniversarium ejus quotannis a posteris recoleretur. Eadem fuit eorum existimatio apud Aimericum Thoarcii vicecomitem, qui *obedientiam*, ut vocant, de Casa [a] beato Florentio contulit, cujus obitus anno M XCIII. notatur in chronico sancti Florentii. Non mirum itaque, quod ipsius Guillelmi abbatis germanus frater Johannes Dolensis dominus, præclaram eidem apud Dolum obedientiam concessit. Quin etiam ad transmarinas majoris Britanniæ partes diffusa est ejusdem patris fama, cujus merito Monemutam, aliasque ibidem possessiones monasterium acquisivit. Uterque abbas, Sigo scilicet ac Guillelmus, complures insignes habuit discipulos.

[a] *V. Gall. chr. to. 4. p. 396. & seq.*

LXIII. Evenus abbas S. Melanii.

Ex discipulis Sigonis præcipuus fuir Evenus, primus instaurati sancti Melanii monasterii Redonensis abbas, quod Gaufridus Redonensis comes, cognomento Bastardus, instinctu Bertæ uxoris suæ, ruinæ proximum denuo excitavit. Hoc monasterium in suburbio Redonensi sæculo septimo ad tumulum sancti Melanii ejusdem urbis episcopi primitus [b] conditum fuerat: sed post duo sæcula eversum a Nortmannis. qua tempestate monachi ejus loci cum sancti Melanii corpore ad castrum Turonensis agri Prulliacum confugere. Illic servatum sancti viri corpus usque ad pontificatum Julii de Matefelone, qui popularibus suis (quippe Britto Armoricanus erat) sacrum illud depositum restitui curavit. Præiverat Gervasius Remorum archipræsul, ante episcopus Cenomannensis, qui quasdam sancti Melanii reliquias, quas a parentibus acceperat, *Eveno sancti Melanii venerando abbati* prius concesserat, scripta ad eum sub præmisso titulo [c] epistola, in qua quædam miracula ad illas reliquias facta commemorat. Has reliquias primum possederat *felicis memoria* Rorans avia sua, quæ cum in pago Cenomannensi in villa dotalitii sui Argentrada * moraretur, sacras illas reliquias exorto illic incendio opposuit, quod subito restinctum est. Rorans easdem reliquias suo ex filio nepoti reliquit, qui eas ad Castrum Ledi * transtulit, ubi multa miracula, quædam etiam se præsente facta Gervasius testatur. Denique idem præsul Eveno abbati petenti *ne tanti patroni pignore* ejus monasterium privaretur, easdem reliquias concessit, eo pacto, ur Haimonis & Hildeburgis Gervasii parentum, necnon domini sui Heinrici memoria illic æterna servaretur. Ex his intelligitur sancti Melanii monasterium instauratum fuisse ante annum M LXVII. quo Gervasius decessit. Si non fallir Eveni epitaphium, hic abbatiam regere cœpit ab anno M LIV. aut insequenti, adeoque Sigonis Salmurensis abbatis primo. siquidem post annos regiminis viginti-septem, anno M. LXXXI. obiisse dicitur. Et tamen in chronico Kemperlegiensi, ediro in tomo primo Miscellaneorum Baluzianorum, monasterium sancti Melanii anno M LXXIII. inchoatum fuisse dicitur. Cum illud instaurare aggressus est Gaufredus comes, ad eas angustias redactum erat, ut vix uni monacho necessaria superessent. Perfectis ædificiis prædictus comes nuntios ad Sigonem abbatem misit, rogatum, ut illam abbatiam reformaret, eamque, tamquam propriam, in perpetuum possideret. Roganti acquiescens Sigo, *fratrem Evenum, illustrem genere, & summæ religionis virum*, sancti Melanii monasterio præfecit, quod ille brevi probatissimis monachis, libris & ornamentis diravit. Eo abbate monachorum illic numerus intra viginti-septem ejus regiminis annos ad centum accrevit.

[b] *V. lib. 13. num. 30.*

[c] *Bolland. Jan. to. 2. p. 333.*

* *Argentré.*

* *Chateau du Loir.*

LXIV. Ansæ concilium.

Ansa opidnm est agri Lugdunensis haud procul a fluvio Araris, nbi synodus episcoporum hoc anno habita est, præsidente Humberto Lugdunensi archiepiscopo cum Hugone Chrysopolitano seu Vesontionensi, quibus Agano seu Hagano Æduensis, Achardus Cabilonensis, & Drogo Matiscensis episcopi adjuncti; ex abbatibus *venerandus abbas Saviniacensis cœnobii Dalmatius, Athanacensis Wicardus, Ambroniacensis quoque Rainaldus.* In illo concilio professus est Achardus Cabilonensis præsul, se cupere, antiquum monasterium, olim a beato Grato * sedis suæ antistitite in honorem sancti Laurentii constructum & doratum, tunc pæne ad nihilum redactum, ut pristinum in statum restitueretur, ex consilio & assensu canonicorum ac fidelium suorum

* *al. mendose Gregorio.*

donare monasterio sancti Martini Insulæ-barbarensis, cui tum Ogerius abbas præerat. Assensere patres, eo pacto, ut abbas Insulæ-barbarensis una cum fratribus sibi commissis in perpetuum illud possiderent, & regulariter ordinarent. Confectum hac de re instrumentum ab eodem Achardo episcopo, datum VII. kalendas Februarias hujus anni, indictione VIII. cui instrumento Achardus episcopus ejusque canonici subscripsere, nimirum Sifridus abbas, & Anno itidem abbas: quos Roclenus decanus, tres archidiaconi, aliique canonici subsequuntur. Ogerio seu Hogerio abbati successere apud Insulam-Barbaram Clemens, Guigo, & Girinus, quorum postremus locum rexit ineunte sæculo sequenti. Hæc ex libro gallice edito, cui titulus est, *Rudera Insulæ-Barbaræ*.

ANN CHR. 1070. Insulæ-barbaræ data S. Laurentii cella.

Tunc sancti Teuderii monasterium in pago Viennensi administrabat Almannus abbas, ut discimus ex quodam instrumento chartarii ecclesiæ Viennensis, in quo Hugo quidam & uxor ejus Elizabeth sacro-sancto monasterio sanctæ Mariæ & sancti « Teuderii confessoris, ubi domnus Almannus monachorum inibi Deo militantium « congregationi præerat, contulisse dicuntur ecclesias omnes, quas in pago Salmoria- « censi possidebant, ac decimas, tam annonæ & vini, quam animalium, ad illas eccle- « sias pertinentes. Et quia, inquiunt, militibus jure non licet ecclesiarum decimas vel « altarium oblationes possidere; annuunt prædictis monachis, ut eas ab illis militibus « vel laïcis, qui ejusmodi decimas vel oblationes ab ipsis in beneficium tenebant, ac- « quirere possint. Actum anno ab incarnatione Domini M LXX. a resurrectione autem « M XXXVIII. regnante Heinrico cæsare. Ex quibus patet, Hugonem illum virum fuisse primariæ dignitatis, quippe qui milites sub se habebat.

S. Teuderii abbas Almannus.

Ubi primum ad Tullensem ecclesiam regendam accessit Pibo episcopus, cujus mentio superius [a] facta est, ipsum adiit Adalbero [b] sancti Benigni apud Divionem abbas, petiitque, ut altaria, quæ in ejus diœcesi sancto Benigno a suis decessoribus collata fuerant, eidem confirmaret adversus quorumdam clericorum cavillationes, qui post mortem Udonis episcopi recens defuncti, de eis rixas Benignianis facessere cœperant. Petenti assensit Pibo, eaque altaria sancto Benigno reddidit *per pastoralem baculum;* concessitque ut alia etiam suæ diœceseos altaria acquirere possent. Testes Wido cœnobii sancti Apri abbas, Widricus prior, Walterus decanus & archidiaconus, Lambertus archidiaconus de Bar, Odelricus archidiaconus de Volferei-curte, Henricus advocatus urbis, aliique. *Acta sunt hæc publice Tulli in capella sanctæ Mariæ, die festivitatis sancti Martini, anno dominicæ incarnationis* M LXX. *regnante Heinrico, filio Heinrici imperatoris.* Wido sancti Apri abbas Widrico paullo ante successerat: cujus tempore Walterus de Hadonis-villa fratribus sancti Apri donat quidquid apud Hadonis-villam possidebat. quibus litteris subscripta sunt signa prædicti Walteri decani, archidiaconi & cancellarii, Odelrici præpositi & archidiaconi, Lamberti archidiaconi majoris, Hugonis archidiaconi majoris & quatuor aliorum archidiaconorum, Friderici comitis & aliorum.

LXV. S. Benigno altaria confirmata.

a num. 39.
b Perard. p. 192.

Wido abbas S. Apri.

Non diu post hunc annum superstes fuit Adalbero sancti Benigni abbas, cujus depositio notatur in necrologio IX. kal. Februarii. Huic subrogatus Jarento ex monacho Casæ-Dei apud Arvernos, vir pietate, scientia, eloquio & consilio præstans, principibus tam ecclesiasticis, quam sæcularibus acceptissimus, qui religionis cultum in pristinum [c] splendorem illic restituit, amissas recuperavit possessiones, novasque acquisivit. Quin etiam ad exteras regiones profectus, in Hispaniam scilicet atque Angliam, multas inde opes, necnon ecclesiastica ornamenta convexit. Plura de eo inferius.

LXVI. Jarento abbas S. Benigni.

c Spicil. to. I. p. 473.

Per id tempus Ferrariensi monasterio præsidebat Gualterus abbas, ad cujus preces rex Philippus malas consuetudines, quas ejus antecessores in terris illius monasterii exigere solebant, liberaliter remittit, anno ab incarnatione M LXX. indictione VIII. & quidem XV. kal. Aprilis, feria V. anno XII. Philippi regis ab ejus coronatione vivente patre facta. Datum & actum *civitate Parisiaca.* Adscripta sunt regiis litteris signa Hugonis fratris regis, Rodulfi comitis; tum Gualeranni *camberarii*, Adelelmi constabularii, Balduini dapiferi, & aliorum. Eidem Gualtero abbati Alexander II. monasterii privilegia confirmavit anno sequenti.

Gualterus Ferrariensis.

Florebat tunc temporis Anselmus de Ribodi-monte in Gallia, qui hoc anno villam Hertinium sitam in pago Tornacensi, quæ jam sancti Amandi erat, liberam concessit monasterio Elnonensi, constructo *in honorem sancti Stephani protomartyris & sancti*

LXVII S. Amando facta donatio.

ANNO CHR. 1070. » *Amandi confessoris*, ea lege, ut abbas & fratres jam dicti monasterii in festo sancti » Remigii tres solidos denariorum Tornacensis monetæ *ecclesia domina nostra sancta* » *Maria Tornacensi* quotannis persolverent. Idem ejusdem villæ mancipia prædicto mo- » nasterio tradit, eo pacto, ut in festo sancti Remigii, quod kalendis Octobris cele- » bratur, duos denarios pro censu capitali unusquisque servus eidem loco persolvat; » licentiam vero conjugia ineundi ab ejusdem monasterii abbate, vel ab ejus mini- » stris accipiat, & pro mortua manu, si uxorem duxerit non de sua lege, quidquid » habuerit vel possederit, in jus monasterii veniat. Et ut hæc traditio firmior sit, » Agnes Anselmi mater huic traditioni interfuit, & consensit, præsente venerabili ab- » bate Fulcardo, qui & Lambertus cognominatus. *Actum Elnone monasterio anno Verbi incarnati* M LXX. *regnante rege Francorum Philippo, tenente Flandriam marchione nostro*, inquit ille, *Balduino, filio Balduini Barbati, præsidente Noviomensi seu Tornacensi cathedræ Baldnino.* Per id tempus in monasterio sancti Amandi assignati erant certi quidam census ad varia officia, puta ad lumen ecclesiæ & ornamenta, census capitalis, colligi solitus in festo depositionis sancti Amandi, oblationes factæ in ecclesia, aliaque; ad thesaurum ecclesiæ reparandum *Hertinium quod ex argenteo crucifixo emtum fuisse dicitur*; ad opera claustri *Moniels*, & alia; ad vinum monachorum Barisiacus, &c. ad panem fratrum, hospitum, & operariorum Fermium, Tipsiacus, &c. ad cellerarium coquinæ fratrum molendina supra Scarpum, furni, &c. ad camerarium *Villemels* &c. ad præpositum justitia villæ sancti Amandi, & alia. Hæc sunt claustralia, ut vocant, officia, quæ sæculo nono jam in more fuisse, in tomo tertio nostrorum Annalium vidimus.

LXVIII. Balduinus Monensis Hasnonii humatur.

Hoc anno Balduinus Monrensis, Flandriæ comes e vivis excessit, vir pacis & recti ordinis amans, ac longiori vita dignus. Jacet in basilica Hasnoniensis monasterii ab ipso instaurata, & a Lietberto Cameracensi, Ratbodo Noviomensi, & Rainerio Aurelianensi episcopis consecrata: ubi monachos loco sæcularium canonicorum restituerat. Duos ex Richilde filios reliquit, Arnulfum natu majorem, cui Flandriam; & Balduinum, cui Hannoniam testamento assignavit, Arnulfi tutela Rotberto Frisio commissa. quæ res funesti belli seminarium fuit inter ipsum & Richildem Arnulfi matrem, quæ hanc ei tutelam denegavit in magnam sui & filii Arnulfi perniciem, cui Rotbertus Flandriæ comitatum vi abstulit.

Balduinus ejus filius S. Ghisleno infestus.

Ad Balduinum Hannoniæ comitem quod attinet, hunc esse puto, qui Cellam seu monasterium S. Ghisleni dire vexavit. qua de re graviter conquestus est apud Henricum imperatorem Widricus, ut videtur, abbas, cujus hoc loco epistolam referre non pigebit.

Domino glorioso Romanorum imperatori cæsari augusto H. W. Cellensis cœnobii abbas cum grege sibi commisso, triumphare feliciter & regnare cum Christo. Summe priorum princeps, cui Deus regni commisit habenas, ut judicium pauperum querelas & oppressorum causam discutias, tibi miseriarum nostrarum & oppressionis tyrannicæ, quam patimur, clamorem dirigimus; a te gemituum nostrorum solamen imploramus. Balduinus comes, in cujus exitiabili comitatu nostra pridem ecclesia in honore principis apostolorum & sancti patris nostri Gisleni munificentia regali fundata & regalis eleemosina nuncupata, modo vero vix subsistit; nos per tres & eo amplius annos ita vastavit, attrivit & diripuit, ut penitus spem subsistendi non habeamus, nisi tu, gloriose imperator, cujus patres, avi, atavi nos fundarunt, & liberos regali jure fore constituerunt; tua defensionis manum exseras, & scutum protectionis obtendas. Neque nos frustra conqueri judicet pietas tua. Non enim tyrannum miracula, quæ per patronum nostrum, sanctum videlicet Gislenum, Dominus multoties operatur, quando pro perpetratis in nos rapinis & violentiis, ut ejus tepescat furor, sanctum sibi corpus præsentatur, ab incæpto scelere revocant; non dominorum imperatorum decreta cohibent; non majestates sigillis impressa deterrent; non bonorum virorum dehortatio, non illata christianitatis animadversio, non nostrorum solidorum, librarum, marcarum multiformis impensio. ad cumulum quam frequenter in villis, in mansis, in possessionibus, ob amorem Dei sanctorumque Petri atque Gisleni, largitate regum, ducum, pontificum, ceterorumque fidelium Dei, nobis collatis, imperiali libertate firmatis, demoratur, jacet, ponit colloquia; postremo recedens diripit, vastat, prædatur omnia. Dum per quinque dies in Hornuto, Durno, Bussuto, regia liberalitate concessis, regio jure firmatis, moraretur; quinta die quæ S. Matthæi apostoli & evangelistæ tunc temporis passione vernabat, quidquid prædæ invenit, abduxit: cumque sancti patris nostri corpus opponentes

sibi, timorem Dei regiamque libertatem reclamaremus; quidam suorum nostros, sanctum corpus sustentantes, tantis verberibus affecerunt, ut loculus sancti sanguine vulneratorum pollueretur. Heu! quot servos & fideles ecclesiæ nostræ plageariis suis captivos tradidit, & omnia bona illorum diripuit! Heu! quot prædas non solum familiarum nostrarum, sed ex nostro peculio ducentis libris & eo amplius meliores nobis arripuit! quæ omnia qualiter distraxerit, ne regias aures offendamus, dicere timemus. In hoc adhuc præsenti anno ipsius rapacem furorem quoquo modo sedare gestientes, decem marcas argenti ex nostra paupertate pro nobis, nostrisque dedimus, quasi pacis ac tranquillitatis obsides. quibus receptis, mox cuidam villæ nostræ, quæ Villare, insiluit, necnon inter atrium ecclesiæ totius villæ prædam diripiens abscessit. Post hanc sancti Johannis-Baptistæ celebritatem, quæ nuper celebrata est, in altera villa, quæ Erchana, centum solidorum prædam & eo amplius meliorem servis & ancillis ecclesiæ nostræ arripuit, & insuper uni monachorum nostrorum equum, quo in nostris necessariis utebatur, abstulit. Nunc jam, summe cæsar, gloriose rex ac domine, quoniam honor regis judicium diligit, &, teste Apostolo, non sine causa gladium portas; pro anima domini nostri divæ memoriæ patris tui, cujus regia majestas nos libertati condonavit, aures pietatis ad clamorem nostrum aperi, dexteram justitiæ viriliter exsere, ad instar evangelici regis mortem filii viduæ vindicantis, vindica nos de adversario nostro: ne sancta mater ecclesia reclamans invindicata venienti in judicio sugillet te. Regis regum misericordia & Domini dominantium in cujus manu sunt corda regum vel tempora, vestra imperia sic ordinet & disponat, ut & hostes pacatos & subjectos faciat, fideles & amicos multiplicet & custodiat. Vale, decus imperii.

Hactenus epistola Widrici, ut puto, abbatis, qui Herihrando successerat, idem, ut videtur ac Guidricus, qui Folcardi abbatis successor a quibusdam perperam, si non fallor, ponitur. Folcardum excepit Alardus, qui concilio Claromontano sub Urbano II. interfuit.

LXIX. Aureæ-vallis monasterium. * Orval.

Exstat in Cimacensi seu Chiniensi comitatu insigne Cisterciensis Ordinis monasterium, Aurea-vallis * nuncupatum, cujus initia & incrementa Johannes Bertelius fuse commemorat in Historia Luxemburgensi hic compendio referenda. Anno M LXX. monachi quidam Benedictini instituti ex Calabria in Lotharingiam prædicandi evangelii causa accesseruut. Cumque varia loca peragrassent, tandem in locum quemdam peramœnum silvæ Arduennæ, fontium limpidissimorum scaturigine irriguum, ab hominum remotum consortio, adeoque christianæ philosophiæ aptissimum inciderunt. Loci commoditate illecti, ibidem consistere, & monasterium ædificare constituunt, annuente Arnulfo Chiniensi comite, ad quem loci dominium pertinebat, & cuncta necessaria liberaliter conferente. Forte accidit, ut Mathildis comitissa, Godefridi-Gibbosi Lotharingiæ ducis conjux, illuc diverteret. quæ monachorum pietate recreata ex dolore, quem ex filio aquis submerso contraxisse fertur, oratorium ibidem in honorem Deiparæ Virginis exstruxit, novi monasterii censum auxit, & loci donationem ab Arnulfo comite anno M LXXX. confirmari curavit, magna insuper summa pecuniæ ad amplioris basilicæ fabricam collata. Nec mora monachi opus aggrediuntur: verum, dum operi studiose insistunt, præter spem a suo abbate in Calabriam revocati, opus imperfectum & locum vacuum relinquunt. Post mortem Arnulfi comitis, quæ anno M CX. accidit, ejus filius ac successor Otto inchoatum opus absolvere statuit, locumque duobus sæcularibus clericis, assentiente Trevirensi archiepiscopo, concessit, qui illic sub præpositi regimine vixerunt usque ad annum M C XXXI. quo Adalhero Virdunensis episcopus, e Chiniensium comitum stirpe ortus, locum S. Bernardo ClaræVallensi abbati obtulit. Ante prædictum annum sollemni ritu dedicata fuit ecclesia ab Henrico Virdunensi episcopo, anno scilicet M C XXII. ut suo loco videbimus. Illic renovata nostro tempore Cisterciensium primigenia institutio, insigne religiosæ vitæ exemplum toti provinciæ, immo & Galliæ præbet.

Bullionis cella, & aliæ sancto Hucberto datæ.

Bullionem seu Bullonium, silvæ item Arduennæ castrum, tunc hereditario jure possidebat Godefridus Barbatus senior, Lotharingiæ dux, & post eum successores, & quidem ex beneficio archiepiscopi Remensis, dum Rainaldus archiepiscopus, ejus nominis secundus, Alberoni Leodicensi antistiti, ejusque successoribus certis illud conditionibus anno M C XXVII. dedit. Illic prædictus Godefridus hoc tempore monachos, ex vicino sancti Hucberti cœnobio evocatos, *concedente venerabili Theoderico abbate*, in ecclesia ejusdem castri, sancto Petro sacra constituit, annuisque censibus dotavit, idque Alexandri papæ auctoritate confirmari curavit. Hæc constant ex litteris [a] Go-

[a] Mir. cod. donat. p. 220.

ANN. CHR. 1070.

defridi Bullionii, postea Jerosolymorum regis, qui avi sui prædicti Godefridi Barbati donationem auxit, concesso eidem ecclesiæ Baseio, cum consensu Idæ ejusdem ducis filiæ, fratrumque suorum Balduini & Eustachii anno M XCIV. Theoderico secundo sancti Hucberti abbate. Hactenus ibidem cella est abbatiæ sancti Hucberti.

Præter illam cellam Bullionensem, quædam aliæ sancto Hucberto concessæ ob famam venerabilis Theoderici abbatis primi: cujus gratia Arnulfus Warcbensis comes, filius Ludovici comitis, homo licet multæ vanitatis & levitatis, una cum conjuge sua Adelaide, ecclesiam seu abbatiolam sancti Sulpicii in villa, quam Piros * vocant, prope Macerias opidum & Warcum * sita sancto Hucberto dedit, ubi ejus rogatu idem Theodericus abbas monachos collocavit. Idem præstitum in ecclesia beatæ Mariæ apud Evernei-curtem *, quam Elinandus Laudunensis antistes eidem concessit. Porro altare prædictæ villæ sancti Sulpicii, quod Pirensi ecclesiæ vicinum est, itidem sancto Hucberto largitus est Gervasius Remorum archipræsul, vir optimis dotibus instructus, sed natura & moribus ferox, qui ejusdem venerabilis abbatis consuetudine & monitis multum feritatis deposuit.

* Prix.
* Warc.
* Everni-court.

Sigebergensi monasterio reliquiæ datæ.

Per id tempus Anno Coloniensis archiepiscopus Romam profectus est. In reditu multis precibus flagitavit ab Adelhaida, tunc Alpium Cottiarum marchionissa, ut Thebææ legionis martyrum quasdam reliquias ex Agaunensi monasterio, quod ejus ditionis erat, sibi impertiretur. Annuente illa, hic donis ac promissis sacrarum ædium custodem ita flexit, ut, remotis arbitris, sancti Innocentii corpus una cum capite sancti Vitalis ipsi concederet. Utrumque reverenter extulit Anno, & Sigebergensi monasterio intulit III. idus Maii, qui dies Ascensionis hoc anno erat. Sigebergensis cœnobii fit mentio in epistola Walonis [a] ad Widonem episcopum. Idem etiam beati Cæsarii martyris brachium contulit eleganti sacello ab se constructo, quod sancti Georgii templo contiguum erat. Cum vero illud in honorem sancti Jacobi ab ipso consecraretur, subito incendium ingens obortum toti civitati excidium allaturum videbatur. Verum id dæmonis arte factum intelligens sanctus pontifex, adstantes securos esse jussit; &, quanti meriti esset sancti Cæsarii invocatio, sequenti exemplo declaravit.

a Baluz. to. 4. Miscell. p. 444.

LXX.
Romæ mortuus revivi-cit.

Erat in urbe Roma vir quidam opibus & divitiis affluens, sed laxioris vitæ, Andreas vocabulo, qui præter nomen nihil christianæ religionis habere videbatur, nisi quod beato Cæsario martyri devotus, ejus ecclesiam cum cereis frequentare solebat. Hic generali mortis lege constrictus, sero pœnitens, animam exhalavit. Mox corpus in feretro compositum, dum sepultura in alterum differtur diem, protractis ad medium noctis parentantium excubiis, moto repente feretro, caput erigere cœpit. Tum, qui aderant, aliis præ metu diffugientibus, aliis, qui constantiores erant, illic remanentibus, & an mortuus fuisset dubitantibus; ille graviter suspirans: Non, inquit, simulate, sed vere mortis sortem subii; at perpetuæ damnationis pœnas luiturus, nisi Cæsarii martyris intercessisset supplicatio. Ad hæc multa intulit, quæ sibi in divini examine judicii contigerant, & adstantes ad pœnitentiam & cautelam adhortatus, super feretrum denuo se collegit, & obiit. Quo tempore id contigerit non expressit Anno, nec vitæ ejus scriptor, qui hæc ex eo refert: sed factum videtur non longe ante illud tempus, nec scio an sancti Brunonis conversioni, qui hoc ex Annone, utpote Coloniensi, rescire potuit, occasionem dederit.

LXXI.
Legerensis monasterii dotes confirmatæ.

Quartus erat hic annus Sancii Ranimiri seu Ramiri, regis Aragonum & Montisonis, qui tunc insigne privilegium [b] Legerensi sancti Salvatoris monasterio, ac Sancio abbati, ejusque successoribus indulsit, commemoratis superiorum regum privilegiis, & confirmatis. In primis refert privilegium Sancii regis [c] avi sui, qui multa eidem cœnobio bona & amplissimam dignitatem contulit, misso ad sedem apostolicam Sancio abbate & episcopo, magistro suo, pro libertate ejusdem loci, asserens inter alia, quod » *hoc primum & antiquissimum, atque regium & præcordiale totius regni sui cœnobium ha-* » *beretur.* Illuc etiam translata ecclesiæ Iruniensis, nuper vastatæ, episcopalis sedes, » cujus instaurandæ cura eidem Sancio abbati & episcopo commissa. Mortuo prædicto » Sancio abbate & episcopo, qui in ecclesia Legerensi sepultus quiescit, Legerense mo- » nasterium rexit Sancius alter abbas & episcopus, minor dictus, cui prædictus rex » Sancius omnes ejus loci possessiones confirmavit, & Ranimiro regi filio suo corro- » borandum privilegium obtulit. quo mortuo, Ranimirus iste patris sui decreta in- » violabiliter conservavit, eaque Sancio-Ranimiro filio suo conservanda commenda-

b Tepes. append. tom. 4.
c V. lib. 55. n. 29.

vit. quod se præstitisse ait Sancius, primum quidem anno præcedente, qui tertius regni ejus annus erat, convocato in monasterio Legerensi concilio, cui Hugonem Candidum cardinalem presbyterum interesse contigit. Hic rogatu regis prædictum Sancium abbatem & episcopum, ejus nominis secundum, ad Alexandrum papam direxit, ut Legerense monasterium in suam tutelam reciperet. quod & obtinuit. Denique idem rex Legerensibus talia privilegia & jura concedit, *qualia habet Cluniacense monasterium, de cujus sanctissimo fonte ordo beati Benedicti*, id est restauratio disciplinæ regularis, *in his partibus prius emanavit*. Subscribunt post Sancium Petrus & Aldefonsus rex Aragonensium & Pampilonis, ejusdem Sancii regis filii. *Facta charta æra* M C VIII. XIV. *kal. Maii in sancto Salvatore, anno* VIII. *pontificatus domni Alexandri papæ* II. *anno ab incarnatione* M LXX. *indictione* VIII.

LXXII. Alfonsi regis Castellæ in Cluniacenses benevolentia. a Roderic. Tolet lib. 6. c. 19.

Paullo ante, id est æra M C I. Sancius alter, Castellæ rex, dum fratrum suorum regna occupare pergit, in obsidione Zamoræ accepto vulnere exstinctus est: cujus corpus Castellani ad Oniense [a] monasterium cum multo planctu detulerunt: ubi illud pro regia dignitate sepulturæ mandarunt. Quia vero Sancius prolis expers decesserat, Castellani & Navarri Aldefonsum ejus fratrem, qui captus a fratre, monasticum habitum, non sponte, sed coactus, in cœnobio sanctorum Facundi & Primitivi induerat, indeque ad Almenonem regem Toletum confugerat; ad recipiendum regnum revocant, accepto prius sacramento, quod ipse fraternæ cædis minime conscius esset. Hic strenuissimus princeps fuit, idemque religiosissimus, qui Cluniacenses nostros in primis maxime honoravit. Is monachum quemdam ab Hugone venerabili eorum abbate postulavit ex sacro illo cœnobio. Missus primum Rotbertus monachus, cujus adventu rex adeo recreatus est, ut litteris ad Hugonem scriptis ei gratias egerit, simul eum rogans, ut quosdam insuper alios ad se mitteret, pollicitus se duplicaturum censum, quem ipsius pater sanctissimo illi Cluniacensium loco dare solitus erat. Inscripta est epistola [b] *Hugoni venerabili & excellentissimo abbati Cluniacensium, virtutum floribus claro, fomite divino suffulto, atque cunctæ dulcedinis mellifluo seniori, quem sua dignitatis clarificat gradus; necnon cunctæ nobilissimæ congregationi apostolorum Petri & Pauli.* Epistolæ exordium sic habet: *Quanta te, gloriosissime pater, devotione diligam, melius, ut deputo, ipse cognoscis, quam aliquis doctor in charta scribere possit. Rotbertum quem super omnes monachos teneo excellentiorem & cariorem, vestrumque ex intimo corde fidelissimum confratrem,* [*ad te remitto*] *scientem qualiter tuus amor factus est mihi velut ignis, tota die & nocte ardens in corde meo. unde si omnia mihi dedisses, qua in mundo habere potes, puto nihil esse ad comparationem illius boni, quod causa mei particulam tui gregis, quem spirituali fovisti manu, in nostris partibus misisti.* Dein petit rex sibi quosdam alios mitti ejusdem sanctissimæ religionis monachos, *ut illum nostrum*, inquit, *& vestrum locum, quem tuo sanctissimo fonte incœpisti rigare, repleant tua dulcedine, dum in hoc fragili corpore moveor.* In fine postulat, ut census ille, quem forte per Rotbertum mittebat Cluniacum, ad comparandam annonam, unde illa sanctissima sustentaretur congregatio, expenderetur. Eo quippe tempore sterilitas Galliæ incubuerat. Quam male postea se gesserit Rotbertus ille, inferius videbimus.

b Spicil. to. 6. p. 445.

LXXIII. Cluniacensium gratitudo. c Ibid. p. 447.

Acceptorum a rege beneficiorum memor Hugo abbas, statutum [c] edidit, quo universis Cluniacensibus fratribus, tam præsentibus quam futuris, de domno Alfonso « Hispaniarum rege, suo fideli amico, qui tanta ac talia bona ipsis fecerat, faciebat- « que indesinenter, ut nullus regum vel principum, sive priscis seu modernis tempo- « ribus ei comparari posset, præcipiebat, ut eum omnium bonorum, quæ apud se fie- « bant, tam in vita, quam post mortem, participem facerent; psalmum *Exaudiat* cum « sua collecta ad horam tertiam, dum viveret, pro eo decantarent. Ad hæc ut die « cænæ Domini triginta pauperes pro eo ad mandatum, ut vocant, admitterentur; « & die sancto paschæ centum pauperes pro eo reficerentur. Insuper quotidie præbendam in refectorio ad majorem mensam haberet, pauperibus erogandam. Deni- « que ut in ecclesia nova majori, *quam ipse de propriis facultatibus construxisse videtur*, « unum altare ex præcipuis ad celebranda pro eo divina mysteria deputaretur. Post « obitum vero ejus, præter officia, missas & eleemosynas, quæ pro eo faciendæ essent, integro anno divina pro illo mysteria in illo altari celebrarentur; & anni- « versaria ejus dies in perpetuum, *sicut pro domno Heinrico imperatore augusto*, sol- « lemniter celebraretur. quod etiam de regina ejus conjuge, cui nomen Urraca, fieri «

» mandat, cujus anniversarium diem, *sicut imperatricis Agnetis*, fieri constituit.

LXXIV. S. Pauli basilicæ portæ æreæ.

a V. Inscript. basil. S. Pauli p. 1. & 2.

Quod Baronius annalibus suis inserendum putavit, nostris haud indignum censendum videtur, nimirum quod ipse refert de januis [a] æreæ portæ primariæ basilicæ sancti Pauli, extra urbis mœnia positæ via Ostiensi, quas consul Pantaleon Constantinopoli fabricari hoc anno curavit, egregium ipsius pietatis monumentum. Geminæ januæ sunt, quinquaginta quatuor partitæ æqualibus spatiis, in quibus Christi Domini, sanctæ Dei-genitricis Mariæ, necnon prophetarum quorumdam & apostolorum imagines insculptæ sunt cum quibusdam inscriptionibus, quarum prima sic habet: *Anno millesimo septuagesimo ab incarnatione Domini, temporibus Alexandri sanctissimi papæ II. & domni Hildebrandi venerabilis monachi & archidiaconi, instructa sunt portæ istæ in regia urbe Constantinopolitana, adjuvante domino Pantaleone consule, qui illas fieri jussit.* Sequuntur quidam versus, quibus Pantaleon beatum Paulum sibi propitium fieri rogat, ubi se *Malfigenum* vocat his versibus.

Paule beate, preces Domino ne fundere cesses.
Consule Malfigeno pro Pantaleone rogando,
Ductus amore tui qui portas has tibi struxit.

Alios versus prætereo non magni momenti, quos ibi videre licet.

LXXV. Offæ abbatissæ obitus.

b Paul. diac. lib. 6. c. 1.

Haud scio an ad hoc usque tempus pervenerit venerabilis Offa, sancti Petri intra Beneventum parthenonis abbatissa, ad montis Felicis radices positi, quod Paulus [b] Warnefridi a Theuderada, Romualdi ducis uxore, constructum fuisse dicit. Offæ gesta quædam Desiderius abbas Casinensis seu Victor tertius commemorat in libro tertio Dialogorum, ex relatu Bellæ amitæ patris sui, quæ cum fuisset desponsata viro, domo patris clam egressa, ad prædictum sancti Petri monasterium confugerat: ubi *in sanctimoniali habitu* a primævo juventutis flore usque ad extremam senectutem conversata, Offæ gesta didicerat. Hæc itaque Offa primum quidem in monte sanctæ Agathæ, juxta Capuanam urbem sito, diu eremiticam duxerat vitam, antequam prædicti monasterii regimen subiret, ex quo forte ad illam solitudinem secesserat. Accepto monasterii regimine, quadam nocte, sororibus adhuc quiescentibus, oratorium ingressa, accepit thuribulum, *ut more solito thura adoleret altaribus*: cumque thus in thuribulum immittere vellet, e manu ejus in terram thus cecidit, nec illud, lampade quippe exstincta colligere potuit. Tum repente quemdam sibi adstare sensit, qui, manu ejus accepta, in thuribulum thymiama immisit tanti odoris, ut ex eo tempore ad horam usque nonam, non modo ecclesiam, sed totum monasterium sua fragrantia impleverit. Quo ex loco intelligimus, moris olim fuisse, ut in monasteriis virginum noctu altaribus thus adoleretur. quod etiam in virorum monasteriis usu receptum fuisse docent in primis ritus Floriacenses, in quibus præcipitur, *ut ante matutinum altaria a sacrista thurificentur.* Denique religiosissima illa abbatissa, cum jam morti proxima esset, cunctis, qui adstabant, videntibus, e lectulo suo ad mensuram trium fere cubitorum sursum erecta, expansis in cælum manibus sic stetit; factaque oratione cum se iterum in lectulo composuisset, ultimum spiritum exhalavit. Hæc cum infirma decumberet, rogata ut aliquantulo cibo corpus refocil-
» laret, ut erat deliciis minime assueta: Si quid, ait, infusorum leguminum mihi attu-
» leritis, forsitan aliquantulum ex eis potero degustare. *O abstinentia,* inquit Desiderius, *in femina prædicanda! quæ in infirmitate posita, infusis leguminibus pro summis etiam deliciis utebatur.* Quanta fuerit ejus sanctitas, probavit rusticus quidam, qui cum saccum frumento plenum super ejus tumulum irreverenter deposuisset, excusso cælitus sacco, frumentum in terram sparsum obstupuit: probavit & alter quidam vir nobilis, qui super eumdem tumulum sedere ausus, tanto viscerum dolore repente correptus est, ut se ilico moriturum crederet. ast, intellecto cujus esset illud sepulcrum, petita venia, meritis Dei famulæ sanatus est. Hæc ex Victore, quæ Petrus Damiani [c] etiam retulit.

c Pet. Dam. lib. 8. ep. 3.

LXXVI. Fructuariæ privilegium.

d Bibl. Sebus. p. 298.

Exstat in Bibliotheca Sebusiana [d] Alexandri papæ privilegium, interventu Agnetis imperatricis & Annonis Coloniensis archiepiscopi indultum *venerabili Alberto abbati monasterii sanctæ Mariæ, siti inIpporegiensi loco, qui dicitur Fructuaria*, ejusque *successoribus regulariter promovendis.* quo privilegio confirmat pontifex libertatem il-
» lius cœnobii, illudque sub tutelam sedis apostolicæ recipit, ita ut non liceat cuiquam
» servos Dei ibidem, vel in cellis suis degentes inquietare, vel de eorum substantia quidquam

quidquam detrahere; & fignanter Ipporegienfi epifcopo ibi hofpitium facere. Datum Laterani anno Domini M LXX Is erat abbas Albertus, ejus nominis fecundus, qui cellam in Ripa-rubea erexit, atque in ea duodecim monachos cum priore collocavit, ad annum M LXXIX. fuperftes. Huic fucceffit Ubertus feu Guibertus, factus demum epifcopus Eporedienfis, cujus tempore, fcilicet anno M LXXX. Taurini placitum [a] habitum eft fuper controverfia, quæ vertebatur inter abbates Fructuarienfem & Divionenfem, quorum hic Fructuarienfe monafterium Divionenfi fubjectum effe contendebat. Hæc controverfia ventilata fuit coram Hermanno S. R. E. cardinali, Hugone epifcopo Dienfi, Gratianopolitano, Sedunenfi & Morienenfi, atque Adelaide comitiffa, ejufque nuru, fcilicet Agnete, & Friderico marchione: at caufa remiffa ad papæ audientiam ad proximam fynodum quadragefimæ.

ANN. CHR. 1070.

a Guichen. t. 1. hift. Saband. p. 19.

LXXVII. Monaft. de Dunfermelin in Scotia conditur, &c.

Regnabat tunc temporis in Scotia Malcolmus hujus nominis III. qui monafterium Fermelodunum feu Dumfermilingenfe in honorem fanctæ Trinitatis una cum uxore fua Margarita condidit. Primas fundationis tabulas exhibet Marshamus in tomo 2. Monaftici Anglicani, quæ nullam præferunt chronologiæ notam; at id hoc anno M LXX. contigiffe difcimus ex chronicis Scoticis, biennio fcilicet poftquam Malcolmus Margaritam in uxorem duxiffet. Hæc enim fuit condendi monafterii occafio, ut teftatur Turgotus in ejufdem fanctæ Margaritæ vita cap. 4. ubi fic habet: *Poftquam culmen afcenderat honoris Margarita, mox in loco ubi ejus nuptiæ celebratæ fuerant, æternum fui nominis & religiofitatis erexit monimentum. Triplici autem falutis intentione nobilem ibi ecclefiam in fanctæ Trinitatis ædificavit honorem*, &c. qui locus, ut ait Fordonus in chronico Scotiæ, *Dumfermelin* dictus, haud longe aberat a finu maris quo Regina ex Anglia adventans applicuerat. Incertum eft an huic monafterio tum primum præfecti fuerint abbates. Certe tabulæ fundationis quas laudavimus, *abbatiam* femel & iterum appellant; nullus tamen ante Davidis tempora abbas hujus loci invenitur. Quin & libro V. hiftoriæ Novorum Eadmeri, Alexander Scottorum rex anno M C XX. legatos ad Radulfum Cantuariæ metropolitanum mififfe dicitur, *viros honoratos & ftrenuos*, qui Eadmerum in fancti Andreæ epifcopum peterent, ex quibus primus *erat monachus & prior ecclefiæ Dunfermelinæ, Petrus nomine, clerici duo, & unus miles.* Idem innuit auctor [b] chronici fanctæ Crucis Edimburgenfis, ad annum M C LIV. ubi *Gaufridus primus abbas de Dumfermelin* obiiffe dicitur, *ejufque nepos Gaufridus in illius locum fucceffiffe.* Quare haud ægre iis affentimus, qui aiunt monafterium illud conditum quidem fuiffe a Malcolmo rege, fed ex eo tempore ei præfuiffe folummodo priores, ad annum M C XXVIII. quo, uti ex Florentii Wigornienfis continuatore difcimus, *vir religionis eximiæ Cantuariæ prior, Gosfridus nomine, rege Scottorum David petente, & archiepifcopo Guillelmo annuente, abbas eligitur ad locum in Scotia, qui Dunfermelin dicitur, ordinatus a Roberto epifcopo fancti Andreæ.* Ejus ecclefia dedicata eft anno M C L. ex chronico Edimburgenfi, cujus abbates hoc ordine præfuiffe ex chartis domefticis collegit amicus nofter Thomas Innefius, prefbyter Scottus, videlicet Gosfridus feu Gaufridus ab anno M CXXVIII. ad M C LIV. Gaufridus II. ad M C LXXVIII. Archimbaldus ad M C XCVIII. Willelmus ad M CC XXXVIII. Goffridus ad M CC XL. Robertus, &c. Extat tomo 2. Angliæ facræ Davidis regis charta, qua multa eidem loco conferuntur. Huic multi *teftes & affertatores* fubfcribunt, idque non ftatim poft datam chartam. Nam Johannes abbas de Kelchow, qui inter alios recenfetur, nonnifi feptennio poft Davidis obitum hanc dignitatem accepit. Porro Scotiæ reges qui antea in monafterio Ilienfi feu Ycolmkillenfi fepeliri confueverant, a Malcolmo III. & Margarita apud Dunfermelin tumulos habuere, ubi veftigia monumentorum regiorum, inter celeberrima iftius abbatiæ rudera etiamnunc vifuntur. Quanta vero fuerit olim ejus loci celebritas & potentia, ex iis difce quæ refert Matthæus Weftmonafterienfis in Floribus Hiftoriarum, ad annum M CCC III. *Duæ*, inquit, *erant in Scotia famofiffimæ abbatiæ, in facultatibus opulentiffima & in ædificiis munitiffima, Aberbredok, videlicet & Dunfermelin. Porro Dunfermelin infra procinctum fuum ampla erat nimis, continens tres carrucatas terræ, palatia quafi regia continens in fe multa, ita ut tres inclyti reges cum eorum fequela, finguli fine alterius improbitate fimul & femel hofpitari poterant; idcirco propter nimiam capacitatem foliti fuerant majores natu regni Scotiæ illuc convenire.* quæ omnia Eadgari Anglorum regis exercitus anno M CCC. III. folo adæquavit; *ecclefia duntaxat ab incendio refervata, & paucis domibus monachis regulariter competentibus.*

b Tom. 1. Angl. fac. pag. 161.

ANN. CHR. 1071. LXXVIII. Casinensis ecclesiæ dedicatio.

a Chron. Casin. lib. 3. c. 30.

IN sequens annus MLXXI. novæ Casinensis ecclesiæ dedicatione insignis fuit, maxime ob consecrantis dignitatem. Hanc basilicam intra quinquennium construxerat Desiderius abbas & cardinalis, cujus rogatu Alexander pontifex Casinum Septembri mense profectus est, ut novam ecclesiam consecraret. Ea res kalendis[a] Octobris, & quidem die sabbati, sollemni ritu peracta est. Adfuerunt plerique ulterioris Italiæ episcopi cum tota curia Romana; necnon frequentes vicinarum civitatum populi, tum etiam principes Richardus Capuanus, Gisulfus Salernitanus, Landulfus Beneventanus, atque duces Neapolitanus & Surrentinus. Tantam illic populorum multitudinem confluxisse tradit Leo Marsicanus, ut non modo universæ monasterii officinæ, sed omnia ab imo ad summum montis itinera, domusque opidi sancti Germani & plateæ omnes, verum etiam omnia longe lateque camporum adjacentium spatia innumerorum hominum cuneis conferta essent. Novæ illius ecclesiæ quinque erant altaria: quorum duo mediana, unum in honorem beatissimi patris Benedicti, sancti Johannis-Baptistæ alterum pontifex ipse consecravit: tertium, quod in australi parte situm erat, Johannes episcopus Tusculanensis in honorem sanctæ Dei-genitricis: quartum, ad Aquilonem positum, sub patrocinio beati Gregorii, Hubaldus episcopus Sabinensis: quinrum sancti Nicolai Erasinus episcopus Segrinus consecrarat. Ipsa die amplissimæ[b] indulgentiæ ab apostolico indultæ, tam iis, qui præsentes aderant, quam ceteris, qui per octo consequentes dies illuc convenirent, peccatorum, quæ confessi essent, absolutione concessa. Eo etiam accessit Agnes[c] pissima imperatrix, ibique per medium fere annum commorata est, multis donariis sancto Benedicto oblatis. Quot vero, quantisque ornamentis novam illam basilicam decoraverit Desiderius, longum esset percensere, quæ omnia singillatim refert Leo Marsicanus. Addit idem auctor[d] constructum fuisse de novo monasterium ab eodem abbate, quod anno sequenti reservandum.

b ibid. c. 31.

c ibid. c. 32.

d ibid. c. 33.

Guaiferius Casini monachus.

e ibid. c. 61.

Tunc temporis in Casinensi monasterio florebat Guaiferius, domo Salernitanus, vir sapientissimus ac facundissimus, teste[e] Leone, qui Salerno Casinum conversionis gratia venit tempore Desiderii abbatis, a quo admissus, factusque monachus est. Hic inter alia libellum scripsit de inventione corporis sancti Secundini episcopi, cujus corpus Trojæ in Apulia, cum templum sancti Marci Evangelistæ construeretur, inventum est. Hujus inventionis historiam scriptis mandavit Guaiferius, præmisso prologo[f] ad Trojanum episcopum, quem *fratrem & coepiscopum* vocat. tametsi episcopus ipse non fuerit, ut ex Leone Marsicano & Petro diacono intelligimus. Henschenius opinatur, Trojanum illum episcopum esse Stephanum, qui hoc anno ecclesiæ Casinensis dedicationi interfuit. In prologo suo Guaiferius sic episcopum illum alloquitur. *Quæsisti a me per Casiniensem abbatem, quem ego causa honoris Desiderium nomino, virum inter bonorum antistites operum & religione laudatum, & moribus comprobatum, ut, si quid mihi otii tua posset amicitia suadere, ad scribendum potissimum historiam confessoris Secundini conferrem. Faciam rem difficilem, & causam felicem agam: neque illi hortanti deero, nec tibi roganti: cum & illi obedientiam, & tibi debeam caritatem.* In contextu libelli ait auctor, igne probatas fuisse sancti Secundini reliquias, de quarum veritate nonnulli dubitabant. Guaiferium fastis Benedictinis ut sanctum, sed incerto die, consignat Wion, & post eum Menardus, sed non satis solido, ut videtur, fundamento.

f Bolland. to. 2. Febr. p. 531.

LXXIX. Lanfranci iter Romam & lis cum Thoma Eboracensi.

g Alberic. ex VVillelmo Malmesb.

Initio hujus anni Lanfrancus anno superiore creatus Dorobernensis archiepiscopus, Romam profectus est, pallium ab Alexandro accepturus, quod absenti dari non posse Hildebrandus litteris suis significaverat, quæ inter Lanfranci epistolas sexta est. Accedenti dignanter assurexit pontifex, professus se illud insigne reverentiæ detulisse, *non honore[g] archiepiscopi, sed amore magistri.* Ob eamdem causam, post concessum pallium dari consuetum, aliud superaddidit in signum amoris, illud ipsum scilicet, quo idem pontifex uti consueverat in celebratione missarum.

Eodem tempore Romam quoqne accesserat Thomas, ex canonico Bajocensi electus Eboracensis archipræsul, petendi itidem pallii cansa, simul ut de primaru Cantuariensi, coram pontifice cum Lanfranco disceptaret. Hujus controversiæ originem ac seriem fuse describit Willelmus[h] Malmesburiensis, quam hic compendio referemus. Ubi primum consecratus est in sede Cantuariensi Lanfrancus, ad eum venit Thomas ab ipso consecrandus. Cum ab eo professionem obedientiæ exigeret Lan-

h idem VVillelmus lib. 1. de pont. Ang. c. 1.

francus, negavit Thomas id se facturum, nisi prius scriptas hac de re antiquas auctoritates videret, quibus id juste, ac sine suæ ecclesiæ præjudicio fieri posse sibi constaret. quod potius hominis extranei & Anglicani moris expertis ignorantiæ, quam pertinaciæ ac superbiæ Willelmus tribuit. Abiit itaque Thomas minime consecratus: at paullo post reversus, melius consultus professionem fecit, qua se Lanfranco in omnibus quæ ad christianæ religionis cultum pertinent, se obtemperaturum absolute promisit; successoribus vero ejus non ita, nisi prius in frequenti episcoporum concilio manifeste probaretur, antecessores suos Dorobernensis ecclesiæ primatibus hanc professionem fecisse, & facere debuisse. Profectus itaque Romam Thomas eodem ac Lanfrancus tempore, litem movit de primatu Dorobernensis ecclesiæ coram pontifice, asserens, Cantuariensem ecclesiam atque Eboracensem paris esse honoris, nec alteram alteri, secundum beati Gregorii constitutionem, debere ullatenus subjacere, sed tantum consecrationis [a] ordinem inter utriusque archiepiscopos servari. Ad hæc respondit Lanfrancus, Gregorianam illam constitutionem, non de Cantuariensi & Eboracensi ecclesia, sed de Londoniensi & Eboracensi esse prolatam. quibus auditis, censuit Alexander, hanc causam in Anglia totius regni episcoporum & abbatum judicio definiendam. Ambo itaque archiepiscopi in Angliam reversi, in paschali sollemnitate regem convenere. In frequenti curia jussum est fieri transscriptum, totius causæ summam continens. Prolata instrumenta refert Willelmus, quæ Cantuariensis ecclesiæ primatui suffragabantur: quibus Thomas unam beati Gregorii constitutionem opposuit, homo sermone non admodum eloquens, quem Lanfrancus ea, qua præditus erat dicendi arte facile superavit. Hæc controversia processu temporis non semel denuo ventilata fuit.

a V. lib. 10. n. 26.

LXXX. Monachi cathedrali Wintoniæ asserti.

Eodem tempore gravis in monachos persecutio exoriri cœpta est in Anglia, molientibus cum rege quibusdam episcopis, ut monachi e cathedralibus ecclesiis expellerentur, eorumque loco canonici seculares substituerentur. Jamque Walchelmus Wentanus antistes, vir cetera bonus, sed susurronum flexus consiliis, quadraginta minimum canonicos *cappis & superpelliciis* ornaverat, in ecclesiæ suæ possessionem mox inducendos. Et quidem regem jam in suam traxerat sententiam, eo pacto, ut Lanfranci archiepiscopi consensum eliceret. At ille novum facinus exhorruit, & papæ auctoritate, ne id episcopi auderent, effecit. Vulgata est [b] nuper Wintoniensium monachorum ea de re epistola ad Alexandrum papam, cujus hæc inscriptio & exordium. *Domino sancto, & in Christo semper venerabili, universali papæ Alexandro, humilis fratrum congregatio, in ecclesia sanctorum Birini, Swithuni, & Adelwoldi Deo deserviens in civitate Wentana, fideles orationes cum æterno famulatu per omnia sæcula. Inter innumeras omnium contritorum Anglicæ ecclesiæ querelas, ô omnium mærentium unica respiratio, & periclitantium desiderabilis portus domine papa, extremæ prolis vestræ paterna aure incumbite querimoniæ; &, qui omnium vos invocantium gemitibus compati debetis ex officio pastoralitatis suscepta, singultibus quoque nostris & precibus, quæsumus, adestote pro Dei & beati Petri amore. Videatis nos humi prostratos coram majestate apostolicæ sedis vestræ, supplicantes videlicet & obtestantes per viscera misericordiæ Dei nostri, & per pietatem beati Petri & hujus universalis matris ecclesiarum, quæ sinu præcellentissimæ benignitatis ad se confugientes protegere consuevit; ne patiamini nos, humilem Christi gregem, nativo professionis nostræ septo violenter ejectos, irruentibus lupis exponi: in quo scilicet ecclesiæ septo ab ipsa infantia plantati & radicati, & vicissim bonis usi & mala perpessi, jam per multa annorum sæcula inolevimus: ita videlicet ut ipsa antiquitas jam nobis pro auctoritate esse posset, etsi nullum auctorem haberemus.* Subdunt deinde illi monachi, inclytum regem Eadgarum, patrem beati Edwardi regis & martyris, & sanctarum virginum Edgithæ & Alfgivæ, cum per matrices ecclesias clericos a feminarum consortio non posset compescere, habito synodali concilio per sanctum Dunstanum Cantuariensem archiepiscopum & sanctum Adelwoldum Wintoniensem episcopum cum aliis totius Britanniæ episcopis, in tribus Anglorum ecclesiis, Cantuariensi scilicet, Wintoniensi & Wigorniensi, monachos instituisse. quo ex tempore per annos amplius centum tranquille, nullo episcopo interturbante, in sua ecclesia perstiterint. Quapropter pontificem rogant & obtestantur, ut pro amore beati Benedicti & patronorum suorum, apostolica sua auctoritate ipsos tueatur, ut ne ab ecclesia avelli possint.

b Anglia sac. to. 1. p. 320.

Ad has litteras respondit pontifex in hunc modum.

ANN. CHR. 1071.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, congregationi monasterii Wintoniæ, salutem & apostolicam benedictionem. Legati nostri, qui ad partes vestras missi concilium ibi celebraverunt, sicut a plerisque majoribus & antiquioribus gentis vestræ se didicisse confessi sunt, ecclesiam vestram a vetusta constitutione in ordine & officio atque cultu monachorum exstitisse nobis indicaverunt. Sunt etiam nonnulli, qui asserunt, , fere omnes majores ecclesias ejus terræ consuetudinem monastici ordinis ex eo cepisse & tenuisse, quod S. Augustinus legatus beatissimi papæ Gregorii & ejus terræ prædicator, quos percepta fide ad obsequium divini ministerii & ecclesiasticos ordines perducere potuit, in hac forma religionis & cultu præcipue constituit & ordinavit. Quibus quoniam longe nos impares esse cognoscimur, statuta mutare vel infringere indignum esse ducimus, præsertim cum ea catholicæ fidei eruditionibus obesse non invenimus. Unde per præsentia scripta statuimus & confirmamus, ut ecclesia vestra in eo statu monastici ordinis, quo hactenus mansit, deinceps sine omni læsione & perturbatione consistat. Vos autem ut carissimos filios admonemus, quatinus propositum vestræ professionis ea sinceritate & studio de die in diem, adjuvante Domino, in melius proficiendo peragatis: ut ex interiori conscientia vestra servitus & devotio divino conspectui placeat, & exterioris formæ conversationis nulli reprehendendi vos occasionem tribuat; sed omnibus exemplum sanctitatis, & erga diligentiam vestræ religionis amorem & desiderium confirmandæ dilectionis præbeat. Ceterum si quis audaci temeritate vel pravo studio hunc statum & ordinem ecclesiæ vestræ mutare vel confundere attemptaverit, procul dubio sciat se iracundiam apostolicæ sedis incurrere, &, nisi cesset, anathematis in se judicium provocare.

Aliam ejusdem argumenti epistolam idem pontifex scripsit ad Lanfrancum archiepiscopum in hæc verba.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, in Christo fratri Lanfranco Cantuariorum archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem. Pervenit ad aures nostras, quod monasterium Wintoniæ multas persecutiones & indignas oppressiones ab his sustineat, quorum immoderata pravitas ordinem & officium monachorum inde ejicere ac prorsus expellere certat. Verum, quia nobis non leve videtur tam antiquas constitutiones, &, ut dicitur, a beato Augustino prædicatore ejus terræ profectas & ductas, subita & inconsulta permutatione diruere, nec eas catholicæ fidei eruditionibus obviare videmus: fraternitatem tuam rogando monemus, ut his qui talia conantur prudenti defensione resistat, & præfatum monasterium a statu & ordine monasticæ congregationis labefactari aut destitui, quoad potest, nullatenus patiatur, neque permittat. Præterea de liberatione capti episcopi, quod experientiæ tuæ commisimus, valde miramur, an hoc tua prætermiserit negligentia, an regis pœnam adjiciens contempserit inobedientia. Per præsentium etiam latorem dilectionem tuam interpellare curavimus, ut quæ apud te impetrare desiderat, dummodo concedenda sint, tua sibi benignitas pro nostra caritate concedat.

His apostolicis litteris cessit Wintoniensis episcopi molitio, quæ alios etiam imitatores habuit.

LXXXI. Idem factum in ecclesia Cantuariensi.

Idem quippe tentatum in ecclesia Cantuariensi a nonnullis clericis, qui, adjuncto sibi quorumdam præpotentium laïcorum præsidio, monachos itidem inde exturbare conati sunt. Verum eorum molitiones dissipavit Alexandri papæ auctoritas, scriptis hac de re ad Lanfrancum litteris, quarum hæc sententia. *Accepimus a quibusdam venientibus de partibus vestris ad limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli; quod quidam clerici, associato sibi terrenæ potestatis, laïcorum videlicet, auxilio, diabolico spiritu repleti, moliuntur de ecclesia sancti Salvatoris in Dorobernia, quæ est metropolis totius Britanniæ, monachos expellere, & clericos inibi constituere. cui nefario operi molitionis suæ hoc adjicere conantur, ut in omni sede episcopali ordo monachorum exstirpetur, quasi in eis non vigeat auctoritatis religio. Qua de re zelo Dei compulsi, scrutinium de privilegiis ecclesiarum fieri præcepimus: & venit ad manus nostras statutum prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorii Majoris de ecclesiis Angliæ, quo modo scilicet præcepit Augustino, gentis vestræ apostolo, ut ejusdem ordinis viros, cujus & ipse noscitur esse, poneret in præfata sede metropolitana.* tum relatis Gregorii Magni & Bonifacii quarti ea de re litteris, ita pontifex concludit. *Unde quia, ratione dictante, quieti ecclesiarum utile esse perspeximus, præsens decretum supra nominatorum patrum confirmamus; & vice apostolorum sub eodem anathemate eos constringimus, quicumque huic obviare contenderint.* Ita repressa clericorum in Cantuarienses monachos licentia, quæ subinde novos motus, sed frustra, excitavit.

ANN. CHR. 1071.

LXXXII. Anselmus Monologium scribit.

Eodem tempore Anſelmus, tum Becci prior, Monologium ſuum flagitatu quorumdam e fratribus ſuis, rogantium, ut quædam quæ illis de meditanda divioitatis eſſentia, & quibuſdam aliis eidem argumento cohærentibus, familiari colloquio diſſeruerat, in ſcripta redigeret, eaque plano ſtilo & vulgaribus argumentis, philoſophico more explicaret. Id vero, invitus licet, exſecutus eſt uno libro, cujus hoc potiſſimum argumentum eſt, dari quiddam optimum, & maximum, & ſummum omnium quæ ſunt, a quo & per quod eſt quidquid eſt. Libro præmiſſa eſt præfatio, in qua ait ſe nihil in illo dixiſſe opuſculo, quod non catholicorum patrum, & maxime « beati Auguſtini ſcriptis cohæreat. In eo vero quod ſcripſit, ſummam Trinitatem « poſſe dici tres ſubſtantias; Græcos ſe ſecutum fuiſſe, qui tres ſubſtantias in una eſ- « ſentia eadem fide, qua nos tres perſonas in una ſubſtantia, confiteotur. Ideo rogat, « ut ſi quis iſtud opuſculum tranſſcribere voluerit, hanc præfatiooem ne omittat. Mul- « tum quippe prodeſſe puto, inquit, ad intelligeoda ea quæ legerit, ſi quis prius, qua « intentione, quove modo diſputata ſint, cognoverit. Hoc primum Anſelmus opuſ- « culum abſque *titulo*, id eſt abſque epiſtola nuncupatoria, compoſuit, illud nequaquam tanti exiſtimans, ut in fronte inſigniretur Lanfranci nomine, cui illud corrigendum [a] ſubmittit per Rotbertum monachum. Id patet ex epiſtola [b] ad Mauricium Beccenſem monachum, qui Cantuariæ cum Lanfranco verſabatur, brevique Beccum reverſurus erat: quem rogat, ut Monologii exemplar, Lanfranco ab ſe miſſum, aut *confirmatum* ad ſe & correctum deferat, aut *destructum* ipſi referat. In fine ſalutat domoum Arnulfum Belvacenſem, domnum Hulvardum Anglum, conſobrinum domni Oſberni, domnos Vitalem & Rogerum, ac fratrem Samuelem Cadomeoſes.

a *Anſelm. lib. 1. epiſt. 63.*

b *ibid. ep. 65.*

LXXXIII. Lanfrancus archiepiſcopi nepos, Becci monachus.

Lanfranco archiepiſcopo ex fratre nepos erat cognominis, cui per Rotbertum monachum eodem tempore ſcripſit Anſelmus, *amico ſuo dilectiſſimo, & dilectori fidelisſimo Lanfranco.* ſic enim habet epiſtolæ [c] inſcriptio. In hac epiſtola ejus abſentiam ſe gravate ferre ait Anſelmus: & in fine ſalutat domnom & fratrem ſuum Guidonem, Becci monachum, quem ſecum eſſe per amorem deſiderabat indeſinenter, & per « obedientiam ſecum non eſſe tolerabat impatienter, eum monens ac rogans, nt ſtu- « dioſe inter ſuas occupationes vitam ſuam diſcutiat, & in bonis quotidie proficiat; &, « ſi qua in eo adhuc veteris hominis ſuperſint veſtigia, ab his aſſidue deficiat. Non multo « poſt idem Lanfrancus Becci monachus factus eſt, eo miſſus a Lanfranco archiepiſcopo, cui Anſelmus ob id gratias [d] egit, quod Beccum potius, quam alio nepotem ſuum miſerit, teſtatus, ſe multum relevari onere prioratus, cum ſibi *tale pignus* commiſit. inde fieri, ut cum imbecillus animus prius gemeret ſub pondere, jam pæne no- « lit quod premit deponere. Huc ſpectat Lanfranci archiepiſcopi [e] epiſtola ad Anſel- « mum ſuperiori reſpondeos, qua ei gratias agit, quod dulciſſimum fratris ſui filium, « quem ſicut animam ſuam ſe diligere dicit, cum ingenti lætitia ſuſceperit. Tum ro- « gat, ut eum ſæpe colloquii ſui participem faciat, de rebus ſpiritualibus contra ten- « tationes, novitiis accedere ſolitas, ab eo informandum. Ad hæc ſignificat, ſe ei diſ- « ceſſuro præcepiſſe, ne primo anno aliquam vel in refectorio, vel in capitulo, vel in « mooaſterio, id eſt eccleſia, lectionem faceret, quoaduſque pſalmorum ſcientiam, « ſuique ordinis aliquem uſom haberet. Non paruit monenti Lanfrancus nepos: qua « de re archiepiſcopus eum graviter arguit in ſequenti epiſtola, ipſi inſcripta & Guidoni, qui cum eo Beccum ſe receperat, & poſtea *magiſterio puerorum* addictus eſt, ut patet ex alia Anſelmi epiſtola [f] ad Laofrancum archiepiſcopum, quem de nepotis ſui ſancto profectu, ejuſque capitis dolore commonefacit. In fine ejuſdem epiſtolæ petit Anſelmus, ſibi mitti *regulam vitæ monachicæ*, quam ſanctus Dunſtanus inſtituit. quod forte intelligeodum de Concordia regulari, quæ Eadgari regis mandato a Dunſtano condita, ſancitaque eſt.

c *ibid. ep. 66.*

d *ibid. ep. 19.*

e *ibid. ep. 22.*

f *ibid. ep. 31.*

LXXXIV. Mauricius ibidem monachus.

Quod attinet ad Mauricium, cui Monologium ſuum commendat Anſelmus, cum non mediocris ſcientiæ ac meriti fuiſſe oportet, quippe quem Anſelmus tanti faciebat, ut ejus abſentia ægre ſe privari teſtetur, eumque *meritis dominum, converſatione fratrem, cura filium cariſſimum* vocet in epiſtola [g] ad Albertum medicum in Anglia degentem. cui Mauritium capite laborantem, ut ab eo curetur commendat. Idem in aliis epiſtolis [h] quanti eum faceret, & quantopere ejus ſanitatem optaret, ſatis ſuperque teſtatur. Nec minori loco erat Mauricius apud Lanfrancum archiepiſcopum, qui eum ad ſe in Angliam mitti petierat, eique Beccum redeundi veniam concedere nolebat. Denique Mauricius ex præcipuis Anſelmi diſcipulis erat, utpote

g *id. ep. 28.*

h *ibid. ep. 24. & ſeqq.*

ANN. CHR. 1071.

cujus flagitatu Monologium scripsit, eique scriptum [a] suum *de malo* misit.

[a] id. lib. 2. ep. 8.

LXXXV. Herluinus abbas Lanfrancum adit.

Eodem tempore Herluinus Becci abbas, tametsi jam senio gravis, in Angliam trajecit, Lanfrancum archiepiscopum, discipulum quondam suum, invisurus. Cum vero ad eum pervenisset, dici non potest, *qua tunc inter eos summittendi se se ad invicem pia fuerit contentio.* Summus antistes, & in ecclesiis transmarinis vices apostolicas gerens, instar cujusvis monachi, suo quondam abbati se summittebat, secundus ubique ab eo, etiam ad missarum sollemnia, residendo, ejusque manum, cum ab eo aliquid acciperet, nisi raptim ille retraxisset, osculando. Illi sedes eminentior, ac jubendi auctoritas omnis deferebatur: nec id solum privatim, sed in quovis numeroso episcoporum & procerum conventu fiebat. quæ tanti archiepiscopi modestia maximam omnibus Anglis admirationem concitabat, & Herluini existimationem.

LXXXVI. Gerberti abbatis commendatio.

[b] id. lib. 1. ep. 9.

Non omittenda hoc loco Anselmi epistola [b] ad venerabilem Gerbertum Fontanellensem abbarem, apud quem intercedit, cuidam viduæ dudum indultam, relaxato servitio quod abbari Fontanellensi debebat, gratiam jam filii sui morte afflictæ ne retraheret. quod ut obtineret Anselmus, *ad sanctitatis*, inquit, *vestra me vestigia mente prosterno, intercedens, pro eadem vidua paupercula, cujus animam in tribulatione viduitatis & paupertatis misericorditer propter Deum refrigerastis, cum ei illud tantillum servitii quod a paupercula vestra magnitudini solvebatur, me interveniente relaxastis.* Ejusdem Gerberti doctrinam commendat Anselmus in alia epistola [c] ad quemdam Gualterum, qui ipsum de quæstione aliqua consuluerat. *Habetis vobiscum*, inquit, *dominum & patrem nostrum reverendum abbatem Gerbertum, qui vobis de ea quam scripsistis quæstione, & de aliis pro quibus vos velle meam adire parvitatem significastis, melius potest præsens colloquendo, quam ego vel loquendo, vel scribendo satisfacere. Precor tamen, ne despiciendo meam fatuitatem, contemnatis visere nostram caritatem.* Ex his verbis forsan quis colligat, Gualrerum illum, ad quem scripta est hæc epistola, fuisse monachum, & quidem Fontanellensem. at rem dubiam reddit inscriptio, *Domino sponte diligenti, merito dilecto, non ut ignoto, sed ut familiari amico Gualtero*, quem Anselmus domnum, non dominum; & fratrem, si monachus fuisset, dicturus fuisse videtur.

[c] ibid. ep. 76.

LXXXVII. Gervino abbati lepra percusso nepos succedit.

In Pontivo Gervinus Centulensis abbas, post vitam piissime exactam lepra percussus, eximium patientiæ atque constantiæ specimen dedit. Nam cum morbus ille vocis ei abstulisset facultatem, hic tamen solita pietatis officia non prætermittebat, id est, *prolixitatem orationum, genuflexionum continuitatem, sacrarum ædium circuitionem, sacrorumque canonum de sancta Trinitate, de Spiritu sancto, deque sancta Maria, ac de omnibus sanctis expensionem*: &, cum ad sumendum cibum, & ad requiem capiendam pæne deficeret, ad hæc omnia divini officii obsequia deficere nesciebat. Etsi autem ob morbi qualitatem a cœtu fratrum sequestrare se vellet, is tamen erat fratrum adversus eum amor, ut continuo eorum sedulitate vallaretur. In eo statu, videns se ad monasterii regimen sufficere non posse; illud nepoti suo cognomini, qui sancti Remigii apud Remos monachus erat, committi a Philippo rege postulavit obtinuitque. Itaque in ejus locum suffectus est Gervinus alter, ordinatus hoc anno, & quidem x. kal. Novembris.

LXXXVIII. Herimarus abbas S. Remigii obit.

Eodem anno aut insequente, rectore destitutum fuit sancti Remigii insigne monasterium, post mortem scilicet Herimari abbatis, quæ accidit die septima Decembris, cum annis viginti quatuor & mensibus octo sacrum illum locum rectissime administrasset. humatus ad dextram partem capituli, in aditu ad oratorium olim sancti Christophori, quod nunc eversum est. Optimo patri mœrentes filii insigni epitaphio parentarunt, quod lapidi insculptum, ne penitus obliteretur, hic apponendum duxi.

Hic jacet Hermarus, cui se si conferat alter,
Si se per meritum conferat, alter erit.
Per meritum dico, per quod pater ordinis hujus,
Ordinis & rerum commodus auctor erat.
Nil sibi virtutum, nil sancta defuit artis;
Nec gravis incessus, sed neque sermo gravis.
Mille trecentenis decursibus hebdomadarum,
Appositis septem, rexit ovile suum.
Cum ruit, hac ipsa noster ruit ordo ruina,
Decidit & totus hoc moriente locus.

Qui si non tantum, si quod facit, est aliquantum;
Credimus hoc per eum disposuisse Deum.
Exuitur membris septena luce Decembris:
Sed peperit meritum vivere post obitum.

Paullo ante obitum Herimarus eximium pietatis suæ specimen dedit, conferendo ad stipendium fratrum, ad usum infirmorum & pauperum, quod ipsis deesse videbatur. Hoc ejus pietatis monumentum ex codice Remigiano hic exhibere visum est ad tanti viri reparandam memoriam.

Domini favente clementia H. abbas, suis dilectis in Christo filiis. Divinæ bonitatis respectu & vestro omnium assensu ad regimen animarum vestrarum ascitus, licet tanto prælationis sim gradu indignus, & ad tantum opus minus idoneus, de vestra tamen salute sum valde sollicitus. Scio enim, quia a discipulis quidquid delinquitur, respicit ad magistrum, & pertimesco justum judicem Deum, utpote de vobis omnibus rationem de me exacturum. Vobis igitur, fratres, qui Deo in hoc cœnobio militatis, ad conservandum vitæ regularis statum necessaria debeo ministrare, sicut scriptum est;* DIVIDEBATUR *singulis prout cuique opus erat. Nec vobis timentibus Deum aliquid timeatis deesse, memores promissi Veritatis dicentis:* PRIMUM *quærite regnum Dei & justitiam ejus, & omnia adjicientur vobis. Cum ergo de quotidiano victu & reliquis necessariis merito conqueri possitis, sed pro Deo patientes estis; proposui in animo, quod hactenus imperfectum & inordinatum, ad cœnam vestram aliquod certum assignare stipendium, ut sine murmuratione unanimes sitis in oratione; & deputari villam Tassiacum* cum molendinis & omnibus, quæ solvere consuevit. Adjeci etiam de decima ovium de Curte-ausorum*, sicut suis terminis persolvitur, ita in Curte ejusdem villæ congregari, & ad vestram utilitatem ibi conservetur. Decrevi itaque, ut hæc cellerarius sub sua providentia habeat, ad hoc tantummodo deputata, ut ex his cœnam vestram præparet & disponat, & anniversario die depositionis meæ omnibus annis pro remedio animæ meæ vobis refectionem faciat. His ita dispositis, quoniam infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, utile duxi eis ministrare necessaria, minus sollicite ab antecessoribus nostris procurata Itaque ad eorum usus assigno ecclesiam sancti Juliani cum altari, ecclesiamque de Hisla* cum altari & molendinis, minutam decimam de Salice-sancti-Remigii* & de Villare-aleranni*; censum etiam de Ario, de Columnis, quodque comes Rodulfus dedit pro anima filii sui, videlicet terram & homines. Præterea pauperum & peregrinorum solatia procuramus, quia in ipsis magis Christus suscipitur. His decerno molendinos de sancto Martino, molendinum unum super fluvium nomine Py, molendinum Hugonis*, molendinum ad pontem ante portas monasterii, censum etiam de Exia & Valle-dominica* cum multonibus, XVII. quoque jugera terræ & vineam unam, quæ Richardus serviens noster Jerosolymam iturus reliquit. Placuit hoc nostro consilio confirmare decretum, ne quis minuere vel immutare illud præsumat in posterum. Auctoritate igitur summæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti ne quis hoc decretum violare audeat prohibemus. quod qui præsumpserit, & a communione sanctæ Dei ecclesiæ ecclesiasticum statutum se separaverit, anathematis vinculo obligatus a communione cælestis & perennis ecclesiæ in perpetuum separetur.*

* Herimarus. * Taissy. * Courtisor. * Isle. * Saux-S. Remy. * Viller-aleran. * de Huon. * Vaux-de-mange.

Discipuli ejus.

Ex ejus discipulis celebriores fuere Anselmus, is, qui historiam concilii Remensis, præsente Leone IX. apud sanctum Remigii habiti, ejusdemque pontificis iter descripsit; Remigius sancti Nicasii primus abbas, Gervinus Centulensis abbas mox laudatus; Heinricus sancti Remigii post eumdem Herimarum abbas, Rotbertus itidem abbas, qui transmarinam expeditionem scriptis mandavit in cella sancti Oricoli, ubi relegatus degebat; & Erluinus ejusdem cellæ prior.

LXXXIX. *Willelmus ejus successor.*

In Herimari locum non statim, sed aliquanto post suffectus est Willelmus jam tum Mettensis sancti Arnulfi abbas, omissus in vulgatis indicibus, etiam apud Marlotum[a], uti etiam in syllabo sancti Arnulfi abbatum. Certum ejus rei argumentum habemus ex ipsius Willelmi[b] epistolis, quarum prima, anno M LXXIII. scripta, qua Gregorio VII. de ejus electione gratulatus, ita de se loquitur. *Scire autem te cupio, quorumdam consilio me deceptum, abbatiæ sancti Remigii pondus pestiferum suscepisse. quod quidem tam impatienter, graviterque & iniquo animo fero, ut illud a me longius propellere cogitem, si tamen in hoc opus, tuum potero impetrare favorem.* Eumdem porro sancti Arnulfi quoque abbatiam tenuisse perspicuum est ex Gregorii VII. epistola ad Hugonem Cluniacensem abbatem, in qua ait, admodum sibi placere hunc abbatem; "

a *Marlot.* to. 1. p. 352.
b *Analect.* to. 1. p. 147.

ANN. CHR. 1071.

cujus flagitatu Monologium scripsit, eique scriptum [a] suum *de malo* misit.

a *id. lib.* 2. *ep.* 8.

LXXXV. Herluinus abbas Lanfrancum adit.

Eodem tempore Herluinus Becci abbas, tametsi jam senio gravis, in Angliam trajecit, Lanfrancum archiepiscopum, discipulum quondam suum, invisurus. Cum vero ad eum pervenisset, dici non potest, *quæ tunc inter eos summittendi se se ad invicem pia fuerit contentio*. Summus antistes, & in ecclesiis transmarinis vices apostolicas gerens, instar cujusvis monachi, suo quondam abbati se summittebat, secundus ubique ab eo, etiam ad missarum sollemnia, residendo, ejusque manum, cum ab eo aliquid acciperet, nisi raptim ille retraxisset, osculando. Illi sedes eminentior, ac jubendi auctoriras omnis deferebatur: nec id solum privatim, sed in quovis numeroso episcoporum & procerum conventu fiebat. quæ tanti archiepiscopi modestia maximam omnibus Anglis admirationem concitabat, & Herluini existimationem.

LXXXVI. Gerberti abbatis commendatio.

b *id. lib.* 2. *ep.* 9.

Non omittenda hoc loco Anselmi epistola [b] ad venerabilem Gerbertum Fontanellensem abbatem, apud quem intercedit, cuidam viduæ dudum indultam, relaxato servitio quod abbati Fontanellensi debebat, gratiam jam filii sui morte afflictæ ne retraheret. quod ut obtineret Anselmus, *ad sanctitatis*, inquit, *vestra me vestigia mente prosterno, intercedens, pro eadem vidua paupercula, cujus animam in tribulatione viduitatis & paupertatis misericorditer propter Deum refrigerastis, cum ei illud tantillum servitii quod a paupercula vestra magnitudini solvebatur, me interveniente relaxastis*. Ejusdem Gerberti doctrinam commendat Anselmus in alia epistola [c] ad quemdam Gualterum, qui ipsum de quæstione aliqua consuluerat. *Habetis vobiscum*, inquit, *domnum & patrem nostrum reverendum abbatem Gerbertum, qui vobis de ea quam scripsistis quæstione, & de aliis pro quibus vos velle meam adire parvitatem significastis, melius potest præsens colloquendo, quam ego vel loquendo, vel scribendo satisfacere. Precor tamen, ne despiciendo meam fatuitatem, contemnatis visere nostram caritatem*. Ex his verbis forsan quis colligat, Gualterum illum, ad quem scripta est hæc epistola, fuisse monachum, & quidem Fontanellensem. at rem dubiam reddit inscriptio, *Domino sponte diligenti, merito dilecto, non ut ignoto, sed ut familiari amico Gualtero*, quem Anselmus domnum, non dominum; & fratrem, si monachus fuisset, dicturus fuisse videtur.

c *ibid. ep.* 76.

LXXXVII. Gervino abbati lepra percusso nepos succedit.

In Pontivo Gervinus Centulensis abbas, post vitam piissime exactam lepra percussus, eximium patientiæ atque constantiæ specimen dedit. Nam cum morbus ille vocis ei abstulisset facultatem, hic tamen solita pietatis officia non prætermittebat, id est, *prolixitatem orationum, genuflexionum continuitatem, sacrarum ædium circuitionem, sacrorumque canonum de sancta Trinitate, de Spiritu sancto, deque sancta Maria, ac de omnibus sanctis expensionem*: &, cum ad sumendum cibum, & ad requiem capiendam pæne deficeret, ad hæc omnia divini officii obsequia deficere nesciebat. Etsi autem ob morbi qualitatem a cœtu fratrum sequestrare se vellet, is tamen erat fratrum adversus eum amor, ut continuo eorum sedulitate vallaretur. In eo statu, videns se ad monasterii regimen sufficere non posse; illud nepoti suo cognomini, qui sancti Remigii apud Remos monachus erat, committi a Philippo rege postulavit obtinuitque. Iraque in ejus locum suffectus est Gervinus alter, ordinatus hoc anno, & quidem x. kal. Novembris.

LXXXVIII. Herimarus abbas S. Remigii obit.

Eodem anno aut insequente, rectore destitutum fuit sancti Remigii insigne monasterium, post mortem scilicet Herimari abbatis, quæ accidit die septima Decembris, cum annis viginti quatuor & mensibus octo sacrum illum locum rectissime administrasset. humatus ad dextram partem capituli, in aditu ad oratorium olim sancti Christophori, quod nunc eversum est. Optimo patri mœrentes filii insigni epitaphio parentarunt, quod lapidi insculptum, ne penitus oblitereretur, hic apponendum duxi.

Hic jacet Hermarus, cui se si conferat alter,
Si se per meritum conferat, alter erit.
Per meritum dico, per quod pater ordinis hujus,
Ordinis & rerum commodus auctor erat.
Nil sibi virtutum, nil sancta defuit artis;
Nec gravis incessus, sed neque sermo gravis.
Mille trecentenis decursibus hebdomadarum,
Appositis septem, rexit ovile suum.
Cum ruit, hac ipsa noster ruit ordo ruina,
Decidit & totus hoc moriente locus.

Qui si non tantum, si quod facit, est aliquantum;
Credimus hoc per eum disposuisse Deum.
Exuitur membris septena luce Decembris:
Sed peperit meritum vivere post obitum.

Paullo ante obitum Herimarus eximium pietatis suæ specimen dedit, conferendo ad stipendium fratrum, ad usum infirmorum & pauperum, quod ipsis deesse videbatur. Hoc ejus pietatis monumentum ex codice Remigiano hic exhibere visum est ad tanti viri reparandam memoriam.

Domini favente clementia H. abbas, suis dilectis in Christo filiis. Divina bonitatis respectu & vestro omnium assensu ad regimen animarum vestrarum ascitus, licet tanto prælationis sim gradu indignus, & ad tantum opus minus idoneus, de vestra tamen salute sum valde sollicitus. Scio enim, quia a discipulis quidquid delinquitur, respicis ad magistrum, & pertimesco justum judicem Deum, utpote de vobis omnibus rationem de me exacturum. Vobis igitur, fratres, qui Deo in hoc cœnobio militatis, ad conservandum vitæ regularis statum necessaria debeo ministrare, sicut scriptum est;* DIVIDEBATUR *singulis prout cuique opus erat. Nec vobis timentibus Deum aliquid timeatis deesse, memores promissi Veritatis dicentis:* PRIMUM *quærite regnum Dei & justitiam ejus, & omnia adjicientur vobis. Cum ergo de quotidiano victu & reliquis necessariis merito conqueri possitis, sed pro Deo patientes estis; proposui in animo, quod hactenus imperfectum & inordinatum, ad cœnam vestram aliquod certum assignare stipendium, ut sine murmuratione unanimes sitis in oratione; & deputari villam Tassiacum* cum molendinis & omnibus, quæ solvere consuevit. Adjeci etiam de decima ovium de Curte-ansorum*, sicut suis terminis persolvitur, ita in Curte ejusdem villæ congregari, & ad vestram utilitatem ibi conservetur. Decrevi itaque, ut hæc cellerarius sub sua providentia habeat, ad hoc tantummodo deputata, ut ex his cœnam vestram præparet & disponat, & anniversario die depositionis meæ omnibus annis pro remedio animæ meæ vobis refectionem faciat. His ita dispositis, quoniam infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, utile duxi eis ministrare necessaria, minus sollicite ab antecessoribus nostris procurata. Itaque ad eorum usus assigno ecclesiam sancti Juliani cum altari, ecclesiamque de Hisla* cum altari & molendinis, minutam decimam de Salice-sancti-Remigii* & de Villare-aleranni*; censum etiam de Ario, de Columnis, quodque comes Rodulfus dedit pro anima filii sui, videlicet terram & homines. Præterea pauperum & peregrinorum solatia procuramus, quia in ipsis magis Christus suscipitur. His decerno molendinos de sancto Martino, molendinum unum super fluvium nomine Py, molendinum Hugonis*, molendinum ad pontem ante portas monasterii, censum etiam de Exia & Valle-dominica* cum multonibus, XVII. quoque jugera terræ & vineam unam, quæ Richardus serviens noster Jerosolymam iturus reliquit. Placuit hoc nostro consilio confirmare decretum, ne quis minuere vel immutare illud præsumat in posterum. Auctoritate igitur summæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti ne quis hoc decretum violare audeat prohibemus. quod qui præsumpserit, & a communione sanctæ Dei ecclesiæ ecclesiasticum statutum se separaverit, anathematis vinculo obligatus a communione cælestis & perennis ecclesiæ in perpetuum separetur.*

* Herimarus.
* Taissy.
* Courtisor.
* Isle.
* Saux-S. Remy.
* Viller-aleran.
* de Huon.
* Vaux-demange.

Ex ejus discipulis celebriores fuere Anselmus, is, qui historiam concilii Remensis, præsente Leone IX. apud sanctum Remigii habiti, ejusdemque pontificis iter descripsit; Remigius sancti Nicasii primus abbas, Gervinus Centulensis abbas mox laudatus; Heinricus sancti Remigii post eumdem Herimarum abbas, Rotbertus itidem abbas, qui transmarinam expeditionem scriptis mandavit in cella sancti Oricoli, ubi relegatus degebat; & Erluinus ejusdem cellæ prior.

Discipuli ejus.

LXXXIX. Willelmus ejus successor.

In Herimari locum non statim, sed aliquanto post suffectus est Willelmus jam tum Mettensis sancti Arnulfi abbas, omissus in vulgatis indicibus, etiam apud Marlotum[a], uti etiam in syllabo sancti Arnulfi abbatum. Certum ejus rei argumentum habemus ex ipsius Willelmi[b] epistolis, quarum prima, anno M LXXIII. scripta, qua Gregorio VII. de ejus electione gratulatus, ita de se loquitur. *Scire autem te cupio, quorumdam consilio me deceptum, abbatia sancti Remigii pondus pestiferum suscepisse. quod quidem tam impatienter, graviterque & iniquo animo fero, ut illud a me longius propellere cogitem, si tamen in hoc opus, tuum potero impetrare favorem.* Eumdem porro sancti Arnulfi quoque abbatiam tenuisse perspicuum est ex Gregorii VII. epistola ad Hugonem Cluniacensem abbatem, in qua ait, admodum sibi placere hunc abbatem; "

a Marlot. to. 1. p. 352.
b Analect. to. 1. p. 247.

ANN. CHR. 1071.

cujus flagitatu Monologium ſcripſit, eique ſcriptum [a] ſuum *de malo* miſit.

a *id. lib.* 2. *ep.* 8.

LXXXV. Herluinus abbas Lanfrancum adit.

Eodem tempore Herluinus Becci abbas, tametſi jam ſenio gravis, in Angliam trajecit, Lanfrancum archiepiſcopum, diſcipulum quondam ſuum, inviſurus. Cum vero ad eum perveniſſet, dici non poteſt, *quæ tunc inter eos ſummittendi ſe ſe ad invicem pia fuerit contentio.* Summus antiſtes, & in eccleſiis tranſmarinis vices apoſtolicas gerens, inſtar cujuſvis monachi, ſuo quondam abbati ſe ſummittebat, ſecundus ubique ab eo, etiam ad miſſarum ſollemnia, reſidendo, ejuſque manum, cum ab eo aliquid acciperet, niſi raptim ille retraxiſſet, oſculando. Illi ſedes eminentior, ac jubendi auctoritas omnis deferebatur: nec id ſolum privatim, ſed in quovis numeroſo epiſcoporum & procerum conventu fiebat. quæ tanti archiepiſcopi modeſtia maximam omnibus Anglis admirationem concitabat, & Herluini exiſtimationem.

LXXXVI. Gerberti abbatis commendatio.

Non omittenda hoc loco Anſelmi epiſtola [b] ad venerabilem Gerbertum Fontanellenſem abbatem, apud quem intercedit, cuidam viduæ dudum indultam, relaxato ſervitio quod abbati Fontanellenſi debebat, gratiam jam filii ſui morte afflictæ ne retraheret. quod ut obtineret Anſelmus, *ad ſanctitatis*, inquit, *veſtra me veſtigia mente proſterno, intercedens, pro eadem vidua paupercula, cujus animam in tribulatione viduitatis & paupertatis miſericorditer propter Deum refrigeraſtis, cum ei illud tantillum ſervitii quod a paupercula veſtra magnitudini ſolvebatur, me interveniente relaxaſtis.* Ejuſdem Gerberti doctrinam commendat Anſelmus in alia epiſtola [c] ad quemdam Gualterum, qui ipſum de quæſtione aliqua conſuluerat. *Habetis vobiſcum*, inquit, *domnum & patrem noſtrum reverendum abbatem Gerbertum, qui vobis de ea quam ſcripſiſtis quæſtione, & de aliis pro quibus vos velle meam adire parvitatem ſignificaſtis, melius poteſt præſens colloquendo, quam ego vel loquendo, vel ſcribendo ſatisfacere. Precor tamen, ne deſpiciendo meam fatuitatem, contemnatis viſere noſtram caritatem.* Ex his verbis forſan quis colligat, Gualterum illum, ad quem ſcripta eſt hæc epiſtola, fuiſſe monachum, & quidem Fontanellenſem. at rem dubiam reddit inſcriptio, *Domino ſponte diligenti, merito dilecto, non ut ignoto, ſed ut familiari amico Gualtero*, quem Anſelmus domnum, non dominum; & fratrem, ſi monachus fuiſſet, dicturus fuiſſe videtur.

b *id. lib.* 1. *ep.* 9.

c *ibid. ep.* 76.

LXXXVII. Gervino abbati lepra percuſſo nepos ſuccedit.

In Pontivo Gervinus Centulenſis abbas, poſt vitam piiſſime exactam lepra percuſſus, eximium patientiæ atque conſtantiæ ſpecimen dedit. Nam cum morbus ille vocis ei abſtuliſſet facultatem, hic tamen ſolita pietatis officia non prætermittebat, id eſt, *prolixitatem orationum, genuflexionum continuitatem, ſacrarum ædium circuitionem, ſacrorumque canonum de ſancta Trinitate, de Spiritu ſancto, deque ſancta Maria, ac de omnibus ſanctis expenſionem:* &, cum ad ſumendum cibum, & ad requiem capiendam pæne deficeret, ad hæc omnia divini officii obſequia deficere neſciebat. Etſi autem ob morbi qualitatem a cœtu fratrum ſequeſtrare ſe vellet, is tamen erat fratrum adverſus eum amor, ut continuo eorum ſedulitate vallaretur. In eo ſtatu, videns ſe ad monaſterii regimen ſufficere non poſſe; illud nepoti ſuo cognomini, qui ſancti Remigii apud Remos monachus erat, committi a Philippo rege poſtulavit obtinuitque. Itaque in ejus locum ſuffectus eſt Gervinus alter, ordinatus hoc anno, & quidem x. kal. Novembris.

LXXXVIII. Herimarus abbas S. Remigii obit.

Eodem anno aut inſequente, rectore deſtitutum fuit ſancti Remigii inſigne monaſterium, poſt mortem ſcilicet Herimari abbatis, quæ accidit die ſeptima Decembris, cum annis viginti quatuor & menſibus octo ſacrum illum locum rectiſſime adminiſtraſſet. humatus ad dextram partem capituli, in aditu ad oratorium olim ſancti Chriſtophori, quod nunc everſum eſt. Optimo patri mœrentes filii inſigni epitaphio parentarunt, quod lapidi inſculptum, ne penitus obliteretur, hic apponendum duxi.

Hic jacet Hermarus, cui ſe ſi conferat alter,
Si ſe per meritum conferat, alter erit.
Per meritum dico, per quod pater ordinis hujus,
Ordinis & rerum commodus auctor erat.
Nil ſibi virtutum, nil ſanctæ defuit artis;
Nec gravis inceſſus, ſed neque ſermo gravis.
Mille trecentenis decurſibus hebdomadarum,
Appoſitis ſeptem, rexit ovile ſuum.
Cum ruit, hac ipſa noſter ruit ordo ruina,
Decidit & totus hoc moriente locus.

Qui si non tantum, si quod facit, est aliquantum;
Credimus hoc per eum disposuisse Deum.
Exuitur membris septena luce Decembris:
Sed peperis meritum vivere post obitum.

Paullo ante obitum Herimarus eximium pietatis suæ specimen dedit, conferendo ad stipendium fratrum, ad usum infirmorum & pauperum, quod ipsis deesse videbatur. Hoc ejus pietatis monumentum ex codice Remigiano hic exhibere visum est ad tanti viri reparandam memoriam.

Domini favente clementia H. abbas, suis dilectis in Christo filiis. Divina bonitatis respectu & vestro omnium assensu ad regimen animarum vestrarum ascitus, licet tanto pralationis sim gradu indignus, & ad tantum opus minus idoneus, de vestra tamen salute sum valde sollicitus. Scia enim, quia a discipulis quidquid delinquitur, respicis ad magistrum, & pertimesco justum judicem Deum, utpote de vobis omnibus rationem de me exacturum. Vobis igitur, fratres, qui Deo in hoc cœnobio militatis, ad conservandum vita regularis statum necessaria debeo ministrare, sicut scriptum est;* DIVIDEBATUR *singulis prout cuique opus erat. Nec vobis timentibus Deum aliquid timeatis deesse, memores promissi Veritatis dicentis:* PRIMUM *quarite regnum Dei & justitiam ejus, & omnia adjicientur vobis. Cum ergo de quotidiano victu & reliquis necessariis merito conqueri possitis, sed pro Deo patientes estis; proposui in animo, quod hactenus imperfectum & inordinatum, ad cœnam vestram aliquod certum assignare stipendium, ut sine murmuratione unanimes sitis in oratione; & deputari villam Tassiacum* cum molendinis & omnibus, qua solvere consuevit. Adjeci etiam de decima ovium de Curte-ausorum*, sicut suis terminis persolvitur, ita in Curte ejusdem villa congregari, & ad vestram militatem ibi conservetur. Decrevi itaque, ut hac cellerarius sub sua providentia habeat, ad hoc tantummodo deputata, ut ex his cœnam vestram praparet & disponat, & anniversario die depositionis mea omnibus annis pro remedio anima mea vobis refectionem faciat. His ita dispositis, quoniam infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, utile duxi eis ministrare necessaria, minus sollicite ab antecessoribus nostris procurata Itaque ad eorum usus assigno ecclesiam sancti Juliani cum altari, ecclesiamque de Hisla* cum altari & molendinis, minutam decimam de Salsee-sancti-Remigii* & de Villare-aleranni*; censum etiam de Ario, de Columnis, quodque comes Rodulfus dedit pro anima filii sui, videlicet terram & homines. Praterea pauperum & peregrinorum solatia procuramus, quia in ipsis magis Christus suscipitur. His decerno molendinos de sancto Martino, molendinum unum super fluvium nomine Py, molendinum Hugonis*, molendinum ad pontem ante portas monasterii, censum etiam de Exia & Valle-dominica* cum multonibus,* XVII. *quoque jugera terra & vineam unam, qua Richardus serviens noster Jerosolymam iturus reliquit. Placuit hoc nostro consilio confirmare decretum, ne quis minuere vel immutare illud prasumat in posterum. Auctoritate igitur summa & individua Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti ne quis hoc decretum violare audeat prohibemus. quod qui prasumpserit, & a communione sancta Dei ecclesia ecclesiasticum statutum se separaverit, anathematis vinculo obligatus a communione calestis & perennis ecclesia in perpetuum separetur.*

* Herimarus.
* Taissy.
* Courtisor.
* Isle.
* Saux-S. Remy.
* Viller-aleran.
* de Huon.
* Vaux-demange.

Ex ejus discipulis celebriores fuere Anselmus, is, qui historiam concilii Remensis, præsente Leone IX. apud sanctum Remigii habiti, ejusdemque pontificis iter descripsit; Remigius sancti Nicasii primus abbas, Gervinus Centulensis abbas mox laudatus; Heinricus sancti Remigii post eumdem Herimarum abbas, Rotbertus itidem abbas, qui transmarinam expeditionem scriptis mandavit in cella sancti Oricoli, ubi relegatus degebat; & Erluinus ejusdem cellæ prior.

Discipuli ejus.

LXXXIX. Willelmus ejus successor.

In Herimari locum non statim, sed aliquanto post suffectus est Willelmus jam tum Mettensis sancti Arnulfi abbas, omissus in vulgatis indicibus, etiam apud Marlotum[a], uti etiam in syllabo sancti Arnulfi abbatum. Certum ejus rei argumentum habemus ex ipsius Willelmi[b] epistolis, quarum prima, anno M LXXIII. scripta, qua Gregorio VII. de ejus electione gratulatus, ita de se loquitur. *Scire autem te cupio, quorumdam consilio me deceptum, abbatia sancti Remigii pondus pestiferum suscepisse. quod quidem tam impatienter, graviterque & iniquo animo fero, ut illud a me longius propellere cogitem, si tamen in hoc opus, tuum potero impetrare favorem.* Eumdem porro sancti Arnulfi quoque abbatiam tenuisse perspicuum est ex Gregorii VII. epistola ad Hugonem Cluniacensem abbatem, in qua ait, admodum sibi placere hunc abbatem; «

a Marlot. to. 1. p. 352.
b Analect. to. 1. p. 247.

ANN. CHR. 1071.

& laudaturum, *si posset ferre opus, ut utrasque abbatias regeret, Mettensem & Remensem.* Et quidem ad Remensem accersitus est a Manasse archiepiscopo, qui postea ejus admonitionibus & constantia in eum commotus, quod ipsi sancti Remigii rebus inhianti resisteret, id demum effecit, ut Willelmus sancti Remigii abbatia cederet, ut in consequentibus videbimus, & ad sancti Arnulfi remigraret monasterium, in quo eum monasticen professum fuisse veri simillimum est. Porro eum non statim abbatiæ Remigianæ impositum fuisse patet ex Gregorii VII. epistola [a] ad Manassem Remorum archiepiscopum, primo sui pontificatus anno data, in qua eum arguit, quod necdum abbatem illic ordinasset. quippe qui Willelmi abbatis promotionem nondum resciierat. Tunc ad Willelmum scripsit quidam abbas, Hugo, ut puto, Cluniacensis, se mirari eum sic decipi [b] potuisse, ut in terra Francorum, quasi in lacu leonum, se passus esset tam temere, facileque contrudi. Ad quod respondet Willelmus, se quadam virtutis imagine deceptum, ut miseris monachis & afflicto loco consuleret, pollicente nimirum archiepiscopo, se vineam Domini, ut antea solebat, numquam depasturum, nec de ea quidquam ablaturum, nisi quod ei manus meæ, inquit, spontanea largitio contulisset. At eum promissis non stetisse, alibi videbimus. Porro Willelmus præceptorem habuit, cujus nomen a littera A. incipiebat, ut patet ex ejus epistola septima, *Praeceptori suo A* inscripta. quod de Adelmanno forsan intelligendum, qui litteras apud Leodicum docuerat. Eumdem, de sua ipsius conversione magnopere dolentem consolatur, & ad sæculi contemtum hortatur hac epistola, in qua multa præclare dicit de statu vitæ monasticæ, & monasterii, in quo degebat. *Si nosse desideras*, inquit, *quali in castris ejus regula militemus, breviter tibi illam describimus. Sunt nobis cuncta communia, unum cor, una anima, unum idemque propositum. Virtus autem obedientia sic prapollet, ut, cum nobis incredibile sit studium legendi, nullus tamen obedientia praferre audeat lectionem. De gratuita vero paupertate quid referam? cum omne, quod corporeus sensus attingit, sit nobis omnino contemtui, animumque avocantes a corpore, consnescamus mori.* Plura de hoc abbate inferius.

[a] *Greg. VII. lib. 1. ep. 13.*

[b] *Analect. to. 2. p. 160. & seqq.*

XC. Ibriacense monasterium conditur.

Ad hunc annum revocanda est origo monasterii beatæ Mariæ de Ibriaco * seu Ibreio, quod Rogerius de Ibriaco, Willelmi Nortmannorum ducis pincerna, a fundamentis exstruxit anno quinto, quam Willelmus Anglos in potestatem redegit. Ibriacum, munitissimum olim castrum, Henrici IV. Francorum regis parta in federatos rebelles victoria celebre, positum est ad Audurain * fluvium prope Anetum in diœcesi Ebroïcensi. Illic pietatis suæ monumentum in honorem beatæ Mariæ excitavit Rogerius, collata congrua dote ad quindecim monachos cum abbate alendos. Primus abbas Petrus assumtus fuit ex proximo Columbensi monasterio, ea lege, ut cum ipse, tum ejus successores in Columbensium essent potestate, quam diu illi secundum ordinem Majoris-monasterii & Cluniacensium instituta vitam conformarent. quod Willelmus dux auctoritate sua roboravit. Eamdem illic disciplinam fovit Petri successor Herbertus, & ipse eductus e Columbensi monasterio: & sequentes abbates, quorum indicem in Neustria pia videre licet, alii ex Fiscannensi & Carnutensi monasteriis assumti sunt. Grave damnum pertulit sub finem undecimi hujus sæculi Ibriacense monasterium, cum adversus Guillelmum Britulienfem, Ibriaci dominum, rebellavit Ascelinus, cognomento Goellus, qui arcem a Guillelmo extorserat. Hanc munitionem in cœnobio monachorum, testante Orderico, militibus suis constituere coactus est Guillelmus: ad quam expugnandam Goellus ignem in locum injecit, quo basilicam ædesque monachorum cum eorum supellectili penitus consumsit. Alterius Goelli mater piissima Hildeburgis quædam Ibriacensibus contulit initio sæculi sequentis. Multas alias subinde clades pertulit illud monasterium tum a Francis Nortmannisque bello contendentibus, tum novissime a Calvinistis, qui monasterium expilarunt, ecclesiæ navim everterunt, eoque locum redegerunt, ut actum foret de illo cœnobio, nisi Congregationis nostræ superiores subvenissent, quorum ope ac subsidiis nova loco forma & dignitas restituta est.

* *Ivry.*

* *l'Eure.*

XCI. Floriaco facta donatio.

Necdum biennium erat, ex quo Hugoni successerat Guillelmus seu Willelmus Floriacensis abbas, cum Petverensis * seu Pitiverensis castri miles, *sancta conversionis flagrans desiderio, & labentis saculi transitoriam pompam ducens pro nihilo*, res quasdam hereditatis suæ tradit *ecclesia sancta Dei-genitricis Maria & sancti patris Benedicti, ubi ipse sanctus pater humatus, veneratus divina pradestinatione & sua electione habetur, ubi etiam domnus abbas Guillelmus pastoris officio fungitur.* quæ res sitæ sunt non longe

* *Pivers.*

a Petverensi

a Petverensi castro diœcesis Aureliaoensis io Belsia, super fluvium Exonæ *, id est ma- „ nus-firma, quæ Baldrici-villa * dicitur, sicut eam possederat pater suus Tescelinus, „ cum ecclesia parochiali saocti Martini. Hæc aurem omoia Hugo tradit sancto Bene- „ dicto, simul etiam donat ei seipsum ad serviendum, eo pacto, ut Floriacenses alte- „ ram ecclesiam in eadem villa cum officinis ad cohabitandum & Deo serviendum ap- „ tis sibi construant, & fratribus illic Deo servituris assignent quidquid apud Scoti- „ nas villam possidebant. Hæc aurem donatio ab Hugone facta est, annuente matre „ sua Milesinde & fratre suo Alberto cum filiis ejus. quæ ut firmior haberetur, ipse Hu- „ go & frater ejus Albertus domino suo Philippo regi chartam istius donationis corro- „ borandam obtulerunt: rex vero libentissime annuit, eamque chartam & sigilli sui au- „ ctoritate, & proprii nominis subscriptione corroboravit. *Actum Floriaco publice, anno* „ *ab incarnatione Domini* M LXXI. *regnante Philippo rege anno* X. His litteris appositum est signum Philippi regis cum cruce, tum signa Hugonis filii Tescelini Pereverensis. Verum, ut est versatilis mortalium voluntas, eodem anno Tescelinus & filius ejus Hugo nonnullas consuetudines possessionibus sancti Benedicti sitis in pago Petiverensi imposuere. Qua de re cum Guillelmus abbas apud Philippum regem questus esset, præceptum regium adversus eos obtinuit. *Actum Mileduno publice, anno ab incarnatione Domini* M LXXI. *Philippi vero regis gloriosissimi anno* XI. Post monogramma Philippi regis apponitur *signum Gualeranni magistri domus regis, & Hugonis fratris ejus*, id est regis.

* Essonne.
* Baudreville.

XCII. Vindocino asserta capella castri Oleronis.

Eodem anoo Goscelinus Basciacensis abbas litem Vindocineosibus movit de capella castelli Oleronis, quam Gaufridus Andecavorum comes, ejusque uxor Agnes, annuenribus ejusdem Agnetis filiis, Guillelmo Pictavorum comite & Guidone ejus fratre, olim Vindocinensi monasterio contulerant. Ast inita hoc anno concordia est, assensu Goscelini Burdegalensis archiepiscopi, & Bosonis episcopi Santonensis in Basciaco monasterio. Hæc ex archivo Vindocinensi, in quo alia charta data dicitur die natalis sanctorum Gervasii & Protasii, festo sanctissimæ Trinitatis. quod argumento est, jam tum hoc festum, uti etiam modo, celebratum fuisse octava die post festum pentecostes. Idem constat ex multis aliis Vindocioeosis archivi monumentis, eodem sæculo datis. quod in transcursu adnotare visum est.

XCIII. Soricini abbas Raimundus.

Jam decimus erat annus, ex quo Soriciniense monasterium, diœcesis modo Vaureosis, rectore carebat: cum tandem diuturnæ orbitatis pertæsi monachi, divino disponeote [a] consilio, fratrem quemdam, Raimundum nomine, virum monasticæ disciplinæ amantem, morum probitate & sacrorum librorum doctrina pollentem, eligendum constituunt, ejusque electionem approbante Froterio venerabili Nemausensi episcopo, qui hunc locum magnopere diligebat *præ magnitudine sanctarum reliquiarum*, quæ illic asservabantur. Itaque electus est Raimundus, abbasque *consecratus* Tolosæ in basilica sanctæ Dei-genitricis Mariæ, consilio domni Alexandri papæ atque Hugo- „ nis Caodidi cardinalis, consensu quoque domni Durandi Tolosæ civitatis antistitis, „ qui omnes ejusdem monasterii possessiooes coofirmavit. Actum anno ab iocarnatione Domini M LXXI. & quidem XVIII. kal. Septembris, adstipulantibus Froterio Nemausensi episcopo, Raimundo abbate sancti Papuli, aliisque. Ex quo intelligitur Durandum e nostris Tolosanum, cujus non semel facta mentio est, saltem ad hunc annum perveoisse.

a Baluz. to. 4. Miscell. p. 447.

XCIV. Dalmatius Crassæ abbas.

Tunc Crassense monasterium regebat Dalmatius magni nominis abbas, Randulfi successor, cujus opera inter quatuor tribunos Malvierenses, de ditiooe disceptantes, coocordia inita coram Raimundo Barcioonensi comite & Aimerico Narbonensi. Eo abbate Berengarius-Raimundi, ejusque nepos Raimundus-Villelmi confe- „ ruot Deo & sanctæ Mariæ cœnobii Crassæ, & præsenti Dalmatio abbati, ejusque suc- „ cessoribus & monachis ecclesiam sanctæ Mariæ & saocti Pauli de Alta-ripa, cum con- „ sensu domni Isarni Tolosani episcopi, qui Durando mox laudato successerat. In ea- „ dem charta Petrus-Bernardi & ejus uxor Stephania eidem monasterio donant filium suum Leooem, *ad monachum*, ut loquebantur, cum prædicta ecclesia. *Facta est hæc scriptura donationis pridie idus Februarii, regnante Philippo Francorum rege, immo regnante Domino nostro Jesu-Christo sine fine.* Postmodum idem Dalmatius abbas promotus est ad archiepiscopatum Narbonensem.

XCV. Coxano facta donatio promissis.

Dum Gauzfredus [b] abbas Coxano monasterio præesset, Willelmus Ceritaniæ comes, pro remedio animæ suæ & Elizabeth uxoris quondam suæ, eidem cœnobio cessit

b Marca Hisp. p. 1162.

ANN. CHR. 1071

a ibid. p. 1163.

omnes census, quos *in honore* prædicti cœnobii percipere solebat, eo pacto, ut ejus » loci monachi *per unumquemque annum centum* [a] *missarum sollemnia celebrent* pro se & » pro uxore sua prædicta, a nativitate Christi usque ad caput quadragesimæ; ipso vero » anno, quo facta est donatio, *trecentas* missas usque ad pascha, & quolibet anno ip» sius anniversarinm faciant. *Facta hac scriptura donationis* XIII. *kal. Januarii, anno* XII. *regnante Philippo rege.* Non diu superstes fuit Gauzfredus abbas: cujus successor Gerbertus ecclesiam beatæ Mariæ de Riquerio, a Bernardo Seniofredi fundatam & Coxano tributam, a Raimundo Elenensi episcopo post biennium [b] dedicari curavit. Non multo post prædictus Willelmus Ceritaniæ comes pœnitentiam egit ob damna, quæ ejus milites Coxano intulerant.

b ibid.

XCVI. Romani ritus in Hispania recepti.

Superius vidimus, Hugonem-Candidum cardinalem ab Alexandro in Hispaniam missum fuisse. Hujus legationis duplex causa, nimirum ut simoniæ labes omnino aboleretur, & ut Romani ritus in rebus sacris admitterentur. Ad boc enim maxime intenti fuerunt Romani pontifices post Gregorium Magnum, ut aliorum regnorum ecclesiæ Romanos ritus susciperent, propriis abdicatis quos ab initio receptæ christianitatis acceperant. Eorum ratio hæc erat, ut omnes ecclesiæ, quarum una fides erat, iisdem etiam ritibus conformarentur. Non omnino eadem mens fuit Gregorii Ma» gni, qui Augustino Anglorum apostolo, cur, cum una sit ecclesiarum fides, diversa » sit nihilo minus in Gallicanis missarum consuetudo; respondit sibi placere, ut sive in » Romana, sive in Galliarum, seu in qualibet ecclesia, aliquid inveniret, quod am» plius Deo placere posset, illud in Anglorum nova ecclesia institueret. Non enim pro » locis res, sed pro bonis rebus loca amanda esse. Verum non diu post Gregorium viguit Gallicanarum ecclesiarum in celebratione missarum peculiaris ritus, qui Pippini regis principatu abjectus est, ut Romano locum faceret. Idem ab Alexandro secundo in Hispania tentatum, agente Hugone-Candido cardinale, tandemque perfectum est a Gregorio VII. qui id demum evicerunt, ut Mozarabum ritus abrogarentur, Romanisque cederent.

XCVII. Aquilinus abbas ob id Romam missus.

Itaque Hugone cardinale agente, Sancius Aragoniæ rex, Alexandro pontifici rem gratam facturus, Romanos illos ritus in Pinnatensi primum monasterio suscipi curavit, & regni sui monasteria, ab ecclesia Romana dudum alienata, eidem restituit. quod per Aquilinum istius monasterii abbatem pontifici significavit. Hac occasione usus abbas, privilegium monasterio suo ab Alexandro obtinuit, inscriptum *Cariss.mo filio Aquilino, religioso abbati monasterii sancti Johannis-Baptistæ de Pinna in Aragonia provincia:* cujus privilegii bæc verba sunt: *Apostolicæ sedi non nostris meritis, sed sola Dei misericordia præsidentes, accepimus, in partibus Hispaniæ, catholicæ fidei unitatem a sua plenitudine declinasse, & pæne omnes ab ecclesiastica disciplina, & divinorum cultu interiorum aberrasse. Itaque, instigante nos commissa sancta & universalis ecclesiæ providentia, ad correctionem ecclesiarum Dei filium nostrum, Hugonem-Candidum & cardinalem presbyterum, in partes illas misimus, qui divina suffragante clementia, christianæ fidei robur & integritatem ibi restauravit; simoniacæ hæresis inquinamenta mundavit, & confusos ritus divinorum obsequiorum ad regulam canonicam & ordinem reformavit. Dilectus ergo filius noster Sancius rex Hispaniæ, divina gratia præventus & accensus amore, cum omnibus quibus potuit, ad veram perfectamque fidem nobilitatis suæ gloriam convertit, & protinus semetipsum apostolicæ dignitati commisit ac subdidit, & monasteria suæ ditionis diu alienata, Romanæ ecclesiæ proprio jure tenenda reddidit. Hac autem rex piissimus per te, dilectissime fili, prædicti monasterii sancti Johannis-Baptistæ de Pinna abbatem & suum spiritualem patrem, mediante Hugone cardinale nostro, in nostram præsentiam cum chartarum monumento deferri destinavit, & proprium testem suæ devotionis adhibuit: specialiter quidem hoc a nobis impetrare desiderans, ut præfatum monasterium, cui eo juvante serviendo præsides, juxta votum & postulationis suæ desiderium, constituto censu, videlicet unius unciæ auri per singulos annos, in tutelam & singulare patrocinium sanctæ Romanæ ecclesiæ susciperemus, & privilegio apostolicæ tuitionis idem monasterium cum omnibus sibi pertinentibus muniremus. Cujus oblationem & dignam petitionem per te omni caritate & benevolentia suscipientes, pariterque religiosis desideriis suis libenter annuentes, (quoniam te apostolicæ dignitati devote subjectum, & ad regimen abbatiæ reluctantem & invitum adductum esse cognovimus) te, & monasterium tuum, cum omnibus sibi pertinentibus, in jus & defensionem sedis apostolicæ suscipientes, privilegii apostolici ornamentum præsidiumque tibi concedimus.* Ad hæc statuit pontifex, *ut abbas in*

eodem monasterio, sicut regula sancti Benedicti precipit, nonnisi communi fratrum consensu eligatur, & ab episcopo illius diœcesis, si catholicus fuerit, alias a quolibet alio episcopo ordinetur, qui nullatenus sine judicio sedis apostolicæ deponatur. *Datum Laterani* XV. *kal. Novembris, per manus Petri S. R. E. presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, anno* XI. *pontificatus domni Alexandri II. papæ, anno scilicet dominicæ incarnationis* M LXXI. *indictione* IX. Non tamen continuo abrogatus est Mozarabum cultus, non modo in Hispania tota, sed ne quidem in Aragoniæ regno, ut ex Gregorii VII. ad Sancium regem aliosque epistolis constat. Ad res Gallicanas revertor.

ANN. CHR. 1071.

XCVIII. Cellæ Trecensis donatio firmata.

Apud Trecas suburbano Cellæ monasterio tunc præerat Bernardus [a] abbas. Is Philippum regem in urbe Senonum adiit, petiitque, ut ecclesiæ sanctæ Savinæ, suburbio Tricassino proximæ, donationem a Theobaldo Trecensium comite factam, regia auctoritate confirmaret. Petenti annuit rex consilio Richerii Senonicæ ecclesiæ metropolitani, aliorumque præsulum, qui regiis litteris subscripti sunt, scilicet Hugonis Trecensis, Galterii Meldensis, Gaufredi Parisiacensis, Arraldi Carnotensis, Rainerii Aurelianensis, Gaufredi Autisiodorensis & Hugonis Lingonensis. *Actum publice in Senonico palatio, anno incarnati Verbi* M LXXI. VII. *kal. Maii, indictione* IX. *regnante Philippo rege anno* XII. Petrus cancellarius præceptum scripsit, eique subscripsit. Hugoni Lingonensi episcopo successit Rainaldus anno sequenti.

[a] *Camusat p.* 4.

XCIX. Malmundarium Stabulaco restitutum.

Lambertus Scafnaburgensis auctor est, Stabulenses monachos cum sancti Remacli corpore *pro repetitione monasterii Malmundariensis* hoc anno ad Heinricum imperatorem, qui tum Leodici versabatur, accessisse. quod ut intelligatur, altius repetenda res est. Stabulense monasterium & Malmundariense a sancto Remaclo abbate, alterum in Tungrensi, alterum in Coloniensi diœcesi, ita condita & instituta fuerant, ut sub uno rectore essent seu abbate, qui tamen Stabulaci resideret, probante illius temporis arcbepiscopo Coloniensi, scilicet Cuniberto. Id ægre tulerunt subsequentes archiepiscopi, quorum nonnulli Malmundarium subinde revindicare moliti sunt, assentantibus Malmundariensibus, qui Stabulensium jugum impatienter ferebant. Mortuo Heinrico imperatore administratio imperii & juvenculi regis Heinrici moderatio primo quidem commissa fuit Annoni Coloniensi archiepiscopo: ast, eo absente, Adalbertus Hammaburgensis archipræsul utrumque usurpavit. Hinc multa rixarum materia ejus cum Annone, hoc demum pacto utcumque sopita, ut Adalberto Corbeiensis & Laurishamensis abbatiæ; Annoni Inda & Malmundarium a rege donarentur. Forte fortuna an consilio contigit, ut rex juvenculus Stabulaci curiam haberet, comitante cum aliis Annone; quem ut sibi demererentur Malmundarienses, corpus sancti Ailulfi seu Agilolfi quem ex abbate Stabulensi archiepiscopum Coloniensem factum tradunt, ei pollicentur, ut ipsos in libertatem assereret. Promisso firmato, dum curia Treviris haberetur, Anno perhumaniter apud sanctum Maximinum acceptus est a Theodorico abbate, qui etiam tunc Stabulensi monasterio præerat. Ubi pactum rescivit abbas, submonito Frederico duce, Stabulaci advocato, sibique adjuncto, Malmundarium munit. Anno Cuonradum comitem, Friderici nepotem, ejus loci advocatum constituit. In curiam citantur Fridericus & Theodericus abbas causæ suæ rationem reddituri. Ambo adsunt apud Triburias: ubi dux rem non bene cessuram prævidens, in periculo relinquit abbatem: qui jussus baculum reddere, constanter negat; & tandem inde post mensem evadit. Interim moritur dux Fridericus, & Stabulaci sepelitur. Mox ab Annone Cuonradus comes Malmundarium mittitur, ut abbatem eligendum curet. Electus Tegeno monachus ex cœnobio Brunwillarensi. Ad supplicationes recurrunt Stabulenses, & sancti Remacli loculum super pavimentum ecclesiæ cum multo ejulatu deponunt. Abbas vero adit Godefridum Tusciæ ducem potentissimum; ille promtam pollicetur opem. Abbas Goslariæ apud regem se sistit cum Godefrido, cui Stabulaci advocatio data. Dein templi opes expendit, ut regem & aulicos sibi conciliet. Rex muneribus capitur, sed postea datam fidem fefellit. Tandem post multas tergiversationes, cum archiepiscopus nec precibus, nec lacrymis, nec ipsa perurgentium importunitate moveretur; Stabulenses inito consilio, corpus beati Remacli Leodicum, ubi rex cum frequenti curia versabatur, deferunt, illudque, rege sollemne epulum agente, super mensam ipsam apponunt, obsecrantes per Deum, ut, si minus filiorum, saltem tanti patris respectu, ablata restitui jubeat. Hoc supplicationis genere insolito rex adeo flexus non est, ut contra supra modum

ANN. CHR. 1071.

efferatus, relictis epulis in palatium se proripuerit, irarum plenus, quas in abbatem coquebat. Sed ecce mensa, super quam sacræ reliquiæ depositæ erant, confracta corruit, ministroque regis, haud obscuri nominis viro, crura pedesque contrivit. qui paullo post, exorata per interventum beati Remacli pietate divina, integræ restitutus est sanitati. Huic miraculo multa alia successere: nec tamen rex aut archiepiscopus flectitur. Sic Stabulenses frustrati, cum maximo mœrore discedunt. Non multo post, dum rex Fritislariæ moras agit, interiori morbo torquetur. quod sibi ob injuriam sancto Remaclo factam accidisse credens, abbatem accersit, eique Malmundarium restituit. Mox abbas, allato sancti Remacli corpore, locum redigit in suam potestatem. Tum Romam petit, & loci possessionem ab Alexandro confirmari curat. Interim, eo absente Malmundarienses Annonem invitatum eunt ad locum denuo invadendum. Ejus rei causa Gerlasius ab Annone, qui tum Salaveldæ versabatur, Malmundarium mittitur, sed re infecta inde redire cogitur. Romam conveniunt archiepiscopus & abbas. Anno a pontifice increpitus, quod Parmensi æmulo suo, scilicet Cadelao, communicasset; pro piaculo, consilio Beatricis marchisæ, nudis pedibus procedit in publicum. Purgatus demum se omnia Stabulensibus restituturum pollicetur. Totam hanc historiam quæ Triumphus sancti Remacli inscripta est, anonymus monachus Stabulensis scripsit duobus libris: quorum priorem suis Stabulensibus, posteriorem ipsi Theoderico abbati nuncupavit. Eamdem compendio retulit Lambertus hoc anno, quo Leodici curia habita est. In illius restitutionis memoriam anniversaria sollemnitas VII. idus Maias instituta. De his omnibus silet Annonis vitæ scriptor, nisi quod ait, eum sancti Agilolfi corpus Malmundariensibus præripuisse, & ad ecclesiam sanctæ Mariæ ad-Gradus transtulisse.

C. Anno duo monasteria condit.

Si quid in his humani passus est Anno, id aliis piis operibus & suis in monachos benefactis abunde compensavit. Nam, præter duas collegiatas ecclesias, tria monasteria exstruxit; primum Sigebergense, de quo superius actum est; alterum Grafscafense dictum, in honorem sancti Alexandri martyris & sex ejus sociorum apud Westphalos; tertium Salefeldense ad fluvium Salam, in confinio Turingorum & Sclavorum sub patrocinio beati Petri apostolorum principis, unde canonicos ejecit. Utrumque congruis ædificiis & prædiorum redditibus instruxit, & ad normam Sigebergensium vivere instituit, ejusdem cœnobii fratribus inde adductis.

Salefeldæ monasterium.

De Salefelda opido, deque origine Salefeldensis monasterii, præter anonymum in libro de vita sancti Annonis, fuse egit Christianus Schlegelius in Schediasmate de nummis Salefeldensibus, ubi tabulas refert Richezæ nobilis matronæ Ezonis seu Erenfridi comitis palatini filiæ ac Polonorum reginæ, sed a marito rejectæ, quæ Salefeldam Annoni archiepiscopo cessit. In his litteris Anno *secundus*, ut se vocat, Coloniensis archiepiscopus, testatur, se in proprietate cujusdam nobilis feminæ Richetzæ, in opido *Salefelt* sita, quam justa & legitima interveniente conditione obtinuerat, monasterium sanctis apostolis Petro & Paulo, omnibusque sanctis constituisse, eo ardentius, *ut populum rudem & christianæ religionis inscium, paganismo & vano errore vanitatis eliminato, ad gloriosum Dei nomen benedicendum induceret.* tum enumerat possessiones omnes, quas dotando monasterium contribuit, cum libera eligendi abbatis facultate. *Actum anno dominicæ incarnationis* MLXXIV. *indictione* XII. quæ omnia cum suis augmentis Honorius II. Walthero abbati confirmavit anno MCXXVI. Hunc primum Salefeldæ abbatem fuisse volunt. Ezzonem Trithemius præfert, antea monachum sanctæ Felicitatis in *Schwarzach*, ac discipulum Egberti sanctissimi abbatis. Hoc Salefeldæ monasterium habuit jus cudendæ monetæ, cujus aliquot nummos prædictus Schlegelius præfert. Hoc jus senatui Salefeldensi Henricius abbas vendidit medio sæculo decimo quarto. Hujus monasterii ultimus abbas exstitit Georgius ex prænobili Thunaviorum stirpe, quo abbate pulsi e cœnobio monachi, cujus bona in manus Alberti comitis Mansfeldensis Lutherani devenerunt.

Lambertus eo venit.

Lambertus Scafnaburgensis testatur, se tunc temporis ad illa duo monasteria venisse, collationem habiturus cum illorum locorum monachis de ordine & disciplina vitæ monasticæ; propterea quod magna quædam & præclara de illis vulgi opinione jactarentur, novarum scilicet rerum avidi, qui ad insolita & incognita stupere solet, usitata nihili facit. Hac opinione imbuti populares, monachos illos non homines, sed angelos reputabant, alios vero penitus aspernabantur. Hæc autem opinio prin-

cipum qnoque mentibus altius insederat: a quibus ad populum derivatus rumor, tantum terroris plerisque illius regionis monasteriis injecerat, ut ad ingressum illorum plerique alii monachi, austerioris vitæ metu conterriti, e monasteriis suis aufugerint. Hanc vero despectionem super illos monachos merito a Deo effundi fatetur Lambertus. quippe quorumdam pseudomonachorum privata ignominia nomen monachorum vehementer infamaverat, qui omisso studio divinarum rerum, totam operam pecuniis & quæstibus insumebant. adeo ut pro abbatiis & episcopatibus principum aures quotidie obtunderent, & ad honores ecclesiasticos, non via virtutum, ut majores nostri consueverant, sed ambitione & pecuniarum profusione viam sibi facerent, qui crucis scandalum & paupertatis titulum præferre debuerant, & præter simplicem victum & vestitum nihil rei familiaris habere. Ea re offensi principes, ad instituendam in Teutonicis monasteriis divinæ servitutis scholam, transalpinos monachos (nam e Fructuariensi monasterio Sigebergenses acciti fuerant) evocabant, & suos populares, quicumque in illorum instituta concedere noluissent, de monasteriis cum ignominia ejiciebant. « Ego tamen, addit Lambertus, ad eos veniens, & per « quatuordecim hebdomadas apud eos, partim in Salefelt, partim in Sigiberg com- « moratus, animadverti nostras quam illorum consuetudines regulæ sancti Benedicti « melius congruere, si tam renaces propositi, tamque rigidi paternarum nostrarum « traditionum æmulatores vellemus exsistere.

.CI. Fridiburga virgo Treviris sacras reliquias detegit.

Florebat per id temporis in Horreensi apud Treviros parthenone piissima sanctimonialis, nomine Fridiburga. Hæc meridiano tempore in æde sacra cum inter precandum obdormisset, secundum quietem audire vocem sibi visa est, jubentis, ut bibliothecæ schedas, aureis exaratas litteris, perquireret. Expergefactam, reique incertam, iterum ac tertio vox eadem instantius monet, ut jussa exsequatur. Tum, forulis ac scrinus diligenter excussis, venit in manus hymnus de sancti Paulini illius urbis episcopi laudibus olim conscriptus, quo ejus sepulturæ locus indicabatur, ubi aliorum martyrum actus annotati essent. Ea re cum sancti Paulini collegio communicata, & ad Udonem archiepiscopum relata, effossa loci designati humo, tredecim martyrum inventa corpora, & paullo altius pretiosum beati Paulini corpus, & ad ejus loculum tabula reperta marmorea, jam inde a Nortmannorum illuvie terris obruta, atque alia item subter eam plumbea, quæ cererorum corporum positionem, tum martyrum etiam certamina & nomina continebat, quæ apud Browerum [a], fusius ista tractanrem videre licet, a Trithemio etiam observata in chronico Hirsaugiensi ad hunc annum, & a Lamberto anno sequenti.

[a] Brower. to. 1. p. 547.

CII. Willelmi Hirsaugiæ abbatis ordinatio & virtutes.

Post mortem Friderici Hirsaugiensis abbatis, quam anno superiori accidisse diximus, Willelmus, eo vivente electus, abbatem demum se ordinari passus est. Id factum, non IV. idus Maii, ut ait Trithemius, sed IV. idus Junii, ipso dominicæ ascensionis die, ut in libro de Willelmi vita legitur; adeoque hoc anno, quo ascensio Domini in illum diem incidebat. Inita hac dignitate, eo majori cælestis studii fervore flagrare cæpit, quanto ceteris se superiorem esse noverat. Maxima ejus cura & sollicitudo fuit de religionis monasticæ observatione. Ardens & efficax erat in exhortando, severus in corripiendo, cum gravitate affabilis, quo discipulorum animis suaviter influebat. Principio libertatem monasterii sui, quam Adelbertus comes advocati nomine pæne destruxerat, redintegrari sategit, rescisso chirographo, quod Adelbertus ab Heinrico tertio imperatore subripuerat; & novo obtento, quod Heinricus quartus regio sigillo roboravit, & Gregorius VII. postea confirmavit. Eximia caritate præditus, neminem, Deo servire cupientem, sive ob paupertatem, sive ob imperitiam, a monasterio excludebat. In hospites, & maxime in pauperes liberalis, si quando rei familiaris penuria premebatur, eam non modo tolerabilem, sed gratam sibi, suisque reddebat, asserens hanc esse Christi amatorum probationem, & brevi consolationem successuram. Humilitate haud impar, pretiosis vestibus in re sacra uti nolebat, manns & genuum abbatis osculationem exosus. Ad mensam nihil singulare, sed omnia communia & mediocria sibi apponi volebat, cupedia & epularum varietatem, quæ sunt fomenta libidinis, abhorrens. Eadem in vestibus modestia. Si quando iter ei agendum erat, non superbo equo, sed equa, aut vilis aselli dorso vehebatur. Tantis virtutibus miracula non defuere: sed miraculis potior videtur reformatio morum in Germanicis monasteriis ab eo procurata, ut inferius videbimus.

ANN. CHR. 1071. CIII. Aldenmunster cella instaurata.

Jam annus sextus-decimus erat, ex quo Laurishamensi cœnobio præerat Udalricus abbas, cum ejus animo insedit quamdam instaurare cellam in proxima insula, *Aldenmunster* dictam, id est Vetus-monasterium, a quo insula *Aldenmunster* appellata: quam cellam congruis prædiis dotavit, edito hac de re instrumento, cujus hæc verba sunt. *Scientes nos in hoc vocatos, in hoc positos esse, ut decorem domus Dei diligamus; divina favente clementia animum induximus, non solum ecclesiæ nostræ dispersa congregare, verum etiam in his maxime, quæ sunt ad Deum, diruta reformare, & reformata propagare. Ea propter notum sit omnibus Christi fidelibus, qualiter nos ob honorem Dei & beati Petri principis apostolorum, cellam Aldenmunster, primitivam ecclesiæ nostræ matrem, monitu & rogatu sereniſſimi Heinrici domini nostri IV. regis, necnon fratrum ministerialium ac fidelium nostrorum consultu & annisu, diu desolatam renovavimus, & ad divinæ religionis augmentum fratres nostræ professionis adunavimus*, &c. Deinde quædam ad usus & sustentationem fratrum assignat, ejusque rei chartam *sigilli* sui *impressione* se roborasse dicit. quod argumento est abbates jam tum sigillo usos fuisse, sive proprio, quod malim, sive monasterii sui. *Actum in ipsa ecclesia Aldenmunster, in festo beati Petri, anno dominicæ incarnationis* M LXXI. *regni vero Henrici quarti Romanorum regis anno* XV. *introitus autem domni Udalrici abbatis anno* XVI. *ab eo quo primum per Rudgangum archiepiscopum eadem consecrata est ecclesia anno* CCC IIII. Id autem rex Heinricus diplomate suo Laurishami eodem anno confirmavit, relato cum superiori in chronico Laurishamensi. Porro idem Udalricus abbatiæ quoque Murbacensi præpositus fuit, nec multo post carne solutus ad Dominum migravit.

CIV. S. Udalrici ecclesia dedicata.

Ex prædicto chronico ecclesia sanctæ Afræ & sancti Udalrici ab Embricone Augustensi, Gunzone Aistetensi, & Ellenbardo Frisingensi episcopis est consecrata. Stengelius id factum dicit præsente Heinrico IV. in vigilia nativitatis sanctæ Dei-genitricis, & ecclesiam ab Embricone episcopo instauratam. Quis tunc monasterii abbas fuerit, non prodit iste auctor, qui Adalberonem septimum abbatem a civibus injuria affectum, quod Alexandri II. partibus faveret, eumdemque Romam profectum, in reditu anno M LXIV. obiisse dicit. In chronico Augustano post Adalberonem octavus abbas nec clericus, nec monachus fuisse dicitur; unde nec memoria dignus. Nonus Sigehardus, Fidelis dictus, de quo inferius.

CV. Ekkehardus junior obit.

Obiit hoc anno Ekkehardus junior, sancti Galli monachus, qui librum de casibus monasterii sui post Hartmannum & Ratpertum composuit, initio ducto a Salomone tertio abbate, in quo Ratpertus desierat. Hunc librum scribere aggressus est Ekkehardus sub Nortperto, *cujus hodie sub regimine*, inquit ille in sua præfatione, *non prout ipse & nos, ut inquiunt, volumus, sed, prout possumus, vivimus.* Non tamen historiam suam perduxit ad illius abbatis tempus, sed tantum ad Notkerum, in quo definit, quam Burchardus continuavit. Erat Ekkehardus junior sancti Galli præpositus, Moguntiæ mortuus, & apud sanctum Albanum sepultus. Id nos docet ejus epitaphium, cujus hic titulus in codice sancti Galli: *Epitaphium Ekkehardi monachi, presbyteri, præpositi, Moguntiaci ad sanctum Albanum sepulti.* In illo rudi epitaphio nihil notatu dignum præter diem ejus obitus, hoc disticho expressum:

In Maii decimis Galli symmista kalendis
Ekkear in requiem tendit, obitque diem.

Annum ejus obitus notavit Goldastus initio tomi primi rerum Alamannicarum, ubi quinque Ekkehardos, omnes sancti Galli monachos, distinguit, eorumque opera recenset. De aliis in superioribus egimus.

CVI. Augiæ intrusi abbates.

In Augiensi monasterio Meginwardus Hildensheimensis, quem ante biennium in Augiensem abbatiam irrepsisse vidimus, ea dignitate hoc anno se ultro abdicavit, offensus tum infestatione quorumdam militum suorum, qui eum gravibus contumeliis affecerant; tum importunitate regis, qui frequentibus eum edictis urgebat, ut prædia monasterii, quæ tam ejus, quam superiorum abbatum largitione dilapidata, vix fratrum usibus necessariis sufficere poterant, militibus suis in beneficium erogaret. In ejus locum simoniæ vitio irrupit Rubertus Babenbergensis abbas, cognomento Nummularius, annumeratis in ærarium regis mille pondo argenti purissimi. Hic sordidissimis quæstibus & usuris factus supra modum locuples, quascumque dignitates infami commercio nundinari studebat, eoque vesaniæ evasit, ut, præter

ANN. CHR. 1071.

occulta munera, quibus auriculariorum favor redimendus erat, regi centum pondo argenti promitteret, ut, *ejecto* eximiæ ſanctitatis viro abbate Widerado, Fuldenſis abbatia ipſi traderetur. quod quidem obtinuiſſet, niſi pauci, quibus leges eccleſiaſticæ pecunia cariores erant, in faciem regi, ne id faceret, obſtitiſſent. Ita vero monachorum ſanctam & angelicam profeſſionem ſuo tempore Lambertus (quod jam ſuperius [a] ex eo notavimus) in Teutonicis illis partibus infamatam & corruptam fuiſſe dicit, ut monachi non innocentia & integritate vitæ, ſed quantitate pecuniæ æſtimarentur; nec quæreretur in abbatibus eligendis, quis dignus præeſſe, ſed quis carius abbatiam poſſet emere. quam ille labem, quæ viri optimi pietas erat, magnopere deflendam jure merito exiſtimabat. Sed ut ad propoſitum revertar, Augienſis advocatus, comperto quanta pecuniæ quantitate pecuniarius ille abbas, ceu lupus rapax, in ovile Chriſti aditum ſibi patefeciſſet, miſſis obviam nuntiis ſub interminatione ſalutis propriæ eum deterruit, ne in monaſterium accederet. alioquin accedenti cum armata manu ſe occurſurum, eoſque vindicaturum in libertatem, quos ipſe tam caro mercimonio in ſervitutem coëmerat. His ille minis deterritus, etſi primo rem armis dirimendam cenſuerat, tamen a ſuis melius conſultus, pedem retulit, & apud fratrem ſuum negotii eventum præſtolaturus reſedit. Interim Babenbergenſem abbatiam obtinuerat Ecbertus, *Gorzienſis diſciplinæ monachus*: ad cujus adventum diffugere monachi, quos prior ille nummularius abbas peſſimis uſurariæ artis diſciplinis inſtituerat. Ruberto porro ſpes omnis obtinendæ Augienſis abbatiæ anno ſequenti ab Alexandro papa adempta: at nihilominus res infecta permanſit uſque ad Gregorii VII. pontificatum.

[a] *ſupra num. 100.*

Einſidlenſes & Corbeiæ novæ abbates.

Hic annus primus erat Selingeri abbatis Einſidlenſis, ſucceſſoris Henrici, qui anno ſuperiori, XIV. kal. Maii obiiſſe dicitur. Anno præfecturæ ſuæ tertio Selingerus monaſterii ſui libertatem ab Heinrico rege confirmari curavit. qua in re Utonem Trevirenſem & Gebehardum Saltburgenſem archiepiſcopos, necnon Ottonem Conſtantienſem epiſcopum cum Berta regina interventores habuit. Poſt annos præfecturæ viginti locum ceſſit Rudolfo ejus nominis primo, ex comitibus Raperſvillanis, qui Geronem initio ſæculi ſequentis ſucceſſorem habuit.

Apud Lambertum Saricho ſeu Saracho abbas Corbeiæ-novæ hoc anno deceſſiſſe traditur, cui Werinherus ejuſdem cœnobii monachus ſucceſſit.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEXAGESIMUS QUARTUS.

Ab anno Christi 1072. ad annum 1076.

ANN. CHR. 1072.

I. Casinense monasterium renovatur.

a lib. 63. n. 77.

b Chron. Casin. lib. 3. c. 33.

PERFECTA nova Casinensi basilica, ut superius [a] diximus, & dedicata, Desiderius abbas vetera monasterii ædificia, qua senio fatiscentia, qua suo situ inconcinna & incommoda, magna ex parte subruit, atque alia longe elegantiora & commodiora construere [b] aggressus est. Et primo quidem peristylium seu claustrum, quod tantæ congregationi angustius erat, amplificare volens, everso vetere refectorio, quod a latere templo, contra quam decebat, a fronte vero capitulo inhærebat, in ulteriori futuri claustri parte, juxta meridianum atrii ecclesiæ latus, novum, & quidem amplissimum exstruxit, cujus longitudo cubitorum nonaginta-quinque, latitudo viginti-trium erat, quindecim vero altitudo. Ejus ingressus ab orientali parte, ab occidentali absida, cui abbatis mensa, valde ampla, ex transverso præstituta cernebatur. Omnes fenestræ a meridiano latere quatuordecim; a septentrionali tantum duæ; totidemque in frontibus singulis rotundæ. Refectorio ab australi parte adjuncta coquina fratrum, ampla & pulchra, duobus fornicibus constans inter sese connexis, quos una tantum columna sustentabat. Hanc inter atque refectorium gradus & janua erat, qua quæque necessaria in refectorium conferebantur, atque inde referebantur. Ex altera coquinæ parte cellarium, ex quo utrique, id est refectorio & coquinæ, necessaria inferebantur. Novum insuper dormitorium exstructum cum domo infirmorum. Dormitorii longitudo ducentorum cubitorum, viginti latitudo ab uno muro interiori ad alterum, altitudo cubitorum triginta. Fenestræ amplæ ad meridiem viginti: quarum tres maximæ tribus columnellis marmoreis fulciebantur. His intra tres circiter annos absolutis, capituli ædes ab orientali parte per transversum ita constituit, ut interior ejus frontispicii angulus exteriori angulo basilicæ connexus; absida vero ejus dormitorio proxima esset. Habebat in longum cubitos quinquaginta tres, in latum viginti, in altum octodecim; a latere uno fenestras novem, ab altero totidem; a fronte aquilonari tres rotundas, ab australi duas æque rotundas. Laqueari superius, pavimento inferius, picturisque hinc inde exquisitissimis ornatum. Cum vero mons ad illius capituli spatium ampliandum suffoderetur, frequentes terræ motus facti sunt. quod Leo Marsicanus ob sepulturas tunc necessario violatas, quæ sanctorum forte hominum fuerant, accidisse putat, tametsi consimiles illic non raro fiant. Denique, ut cætera prætercam, ab occidentali parte claustri cellam novitiorum construxit.

struxit. Hinc ecclesiam beati Martini quæ sola fere ex veteribus ædificiis intra monasterii ambitum remanserat, magnifice itidem instauravit, ut fuse describit [a] Leo Marsicanus: cujus opus hoc loco desinit, quod Petrus diaconus deinceps prosecutus est.

ANN. CHR. 1072.
a V. lib. 60. num. 2.

Hoc ipso anno Johannes, Marsicanæ ecclesiæ archipresbyter, Casini habitum monasticum a Desiderio abbate accepit, eodemque die codicem, continentem lectiones, quæ in vigiliis præcipuarum festivitatum leguntur, ipsius sumtibus a Leone quodam exaratum, sanctissimo patri Benedicto super ejus altare obtulit. In illo codice depicta est imago sancti Benedicti sedentis, & ad ejus pedes Johannes ipse in habitu novitii, capitium superiori tunicæ assutum gerens, utraque manu cucullam sancto Benedicto exhibens, sibi imponendam. In eadem tabella quam in æs incisam tomo primo [b] nostrorum Annalium exhibuimus, depicti sunt Desiderius abbas cum veste sacerdotali, dextra amplectens eundem Johannem, (sic enim interpretor) veste monastica jam indutum, qui prædictum codicem sancto Benedicto offert, apposita sequenti inscriptione.

II. Johannes archipresbyter Casini monachus.
b Annal. Bened. to. 1. p. 110.

Anno dominica incarnationis millesimo septuagesimo secundo, indictione decima, cum post transitum sanctiss.mi & eximii patris Benedicti in hoc ejus venerabili cœnobio Casinensi, ubi sacratissimum ejusdem patris & legislatoris nostri, atque ipsius egregia sororis Scholastica corpora honorifice humata quiescunt, septimo & tricesimo loco domnus Desiderius venerabilis abbas præesset; inter cetera suorum monimenta magnalium, quibus pra omnibus suis antecessoribus mirifice floruit, hunc quoque pulcherrimum librum describi pracepit, continentem scilicet eas lectiones, qua in vigiliis pracipuarum festivitatum, id est nativitatis Domini, sancti Stephani, sancti Johannis-Evangelista, epiphania, resurrectionis, ascensionis ac pentecostes, debeant legi. Quem videlicet librum ego frater Johannes, Marsicana dudum ecclesia archipresbyter, nunc autem ultimus ejusdem sancti loci famulus, ob meam meorumque salutem ex propriis sumtibus componere feci ipsique sanctissimo patri Benedicto eo die, quo ejus habitum suscepi, super ipsius altare devote obtuli; contestans ut, si quis hunc quolibet obtentu ex hoc sancto loco auferre prasumpserit, cum illis mansionem sortiatur aternam, quibus in extremo judicio dicturus est Christus: Ite maledicti in ignem aternum, &c. Quisquis autem hac legeris, subjectum quoque distichon legere ne pigriteris.

Hujus scriptorem libri, pie Christe, Leonem,
In libro vita, dignanter supplico, scribe.

An is sit Leo Marsicanus, qui tum Casini junior monachus erat, adeoque ipsius Johannis concivis, aliis divinandum permitto. Hanc inscriptionem cum pictura ex Diario Italico nostri Bernardi *de Monfaucon* accepi. Ex tribus, quæ tabellæ in æs incisæ additæ sunt imagines, prima quidem videtur esse monachi, sola tunica & capitio induti; secunda abbatis cum humerali capuciato & pedo pastorali benedicentis monachum, qui parvam cucullam seu scapulare antiquæ formæ gestat. Ceterum totam illam inscriptionem, etiam ubi agitur de sanctissimi patris Benedicti sororisque sanctæ Scholasticæ corporibus, quæ Casini quiescere dicuntur, relatam volo absque præjudicio nostræ possessionis, quam in superioribus satis asseruisse mihi videor.

Hoc item anno monasterium S. Angeli ad Formam seu Formas apud Capuam Richardus princeps [c] sancto Benedicto obtulit in manu Desiderii abbatis, qui illud restruxit, assignata ei media parte mobilium Albanetæ cellæ Casinensis, ex qua etiam monachorum coloniam illuc deduci curavit. Hoc monasterium positum erat ad arcum Dianæ Tifatinæ, sic dictæ a Tifata proximo monte, ubi unus tantum monachus paullo ante medium sæculum decimum habitabat. Verum cum Sico episcopus illud inique invasisset, Marinus papa [d] ipsum eidem monacho restitui jussit, & monasterium liberum esse sanxit sub custodia monasterii sancti Benedicti Capuani. Exstat apud Peregrinium [e] in historia principum Longobardorum insignis formula judicati, data anno M C XLIX. in gratiam Johannis præpositi S. Angeli ad Formam.

S. Angeli ad Formam monasterium Casino datum.
c Chron. Casin. lib. 3. c. 37.
d ibid. lib. 1. c. 57.
e Pereg. p. 151.

Tunc temporis Sublacense monasterium ad miserabilem statum redactum erat, tum ob vexationes [f] hominum sæcularium, qui possessiones monasterii diripiebant, tum ob dissolutionem monachorum, qui, etsi pauci, vix ex relictis bonis vivere poterant, peculium quisque suum habentes, propriamque sequentes voluntatem. quos

III. Sublacensis reformatio per Johannem abbatem.
f V. lib. 60. n. 1.

ANN CHR. 1071.

Humbertus abbas, ſenio & infirmitate prægravatus, ad officium revocare non valebat. Forte aliquando illuc divertit venerabilis Hugo, Oſtienſis & Veletrenſis epiſcopus qui ſacri loci ſtatum miſeratus, convocatis vicinis militibus, qui ad monaſterii perniciem conjurati erant, eos ab iniquo ſacramento abſolvit, alioſque, qui deinceps talia auſuri eſſent, accenſis candelis, pulſatiſque campanis, tam ſua, quam pontificis auctoritate, diris addixit. Tum reverſus Romam, Alexandro papæ deſolationem illius cœnobii expoſuit. quo ex relatu commiſeratione tactus pontifex, Hildebrandum archidiaconum cum Deſiderio Caſinenſi abbate illuc direxit, ut tantis malis medicam manum adhiberet, & labenti ſacræ domui ſuccurreret. Itaque Roma profectus Hildebrandus, menſe Junio, die dominica eo advenit; moxque capitulum ingreſſus, congregatis fratribus adventus ſui cauſam explicavit. Cum ei aſſurrexiſſent omnes, & gratias egiſſent; Humbertus abbas in ejus manus virgam paſtoralem reſignavit, humique toto corpore proſtratus, veniam de commiſſis erratis petiit, ſe ad abbatiale munus imparem eſſe confeſſus. Indulgentia ſupplici data, Hildebrandus eligendi abbatis copiam fratribus fecit. Illi vero Johannem Farfenſem monachum, Johannis-Oddonis filium, qui præſens aderat, a ſe jam alias electum, unanimi conſenſu denuo elegerunt. quod archidiaconus probavit. Mox ille in eccleſiam cum cantico *Te Deum* deductus, in ſede abbatis collocatus eſt. His peractis, miſſaque celebrata, archidiaconus ad ſacrum Specum beati patris Benedicti cauſa devotionis aſcendit; indeque reverſus, ſuper mulam in Urbem remeavit. Humbertus vero ex-abbas, fratribus ſalute data & accepta, apud Oderiſium, Turelli filium, ſe recepit, & apud eum uſque obitum permanſit, ibique poſt mortem in eccleſia beatæ Mariæ de Quinque-milliariis ſepultus eſt.

Itaque Johannes in ejus locum electus, ſacri loci abbas triceſimus-ſecundus, non multo poſt ab Alexandro pontifice conſecratus eſt. Mox de recuperandis monaſterii caſtellis & prædiis quæ diſtracta & in beneficium data erant, conſilium iniit, collecta militum manu, qua obſiſtentes ſubigeret. Et primo quidem ordinationis ſuæ anno Servariam, quem locum Ezulus, Humberti abbatis frater, precario tenebat, in poteſtatem redegit; &, ut alia omittam, Sublacum opidum ordinationis ſuæ anno quinto recuperavit. ubi palatium cum præſidio & eccleſiam in honorem ſancti Thomæ apoſtoli conſtruxit, quam multis ſanctorum reliquiis decoravit. Ab Adam Attenſi epiſcopo venerabiliſſimo dedicata eſt. aliquot miracula quæ in ea patrata ſunt narrat Chronographus: inter alia ſic habet de neſcio quibus girovagis. *Venerant quodam tempore in Italiam ex Francia homines inſani, qui dicebantur Confuſi, qui circumquaque pergentes per Campaniam & reliquas provincias calamitatis tantæ incutiebant timorem. Contigit quod tres ex ipſis advenerunt Sublacum, agitando ſine intermiſſione caput, inſana facta agendo; cumque ibi per aliquot dies morarentur, primus eorum in præfata eſt ſanatus, Deo juvante, eccleſia. poſtea vero reliqui duo ibidem adducti, gratia Dei ſano capite exierunt laudantes & benedicentes Dominum*, &c. Quod attinet ad ſacra & regularia inſtituta, in primis conſtituit, ut fratres quotidie *canticum graduum* ad miſſas dicerent, litanias quotidianis diebus facerent, & familiares pſalmos ſuper formas cantarent. Deinde, ut quotidie ad miſſam defunctorum omnes panem & vinum offerrent pro animabus omnium chriſtianorum; ad majorem vero miſſam viciſſim offerrent, id eſt die lunæ prior a læva cum aliis; die altera a dextra qui aſſiſterent, & ad pacem irent qui offerrent. Ad hæc, ut quovis tempore pedes in clauſtro lavarentur tribus pauperibus, qui *juſtitiam de pane & vino monachorum* acciperent defectu nummorum. Inſuper ut certis diebus proceſſionem per clauſtrum excalceati cum cruce & aqua ſancta facerent. Præter ea, ut in feſtivitate ſancti patris Benedicti ſollemnem proceſſionem cappis induti facerent ad ſacrum Specum; ibique miſſarum ſollemnia celebrarent. quam feſtivitatem cum octava peragi præcepit. Inde autem reverſi, poſt cœnam vigilias facerent pro animabus omnium ejuſdem monaſterii abbatum, & miſſam ſequenti die cum ſonitu omnium campanarum. quo die duodecim pauperes in xenodochio reficerentur. In feſtivitate vero S. Gregorii conſimile officium fieret pro animabus ſummorum pontificum. in ſecunda feria primæ hebomadæ quadrageſimæ pro parentibus & propinquis ſuis mortuis: in ſecunda feria ſequentis hebdomadæ pro familiaribus: reliquis autem diebus pro omnibus communiter defunctis. quibus diebus præcepit, ut de cellis monaſterii ſingillatim fratres ad refectionem piſces acciperent. Denique conſtituit ut Litania-major, quæ ante

ad sancti Laurentii ecclesiam fiebat, ad Specum sancti Benedicti fieret, Romanæ ecclesiæ exemplo; justum esse ratus, ut, sicut illa die Romani ad sanctum Petrum, ita Sublacenses ad sanctum Benedictum vota sua redderent. Idem abbas sub anathematis vinculo pro vestimentis & calceamentis fratrum assignavit castellum, Apollonium dictum, quod sanctus Gregorius olim concesserat. Idem ecclesias sancti Blasii & sancti Quintini dedit ad infirmorum procurationem, quibus etiam domum construxit, uti & domum ad susceptionem hospitum & peregrinorum, quibus reditus assignavit. Alia ejusdem abbatis facta in consequentibus referemus.

ANN. CHR. 1072.

IV. Farfensium lis de Minione composita.

Eodem tempore renovata est contentio inter Farfenses & monasterium sanctorum Cosmæ & Damiani in Mica-aurea, de ecclesia sanctæ Mariæ in Minione. Hoc comperto, Hildebrandus S. R. E. archidiaconus apud Alexandrum papam satis egit, ut abbates utriusque monasterii coram pontifice se sisterent in Lateranensi palatio ad illam controversiam finiendam. Mox illi adfuere cum suis ambo præceptis & privilegiis, quibus perlectis, præfecto & judicibus visum est, Farfensium causam potiorem esse, utpote quæ validioribus instrumentis fulciretur. Ideoque prædicta ecclesia his adjudicata fuit, ea conditione, ut adversæ parti centum denariorum libras ad emendam possessionem persolverent; sicque sanctorum Cosmæ & Damiani abbas juri cederet sub pœna viginti librarum auri, suaque hac de re privilegia refutaret. Assensit abbas sancti Cosmæ Odmundus, id ei nomen erat, moxque sua privilegia, *cum virgula in capite scripta*, reddidit, quæ tum *lecta fuerunt & incisa*; accepitque pactam denariorum summam, quæ præfecto & majoribus Transtiberinæ regionis ad quinquennium deposita fuit, dum ex illa possessio a monachis sancti Cosmæ emta fuisset. cujus rei litteras cautionis abbati vel œconomo Farfensi consignarent. His peractis, Johannes Portuensis episcopus & Petrus protoscriniarius, cum Berardo abbate Farfensi, necnon Durando scriniario, cum testibus in monasterium sanctorum Cosmæ & Damiani convenerunt, & fratrum conventu ante ecclesiam adunato hæc omnia a protoscriniario recitari fecerunt, quibus lectis, Odmundus abbas, ejusque monachi assensi subscripserunt. Actum Romæ Alexandri papæ anno pontificatus XII. die octava mensis Octobris, id est anno Christi M LXXII. indictione XI. a Septembri inchoata.

Paullo ante, sed eodem anno, Saxo comes, filius comitis Rainerii, mediam partem civitatis Vetulæ Farfensibus contulit *ex præcepto & judicio patris sui*, qui dum viveret, & in camera civitatis Castellanæ infirmus jaceret, id fieri præceperat.

V. Petri Damiani ultima legatio & obitus.

Mortuus est hoc anno Henricus archiepiscopus Ravennas, qui ob rebellionem communione privatus, episcopalia nihilo secius officia obierat, & Ravennates in schisma pertraxerat. Eo mortuo, delectus ab Alexandro pontifice Petrus Damiani, ut per eum Ravennates Romanæ ecclesiæ reconciliarentur. Hanc vero legationem vir Dei, licet jam ætate & vitæ austeritate confectus, libenter suscepit, ac feliciter confecit. In reditu, prima statim mansione, Faventiæ [*] ex febre decubuit. qua invalescente, sub medium noctis, quæ festum cathedræ sancti Petri præcedebat, exitus sui horam proximam esse præsentiens, nocturnum officium coram se recitari jussit. quo peracto, animam Deo reddidit in monasterio beatæ Mariæ suburbano, cujus in ecclesia ad gradus principis altaris honorifice humatus est. Vir eximiæ sanctitatis & rigidissimæ austeritatis, religionis ac morum integritatis studio cum paucis conferendus, ut ejus scripta testantur, in quibus aliquando fervoris æstu extra lineas abripi videtur, ceterum in historicis factis referendis non semper accuratus: sed tamen ob pietatem & doctrinam non vulgarem cum fructu ac studio legendus. Libellum de ejus vita scripsit Johannes monachus ipsius discipulus, eumque nuncupavit Liprando priori & ceteris senioribus eremi Fontis-Avellani, quod caput est ejus nominis congregationis ab eodem Petro institutæ sub regula sancti Benedicti, ut superius [a] probatum est. Ejus porro obitum hoc anno refert Bertholdus Constantiensis, cum insigni elogio in hæc verba: *Anno M LXXII. Petrus Damiani, pia memoria cardinalis-episcopus, jam dudum mundo crucifixus, migravit ad Dominum VIII. Kalendas Martii: cui domnus Geroldus*, [b] *revera monachus*, scilicet Cluniacensis, *scientia Scripturarum insignis, & moribus suo prædecessori non impar, successit*. In necrologio Cluniacensi præscribitur, ut *fiat officium plenum, sicut de abbatibus Cluniacensibus, pro Petro Damiano episcopo, qui corpus beati patris nostri Odilonis relevavit, & in loco, in quo nunc requiescit, mira devotione collocavit*. Non omittendum illustrissimi cardinalis Baronii de Petro elogium, quem ait hoc deploratissimo sæculo, cum excrevisset ad eccle- [a]

[*] Faenza.

[a] Tom. 4. lib. 58. num. 14. 15.

[b] Lib. 63. num. 8.

ANN. CHR. 1071.

» siam obruendam diluvium carnis, divinitus datum mundo tantum virum, qui aus- » terissimæ vitæ exemplo, verbique prædicatione & scriptis exsiccaret tantam putre- » dinem, pariterque pugnaret contra simoniacam hæresim, quæ ubique grassabatur » impune. Petri discipuli insigniores fuere Dominicus Loricatus, Rodulfus episcopus Eugubinus, quorum gesta litteris mandavit Johannes Laudensis, sanctitate insignes. Beati Petri Damiani reliquiæ coluntur Faventiæ in prædicto sanctæ Mariæ monasterio extra-murano, quod ad Cistercienses translatum est. Eum patronum habent Faventini.

VI. Agnes imperatrix Wormatiam adit.

Eodem anno Agnes regina ex Italia Wormatiam accessit ad filium suum regem Heinricum, qui cum Rudolfo Sueviæ duce dissidium habere cœperat. Jam annus minimum sextus erat, ex quo piissima illa regina, Germania relicta, in Italiam se receperat: ubi tanta austeritate vitam instituerat, ut communem humanarum virium mensuram, teste Lamberto, excederet jejuniorum ac vigiliarum patientia. Rudolfus apud regem novandarum rerum insimulatus, quamvis ab culpa remotissimum se sciret; conterritus tamen Ottonis Bajoariæ ducis, nuperrime exauctorati, recenti exemplo, Agnetem obnixis precibus *in Galliam* (sic Lambertus [a] non semel Germaniam appellat) evocavit, ad prævertendam nascentis belli tempestatem. Hinc imperatrix, *quamquam cuncta seculi negotia religionis obtentu in perpetuum abjurasset*; nec a proposito tamen suo nimium abhorrere, nec ab ecclesiastica functione alienum fore judicavit, si viro, erga se optime merito, & affini in angustiis rebus opem ferret, & filio juveniliter tumultuanti modum imponeret. Venit itaque Wormatiam, *amplissimo stipata numero monachorum & abbatum*, in primis venerabilis Hugonis Cluniacensium abbatis, & prædictum ducem regi Heinrico utcumque reconciliavit: statimque compositis, propter quæ venerat, negotiis, a filio abscessit: *ut non tam carnali affectione, quam communis commodi ratione ad hanc secularis negotii administrationem se adductam liquido cunctis patesceret.* Mortuus fuerat tempore quadragesimæ Adalbertus Bremensis archiepiscopus, tumque regni procuratio Annoni Coloniensi denuo commissa erat. qui tanta industria & auctoritate rem tractasse dicitur, ut ambigeres, pontificali eum, an regio nomine digniorem judicares, uti Lambertus testatur. Reversa in Italiam Agnes, non multo post ad Sublacense monasterium devotionis causa se contulit: ubi honorifice, ut par erat, a Johanne abbate, fratribusque excepta, pretiosum pallium ecclesiæ obtulit, seque in posterum longe plura largituram promisit. Verum mors ejus brevi subsecuta promissi effectum prævertit.

[a] V. Lamb. an. 1071. sub fin.

VII. Rubertus abbas ob simoniam Augia pulsus.

Dum Hugo Cluniacensium abbas in Germania cum Agnete moraretur, Alexandri pontificis litteras & mandata Ruberto Augiensi abbati, quem per insignem simoniam eo intrusum vidimus, pertulit, quibus significabatur, eum anathemate perculsum, eique omne ecclesiasticum interdictum esse officium, & ad abbatiam Augiensem & quamvis aliam ecclesiasticam dignitatem aditum interclusum: propterea quod simoniæ labis insimulatus, &, ut objectum crimen purgaret, ad synodum secundo ac tertio vocatus, venire distulisset. Ita ille compulsus a rege, baculum pastoralem, quem non ut pastor, sed ut mercenarius usurpaverat, multa cum animi ægritudine reddidit. Huic suffectus ab Heinrico rege Ekkebardus ex comitibus de Nellenburgo, qui contra ipsum Heinricum Rudolfo ejus æmulo favit, ac multa prælia cum Udalrico sancti Galli abbate gessit, tandemque a Welfone Bajoariæ duce designatus Augustæ Vindelicorum præsul, dum eo pergeret, in itinere periit.

Udalricus abbas S. Galli.

Hoc ipso anno decessit Nortpertus abbas sancti Galli, in pervigilio sancti Remacli, cujus festum sollemni ritu illic celebrari præceperat; eique subrogatus Udalricus secundus ex præposito monasterii, bonus œconomus, sed nulla alia re gesta insignis, quippe cui non toto quinquennio præfuit. Librum de sanctæ Wiboradæ vita eidem dicavit Hepidannus sancti Galli monachus, qui eum communi fratrum electione Nortperti successorem hoc anno factum dicit. Rudolfus ex duce Sueviæ rex Germaniæ contra Heinricum electus, Liutoldum sancti Galli monachum in abbatiam intrusit: sed eum monachi non diu sustinuerunt. Ekkehardus vero Augiæ abbas, Rudolfo addictus, nihil omisit, quod reducendo Liutoldo conduceret. Hinc origo conflictuum, quos ille cum Udalrico secundo, ejusque successore Udalrico tertio habuit.

VIII. Sigifridus archiepiscopus Cluniacum secedit.

Inter ea Sigifridus Moguntinus archipræsul, in nativitate beatæ Mariæ Mogun-

ANN. CHR. 1072.

ria egressus, cum in Galliciam quasi orationis causa profectionem simulasset, in Cluniacense monasterium secessit; dimissisque his, qui una secum venerant, abdicatisque omnibus quæ habebat, statuit illic deinceps privatus ætatem agere, atque ab omni sæcularium negotiorum strepitu sub voluntariæ paupertatis titulo in perpetuum feriari. Verum brevi a clero & populo Moguntiacensi revocatus, vix inde abstractus, in natali sancti Andreæ Moguntiam rediit. Ita rem narrat Lambertus: paullo aliter Marianus, qui ait, Sigefridum orationis causa in Galliciam ad sanctum Jacobum perrexisse. cum autem Cluniacum dominica die *ante missam* seu festum sancti Michaëlis venisset, eundo scilicet, non redeundo, claustrum intrasse ac sæculum respuisse. Sed, cum mercenarii Moguntinum episcopatum pretio comparare vellent, Sigefridum *in obedientia sancti Benedicti, quam abbati deberet*, violenter compulsum, Moguntiam VIII. idus Decembris rediisse.

Ruthardus Hersfeldensis abbas.

Mense Januario ejusdem anni Ruthardus Hersfeldensis abbas ægrotare cœpit, sicque per totum annum continua ægritudine decoctus, cum evasurum se desperaret, abbatia & pastorali dignitate, quam præ infirmitate administrare non poterat, III. idus Decembris ultro se abdicavit, anno tertio-decimo exacto, quam Meginhero abbati successerat. Hic post abdicationem duos annos ac dimidium supervixit caduco per id tempus morbo vexatus, ex quo mentis deliquium incurrit. Harwicus ab eo successor designatus est: cujus nomen, prima dumtaxat littera in Lamberti editis expressum, Maderus ex alio ejusdem auctoris opusculo supplevit.

IX. Gruningæ cœnobium conditur.

Per idem tempus Gruningense monasterium in Brisgoïa conditum est, & Cluniaco subjectum ab Hessone, pio & locuplete milite, qui ecclesiam de *Rimesigun* cum variis prædiis Cluniacensibus donavit: quam donationem Heinricus IV. hoc anno litteris suis confirmavit: ut monachi Cluniaco ad prædictam ecclesiam transmissi, ibique collocati, ex illis [a] rebus viverent. Actum Wormatiæ VI. Kal. Augusti, anno dominicæ incarnationnis M LXXII. cum scilicet Agnes imperatrix filium in illa urbe convenit. Non tamen illic collocati sunt Cluniacenses, sed in alio loco, secundum nominis sui etymologiam ob adjacentium camporum, silvarumque amœnitatem *Gruningen* appellato: quem locum Hesso, facta cum duce Bertholdo commutatione, comparavit. Illic præpositus seu prior ab Hugone abbate institutus est Udalricus, Cluniaci monachus pietate insignis, jam superius laudatus [b] non semel: ubi dæmoniacam quamdam sua benedictione liberasse traditur, interventu Warinheri monachi, a quo anonymus vitæ sancti Udalrici scriptor hoc factum accepit. Non tamen diu Gruningæ substitere Cluniacenses, qui ad locum Cellam dictum eodem Udalrico agente postea translati sunt.

[a] *Bibl. Clun. p. 526.*

[b] *V. lib. 60. n. 18. & 61. n. 29.*

Item Gotwicense. * *Kotwicum.*

Hoc etiam anno ædificari cœpit Gotwicense * in Austria inferiore monasterium, in prospectu Danubii, in editissimo & pæne inaccesso monte situm, adeoque fontibus penitus carens. quod nullo medio Romano pontifici subjectum, inter illustres provinciæ status non mediocrem locum obtinet. Ejus auctor beatus Altmannus episcopus Passaviensis, qui illud in honorem beatissimæ virginis Mariæ dedicavit, ibidemque humatus magno honore colitur. Locus primo canonicis regularibus concessus, ad Benedictinos transiit pontificatu Urbani II. ut suo loco videbimus.

X. Pibo S. Apro duo dat altaria.

Plerique Tullenses episcopi in ordinem monasticum optime affecti fuere: quos inter Pibo non ultimum locum tenet, ut ex jam dictis patet, & ex dicendis inferius patebit. Is hoc anno suburbanum sancti Apri monasterium cum invisisset, quædam ad victum fratrum, ut eorum preces amplius sibi conciliaret, decessorum suorum exemplo augere cupiens, duo eis altaria concessit, scilicet altare de Bladenaco super Mosellam, cujus jam mediam partem habebant, & altare ecclesiæ de Fanis * ultra Mosam juxta Barrum castrum, ea videlicet lege, qua cetera ejusdem abbatiæ altaria antiquitus tenuerant, *id est, ut decedentibus vicariis, quibus tantummodo curam animarum*, ait Pibo, *committimus, ipsi eadem altaria redimere non compellantur, sed solummodo, ut dictum est, succiduos vicarios exhibeant, qui de manu nostra curam animarum suscipiant.* His addit alia dona idem præsul piissimus, & antecessorum suorum donationes confirmat, obsecratque successores suos, ut hanc ipsius oblationem ratam habeant, sicuti propria ipsorum decreta observari vellent. *Data IIII. idus Octobris in plenaria synodo, anno ab incarnatione Domini* M LXXII. *indictione* X. *regnante Henrico IIII. Romanorum rege, anno regni ejus* XVII. *duce Teoderico.* Hæc ex authentico, cui subscripta sunt post Pibonem signa Hugonis primicerii, Milonis

* *Faius.*

ANN. CHR. 1072.

Virdunensis primicerii & Tullensis sedis archidiaconi, tum octo aliorum archidiaconorum; dein Frederici hujus urbis comitis, Haimonis comitis & filii ejus Odelrici, Everardi comitis & filiorum ejus Gilleberti & Heinrici, & post quosdam alios *domni Widonis abbatis sancti Apri, & domni Grimbaldi abbatis sancti Mansueti.* Idem Pibo biennio post, cellam Bainivillæ sancto Apro restitui curavit.

Herimannus episcop. Mettensis.

Lambertus Scafnaburgensis scribit, Adalberonem Mettensem episcopum obiisse hoc anno, & quidem idibus Novembris, eique successisse Herimannum Leodicensem præpositum, qui monasterio sancti Arnulfi se munificum præbuit, ei restituendo [a] *forum*, * ut vocant, in sollemnitate sancti Arnulfi in perpetuum habendum. Id factum rogatu Walonis abbatis, *necnon religiosissimæ atque virginis Deo consecratæ inibi reclusæ domnæ Hodiernæ.* quales reclusæ complures in monasteriis nostris illo ævo fuere. Postea tamen Herimannus multum infensus fuit Waloni abbati, qui in ejus sedem ab Heinrico imperatore intrusus est, ut postea videbimus. In additionibus ad Sigeberti chronicon Misac seu Mascelinus abbas hoc anno obiisse dicitur, eique Thietmarus successisse. Id non bene convenit cum chronico Gemblacensi, in quo Olberti obitus anno M XLVIII. ponitur, ejusque successori Mascelino anni viginti-octo regiminis tribuuntur. De Mascelino plura inferius.

a V. Meurisse p. 370.
* La Foire.

Gemblacenses abbates.

XI. Dervo facta donatio.

b Supra lib. 61. n. 98.
* Espuleimont.
* De Brienne.

Qui regiis Philippi litteris pro Cella Trecensi subscriptus invenitur Hugo [b] Lingonensis præsul, idem Rainardus cognomento dicebatur, quo nomine mediam partem alodii sui Epotemontis * Dervensi monasterio, ad preces Brunonis abbatis contulit, Walteri Breonensis * comitis heredis sui, ejusque uxoris & filiorum nutu & assensu. Rainaldi litteris adscripta sunt signa Evrardi decani, sex archidiaconorum ac trium abbatum, quæ Lingonensis ecclesiæ dignitates fuisse videntur, tum Walteri comitis Breonensis, Engelberti ejus filii, Eustatiæ comitissæ, Widonis comitis & Girardi ejus militis. *Acta sunt hæc Lingonis anno ab incarnatione Domini* M LXXII. *indictione* X. *regnante Philippo rege Francorum anno* XIIII. ex quo rex vivente patre coronatus fuerat. Editæ sunt hæ litteræ in tomo secundo Galliæ [c] christianæ, sed cum aliquot mendis.

c Gall. chr. to. 2. fol. 658. verso.

Eidem quædam asserta.

Eodem tempore Alexander papa Piboni Tullensi episcopo scribit, ad aures suas pervenisse, quod ecclesiam sancti Mauricii, sitam in loco, qui dicitur Villa, super „ Blesam, eadem libertate vellet destruere, qua domnus Leo papa Dervensibus con- „ cesserat, ut inibi habitantes monachi absque ulla emtione altare sancti Mauricii per- „ petuo possiderent, excepto quod *capellanus*, qui curam Villæ habuerit, synodum „ atque concilium visitaret, censumque persolveret; & post ejus decessum alter à „ monachis oblatus absque ulla servitute locum teneret. *quod quia illum*, inquit Alexander, *sanctissima consideratione statuisse manifestum est; nec a te dissolvi; nec nos, ut solvatur, dissolvere convenit.*

Sub idem tempus Rodulfus comes, & abbas Wandelgerus, cognomento Bruno, & cuncta Dervensium congregatio super quadam silva, juxta villam Losam posita contentionem habebant. quam *mitigare* ac finire cupiens comes, eam partem illius silvæ, quam tenebat, Dervensibus cessit, tam ipse, quam filii ejus, Walterus & Si- „ mon, ceterique ejus heredes, eo pacto, ut secunda feria cujusque septimanæ una „ missa celebraretur pro sua, heredumque suorum salute; & unus pauper in eodem „ monasterio *victum & prabendam* in perpetuum haberet. Hæc charta caret chro- „ nicis notis.

XII. Walterus ad S. Remigium sepultus.

Hic est Rodulfus Crispiacensis seu Vadensis comes, cujus filius alter Walterus, cum ab expeditione Flandrica, ad quam una cum Philippo Francorum rege & patre suo Rodulfo, Arnulfi Flandriæ comitis auxilio contra Robertum Frisium profectus erat, reverteretur, prope Remorum civitatem occisus est, & in basilica sancti Remigii humatus, quod hoc anno contigisse rerum Flandricarum scriptores docent. Carissimi filii necem summopere dolens ac lugens Rodulfus, res quasdam sancto Remigio cui Walterus aliquantulum infestus fuerat, tum pro noxæ expiatione, tum pro sepultura concessit, ut ex authenticis ejus litteris discimus, quarum fragmentum ex editione Marloti [d] huc referre juvat. sic autem habent.

d Metrop. Rem. to. 2. p. 231.

Notum sit universis catholicæ matris ecclesiæ filiis, tam præsentis temporis quam futuri, quod ego Rodulfus comes de Crespeio filium habui Walterum nomine, quem maximo semper amore dilexi, plusquam omnes liberos meos, quos mihi Deus donare dignatus est. Contigit autem, ut dominus meus Francorum rex Philippus expeditionem equitatus sui

duceret ad castrum Vitereium recipiendum, cui expeditioni ego & prædictus filius Walterus cum principibus regni interfuimus. Verum idem filius meus Walterus, cum esset ingentis animi & totius semper militiæ deditus, in fidelitate & servitio domini sui regis Francorum Philippi, non longe ab urbe Remorum tunc interfectus est. Ego vero considerans quod beatus confessor Remigius populum nostrum, hoc est gentem Francorum, ad Deum converterit, & quod eum in die judicii, ante conspectum omnipotentis Domini præsentabit; simulque cogitans quod filius meus, dum viveret, res ejusdem sancti aliquantulum inquietasset, & quod ego locum illum, ubi venerabile corpus præfati sancti requiescit, semper amavi, & maximo honore veneratus sum: has omnes causas mecum reputans, exanime corpus filii mei ad sanctissimam ejus ecclesiam deportari feci. De omnibus quoque, quibus filius meus contra eumdem sanctum peccaverat, ego justitiam Deo, & beato confessori Remigio præsentialiter feci; sicque animum & corpus filii mei sanctis ejus orationibus commendans, in cæmeterio ejus, hoc est in claustro monachorum ipsius, eum sepeliri feci, quatinus pro anima illius intercedat, atque in die judicii ductor & advocatus ante Deum existat, quem ad solam ejus misericordiam attuli, & in manu pietatis ejus dereliqui. Pro hac igitur re, ego Rodulfus comes, accipiens de servis & ancillis meis, quos circa Buxitum castellum meum habebam; tradidi eos beatissimo Remigio Francorum apostolo, cum omnibus terris & domibus suis, cum filiis & filiabus, cumque omni substantia eorum, ita ut omnes consuetudines & totum servitium, quod mihi & castello meo, ministrisque meis debebant, totum omnino eis dimittam, quatinus soli beato Remigio ac monachis ejus deserviant. Nulla itaque persona, nullus omnino homo, clericus aut laïcus, servus aut liber, in eis aut in terra eorum aliquam potestatem exerceat, &c. Hoc autem totum sicut supradictum est, ita statuo & confirmo, & laudare facio Simonem filium meum, duosque generos meos, quos de filiabus meis habeo, id est Heribertum comitem, & juvenem nobilissimum Bartholomæum. Præterea milites meos de Buxito, hoc est Odelricum, Widonem & Bosonem, fratremque ejus, alterumque Bosonem filium Widonis, & Warinum cum filiis suis, ministros etiam meos, quos in illo castello habeo, id est Andream & reliquos omnes tam liberos quam servos. Hoc itaque totum feci pro anima mei dilecti filii Walteri, atque pro remissione peccatorum meorum, ac pro animabus omnium parentum meorum. quod etiam volo esse firmum & stabile usque in sempiternum, qui autem infregerit aut destruxerit, iram Dei incurrat, & a regno ejus alienus fiat. Facta est vero ista largitio in ecclesia beati Remigii ante corpus ipsius, cum ibi adessent multi episcopi & comites & alii nobiles viri, quos ibi præsentia regis contraxerat. Volui igitur atque rogavi, ut monachi in hac eadem carta scriberent nomina servorum ancillarumque, quos donaveram, & ad quos usus ecclesiæ eos vellent convertere: quatinus ipsi certi essent, quid ego pro anima filii mei beato Remigio largitus fuissem, & ego cognoscerem quid ipsi de eleemosyna mea facturi essent. Placuit domno abbati Herimaro & omnibus fratribus nostris monachis beati Remigii, ut eleemosyna, quam comes pro anima filii sui Walteri beato Remigio obtulit, ex hoc nunc usque in æternum ad servitium infirmorum fratrum pertineat, & solis usibus eorum deserviat, qui secundum præceptum sancti Benedicti pro reparatione in cella infirmorum commorantur. Hoc autem statutum est ut nullus abbas, nullus præpositus, nulla omnino persona audeat aliquando infringere vel mutare: sed quidquid de præfata eleemosyna exierit, quantumcumque succreverit, sicut ordinatum est, ægrotis fratribus solummodo deserviat, & ad nullum aliud officium aliquid inde inflectatur: sed integre ad cellam infirmorum pertineat. Qui aliter fecerit, iram Dei incurrat. Et hæc sunt nomina servorum, ancillarumque, &c.

Hanc donationem ratam habuit, auxitque Simon Rodulfi comitis filius, is qui postea monachus factus est in sancti Augendi monasterio, multisque virtutibus claruit. Nulla huic instrumento apponitur chronica nota, in quo laudatur Herimarus S. Remigii abbas, cujus obitum superius [a] retulimus, qui ad hunc annum differendus esset, si certo constaret, prædictum Walterum hoc ipso anno interiisse.

a *Lib. 63. n. 88.*

XIII. Lis de Credone rursus agitata.

Hoc tempore lis de cella Credonensi, quæ inter Vindocinenses & sancti Albini monachos dudum agitata fuerat, denuo ventilata est. Ad hanc finiendam Odericus Vindocinensis & Otbrannus sancti Albini abbates Girardum [b] Ostiensem episcopum & apostolicæ sedis legatum apud Carnutas conveniunt. at, cum ea res illic finiri non potuisset, ad urbem Parisiorum, ubi concilium celebrandum erat, eum sequuntur. Sed neque illic quidquam promotum. unde Carnutas reversi abbates, agente Arraldo episcopo, in id conventum est, ut sancti Albini monachi, acceptis

b *V. lib. 63. n. 15.*

ANN. CHR. 1072.

solidorum quatuor millibus, seu ducentis libris denariorum, jure suo cederent, quod ambo abbates litteris suis legato significarunt. Oderici epistola sic habet.

Giraldo Ostiensis ecclesiæ episcopo, sanctæ autem Romanæ sedis legato, Odericus sanctæ Trinitatis abbas, & qui cum eo sunt fratres, orationum fidelia. Notum vobis sit, veterem querelam, quæ nos & sancti Albini monachos diu adversos fecerat, per manum domni Arraldi Carnotensis episcopi finem accepisse. Constituimus etenim, pro dimissa calumnia ecclesiæ Credonensis sancti Clementis, solidorum quatuor millia eis donare, ea quidem conditione, ut in capitulo sancti Albini cum consensu omnium fratrum ac totius familiæ id ratum faciant. Valete.

a Baluz. Miscell. to. 2. p. 163.

Parisiense concilium.

Ejusdem argumenti ac tenoris est epistola Otbranni S. Albini abbatis ad eumdem legatum. De hac conventione instrumentum [a] confectum est, in quo totius negotii series exponitur, datum anno *ab incarnatione Domini* M LXXII. quo proinde anno prædictum concilium Parisiense habitum est. Huic instrumento apposita sunt signa Arraldi episcopi, Otbranni abbatis, Ingelranni decani & aliorum. tum Orrici seu Oderici abbatis, &c.

b Martene. Miscell. to. 1. parte 2. p. 33. c V. lib. 63. num. 8.

Adversus hanc conventionem reclamarunt nihilominus monachi sancti Albini, litteris scriptis [b] ad P. nepotem Alexandri papæ, in quibus de injustitia sibi a legato [c] facta conqueruntur. In primis quod res primum ventilata fuerit *in curia pontificis Araldi, Vindocinensium quondam monachi*, hominis versutissimi. Deinde, quod Remis in synodo testibus suis, ad jus suum affirmandum paratis, negatus sit audientiæ locus, & causa ad aliud concilium dilata. Denique, se Carnutas reversos ab episcopo coactos fuisse accipere *ducentas libras propter ecclesiam* Credonensem, *contra canonum interdicta*, extorta a suo abbate promissione, id in capitulo sancti Albini confirmatum iri. quod quidem abbas præstiterit, *sed priore suo absente, nec vocatis decanis, nec viris majoris intelligentiæ & ætatis*, præsentibus tantum junioribus, quorum non pauci repugnaverint, cunctis pæne reclamantibus, se invitos & coactos tali pacto assentiri. Inde orta inter suos contentio pejor, quam civilis seditio; nec parvum toti ecclesiæ detrimentum, nemine in posterum veriturо ecclesias vendere, quippe qui auctoritatem ex apostolico legato habiturus sit. Postremo nullum deinceps, audito causæ suæ fine, *Romam petiturum causa justitiæ*. Ex his intelligitur, obductam fuisse, non sanatam diuturni mali cicatricem, quæ rursus Urbani II. pontificatu recruduit. In transcursu hic observo, in quadam charta Vindocinensi, data hoc anno initio quadragesimæ, mentionem fieri de Johanne Brittone litterato, apud Santonicos haud ignoto.

XIV. Ebroilo datur ecclesia apud Rutenos.

Apud Arvernos Ebroilensi sancti Leodegarii monasterio tunc præerat Guillelmus abbas, Gisleberti seu Gilberti successor: cujus loci monachus quidam, Hugo nomine, cum quodam clerico iter hoc anno aggressus est ad Concbensem sanctæ Fidis ecclesiam, quæ apud Rutenos sita est, Petro episcopo, secundum sæculum potentissimo, Rutenensem ecclesiam gubernante. Cum ad locum illius pagi, *Legagnac* dictum, tempore quadragesimæ pervenissent, ejus loci ecclesiam beatæ Mariæ dicatam, & frequentibus illustratam miraculis, admodum desertam vident, (quippe illius presbyter Romam cum domino illius loci Gilberto Airaldo profectus erat) illic subsistere ad divina officia peragenda statuerant, dum reversi essent presbyter & loci dominus. Hic post reditum, comperta monachi religione, mediam illius ecclesiæ partem, quam a Raimundo & Berengario vicecomitibus in feodum tenebat, Deo & sancto Leodegario, atque Guillelmo abbati ejusque monachis concessit: alteram vero partem similiter dedit nobilissima quædam matrona, nomine Alciardis, consobrina Bernardis, prædicti Gilberti uxoris, quæ Aldiardis in alio castro, quod Stagnum * dicitur, manere consueverat. Hanc vero donationem prædicti vicecomites, quorum hæc ecclesia alodium erat, agente Hugone monacho, in placito apud *Severat* habito ratam habuerunt.

* Estaing.

XV. S. Isidori monasterium in Hispania.

d lib. 63. n. 72.

Hoc anno Aldefonsus, *rex Hispaniarum atque Leonensis*, Cluniacensi monasterio & domno Hugoni abbati donat monasterium sancti Isidori martyris, situm inter flumina Carrionem & Pisorgam. Actum IV. kalendas Junii æra *A C XI. regnante Aldefonso rege in Castella & Legione*. Subscribunt Bernardus episcopus Palentinus, Scemenus episcopus in Burgos, Pelagius Leonensis, & Petrus Astoricæ episcopus; tum Gunsalbus comes & alii. Hic est Aldefonsus, quem ex monacho regem factum superius [d] diximus.

ANN. CHR. 1072.

Veremundus abbas Hirachensis.

In regno Navarræ florebat per id tempus Veremundus abbas Hirachensis monasterii, cujus loci ea religionis fama erat, ut in propriis controversiis vel unius monachi testimonium absque juramento valeret. Veremundus illi ascecerio præfectus est ad annos quadraginta post Munionem avunculum, ibique maxime sanctitate floruit, dignusque habitus, qui annuo cultu octava die Martii honoretur in Hirachensi monasterio hactenus celebri, in quo ejus reliquiæ asservantur. Magna in beatissimam Virginem ejus devotio fuisse traditur; idemque fame grassante, cum egenis annonam suppeditare non posset, missa celebrata omnes divinitus refecisse. Ex illo monasterio Romam delatum missale Mozarabum, quo Hispanicæ ecclesiæ utebaotur: ut Romanis earum ritus, quos illi improbabant, approbarentur.

XVI. Anglicanum concilium.

In Anglia habitum est hoc anoo coocilium, primo quidem io Weotana civitate, deinde in villa regia, quæ Windlesora dicitur, in quo causa primatus Cantuariensis super Eboracensem ecclesiam, prout Alexaoder papa superiore anno mandaverat, agitata fuit. Post longam disceptatiooem, itum est a tota synodo in sententiam Lanfranci, definitumque, ut Eboracensis Cantuariensi subjaceret. Id factum præsente Willelmo rege & Mathilde regina, qui actis concilii signa sua apposuere. Eisdem subscripsere Hubertus sanctæ Romanæ ecclesiæ lector & Alexandri papæ legatus; tum Lanfrancus, & post eum tredecim episcopi & undecim abbates, scilicet Scollandus abbas cœnobii sancti Augustini, Elfwinus Ramesiensis, Elnodus Glastoniensis, Turstanus Certesiensis, Elwinus seu Ailfwinus abbas Eoveshamensis, Fridericus sancti Albani, Goisfridus seu Goffridus abbas cœnobii prope Londoniam, id est Westmonasteriensis, Baldwinus sancti Eadmuodi, Toroldus Burgeosis, Adelelmus Abbendoniensis, & Rualodus abbas Novi-monasterii Wintoniensis. Has litteras integras retulit Willelmus [a] Malmesburiensis. De rebus in synodo gestis Lanfrancus accuratam reddidit rationem Alexandro papæ, cui gratias in fine epistolæ agit ob humanitatem ipsi, dum Romæ esset, a pontifice exhibitam, duplexque pallium concessum; eidemque mittit *epistolæ* seu opusculi exemplum, quod contra Berengarium scripserat, cum adhuc Cadomensi cœnobio præesset.

a *Willelm. Malmesb. lib. 3. de reg. Ang.*

XVII. Glocestrenses & Elienses abbates.

Post obitum Westani Glocestreosis abbatis, suffectus est a Willelmo in ejus locum Serlo IV. kal. Septembris hoc anno, consecratus a Wolstano Wigorniensi episcopo, quem in prædicto concilio a Lanfranco exagitatum Labbeus perperam existimavit. Serlo, gente Normannus, primo quidem [b] Abrincatensis ecclesiæ canonicus, dein monachus fuit apud sanctum Michaëlem in monte Tumba. Quinto conversionis suæ anno, suggerente Osmundo, tunc regis Willelmi cancellario, post Sarisberiensi episcopo, regimen accepit Glocestrensis cœoobii, ubi duos tantum maturæ ætatis monachos, & octo circiter juniores iovenit. Is multa huic loco bona contulisse traditur, tum novis acquirendis, tum iis, quæ ad alieoas manus devenerant, recuperandis, adjutore in primis Odone cellerario, postmodum ipsius successore, qui anno regiminis sui quinto habitum monasticum ab ipso accepit. Idem Serlo novam ecclesiam a fundamentis exstruxit.

b *Monast. Anglic. to. 1. p. 110. col. 2.*

Eodem anno in locum demortui Turstani Eliensis abbatis subrogatus est a rege Theodewinus [c] Gemeticensis monachus, abbas ejus loci octavus, sed non consecratus, qui noo prius promotioni suæ acquievit, quam rex ablata [d] monasterio restituisset. Post annos duos & dimidium defunctus, Godefridum monachum, qui ei individuus comes adhæserat, vicarium reliquit. Hic monasterium septem fere annis procuravit, remque noo minus recte gessit, quam si consecratus abbas fuisset. Sub finem suæ procurationis libertas ecclesiæ suæ discussa.

c *Anglia sac. to. 1. p. 610.*
d *V. lib. 62. n. 91.*

XVIII. Lanfranci epistola pro S. Hilario adversus Berengarium.

Sub idem tempus Lanfrancus archiepiscopus epistolam [e] scripsit Reginaldo seu Rainaldo Pictavorum urbis apud sanctum Cyprianum abbati, necnoo Sewino monacho & Henrico canonico, qui eum consuluerant de calumnia quadam Berengarii hæretici adversus sanctum Hilarium, quem de Christi domini passione male sensisse calumniabatur. Respondet Lanfrancus, minime mirum esse, quod Berengarius, qui de « ipso capite Christo Domino tam nefanda docuit, de ipsius capitis membro tam per- « niciosa dicat. Quisquis Hilario hæreseos notam imponat, multos orthodoxos patres « qui magnis eum laudibus extulerunt, ejusdem erroris macula involvere. Tutius esse « lectori in difficillimis sanctorum patrum sententiis, quas ingenii sui imbecillitas ca- « pere non possit, ignorantiam suam fateri, quam pertinaci arrogantia fidei contraria « definire. Ceterum Hilarium, si quando doloris sensum a Christo videatur excludere, «

e *Lanfr. ep. 50.*

AN CHR. 1071. » id de eo, ut Deus est, esse interpretandum. In fine Reginaldum & socios monet vigilare adversus schismaticos, eorumque fautores, qui circa eos & inter eos versabantur. Hinc in Pictavensi concilio tanto animorum æstu Berengarii causa agitata fuit, ut Berengarius ipse, qui præsens aderat, propemodum interemtus sit, testante chronographo Malliacensi seu Maxentiano, qui hoc concilium idibus Januarii anno sequenti habitum fuisse dicit. Ideo autem Berengarius sancti Hilarii auctoritatem elevare conabatur, quod ea se premi sentiret in asserenda Christi corporis vera præsentia in sanctissimo sacramento.

XIX. Anselmi quædam epistolæ. a *Anselm. lib. 1. ep. 74.*

Prædicto Rainaldo abbati sanctus Anselmus, tunc Becci prior, Monologium suum [a] petenti misit, eum rogans, ut ne illud cuivis evulgaret ob quosdam censores, qui nonnulla in illo opusculo carpebant, in eo scilicet, quod secundum Augustinum & secundum Græcos scripsisset, quod *illa summa & una Trinitas* sive trina unitas necessitatis ratione posset dici *una essentia, & tres personæ sive tres substantiæ*, ita ut substantia non ponatur pro essentia, quæ minus proprie pro essentia videtur usurpari. Librum meditationum hoc tempore cum scripsisset Anselmus, earum lectione Durandus Casæ-Dei abbas se in auctoris amorem vehementer accensum fuisse scripta ad eum epistola [b] testatus est; ideoque cupere mutuam suffragiorum communionem cum Beccensi congregatione habere. Ad has literas respondet Anselmus cum magna animi demissione, se eum non esse quem putabat Durandus. *Rogo itaque*, inquiens, *paternitatem vestram, agite sanctis vestris precibus, quatenus & quod ego noxie sum, a me auferatur; & quod nondum utiliter sum, mihi tribuatur: & vobis, quod misericorditer indigenti proximo impenditis, retribuatur.* Dein rogat obnixe, nomen suum *ultimum* eorum nominibus subscribi; sicque eos optat in Casa-Dei conversari, ut aliquando inter beatos Deum in sæcula sæculorum laudare mereantur.

b *ibid. ep. 61. & 62.*

XX. Præclara ejus monita ad abbates. c *ibid. ep. 71.*

Post Fredericum S. Albani abbatem, qui superiori concilio Anglicano subscripsit, promotus est in ejus locum Paulus monachus, genere Nortmannus, cui Anselmus [c] gratulatur quod vita ejus Deo in occulto sic placuit, ut eam ad exemplum in aperto sublimaret. Etsi vero *barbaris* prælatus sit, quos verbis docere propter linguarum diversitatem non possit; eum tamen apud districtum judicem non omnino excusandum, si alios lucrari Deo negligat. Quod enim verbis docere non possit, id vita posse ostendere. Quippe efficacius exemplo, quam verbo bonum persuaderi. Plus studeat diligi ab omnibus mansuetudine & misericordia, quam timeri nimis austera & nulli parcente justitia. Lætentur affines patrem & pastorem ad se venisse, non tyrannum; consultorem & adjutorem, non alienarum rerum invasorem. *Sunt enim multi prælati nostri*, inquit, *Ordinis, qui quasi solliciti, ne destruatur res Dei in manibus eorum, agunt ut dissipetur lex Dei in cordibus eorum *. Non tantum conantur esse prudentes, ne decipiantur ab aliis; [quantum] ut fiant astuti, ad decipiendum alios. Adeo sunt cauti, ne fiant prodigi, & quæ habent, irrationabiliter perdant; ut avari fiant, & quæ servant, inutiliter putrescant.* In alia epistola ad quemdam Fulconem [d] electum abbatem, eum hortatur, ut oblatam sibi dignitatem subeat, quam sine inobedientia recusare non possit.

* *f.* aliorum.

d *ibid. ep. 51*

XXI. Galterius abbas Pontisaræ regimen defugit.

Per id tempus Galterius seu Gualterius Pontisarensis abbas, monasterii regimen impatienter ferens, clam inde recessit, & Cluniacum se recepit, credensque se tutum illic invenisse latibulum, abbatem se esse non indicavit. Interim fratres ejus absentiam moleste ferentes, comperto loco ubi lateret, litteris a Johanne Rotomagensi archiepiscopo ad Hugonem Cluniaci abbatem petitis & acceptis, ad cœnobium reverti eum coëgerunt. Verum privatæ & solitariæ vitæ studio secessit in quamdam cryptam horridam, monasterio proximam, quæ nuper ad amplificandum abbatialem hortum destructa est: ubi corpus suum inedia, vigiliis, & acrioribus disciplinæ verberibus mactabat. Neque hac latebra contentus iterum fugit ad insulam sanctorum Cosmæ & Damiani, in prospectu Turonicæ civitatis positam, ubi mirum est, quanta se ipse vitæ asperitate discruciaverit. At nec diu illic vir talis ac tantus latere potuit. Tum missa munuscula, & invito data, quæ ille pauperibus erogabat, vir adeo profusæ caritatis, ut egeno ab eo quiddam petenti, cum non haberet quod daret, libros suos donaverit; alteri vero cucullam & tunicam, quæ paullo ante Majoris-monasterii monachi ei dono miserant. Sed tandem, indicante quodam peregrino, nomine Guarino, detectus a suis, denuo ad proprium locum reducitur. At non diu illic substitit. nam paullo post Romam ad Gregorium VII. perrexit, ut pontifex ab eo

ANN. CHR. 1072.

paſtoralem ſarcinam, quæ ipſi intolerabilis erat, amoliretur. Verum ſecus quam optaverat, accidit, & apoſtolica auctoritate ad locum ſuum redire compulſus, illic quietus perſtitit. Non dubito quin is ſit Gualterus, cui Anſelmus [a] ſcribit, ut ne contra « omnium conſilium, contra obedientiam ſibi divina diſpoſitione per archiepiſcopum « ſuum & regularem electionem injunctam, contra miſericordiam & caritatem oves ſibi « commiſſas, paſtorali cura deſtitutas, lupis infeſtantibus lacerandas deſerendo exponat, « quamdiu vel unam conſiderat ſua cura ad ſalutem poſſe proficere. proinde ad « monaſterium ſuum redeat, curamque abjectam miſericorditer reſumat. Calumniam « quippe, quæ eum terrere ſolebat, a ſancti Arnulfi abbate, per communem ejus & fratrum « monaſterii ſui conſenſum omnino eſſe exſtinctam. Quænam fuerit illa calumnia, « ignoratur. Abbas ille ſancti Arnulfi, haud dubie Criſpeienſis, forſan is eſt Hugo, ex monacho Reſbacenſi, laudatus ſub finem libri primi de miraculis ſancti Agili abbatis.

[a] *ibid. ep. 53.*

XXII. *Hugo Mellenti comes Becci monachus.*

Hoc fere tempore Hugo ſecundus Mellenti comes cucullam induit in Beccenſi monaſterio ſub Herluino abbate. certe aliquanto poſt annum MLXIX. quo anno mediam partem villæ Taxicurtis Beccenſibus donavit. quam donationem Philippus rex in Piſciacenſi procerum conventu confirmavit. Hugo iſte filius erat Galeranni ſeu Waleranni comitis Mellentenſis, eo nomine primi, ſancti Nicaſii eccleſiæ conditoris; nulliſque ex Adelaïde conjuge ſuſceptis liberis, comitatum Mellenti reliquit Rotberto de Bello-monte, qui Adelaïde, ipſius Hugonis ſorore, Rogerio de Bello-monte conjugio copulata, natus erat. Hic, abjecto Belli-montis domini titulo, Mellenti comes deinceps dictus eſt; comitatum quoque Leyceſtrenſem in Anglia conſecutus, & Beccenſes monachos in Mellentenſem ſancti Nicaſii eccleſiam, pulſis clericis, induxit, utpote Guillelmi de Bello-monte Beccenſis abbatis cognatus, qua de re plura initio ſæculi ſequentis.

XXIII. *Gandenſia.*

Cum Rotbertus Friſius comitatum Flandrenſem obtinuiſſet, omnes Blandinienſis cœnobii poſſeſſiones rogatu Folcardi abbatis, litteris ſuis hoc anno confirmavit. Idem Folcardus reliquias Bertulfi abbatis & aliorum in novam thecam inferri, novoque altari imponi curavit anno ſequenti, Radbodo epiſcopo Noviomenſi eccleſiæ præſidente, anno prædicti Folcardi abbatis regiminis tertio, qui hanc tranſlationem peregit XIII. kal. Junii, abſente epiſcopo, qui hunc diem litteris ſuis feſtivum deinceps eſſe ſanxit. quæ omnia cum vita ſancti Bertulfi fuſe litteris mandavit anonymus Blandinienſis monachus juſſu ejuſdem Folcardi abbatis.

ANN. CHR. 1073.

XXIV. *Heinrici regis mali mores.*

INſequens annus milleſimus ſeptuageſimus tertius, Alexandri papæ II. ultimus, Gregorii VII. primus, magnis motibus initium dedit, auctore in primis Heinrico IV. cujus flagitioſi & turbulenti actus totum fere occidentem perturbarunt. quod diſerte in primis & ſincere litteris mandavit Lambertus Scafnaburgenſis. Principio Romam citatus eſt ab Alexandro papa Heinricus, reſponſurus ad accuſationes, quæ adverſus eum a Saxonibus perlatæ fuerant ad apoſtolicam ſedem, de ſimoniaca ſcilicet hæreſi, aliiſque criminibus emendatione dignis. Hæc citatio facta eſt per Annonem, Colonienſem archiepiſcopum, & Hermannum Babenbergenſem antiſtitem, quos rex ipſe Romam miſerat ad colligendam pecuniam, quæ ipſi debebatur. Ille vero pontificis mandato inſuper habito, nihilo ſecius agere perrexit. Unde Anno magnopere iis, quæ contra jus faſque in aula gerebantur, commotus, vacationem procurationis publicæ, quam nuper reſumſerat, a rege poſtulavit. quam is haud gravatè conceſſit, ne Anno, quod facere ſolitus erat, pravis ejus conſiliis & libidinibus obviam iret. Itaque rex hoc importuno, ut putabat, ac ſeveriſſimo quaſi pædagogo liberatus, refractis omnibus pudoris ac modeſtiæ vinculis, liberius dein omnibus flagitiis & ſceleribus atque ſubditorum vexationibus frena laxavit. Tum vero Saxoniæ ac Turingiæ colles caſtellis ac præſidiis cum firmaſſet, prædas paſſim ex proximis agris villiſque a militibus ſuis agi permiſit.

XXV. *Lis de decimis.*

Ad hæc Sigefridum Moguntinum archiepiſcopum ad decimas a Turingiæ ſacerdotibus exigendas, ut longe ante animo propoſuerat, adduxit. Ejus rei cauſa VI. idus Martii archiepiſcopus Erfordiæ ſynodum indixit: ubi Turingis, maxime Fuldenſi & Herſfeldenſi abbatibus, Widerado & Ruthardo, Moguntinorum antiſtitum conceſſiones & Romanorum pontificum decreta opponentibus, &, ni rex ab incœpto deſiſteret, pontificem ſe appellaturos aſſerentibus, non ſolum cum archiepiſcopo acer-

ANN. CHR. 1073.

rime repugnavit, verum etiam, si illi ad pontificem provocarent, extrema eis omnia intentavit. His conterriti abbates, eorumque exemplo ceteri Turingi sacerdotes, demum cedere coacti sunt, atque in hanc tandem pactionem archiepiscopus & abbates convenere, ut Hersfeldensis abbas in decem suis decimalibus ecclesiis duas partes decimarum, tertiam archiepiscopus acciperet: in reliquis vero ecclesiis (quod Fuldensis quoque in cunctis suis decimalibus ecclesiis permisit) dimidia pars abbati, archiepiscopo altera contingeret. Hæc fuse apud Lambertum, qui etiam insecutam inde Saxonum & Turingorum defectionem enarrat, ex qua factum est, ut nulla deinceps fieret decimarum exactio.

Othlonus vitam S. Bonifacii scribit.

Dum hæc de decimis rixæ fervirent, rogatus est a Fuldensibus Othlonus, Ratisponensis sancti Emmerammi, ut conjicere licet, monachus, ut vitam sancti Bonifacii episcopi & martyris, olim a sancto Willibaldo episcopo scriptam, alio stilo scriberet, quod tempore Leonis IX. jam tentatum fuerat. Flagitantibus tandem assensit Othlonus, duosque hoc de argumento libros composuit, insertis sancti Bonifacii, aliisque aliorum ad eum epistolis, cum præfatione ad Fuldenses, in qua contra invasores decimarum Fuldensium invehitur. Is, inquam, mihi videtur esse ille auctor, a me sub Anonymi [a] Ratisponensis titulo editus, qui anno M LXII. e monasterio suo ob persecutionem egressus, Fuldam se recepit: ubi post quatuor annos [b] interpellatus est a fratribus ejusdem monasterii, *ut sancti Bonifacii vitam, difficili stilo editam, faciliori ederet.* cui petitioni ait se *diu* restitisse, sed tandem acquievisse.

[a] Analect. to. 4. p. 441.
[b] ibid. p. 445.

XXVI. Alexandro succedit Gregorius VII.

Inter ea Alexander II. optimus pontifex, Ordinisque nostri studiosissimus, e vita migravit; cui statim Romani, inconsulto Heinrico rege, Hildebrandum archidiaconum, *virum sacris litteris eruditissimum*, ait Lambertus, *& in tota ecclesia tempore piorum pontificum omni virtutum genere celeberrimum*, unanimi consensu, quidquid Benno cardinalis schismaticus contra effutiat, substituerunt. Eorum judicium his verbis conceptum erat: *Nos sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, clerici, acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri, præsentibus venerabilibus episcopis, abbatibus & monachis, consentientibus pluribus turbis utriusque ordinis, eligimus nobis in summum pontificem Hildebrandum archidiaconum, virum religione, doctrina, justitiaque præstantem, in adversis constantem, in prosperis moderatum, pudicum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem, in gremio hujus ecclesiæ a pueritia egregie educatum & eruditum; eumque posthac esse & dici Gregorium VII. pontificem volumus & consentimus.* Hanc electionem, se inconsulto factam, indigne tulit Heinricus, missoque Romam Eberhardo comite, facti rationem expostulavit: at comperto, Gregorium ad eam dignitatem non ambitu, sed vi adductum, se ordinari passum non fuisse, donec in electionem suam tam regem, quam principes Teutonicos consensisse certo rescivisset; haud illibenter satisfactionem accepit, suoque suffragio ordinationi ejus assensit, quæ anno sequenti in purificatione sanctæ Mariæ facta est, cum hoc anno in pentecoste presbyter ordinatus fuisset, indito ipsi Gregorii VII. nomine, quod ille grati in Gregorium VI. animi causa, qui se educaverat, ceteris prætulit. Non hic repeto quæ in superioribus dicta sunt de ejus ortu, patria, educatione, rebusque ante pontificatum gestis. Sunt qui eum in Coloniensi ecclesia educatum fuisse colligunt ex ejus epistola [c] ad Annonem archiepiscopum, in qua ait, se peculiari studio affectum esse in illam ecclesiam, *ob recordationem disciplinæ, qua tempore antecessoris*, inquit, *nostri in ecclesia Coloniensi enutriti sumus.* Verum Gregorium in Romana ecclesia educatum & enutritum fuisse ex dictis constat; nec aliam ob causam se dicere in Coloniensi ecclesia enutritum fuisse ejus disciplina, quam quod eam, dum præsens illic, legationes obeundo, adesset, in transcursu didicisset.

[c] Greg. VII. lib. 1. ep. 79.

XXVII. Desiderio abbati aliisque scribit.

A sua statim electione Gregorius scripsit ad Desiderium Casini abbatem, quæ prima in ejus registro epistola est, significans mortuum esse dominum suum papam Alexandrum, cujus mortem super se cecidisse dicit, & quodam Romanorum impetu vim sibi factam esse ad subeundum pontificatum. quales vero angustias patiatur, se, utpote in lecto jacentem, enarrare non posse. *Te itaque*, inquit, *per omnipotentem Dominum rogo, ut suffraganeos fratres & filios, quos in Christo nutris, ad exorandum Deum pro me provoces, & ex vera caritate invites. quatenus oratio, quæ me liberare debuit, ne incurrerem periculum, saltem tueatur in periculo positum.* In fine jubet, ut » quantocius ad se venire non prætermittat; quippe Romanæ ecclesiæ ejus præsentiam » & prudentiam esse necessariam. Tum dominam Agnetem imperatricem, quæ tunc

Casini versabatur, & Rainaldum venerabilem Cumanum episcopum suo nomine salutari jubet, & quantum erga se dilectionis habeant, effectu ostendi cupit. Non multo post pontifex ipse Casinum adiit, ut inferius videbimus.

Ex alia ejusdem Gregorii epistola [a] ad Girardum Ostiensem episcopum, in Galliis legatum, per Hugonem-Candidum, quem in Hispaniam mittebat, perlata, intelligimus, nonnihil dissensionis intercessisse inter prædictum Hugonem-Candidum & Hugonem Cluniacensem abbatem, quos Alexander papa jam in concordiam revocaverat, in qua eos per Girardum confirmari Gregorius cupit. Eumdem vero abbatem rogari jubet, ut quosdam e suis monachos Hugoni-Candido, qui eum in Hispanica legatione comitentur & adjuvent, concedat.

a *Greg. VII. lib. 1. ep. 6.*

XXVIII. Willelmus abbas S. Remigii ei scribit.

Inter eos qui litteras gratulatorias Gregorio [b] de sua electione scripsere, unus fuit Willelmus Mettensis abbas, cui sancti Remigii apud Remos abbatia [c] commissa fuerat a Manasse archiepiscopo, qui eum postea, quod suis pravis moribus adversaretur, infensum habuit. Principio Deo gratias agit Willelmus, quod Gregorium jam olim disciplinis ecclesiasticis eruditum, ecclesiæ rectorem concesserit; eique gratulatur, quod electio unanimi omnium ordinum consensu facta sit. Ejus verba contra Bennonis schismatici commenta hic referenda videntur. *Tantus autem*, inquit, *ut nobis relatum est, totius populi tui electioni tuæ conspiravit assensus, ut nullus omnino ex tanta multitudine visus fuerit dissentire. Et unde, quæso, tanta unanimitas, tanta potuit esse concordia, nisi ex Spiritus illius instinctu, cujus olim adspiratione plebs primitiva credentium unum cor & unam animam habuisse describitur? Gratias ergo Deo, qui sic tuæ favit electioni, ut non pateret ecclesia scissioni.* Ideo ait neminem huic electioni « tam unanimi ausurum repugnare, nisi qui *respectu miseræ conscientiæ* pondus senten- « tiæ Gregorii sibi imminere formidaret. quo in numero ponit Gregorium Vercel- « lensem, Cadaloi antipapæ fautorem cum suis asseclis, metuentem scilicet, ne illo « zelo, quo in hostes ecclesiæ exardescere solebat Gregorius, ejus flagitia, dedecora & « probra damnarentur. Dein pontificem hortatur Willelmus, ut nullius metu, nullius « minis ab hoc spirituali conflictu retardetur. Omnes quippe magna ab eo exspectare, « ex præteritis colligentes, quid in majori officio sit acturus, qui quondam positus in « minori, non sine gloria militaverat. «

b *Analect. to. 1. p. 147.*
c *V. lib. 63. n. 89.*

XXIX. S. Remigii abbatiam vult abdicare.

Postremo idem Willelmus, quem paullo ante Herimaro abbati Remigiano suffectum fuisse [d] diximus, asserit se quorumdam consilio deceptum abbatiæ sancti Remigii pondus suscepisse. quod tam impatienter & iniquo animo ferat, ut illud abs se longius propellere cogitet, si tamen pontificis ad hoc favorem impetrare possit. Id vero duplici maxime ex causa se facere velle dicit: una, quod frustra laborare sibi videtur in corrigendis quorumdam monachorum vitiis. *Scis enim*, inquit, *quia perversi difficile corriguntur, præsertim hi, qui in monastico proposito tenuerunt.* Alteram causam sic exprimit. *Huic autem calamitosæ sterilitati, & sterili calamitati illius singularis feri accedit immanitas, cui si quid projecero, plus acuit dentes: si substraxero manum, ictus non effugio sævientes.* Id intelligendum de Manasse archiepiscopo Remensi, ejus nominis primo, qui monasterii rebus avide inhiabat; homo tam projectæ vitæ, ut in ordinem redigi meruerit. Quod attinet ad monachos illos, quorum vitiis emendandis frustra se operam dare ait Willelmus; id de quibusdam tantum intelligendum videtur, (nam Herimarus ejus decessor monasterium recte instituerat) iis scilicet, qui Willelmum, extraneum hominem, jamque ante Mettensis sancti Arnulfi cœnobii abbatem, sibi a Manasse impositum graviter ferebant.

d *ibid.*

Gregorii hac de re epistolæ.

Hanc Willelmi in abbatia Remigiana præfecturam necdum resciverat Gregorius VII. cum duas hac de re epistolas hoc anno pridie kal. Julii scripsit. Una [e] est ad Manassen archiepiscopum, quem arguit, quod necdum rectorem monasterio sancti Remigii præfecisset, prout Alexander papa tum per epistolas, tum per legatos eum præmonuerat; immo non modo res monasterii devoraret, sed etiam religiosas ejus personas crudeliter divexaret. Altera [f] epistola scripta est ad Hugonem Cluniacensem abbatem: in qua ait, duos sancti Remigii monachos, conquerentes, quod Ma- « nasses archiepiscopus locum suum quotidie dissipet ac confundat, *diu* apud sedem « apostolicam commoratos fuisse: quibus non aliud in præsens opportunius solatium « exhibere potuisset, quam ut litteras ad eumdem archiepiscopum scriptas ipsi Hugoni « dirigeret, quas per idoneum nuntium mittat: quibus eum magnopere admonet, ut « quantocius prædictum monasterium regulariter ordinet, & in quiete dimittat. Ve- «

e *Greg. lib. 1. ep. 13.*
f *ibid. ep. 14.*

ANN. CHR. 1073.

rum, ubi pontifex Willelmum eidem abbatiæ præpositum esse ex ejus litteris comperit, jamque procurationis suæ vacationem obnixe flagitare; ejus precibus demum, tametsi ægre annuit, ut anno sequenti videbimus.

XXX. Dominici abbatis Casauriensis & episcopi successores.

Vacabat tunc temporis Casauriensis abbatia & Valvensis episcopatus post obitum Dominici abbatis & episcopi superius [a] laudati, qui piissime decessit v. kal. Martii, postquam Casauriense monasterium annis viginti-octo & dimidio administrasset, sepultusque est, uti jusserat, in eodem sarcophago cum sancto Widone abbate, cujus successor exstiterat. Tum pastore orbati Casaurienses, cum ob Teutonicum discidium & secessionem ab apostolica sede imperatorem convenire non possent, Gregorium papam una cum Valvensibus sancti Pelini clericis adiere, ut ejus ad nutum rectorem obtinerent. His auditis, Trasmundus monachus genere nobilis, frater Oderisii Casinensis post Desiderium abbaris, monachis sancti Clementis abbas, & clericis sancti Pelini episcopus datus est. Idem pontifex in generali concilio Romæ tunc habito sententiam [b] promulgavit contra pervasores prædiorum sancti Clementis, nominatim contra Nortmannos, uti Alexander II. ejus antecessor jam fecerat. Verum hæc sententia effectu caruit: immo Hugo Malmazettus, Casauriensium infestissimus hostis, cum munitiones a Trasmundo abbate construi animadvertisset, illum de improviso comprehendit, trusitque in carcerem, ac tam diu vinculis constrictum tenuit, donec omnia nova ædificia subruisset, & abbatiæ res omnes ac supellectilem diripuisset. Quam ob rem Trasmundus, mœrore affectus, quod abbatiam sic nudam & spoliatam videret, eam abdicavit post annos octo regiminis, & ad episcopatum suum reversus, paucis post diebus mortis debitum solvit, sepultusque est in ecclesia sancti Pelini. Tunc dissipatis hac illac monachis, quatuor tantum ad sancti Clementis loculum perstiterunt, monasterii sui desolationem lugentes. Sed quia sine abbate esse non poterant, unum e suis, Adam nomine, monasterii præpositum, abbatem elegerunt: quo post sex annos mortuo, electus est, ægre permittente Malmazetto, Johannes, eo nomine tertius, & ipse triennio post creatus episcopus Valvensis: cujus dignitatis occasione, abbatiæ curam postponere cœpit, & de solo episcopatu curare. Hinc Malmazettus quemdam suum capellanum, Gilebertum nomine, commiserationis specie, at spe spoliandi monasterii, in ejus locum intrusit. Egit ille quod jussus erat, & quidquid supererat sacræ supellectilis, asportavit. In his angustiis Casaurienses Malmazetto hanc cladem, tamquam nescienti, gementes exponunt. Ille vero fingens se velle misereri, eis permisit, ut quem vellent, abbatem eligerent. Consultus Johannes episcopus mox laudatus, eis persuasit, ut Grimoaldum monachum sancti Vincentii eligerent, de quo inferius agendum.

[a] *lib.* 58. *n.* 87.

[b] *Spicil. to.* 5. *p.* 459.

XXXI. Anselmus Lucca episcopus fit monachus.

Lucensem episcopatum, quem ante pontificatum sub Anselmi nomine rexerat Alexander II. usque ad ultimum vitæ suæ annum (quod ante eum Leo IX. de Tullensi fecerat) retinuit, exspectans scilicet, dum idoneum successorem inveniret. Tandem vero extremo vitæ suæ anno, Anselmum alterum ad illam dignitatem promovere cupiens, utpote vitæ meritis ac scientia pollentem, eum ad Heinricum regem investituræ causa direxit, dato ei comite religioso sanctæ Rufinæ episcopo, Meginardo seu Mainardo nomine, qui ex monacho Casinensi illius sedis episcopus & cardinalis creatus fuerat. Ivit ergo ille in Germaniam, ast investituræ horrore, quam postea graviter insectatus est, re infecta reversus est. Alexandro mortuo, Gregorius eum denuo ad capessendum episcopatum impulit, eum tamen [c] monens, ut ab accipienda investitura abstineret, dum Heinricus pacem cum apostolica sede composuisset. Ea utcumque composita, investituram accepit Anselmus: qua de re tanto dolore paullopost affectus est, ut, relicto episcopatu, factus sit monachus *regulæ S. Benedicti & Cluniacensium consuetudini subjectus*. Locum, ubi monasticum induit habitum, vitæ scriptor haud obscure indicat, monasterium scilicet sancti Benedicti, *quod est in ripa fluminis Eridani*, sub obedientia Cluniacensis cœnobii*, Padolironense dictum, in cujus capitulo postmodum humari voluit. Verum inde Gregorii jussu revocatus, retento monachi habitu, Lucensis ecclesiæ regimen subire coactus est. Primum ejus studium fuit, ut ecclesiæ suæ canonicos ad communem vitam, quemadmodum olim præscripserat Leo IX. adduceret. qua in re multas procellas sustinuit. adeo ut unus ex illis seditiosis, Petrus nomine, in ipsius locum intrusus sit. Non impar ejus zelus fuit ad » monachos reformandos, malle se inquiens, nullos habere vel clericos, vel mona- » chos, quam irregulares & irreligiosos. In omnibus porro factis suis magistrum suum

[c] *Greg. lib.* 1. *ep.* 21. *V. ep.* 11.

* *le Po.*

Gregorium papam imitari studuit, cujus meritis quidquid in ipso boni fuit, tribuebat. Nihil in ecclesia legi permisit præter scripta orthodoxorum patrum, & in cantu atque lectionibus uniformem ritum instituere conatus est. Psalmos non cursim, sed moderate cantari volebat; secus agentes aspere increpabat. Media nocte ad matutinum officium surgebat; in divinis officiis raro sedere solitus, & missarum sollemnia numquam sine lacrymis explevit. Mira ejus in victu parsimonia erat. Cibos delicatos, & exquisitos respuebat: vinum fere ut venenum fugiebat. In summa, corporis delicias & cuncta sæculi blandimenta, quibus ceteri frui gaudent, abhorrebat. Eidem Gregorius Mathildem comitissam in rebus spiritualibus dirigendam committit. Eamdem ipse ad cultum Deiparæ [a] & ad frequentem sacræ Eucharistiæ perceptionem hortatur.

a id. lib. 1. ep. 47.

XXXII. Johannis Gualberti abbatis obitus.

Hic annus supremus fuit Johannis-Gualberti abbatis Vallumbrosani, sanctitate insignis. Hunc paullo ante obitum Mediolanenses catholici, qui scilicet schismaticorum partes aversabantur, interpellarunt, ut ipsis succurreret, quippe qui per multos annos pœnitentiæ & sacræ communionis expertes fuerant, defectu catholicorum sacerdotum, a quibus utramque acciperent. Erant apud Vallumbrosanos quidam Mediolanenses catholici, qui ad Johannem confugerant ad vitandum consortium schismaticorum, id est simoniacorum. Hos Johannes a Radulpho Tudertino præsule, eximiæ sanctitatis viro, cui post Petrum simoniacum Florentina ecclesia commissa fuerat, presbyteros ordinari curavit, eosque cum aliquot e suis Mediolanum remisit. Non multo post religiosissimus abbas Passiniani in suburbio Florentino, in morbum incidit. Mox ad eum multi ejus discipuli, vicinorum scilicet monasteriorum abbates, confluxere, de tanti patris instante morte supra modum mœrentes: quos ille ad observationem regularis disciplinæ, & ad commissi sibi gregis sollicitam curam adhortatus, mox ad propria monasteria remisit, retento tantum penes se Læto Passinianensi abbate, & Rustico priore. Horum rogatu epistolam omnibus instituti sui fratribus de servanda concordia & caritatis unione scripsit, cujus hæc summa erat: « nimirum tenendo caritatem omnia operiri peccata; absque ea ceteras virtutes inanes. nec sufficere, si unius loci spatio ea corpora contineantur, nisi corda caritatis glutino uniantur. Ad hanc porro servandam unitatem opus esse, ut omnes sub unius rectoris custodia constringantur. quare totius Ordinis generalem curam, qualem ipse hactenus gesserat, se Rodulfo committere. » Imminente obitu, in breviculo sequentem confessionem scribi curavit, secumque in tumulo apponi præcepit. *Ego Johannes credo & confiteor fidem, quam sancti apostoli prædicaverunt, & sancti patres in quatuor conciliis confirmaverunt.* Post hæc, corporis & sanguinis Domini communione munitus, ad Deum migravit IV. idus Julii. Corpus ejus post triduum Passiniani humatum est, ita illæsum ab omni fœtore, quemadmodum illæsam fidem, quoad vixit, servare studuerat.

XXXIII. Gregorii papæ epistola ad Vallumbrosanos.

Consolatoriam super ejus obitu epistolam Vallumbrosanis scripsit Gregorius papa, quam ex Baronio hic referre visum est.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, clericis monachis, ac religiosis laicis, disciplinam sanctæ recordationis Johannis-Gualberti abbatis imitantibus, salutem & apostolicam benedictionem. Licet veneranda memoria eumdem Johannem patrem vestrum corporeis oculis non viderimus; quia tamen fidei ejus puritas in Tuscia partibus mirabiliter resplenduit, multo eum amore dileximus, cujus sanctæ conversationis studium, quamvis vos imitatores esse non ambigimus, ut vigor rectitudinis vestræ ad exstirpandum de agro Dominico zizaniam sollicitius invigilet, attentiusque ferveat, paternæ vobis exhortationis verba impendimus. Vos itaque, dilectissimi, in quantum humana possibilitas permittit, vitam illius sequentes, & vere filios ejus & heredes simili vos conversatione probantes, viriliter agite & confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus; documenta sanctarum Scripturarum, quibus hæreticorum argumenta destruuntur, & fides sanctæ ecclesiæ defenditur contra membra diaboli, quæ diversis machinationibus christianam religionem conantur evertere, mens vestra quotidie meditetur, & ea, qua solet, libertate in malorum confusione erigatur. Eos vero qui in vobis confidunt, & consilium religionis vestræ sequi disponunt, more prædicti patris vestri suscipite, & de his, quæ ad salutem eorum pertinere videntur, sanctis exhortationibus instruite: ut non solum vestra, sed & vos sequentium circumpositi populi considerantes sancta opera, glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Nos autem ipsum amorem, quem patri vestro & vobis olim impendimus, donec nostros spiritus re-

ANN. CHR. 1073.

xerit artus, exhibere desideramus, & tanto quidem deinceps majori vos caritate fovebimus, quanto vos in divinis negotiis ferventiores esse probabimus: quibus non solum spirtuale, sed & saeculare, si necesse fuerit, auxilium, Deo adjuvante, ministrabimus. Vos igitur omnipotentem Dominum exorate, ut ipse vires & facultates nobis tribuat, quatenus suscepti regiminis importabile pondus possimus tolerare, & sanctam ecclesiam in statum antiquae religionis reducere. Valete.

Hactenus Gregorius, qui compunctionis gratiam, quam in celebrandis sacro-sanctis missarum sollemniis experiri solebat, triduo intermissum dolens, eamdem sancti Jobannis invocato nomine recuperavit.

XXXIV. Johannis vitae scriptores & discipuli.

Vitam sancti Johannis primus litteris mandasse dicitur Andreas Januensis, cujus hac de re lucubrationem, etsi diligenter perquisitam, reperire nobis non licuit. Ejus fragmentum refert Ugbellus [a]. Eamdem recensuit Atto, Vallumbrosani Ordinis generalis abbas quartus, natione Hispanus, patria Pacensis, qui anno MCLIII. decessit. Hunc in eodem munere post Jobannem praecessere Rodulfus ejus successor ab ipso designatus, qui tantum triennio congregationem rexit. Rodulfum excepit ad sexdecim annos Rusticus, antea sub eo in Passiniano prior, successorem sortitus Attonem, cujus liber de sancti Jobannis rebus gestis vulgatus est.

a *Ital. sac. to. 3. p. 94.*

Praeter Rodulfum & Rusticum, praecipui Johannis discipuli fuere Teuzo Razolensis abbas & Petrus, cognomento Igneus, superius laudatus, cui Jobannes primum custodiam vaccarum & asinorum, quam ille humiliter subiit, in Vallumbrosa commisit; tum apud Passinianum praepositi officium, dein abbatis munus gessit in Ficiclo: ac demum cardinalis & episcopus Albanensis creatus est.

XXXV. Gregorii epistolae de variis abbatiis.

Antequam ex Italia discedamus, non omittendae sunt quaedam Gregorii papae epistolae, ad res nostras attinentes. Una est ad Lanfrancum [b] Cantuariae archiepiscopum de abbatia sancti Eadmundi, quam Arfastus episcopus graviter vexabat. quod ut intelligatur, observandum est quod jam superius praemisimus, subacta a Willelmo Anglia, Arfastum seu Erfastum, genere Nortmannum, Willelmi olim cubicularium, ad Helmanensem episcopatum promotum fuisse; indeque sedem Tetfordum transtulisse; ac demum, cum neque illic satis bene pro voto sibi esset, eamdem voluisse transferre ad abbatiam sancti Eadmundi, cujus possessionibus inbiabat. Erfasti molitioni pro virili restitit Baldewinus seu Balduinus abbas, tandemque ad Alexandrum papam se contulit, ac monasterii libertatem apostolico decreto confirmari curavit. Cum nihilominus Erfastus eumdem locum vexare pergeret, Gregorium adiere sancti Eadmundi monachi, & adversus novos Erfasti insultus ejus patrocinium implorarunt. Haec fuit occasio scribendae ad Lanfrancum epistolae, in qua pontifex se mirari » ait, qua fronte Arfastus Alexandri papae decrera contemneret; hortaturque Lanfran- » cum, ut ejus *nugas* vice sua compescat, & sancti Eadmundi abbatiam ulterius inquie- » tari ne permittat, cujus injuria in se redundet; insuper suo nomine Willelmum re- » gem admoneat, ut ne Arfasti vanis persuasionibus acquiescat. Si vero Arfastus denuo » recalcitret, eidem & Balduino abbati praecipiat, ut ambo sedem apostolicam ad haec » finienda conveniant. *Data ad sanctum Germanum*, quod opidum est sub monte Casino XII. *kal. Decembris*, *indictione* XII.

b *Greg. lib. 1. ep. 31.*

Altera epistola [c] est ad Arraldum Carnotensem episcopum de sancti Launomari batia Blesensi, cujus abbate Isembardo Jerosolymam profecto, Guido monachus in ejus locum intrusus fuerat. Hoc intellecto, Isembardus apostolicam adiit sedem, injuriam sibi factam conquesturus. Litteras hac de re Gregorius scripsit ad Arraldum, cui injunxit, ut Isembardi *remotionem*, & Guidonis *ordinationem* examinet; &, si quidem Guidonis ordinatio legitima sit, Isembardum ad se cum litteris remittat, & Guido in suo loco permaneat: si vero Guidonis promotio simoniaca sit, hic sine mora deponatur. *Data Argenteae* V. *kal. Decembris*, *indictione* XII. a mense Septembri inchoata.

c *ibid. ep. 32.*

Ibidem etiam die sequenti scripta est alia Gregorii epistola [d] ad fratres monasterii beatae Mariae dioecesis *Dordonensis*, in quo, post mortem Uberti seu Huberti abbatis, Benedictus in ejus locum electus fuerat. Hic ad Gregorium detulit quoddam monasterii sui privilegium, a pontifice confirmandum. quod Gregorius roborare supersedit, utpote sibi suspectum, tum *corruptione latinitatis*, tum *diversitate canonicae aucto-* » *ritatis*. Quia vero electus abbas, etsi honestis praeditus moribus, ad abbatis tamen » officium, cum aetate, tum etiam corporis infirmitate, minus idoneus pontifici visus est;

d *ibid. ep. 33.*

est; eum a prælatione desistere monuit, si se invalidum fratrum opportunitatibus " non posse sufficere sentiat. Fratres tamen eidem reverentiam exhibere jubet, & in " ejusdem religionis tenore perseverare, in qua eos defunctus instituerat pater, scilicet " Ubertus: ceteros quoque monachos eorum consocios, qui in cellis ab eodem patre " constructis habitabant, cum ipsis unanimes esse, & eidem abbati reverenter obedire. " Quodnam sit illud beatæ Mariæ monasterium, non facile dixerim. Situm erat in parochia seu episcopatu *Dordonensi*, cujus sedes tum vacabat, ut ex hac epistola constat. at quænam sit illa *Dordonensis* ecclesia, hæreo. Mihi videbatur esse Dertonensis: at illud obstat, quod Petrus illi ecclesiæ post longum pontificatum, ultra quatuor abhinc annos apud Ughellum præfuisse dicitur, id est ad annum M LXXVII. Ignotum quoque nobis est prædictum beatæ Mariæ monasterium.

XXXVI. Fraxineti & S. Prosperi monasterium.

Paullo minus obscura est abbatia, quam Beatrix marchisa, ejusque filia Mathildis hoc anno apud Fraxinetum in alpibus Apenninis fundasse perhibentur in chronico Alberici. An forte idem est monasterium sanctæ Mariæ & omnium Sanctorum, situm in loco Frassinorum diœcesis Mutinensis, cui eadem Beatrix quædam [a] prædia ante biennium contulit? Eadem etiam cum filia Mathilde munificam se exhibuit monasterio [b] sancti Prosperi, nunc sancti Petri de Regio, ubi sancti Prosperi confessoris Christi cineres & ossa asservari dicuntur in diplomate Alexandri II. quod Giselberto ejusdem monasterii abbati inscriptum est. Hic quintus abbas censetur illius monasterii, quod sæculo octavo extra urbem conditum traditur a Thoma Regiensi episcopo, qui corpus sancti Prosperi illuc transtulit, a Tauzo episcopo intra civitatem sæculo decimo restitutum. Hujus loci primus abbas, qui quidem notus sit, Landulfus erat ineunte sæculo undecimo, cujus successores Ughellus [c] refert. Petrus Gazadius historiam scripsit illius monasterii, hodie quoque insignis, quod congregationi sanctæ Justinæ unitum est.

a *Bullar. Casin to. 2. p. 102.*

b *ibid. p. 104. & seq.*

c *Ital. sac. to. 5. p. 1580.*

XXXVII. Stephanus de Tigerno facultatem obtinet instituendi sui Ordinis.

Vix pontificatum inierat Gregorius septimus, cum eum adiit Stephanus de Tigerno, qui ab annis quatuor Romæ in aula papæ Alexandri versatus erat, rogavitque obnixe, ut monasticum Ordinem juxta regulam sancti Benedicti, quam inter fratres de Calabria, non tamen sumto habitu, diu exercuerat, instituere sibi liceret. Annuit demum ejus petitioni Gregorius, eique litteras hanc in rem concessit, a nobis editas in secunda præfatione ad sextum sæculum Benedictinum, ubi de origine Grandimontensis Ordinis egimus. Pontificis diploma inscriptum est *Dilecto filio Stephano vicecomiti Tierneo, ejusque fratribus regularem vitam professuris.* Stephanus quippe nobilis Arvernus, in opido inferioris Arverniæ Tierno seu Tigerno, Stephano ejusdem loci vicecomite & Candida parentibus natus est. In Italiam voti causa cum patre profectus adolescens, Beneventum adiit: ubi hospitatus apud conterraneum & forte propinquum suum Milonem illius urbis archiepiscopum, in morbum incidit, curandusque apud eum a patre relictus est. Florebat tunc temporis in Calabria religiosa quædam Benedictinorum congregatio, cujus alumnos archiepiscopus subditis suis commendare consueverat. Horum vitæ genus & mores imitari cupiens Stephanus, aliquamdiu apud eos mansit; indeque Romam profectus, ibidemque apud Alexandrum papam quadriennio commoratus est, novi Ordinis, instar prædictorum monachorum, instituendi facultatem a pontifice flagitans. at cum tenerioris videretur habitudinis, res dilata fuit ad pontificatum Gregorii VII. qui ei optatam demum facultatem dedit, litteris ei concessis in hæc verba. *Quoniam religiosam vitam instituentes apostolico oportet uti judicio & consilio, ne quidam post suum proprium sentire abeuntes, cum temeritate & inexpertis viribus aggrediantur pœnitentia iter, quod non possint perficere, ac deficiant in eo, ita ut a proposito resilire cogantur, ad confusionem & injuriam ordinis ecclesiastici. Nos vero cognito, quod apud venerabilem fratrem nostrum Milonem archiepiscopum Beneventanum, cum frequentatione filiorum & fratrum nostrorum Benedictinensium de Calabria virtutis tirocinium sine habitu posueris, & sumto de solido tui desiderii fervore experimento, per quatuor annos in aula pontificali sanctissimi patris bonæ memoriæ Alexandri divina providentia papa hujus nominis secundi, prædecessoris nostri, dum coram ipso beatissimo pontifice archidiaconum cardinalem ageremus; cum tuis viribus a natura delicatis diffideremus, non tam cito manus super te imposuimus, sicut nos cum Timotheo docuit Apostolus, ad cujus tumbam consistimus. Verum cum indesinenter ac indeficienter a sancta sede, in qua sedemus, licet indigni & inviti, postules potestatem auspicandi conceptum Ordinem monasticum juxta regulam beati Benedicti, quam diu expertus es in-*

ter fratres de Calabria : nos nolentes extinguere spiritum, eo propensius ac benignius inclinati, nunc tibi concedimus & annuimus, quo majori Spiritus-sancti flamma accensi desideramus agrum dominicum tam sanctis virtutum seminariis ditari. In consequentibus Stephano, ejusque cœptis bene precatur Gregorius; optatque ei adduci socios innumeros, & beatum patrem Benedictum in spiritualibus & temporalibus suffragari. *Datum Romæ in præsentia carissima filia Agnetis augusta imperatricis, & sex fratrum nostrorum cardinalium, kalendis Maii, pontificatus nostri anno primo.* Certe Gregorius tunc Romæ usque ad kalendas Julii versatus est a sua electione, quæ XI. kalendas Maii facta est, quo tempore Agnes imperatrix Casini, ut diximus, morabatur. sed inde Romam statim, audita Gregorii electione, reverti potuit. Huc referri potest quod scribit Bernardus Guido agens de origine [a] Grandimontensis Ordinis, ubi Stephanus Romanum pontificem, scilicet Gregorium, cui notus erat, adiisse dicitur, & ab eo instanter petiisse, tandemque obtinuisse, ut vitæ eremiticæ formam & ordinem, quem in Calabria viderat & didicerat, observari sibi in remissionem injungeret peccatorum. *Ductus igitur*, inquit, *a sancto Spiritu, & Romani pontificis licentia & auctoritate suffultus, convolavit ad eremum, qua Mureium dicitur, in pago Lemovicensi.* quæ quidem verba satis innuere videntur, hanc licentiam & auctoritatem non voce dumtaxat, sed scripto etiam concessam fuisse.

a Labbe to. 2. bibl. p. 275.

Examinatur hæc bulla.

Hoc pontificium diploma viderat Ordinis Grandimontensis Annalista, qui ad hunc annum refert *primam apostolicam confirmationem futuri Ordinis Grandimontis, factam a Gregorio VII. summo pontifice, qui sanctum Stephanum, multis oblatis beneficiis ecclesiasticis, sibi notum retinere volebat.* Quin etiam ejusdem diplomatis initium & clausulam refert [b] idem auctor, quod apud prioratum de Francorio, Ordinis Grandimontis, inquit, dicitur servari, cujus initium & finem a Francisco Escouvetta Cælestino se accepisse asserit. Franciscus iste Grandimontensis Ordinis historiam aggressus erat, isque Lariaci prope Divionem prioratum adeptus, collectas a se chartas ibidem reliquit, ex quibus præmissi diplomatis exemplum e nostro sancti Benigni monasterio ad me transmissum est. Hujus tamen diplomatis validitati, ne quid dissimulem, quædam haud levis momenti adversari videntur. Unum est quod Gregorius in ejus inscriptione dicitur *servus servorum Dei.* quam formulam ante suam ipsius consecrationem, quæ anno tantum sequenti, in purificatione beatæ Mariæ facta est, non usurpavit, sed istam, *Gregorius in Romanum pontificem electus*, ut patet ex multis ejus epistolis anno præsenti scriptis. Verum aliæ quoque ejusdem epistolæ exstant vulgari inscriptione [c] præditæ, *Gregorius episcopus servorum Dei*, a secundo kalendas Julii hujus anni, forte postquam rex Heinricus ejus electioni assensisset. at integra remanet difficultas in prædictum diploma, cujus tamen inscriptio a librariis vitiata dici posset.

b Annal. Grandim. p. 30.

c V. supra n. 33.

Altera difficultas majoris est momenti, scilicet quod Stephanus mansisse dicitur cum Milone archiepiscopo, ante quam præmissum diploma obtineret, & quidem annis duodecim, ut tradit vitæ ejus scriptor Gerardus, septimus Grandimontensis prior, qui addit eum post Milonis obitum Romam adiisse, ibique quatuor annis deinceps permansisse ante sui Ordinis institutionem, quod etiam Bernardus-Guidonis [d] tradit, unde Bollandus [e] Milonis obitum anno M LXX. consignat. quæ omnia longe repugnant instrumento ipsius Milonis apud Ughellum [f] relato, in quo Milo primum sui præsulatus annum cum anno Christi M LXXV. componit. Hic nodus insolubilis videtur, nisi dixeris aut Gerardum Stephani vitæ seriem non bene assecutum, aut instrumenti ab Ughello relati chronicas notas vitiatas fuisse. Vodalricus seu Udalricus, Milonis decessor, archiepiscopus creatus est anno M LIII. a Leone IX. dum Beneventi pontifex versaretur; idemque anno M LIX. concilio Romano interfuit. Non potuit ergo Milo Beneventanam sedem inire ante annum M LX. Falsum proinde quod scribit Gerardus, Stephanum duodecim annis cum Milone archiepiscopo commoratum fuisse; dein, eo mortuo, quatuor annis Romæ, ante acceptam a Gregorio instituendi novi Ordinis facultatem. Certe Milonem anno M LXXV. Beneventanæ ecclesiæ præfuisse ex actis synodi Beneventanæ postea referendis constat; immo eumdem anno M LXXVIII. superstitem fuisse intelligitur ex veteri instrumento de origine cellæ sancti Florentii prope Dolum in Armorica exstructi, quod Johannes [g] quidam construere cœpit in honorem sanctæ Mariæ sanctique Florentii, *per auctoritatem papa Gregorii VII. & per testimonium Milonis archiepiscopi, qui prius decanus Parisiacensis ecclesia ab apostolico ordinatus est archiepiscopus Beneventana, quem de hac re intercessorem apud papam*

d Labbe to. 2. biblioth. pag. 275.

e Bolland. to. 3 Feb. p. 603.

f Ital. sac. to. 8. p. 135.

g V. infra lib. 65. n. 29.

habuit Johannes: cui constructioni Eventius seu Evenus archiepiscopus Dolensis annuisse dicitur. Ex quibus evincitur, Milonem prædicto anno in vivis fuisse, atque ab apostolico, & quidem, ut videtur, Gregorio VII. archiepiscopum ordinatum, cui calculo Ughellus suffragatur. Id si ita est, ut quidem constare videtur, consequitur falsum esse quod scribit Gerardus in vita sancti Stephani, & post eum alii, scilicet Stephanum duodecim annis cum Milone Beneventano archiepiscopo commoratum fuisse; eoque mortuo Romæ quatuor annis apud Alexandrum II. siquidem non ante obitum Alexandri Milo archiepiscopus ordinatus est. Eodem telo configitur præmissi diplomatis auctoritas, in quo etiam idem Stephanus apud Milonem archiepiscopum Beneventanum demoratus fuisse dicitur, antequam istud diploma obtineret, quod non omnino sapit, ut verum fatear, stilum cancellariæ Romanæ. Hæc fusius pertractare oportuit non tantum ad infirmandum istud diploma, sed ad corrigendos nævos vitæ sancti Stephani, quæ ab auctore parum accurato scripta est.

ANN. CHR. 1073.

Verum ex his nascitur aliud incommodum, nimirum quod hinc corruere videatur quod legitur de Stephani consuetudine cum eremitis seu anachoretis Calabriæ, quorum propositum dum apud Milonem Beneventi degeret, ex ejus relatu rescivisse ac didicisse perhibetur. Verum id forte conciliari potest in hunc modum, ut Milo Beneventi aliquamdiu versatus sit, antequam ad illam sedem proveheretur; tuncque Stephanum eum, utpote conterraneum, & forte propinquum suum, adiisse, & ab eo notitiam illorum anachoretarum accepisse. Certe parum veri simile est Beneventanos de eo eligendo cogitasse, nisi eum antea e propinquo novissent. Superest inquirendum quinam fuerint illi eremitæ seu anachoretæ, quorum vivendi institutum in Calabria didicit Stephanus, & ad quorum normam Ordinem suum instituit. *Justorum religiosa congregatio* dicitur a Gerardo, quæ *pecudibus, possessionibus & universis rerum mundanarum occupationibus penitus renuntiaverat:* Bernardus-Guido eremitas seu anachoretas vocat. Florebat tunc temporis in illis partibus religiosa Uticensium nostrorum congregatio sub Rodberto abbate, qui complura illic monasteria, ut superius [a] vidimus, informaverat. Erant quoque in iisdem Cavenses monachi, qui eremiticas illic cellas incolebant, de quibus inferius [b] agemus. Utri illorum, immo an alterutri fuerint, quos frequentaverit, sibique imitandos proposuerit Stephanus, non definio, rem tantum propono, permisso aliis judicio. Forte id melius conveniet Magellensibus eremitis, tunc temporis in Aprutio claris, apud quos Desiderius, is qui postea Casinensis abbas, ac demum summus pontifex creatus est, aliquamdiu mansit.

a lib. 61. n. 16.
b lib. 63. n. 78.

XXXVIII. S. Benigni corpus an translatum in Germaniam.

Hoc anno corpus sancti Benigni martyris in Sigebergense monasterium translatum fuisse dicitur in libro de vita sancti Annonis Coloniensis archiepiscopi, scripta ab æquali auctore, qui quidem factæ translationis alicujus idoneus testis est; at corporis sancti Benigni omnino falsus est, quod in Divionensi sancti Benigni ecclesia hactenus asservari constat. Prout tamen proditur res, quia quædam historica facta haud spernenda continet, hic referenda videtur. Cellam sancti Viti in Suevia dux quidam Alemannorum & Burgundionum construxisse dicitur, & in ea monachos collocasse. Is Divionem profectus, inde corpus sancti Benigni sacerdotis & martyris cum reliquiis tergeminorum fratrum asportasse, & in prædicta cella reposuisse fertur. Post multos annos, cum hæc cella regali Elewangensi monasterio subjecta esset, fossoribus ecclesiæ pavimentum ob quoddam opus proscindentibus, illud sancti Benigni corpus cum aliis repertum. Elewangensibus tunc præerat Reingerus abbas, Annonis consanguineus: qui ad regis curiam in natali Domini Babenbergam profectus, ibidem Annonem reperit, eique sancti Benigni corpus se invenisse lætanter asseruit. Mox nomen martyris ex ore illius rapiens archiepiscopus, ejus corpus sibi concedi flagitavit, patroni quippe suorum Sigebergensium, qui ex Fructuariensi sancti Benigni cœnobio educti fuerant. Assensit ille, modo ut pro sua apud regem auctoritate quoddam debitum sibi relaxari curaret. Conditione accepta, præsul concessum corpus Sigebergam transtulit, cui advenienti sanctæ memoriæ Erpho abbas cum monachis suis occurrit, sacrumque loculum in suam basilicam festiva pompa XIII. kal. Martii hoc anno transportavit. Hæc fusius anonymus auctor, fide quidem dignus ad factum adstruendum, sed non ad veritatem corporis sancti Benigni asserendam, quod hactenus, ut jam dixi, possident nostri Divionenses.

XXXIX. Godefridus quinquennis fit monachus.

Cum quinquennis esset Godefridus, futurus quondam Ambianorum episcopus, de cujus ortu superius [c] actum est, ad Godefridum Montis-sancti-Quintini abbatem,

c lib. 63. num. 18.

ANN. CHR. 1073.

Deo consecrandus adducitur. Ille vero puerum exosculatus, mox *habitum religionis* induit, disciplinisque tum liberalibus, tum monasticis diligenter erudivit, quas puer avide a magistro audiebat, & in utrisque brevi perfectus evasit. unde factum est, ut ab illo monasterii patre impensius amaretur, & ab omnibus coleretur. Forte aliquando, cum solus in monasterii propatulo ambularet puer, grus annosa oblongum rostrum in ejus oculum alte infixit, ex quo maximum nedum amittendi luminis, sed etiam vitæ discrimen incurrit. At ille, signo crucis vulneri identidem impresso, non mortem, non oculi jacturam, immo nec minimum quidem dolorem persensit. Relicta tantum in rei monumentum absque ulla deformitate cicatrix. Erat is in vigiliis pernox, in precibus frequens, scripturæ divinæ non ad ostentationem, sed ad pietatem studiosissimus; in cibo & potu parcus, & sæpe pane & aqua contentus, ad obediendum promtus, ab omni obtrectatione & otiosis sermonibus prorsus alienus. Infirmorum curam sibi impositam libenter subiit adolescens, nullum officii genus erga infirmos prætermittens.

Parentum ejus pietas.

Interim Frodo ejus pater in monasterio beatæ Mariæ de Novigento fit monachus, ubi præclara virtutum exempla reliquit: mater vero in viduitate castissime perseverans, marito usque adeo supervixit, quoad filius suus Godefridus ejusdem monasterii regimen obtinuit.

Odo ejus frater, aliique monachi piissimi.

Huic erat Germanus frater, Odo nomine, quem a sæculari militia ad monasticum propositum abstraxerat, ejusdem in monasterio Montis-sancti-Quintini factus collega, ubi annis amplius quadraginta, sobrie, pie, & juste versatus est, divinas quidem litteras ignorans, sed eas opere complere sollicitus. Decem & octo annis esu carnium abstinuit, etiam infirmus: donec abbatis jussu communem monasterii regulam sequi vel invitus compulsus est. Quadragesimæ maxime tempore per annos decem silentii adeo tenax fuit, ut nullum omnino, *præterquam in confessione sacramentali*, verbum proferret. Nec solum iis quadragesimæ, sed etiam aliis anni diebus pane & aqua contentus, corpus multis affligebat modis, quotidianisque flagellationibus atterebat. Monasterii vero res, quæ sibi creditæ erant, tanta fide administravit, ut ne obolum quidem cuiquam abbatis injussu donaverit. Denique, instante obitu, dominicis munitus sacramentis, extensis inter preces manibus, hilari vultu animam Deo reddidit. Erant tunc in eodem monasterio alii quoque religiosissimi fratres non pauci, in his Richardus, vir in primis reverendus, qui vitam monasticam annis amplius quinquaginta piissime duxit: de quo illud memoriæ proditum est, quod, cereo ardente super altare incaute relicto, subjecta lintea omnino illæsa reversus invenit.

XL. Tumultus apud S. Audoënum.

Apud Rotomagum in monasterio sancti Audoëni ingens tumultus hoc anno excitatus est. quod hac occasione accidit. Cum in expeditione Cenomannica rex Willelmus occupatus esset, inter reliquos [a] proceres ei adfuere Johannes Rotomagensis archiepiscopus, & Nicolaus sancti Audoëni abbas. Imminente sancti Audoëni sollemnitate, quæ IX. kalendas Septembris recolitur, missione a rege petita, abbate apud regem occupato, Rotomagum concite revertit archiepiscopus, ut missarum sollemniis eo die in basilica sancti Audoëni pro more interesset. Festo die mature adsunt majoris ecclesiæ canonici, præmissusque nuntius, qui mox adfuturum archiepiscopum nuntiaret. Post aliquantam moram, communi consilio visum est, ut missa interim inchoaretur. Id factum magna canentium morositate usque ad hymnum angelicum, quem Richardus Sagiensis abbas inchoavit. Tum intervenit antistes, factumque indigne ferens, monachos excommunicavit, abbatemque & monachos a prosequendo sacro cessare præcepit, quod canonicis prosequendum indixit; ipse vero ad complendum officium se parat. Hujus rei quidam impatiens, turri conscensa majorem campanam pulsat. Hinc ocius toto foro advolant turmæ, archiepiscopum sancti Audoëni loculum asportare velle vociferantes. Prosiliunt omnes a domibus, ille gladium, hic bipennem, alii quidvis obvium arripiunt. Tum archiepiscopus circumfrementium turba se appeti veritus, ab altari ad monasterii valvas se recipit. Quidam suis candelabris, perticis, aliisque instrumentis armati, in monachos insiliunt: sed tamen, offusa cælitus e sanctuario caligine, nulla sanguinis effusione, totus ille turbo meritis sancti Audoëni dissipatur. Interim adfuit vicecomes, qui archiepiscopum periculo exemit. Postera die fratres unum e suis mittunt ad abbatem, qui factum ad regem referat: at præcesserat archiepiscopi nuntius, regisque animum in monachos

[a] Analect. to. 2. p. 245. & seqq.

[ANN. CHR. 1073.]

exasperaverat. Rex tamen ecclesiam statim reconciliari jussir: at, reluctante archiepiscopo, loci reconciliatio Michaëli Abrincatensi episcopo demandata. Hujus tumultus auctores crediri quatuor monachi, ad alia monasteria relegantur, Wrnemarus Fiscamnum, Benedictus Fontanellam, Rodulfus Gemeticum, alius ad alium locum: quos tamen archiepiscopus rogatu Nicolai abbaris postmodum suo monasterio restitui permisit. Ex his patet quam turpiter falsus sit Matthæus Parisius, ejusque sequaces, qui Johannem archiepiscopum tunc interfectum fuisse calumniantur, quem diu post hæc superstitem fuisse constat. Certe etsi alia nos hac de re argumenta deficerent, id luce clarius demonstrarent [a] duæ Lanfranci archiepiscopi ad ipsum Johannem epistolæ, in quibus *temerariam superbamque temeritatem miserrimorum hominum, & perditissimæ congregationis, adversus Dominum, & pontificale fastigium præsumtam* merito damnat.

[a Lanfranc. ep. 14 & 15.]

[XLI. Beccensium altera mutatio.]

Hoc item anno secunda Beccensium monachorum mutatio facta legitur, præter primam stationem, quæ fuit apud Burnevillam. Cum enim vetus apud Beccum monasterium loco humido & incommodo situm esset; illud inde ad unum lapidis jactum transferre Herluino visum est. Absolutis itaque ædificiis hoc anno in vigilia omnium Sanctorum, Beccenses monachi e veteri monasterio egressi, ad novum illud commigrarunt. Ad quatuor tamen annos dilata fuit novæ basilicæ dedicatio. Hoc item anno dedicata est basilica sancti Stephani Cadomensis, ut legirur in chronico ejusdem monasterii, edito ad calcem historiæ Orderici Vitalis.

[Ainardus Divæ abbas obiit.]

Sub idem tempus, ut ex hoc auctore discimus, Ainardus Divensium primus abbas ex hac vita migravit XIX. kalendas Februarii, vir multa religione præditus, versificandi & canendi peritissimus, ut paret ex his, quæ de sancto Chiliano Wirziburgensi episcopo, & de sancta Catharina virgine composuit. Ejus funus curavit Durandus Troarnensis abbas, qui & ejusdem epitaphium composuit, ab Orderico [b] relatum, in quo vir magnus, probitate & doctrina conspicuus prædicatur. Post eum Divensis ecclesia Fulconi Uricensium priori ad regendum commissa, qui Fulco a Rotberto *Salariensi* seu Sagiensi episcopo ordinatus abbas, multis annis istud monasterium recte administravit. Is quatuor ex Uticensi cœnobio monachos Divam secum adduxisse traditur, Bernardum scilicet, cognomento Matthæum, cognatum suum, Guillelmum de Monsterolo, & Turchetillum, peritissimos librarios, & Richardum, in divino cultu maxime exercitatos, qui Fulconi abbari magno adjumento fuere.

[b Orderic. lib. 4. p. 545.]

[XLII. Vindocinensia.]

In Vindocinensi monasterio multi hoc rempore nobiles viri monachi facti sunt, etiam ex iis, qui monachi ad succurrendum runc dicebantur. In his unus hoc anno vir clarissimus, Hamelinus nomine, cognomento Escherpellus, lecto decumbens, & morti, ut videbatur, proximus, monasticum petiit habitum: qui, sanitate contra spem recepta, egredi e monasterio recusavit, ubi *monachus inter monachos sanctiss.me vixit*, ut in Vindocinensi tabulario legitur. Eodem anno Hugo de Aloïa miles, & uxor ejus Richeldis, quamdam Vindocinensibus decimam contulerunt, eo pacto, ut pro eis, quamdiu vixissenr, una missa quotidie diceretur, pauper unus pasceretur, & post evangelium missæ majoris psalmus unus cantaretur, ac nomina eorum in canone missæ in perpetuum recirarentur, denique ut pro eis mortuis eadem, quæ pro monachis, fierent. Hic est Hugo de Castello [*], quo apud Blesas captivo detento, uxor ejus Richeldis venit in Vindocinense capitulum, pro more tunc recepto; ibique coram Oderico abbate, & fratrum conventu quamdam donarionem fecit. Forte hæc est Ricbeldis, Fulcherii de Turre filia, de qua in eodem tabulario fit menrio.

[* Chateau en Anjou.]

[XLIII. Ebrardi vicecomitis donatio facta Majori-monasterio, ejusque conversio]

In superioribus [c] actum est de Ebrardo Brirolienfium comite, qui exemplo Theobaldi piissimi eremitæ, sæculo nuntium remisit, omnibusque pro Christo relictis, in longinquas partes clam discessit, ubi carbonariam artem exercuit; ac demum in Majori-monasterio factus est monachus. Idem erat Carnotensium vicecomes, uti nos docet notitia quædam Majoris-monasterii, in appendice integra relata, cujus quamdam pericopen bic referre juvat. *Illustris quidam Carnotensium vicecomes, Ebrardus nomine, audita Domini voce, qua dicit*, NISI *quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus; timens, ne ab ipsa Domini benignissima admonitione se faceret alienum, excogitare cœpit qualiter ad ipsum Dominum propius accederet, ipsiusque servitio se familiarius mανciparet. Et quia ad hoc magnum ei faciebat impedimentum præsens sæculum, & quæque in eo possidere videbatur, nec facile illi erat adimplere quod volebat; maluit omnia relinquere, quàm pro his in perpetuum infernales cruciatus sustinere. Igitur*

[c lib. 60. n. 39.]

I iij

ANN. CHR. 1073.

honorem suum & possessiones fratribus suis dereliquit: reliqua autem, quæ in auro & argento habere potuit, pauperibus erogavit. quatinus nihil jam sollicitus de rebus transitoriis, securius & expeditius inhiaret divinis. Inter illa quidem, quæ Domino per manus pauperum suorum condonavit, dedit nobis, monachis videlicet Majoris-monasterii beati Martini, sub regimine nunc agentibus domni abbatis nostri Bartholomæi, anno ab incarnatione Domini M LXXIII. *quidquid in dominio habere videbatur in villa illa, quæ Nantulfi nuncupatur, quæ in Dunensi territorio consistit, & ecclesiam quamdam, quæ apud Averdonum sita est.* Illius autem villæ hæc prærogativa esse dicitur, (sic ferebat mos illorum temporum) *ut de proximis circumquaque villis ad juditium calidi ferri portandum, & ad bellum campionum clypeo & baculo faciendum ex antiquitate semper illic accusatores & accusati convenirent, totaque causa ad ipsius villæ domini referretur audientiam. Sed ut ad propositum redeamus, domnus Ebrardus, pauper & nudus effectus, patria & parentibus suis derelictis, peregre profectus est. Cumque de peregrinatione illa, in qua multo tempore demoratus est, reverteretur, ad Majus-monasterium, habitum inibi monachorum suscepturus, devenit: ubi cum pro quibusdam uxoris suæ impedimentis aliquamdiu in laicali habitu moraretur, venit ad eum Hugo frater ipsius, qui ei in honore vicecomitatus successerat. qui cum ab eo plurima salutis suæ monita audisset, compunctus timore divino, immo etiam commotus amore fraterno, dedit nobis*, inquit notitiæ auctor, *medietatem illius villæ, cujus alteram medietatem jam supra diximus domnum Ebrardum nobis donasse; & insuper donum ipsius domni Ebrardi auctoritate sua in capitulo suo nobis libentissime confirmavit, & de utraque donum super altare beati Martini portavit. Eodem quoque modo gratantissime auctorizavit utrinsque donationem Gualerannus dominus de Bretulio, frater ipsorum.* quod auctoramentum a Gualeranno factum dicitur *apud Puteolum, castellum domni Hugonis fratris ipsius, quando domnus abbas Bartholomæus quærebat solutionem inter domnum Ebrardum & uxorem ejus.*

His etiam accessit *auctoramentum* sive confirmatio Tetbaldi comitis, de cujus *casamento* hæc erant, & filii ejus Stephani, ad preces Bartholomæi abbatis, qui forte tunc illum *apud Blesium* castrum* adierat. cujus rei gratia idem Tetbaldus petiit a Bartholomæo abbate, *ut pro hoc sibi centum missas a sacerdotibus monachis juberet celebrari.* quod abbas libentissime promisit, *audiente Guidone abbate & Guarino præposito, qui forte tunc aderant.* Guido iste tunc abbas erat sancti Launomari, suffectus [a] in locum Isemberti, qui Jerosolymam profectus, abbatia excidit. *Factum est hoc, sicut diximus, apud Castrum Blesium intra curiam, retro palatium prope turrem, patulo inter caminatas quidem palatii sito, XV. kalendas Maii, die Dominico, post meridianam.* quæ notæ anno M LXXVI. conveniunt. Ex præmissis intelligitur, Ebrardi secessum in Majus-monasterium ante hoc tempus non contigisse: ubi quam pie & religiose se gesserit [b], superius exposuimus.

* *Blois.*

a *supra n. 35.*

b *ibid.*

XLIV. Lesati & sancti Licerii monasteria Cluniaco subjecta.

Lesatense monasterium, ab Attone-Benedicti alias constructum, propemodum ad sæcularem statum hoc tempore prolapsum erat. quod ægre ferentes monachi, instaurandæ religionis studio accensi, una cum nobilibus viris, scilicet Rogerio comite, Raimundo Willelmi, Berengario de Alta-ripa, & Bernardo de Marca-fava*, quibus abbatis electioni interesse competebat, Hugonem Cluniacensem abbatem, ut locum istum ad rectum ordinem reduceret atque ordinaret, interpellarunt. Ille vero non ante acquievit, quam abbatis electio ei, ejusque successoribus committeretur, *quamdiu Cluniacensis locus in religione monastica vigeret.* quod quidem ideo facere solebat, *ne in vacuum laborare videretur, & ne semel recuperatus locus iterum in pejora laberetur.* Conditionem admisere monachi, necnon clarissimi illi viri, quos abbatis electio spectabat, ac Lesatense monasterium Hugoni abbati, ejusque successoribus in perpetuum subjecerunt, & abbatis electionem detulerunt, *quamdiu Cluniacensis locus religionem monasticam secutus fuerit.* quod apostolica auctoritate confirmari postulant. *Facta est hac charta die quarta post festivitatem omnium Sanctorum, anno incarnationis dominicæ* M LXXIII. *indictione* XI. *præsidente domno Hugone abbate Cluniacensi, & domno Hunaldo abbate Moisiacensi, necnon & Auxiensi archiepiscopo Willelmo, sedem vero apostolicam domno Gregorio VII. tenente, regnante Philippo Francorum rege.* Hanc abbatiam tenuerat paullo ante Bernardus-Raimundi de *Pelet*, simul episcopus Coseranensis & abbas: ex parte vero Cluniacensium eidem loco præfectus fuit Pontius, qui successores ad finem illius sæculi babuit Seguinum, Gaucelinum, & Gerardum, cui Odo de *Bajeras* successit.

* *Marque-fave.*

Eodem fere tempore monasterium sancti Licerii* episcopi & confessoris, diœcesis

* *S. Lizier.*

ANN. CHR. 1073.

Coseranensis Cluniaco unitum fuit, de quo intelligendum videtur vetus instrumentum archivi sancti Petri de Curte seu de Manso-garnerii, in quo legitur, quod « Pontio palatino Tolosanorum comite & Durando piissimo ac eruditissimo præsule « ecclesiam Tolosanam moderante, quidam Aimardus, sancti Petri monachus, antiquam « sancti Licerii ecclesiam, in partibus Saviensium sitam, opem ferentibus dominis de « Modlone, Willelmo-Unaldi, aliisque instauraverit. «

XLV. Dominicus Silensis obit.

In Hispania Dominicus Exiliensis abbas, diuturno morbo confectus ad immortalem vitam hoc anno transiit. Ante diem quartum obitus sui, accito ad se monasterii præposito, omnia in adventum Regis & Reginæ, necnon episcopi præparari præcepit. Cum hæc præter omnem opinionem viderentur, sub vesperam feriæ quartæ, in qua festivitas beatæ Mariæ pro more Hispanorum triduo ante natale Domini celebranda erat, supervenit Scemenius Ocensis episcopus: cui, peracta sollemnitate, discedere volenti prædixit vir Dei, brevi eum reversurum. Quod vero de adventu Regis & Reginæ dixerat, id de Christo Domino, deque sanctissima ejus genitrice Maria intelligendum esse, ipsiusque Dominici obitum instare, postmodum patuit. Feria sexta episcopus denuo adfuit; tumque Dominicus, præmissis solitis precibus & officiis, *percepta devotissime sacra dominici corporis & sanguinis communione,* ad cælum migravit XIII. kalendas Januarii, qua hora duæ coronæ super ipsius caput a quibusdam visæ sunt. Sepultus est ab eodem episcopo intra claustrum ante portas ecclesiæ. quo ex loco, crebrescentibus ad ejus tumulum miraculis, sacrum ipsius corpus consilio Fortunii abbatis ejus successoris, præsente Aldefunso Hispaniarum rege, Fredelandi regis filio, in ecclesiam ad altare sancti Martini honorifice translatum est XV. kal. Septembris, quo die festum sanctæ Helenæ, Constantini matris, illic celebrabatur, teste ejusdem cœnobii monacho æquali, qui librum de sancti Dominici gestis composuit, eumque Fortunio abbati nuncupavit. Hunc Griminicum vocant nonnulli; at quisquis ille sit, alius mihi videtur a Grimoldo sancti Æmiliani monacho, qui translationem sancti Felicis eremitæ descripsit, Dominico Silensi longe posterior. Hujus sancti Dominici abbatis tempore vixit prope monasterium inclusa quædam virgo, Oria nomine, quam vir Dei ab infestatione dæmonis celebrata missa, & sacra communione virgini porrecta liberavit. Infinita ejus miracula prædicantur: in quibus Petrus-Palagii Galliciæ comes, morbo oculorum, & Garsias-Munionis, vir nobilissimus epilepsi exemti sunt. Hinc celebris per totam Hispaniam evasit sanctus Dominicus Exiliensis abbas, cujus meritis beatum Dominicum, Ordinis fratrum Prædicatorum institutorem, parentes a Deo impetrarunt.

Placitum Hispanicum. a *Daguirre conc. to.* 3. p. 253.

Hoc ipso anno exorta est contentio *inter fratres de Domnis-sanctis* [a] seu monachis sanctorum Facundi & Primitivi, & fratres sancti Petri de Exlonza in regno Legionensi, super parochiali ecclesia sancti Mammetis, sita in territorio Melgarensi ad amnem Ceam, quam fratres sanctorum Facundi & Primitivi a trecentis annis pacifice possederant. Adversus eos prædicti fratres sancti Petri contendebant hanc ecclesiam ad se pertinere. Ventilata hac controversia coram Aldefonso rege, ejusque sorore domna Urraca, in id demum partes convenere, ut fratres sancti Petri juri cederent fratrum monasterii sanctorum Facundi & Primitivi, cui tunc Julianus abbas præerat, & ab eis vicissim duo acciperent monasteria, unum sancti Vincentii, situm inter amnes Pormas & Turium, & sancti Pelagii ad rivulum Parmam, assensu Urracæ Aldefonsi sororis, quæ facto hac de re instrumento subscripsit.

XLVI. Simorræ asserta cella sanctæ Dodæ in concilio Orreæ.

Consimilis rixa fuit inter monasterium Simorræ & monachos cellæ sanctæ Dodæ, quam Guillelmus Asturicensis comes principatu Heinrici Francorum regis exstruxerat, & Ottoni Simorræ abbati, ejusque monasterio subjecerat. Processu temporis illius cellæ monachi, favente Sancio Guillelmi comitis filio, Simorrensium jugum excutere moliti sunt. Inter ea contigit celebrari concilium apud sanctam Mariam Orreæ in territorio Bigorritano, convocatum a Guillelmo-Bernardi Ausciensi metropolitano, qui illud cum suis comprovincialibus episcopis celebravit. In hoc concilio adeo exarsit hæc controversia, ut *absque lege sæculari* minime finiri potuerit. *Decretum est itaque*, ut verbis ipsius instrumenti utar, *ut judicio aquæ frigidæ secundum morem patriæ res probarentur. quod postea* * *ipse idemque memoratus archipræsul propria manu, vidente populo, sacravit & benedixit: tandemque victi monachi* sanctæ Dodæ, *cedentes juri sub regimine abbatis recepti sunt. Tunc quoque domnus Sancius, filius dicti Guillelmi comitis, & comes regionis illius, qui prius erat quasi adversarius, videns quod nihil proficeret, patris sui donum in æternum firmavit super altare sanctæ Mariæ Simorri-*

* f. propterea.

ANN. CHR. 1073.

tana. Hoc factum est in festivitate beati Hyppolyti idibus Augusti, luna XXVII. *regnante Philippo rege Francorum, Gregorio VII. prius Hildebrando dicto, Romanorum pontifice. Hujus vero rei testes sunt legitimi, Pontius Bigorrensis episcopus, Bernardus de Roca, Moyses monachus, & alii, anno Domini* M LXXIII. Hactenus instrumentum. Prædictus Pontius episcopus tunc abbas erat Simorrensis monasterii, cui deinceps subjecta fuit cella sanctæ Dodæ usque ad sæculum XVI. quo ab hæreticis multas clades pertulit, dein ad simplicem redacta prioratum, qui demum Ausciensi collegio Societatis Jesu unitum est.

XLVII. Rotense monasterium conditur. * *Rot. a Hund. to. 3. p. 264.*

In Bajoaria sub idem tempus Rottense * monasterium ad Oenum fluvium in diœcesi Frisingensi conditur [a] in honorem sanctorum Marini & Aniani a Conone Wasserburgensi comite, ejusque filio cognomine, necnon ipsius conjuge, qui liberorum expertes, bona sua Deo consecrarunt, & dotando monasterio contulerunt. Nurus quoque senioris Cononis Elizabeth dotem suam eidem loco tradidit, cum toto patrimonio, quod in Lotharingia habebat, si absque liberis decederet. Hoc monasterium beato Petro & sanctæ Romanæ ecclesiæ sub annuo censu tributum fuit; ejus autem advocatio imperatori reservata, quam nomine imperii aliquamdiu tenuit Conradus episcopus Ratisponensis. Bertrico abbati Innocentius II. privilegia monasterii confirmavit, idemque Lothario abbati præstitit Eugenius III. Fridericus abbas possessionum confirmationem a Friderico imperatore, cognomento Ænobarbo, impetravit. quæ omnia apud Hundium videre licet. Subsistit hactenus illud monasterium, quod aliquando in transcursu invisimus.

ANN. CHR. 1074. XLVIII. Civilia bella in Saxonia.

ANno proximo M LXXIV. ineunte, cum dissensio inter Heinricum regem & Saxones late serperet, & in apertum bellum, ni rex castella in Saxonia erecta everteret, eruptura videretur; Corbeiæ post epiphaniam convenere Sigifridus Moguntinus & Anno Coloniensis archiepiscopi cum episcopis & principibus sibi addictis, hortatique sunt Saxones, ut ab oppugnatione castellorum abstinerent. Indignati ea re Saxones, se facturos negant. Interim rex, contractis quas licuit copiis, VI. kalendas Februarii, rigente hieme, Wormatia egressus, ubi natale Domini celebraverat, Hersfeldiam venit: cujus loci abbatem Hortwicum ad Saxones, tum quatuor episcopos de pace sciscitatum misit. Consensere demum illi, modo ut castella everterentur, suisque asseclis impunitas daretur. Post hæc, rege Wormatiam regresso, Saxones castella evertere aggressi, primo Harteburgum funditus destruunt, nec rebus sacris aut ecclesiis abstinent; nisi quod sanctorum reliquias, quæ effractis altaribus erutæ fuerant, abbas ex vicino cœnobio, an Fritislariensi, opportune superveniens, furenti vulgo eripuit, atque in suum monasterium honorifice transvexit. Rex tanta injuria exasperatus, legatos Romam misit, ut Gregorium papam contra sacrorum violatores interpellarent. Eodem tempore pontifex frequentem episcoporum con-
" ventum in Laterano convocaverat, in quo investituræ damnatæ, & de clericis san-
" citum, ut ne uxores ducerent; qui vero haberent, aut eas dimitterent, aut sacerdo-
" tium dimitterent; nec quisquam deinceps sacris ante initiaretur, quam perpetuum
" cælibatum professus esset. Tum legati in Germaniam missi ad exsequenda concilii decreta, Girardus Ostiensis & Humbertus seu Hubertus Prænestinus, cum Curiensi & Comensi episcopis. Hos subsecuta est Agnes augusta, Heinrici regis mater, ut filium ad obtemperandum pontificis decretis inflecteret. quam viventem *piæ memoriæ* imperatricem vocat pontifex in litteris ad Heinricum regem, ubi scribit, *quod piæ memoriæ Agnes* ejus mater cum legatis testificata esset, eum simoniacam hæresim de regno suo exstirpaturum, & inveteratam clericorum incontinentiam pro virili correcturum. quod tamen minime præstitit, simoniacis & concubinariis clericis in suo scelere obfirmatis. Nec auditi ab episcopis sibi male consciis legati, qui concilium seorsim hac de re habere volebant. Quin etiam Moguntino archiepiscopo extrema pernicies ab eisdem pseudepiscopis intenta in synodo Erfordensi, in qua eos urgere cœpit, ut se aut sacerdotio, aut conjugio abdicarent. quod illi non ferentes, secessione facta consilium interficiendi archiepiscopi iniisse dicuntur. quo cognito, archiepiscopus ad quæstionem de decimis, jam ante agitatam, se convertit, pollicitus se quam primum ad pontificem scripturum, ut ab hac sententiæ austeritate decederet.

XLIX. Hersfeldenses & Fuldenses res direptæ.

Dum rex Heinricus Hersfeldiæ cum suis copiis moraretur, ut necessario commeatu destitutus erat, miles prædæ quam pugnæ avidior, contiguas illius loci villas hostili

more

more devastabat, & sub prætextu necessarii victus, innocentibus præter miseram vitam nihil reliqui faciebat, rege non prohibente injuriam, ut militem sibi magis addictum redderet. Eadem clade accisæ sunt quoque Fuldensis monasterii possessiones, adeo ut, ingravescente alimentorum penuria, fratres ægre in monasteriis continerentur. Eodem tempore, dum Spatenbergum a Turingis obsideretur, eo missus est Hersfeldensis abbas Hartwicus ad eripiendam inde prægnantem reginam, quæ Hersfeldiæ filium peperit, tertio post die baptizatum ab Ezzone Altenburgensi episcopo, qui tunc forte apud abbatem hospitabatur, & Conradum atavi sui nomine vocatum, quem abbas & fratres Hersfeldenses, deficientibus magis idoneis personis, e sacro fonte susceperunt. Hæc omnia fusius refert Lambertus, domesticus & gravis auctor.

L. Ruthardus & Arnoldus abbates mortui.

In eodem monasterio Ruthardus senior abbas, qui ob affectam valetudinem ante biennium abbatiam Hartwico resignaverat, v. idus Junii decessit, vir, ut Lambertus tradit, in sacris scripturis apprime eruditus, & ita ad loquendum expeditus, ut nemo illa ætate verbum Dei copiosius, nemo subtilius, elegantiusve tractaret; ast *in observatione sanctæ Regulæ* paullulum, quam mores & tempora expeterent, remissior fuisse dicitur. Is miro Dei judicio, qui quos diligit, corripit, & flagellat omnem filium quem recipit, biennio amplius ante obitum sensu defecit, phrenesi simul & caduco morbo gravissime vexatus; tandemque fato functus est, anno integro & sex mensibus exactis post abdicatam præfecturam. quod tamen factum postea luxisse fertur, quoties a stupore atque hebetudine mentis tantisper respiraret. adeo dominandi libido mortalium animis insita & infixa est, maxime cum ex diuturna præfectura altas radices egit. Ruthardo quædam tribuit opuscula Trithemius, in bis unum de tranquillitate vitæ, alterum de miseria vitæ præsentis; itemque aliud de sacramento altaris contra Berengarium. quæ omnia, si quidem genuina sint, adbuc in tenebris latent. Eodem anno, ut tradit Marianus Scottus, obiit Arnoldus sancti Albani abbas, in cujus locum Godescbalcus substitutus est.

LI. Coloniæ seditio.

Lambertus auctor est, eodem tempore gravem Coloniæ seditionem in Annonem archiepiscopum excitatam fuisse. Occasio nata est ex pontificis ministris, qui naviculam, a quodam cive Coloniensi occupatam, in usum domini sui conducere volebant. Tum civis ille, injuria, ut putabat, sibi facta exacerbatus, plebem jam pontifici infensam ad arma concitat. Cum vero nec in templo sancti Petri tutus esset archiepiscopus, in proximam domum egressus, per posticum ex urbe effugit. Dein, portis ecclesiæ reclusis, cum eum illic non invenissent turbulenti homines, arreptum quemdam de turba super portam urbis ad ignominiam archiepiscopi suspendunt, parumque abfuit, quin monachos sancti Pantaleonis omnes trucidaverint, ob id scilicet, quod, expulsis ab archiepiscopo prioribus monachis, *novum illic insitatumque religionis genus instituissent.* Nihil hac de re signanter legitur in actis sancti Annonis, nisi quod generatim omnes suæ curæ creditas congregationes monasticas, in quibus regularis disciplina refrixerat, ad meliorem frugem revocasse dicitur. Addit illorum actorum scriptor, ubi de prædicta seditione ipsis fere Lamberti verbis agit, seditiosos illos homines induxisse animum, ut sanctæ Cæciliæ abbatissam perimerent, non aliam ob causam, quam quia sancto antistiti consanguinitate conjuncta erat. In iisdem actis mentio fit cujusdam puellæ, in eodem sanctæ Cæciliæ monasterio studiose educatæ: qua in extremis posita, *subito tactu signi notissimi sorores ad egressum animæ evocatæ*, intermisso quod inchoaverant completorio, non sine magnæ *prævaricationis audacia*, ad morientem concurrunt puellam, quæ dæmonis insultus se pati testata est, quod propter eam *detrimentum servitii sui* Christus habuisset. Nunc ibi collegiata est utriusque sexus ecclesia.

LII. Corbeiæ novæ abbates. a *Greg. VII. lib. 2. ep. 25.*

In Corbeiæ novæ monasterio post Sarachonis abbatis obitum, qui anno superiori contigit, electus est Wernberus abbas. Hic litem babuit cum Bennone Osenburgensi episcopo, ut ex Gregorii VII. litteris [a] intelligimus, qui hanc litem Annoni archiepiscopo finiendam commisit. Verum, cum a legatis suis Uberto seu Humberto Prænestino & Giraldo episcopis intellexisset, eam nescio qua de causa indiscussam remanere; Annonem urget pontifex ad eam quantocius definiendam: sin minus, utrasque partes ad proximam quadragesimæ synodum Romam adire jubet. Hanc litem ob decimas motam fuisse docent nos Corbeienses annales, in quibus legitur, episcopum & abbatem ad synodum vocatos fuisse. Eadem controversia spectabat

ANN. CHR. 1074.

etiam quamdam abbatissam, in Gregorii litteris haud nominatam, forte proximi parthenonis Herifordensis.

LVIII. Augiæ abbati intruso succedit Echardus. a *lib.* 63. *n.* 7. b *Greg. VII. lib.* 1. *ep.* 82.

Actum est superius [a] de Ruberto seu Roberto Babenbergensi abbate, in Augiensem abbatiam simoniace intruso, qui Alexandri II. decreto exauctoratus, male occupata præfectura demum cesserat. Eo amoto canonice electus Echardus seu Ekkehardus ex ipsa congregatione, quem Gregorius VII. a se diligenter examinatum [b] ac probatum consecravit. Verum, cum invasor ille hominibus sæcularibus, ut eos sibi conciliaret, monasterii possessiones contulisset, nec illi eas restituere vellent, eos excommunicatos denuntiat pontifex, ni male parta quantocius restituant.

LIV. S. Crucis parthenon turbatur ob advocatiam.

Per id tempus in puellari sanctæ Crucis monasterio, quod a Leone IX. in Alsatia conditum fuisse diximus, gravis exorta perturbatio est ob rixas Hugonis & Gerardi, prædicti pontificis nepotum, qui de illius parthenonis advocatia contendentes, ejus bona diripiebant. Ea re comperta, Gregorius papa Guarnerio seu Wernhero Argentinensi, ejus nominis secundo, & Burchardo Basileensi episcopis mandavit, ut illuc se conferrent, &, causa diligenter investigata, huic contentioni finem imponerent secundum Leonis IX. constitutionem, qui hanc advocatiam ei, qui de sua progenie in castro *Engesheim* natu-major esset, assignaverat. Addit pontifex, potiorem videri causam Gerardi, quem ætate superiorem esse intellexerat. Id si ita esset, auctoritate apostolica & sua prædicti episcopi Hugoni interdicerent, ne ulterius ullo modo in illam advocatiam se intruderet, aut bona monasterii quoquo pacto impeteret; alias excommunicatione a se multandus.

LV Monasteria duo in Alsatia condita.

Hoc item anno Theodericus comes Bellicardi monasterium sanctæ Waldeburgis, auctoribus Weiberto, Manico & Adelberto Ordinis nostri monachis, condere cœpit in diœcesi Argentinensi haud procul Hagenavio, idque pro monachis amplissime dotasse memoratur. Primus ejus loci abbas fuit Bertholdus, cui Fridericus dux Sueviæ cum uxore sua Juditha & coherede suo Petro comite, multa prædia ad Forestam-sanctam contulisse traditur apud Guilimannum. Idem comes ad jactum bombardæ a prædicto monasterio aliud virginum cœnobium ædificavit, in quo filiam suam Gunthildem primam instituit abbatissam, cujus sanctitas miraculis illustrata dicitur.

LVI. S. Apro Baini-villa asserta. c *V. supra n.* 8.

Sancti Apri Tullensi monasterio cum præesset Wido abbas, exorta est inter eum & Odelricum militem controversia de portione prædii Baini-villæ, quod idem miles cum matre sua Holdierde cellæ [c] ejusdem loci ad subsidium fratrum inibi Deo servientium contulerat tempore Widrici abbatis, ejusdem Widonis antecessoris. Eidem militi hujus loci mansionile ad vitam concesserat Widricus, ea lege, ut, si heres illi ex legitima uxore proveniret, ei relinqueretur: si vero non esset, ipse quidem illud vitæ suæ tempore ad usumfructum possideret. Postea vero idem miles rem datam denuo invasit, fratresque ejusdem loci cum eorum familia non modicis injuriis affecit. Id cum animadverteret Pibo episcopus, qui visitationis causa ad eamdem cellam diverterat, hanc litem diremit, & donationem factam prædictæ cellæ vindicavit, ut ex ejus authentica charta discimus. *Acta Tulli publice in plenaria synodo*, V. *idus Octobris; anno ab incarnatione Domini* M LXXIIII. *indictione* XIII. a Septembri inchoata, *regnante Heinrico IV. Romanorum rege*, *anno regni ejus* XVIII. *duce Theoderico*. Huic chartæ affixum erat sigillum Pibonis episcopi, & apposita signa cum ejus, tum Hugonis primicerii aliorumqne canonicorum, in his etiam *Hugonis cardinalis sanctæ Romanæ sedis*. Eodem Widone abbate Walterus de Hadonis-villa fratribus sancti Apri donat quidquid in eadem villa possidebat.

LVII. Lis fratrum S. Michaëlis ad Mosam cum episcopo. d *Greg. VII. lib.* 1. *ep.* 81.

Tunc temporis quædam simultas erat inter Theodericum Virdunensem episcopum & monasterium sancti Michaëlis ad Mosam, cui tunc Albertus secundus præerat. Discidii hæc causa erat, quod episcopus [d] exigeret, „ ut illius loci monachi cum litaniis ad majorem seu episcopalem ecclesiam singulis annis omnes simul procederent. „ quod cum illi, utpote insolitum, recusarent, divinum apud eos officium episcopus „ interdixit. Interpellatus hac de re Gregorius papa, litteris episcopum commonuit, ut locum interdicto absolveret, ac nihil nisi canonicum a monachis exigeret. Illo autem non acquiescente, Udoni Trevirensi archiepiscopo mandavit pontifex, ut, Herimanno Mettensi & Popone seu Pibone Tullensi episcopis secum assumtis, Theodericum ad colloquium suum apostolica vice advocet, eique injungat, ut prædicto loco communionem sacrosancti & divini ministerii restituat, dum ejus causa, sive in conventu episcoporum, seu in præsentia Romani pontificis dijudicetur. quod si ne-

glexerit, interdictum ipsimet relaxent, & episcopum ad reddendam suæ pertinaciæ rationem ad sedem apostolicam citent. Veri simile est, Theodericum Udonis monitis acquievisse, suamque libertatem dimisisse monachis, quibus post annos quinque altare Troniaci concessit tempore Seyfridi abbatis, qui Alberto successerat. Prædicta Gregorii epistola scripta est pridie nonas Maii, indictione XII. quæ huic anno respondebat.

LXVIII. Pibo Tullensis falso accusatus.

Non multo post Pibo Tullensis antistes & ipse male audiit apud Gregorium papam, ut intelligimus ex alia ejusdem pontificis epistola, eodem anno scripta [a] ad Udonem Trevirensem archiepiscopum XVII. kal. Novembris, ut cum Herimanno Metensi, convocatis Tullensibus clericis, de moribus Pibonis inquirat, qui simoniæ aliorumque gravium criminum apud se insimulatus fuerat a quodam clerico, cui Pibo quamdam ecclesiam, quam ille sibi debitam esse asserebat, denegaverat. Verum hæc accusatio a malevolo clerico profecta videtur in Pibonem, cujus nonnisi laudabilia facta in actis Tullensium episcoporum leguntur. Hunc vero tanti fecerunt Tullenses, ut, cum post reditum ex Jerosolymitana peregrinatione monachus factus esset in Divionensi sancti Benigni cœnobio, apud Romanum pontificem institerint, ut ad suam ecclesiam reverteretur. Vir de profectu animarum adeo sollicitus, ut *linguam Tullensium*, quam ut pote Teutonicus nesciebat, jam sexagenarius addidicerit.

a *id. lib.* 2. *ep.* 10.

LIX. Willelmus S. Remigii abbatiam abdicat.

In superiori libro [b] egimus de Willelmo sancti Arnulfi abbate, cui Remensem sancti Remigii abbatiam commissam fuisse diximus. Id paullo ante resciverat Gregorius papa, cum litteras scripsit ad Manassem [c] Remensem archiepiscopum, quem laudat, quod tandem *ibi honestum moribus & eruditum litteris hominem* posuisset, scilicet prædictum Willelmum. Hunc sibi admodum placere ait pontifex, seque probaturum, si utramque abbatiam regere possit, quippe qui *vir sapiens & religiosus* esset. si vero pondus utriusque regiminis ferre non possit, Manassem hortatur pontifex, ut ejus consilio & consensu, per electionem congregationis, secundum regulam sancti Benedicti idoneum illic rectorem constituat. Jam vero pontifici significaverat Willelmus, se utrique oneri esse imparem, ut patet tum ex ejus litteris superiore anno relatis, tum ex aliis Gregorii litteris [d] ad Herimannum Mettensem episcopum itidem pridie idus Martii datis, in quibus inter alia scribit pontifex, quod abbas sancti Arnulfi, vir, ut sibi vi« debatur, religiosus, malit sub Herimanni regimine pauper vivere, quam alibi dives « & potens; ac velle renuntiare abbatiæ sancti Remigii, & alia esse contentus. Ad Gregorii litteras rescripsit Manasses [e], aiens Willelmum hominem esse pacificum, humi« lem & quietum, lectioni semper intentum; adeoque Francigenarum, suisque moribus « non convenire: sed tamen se quadam opinionis ejus fragrantia, quam tamen in eo « pax, non virtus pepererat, inductum fuisse, ut ei abbatiam sancti Remigii commen« daret. Has Manassæ litteras risisse dicitur domnus apostolicus, ac Willelmo liberam « reliquisse [f] potestatem abbatiam sancti Remigii vel retinendi, vel relinquendi; ac « Manassæ mandasse, ut nihil citra ejus consilium ac consensum de illa abbatia statueret. Hæc aliaque plura Willelmus in epistola ad ipsum Manassem, in qua uti & in aliis, ejus moderatio desideratur. Etsi enim Manasses ob multa vitia culpandus esset, non tamen ab homine secundi ordinis tam dure & inciviliter tractandus erat tantæ sedis præsul. Tandem vero exasperatus in Willelmum Manasses, baculum pastoralem sibi remitti minacitet jussit, comminatus, se potestatem subjectionis in illum exsecuturum. Ad quod Willelmus abrenuntiare [g] se dicit ejus baculo, abrenuntiare « prælationi, non tamen dilectioni. *Scimus enim*, inquit, *inspirante Domino, & illos* « *amare, quorum animos ad dilectionem non possumus provocare. Quod vero potestatem subjectionis in nos exsecuturum te canonice minitaris: prius ipse debes canonice vivere, ut id canonice prosequaris.* quod effatum cum grano salis intelligendum est. In ejus locum suffectus est in Remigiana præfectura Henricus jam abbas Humolariensis, sed non sine turbis, ut videbimus in libro sequenti.

b *Lib.* 63. *n.* 29.
c *Greg. lib.* 1. *ep.* 52.
d *ibid. ep.* 13.
e *Analect. to.* 1. *p.* 258.
f *ibid. p.* 259.
g *ibid. p.* 253.

LX. S. Caloceri seu Mauri-montis abbatia instaurata.

Exstat in confinio diœcesis Catalaunensis & Virdunensis juxta opidum sanctæ Manechildis [*] abbatia sancti Caloceri, vulgo Mauri-montis dicta, quæ hoc tempore instaurata est, curante in primis Odolrico præposito ecclesiæ Remensis, ut discimus ex litteris prædicti Manassæ archiepiscopi, apud Marlotum [h] vulgatis. quod antequam expono, de illius abbatiæ origine quædam præmittenda sunt. Hæc a quodam comite, Nantero nomine, primitus constructa traditur pro duodecim canonicis in honorem sanctorum martyrum Caloceri & Parthenii, quos Decio & Grato consu-

* *Sainte-Menehould.*
h *Marlot. to.* 2. *p.* 168.

ANN. CHR. 1074.

libus passos fuisse eorum acta testantur, & cum omni possessione ad victum sanctæ Mariæ Remensis canonicorum tradita. Quo tempore vixerit comes ille Nanterus, (sic enim legitur in necrologio, non Nanceius, ut apud Marlotum) non est exploratum. Existimo hunc esse Nantarium illum, cui ut pote amico [a] suo fideli, scribit Hincmarus pro rebus sancti Remigii disponendis in Wormacensi pago. Hæc abbatia injuria temporum & violentia militum vicinorum, qui ejus bona invaserant, ad unius sacerdotis titulum redacta erat, *qui raro accessu*, ut in Manassæ litteris legitur, *reliquiis sanctorum martyrum Calocerii & Parthenii ibi negligenter positis famulabatur*. Id gravate ferentes Odolricus sanctæ Mariæ Remensis ecclesiæ præpositus, & Guido decanus ecclesiæ sancti Stephani Catalaunensis, hunc locum cuidam monacho, Galtero nomine commisere, ut eum procuraret ac relevaret. Egit ille pro virili quod sibi injunctum erat, paucosque illius ecclesiæ servos ac census recollegit. Obstitit miles quidam de vicino castello, dicto Vienna, Drogo nomine, & servos illos novis exactionibus vexare cœpit. Hoc comperto, Odolricus eum citavit coram duce Godefrido, Gozelonis filio, cujus ditioni prædictum Viennense castrum subjacebat. Convictus in præsentia ducis Drogo, de damnis loco illatis satisfecit, seque ejus custodem deinceps fore promisit, *duodecim nummis de legibus* tradens Odolrico, *quos in præsentia illius perforatos* idem Odolricus *secum detulit in testimonium ipsius placiti conservandos*. Ad hæc duci Godefrido, utpote qui res sanctæ Mariæ adjacentes *vicario jure* gerebat, certum censum renovavit in illo placito, cui Rogerius secundus episcopus Catalaunensis interfuit ad vicem Widonis Remensis archiepiscopi, cujus tempore id factum est. Gervasius Widonis successor monasterium illud commisit cuidam monacho, nomine Johanni, quem Manasses ibidem abbatem primum constituit cum monachis, ad quorum usus & victum canonici possessiones illas, quas olim illa ecclesia possederat, contulerunt. Manassæ hac de re charta data est *anno ab incarnatione Domini* M LXXIV. *indictione* XII. *kal. Novembris, in generali synodo Remensi corroborata & confirmata*. Accepti beneficii memores monachi, quotannis certam frumenti pensionem canonicis ecclesiæ beatæ Mariæ Remensis hactenus persolvunt. In necrologio monasterii ad diem nonam Septembris fit commemoratio *Nanteri comitis hujus ecclesiæ fundatoris*, & die xx. Aprilis venerabilis Odolrici ejus reparatoris. Illic prædictus miles Drogo monasticum habitum in extremis expetiit; accitoque abbate, ac duobus filiis suis, Raginero & Gualtero, rursus ob damna illata, dato pignore, ipsi abbati satisfecit; interminans filiis suis, ne ullam sancto loco injuriam inferrent. Verum illi, patris monitis haud obsecuti, monasterium vexare ac diripere non dubitarunt: quod facinus Raginerus non multo post morte sua luit, veniam a Johanne abbate precatus. Gualterus ex fratris interitu nihilo melior factus, ab eodem abbate coram Manasse archiepiscopo, necnon Theoderico Virdunensi & Herimanno Mettensi, multisque nobilibus sistitur: ubi legaliter convictus, se nihil juris in eo loco habere palam confessus est. Primus ejus loci abbas Johannes notatur die secunda Julii in necrologio, in quo multi alii abbates, sed absque nota temporis notati sunt. Bernardus abbas sancti Caloceri anno M C XII. subscriptus invenitur litteris Rodulfi Viridis archiepiscopi apud Marlotum [b] & anno M C XIX. Durannus [c] abbas *Mauri-montis*. Ex quibus intelligitur, promiscue *sancti Caloceri* & *Mauri-montis* dictum fuisse primitus hoc monasterium, quod hactenus persistit sub Benedictina Congregatione sancti Vitoni.

[a] Frodoard. lib. 3. c. 26.

[b] ibid. p. 252.

[c] ibid. p. 239.

LXI. Theodericus abbas Romam adit.

Sub hunc annum Theodericus Andaginensis seu sancti Hucberti abbas Romam cum Herimanno Mettensi episcopo profectus est: ubi, cum vota sua Deo ad limina Apostolorum persolvisset, perhumaniter acceptus est a Gregorio VII. cui jam pridem familiaris erat. Hinc facile privilegium a pontifice obtinuit sub gravi interminatione, ne ullus dux, comes, aut quivis alius quidquam de monasterii possessionibus detraheret. quod privilegium pontifex Remensi vel Trevirensi archiepiscopo, necnon episcopis Laudunensi ac Leodicensi, cujus juris locus erat, cum litteris apostolicis direxit, eos rogans, ut id sua subscriptione corroborarent. Assensere omnes præter Theodewinum Leodicensem episcopum, qui quorumdam malevolorum consiliis impulsus, apostolicas rejecit litteras, repulitque a suo conspectu abbatem, alias sibi pro vitæ merito acceptum, indigne ferens, quod monasterium suæ ditionis apostolico juri mancipasset. Id vero longe ab animo suo fuisse reposuit abbas, qui hoc privilegium ob eam tantum causam a se postulatum dixit, ut monasterii sui possessiones intactas servaret. Plura dicere paranti episcopus silentium indixit, iratusque discessit; abbas

ANN. CHR. 1074.

vero ad monaſterium remeavit. quod ubi reſcivit Gregorius, acriter [a] reprehendit epiſcopum, quem Dictwinum vocat. quæ litteræ datæ ſunt x. kal. Aprilis anni inſequentis. Tandem vero poſt multas tergiverſationes abbas auditus ab epiſcopo in conventu Hoyenſi*, abſolutuſque eſt. Non multo poſt rebus humanis exceſſit Theodewinus epiſcopus, anno ſcilicet M LXXV. cui Henricus ſucceſſit, Theoderici noſtri amicus præcipuus, cujus permiſſu denuo Romam petiit.

a Greg. lib 2. ep. 61.
* Huy.

Hoc etiam tempore contigit obitus Radulfi Vadenſis* comitis ſeu Criſpiacenſis, cujus filius Simon Gregorium papam conſuluit, quid pro patris animæ remedio ageret, quem ſæcularibus rebus dum viveret, nimis implicatum fuiſſe ſciebat, & qui in caſtello Montis-deſiderii*, quod legitimo poſſeſſori vi abſtulerat, humatus erat. Reſpondit pontifex, ejus corpus illinc efferendum, & pro ejus anima miſſarum ſollemnia & eleemoſynarum erogationes fieri oportere. quod Simon poſt tres annos exſecutus eſt. De majoribus Simonis ſuperius [b] egimus.

LXII. Simon Criſpiacenſis de patre mortuo ſollicitus.
* du Valois.
* Mont-didier.
b lib. 51. n. 10.

Parente utroque orbatus Simon, bello impetitur a Philippo rege, qui juvenem auxilii & conſilii expertem, adeoque injuriæ opportunum ratus, ejus hereditatem ſe facili negotio invadere poſſe exiſtimavit. Mox ejus prædia & municipia deprædari, igne & ferro devaſtare cœpit: cui Simon coacta ſuorum manu occurrens vim vi repellere properat, & regis viciſſim ditiones armis laceſſit. Sed tandem tantorum malorum commiſeratione ductus, armis ſepoſitis, Romam pergit, ut pœnitentiam a ſummo pontifice petat & accipiat.

Bellum ejus cum Philippo rege.

Interim Gregorius papa Hugoni Cluniacenſi abbati [c] ſcripſit, aitque ſe mirari, quod « *conſolationem* ejus *viſitationis toties quæſitam*, necdum obtinuiſſet. quod non tam ejus « occupationibus imputat pontifex, quam quod ejus ſanctitas labores fugeret, & gra- « viota negotia, quaſi pigritans, quibuſdam occaſionibus declinaret. Addit pontifex, « ſe diutius ejus abſentiam ferre non poſſe, eumque meminiſſe debere, quot & quanta « negotia in ejus manu, & Giraldi Oſtienſis epiſcopi poſuiſſet, quæ propter ejus ab- « ſentiam peſſum ibant, abſente itidem Giraldo, qui in ſervitio beati Petri ultra mon- « tes ad Germaniæ regem miſſus fuerat. In fine preces pro ſe poſtulat. *Data Romæ* XIV. « *kal. Aprilis, indictione* XII. An tunc Romam profectus ſit Hugo, ejus acta non produnt: at ex Orderico [d] diſcimus, eum poſcenti papæ Odonem monaſterii ſui priorem, cum aliis cœnobitis Romam miſiſſe, quos papa, velut a Deo ſibi miſſos adjutores, gratanter excepit. Ex his Odonem præcipuum ſibi conſiliarium elegit, & Oſtienſis eccleſiæ pontificem conſtituit: alios vero monachos ad varias dignitates promovit. Verum Odonis promotio ad epiſcopatum Oſtienſem facta non eſt ante annum M LXXVIII. ut ſuo loco videbimus. quo forte anno ab Hugone abbate ad pontificem miſſus eſt.

LXIII. Hugo abbas Cluniaci Romam vocatus.
c Greg. lib. 1. ep. 62.
d Orderic. lib. 4. p. 531.
Odo item prior.

Erat Odo ex provincia Remenſi oriundus, quem Albericus in opido Caſtellione ſuper Matronam natum [e], & quidem filium domini *de Lageri*, vici Remenſis fuiſſe dicit. Ordericus civem Remenſem vocat: Guibertus vero *ex territorio & clero Remenſi ortum eſſe*. Odo ipſe, cum jam ſummum pontificatum adeptus eſſet, in diplomate pro cella Baſſionenſi*, qui vicus eſt pagi Sueſſionenſis, hunc locum ſibi ex parentum jure contingere aſſerit. Cheſnius contendit, eum prænobili ſtirpe Caſtellionenſi prodiiſſe. Denique certum eſt eum in eccleſia Remenſi educatum, atque canonicum fuiſſe, immo & archidiaconum, ſi Guidoni apud Albericum credimus. Certe Odonem archidiaconum litteris [f] Widonis archiepiſcopi ſubſcriptum invenio anno M LII. & litteris Gervaſii [g] anno M LXIV. an vero is ſit Odo noſter, hæreo. nam ſi ita eſſet, jam provectæ ætatis fuiſſet, cum promotus eſt ad Romanam ſedem, quem tamen modicæ tunc ætatis fuiſſe conſtat. Ex canonico dein factus eſt Cluniacenſis monachus, quo tempore, quave occaſione, incertum. Cum Hugo abbas Nantoaci inter miſſarum ſollemnia Orii obitum cælitus didicit, *erat ibi Odo, qui fuit prior Cluniacenſis*, inquit Hugo monachus in vita ſancti Hugonis. Jam prioris officium gerebat, cum Hugo miles eccleſiam ſancti Georgii ſub caſtro Vendoparæ cum ipſo ſuburbio exemtam Cluniacenſi monaſterio donavit in manu priorum duorum, ſcilicet *domni Warmundi & domni Odonis*: ſed hujus donationis inſtrumentum caret chronicis notis.

LXIV. Odonis genus & prima facta.
e lib. 65. n. 30.
* de Benſon.
f Marlotto. 2. p. 110. & 111.
g ibid. p. 124.

Tunc temporis Figiacenſes ſeu Fiacenſes monachi a recto diſciplinæ regularis tramite prolapſi, de erratis ſuis corrigendis ſolliciti, Hugonis abbatis emendationi ſe ſubjecere. Principio hanc curam detrectavit Hugo, ſed tandem victus precibus domni Hugonis monachi ſui, cui olim, dum in ſæculo eſſet, Figiacus ſubjacuerat,

LXV. Figiacenſes Cluniaco ſe ſubdunt.

AN. CHR. 1074.

» accedente etiam domni Geraldi cardinalis Romani & episcopi Ostiensis auctoritate,
» atque assensu Begonis prædicti domni Hugonis filii, *tam loci quam patriæ procuratoris*
» *& domini*, necnon domni Geraldi Caturcensis episcopi, sed & comitis Rutenorum
» Raimundi, ejusque fratris Willelmi comitis Tolosani, prædictum locum secundum
» regulam sancti Benedicti reformandum sanctus abbas suscipere constituit. Interim
» moritur Hugo monachus: sed tamen Bego ejus filius, patris voto satisfacere cupiens,
» rem exsequi maturavit, omnesque malas consuetudines, loco impositas, suo, suorum-
» que posterorum nomine refutavit. Actum anno ab incarnatione Domini M LXXIIII.
» indictione XII. sabbato & quidem ipso die festo beati Lucæ. Ex quo intelligitur, Hugonem abbatem, qui illic præsens adfuit, Romæ tunc non fuisse. Hic Figiaco abbatem sub se præposuit Willelmum, qui post biennium subscripsit litteris, quibus Bellilocenses in Lemovicibus se suumque monasterium Cluniaco subjecerunt.

LXVI. Aliæ res Cluniacenses.

Eodem anno ineunte idem Hugo abbas obedientiam quamdam Cluniacensis monasterii, sitam in loco, qui dicitur, Adpontem, quæ ex eleemosyna Berengarii vicecomitis Cluniaco provenerat, instaurandam, sub annuo censu decem solidorum *ad urnam sancti Petri* persolvendo concessit, eo pacto, ut post ejus obitum locus sic instauratus Cluniacensibus cederet, & idem episcopus in ipsa civitate Avenionensi monasterium sancti Agricolæ, aut aliam ecclesiam ipsis concederet. *Facta est autem hæc charta, præcipiente domno Hugone venerabili Cluniensium abbate, simul etiam domno Rostagno episcopo præcipiente & rogante, anno incarnationis dominicæ* M LXXIIII. *indictione* XII. *feria* V. *ante purificationem sanctæ Mariæ, apostolica sedi præsidente domno Gregorio papa VII. regnante Henrico rege Provinciæ, imperante autem domino nostro Jesu-Christo.*

Eodem anno Willelmus Auxiensis episcopus & Raimundus Lecturensis, una cum Oddone vicecomite, ejusque nepote Viviano, donant Cluniaco in manu domni Hugonis abbatis, locum de sancto Genio cum suis appendicibus, ubi olim cœnobium monachorum fuerat, ut deinceps hunc locum possideant Cluniacenses, *quamdiu monastica religio in supra dicto Cluniaco viguerit.* Actum iisdem anno & indictione, *regnante Philippo Francorum rege, imperante autem Domino nostro Jesu-Christo.* Subscribit cum donatoribus Unaldus seu Hunaldus abbas Moisiacensis. Ejusdem abbatis signum appositum est litteris, quibus Rotgerins comes, ejusque uxor Sicardis castrum *Lardad* eidem monasterio conferunt, aliasque res, sitas in comitatu Tolosano, in valle Savartensi. Id vero factum dicitur *hortatu & consilio domni Isarni Tolosani pontificis, die dominica, luna* IV. *in conversione beati Pauli, anno ab incarnatione Domini* M LXXIIII. Post donatores apposita sunt signa Rogerii abbatis, Unaldi abbatis Moisiacensis, & aliorum. Prædictæ chronicæ notæ anno M LXXIV. secundum veterem calculum conveniunt, anno sequenti secundum novum. Isarnus episcopus Tolosanus successerat Duranno seu Durando e nostris, episcopo & abbati Moisiacensi, quem prædictus Unaldus in regimine monasterii excepit.

LXVII. Condomenses abbates.

Tunc Condomense sancti Petri monasterium administrabat Raimnndus abbas, cujus tempore tres fratres in pago Fezentiaco ecclesiam [a] Villæ-novæ ad fluvium Ozam sancto Petro contulerunt, assentiente eorum matre, quæ tunc sanctimonialis facta est. Hanc vero ecclesiam in solitudinem redactam & pæne destructam, instaurarunt Condomenses. Hæc donatio facta est hoc anno M LXXIV. Gaufredo Wasconum duce, Aimerico comite Fezentiaco, & Guillelmo-Bernardo Auscionum archiepiscopo, paullo ante laudato. Hujus loci ab instauratione tertius abbas videtur fuisse prædictus Raimundus, quem Petrus & Verecundus præcesserant. Post annos abhinc duos Gregorius VII.[b] monasterii donationes confirmavit eidem Raimundo, quem subsecutus est Seguinus[c], cujus mentio frequens in chronico Condomensi, in quo res absque ullo ordine referuntur. Seguino successisse videtur Aynerius Sancionis, qui Condomensibus præerat[d] pontificatu Innocentii II. & Raimundi-Bernardi episcopi Aginnensis, qua in diœcesi situm erat Condomum. Garsias abbatiam regebat tempore[e] Alexandri III. Peregrinum[f] sortitus successorem. Montasinus abbas obiit[g] anno M CC XLVII. quo anno Johannes magister Ordinis fratrum Prædicatorum societatem[h] iniit cum Condomensibus Augerius[i] de Andirano ejus successor, mortuus anno M CC. LXXXV. Arnaldus-Odo[k] anno M CCC V. Raimundus de Galardo ultimus abbas, cujus tempore, id est anno M CCC XVII. Condomensis ecclesia facta est episcopalis sedes; idemque Raimundus primus episcopus Condomensis, ut suo loco videbimus.

a Spicil. to. 13. p. 476.
b ibid. p. 444.
c ibid. p. 456.
d ibid. p. 469.
e p. 475.
f p. 494. & seqq.
g p. 502.
h p. 498.
i p. 503.
k p. 504.

LXIII. Anianenses & Gellonenses abbates.

Jam annus fere tertius-decimus erat, ex quo Pontio Anianensi abbati suffectus erat Emmeno, antea Gellonensis monachus, dein prior cellæ sancti Petri de Salve in diœcesi Nemausensi, cum idem Emmeno litteras [a] ad Gregorium VII. scripsit, quibus conqueritur, quod Gellonenses, aliique aliorum locorum monachi, Anianæ olim subjecti, ejus jugum excusserant. In bis ait quamdam cellam, Gellonis nuncupatam, a Ludovico Pio, cum consilio Willelmi comitis ejus conditoris Anianæ traditam ac subjectam fuisse, *quam hactenus antecessores nostri*, inquit, *tenuerunt, donec prævalente simoniaca hæresi, monachi ejusdem cellæ præposuerunt sibi abbates contra jus & monasticum ordinem, quos non solum abbates, sed & pontifices, qui eos confirmarunt, tui antecessores, Nicolaus videlicet & Alexander, in privilegiis ab iisdem nobis traditis, sub anathematis vinculo posuerunt, quousque ordinatio & dispositio possibilitasque jam dicta Gellonensis in manu consistat abbatis Anianensis* Tunc Petrus abbatiam Gellonensem tenebat, electus haud dubie inconsulto abbate Anianensi, uti & subsequentes: sicque Gellonense monasterium sui juris factum est. Petro abbati jam anno MLXXIX. successerat Berengarius, quem Guillelmus eo nomine primus, ineunte sæculo duodecimo excepit. In fine epistolæ Emmeno Anianæ abbas queritur itidem de Casæ-Dei monachis, quod cellam Gordanicam diœcesis Ucetiensis a prædicto comite Willelmo sibi traditam, vi sibi auferrent. Emmenoni Anianæ abbati suffectus Petrus *de Salve*, de quo inferius.

[a] *V. lib.* 62. *n.* 105.

LXIX. Willelmus abbas S. Theotfridi.

Circiter bunc annum Guido [b] Calmiliacensis seu sancti Theotfredi abbas, eo nomine tertius, cum regendo monasterio imparem se sentiret, curam & baculum pastoralem dimisit. Suffectus in ejus locum Willelmus, itidem tertius, qui decani officium in monasterio sanctæ Eugeniæ virginis recte gesserat. Ordinatus est abbas ab Hugone Diensi episcopo, quem anno superiori electum Gregorius VII. Romæ consecravit, & consecratum ad Diensem ecclesiam remisit, scriptis x. kal. Aprilis hujus anni litteris commendatitiis ad [c] Guillelmum Diensem comitem, cui excommunicationem interminatur, ni Diensi ecclesiæ & episcopo jura sua restituat. Ordinatus Willelmus abbas prolapsos mores ejus loci monachorum in primis reformare sollicitus, improbos & indociles e monasterio expulit, bene moratos ad meliora provexit, accitis aliunde probatis regularis vitæ magistris, ut pristinum splendorem, odoremque bonæ opinionis loco restituerent. Hinc factum est, ut multi sæcularium ex clericali & militari ordine istuc confluerent, qui non mediocrem monasterio utilitatem sanctioris vitæ conversatione attulerunt. Ne vero fratres ob indigentiam querendi occasionem baberent, Willelmus omnibus cellis & ecclesiis sancto Theotfredo subjectis indixit annuum censum, ex quo vestes fratribus suppeditarentur, quippe quibus nihil proprium babere licet. Idem complures monasterii possessiones distractas recuperare sategit, novamque ecclesiam loco veteris, quæ ruinæ proxima erat, exstruere aggressus est: sed morte præventus absolvere non potuit. Non deerant qui alio loco ecclesiam fieri censebant, propterea quod vetus basilica ob fluxa fundamenta vix per centum annos subsistere potuerat. At prudentissimus abbas sacra loca majorum conversatione consecrata, non facile deserenda esse ratus, hac de re venerabilem Hugonem Cluniaci abbatem consulendum statuit. Is vero consultus respondit, non decere locum mutari propter antiquam ejus sanctitatem, & multorum ibidem quiescentium corpora fidelium; sed majorem adhibendam curam in jaciendis fulciendisque fundamentis. Neque tam sapienti consilio contentus sanctus abbas, non modicam auri summam ad pium illud opus submisit. Hoc salubri consilio & subsidio munitus Willelmus, peritos ex aliis regionibus conduxit artifices, & solido ac stabili fundamento novam fabricam erigere aggressus est, quam ejus successor absolvit.

[b] *V. lib.* 53. *n.* 71.

[c] *Greg. lib.* 1. *ep.* 69.

LXX. Gregorii VII. variæ epistolæ pro monasteriis.

Complures hoc anno epistolas pro variis monasteriis Gregorius papa scripsit. Una est ad Froterum Nemausensem [d] episcopum, quem graviter arguit, quod monasterium sancti Ægidii, juri beati Petri ab ipso sancto confessore mancipatum, usque adeo affecisset injuriis, ut ejusdem abbatem, a Romano pontifice consecratum, comprebendere ausus esset, spreto rigore canonum, contemtisque privilegiis ab apostolica sede derivatis. quæ res in Romanæ majestatis contumeliam vertat. Addit sibi displicere, quod prædictum cœnobium interdixerit; præcipitque, ut deinceps ejus loci fratres nullo modo perturbet. Data Romæ xi. kal. Aprilis, indictione xii.

[d] *Greg. lib.* 1. *ep.* 68.

Alia ejusdem epistola [e] scripta est ad Isembertum Pictavensem episcopum ob querelas sancti Hilarii canonicorum, qui Nobiliacense sui juris monasterium ab eo de-

[e] *ibid. ep.* 72.

ANN CHR. 1074.

tineri conquerebantur, nec aut rationem habuisse litterarum, quas ea de re Alexander II. ad ipsum scripserat. Data Romæ pridie idus Aprilis.

Pultarienses exacti. a Id. lib. 1. ep. 15.

Tertiam quoque epistolam [a] scripsit idem pontifex ad Humbertum archiepiscopum Lugdunensem pro Pultariensi apud Lingones monasterio, cujus abbas Humbertus, diu Romæ pro sui monasterii necessitatibus commoratus, multas vexationes a clericis Lingonensibus se suosque passos fuisse querebatur. quod archiepiscopo examinandum committit. Data Romæ III. idus Novembris. Neque tantum Lingonenses clerici, sed etiam episcopus ipse Rainardus, cognomento Hugo, Pultariensibus maxime infestum se exhibuit. Eorum quippe immunitatem infringere molitus, dum illos repugnantes experitur, rem vi conficere aggressus est. nam adjunctis sibi Barro-Sequanensium & Tornodorensium copiis, quorum comitatus pro nepotibus suis nondum adultis administrabat, monasterii fores occlusas effringit, obvios quosque cædit, ac demum monasterium ipsum atque opidum incendit. Id factum pontificatu Alexandri II. qui facti indignitate commotus, ecclesiasticis censuris terret præsulem, ni damna quamprimum resarciat. Pœnitenti compassus abbas, injuriæ immemor, pro ipso apud pontificem deprecator accessit, a quo demum facinoris veniam & anathematis relaxationem extorsit. Clericos nihilominus Lingonenses consimilis causa in Pultarienses excitaverat, cum Gregorius prædictam epistolam scripsit. Dum Humbertus abbas Romæ versaretur, in societatem admissus est Sublacensium nostrorum, cum Burchardo priore inscriptus libro Sacramentorum Johannis abbatis Sublacensis, quod modo in Vallicellana bibliotheca servatur.

LXXI. S. Sulpitii & Bellilocі abbates.

Tunc temporis nescio quid litis vertebatur inter Dolensem pagi Bituricensis, & sancti Sulpitii abbatem, de quo Dolenses apud Pontificem querelas deposuerant. Gregorius causam in se recepit Dolensis monasterii, quod juris sancti Petri esse dicit, eamque dijudicandam Rodulfo Turonensi archiepiscopo committit una cum Richardo Bituricensi, ad quem ea de re scribit[b], epistola data XVII. kal. Novembris, uti & sequenti. Tunc sancti Sulpitii monasterium regebat Odo abbas, vir religiosus & in procurandis rebus temporalibus gnavus. cui Evrardus post aliquot annos successit. Dolensibus præerat Guarmundus abbas laudatus in chronico [c] Dolensi, postea factus archiepiscopus Viennensis.

b ibid. ep. 19.

c Labbe bibl. to. 1. p. 316.

Horum æqualis fuit Stephanus Bellilocensis apud Turones abbas, qui discidium quoque habuit cum prædicto Rodulfo Turonensi antistite. cui abbas nullam obedientiam impendere velle dicebatur, isque usuris, aliisque sceleribus implicatus esse, uti discimus ex Gregorii epistola [d] ad abbatem Bellilocensem. Non constat an penitus fides habenda sit Rodulfo archiepiscopo, qui post septem annos exauctoratus, secessit ad Bellilocense monasterium, ubi reliquos vitæ dies exegit, abbatia per id vitæ tempus potitus. Eo mortuo Petrus monasterii regimen accepit, si is est, ut quidem Sirmundo videtur, cujus mentionem facit Goffridus [e] abbas Vindocinensis. Bertrannus abbas præfuit tempore Urbani II. & Paschalis itidem secundi, qui *ob amorem & reverentiam sancti Sepulcri*, cujus titulo Bellilocensis ecclesia insignita erat; facultatem concessit omnes clericos & laïcos Lochenses sepeliendi in ejusdem ecclesiæ cœmeterio; jussitque ut cœmeterium, quod canonici sanctæ Mariæ *contra Romanam auctoritatem* in eodem castro usurpaverant, irritum atque desertum haberetur. Hactenus de Gregorianis hujus anni epistolis pro variis nostri Ordinis monasteriis Gallicanis: de Italicis inferius.

d ibid. ep. 21.

e Goffrid. Vindoc. lib. 3. ep. 1.

LXXII. Gregorii VII. variæ epistolæ pro monasteriis.

Hoc anno gravis contentio excitata inter Dacbertum sancti Sergii & Otbrannum sancti Albini abbates apud Andecavos super curte & ecclesia Campiniaci, aliisque rebus: quæ contentio ex condicto utriusque partis arbitrio abbatum provinciæ Turonicæ & Andecavensis concredita est. Itaque in Salmurensi sancti Florentii monasterio convenere Willelmus sancti Florentii, Bartholomæus Majoris-monasterii, Haimo sancti Nicolai apud Andecavos, Evenus sancti Melanii Redonensis & Gumbertus Millebeccensis abbates cum monachis e suis sapientioribus: qui omnes, auditis utriusque partis rationibus pro sancto Albino sententiam protulere, cui sancti Sergii tunc acquievere monachi. Postea tamen idem litem denuo redintegrarunt, querelis renovatis apud *Hugonem, virum spectandæ virtutis & totius Galliæ primatem*, scilicet Diensem episcopum, ut suo loco videbimus. Sergianorum causa nitebatur concessione Gairardi comitis, qui approbante Carolo Calvo villam Campiniacum abbatiæ S. Sergii & S. Godeberti contulerant.

Interim

ANN. CHR. 1074.

LXXIII. Vindocino illata injuria reparatur.

Interim magnam in Vindocinensi monasterio procellam excitavit Eudo [a] quidam, dictus de Blazune. Is monachis Vindocinensibus rixam movit de ecclesia Caviriaci [*], quam, data opportunitate, assensu Fulconis comitis extorto, invasit. Deplorato itaque comitis auxilio, monachi ad divinum confugere, adeo ut ipsam crucifixi Domini imaginem (sic mos illorum temporum ferebat) in pavimentum deposuerint, ad quam quotidie supplices Deo preces prostrati effundebant. Forte accidit, ut comes Fulco ad prælium cum Willelmo Pictavensi comite subeundum necessitate quadam constrictus esset. qui memor injuriæ Vindocinensibus a se permissæ, voto se obstrinxit, se, si victoriam ipsi Deus concederet, eis ablata restitu curaturum. Itaque, conserto prælio, victor exsistens, sospes ad sua reversus est. Tum accitum Eudonem ad tale pactum adduxit, ut, acceptis decem libris denariorum a monachis, ablatam eis ecclesiam cum damnis illatis restitueret. Sub hac conventione ambo ad Vindocinensem ecclesiam convenerunt. quod *donum simul & auctoramentum Eudo super altare imposuit per unum denarium Andecavinum & unum cultellum, quem ad hoc ipsum donavit quidam homo sanctæ Trinitatis, Garnerius scilicet, qui dicebatur Filius-Mariæ.* Deinde iidem Fulco & Eudo crucem Domini cum magno pœnitentiæ indicio e pavimento erexerunt, &, spectante universo populo, qui frequens ad spectaculum illud confluxerat, in proprium locum restituerunt. Hujus rei instrumentum Eudo fecit in camera comitis. *Actum Andecavis, anno dominicæ incarnationis* MLXXIIII. *indictione* XII. *mense Augusto, præsulante domno Eusebio Andecavorum episcopo, anno pontificatus ipsius* XXVI. *domno quoque Oderico monasterii Vindocinensis tunc temporis dicto abbate.*

a *Besly comes.* p. 457.

* *Chevury.*

LXXIV. Vindocinensium concordia cum Ebroliensibus.

Sub idem tempus Odericus Vindocinensis abbas, causa orationis Romam proficiscens, ad Ebroliense divertit monasterium apud Arvernos, ubi a Willelmo abbate & monachis honorifice acceptus est. Erat inter utrumque monasterium controversia de ecclesia loci, qui Mons-revellis dicitur, quam Vindocinenses, uti Ebroliensesque-rebantur, injuste occupaverant. Hæc causa in multis synodis ventilata fuerat, sed ad id tempus indefinita. Cum itaque Odericus abbas Ebrolium venisset, cum consilio fratrum, qui secum erant, pro ipsa ecclesia villam Ruzacam Ebroliensibus concessit. Hanc commutationem confirmavit Willelmus præpotentissimus & nobilissimus dux Aquitanorum, accepta a Willelmo abbate optima mula, qua ad iter Romanum usus est. Id factum coram Bosone episcopo Santonensi, in cujus diœcesi prædictæ villæ sitæ erant. Hæc ex veteri notitia Ebroliensi, in qua Odericus abbas *Auricus* appellatur, nullis appositis chronicis notis. At id fieri non potuit ante hunc annum, quo defunctus est Goderannus Santonensis episcopus VIII. idus Augusti, idemque sancti Maxentii abbas: cui in episcopatu successit Boso mox laudatus, & Drogo in abbatia. Drogo vero, relicta non multo post abbatia, Cluniacum secessit, ubi bona morte obiisse traditur. Hæc ex chronico Malliacensi. Benedictus sancti Maxentii jam abbas erat [b] anno MLXXVI.

S. Maxentii abbates.

b *Besly comes.* p. 463.

LXXV. Donadeus abbas Lemovicensis & successores.

Apud Lemovicas in monasterio sancti Martini, post mortem Berengarii secundi abbatis, electus fuit Donadeus monachus Tutelensis, qui pœnitentiarius Lemovicensis fuisse dicitur, vir bonus & justus, & miracula quædam in vita sua fecisse. Tempore bellorum Anglicanorum ossa Hildoini primi abbatis & ipsius Donadei a quodam monacho e tumulis extracta & asportata sunt, sed facta pace in locum suum reportata, quæ Bernardus abbas honorifice sepeliri curavit, solidis decem ad anniversarium Hildoini assignatis. Itaque honor ambobus, ut viris piis habitus est, sed non cultus. Berengarius Donadei antecessor in dissensione obiisse dicitur in itinere, ut & Jordanus Donadei successor, mortuus extra monasterium, quorum anniversaria non fiunt. Quintus abbas fuit Geraldus, monachus itidem Tutelensis, cujus tempore tantam penuriam patiebantur fratres, ut ille per diœcesim pro eis victum quæreret. Sextus abbas fuit Ragenaldus ex Agedunensi monasterio: septimus Guillelmus ab anno MCXXXIV. cui Petrus successit, antea Saligniaci prior, de quo alias.

LXXVI. Jarento fit Casæ-Dei monachus.

Hoc ipso anno Jarento [c] monasticum habitum induit in cœnobio Casæ-Dei prima die Novembris, futurus abbas sancti Benigni Divionensis. Hic ortus fuit in territorio Viennensi, parentibus Arnaldo & Agnete genere claris, educatus & litteris eruditus apud Cluniacum sub sancto Hugone abbate. Ubi adolevit, in sæculum ingressus, acceptæ gratiæ ingratus, levitati animum adjecit, & canonicæ professioni militarem vitam prætulit, quietis impatiens, impiger laboris, ita sæculo deditus, ut ejus postea conversio pro miraculo habita sit. Ubi voluptati satisfecit, cœpit aliquando tædere

c *Labbe* to. I. p. 197.

ANN. CHR. 1074.

quod libuerat. Sed rursus inter ipsa conversionis primordia reverberatus animo, ad solitas ineptias relapsus est. at vicit tandem hominem metus mortis & gehennæ; & Christi munitus auxilio, omnia sprevit ac deseruit, & ad Casam-Dei se recepit, ubi tunc temporis nullæ divitiæ, nulla gloria; sola habitantibus inopia sufficiebat. Illic vasta erat eremus, ut pote quæ ante annos viginti, quam sanctus Rotbertus illam incoluisset, hominibus inaccessa erat. Ad hunc ergo locum, cui post obitum sancti illius patris Durannus seu Durandus abbas præerat, discipuli morigeri & bene morati animum ac formam protinus induit: sed mox compulsus est aliorum fieri magister, & prioris officium subire jussu abbatis, totiusque congregationis, quod per triennium exercuit, promotus interim ad ecclesiasticos gradus ab Hugone episcopo Diensi, tandemque factus sancti Benigni abbas, ubi multa laudabiliter gessit.

LXXVII. S. Germani & S. Columbæ abbates.

Apud Autissiodorum Galterus abbas anno decimo præfecturæ obiit XII. kalendas Novembris, cui Rotlannus ad undecim annos suffectus. Hujus tempore incensa civitas, & multa ecclesiæ sancti Germani ornamenta amissa fuere. Hunc excepit Guibertus abbas, genere quam moribus nobilior, ut postea videbimus.

Apud Senonas in monasterio sanctæ Columbæ Wilenco ante biennium successerat Arnulfus abbas, ex stirpe comitum Campaniæ oriundus, idemque abbas Latiniacensis, qui corpus sancti Theobaldi Vicentini eremitæ, fratris quondam sui, ex Italia in Galliam transtulit. Hujus rogatu Philippus rex omnes malas consuetudines, quas regii ministri in villa Sarmasia exigere solebant, monasterio sanctæ Columbæ relaxavit, diplomate dato Parisius anno M LXXIV. cui regii ministri, scilicet Fredericus dapifer, Hervæus magister pincernarum, Hugo camerarius & Adelerius constabularius subscripti sunt, & post eos Theobaldus & Burchardus comites, aliique. Willelmus cancellarius litteras legit ac subscripsit.

LXXVIII. S. Adalhardi corpus refertur in Flandriam.

Ante biennium Balduino Flandriæ comiti, Insulani filio, successerat Rotbertus frater, qui mox cum Philippo Francorum rege consanguineo suo discidium habuit. Rotberti mater Adela, Rotberti regis filia, quæ cum Balduino Insulano nupsit, Corbeiam in dotem a patre acceperat. quod gravate ferens Philippus, rupti fœderis occasione usus, hoc opidum in ditionem suam revocavit. Ea re offensus Rotbertus, Corbeiensis monasterii possessiones, quæ illis ex sancti Adalhardi patrimonio in Flandria provenerant, clarigationis jure occupavit. Injuriam conquesti Fulco abbas & fratres Corbeienses, cum nihil eorum preces neque apud regem, neque apud comitem proficerent, sancti Adalhardi corpus in illas partes deferre constituunt, ut ejus præsentia flexus comes res occupatas sancto Petro restitueret. Et primo quidem sacer loculus defertur ad villam Curbam *, ubi juris sancti Petri habebatur ecclesia: tum ad opidum pagi Tornacensis, Schelmas * vocatum, quod comes tum obsidione cinxerat. Is procerum, qui ei adhærebant, consilio, etsi repugnans, obviam sacro corpori processit, &, sacro loculo in manus accepto, sublevantibus ejus aulicis, in proximam illud ecclesiam deportavit: ubi Corbeiensibus omnia ablata restituit. Sed mox aliud illis successit incommodum perquam molestum. Nam cum hi Corbeiam reversuri ad opidum Insulam declinassent; Adela comitissa, Rotberti mater, quæ illic tunc aderat, retinendi sacri corporis opportunitatem se habere gavisa, Corbeiensibus dixit, se animo constituisse, ut sanctum Adalhardum, consanguinitate sibi propinquum, apud se retineret, eique vel novam construeret ecclesiam, vel ejus corpus ad Blandiniense transferret cœnobium, ubi præ aliis sanctis, quorum illic reliquiæ inibi habentur, honor ei exhiberetur. Proinde se vetare, ne ejus corpus moveretur ab ecclesia S. Stephani, ubi depositum erat. Turbatis tam insperato jussu monachis, & quid agerent anxiis, hoc demum eis consilium insedit, ut unus ex ipsis intempestæ noctis silentio sacras ex argentea theca reliquias subtraheret, easque Corbeiam clam reportaret. Id negotii commissum Everardo monacho, qui illud dextre omnino exsecutus est. quod ubi comitissa intellexit, ceteros monachos cum loculo argenteo abire permisit.

* Corbehan.
* Seclin.

LXXIX. Fontanellensium lis finita

Per id tempus grandis rixa erat inter nostros Fontanellenses & Willelmum Ebroicensem comitem super silvis Caldebecci & Gotvillæ, in quibus comes denegabat monachis quædam jura, quæ ex dono & munificentia Richardi Normannorum comitis acceperant. Jamque eo res devenerat, ut *campi pugna* seu duello dirimenda esset, cum Willelmus rex Anglorum, duxque Normannorum, veritus ne causa ecclesiæ humani sanguinis effusione finiretur, hanc litem composuit, & mona-

chis sua jura in illis silvis asseruit. *Actum castro Julio-bona* [a], *anno ab incarnatione Domini* M LXXIV. *indictione* XII. *residente in sede Romana papa Gregorio anno* II. *qui erat gloriosi Anglorum Willelmi annus adepti regni* VIII. *Girberti abbatis in abbatia* XII. Subscripta sunt post Willelmum regem signa Rotberti & Willelmi filiorum ejus, Willelmi Ebroicensis comitis, Eudonis dapiferi, Goiffredi filii Eudonis, Rogeri de *Montgomery*, & Rogeri *de Belmont*, filii Hunfridi de Vetulis, de quo nunc agendum.

a *Neustria pia p.* 168. *& seq.*

LXXX. Hunfridus de Vetulis obit.

Hunfridus de Vetulis, Pratellensis monasterii instaurator, hoc anno decessit in pervigilio sancti Michaëlis, IV. kalendas Octobris, Ansfredo primo loci abbate, cum paullo ante sanctæ religionis habitum induisset, ut in chronico Fontanellensi [b] legitur. Humatus fuit primo in navi ecclesiæ, dein ad latus evangelii in chorum translatus, ac demum in medium chori, ubi hactenus ejus cineres asservantur. Ejus effigiem tumulo impositam hic repræsentari curarunt nostri Pratellenses, ipsius beneficiorum memores.

b *Spicil. to.* 3. *p.* 267.



Hunfridus de Vetulis fund. Pratell.

Successit in patris honores Rogerus de Bello-monte, ejus filius natu-major, & post Rotberti fratris mortem ex asse heres, jam superius laudatus: qui unus [c] ex præcipuis Willelmi regis optimatibus fuit, postmodum factus Brionæ comes. Is Adelinam, Waleranni Mellenti comitis filiam, in matrimonium duxit, ex qua duos filios habuit, Melletensis comitatus heredes: ac demum patris pietatem ac munificentiam imitatus erga Pratellenses, monachus factus est in extremis, ut suo loco videbimus. Porro Alberadam, Hunfridi conjugem, ejusdemque Rogeri parentem, quam Arturus [d] anno M XLIV. obiisse putat, marito suo supervixisse colligitur ex quadam charta parthenonis Pratellensis [e], (nam duo illic monasteria erant) in qua donationes recensentur eidem parthenoni factæ post mortem Hunfridi, ex quibus Rogerus & mater ejus Alberada contulisse dicuntur duos mansos terræ in Corbello monte de

c *Orderic. lib.* 4. *p.* 686.

d *Neustria pia p.* 526.

e *ibid. p.* 522.

AN. CHR. 1074.

» terra Turcbetilli sui avunculi : qui Turchetillus sancto Leodegario, ejusdem parthe- » nonis patrono quædam donasse memoratur pro anima uxoris suæ Durandæ, quæ in » eodem parthenone monacha facta fuerat, & sepulta, uti & Alberada ejusdem cœnobii fundatrix, cujus obitus XII. kal. Octobris notatur.

LXXXI. S. Catharinæ abbates.

Hoc etiam anno vel insequenti decessit Rainerius, montis sanctæ Catharinæ prope Rotomagum abbas secundus, Isemberti successor, cum annos quatuor & viginti monasterium rexisset, ut in ejus epitaphio legitur, in qno *sicut simplex eremita* vixisse dicitur, & in capitulo sepultus. In ejus locum subrogatus Galterus, abbas ordine tertius Caleto oriundus, assumtus ex Fontanellensi sancti Wandregisili monasterio, ubi cantoris officio functus fuerat. Hic multa virtute & prudentia præditus fuisse dicitur, & majorem ecclesiam fere integram exstruxisse & ornasse, & quadraginta vel amplius annos monasterio præfuisse. De eo intelligendus Anselmus in epistola [a] ad Walchelmum episcopum Wintoniensem, de Stephano ejusdem cœnobii monacho scribens. Hunc sibi a Rainero abbate absolute concessum dicebat episcopus, negabat Galterus, qui illum repetebat, asserens episcopi precibus ea lege concessum, *ut quandocumque ab ipso, aut post ipsum a priore sui monasterii revocaretur, absque excusatione rediret.* Walchelmus iste ex Cadomensi monacbo creatus fuerat episcopus Wintonensis.

a *Anselm. lib. 2. ep. 30.*

LXXXII. Cantuariensis ecclesiæ reformatio.

In Anglia Cantuariensis ecclesia Salvatoris igne ita combusta fuit, ut parietes ceciderint, nec aliud quidquam ex monasterii officinis, præter dormitorium & refectorium, reliquum fuerit, teste Osberno in vita sancti Dunstani. Verum horum omninm ruina in melius commutata, agente venerabili viro Lanfranco archiepiscopo, *omnium, qui nostra*, inquit Osbernus, *ætate in terra fuerunt, sanctissimo simul & sapientissimo.* Is, cum fundamenta novæ coloniæ ponenda essent, id absque translatione corporis sancti Dunstani fieri non posse advertit. Indicto itaque jejunio, sancti antistitis theca, intacto corpore, e tumulo sublata & in præparatum locum delata est. Tunc illius ecclesiæ decanus [b] erat Henricus, & quidem ultimus, e Beccensi monasterio accitus, qui, jussu Lanfranci illam ecclesiam reformare volentis, decani titulum in prioris nomen commutavit. Restituta magnificentius ecclesia, eam Lanfrancus centum-quinquaginta monachis replevit, ac prioris regimini subjecit, rejectis canonicis, qui ab aliquot annis permisti monachis erant. Ita per annos circiter CCL. decani locum rexere post abbates, qui primitus illic [c] sub archiepiscopo instituti fuerant. De Henrico priore mentio frequens in Anselmi epistolis, qui ei anno MCVII. Ernulfum subrogavit, non multo post ad abbatiam Burgensem promotum. Idem Lanfrancus in Cantuariensi ecclesia instituit archidiaconum [d], cujus magna erat auctoritas.

b *Anglia sac. to. 1. p. 135.*

c *V. lib. 10. n. 14.*

d *ibid. p. 798.*

Hujus reformationis causa Lanfrancus librum decretorum sen rituum monasticorum ex variis monasticis institutis composuit, eumque Cantuariensis ecclesiæ *dilectissimis fratribus suis Henrico priori & ceteris* inscripsit. In præfatione recte monet, eosdem ritus in universis monasteriis observari nec posse nec decere ; ea vero sola, sine quibus salus æterna comparari nequit, id est fidem, caritatem, contemtum mundi, castitatem, bumilitatem, obedientiam, erratorum pœnirudinem, inviolata servari oportere. Longum esset recensere ritus illos a Lanfranco selectos. Tantum observo, monachos omnes in triduo ante paseba, adeoque ipso paschatis die, sacra communione refectos fuisse ; pauperes vero, quibus in cœna Domini pedes abluebantur, *de oblatis non consecratis* communicatos fuisse. Novitios denique, facta professione, tribus diebus *communionem corporis & sanguinis Christi* percepisse, ac silentium tenuisse, capite involuto caputio, quod tertia die ad pacem missæ eis detrahebatur. Porro novitio illi professo, etiamsi sacerdos fuisset, intra primum conversionis suæ annum missam celebrare non licebat, nisi probatæ fuisset castitatis in sæculo, & abbas ei speciatim permisisset. Cetera passim cum ritibus Cluniacensis monasterii conveniunt.

LXXXIII. Northumbriæ monasteria restituta.

Jam ducenti & octo anni erant, ex quo Dani ecclesias & monasteria in provincia Northanimbrorum ferro & flamma devastaverant : cum Aldwino priori monasterii Wincelcumbensis e provincia Merciorum, probatissima vita moribusque monacho, cælitus inspiratum est consilium, ut ad instaurandam illis in partibus monasticam disciplinam se conferret, quas multis sanctorum monacborum choris olim inhabitatas fuisse didicerat. Eo animo profectus ad Eoveshamense monasterium, duos in sui propositi societatem adjunxit monachos, quorum alter Elfwius, tum diaconus,

postea presbyter; alter Reinfridus vocabatur, ignarus litterarum. Abbatis venia impetrata, pedibus iter illud aggrediuntur tres illi monachi, unum tantum secum ducentes asellum, quo ad libros necessarios, & sacerdotales vestes deferendas utebantur. Profecti primo ad locum, qui *Muncaceastre*, id est civitas-monachorum appellabatur, recentioribus Novum-castellum, positum ad ripam Tini fluminis, illic aliquamdiu constitere, permittente Hugone Eboracensi vicecomite, ad quem locus pertinebat. Id ubi rescivit Walcherus Dunelmensis episcopus religiosissimus, in cujus parochia locus ille situs erat, eos ad incolendam sui juris locum, Girvum vocabulo, invitavit, ubi olim Benedictus, cognomento Biscopus, monasterium in honorem sancti Pauli apostoli exstruxerat, quod, stantibus adhuc parietibus, vix aliquod priscæ nobilitatis signum retinebat. Illuc adducti servi Dei, culmen e lignis informibus & feno parietibus superponunt, ac divina ibidem officia celebrare cœperunt; factaque sub ipsis parietibus parva casa in suos usus, fidelium eleemosynis pauperem vitam sustentabant, magnam rerum omnium penuriam tolerantes, qui in monasteriis ante suis rebus omnibus affluebant. Horum exemplo multi provocati, pauci ex Northumbrensibus, ex australibus Anglis plures, eis se adjungi postularunt, & monasticum ab eis habitum acceperunt, religiosæ conversationis magistrum habentes Aldwinum. Tanto profectu Walcherus præsul summopere lætatus, quod exstinctam illis in partibus monasticæ conversationis lucernam reviviscere suo tempore videret, omnem eis pastoralem sollicitudinem & opem impendit.

ANN CHR. 1074.

Rebus illic recte constitutis, Aldwinus, relicto inibi Elfwio, viro multæ innocentiæ & compunctionis, ad alia loca informanda perrexit. Streaneshalam secessit Reinfridus, qui locus Witebi alio nomine postea dictus est; ibique monachorum habitationem constituit, qui post ejus obitum ad Eboracense sanctæ Mariæ cœnobium commigrarunt. Aldwinus vero, Girvo egressus, Dunelmum adiit, comitante Turgoto, necdum monacho; amboque ad Malbrosense quondam monasterium, tunc autem vastam solitudinem, progressi, secreta loci habitatione delectati, Christo ibidem servire cœperunt. Verum Malcolmi Scottorum regis, ad quem locus pertinebat, injuriis divexati; Walcheri insuper episcopi interminatione excommunicationis, ni redirent, compulsi, ad eum reversi sunt. Ille statim locum Wiramutham incolendum eis concessit, olim monasterio insignitum, tunc vero in solitudinem redactum: ubi, casis factis ex virgultis, non paucos ad suam societatem attraxerunt. Illic Aldwinus Turgoto monasticum tribuit habitum, & ad ferendum Christi jugum verbo & exemplo animavit. Walchero magnopere placuit piorum virorum conversatio, quos ille sæpius ad colloquium evocabat, & consiliis suis adhibebat, futurus aliquando & ipse monachus, ni funesta cædes effectum prævertisset. Hi autem veterem sancti Petri ecclesiam, cujus soli parietes semiruti stabant, succisis vepribus & spinis, quæ ejus aream occupaverant, expurgare, &, culmine imposito, divinis officiis celebrandis habilem reddere maturarunt. Hic locus ad ostium Wiri fluminis positus, unde vocabulum accepit, a venerabili Beda celebratus, ejusque secessu illustratus fuit.

Turgoti Dunelmensis varia fortuna.

Hæc omnia litteris mandavit Turgotus ipse sub finem libri tertii de historia Dunelmensi, quæ Simeoni Dunelmensi perperam adscripta est. Idem argumentum retractavit idem Simeon in libro de gestis regum Anglorum, in quo ipsius Turgoti variam fortunam descripsit. Turgotus apud Anglos non infimo genere ortus, unus fuit inter alios, qui Willelmo Conquestori, subjugata Anglia, obsides dati sunt. Is, custodibus pecunia emollitis, in Norwegiam ægre trajecit, deprehensus a Willelmi regis legatis eo missis. Vix illuc advenerat, cum ad notitiam venit Olavi regis, qui sacros codices tractare, & pios viros familiares habere amabat, eoque magistro ad discendos psalmos usus est. Rebus prospere fluentibus intepescere cœpit Turgoti pietas, qui post aliquot annos in patriam cum multa pecunia remigrare constituit. ast valida tempestate jactatus, rebus omnibus amissis, Dunelmum ad Walcherum se recepit: a quo benigne acceptus, vitæ monasticæ propositum, quod animo agitabat, ei aperuit. Id vero pergratissimum fuit episcopo, qui illum Aldwino mox laudato commendavit, futuro post eum Dunelmensi priori, ac demum ecclesiæ sancti Andreæ in Scotia episcopo, ut inferius videbimus.

LXXXIV. S. Theobaldi translatio Vangadiciam. a V. lib. 62. n. 113.

Ad res Italicas quod attinet, cum S. Theobaldi eremitæ corpus Vicentiæ [a] aliquamdiu quievisset, Petrus Vangadiciæ abbas, qui illud suo monasterio vi ablatum graviter ferebat, voti demum sui compos factus est. Id contigit hoc anno, agente Odone,

ANN. CHR. 1074.

viri Dei olim ministro, qui prope ecclesiam, ubi sanctus Theobaldus sepultus erat, hospitatus, effosso intra tres hebdomadas & quatuor dies pariete, corpus sacrum subripuit, illudque intempestæ noctis silentio Vangadiciam detulit, comitante Petro abbate, qui hac de re Veronæ in cella sua sancti Salvatoris cælitus admonitus fuerat. *Ambo itaque pervenerunt cum sanctissimo corpore ad monasterium venerabile, quod est situm juxta flumen Adesis, ubi dicitur Vangadicia.* quod satis patet divinitus esse patratum, ait anonymus auctor, ut illic corpus ejus quiesceret, unde cælestis vitæ doctrinam a patre monasterii acceperat. Superstes erat ad id tempus sancti Theobaldi mater, quæ in proxima cellula inclusa manebat. Multa Vangadiciæ miracula patrata leguntur, in his quidam energumenus liberatus dicitur præsente Azone marchione, illorum locorum domino: cui visum est, uti & Petro abbati, ut sacrum corpus in annum pietati fidelium expositum remaneret. Istius translationis fama pervenit ad aures Arnulfi abbatis Latiniacensis & sanctæ Columbæ, ejusdem sancti Theobaldi fratris, qui Vangadiciam profectus, partem sanctarum reliquiarum ab Azone marchione obtinuit, & in Franciam asportavit, ut postea dicturi sumus.

LXXXV. Placentina & Perusina monasteria.

Inter varia Placentinæ urbis monasteria unum erat sancti Sabini seu Savini, cujus ecclesiam, cum ex Pannonica rabie conflagrasset, Everardus episcopus ineunte sæculo decimo instauraverat, collocatis ibidem monachis sub Grimalco primo abbate. Processu temporis abbatiam ejus loci *interventu pecuniæ* adeptus est Rigizo. quo comperto, Dionysius episcopus eum misit ad Gregorium VII. ut quid facto esset opus decerneret. Investigata causa, convictus Rigizo abbatiam refutavit in manus pontificis: qui tamen monasterium ei procurandum commisit, dum legitimus abbas electus fuisset. Hæc nos docent ipsius Gregorii litteræ [a], tum ad Dionysium episcopum, tum ad monachos sancti Savini, quos hortatur ad faciendam electionem abbatis secundum regulam sancti Benedicti, *posthabita consanguinitatis & amicitiæ gratia*; & ad fundendas preces pro statu ecclesiæ. Ex prioribus ad Dionysium litteris intelligitur, inter ipsum & abbatem sancti Sepulcri, plebemve Placentinam motam fuisse controversiam, cui componendæ episcopum operam dare præcipit. Idem Dionysius hoc sancti Sepulcri monasterium excitaverat [b] anno M LVI. idemque in sanctum Savinum munificus fuerat, concessa quadam decima Alberico ejus loci abbati; ast anno sequenti depositus, ob id maxime quod Cadaloi antipapæ fautor esset. Porro sancti Savini abbatia nunc unita est collegio Anglorum urbis Romæ: at sancti Sepulcri monasterium Olivetanis concessum a Sixto IV.

a Greg. VII. lib. 2. ep. 27.

b V. lib. 60. n. 90.

Perusiæ tunc exstabat cœnobium sancti Salvatoris, cui præerat Sigebaldus abbas, cujus suasu Gregorius papa quemdam Albericum monasterio sancti Anastasii a duobus episcopis amotum, restituerat. at, cum eum multis criminibus infamatum rescivisset pontifex, graves ad Sigebaldum litteras [c] scripsit, jussitque, ut vel Albericus abbatiam dimitteret, & alteri injuste ejecto restitueret: aut ambo Romam convenirent, causæ suæ rationem reddituri. Hactenus exsistit Salvatoris monasterium Perusinum: at sancti Anastasii monasterium nobis ignotum.

c ibid. ep. 17.

ANN. CHR. 1075.

LXXXVI. Clusini ab episcopo Taurinensi vexati.

SUb finem hujus anni Gregorius litteris [d] ad Cunipertum Taurinensem episcopum scriptis, eum arguit, quod sancti Michaëlis monasterio, Clusino scilicet, molestiam inferat, eumque citat ad futuram synodum cum illius loci abbate; mandans interim, ut ne ullum ei incommodum crearet, ejusve abbati, scilicet Benedicto, de quo superius egimus [e]. Id pollicitus est episcopus, at minime promissis stetit. nam vix Taurinum reversus erat, cum abbatem & monachos vexare instituit. qua de re admonitus Gregorius, graviter eum increpuit, litteris ad ipsum datis v. idus Aprilis, indictione decima-tertia, quæ sequenti anno M LXXV. respondet. In hac epistola scribit pontifex, clamorem fratrum sancti Michaëlis ad se pervenisse, quod contra quam ille promiserat, multo asperior atque crudelior in venerabilem illum locum, quam antea, esse diceretur, ita ut pacem, quam servis Dei provideri par esset, ille nec pati posset, nec vellet. Non ideo episcopis concessam esse pastoralis regiminis potestatem, ut monasteria quæ in suis parochiis consistunt, pro libito opprimant, & studium religionis, indebite potestatem suam exercendo comminuant. Ob ejusmodi infestationes episcoporum religiosa monasteria juri eorum subtracta fuisse, & sedi apostolicæ tributa. Caveret episcopus, ne de sancti Michaëlis monasterio, quod iniquis vexationibus opprimebat, idem facere pontifex cogeretur. Interim eum ad proxi-

d Greg. VII. lib. 2. ep. 33.

e lib. 62. n. 118.

ANN. CHR. 1075

mam synodum citat, jubetque, ut monachos illius loci ab interdicto absolvat: sin minus eos absolutos declarat pontifex. Nihilominus persecutio in eos perseveravit, non modo per Cunipertum, sed etiam per ejus successorem, fautores Heinrici Germaniæ regis, qui hoc anno victoria de Saxonibus relata ferocior, secessionem a pontifice moliri cœpit.

Eporedienses contra beneficiis affecti.

Longe favorabiliorem se exhibuit Ogerius Eporediensis in sancti Stephani suburbanum monasterium, quod ab Heinrico ipsius antecessore conditum superius [a] diximus. Is enim pro remedio beatæ [b] memoriæ domni Heinrici imperatoris, proque exaltatione, vitæque productione invictissimi regis item Heinrici tunc superstitis, & pro anima bonæ memoriæ domni Heinrici episcopi prædecessoris sui, qui monasterium sancti Stephani in suburbio civitatis situm devote fundaverat, construxerat, pluribusque beneficiis dotaverat; tres eidem loco parochiales illius urbis ecclesias cum palatio ejusque adjunctis concedit, rogatu venerabilis Taurini abbatis, cui, ejusque successoribus donat duos canonicatus ex duodecim presbyterorum, ita ut tam ipse, quam sui successores sint in ordine canonicorum; insuper duas casas in suburbio Eporediensi prope monasterium Castanetum. *Datum Iporedia anno* M LXXV.

a *lib.* 58. *num.* 37.
b *Bibl. Sebus.* p. 241.

LXXXVII. Beneventanæ synodi decretum pro S. Sophiæ monasterio.

Hoc ipso anno apud Beneventum synodus habita est, cui Milo archiepiscopus præfuit *primo anno præsulatus sui*, ut ipse litteris suis testatur, in illa synodo editis pro Beneventano sanctæ Sophiæ monasterio, cui tunc Madelmus abbas præerat. In eadem synodo, cui provinciales episcopi cum abbatibus & nobilibus Beneventanis interfuere, definita est controversia super duabus ecclesiis, videlicet sanctæ Mariæ in Alcino, & sancti Benedicti apud Beneventum, de quibus Campo Draconariæ episcopus adversus sanctæ Sophiæ monachos disceptabat. Auditis utrimque partibus, cum Madelmus abbas judicium protulisset Udalrici Milonis antecessoris, qui pro Amico sanctæ Sophiæ abbate in Leonem, tunc Draconariæ episcopum, sententiam jam protulerat; Campo sententiæ acquievit; sicque controversia secundum sanctæ Sophiæ monachos definita fuit. Id factum dicitur *anno dominicæ incarnationis* M LXXV. *domino Gregorio VII. summo pontifice Romano, secundo anno pontificatus sui*; & quidem *primo anno præsulatus* Milonis archiepiscopi, qui hanc synodum cum provincialibus, ut jam dixi, episcopis, abbatibus & nobilibus Beneventanis in basilica sanctæ Deigenitricis Mariæ habuit. Synodicis hac de re litteris, quæ apud Ughellum [c] & Labbeum [d] ex chronico sanctæ Sophiæ referuntur, subscribunt cum Milone undecim episcopi, Leopaldus abbas sancti Salvatoris de Telesia, & Albericus abbas, forte Albertus abbas sancti Modesti, qui cum Laurentio Neapolitano & Savino abbate sancti Lupi prædictæ synodo interfuere.

c *Ital. sac.* to. 8. p. 135.
d *Labbe conc.* to. 10. p. 1813.

LXXXVIII. Benedicti abbatis sollicitudo.

Inter ea Benedictus abbas sedulam regendo monasterio navabat operam, necnon visitandis ejus cellis, adeoque fratribus in eis residentibus, de quibus magna illi cura erat. In his discursibus non paucos deferebat libros, qui *ad pastum animæ* sibi comitibusque suis possent sufficere, nullum diem elabi sinens, quin per aliquot horas lectioni vacaret. Si autem obstaret sæcularium tumultus, qualis in diversoriis passim accidere solet; hic in locum remotum secedebat, ut absque strepitu huic exercitio vacaret. Ubi ad cellas ventum erat, fratrum mores & actus serio examinabat, curabatque, ut plures, quam bini, ternive in eis habitarent, eos admonens, ut ad princeps monasterium, vel ad cellas, in quibus major esset regularis disciplina, frequenter recurrerent. Denique eos obtestabatur, ut simoniam detestarentur, nec pro decimis vel ecclesiis, ut quorumdam tunc mos erat, vel unius oboli pretium darent. Si quando ejus absentia prolixior esset, vix eam ferebant monasterii sui fratres, multo minus pauperes: qui omnes ad ejus reditum obviam effusi, in plausus ac jubilos erumpebant. Benedictum abbatem Gregorius VII. pacis [e] conciliatorem cum episcopo Astensi adhibuit, reformandæ inter Cunipertum Taurinensem præsulem & abbatem Clusinum, de quibus paullo ante egimus.

e *Greg. VII. lib.* 6. *ep.* 6.

LXXXIX. Abbates a papa legati.

Ineunte hoc anno M LXXV. Gepizonem abbatem sancti Bonifacii, & Maurum sancti Sabæ in Urbe legatos suos instituit ad diversa negotia variis in locis peragenda, litteris datis tum ad universos [f] fideles, ut eos congruo honore excipiant, eisque obedientiam præstent: tum ad Feretranos & Eugubinos [g], ut idoneum eis pastorem eligerent. quæ litteræ datæ sunt Romæ IV. nonas Januarii, indictione decima-tertia, qua hic annus præditus erat. Prædictus Gepizo abbas postmodum Cæsenaris ecclesiæ præsul esse meruit. Ex eo tempore pontifex in magnas conjectus est angustias, tum ob

f *Greg VII. lib.* 2. *ep.* 40. & 41.
g *Ital. sac.* to. 2. p. 459.

ANN. CHR. 1075.

contumaciam & seditionem clericorum simoniacorum & incontinentium, qui ejus pro reformatione leges subire detrectabant; tum ob secessionem Heinrici Germaniæ regis, qui subactis Saxonibus ferocior, a pontifice deficere cœpit, seque facinorosis clericis adjunxit. In ejusmodi angustiis Gregorius ad venerabilem Hugonem [a] Cluniacensem abbatem scripsit, lugens miserrimum ecclesiæ statum suamque sorteni, quippe qui inter Romanos, Longobardos & Nortmannos, Judæis quodam modo pejores, habitaret. Sed illud in primis dolendum, quod orientalis ecclesia deficeret a catholica fide; in occidentali vix *legales episcopi* invenirentur, & inter sæculares principes nulli, qui Dei honorem suo, & justitiam lucro præponerent. Ob has aliasque causas pontifex ab Hugone preces postular, petitque, ut fideles omnes ad comprimendam impiorum sævitiam adhortetur. Hæc epistola data est Romæ XI. kalendas Februarii, in qua ait, se in ea urbe coactum *jam a viginti annis* inhabitasse. Ibidem habita in quadragesima synodus, in qua simoniaci & incontinentes clerici rursus damnati, & in his Herimannus Babenbergensis episcopus ob simoniam episcopatu privatus. quod quibus incentoribus factum sit, non abs re erit hoc loco ex Lamberto exponere.

[a] Greg. VII. lib. 2. ep. 49.

XC. Herimannus abbas Bambergæ episcopus fit monachus.

Herimannus episcopus ecclesiam in honorem sancti Jacobi extra muros Babenbergæ propriis impensis exstruxerat, ibique clericos viginti-quinque, scientia & moribus haud obscuros congregaverat, suppeditatis affarim omnibus, quæ eis ad victum & vestitum necessaria erant. Non multo post facti eum pœnituit. nam, mortuo novæ illius ecclesiæ præposito, clericos inde expulit, nullo eorum crimine offensus; ipsumque locum cum suis appendicibus Egberto abbati suburbani sancti Michaëlis monasterii tradidit, ut illic congregationem institueret monachorum, quorum vitam clericali præferebat. Id graviter admodum tulere expulsi clerici, stipe ecclesiastica se sine causa destitutos causati: quibus adjuncti majoris ecclesiæ canonici, id in sui ordinis injuriam factum conquerebantur. Junctis itaque precibus episcopum adorti, eum obtestantur, ne clericos, congruo stipendio privatos, reique familiaris expertes, probro & ostentui sæcularibus fieri sineret; paucas esse in suo episcopatu clericorum congregationes, quibus ipsi magis opus esset quam monachis; ecclesiam recens exstructam, in mediis huc illucque discursantium turbis positam, monachis parum idoneam esse. *Si Deo familiarius adhæreant monachi, tamquam honestior & sublimior portio corporis Christi; non idcirco clericos, tamquam membra putrida, penitus abscindendos ab ecclesia. quia licet stellæ ab stellis differant in claritate, unam tamen cæli faciem decentissime distinguant sua varietate; &, licet membra dispaia sint, & suis singula functa officiis, concordi tamen, licet dispari famulatu necessitatem expleant unius ejusdemque corporis.* His nequaquam a sententia dimotus episcopus, respondit, honorem, quem deferret monachis, nullum clericis detrimentum afferre; sui juris & arbitrii esse ecclesiam suis exstructam impensis, quibus vellet, tribuete. Tum clerici rei familiaris inopia & rei indignitate exasperati, Romam se conferunt: ubi exposita pontifici suæ exactionis historia, episcopum jamdudum infamatum, simoniæ reum denuntiant. quibus auditis, pontifex eum diris affecit, propterea quod de gravissimis criminibus jam pridem accusatus, & Romam citatus non comparuisset; suamque clericis ecclesiam restitui præcepit. Ita exauctoratus episcopus, amici sui Sigefridi Moguntini archipræsulis opem imploravit. cujus patrociniu excommunicationis absolutionem ea tantum lege obtinuit, ut monasterium ingrederetur, ubi a sæculi actibus feriatus, ecclesiæ malo ac pernicioso exemplo offensæ faceret satis. Suffecto a rege in ejus locum Rodberto, nequaquam meliore, cum nulla restitutionis spes superesset, in monasterium Suarzam seu Swarzacum diœcesis Herbipolensis secessit, ibique sub Eggeberto seu Egberto abbate sanctæ conversarionis habitum induit. Mox cum eo Romam profectus, factorum pœnitens, a pontifice absolutus, sacerdotalis ministerii facultatem, excepto pontificali, recepit.

XCI. Widerado abbati Fuldensi succedit Ruthardus.

Expeditioni Saxonicæ, quam rex Heinricus magno apparatu hoc anno suscepit, adesse compulsus est Wideradus Fuldensis abbas, tametsi jam per biennium ita paralysi affectus erat, ut nisi baculo aut ministrorum humeris innixus, nusquam progredi posset. At, cum ad locum, ubi coadunandus erat exercitus, ferventissima æstate vehiculo sedens pervenisset; strepitu circumfusæ multitudinis fatigatus, & nube concitati pulveris suffocatus, pæne spiritum exhalaverar. Relatus itaque in monasterium, a stupore quidem mentis paullulum respiravit, sed nullum ulterius verbum

proferre

ANN. CHR. 1075.

proferre potuit; sicque per sex hebdomadas gravissima corporis molestia decoctus, XVII. kalendas Augusti rebus humanis exemtus est. Vir plane ferventis in Deum fidei, teste Lamberto, suis tamen omnibus admodum invisus, propterea quod ejus tempore Fuldense monasterium multis calamitatibus vehementer attritum fuisset. Ubi ad eligendum successorem ventum est, grandis concertatio inter monachos & abbates, qui eo convenerant, exorta est, aliis aureos montes, aliis beneficia, si eligerentur, promittentibus, ita ut eos a cupiditate sua, non pudor nominis Christiani, non arctioris propositi sanctitas, non ipsum denique recens deterreret exemplum Babenbergensis episcopi, quem ob similem causam episcopatu & communione privatum novissime viderant. Horum impudentiam rex, ut par erat, detestatus, monachum quemdam Hersfeldensem, Ruthardum nomine, Lamberto Ruzelinum, qui pro causa monasterii jussu abbatis sui ad curiam venerat, nihil tale cogitantem advocat, eique baculum pastoralem tradens, eum abbatem renuntiat, ceterosque ut ejus electioni assentiantur persuadet, reluctante uno Ruzelino, qui nunc imperitiam suam, nunc malam valetudinem, nunc abbatis sui absentiam obtendens, vix tandem ut consentiret adduci potuit. Is utiliter præfuisse dicitur, & monasteria beatæ Mariæ & sancti Michaëlis instaurasse, monasterii reformator habitus. Non leve ejus pietatis argumentum est, quod Halberstatensem episcopatum recusavit.

XCII. Laureshami abbates.

Eodem anno decessit Udalricus Laureshamensis abbas, præfecturæ anno vicesimo, idemque Murbacensis abbas, dignus laude, dignus memoria, inquit chronographus Laurishamensis, quippe qui lupo veniente non fugit, non oves dimisit, sed murum se pro domo Israël opposuit. Cum omnes præpositum ejusdem loci substituendum censerent, quem regi ob officia & merita gratum fore putabant, rex tamen alium queimdam ejusdem cœnobii monachum Adalbertum nomine, prætulit, eumque repente injecta manu (nam cum aliis ad curiam venerat) in medium protrahit, & rei novitate præ aliis attonito baculum pastoralem tradit. Verum regimine vix biennio functus, incertum qua de causa, deponitur, eique alter, non meliori auspicio substituitur.

XCIII. Anno archiepiscopus Coloniensis obit.

Annum hunc, multis cladibus insignem, in primis lugubrem fecit obitus Annonis archiepiscopi Coloniensis. Hic, post superius descriptam Coloniensium nefariam conspirationem, ex illa urbe levandi animi causa egressus, Saleveldam adiit, ut nascentis monasterii spiritualibus exercitiis recrearetur. Inde Hersfeldiam profectus, ubi festum purificationis beatæ Mariæ celebravit; dein Sigebergum, illic male habere cœpit, instantisque mortis visione perterritus est. Ibidem singulis diebus ac noctibus singula frequentans altaria, prostratus ad singula, ecclesiæ statum, suamque ipsius animam Deo commendabat. Et quidem septuagesimæ dies, partemque quadragesimæ ibidem peregit. Eodem reversus ad celebrandam pentecosten, maximo mœrore affectus est ob mortem potissimum Hermanni Sigebergensis prioris, regularis vitæ observantissimi, unice ipsi cari, tantæque apud ipsum auctoritatis, ut, quidquid ille præciperet, haud secus ac divinum oraculum acciperet Anno, & incunctanter exsequeretur. quem defunctum, *sumtis sacramentis*, id est celebrato missæ sacrificio, stans post feretrum, funebri oratione laudavit.

Hermannus item prior Sigebergensis.

Post hæc, instante festo sancti Michaëlis, denuo reversus ad suos Sigebergenses, sepulturæ suæ locum extra chorum designavit. Percontanti uni e suis, cur non in sacratiori templi loco humari vellet; respondit, ideo se nolle, ne ille, ejusque similes ad ejus sepulcrum orandi causa venturi, fratribus divina persolventibus officia molestiam exhiberent; atque ut pauperculis feminis accessus illuc pateret. Denique Coloniam reversus, tanto podagræ dolore affectus est, ut tandem ad extrema redactus sit. Toto illo tempore ei aderant quidam fratres Sigebergenses, interdum Erpho abbas, tum etiam Reginhardus prior, cui regularis disciplinæ observationem, quippe quem abbati successurum prævidebat, efficacibus verbis commendavit, obtestans, ne montem illum desereret, magnorum illi periculorum materiam subtractum iri, *si peccandi licentiam, quæ religionem omnem evertit, in fratribus regulari severitate coerceret.* Tum primarios cleri & urbis viros accersivit, eosque, sumta ad collum stola, sub pœna excommunicationis adjuravit, ut corpus suum in Sigebergensi monasterio sepeliri sinerent. Quarta ante obitum hebdomada, Erphonem Sigebergensem abbatem, aliosque monasteriorum patres & fratres non minus duodecim sibi assidere jussit, omnemque vitæ suæ cursum perlustrare, confessione publica

ANN. CHR. 1075.

ſe reum proclamans; eiſque ſtolam paſtoralem reſignare voluit, ea ſe indignum confeſſus. At Erpho abbas, eam ut reciperet, ex obedientia injunxit. Creſcentibus doloribus ad matrem eccleſiam ſe deferri præcepit, ubi, ſacris reliquiis impenſo cultu, ſacris myſteriis interfuit, omneſque, quos quacumque ex cauſa ligaſſet, abſolvit, dato mandato, ut debita creditoribus ſuis accurate perſolverentur, & certa pecuniæ ſumma pauperibus erogaretur. Inde domum relatus, tandem poſt diuturnum morbum, ſancta Maria ceteriſque ſanctis invocatis, hoc anno, epiſcopatus ſui viceſimoprimo, ex hujus ſæculi tenebris ad ipſum lucis fontem feliciter emigravit pridie nonas Decembris, illuceſcente feria ſexta. Nullum lapidem non moverunt Colonienſes, ut ſacrum ejus corpus in ſua urbe humaretur: ſed tandem, agente in primis comite Gerlaco, tranſlatum eſt ad Sigebergenſe monaſterium, ubi prout ille vivens mandaverat, condigno honore ſepultus eſt.

Poſt beati viri obitum abbas Sigebergenſis veritus ne fratribus, tam liberali patrono deſtitutis, deeſſent res neceſſariæ, eis alimenta parcius adminiſtrare cœpit. qua de re a viro ſancto in ſomnis increpitus traditur, pollicente, ſe loco etiam poſt mortem non defuturum. Certe tot miracula ad ejus ſepulcrum facta ſunt, totque oblata donaria, ut, cum vix illic antea quadraginta eſſent monachi, brevi ad ſeptuaginta vel octoginta accreverint. Paullo fuſius egimus de morte ſancti Annonis, quod præclara ejus in Ordinem noſtrum merita poſtulare videbantur, utpote qui tria monaſteria ex ſuo ære fundavit, aliiſque multa beneficia præſtitit. Librum de ejus vita ſcripſit anonymus monachus Sigebergenſis, auctor gravis, juſſu Reginhardi ſecundi abbatis, qui Erphoni ſucceſſerat. Multa ex eodem libro retulit Lambertus Scafnaburgenſis, qui ait, ſanctum Annonem in medio eccleſiæ Sigebergenſis ſepultum fuiſſe.

XCIV. Willelmus Hirſaugiæ abbas Romam adit.

a V. lib. 63. num. 102.

Cum Willelmus Hirſaugiæ abbas ab Heinrico rege libertatis [a] diploma obtinuiſſet, apoſtolicam quoque ſedem adire ſtatuit, ut privilegium cœnobio ſuo *ſecundum ſcita canonum* a Gregorio papa compararet. Illic a pontifice benigne acceptus, id quod petebat impetravit, ſcilicet *privilegium apoſtolica auctoritate plenum*, cujus exemplum *in ſcrinio ſancti Petri* repoſitum eſt. Utrumque privilegium, regium ac pontificium, ſed mendoſum, retulit Trithemius in chronico Hirſaugienſi. Romæ aliquamdiu demoratus Willelmus, in graviſſimam infirmitatem incidit, horribili ventris inflatione ita oppreſſus, ut a medicis ejus ſalus deſperaretur. Deplorato humano remedio, ad divinum confugit, ſeque ad altare beatæ Mariæ duci præcepit; tantaque fide preces ſuas animavit, ut ſubito contra ſpem omnem ope Dei genitricis convaluerit, ſalvuſque & incolumis ad ſua reverſus ſit. Exorto per id tempus ſchiſmate, ſedi apoſtolicæ conſtanter adhæſit, multoſque ad unitatem eccleſiæ retinendam ſervandamque adduxit, ut inferius videbimus.

Augienſis rixa.

b Greg. lib. 2. ep. 60.

Eodem tempore ſimultas erat inter Ottonem Conſtantienſem epiſcopum & Eccardum Augiæ abbatem. Ab utroque interpellatus Gregorius, ſcriptis [b] ad Ottonem litteris mandavit, ut communes utrimque amicos & ſapientes viros ſeligerent, quorum conſilio lis eorum dirimeretur. quod ſi non ſuccederet, ambo ad apoſtolorum limina convenirent, pontificis hac de re judicium ſubituri. Interim concordiam ſervarent, temeritatis pœnas daturi, ſi apoſtolicæ auctoritati reverentiam non exhiberent.

XCV. S. Vitoni &c. jura advocatorum temperata.

Virdunenſi ſancti Vitoni monaſterio præerat Grimoldus abbas, cujus tempore dux Godefridus, cognomento Gibboſus, litem compoſuit de juribus advocatorum, qui exactiones indebitas majori eccleſiæ, ac monaſteriis imponebant. Hac de re graves querelas ad ducem retulere cathedralis eccleſiæ canonici, abbates quoque monaſteriorum ſancti Vitoni, ſancti Pauli, & ſancti Mauricii ſeu Bellilocenſis, ac præpoſitus abbatiæ ſancti Germani ſeu Montis-falconis, necnon abbatiſſa ſancti Mauri. Horum gravaminibus auditis, dux Godefridus, Virduni in palatio reſidens diebus pentecoſtes, uxoris ſuæ Beatricis hortatu, aſſenſu quoque comitis Manaſſis, aliorumque nobilium, advocatorum & ſubadvocatorum jura temperavit, prout antea, vivente Gozelone patre ſuo, & Richardo epiſcopo definita fuerant. Subſcribunt poſt Manaſſem comitem alioſque nobiles Grimoldus abbas ſancti Vitoni, Folcradus ſancti Pauli, Richardus ſancti Mauricii abbates, & Giberga abbatiſſa ſancti Mauri. Hoc inſtrumentum caret chronicis notis, at vix poteſt differri in annum ſequentem, quo dux Godefridus cæſus eſt, ut legitur in libro de vita ſancti Annonis archiepiſcopi Colonienſis, qui morti proximus ducis necem prædixit. Grimoldus ſancti Vitoni abbas

superstes fuit ad triennium; adeoque error est in vulgato chronico Hugonis Flaviniacensis, in quo ejus obitus notatur hoc anno. Folcradus seu Fulcradus abbas sancti Pauli in necrologio sancti Agerici laudatur kalendis Januarii. Catalogus abbatissarum sancti Mauri parthenonis apud Virdunum exstat in tomo v.[a] chronici Yepesii versionis gallicæ.

[a] chron. Yepes. tom. 5. p. 539.

XCVI. Ivo abbas S Dionysii simoniæ incusatus

In percelebri sancti Dionysii apud Parisios monasterio post mortem Rainerii abbatis, quæ xv. kalendas Februarii accidit, jam ante aliquot annos in ejus locum successerat Guillelmus, hactenus, etiam Boscio & Dubleto domestico auctori ignotus. Hunc tamen Dionysiano monasterio tunc temporis præfuisse fidem facit concordia [b] anno M LXXI. inita inter eum, sancti Dionysii abbatem, & Johannem Rotomagi archiepiscopum, qui nonnulla altaria pagi Velocassium certis conditionibus monasterio sancti Dionysii dimisit. Post hunc Guillelmum electus est Ivo, contradicentibus æmulis nonnullis, qui eum simoniæ apud Gregorium papam insimularunt. Extant hac de re Gregorii epistolæ duæ [c], una ad ipsum Ivonem, altera ad monachos Dionysianos. In priori Ivoni præcipit, ut coram legatis suis, si tum in Galliis adsint, ipse se sistat, eisque causam diligenter exponat, & eorum judicio pareat. alias, Romam accedat ante festivitatem sancti Andreæ, de objectis responsurus. Interim gregem suum sollicite curet. Eadem fere monachis pontifex scribit, quos ad concordiam & obedientiam hortatur, dum abbas de simonia coram legatis suis, vel coram se purgatus sit. Hæ litteræ datæ sunt Romæ VIII. kal. Aprilis. Biennio post nondum omnino cessaverant hæ turbæ, ut ex aliis Gregorii litteris [d] intelligitur. Purgatum fuisse Ivonem ex eo intelligitur, quod monasterii præfecturam retinuit, haud tamen absque æmulis, usque ad obitum, ut suo loco videbimus. Ejus tempore Willelmus rex Anglorum senior turrim in Dionysiana basilica, non satis firmis fundamentis, ex suis construi fecit. Ea ruente, nihil tamen detrimenti passa est basilica, quam Ivo abbas meritis beatæ Mariæ incolumem servatam fuisse testatus est, auctore Guiberto abbate sub finem libri III. de vita sua.

[b] Felib. Hist. S. Dionys. lib. 3. n. 9.
[c] Greg. VII. lib. 2. ep. 64. & 65.
[d] id. lib. 4. ep. 22.

XCVII. Galterii abbatis zelus & austeritas.

Per id tempus Galterius Pontisarensis abbas Romam profectus erat, ut a pontifice muneris sui vacationem obtineret. Verum secus accidit quam speraverat. nam ejus virtute & prudentia comperta, pontifex non modo eum non absolvit [e], sed contra ne monasterii regimen dimitteret, sub anathemate interdixit. Roma itaque reversus vir Dei deinceps evadendi occasionem non quæsivit, nec monachis tantum suis, sed extraneis etiam, & quibuslibet potestatibus, immo ipsi etiam regi consulere studuit. Unde aliquando ad Philippi regis colloquium profectus, eum libere arguit, quod ecclesiasticas dignitates sub pretio conferret, ex quo id mali oriretur, ut episcopi, quibus sacros honores vendiderat, ipsi sacros ordines & manuum impositionem aliis venderent; adeoque rex omnium illorum malorum caput esset. Eodem zelo animatus vir Dei in concilio Parisiis congregato Gregorii pontificis decreta constanter asseruit, restititque episcopis, qui ea intoleranda esse causabantur, eisque parendum non esse censebant. qua constantia exasperati episcopi, virum Dei, multis contumeliis affectum, e concilio expulisse dicuntur, & in custodiam extrusisse: unde a quibusdam magnatibus, quibus ejus sanctitas perspecta erat, ereptus est, & in monasterium suum restitutus. Illic de cetero durissimum vitæ genus sibi vir sanctus imposuit, in quamdam cellulam monasterio proximam secedere solitus, ubi sævis verberum cruciatibus atque cilicio continuo corpus suum divexabat, vilissimis passim cibis contentus & aqua pura, quam loco vini in poculo suo per fidum ministrum clanculum apponi curabat.

[e] supra n. 22.

Cæcilia regia puella, monacha.

Hoc ipso anno, indictione XIII. Orderico [f] testante, Willelmus Conquæstor Fiscamni sanctum pascha celebravit, filiamque primogenitam, Cæciliam nomine, per manus Johannis archiepiscopi Deo consecrandam obtulit. Jam tamen oblatam fuisse Cadomi, ipso die dedicationis ecclesiæ parthenonis Cadomensis, testantur litteræ Willelmi [g] ducis & Mathildis, seu Notitia de dedicatione, fundatione & dotatione monasterii; cui instrumento potior videtur habenda fides, quam Orderico. Cæcilia summa cum diligentia in parthenone Cadomensi educata & erudita, in virginitatis proposito sanctæ Regulæ addicta permansit sub venerabili Mathilde prima abbatissa, cui post annos quadraginta septem regiminis defunctæ in abbatiali munere ad quatuordecim annos successit. Inde rex Willelmus Dolum castrum in Britannia obsedit; sed obsidionem solvere a Philippo rege coactus est, ut inferius videbimus.

[f] Orderic. lib. 1. p. 548.
[g] V. lib. 62. n. 91.

ANN. CHR. 1075.

Non possum præterire hoc loco versus, quibus Cæciliæ suum in religionem secessum & castum cum Christo connubium gratulatur Baldricus Burguliensis, inscriptos *Cæciliæ regis Anglorum filiæ*. Sic autem habent.

Regia virgo vale, vale, inquam, regia virgo,
Virgo Romuleis tunc anteferenda puellis.
Virgo virginibus nunc anteferenda coævis:
Quam pater augustus æquavit regibus Anglis,
Quam species forma cum virginitatis amore,
Et morum probitas ingenti laude venustat:
Quam satis exornat sua sollicitudo legendi:
Quam patre nobilior sponsus sibi gratificavit.
Ergo placere tuo, virgo, contende marito.
Nam neque nupsisti quasi cuilibet e grege sponso,
Sed magis egregio, cujus te forma perennet:
Quod tibi, quæ multa est, librorum lingua loquetur:
Ecce tibi, virgo, si quid tamen ipse valebo,
Offero me pro posse meo, vel si places ultra.
Audivi quamdam te detinuisse sororem,
Cujus fama meas aliquando perculit aures.
Nomen it elapsum, vidisse tamen reminiscor.
Bajocensis erat, sed tunc erat Andegavensis.
Quam, tibi si placeat, nostra de parte saluta,
Atque mihi nomen rescribe, tuumque suumque.

Tres præter Cæciliam rex Willelmus filias habuit, si rotulo Cadomensi jam citato fides, Adelam seu Adilidem, quæ Stephano Blesensi comiti nupta, eo mortuo Marciniaci sanctimonialis facta est; alteram, Mathildem an Constantiam [a], Alfonso Galliciæ regi desponsam, quæ precibus a Deo postulasse dicitur, quod obtinuit, ut salva & integra virginitate moreretur. De alterutra sine dubio intelligendi sunt illi versus, quam Cæcilia secum in monasterium traxerat, ubi & præmature obierit.

a *V. Appendic.*

XCVIII. Simon comes bello & nuptiis renuntiat.

Interim Philippus rex Simonem Crispiacensem comitem bello lacessere non desistebat, fiebantque utrimque ingentes regionum vastationes. Harum commiseratione tactus [b] Simon armis abstinere, & ad sanctorum Apostolorum limina pœnitentiæ causa proficisci statuit. Ubi Gregorio rem exposuit, non ante admissus est ad pœnitentiam, quam arma deponeret. quo facto, pontifex ei pœnitentiam indixit, cujus partem in se suscepit, partem duobus aliis religiosissimis peragendam assignavit. Dein eumdem, armis restitutis, ad propria remisit, terramque suam gubernandam, donec cum rege pacem reformaret, iterum commisit, ipsumque Hugoni Diensi episcopo ac legato, atque Hugoni abbati Cluniacensi commendavit. Haud scio quorsum spectabat hæc pœnitentia. nam reversus ad sua Simon, denuo bellum cum Philippo redintegrat, nec ante destitit, quam parta victoria regem ad conditiones pacis adduxit. Facto itaque nobilium conventu, pax sancitur, & res Simoni ablatæ restituuntur, in his Vitriacum oppidum agri Catalaunensis. unde ad hunc annum, teste Alberico, scriptum erat in annalibus, *redditio Vitriaci*. Pace igitur restituta, Simoni uxor offertur, filia Hildeberti Marchiæ comitis apud Arvernos. Data fide & accepta, sponsalia celebrantur. Verum mutuæ continentiæ votum sponsæ suggerit Simon: cui illa statim acquiescit, & sanctimonialis habitum quantocius induere statuit. Nec mora, nocte insequente ad monasterium Casæ-Dei, duobus viris sibi propinquis comitata, clam pergit, ibique monastico habitu induitur cum duobus sociis, quorum alter postmodum Bituricensis archiepiscopus esse meruit: alter usque ad finem vitæ humiliter in monasterio perstitit; Simonis vero sponsa in habitu sanctimonialis usque ad obitum perseveravit, sed nomen ejus & loci ignoratur; forte in parthenone sancti Andreæ de Cumis, de quo superius [c] actum est. Primus ex ejus comitibus dictus est Aldebertus de Monte-Maurilionis*, ex monacho Casæ-Dei factus abbas Dolensis, ac demum archiepiscopus Bituricensis: cujus frater Garnerius, deposito militiæ cingulo, in monasterio Casæ-Dei vestem monasticam induit. His nuptiis extricatus Simon, parum abfuit quin aliis paullo post cum filia Willelmi Anglorum regis im-

b *V. supra n. 63.*

Casæ Dei viri illustres.

c *lib. 63. n. 19.*

* *Montmorillon.*

ANN. CHR. 1071.

plicaretur : ſed tandem iiſdem expeditus, monaſterii portum & ipſe ſubiit.

XCIX. Gervinus Centulæ abbas obit.

Jam quartus erat aoous, ex quo Gervinus Centulenſis abbas ob lepræ morbum Gervioo nepoti regimen ceſſerat, cum ille diutino morbo demum confectus eſt. Immineote obitu peccata fratribus confeſſus, eccleſiaſtica nihilominus officia coram ſe recitari curabat. Interrogatus, ubi ſe humari vellet, id fratrum reliquit arbitrio : at, urgentibus illis ut locum indicaret: Scio, inquit, vos mihi non obtemperaturos : « ſed tamen magnum mihi ſceleſto, ſi id faceretis, proveniret remedium. nimirum uno « pede meo ad reſtim alligato, trahite me per plateas, & projicite in ſterquilinium, « quippe non meliori dignum ſepultura. Ad hæc verba obſtupuere fratres in lacrymas « effuſi ; quibus ille injunxit, ut inſtante ipſius obitu, ſe in ſancti Richarii baſilicam deferrent. Illic ſtrato cilicio ante ſancti-Johannis-Baptiſtæ altare depoſitus, dum litaniis finitis, preces cootiouarent fratres, ad hæc verba, *Suſcipiat te Chriſtus*, ad Chriſtum ejus anima evolavit v. nonas Martii, feria tertia ſecundæ hebdomadæ quadrageſimalis. Is ante altare beatæ Mariæ in crypta orientali ſepultus eſt, pro ſancto ſtatim apud Centulenſes habitus, ut probat index ſollemnitatum *ad Centulam proprie pertinentium*, ſcriptus tempore Hariulfi, in quo fit ejus meotio v. nonas Martii. Ejuſdem epitaphium compoſuit idem Hariulfus, retulitque in chronico ſuo, io quo *proprii corporis martyrizator, regula virtutum, & corpore virgineo* a puero fuiſſe dicitur. Centulenſem bibliothecam triginta ſex voluminibus auxit, quæ ſubtrahi ſub anathemate vetuit. Idem corpus ſaocti Agilberti ſuo tempore invenit, incerto ad id tempus loco a Ribbodone abbate ob metum paganorum occultatum ; ejuſque diem obitus didicit ex codice apud Gorziam reperto, in quo quædam geſta Centulenſium abbarum contioebantur.

C. Gervinus ejus nepos ac ſucceſſor.

Si quid carpendum in Gervini vita, illud eſt io primis, quod Gervinum alterum, ipſius ex ſorore nepotem, ſibi in abbatem ſubſtitui curaverit. Fuit quidem ille facundus lingua, ſed moribus looge diſſimilis ; vanitati & oblectamentis totus addictus, niſi monaſterii ſeniorum monitis & hortamentis tantiſper repreſſus fuiſſet. Ejus tamen tempore Centulæ admiſſi ſunt viri quidam inſignes, in his Hariulfus chronographus, & Anſcherus, futurus ejus ſucceſſor præ Cæſario ipſius nepote, ac ſancti Remigii, ut Gervinus ipſe, monacho, cui abbatiam cedere cogitabat. Id unum laudabile feciſſe dicitur, quod baſilicam Salvatoris, quæ ex lapſu turris ſubruta fuerat, inſtaurare cœpit, Centulenſibus expeoſas certatim conferentibus, ne corpus ſancti Richarii de more ad ſobſidia conquerenda longius efferretur. Erant tum Centulæ multi mooachi pietare inſignes, qui degeneres abbatis mores redarguere non verebantur : quorum objurgatiooes cum ille impatienter ferret, quoſdam ſibi magis adverſos e monaſterio expulit. Eorum nomina Hariulfus notavit in chronico, quæ cum deſint in editis, hic ſubjicere lubet. *Expulſorum, quos recolo, a ſecundo Gervino nomina ſunt hæc. Walterus, cognomine Ambroſius ; Walterus, cognomento Samuel ; Walterus, Germanus, Teudoldus, Wido, Bernardus, Willelmus, Herluinus, Hildemarus.* Idem Gervinus epiſcopatum Ambianenſem per ambitum adeptus eſt, retenta abbatia, quam Urbanus II. in concilio Claromontenſi ei merito abrogavit, cum vanas ſpes emendationis, Rainaldo archiepiſcopo Remenſi, aliiſque nobilibus viris datas ſæpius fefelliſſet. Sed tandem reſipiſcens, abdicato epiſcopatu, ad Majus-monaſterium ſe recepit. Hæc fuſius apud Hariulfum, qui longe optatius fore dixit, bona & laudabilia de Gervino ſecundo referre : ſed ea idcirco ab ſe relata, ut ſucceſſores ejus noverint, malos rectores æterno improperio ſubjacere.

CI. Moliſmi cœnobium condit Rotbertus. a V. lib. 62. n. 55.

Poſtea quam Colaneoſibus [a] eremitis aliquamdiu præfuiſſet Rotbertus, antea Celleoſis abbas, inde cum aliquot fratribus ſeceſſit ad qooddam nemus, cui Moliſmus vocabulum erat. Poſitus eſt hic locus in finibns Lingonum, Montem-Barrum ioter & Muſciacum. Hic ſubſtitere viri religioſi : ubi proprio manuum labore ex arborum ramis ſibi caſas conſtruxere cum oratorio, quod beatiſſimæ virgini Deiparæ noncupatum eſt. Illic duriſſimam vitam inſtituêre piiſſimi athletæ, leguminibus ad victum contenti, quæ ipſi ſibi excoluerant, & paraveraot. Hæc origo percelebris Moliſmenſis cœnobii, quod in declivi colle ad dextram Lagnis * fluvioli ſitum, in opidum tandem accrevit, meliori gaudens cœlo, quam ſolo. Prima loci Moliſmi donatio facta legitur ab Hugone de Marleoniaco, ejuſque ſororibus ac propioquis, qui quidquid alodii apud Moliſmum habebant, totum beatæ Mariæ & fratribus ibidem Deo

* *Leigne*.

ANN. CHR. 1075.

fervituris contulere, excepta parte decimationum, quas a proxima Polliacensi ecclesia percipiebant; quarum decimationum partem Rainaldus de Molismo, aliique » prædictis fratribus cessere. Hæc litteræ datæ sunt Philippo regnante, Rotberto Bur- » gundiæ duce, & Rainardo Lingonensium episcopo, sed absque distincto anno, nulla Rotberti facta diserta mentione. Quod attinet ad Polliacum,* cujus ecclesia hic memoratur, villa erat Molismo proxima, nunc excisa, quam Milo de Monte-Barro, laudante & assentiente Rainardo fratre suo, ecclesiæ Molismensi donavit. Annum conditi monasterii exprimit hoc distichum.

* *Pouilly.*

Anno milleno quinto cum septuageno,
Sub patre Roberto crevit domus hæc in aperto.

In tanta vero rerum omnium inopia principio Molismenses Deo serviebant, ut, cum ad eos forte aliquando divertisset episcopus Trecensis, nihil habuerint, quod ei apponerent. cui penuriæ pius præsul postea succurrit, directa ad eos quadriga, panibus & pannis onerata. quod exemplum alii quoque subinde imitati, etiam ex remotis locis necessaria servis Dei submittebant. Omnibus autem præcelluit Rainardus, alio nomine Hugo Lingonum præsul, a Guilenco ejus successore dictus *ipsius abbatiæ primus constructor & fundator gloriosissimus*, cui sequens de Molismo versus tribuitur:

En quasi baptismus, quibus est in honore Molismus,

Istuc certatim confluebant etiam ex remotissimis regionibus nobiles viri, qui se suaque illic offerebant Deo. Hinc inopiam secuta est rerum temporalium copia, quæ subinde Molismensium animos emollivit, rerumque spiritualium inopiam ac fervoris remissionem induxit. At Rotbertus rebus affluentibus cor non apponens, magis magisque ad profectum accendebatur, suosque animare conabatur. quod ubi non successit, ab eis recedere statuit, ne, dum in eis frustra quæreret spirituale lucrum, ipse salutis suæ detrimentum incurreret.

Latisco & Latiscensis pagus. * *Leignes.*

Lagnis fluviolus ad quem positum esse Molismum diximus, oritur ex opido Laniaco* duabus supra Molismum leucis. Ad eumdem amnem paullo supra Molismum visuntur veterum ædificiorum rudera, ubi stetisse tradunt accolæ quamdam urbem, quam *Lens-sur-Leigne*, contracto vocabulo, *Lansuine* vocant: quo sanctum Lupum Trecensium antistitem, post emollitum Attilam, cum se suis suspectum animadvertisset, ad biennium secessisse asserunt. Latisconem vocat Lupi vitæ scriptor his verbis. *Reversus autem vir Dei, ut vidit se desperatione suorum turbatum, ad montis perfugium Latisconem ceteris sollertior festinavit.... Illud perfugium distat ab urbe milliaribus quinque & quadraginta. Manens illuc biennii spatio, offensus raritate suorum eo venientium, Matisconem sibi censuit expetendam.* Hæc si conferas cum vulgari illa traditione, eam urbem, cujus rudera prope Molismum ad Lagnem visuntur, ipsam esse Latisconem facile concedes. tametsi spatii intervallum ab urbe Tricassina non exacte quadrat. Verum non ita accurata esse solet ejusmodi scriptorum computatio. Porro Latisconem celebrem olim locum fuisse constat, & quidem comitatu insignem, a quo & Latiscensis* pagus, & Lingonensis ecclesiæ archidiaconatus Latiscensis nomen accepit. In pago Latiscensi Lingonicæ diœcesis locatur ab Herico monacho in libro de miraculis beati Germani episcopi Autisiodorensis a *fundus notissimus*, Ladriacus* nomine, sancti Germani basilica insignis; & villa non multum distans, *cui Marcenniacus* vocabulum est*. quæ duo loca prædictæ urbi dirutæ vicina sunt, unde nummi & numismata passim eruuntur. Hæc obiter dicta sint ad illustrandum locum alias celebrem, nunc omnino incognitum, beatissimi Lupi antistitis secessu, si quidem, ut mihi constat, Latisco est, consecratum.

* *Lassois.*
a *Labbe to. 1. bibl. p. 546.*
* *Larrey.*
* *Marcenay.*

Sinemuri cella. * *Semur.* * *de l'Auxois.*

Pervenit ad hunc annum ex præmissis Rotbertus Burgundiæ dux auctor ecclesiæ, beatissimæ virgini Deiparæ sacræ apud Sinemurum* opidum pagi Alexiensis*, ibidemque sepultus: quo superstite Molismense cœnobium construi cœpit. Insignis est hæc ecclesia, cella seu prioratu insignis, Flaviniacensi abbatiæ subjecto, quem patrum nostrorum sæculo tenuit celebris noster Genebrardus, cujus ibidem tumulus visitur. Aliud est Sinemurum castrum ad Ligerim, in cujus territorio sanctus Hugo

Clnniacensis abbas Marciniacense parthenium exstruxit. Hujus castri dominus, Gaufridus nomine, Cluniaci monachus factus est, postea Marciniaci prior, ut alias videbimus. Rotbertum porro Burgundiæ ducem in ecclesia Floriaci ad Oscaram * fluviolum dedecorose obiisse discimus ex quodam Hugonis placito. in quo Floriaci ecclesia Cabilonensi sancti Marcelli monasterio restituta est, ut suo loco videbimus.

* l'Ouche.

CII. Floriaco duo altaria concessa.

Haud alius fuisse videtur episcopus ille Trecensis, qui Molismensium relevavit inopiam, qui hoc anno suam in sanctum Benedictum pietatem, suumque in Floriacenses nostros studium & affectum testatus est, confirmata eisdem donatione duorum altarium, quæ eis olim a suis antecessoribus collata fuerant. Id patet ex ipsius litteris [a], in hæc verba. *Beatum Benedictum cupiens mihi & ecclesiæ meæ patronum & intercessorem habere, fratribus ecclesiæ Floriacensis dictæ, quæ est in honore beatæ Dei genitricis Mariæ, ubi requiescere dicitur beatus Benedictus corpore, concedo & laudo usque in perpetuum illa duo altaria episcopatus mei, quæ prius ab antecessoribus meis collata fuerant: unum scilicet proximum villa-Mauri, apud villam, quæ dicitur Curtis-Marni *: alterum vero vicinum civitati, apud villam quæ dicitur Toriacum **, eo pacto ut episcopus & fratres ecclesiæ Trecensis haberent societatem Floriacensium, & ab eis honorifice apud Floriacum susciperentur. quod Hugo episcopus in concilio Senonensi, habito in ecclesia sancti Stephani, ratum haberi curavit ab episcopis, qui ejus litteris subscripserunt, videlicet Rocherius archiepiscopus, Rotbertus Carnotensis, Rainerius Aurelianensis, & Goffridus Altisiodorensis episcopi comprovinciales. Eisdem adscripta sunt signa Tetbaudi comitis, & Stephani ejus filii. *Factum est hoc anno* MLXXV. *incarnationis dominicæ, Philippo quidem regnante, monasterii autem beati Benedicti Willelmo abbate*, postmodum *confirmatum Senonis ab episcopis in concilio in ecclesia sancti Stephani.* Hugoni successit post annos septem Philippus, qui sancto Rotberto Molismensi itidem se munificum præbuit, constructo ac dotato prioratu de Insulis, ut suo loco dicturi sumus.

a Camuzat fol. 169. verso.

* al. Morini.

* Tury, al. S. Benoist sur Seine.

CIII. Miciaci abbas Christianus.

Miciacense apud Aurelianos monasterium regebat eo tempore Christianus abbas, cui rex Philippus hoc anno donationes eidem loco factas confirmavit, præcepto dato Aurelianis anno regni sui XVII. quod Gaufridus episcopus Parisiensis atque eancellarius subscripsit. Miciacum rexit Christianus usque ad initia sæculi duodecimi, nt postea videbimus.

Pontis-monachorum cella.

Exstat in Aurelianensi agro cella quædam ad pontem Ostantiæ seu Ustantiæ prope Castrum-novum, cujus cellæ originem ad hunc annum referendam esse Philippi regis litteræ nos docent. In his quippe rex testatur, fratres quosdam Cluniacenses « ad suam serenitatem accessisse, postulantes ut quamdam terram de dominio suo, « ad pontem Ostantiæ sitam, ipsis concederet, aliasque terras contiguas, quas tum Ingelbardus miles, cognomento Mansellus, tum alii fideles eisdem contulerant, a « qualibet exactione immunes præstaret. quod rex petentibus annuit, *Actum publice Aurelianis, anno incarnati Verbi* MLXXV. *Philippo rege anno* XVI. Post regium monogramma apposita sunt his litteris signa *Hugonis fratris regis*, Frederici dapiferi, Hervei magistri pincernarum, Hugonis constabularii, Hugonis de Pitsiaco camerarii, Wiberti de Loisiaco, Warini de Belismo. *Godfridus Parisiorum episcopus, regis cancellarius relegendo laudavit.* Hæc cella modo vocatur Pons-monachorum.

CIV. Res Vindocinenses & Pontilevienses.

Ineunte hoc anno Burchardus Vindocinensis comes, Fulconis filius, quam primum eum honorem adeptus est, adhuc *puer*, donationes Vindocinensi monasterio a Gaufrido comite ejus conditore factas confirmavit mense Januario, postridie octavæ epiphaniæ. Idem III. nonas Martias ejusdem anni, acceptis triginta solidis, malas consuetudines, quas Guido comes ejus antecessor relaxaverat, Vindocinensibus monachis itidem remisit, posito *cultello fracto* super altare sanctæ Trinitatis. qui traditionis ritus in aliis instrumentis legitur.

Hoc ipso anno Gaufridus de Calvo-monte, filius Gelduini, conditoris monasterii Pontileviensis, regressus ex Anglia, ubi Willelmum regem comitatus fuerat, prædicti cœnobii confirmationem a Philippo rege obtinuit anno regni ejus sexto-decimo. Idem reversus in Angliam, Adelam Willelmi regis filiam Stephano Blesarum comiti petiit in uxorem, obtinuitque, eam sine dubio, quam Willelmus Simoni Crispeiensi comiti desponsare cupiebat, ut anno sequenti videbimus. Ceterum Gaufridus, conjugii & liberorum expers, centenarius obiit, & in Pontileviensi monaste-

ANN. CHR. 1075.

rio ad patrem sepultus est. Tunc locum illum regebat Wido abbas secundus, Ansberti successor, cui successisse videtur Giraldus. De Petro abbate inferius.

CV. Pictavense concilium.

Pictavis idibus Januarii habitum est concilium præsidente Giraldo sedis apostolicæ legato, in quo actum de corpore & sanguine Domini contra Berengarium, qui ferme interemtus fuisse dicitur. Aliud item concilium VII. kal. Julii apud sanctum Maxentium, ubi adfuerunt Goscelinus Burdegalensis archiepiscopus, Willelmus Petragoricus præsul, aliique multi. Hæc ex chronico Malliacensi, in quo Monasterium-novum, quod Willelmus, cognomento Gaufridus, Pictavorum comes ante sex annos inchoaverat, Hugoni abbati Cluniacensi commissum fuisse dicitur. Verum Guillelmi comitis hac de re litteræ, quibus potior fides, id differunt in annum sequentem, ut in appendice videre licet. Missi sunt istuc octodecim monachi, eisque præfectus Wido abbas, antea Cluniaci prior, qui post octo annos eodem se recepit, ubi & mortuus est. Widoni successit Girardus ad tres annos & dimidium: quem excepit Letaldus, sancti Hugonis nepos, vir magnæ prudentiæ & religionis, qui locum annis quinque rexit, & post eum Marcus, de quo alias. Istud monasterium amplissime dotavit idem comes litteris post biennium datis, quæ a Beslio ^a vulgatæ sunt, teste inter alios Odone abbate sancti Johannis Angeriacensis.

Monasterii-novi abbates.

a Besly p. 468.

Kemperlegiensibus data S. Mariæ ecclesia.

Dum Kemperlegiensi monasterio sanctæ Crucis Benedictus abbas præesset, Berta comitissa, Alani Redonensis ducis uxor, pro redemtione animæ ejusdem, necnon filiæ suæ Hadevis comitissæ, Hoëlis Britanniæ ducis conjugis, & incolumitate eorum filiorum, suorum nepotum, Alani & Mathiæ, *ecclesiam sanctæ sanctarum dominæ nostræ & virginis Dei-matris Mariæ infra muros Namnetica civitatis sitam*, quæ ipsi a prædicto duce Hoëlo ejusque conjuge & filio concessa fuerat, monachis sanctæ Crucis Kemperelegiensis donavit *in præsentia jam dicti consulis & filiorum ejus, ejusque fratris Quiriaci Namnetensis episcopi, de qua ecclesia idem præsul propria manu fratrem suum Benedictum, tunc Kemperelegiensem abbatem, investivit pro redemtione animæ patris sui Alani comitis, prædicti monasterii fundatoris*, &c. *Factum est hoc in civitate Namnetica, anno ab incarnatione Domini* M LXXV. Cum de hac ecclesia controversia fuisset inter capitulum ecclesiæ Namnetensis & Kemperlegienses monachos, ex mandato Guillelmi cardinalis titulo sancti Petri ad Vincula & apostolicæ sedis legati, tribus ex utraque arbitris constitutis, ad concordiam demum ita convenerunt, ut canonici a monachis duodecim solidos quotannis acciperent. Ex parte canonicorum nominati sunt David abbas de Buzeio, & Ernaudus abbas de Alba-corona cum uno canonico Andegavensi: a monachis vero designati Guethenucus abbas Ruiensis, & Mauricius abbas de Langonio, cum alio canonico, adjunctis duobus episcopis, Bernardo Namnetensi, item Bernardo Corisopitensi. Actum Namnetis in capitulo sancti Petri, anno ab incarnatione M C LXI. In hac ecclesia modo collegium est canonicorum secularium.


Doli obsidio.

Apud Rogerium Hovedenum rex Anglorum Willelmus mari trajecto, in minorem Britanniam expeditionem movisse, & castellum Rodulfi comitis, quod *Dol* nominatur, tamdiu obsedisse dicitur, donec Francorum rex Philippus illum inde fugaret. Huc spectat quod legere memini in quodam exemplo bullæ Gregorii V. pro Turonica sancti Martini ecclesia. cum duo canonici Turonenses illud ad Bartholomæum Majoris-monasterii abbatem detulissent, ut id ipsum sibi legeret & transscriberet; id ille præstitit apposita ad bullæ transscriptum hac clausula. *Ego frater B.* * *abbas notum volo fieri omnibus hoc privilegium legentibus, qualiter illud in manus nostras devenerit. Hugo thesaurarius sancti Mauricii, & Galterius archipresbyter venerunt ad me, & attulerunt quoddam antiquum privilegium, dicentes se mitti ab archiepiscopo suo Radulfo, & mandare mihi ipsum archiepiscopum, se invenisse illud præceptum de rebus sancti Mauricii. Sed quia erat Romana littera scriptum, non posse legi a suis clericis. rogare se, ut facerem illud legi, & sibi transcribi. Legimus itaque illud, & invenientes multo aliud in eo contineri, quam ille putabat, transcripsimus. In quo & sigillum apostolicum, quod in in illo erat, depinximus ita, ut inversum, sicut & in illo vetusto erat. Erat autem mecum tunc prior noster domnus Petrus, quando illi duo canonici illud privilegium mihi obtulerunt. Et factum est hoc in anno, & in ipsis diebus, quando ibat rex Franciæ Philippus in Britanniam ad pugnandum contra regem Anglorum, qui ibi obsidebat Dolum castrum.* Hactenus Bartholomæi testimonium de illo Gregorii V. privilegio, quo Martinianis canonicis

* Bartholomæus.

nonicis jus habendi & eligendi episcopum confirmatur. Bullæ pontificiæ, ita ut inversa est, typum hic referre visum est.

ANN. CHR. 1075.



In diœcesi Santonensi condita est hoc tempore abbatia sancti Stephani de Vallibus *, cujus primi auctores fuere duo nobiles fratres, Petrus Gammonis filius, & Arnaldus. Verum cum Petrus opere necdum inchoato decessisset, id exsequendum in se suscepit Arnaldus, obtento prius assensu Gaufridi Aquitaniæ ducis & Goderanni episcopi Santonensis, eidemque loco Martinum abbatem præfecit, e Malliacensi asceterio acceptum ab ipso Goderanno episcopo, qui Malliacensis itidem abbas erat. Eo mortuo, Bosonem ejus successorem adiit Arnaldus tempore synodi generalis, petiitque, ut hæc abbatia synodali auctoritate confirmaretur, & ne ulli ex sua progenie, ullive alteri ecclesiæ subjiceretur. quod ipsi concessum hoc anno M LXXV. datis synodicis litteris, quibus subscripsere Goscelinus archiepiscopus Burdegalensis, Guillelmus Engolismensis episcopus, Boso Santonensis, & Guillelmus Petrocoricensis; ex abbatibus vero Odo Angeriacensis, Frovinus sancti Eparchii Engolismensis, & Joscelinus Bassatensis. Non multo post prædictæ abbatiæ monachi Malliacensi monasterio se subjecerunt, ut postea videbimus.

CVI. S. Stephani de Vallibus abbatia conditur. * *S. Estienne de Vaux.*

Exstat in diœcesi olim Tolosana, nunc Appamiensi, antiquum sancti Stephani Assiliense monasterium, ad quod cum venisset hoc anno Dalmatius [a] archiepiscopus Narbonensis, ibique honorifice, ut par erat, susceptus fuisset; eodem quoque advenit Isarnus Tolosanus præsul. Hic rogatus ab eodem archiepiscopo & abbate, fratribusque ejusdem monasterii, omnia eorum jura confirmavit, eaque se pro virili servaturum promisit, & suæ diœceseos ecclesias eis subjectas sua auctoritate eidem monasterio asseruit. *Hoc totum factum est in generali capitulo, in præsentia supradicti archiepiscopi & abbatis, & Pontii prioris, & Bernardi sacristæ, & aliorum virorum nobilium, anno ab incarnatione Domini* M LXXV. Ex his intelligitur, Dalmatium archiepiscopum tunc fuisse illius monasterii abbatem.

Assiliensis cœnobii jura asserta. [a] *Capitul. to. 2. p. 1554.*

Apud Belvacos Hugo comes de Domno-Martino, pœnitentia ductus, quod ecclesias de Bubulis, sancto Luciano quondam [b] a Childeberto rege & Constantino Belvacensi episcopo cum castro ejusdem loci donatas, abstulisset, & canonicis tradidisset, Widonem episcopum consuluit, ejusque consilio Tetbaldum seu Theobaldum sancti Luciani abbatem adiit, suam suorumque antecessorum injustitiam recognovit, ipsas ecclesias, laudantibus canonicis, quos ibi posuerat, cum suis adjunctis sancto martyri Luciano restituit. Verum, cum sancti Luciani monachi in pristinam earum possessionem regredi vellent, obstitere clerici, qui litem hac de re monachis intentarunt. Dum hæc diutius procederet, ab eodem Hugone comite prædictæ ecclesiæ concessæ sunt Vizeliacensibus monachis, absque episcopi consensu. quæ res novæ litis materiam suppeditavit. Hæc anno M LXXXI. ventilata in concilio Exoldunensi, in quo possessio Vizeliacensibus adjudicata usque ad tempus legitimæ discussionis, sed absque ulla finitiva sententia, uti discimus [c] ex Ivone, qui præsens eidem concilio interfuit, eaque de re scripsit ad Richardum episcopum Belvacensem. Nihilo minus Bullensis cellæ possessio stetit penes Vizeliacenses.

CVII. Bullæ castrum S. Luciano restituitur. [b] *Louvet lib. 1. p. 632.* [c] *Ivo epist. 181.*

Hoc ipso anno contigit, Widonem Belvacensem episcopum adire castrum, quod Mons-desiderii * vocatur., comitante sancti Luciani abbate Theobaldo: ubi audito [d] nobilem militem Goscelinum, cognomento Infantem, Ascelini de Bulis filium, gravi morbo decumbere, ad eum consolandi causa divertit. quo ille mirifice recreatus, abbatemque Theobaldum, quem valde diligebat, prope astare videns, ad episco-

Donatio eidem facta. * *Mont-didier.* [d] *Diplom. p. 586.*

AN. CHR. 1075.

„ pum conversus: Per manum, inquit, vestræ sanctitatis, trado ecclesiæ beati Luciani ad usus fratrum, in memoriam anniversariæ depositionis meæ, postquam illic sepultus fuero, mediam partem feodi mei apud Howecurtem. Id factum præsentibus Hugone de Bulis & de Domno-Martino, necnon Matthæo atque Pagano avunculis Goscelini, qui ipso die quo sepultus est Goscelinus, id est IV. idus Julii, hoc donum super altare sancti Luciani, uti ille mandaverat, posuerunt.

CVIII. Roffenses episcopi.

In Anglia, mortuo Siwardo, Roffensi episcopo, qui Certeseiæ abbas ante episcopatum fuerat, successit Arnustus seu Ernostus Beccensis monachus, qui paullo ante in Angliam trajecerat; sed paucis diebus supervivens, fatum explevit. Tunc ingens in illa ecclesia rerum omnium penuria erat, ubi quatuor tantum canonici erant, qui victu exili & plebeio indumento vitam tolerabant. Has miserias emendare cupiens Lanfrancus, Arnustum loco episcopum dedit. sed is in episcopatu anno tantum dimidio vixit. Suffectus in ejus locum Gundulfus, ipse Beccensis monachus, agente Lanfranco, cui ejus sanctitas probe comperta erat: sed ejus ordinatio ad annum MLXXVII. dilata, ut annales [a] Roffenses nos docent. Ad Arnustum revertor, quem alii Ernustum, & Hernostum vocant, in cujus consecratione, cum super altare inventus esset hic versiculus, *Cito proferte stolam primam* &c. Lanfrancus prædixit, eum brevi moriturum. Vaticinium probavit eventus. nam eodem anno e vivis excessit post acerrimos ac diuturnos morbi dolores, ad quorum constantem patientiam Anselmus [b] eum hortatur, quem *olim socium* & peculiari familiaritate sibi conjunctum fuisse dicit, eique in hac vita integram incolumitatem, in futura perfectam felicitatem apprecatur. Hæc in epistolæ inscriptione, & in contextu ait, „ se humana ob frequentes & graves ejus molestias mœstitia affectum esse, at spirituali „ lætitia relevatum, quod per hæc ejus anima nutritur ad æternitatem. Tanto quippe „ amplius in tribulatione gaudendum, quanto per eam in filiorum hereditatem nitendum. *Cum enim semper gratum sit Deo*, inquit, *si numquam ab ejus ordinatione dissentimus; tunc utique valde illi placemus, si & in nostra adversitate ejus voluntati hilariter assentimus*.

a *Angl. sac. tom. 1. p. 342.*

b *Anselm. lib. 1. ep. 44. V. notas.*

CIX. Londoniense concilium.

Roffensis ecclesia jam vacabat, cum Londoniæ habitum est hoc anno concilium, præsidente Lanfranco archiepiscopo, considentibus Thoma Eboracensi archiepiscopo, aliisque episcopis. In eo renovata sunt nonnulla ecclesiastica instituta, quæ ob intermissionem conciliorum neglecta fuerant. De monachis statutum, ut proprium non haberent: si quis vero in proprietate *inconfessus* obiisset, ut in cœmeterio non sepeliretur. Quidam episcopatus e villis ad urbes translati. Cautum, ne quis in concilio, absque venia metropolitani, exceptis episcopis & abbatibus, loqueretur. Hujus concilii acta retulit Willelmus, qui in consequentibus Lanfranci caritatem mire prædicat, & in distribuendis eleemosynis discretionem. Expendebat pauperibus panes, calceos & prorsus omnia, quæ ad victum & vestitum necessaria erant. Eisdem ipse succinctus ministrabat. Clericis & monasteriis egentibus affatim nummos erogabat, verecundiores ad petendum invitans. Mirum est, quot refectæ ab eo ecclesiæ, instaurata monasteria: quot ornamenta utrisque collata. Idem Cantuarienses monachos, qui, excepta pudicitia, vix laïcis dissimiles erant, venationi, ludicris & genio indulgere soliti, ut magis consules quam monachi ex frequentia famulantium viderentur, ad meliorem frugem sensim revocavit, aliquamdiu patientiam tenens, nec indiscreta austeritate principio eos terrens, ratus, *repentina morum conversione teneriores exacerbari animos*. Quapropter blandis monitionibus per intervalla temporis nunc illa, nunc ista subtrahens, eos demum ab insolitis vitiis ad recta instituta reduxit. In illo concilio Wlketulus Crulandensis abbas amotus est a pastorali regimine, & in claustrum Glastoniæ retrusus *sub cruentissimo tum abbate Turstano*, agentibus Nortmannis, qui eum exosum habebant, propterea quod Waldevi comitis ab ipsis occisi, & Crulandæ sepulti, miracula prædicabat. Facta itaque in eum conjuratione, de idololatria & de monasterii incuria nequiter, teste Ingulfo, accusatur, ob idque deponitur. Tum monasterii thesaurus direptus, & in usus regios addictus. In ejus vero locum suffectus Ingulfus, de quo plura anno sequenti.

Lanfranci caritas & prudentia.

ANN. CHR. 1076. CX. Schisma in ecclesia.

INsequens annus funesto ac diuturno schismati principium dedit, auctore in primis Heinrico Germaniæ rege, qui nefariis actibus regnum infestare pergebat. Huic sæpius benigne nequicquam admonito Gregorius denuo per legatos sub finem anni

præcedentis edixit, ut secunda instantis quadragesimæ hebdomadé ad concilium Romæ indictum de criminibus, quorum argueretur, causam dicturus adesset. quod si facere neglexisset, se a communione ecclesiæ sejunctum iri pro certo haberet. Hoc nuntio rex supra modum offensus, legatos indigne a conspectu suo repulit, & Wormatiæ conventum in septuagesimam indixit, in quo pontificatus Gregorio abrogatus, conspirantibus præter duos viginti-quatuor episcopis, pontifici ob cælibatum & simoniæ notam infensis, cum Hugone cardinale Blanco, quem pontifex ob Cadaloi sectam exauctoraverat. Re ad Urbem perlata, Gregorius litteras Heinrici in synodo apud Lateranum habita recitari jussit. Earum lectione indignati omnes, ipsum regio Germaniæ atque Italiæ titulo, & jurato principum, populorumque obsequio & ecclesiæ communione privandum censuerunt. Conditum ilico hac de re decretum: quod ubi Germanis innotuit, plerique ab Heinrici societate recesserunt. Ea re commotus Heinricus resipiscere visus est, & se vetera flagitia novis moribus deleturum spopondit, ac demum facile omnes conditiones, a Saxoniæ & Suaviæ principibus sibi propositas, accepit: quorum ea potior fuit, ut ante annum se anathemate a pontifice solvi curaret. Principes legatis missis hæc omnia mox pontifici nuntiarunt, obnixe orantes, ut ad tantam seditionem exstinguendam Augustam-Vindelicorum* ad purificationem beatæ Mariæ accederet. quam conditionem pontifex libenter accepit. Verum Heinricus in colloquio *Oppenheim* mense Octobri habito consultius esse duxit, ut pontifici in Italiam occurreret, atque ab eo anathematis absolutionem quoquo modo impetraret. Itaque sub finem anni Spira profectus, asperrima hyeme in Burgundiam venit, &, natali Domini Vesontione celebrato, mox in Italiam contendit. Ad prædictum Oppenheimense colloquium *frater Kadalaus*, ut Bertoldus scribit, *ex sæculari militia conversus, legationem papæ detulit, quam eidem, multum ægrotanti, papa in remissionem peccatorum omnium imposuit;* idemque frater Kadalaus *expleta legatione, suscepto monachi habitu, sub evangelica perfectione requievit in pace.* Nec plura de hoc Kadalao.

* *Augsbourg.*

Kadalaus papæ legatus.

CXI. Godefridi ducis cædes.

Gozelo seu Godefridus, cognomento Gibbosus, dux Lotharingorum, Antuerpiæ hoc anno cæsus est per insidias, ut tum putabatur, Rotberti Flandriæ comitis, Virduni ad patrem suum sepultus in monasterio sancti Vitoni. Lotharingiæ ducatum Heinricus Conrado filio suo concessit, marchiam vero Antuerpiensem Godefrido, Gozelonis ducis ex sorore Ida nepoti, Eustachii comitis Boloniensis filio, Bullionio dicto, qui postea regnum Jerosolymorum sibi comparavit. Mathildis comitissa, orbata Godefrido viro suo, Walfoni Bajoariæ duci postea nupsit, sed liberorum expers.

CXII. Stephanus Muretı suum Ordinem instituit.

Pontificia, ut superius [a] dictum est, auctoritate munitus Stephanus de Tigerno, nobilis Arvernus, ex urbe in patriam revertit, Ordinem suum, qui postea Grandimontensis dictus est, fundaturus. Parva apud suos facta mora, qui de ejus reditu admodum recreati sunt, clanculum recessit, variisque solitariis locis perlustratis, apud Muretum tandem consedit, situm prope Grandimontem in agro Lemovicensi, ubi, facto ex virgultis parvo tugurio, prima Ordinis sui fundamenta hoc anno jecit, jejuniis, vigiliis, precibusque assiduis insistens. Illic, inserto in digitum suum anulo, quem unum ex omni substantia sua reservaverat, se Deo totis vitæ suæ diebus serviturum promisit, concepto voto in hunc modum. *Ego Stephanus abrenuntio diabolo & omnibus pompis ejus, & offero atque reddo me ipsum Deo Patri, & filio ejus, & Spiritui sancto, uni & trino Deo, vivo & vero.* Et, scripta sua professione, capiti suo eam imposuit, in hæc verba. *Omnipotens & misericors Deus, qui semper idem permanens, vivis & regnas trinus & unus Deus; ego frater Stephanus promitto tibi amodo me serviturum in hac eremo in fide catholica; & propter hoc pono chartam istam super caput meum, & anulum istum in digito meo: ut in die obitus mei sit mihi hæc promissio & hæc charta scutum & defensio contra insidias inimicorum meorum. Quæso, Domine, ut mihi reddas vestem nuptialem, & in numero filiorum sanctæ ecclesiæ me annumerare digneris, & ad cænam nuptiarum Filii tui, sanctissime Pater, animam meam de corpore exeuntem, tua charitatis veste indutam, in regnum tuum cum sanctis omnibus introducas.* Ad hæc sanctæ Mariæ matri Domini Jesu-Christi, animam, corpus, sensumque suum commendavit; nec deinceps ad sæculum reversus est. Ab illa die pane tantum & aqua usus est usque ad tricesimum suæ conversionis annum, quo modicum vinum adhibuit ad relevandum stomachum, quem ciborum ariditas, parcitasque omnino de-

[a] *Supra n. 37. & seq.*

ANN CHR. 1076.

bilitaverat. Lorica ferrea ad cutem indutus erat: lectus ei ex tabulis ligneis instar sepulcri constrictis. Primo conversionis suæ anno solus in illa eremo vixit: altero anno duos socios babuit. Hos multi alii subinde subsecuti sunt, paratis principio cellulis in diversis locis bini vel terni, qui omnes eremitarum more viventes, dominicis & festivis diebus Muretum conveniebant, ut rei sacræ & collationi spirituali interessent. Post bæc vitam cœnobiticam amplexi sunt, quibus modicum vinum Stephanus indulsit, suis longe benignior quam sibi. Solitudinis adeo amans, ut sæcnlares nequidem in monasterinm & vix in oratorium admitteret, Deum precari solitus, ut se ab hominum conspectu absconderet. Hospitalitatem nihilo minus sedulo exercebat: sed hospites in domos regulares introduci baud sinebat. vir tantæ humilitatis, ut, quamquam sacerdos, sacris tamen altaribus non alio quam diaconi officio fungi sustinuerit.

Quodnam ejus institutum.

Quodnam primarium ejus Ordinis institutum fuerit, quæve prima Regula, quam vir Dei discipulis præscripserit suis, disquirit Annalista Grandimontensis, variasque in partes se torquet, nescius quo se vertat. Illud in primis probabile, immo & certum putat, quod, si primam Grandimontensis Ordinis institutionem spectemus, non alia videatur, quam *quidam rivulus* cœnobitarum Calabriæ: sed cujus Ordinis illi fuerint, incertum esse putat. Benedictinos fuisse Yepesius, aliique e nostris asserunt, ideoque Grandimontenses nostris accensent. Conjecturas hac de re meas superius [a] proposui, quas hic repetere non juvat. Reclamant Grandimontenses, saltem reformati, nec Benedictini esse, aut videri volunt. Ego vero, etsi Grandimontensem Ordinem plurimi faciam, absit tamen, ut ex eo contra fas velim crescere Ordinis nostri decora, qui alienis bonorum titulis non eget. Certe sanctus Stephanus non aliam suis regulam, quam Evangelium proposuisse dicitur, qua ratione ejusdem instituti & regulæ sumus omnes. Ut ut sit, primigenius eorum babitus, qualem describit Annalista, non multum a Benedictino differebat. Erat toga usque ad talos protensa cum superposito scapulari, ab utroque humero usque ad talos pertingente, cui insutum erat caputium in acumen desinens versus extremum capitis verticem. De Grandimontensium habitu Johannes Iperius, qui ait eos suo tempore Cisterciensis Ordinis instituta sectari, quod etiam Jacobus a Vitriaco tradit. *Habitum*, inquit ille, *gerunt brunum sive griscum, tunicam scilicet & scapulare; desuperque, non cucullam, aut frocum, sed cappam ante scissam; & sunt quasi reclusi.*

a Supra n. 37.

CXIII. *Regula peculiaris an ab eo scripta.*

Quod attinet ad vulgatam eorum regulam, hæc, ut ipse ejns editor monet, non ab ipso S. Stephano conscripta fuit, sed verbo & exemplo per quinquaginta fere annos discipulorum cordibus insculpta, & postmodum ab ipsis, maxime vero a Petro Lemovicano, qui sancto Stepbano primus successit, collecta; & deinceps a Gerardo, Grandimontis septimo priore, in eum ordinem, quo nnnc habetur, redacta. Idem factum in sacro Ordine Cartusiano, cujus prima instituta, viva voce & usu primum tradita, postmodum venerabilis Guigo, Cartusiæ quintus prior, in scripta redegit. Qui prima illa sancti Stephani instituta collegit, nulli Ordini aut Regulæ addictus videri voluit. Unde inquirentibus, cujus [b] Regulæ vel Ordinis monachi sui essent, respondendum ait, se christianæ religionis, quæ prima ac principalis regula est, Evangelii scilicet, qualescumque observatores esse; ceterum nullarum Regularum sanctorum patrum, Basilii, Augustini, Benedicti expertes, quibus cor unum sit & anima una; omnia denique communia, nihilque proprium, præter caritatem & obedientiam. Multa in illa Regula præclare instituta; gravia non pauca, quæ processu temporis relaxata sunt. In primis [c] inculcatur paupertas & obedientia, tamquam religionis præcipunm fundamentum. Quippe non est peritus religionis, quem terret paupertas. Nulla res enim tantopere securum reddit bominem in amore divino, quemadmodum paupertas, illum præcipue, cui placet ex corde. Terras extra metas [d] monasterii possidere nefas, uti & apud Cartusienses. Ecclesias [e] quoque, & res ad ipsas pertinentes habere non licebat, nec quidquam pro missis oblatum recipere, nec judicia pœnitentiæ exercere in ceteros. Dominicis & festis diebus aditus in oratorium sæcularibus interdictus, quibus convenit in ecclesiis suis divinis interesse officiis. Pecorum vetita possessio ad vitandam cupiditatem, omnisque quæstus [f] vitandus. Deficientibus rebus necessariis [g] recurrendum ad episcopum: qui si non succurrat, post bidui jejunium mittendi [h] ad petendam ostiatim eleemosynam duo fratres in religione firmiores. Nundinæ [i], negotiatio ac lites prohibitæ. Mulie-

b Reg. S. Step. prolog.
c cap. 1.
d cap. 4.
e cap. 5.
f capp. 6. & 7.
g cap. 9. & seqq.
h cap. 13.
i cap. 15. & seqq.

AN. CHR. 1076.

res [a] ad illam institutionem non admittaotur, nec viri [b] alterius Ordinis: nullus sæcularis infra vicesimum ætatis annum. Silentium [c] in ecclesia, claustro, refectorio & dormitorio religiose servaodum, & a completorio usque ad finitum capitulum. Aliud silentii genus aliis temporibus & locis, *tacere inutilia, & loqui necessaria*. Temporalium cura [d] solis conversis commissa. quæ res magnorum jurgiorum occasio fuit non semel, ut ex Jacobo Vitriaco discimus. Præclara sunt, quæ eadem Regula præscribit de infirmis [e], quibus relevandis ecclesiastica etiam ornamenta vænumdari præcipit. Carnium esus [f], tam volucrum quam quadrupedum, eis omoino interdictus. A sancto paschate usque ad exaltationem [g] S. Crucis duplex refectio. Ab exaltatione vero ad pascha perpetuum jejunium, exceptis diebus dominicis & natali Domini, adeoque unica refectio; ab exaltatione quidem usque ad quadragesimam sumenda post nonam; a quadragesima usque ad pascha post vesperas. Denique a festo omnium sanctorum ad natale Domini, cibi tantum quadragesimales; ceteris vero diebus extra quadragesimam ova & casei permittebantur. Electioni prioris [h] Grandimontensis bini fratres ex singulis cellis Grandimontem conveoiebant: ex quibus duodecim eligebantur ad eligendum priorem, sex clerici & totidem conversi. Electo [i] claustra Grandimontis, nisi urgente gravi necessitate, egredi non licebat. Hæc ex regula Grandimontensi, quæ subinde a Romanis pootificibus in plerisque temperata est. De istius Ordinis primordiis scripsit Bernardus-Guidonis, retulitque syllabum Priorum usque ad suum tempus: ex quibus Petrus Lemovicanus seu Lemovicensis, Mureto Grandimontem ad duo milliaria fratres transtulisse perhibetur, unde Ordo Grandimontensis deinceps dictus est.

[a] c. 39. [b] c. 40. [c] c. 47. [d] c. 54. [e] c. 56. [f] c. 57. [g] ibid. [h] c. 60. [i] c. 62.

Quod vero Stephanus infirmis esum carnis interdixerit, quem S. Benedicti regula eis indulget, in causa fuisse videtur Græcorum schismaticorum objectio, qui pontificatu Leonis IX. monachis Latinis seu Benedictinis hunc usum improperabant, ut superius vidimus. cujus reprehensionis occasiooem ut removeret Stephanus, abstinentiam a carnibus etiam infirmis, instar orientalium, præscripsit. Qua in re S. Bruno eum imitatus est.

CXIV. Magenciaco facta donatio.

Quo tempore Stephanus Ordinem suum instituit, Tieroensis princeps erat Willelmus; uti discimus ex chronico [k] cellæ Mageociacensis apud Arvernos, cujus loci prior, Theotardus nomine, Guillelmum Tiernensem principem clarissimum adiisse dicitur, & exorasse, ut pro anima patris ejus Guidonis quosdam usus in silva, quæ vocatur Borno, sancto Launomaro concederet. quod ille benigne annuit, idque ab uxore sua Adalaide, filiisque suis, Widooe, Stephano, Willelmo & Theotardo confirmari voluit. Id factum anno sequente M LXXVII. præsente Hugone abbate Tiernensi, qui hanc chartam conscribi fecit, cui Ermengardis Willelmi soror, ejusque filii, Mauricius de Monte-Buxario, multique alii nobiles subscripsere. Tunc Guido abbas præerat Blesensi sancti Launomari monasterio, a quo Magenciacensis cella pendebat. Idem Willelmus ecclesiam sancti Porciani, in eadem silva sitam, contulit Mauricio Magenciacensi priori, qui Theotardo successit. Is Jerosolymis rediens, Widonem apud Rhodas offendit, a quo patris ejus donationes confirmari fecit.

[k] Sæc. 4. Bened. parte 2. p. 257.

CXV. Bellilocense & Gigniacense monasteria Cluniacensibus commissa.

Per idem tempus Bellilocense ejusdem pagi Lemovicensis monasterium ad magnas rerum, cum spiritualium, tum temporalium angustias redactum erat. Ejus statum miseratus Hugo de Castello-novo sæcularis abbas, in cujus manus hic locus ex successione pareotum devenerat, eum instaurare cupiens, domno Hugoni Cluoiacensi abbati ordinaodum commisit, annueote Widooe Lemovicensi episcopo, assensu quoque Archimbaldi, Eblonis ac Bosonis vicecomitum, necnon Girberti ac Bernardi fratrum, domioorum Corbonicensium. His assensere in primis Bellilocenses boni testimonii fratres cum domno Frodino Tutelensi abbate, decano suo, & Bego de Calvomonte nobilissimus miles. Hæc discimus ex litteris tum Bellilocensium monachorum, tum Hugonis de Castello-novo eorum abbatis, qui omnes illius loci census & possessiooes saucto Hugoni abbati & Cluniacensibus tradidit, exceptis nonnullis, quæ Bernardus episcopus, ipsius Hugonis de Castello-novo *avunculus, in suo dominio* tenebat. Hugonis litteris apposita sunt signa ejusdem Hugonis, Widonis episcopi Lemovicensis, Archimbaldi, Eblonis atque Bosoois vicecomitum, Girberti & Bernardi fratrum Corbonicensium, Frodini abbatis, scilicet Tutelensis & Bellilocensis decani, Willelmi abbatis Fiacensis. Altera charta facta dicitur *in mense Aprili, anno ab incarnatione* M LXXVI. *Philippo rege, & domno papa Gregorio sacra religionis monarchiam regente*, apposito signo Willelmi Tolosani comitis, & aliorum. Eodem anno Rogerius

ANN. CHR. 1076.

comes, & Sicardis ejus uxor, insignem ecclesiam, in castro suo pagi Tolosani ab ipsis constructam, eidem sancto Hugoni abbati & Cluniacensi monasterio contulerunt, præsentibus Isarno Tolosano & Raimundo-Ebbo Lecturensi episcopis.

Sub finem ejusdem anni Gregorius papa Cluniacensi cœnobio confimat [a] omnia monasteria & loca eidem subjecta, quæ singulatim enumerat; aliisque litteris [b] *carissimo filio suo Hugoni Cluniacensi abbati* inscriptis, *Gignense* seu Gigniacense monasterium, *quod proprium beati Petri apostolorum principis esse dinoscitur*, ubi olim mirifice floruerat religio, sed tunc *propter abbatum præpositorumque remissiorem sollicitudinem* penitus vigorem & subsidia temporalium rerum amiserat; eidem Hugoni commen-
» dat, ut ejus studio ibidem religio postliminio reviviscat, & res temporales instauren-
» tur: ita ut nullus illic abbas eligatur aut ordinetur, nisi præsenre per se vel per legatum
» suum Cluniacensi abbate, eodemque approbanre. *Datum Lateranis per manus Petri S. R. E. cardinalis ac bibliothecarii, anno* IV. *pontificatus domni Gregorii papæ VII. indictione* XIV. Iisdem anno & die idem pontifex, prædicto Hugoni abbati scribens [c], confirmat Monasterio-novo sancti Jobannis, Pictavis a Willelmo comite fundato, donationes eidem loco factas; vultque ut abbas illic à Cluniacensibus abbatibus instituatur, permittens ut ordinationes monachorum & clericorum a quocumque episcopo fieri possint.

a Bullar. Clun. p. 18.
b ibid. p. 20.
c ibid.

Paullo anre, id est III. kal. Maii, cives Cremonenses suburbanam capellam sanctorum Gabrielis & Raphaëlis Cluniacensibus donant, assignata dote, ut monasterium ibidem construeretur, sublata Cluniacensibus abbatibus facultare hæc convertendi in alios usus; aliàs rebus omnibus ad heredes revocandis. Hujus loci traditio facta est per *cultellum & festucam nodatam, per wantonem & wasonem terra & ramum arboris seu wandiluc.*

CXVI. Monasterii-novi privilegia.

Præter superius diploma, quod Gregorius papa de Monasterio-novo Pictavensi sancto Hugoni concessit, rex Philippus eidem cœnobio donationes factas, faciendasve confirmavit rogatu [d] Gaufredi Aquitanorum ducis, qui illud in suburbio Pictavensi, in loco dicto *Chassaigne* ædificaverat. Atque ut hoc privilegium ratum esset ac firmum, rex signum crucis in inferiori margine hujus chartæ propriis manibus fecit, defectu sigilli sui, propterea quod tunc cum magna festinatione Pictavim ad Gaufredum ducem Aquitanorum venerat, auxilium ab eo postulaturus *contra Guillelmum regem Anglorum, comitem Normannorum, qui tunc contra nos*, inquit, *in Britannia quoddam opidum obsederat.* Huic diplomati subscripta sunt signa Gaufredi Aquitanorum ducis, Hugonis Magni fratris Philippi regis, *Fulconis in Ambianensem episcopatum tunc electi, non adhuc consecrati*, Raginaldi sancti Martini thesaurarii, Galeranni Silvanectensis camerarii regis, Audeberti comitis de Marchia, & Guidonis Nivernensis. *Acta sunt hæc Pictavis idibus Octobris anno ab incarnatione Domini* MLXXVI. *regni Philippi regis.* XIX *. Litteras a Willelmo-Gaufredo duce initio anni sequentis datas apud Beslium [e] legere licet. quibus prædictum monasterium dotat, facta charta *in manu Willelmi filii* sui, audientibus & videntibus Odone abbate sancti Johannis, scilicet Angeriacensis, Guidone Nivernensi, & aliis.

d Besly Comit. p. 463.
* l. XVII.
e ibid. p. 466.

CXVII. Evenus abbas fit Dolensis archiepiscopus.

Dolensi ecclesiæ tunc remporis incubabat Johoveus quidam, facinoribus infamis, qnem Dolenses ab illa ecclesia expellendum curarunt, scriptis litteris ad Gregorium papam, qui eum in ordinem redegit, & alrerum ejus loco eligendum decrevit. Electus nobilis adolescens Gilduinus, cujus pater Rudalenus, cognomento Capra-cana, inter Dolenses potentissimus, mater ex Puteacensium apud Aurelianenses prænobili familia; statimqne Romam se contulit, non tam ut ordinaretur, quam ut eam dignitarem a se amoliretur ob immaturam ætatem. Supplicanti assensit pontifex, ejusque loco Evenum seu Evantium sancti Melanii abbatem, qui in ejus comitatu erat, ipsiusmet rogatu, archiepiscopum ordinavit. Exstant ea de re duæ [f] Gregorii epistolæ, V. kal. Octobris hoc anno datæ, una ad Dolenses, altera ad episcopos Britanniæ, quibns significat, se eorum petitioni satisfacere non potuisse ordinando juvenem illum electum, sed ejusdem juvenis rogatu Evenum [g] sancti Melanii abbatem, quem Ivonem vocat, *licet invitum & obedientia adstrictum*, consecrasse. Intercessit ejectioni Johoveni Willelmus rex Anglorum, ad quem hac de re Gregorius litteras [h] dedit, quibus illius ejectionis causam retractandam Hugoni Diensi episcopo & Huberto Romanæ ecclesiæ subdiacono committit, pollicitus se illuc missurum Teuzonem monachum, (sic enim legendum, non Leuzonem [i]) ubi ex morbo, quo Romæ

f Greg. VII. lib. 4. ep. 4. & 5.
g V. lib. 63. n. 63.
h ibid. ep. 17.
i V. lib. 64. n. 24.

detinebatur, convaluisset. In reditu e Romano itinere Gilduinus ad suos Puteacenses dominos divertit: apud quos morbo correptus, Carnutas se devehi curavit, beatissimæ Dei-genitricis Mariæ ecclesiam orationis causa aditurus, & sanctorum, quorum illic reliquiæ habentur, suffragia imploraturus: ubi *capsam, in qua ejusdem Dominæ nostræ subtegmen contineri creditur, quod etiam multis sæpe probatum esse constat miraculis*, sæpius deosculatus ac veneratus est. Inde ad suburbanum sancti Petri monasterium deductus, ibidem piissime decessit, atque sepultus VI. kal. Februarii in medio ecclesiæ choro, ubi multis miraculis claruisse traditur ab anonymo ejusdem loci monacho, qui librum de ejus vita & miraculis Fulcherio abbate, id est medio sæculo duodecimo, composuit. Gilduini obitus contigit tempore Hucberti [a] abbatis, & quidem anno M LXXVI. ut tradit ille anonymus, at secundum veterem calculum, ut ex litteris Gregorii papæ intelligitur, datis V. kal. Octobris indictione XV. a Septembri incboata, id est anno M LXXVI. cum Romæ adesset Gilduinus, qui sub finem mensis Januarii insequentis mortuus est, id est VI. kal. Februarii, quo die in necrologio sancti Petri notatur *Gisluinus archiepiscopus*.

a V. lib. 61. n. 83.

CXVIII. Rothonenses abbates.

Tunc temporis Rothonensi sancti Salvatoris monasterio præerat Almodus abbas, cui Gregorius [b] papa illius loci privilegia confirmavit, concessa facultate eligendi novi abbatis ex gremio monachorum, vacante abbatia, aut ex alio loco expetendi, si inter eos idoneus inveniri non possit, cum consilio Romani pontificis. Almodo abbate eremita quidam, Gundironus nomine, Rothonensibus se adjunxit, & stabilitatem suam apud eos firmavit, concesso loco, ubi prius habitabat, qui Juviniacensis cellæ fundus est. Bilius ejus successor elevationi corporis beati Gurloësii Kemperlegiensis abbatis post annos quinque interfuit, Rotbertum sortitus successorem, dein Justinum, de quo alias.

b Martene Miscell. to. 1. parte 2. p. 31.

CXIX. Guitmundus & Durandus in Berengarium scribunt.

Interim Berengarius sæpius ejuratos errores disseminare pergebat, eo liberius, quo Lanfrancum, sibi olim adversantem, jam Cantuariæ archiepiscopum, aliis negotiis implicatum videbat. At vicem ejus supplevit insignis ejus discipulus Guitmundus cœnobii Crucis sancti Audoëni seu sancti Leutfredi in Neustria monachus, nuper reversus ex Anglia, ubi episcopalem dignitatem recusaverat. Is itaque Berengarianam hæresim impune serpere animadvertens, eam debellare constituit, editis tribus libris ad Rogerium consodalem suum, qui ipsum ad id operis, rem his temporibus necessariam, aggrediendum excitaverat. Hi libri dialogi more scripti sunt, interlocutoribus ipsis Guitmundo, & Rogerio, medicinæ arte perito; scripti sunt, inquam, post concilium Romanum sub Nicolao II. habitum, in quo Berengarius errorem suum abjurare visus est, & quidem Gregorio pontifice, quem non semel laudat, sed ante concilium Romanum anni M LXXVIII. cujus nullam facit mentionem. Nullus eo vel accuratius Berengarii artes, & Berengarianorum varias sectas retexit, vel errores validius ac pressius revicit. Hos *impanatores* [c] dixit, quo nomine haud scio an quisquam ante eum usus est. Plura de eo inferius.

c Guitmund. lib. 3.

Eodem fere tempore, sed longe dispari vi & facundia, Berengarium itidem impugnavit Durandus Troarnensis in Neustria abbas, cum vigeret

Jam per Francorum fines & castra vagantum
Schismaticorum heresis, per quos cœpit nova nostris
Temporibus, veneranda negans mysteria Christi,

ut Durandus ipse canit in versibus operi suo præfixis, quod novem in partes distinxit. Ex prolixo carmine, quod initio præmisit, nongentos versus continente, cujus tantum prooemium noster Acherius, primus operis illius editor, retulit; ex illo, inquam, carmine discimus, compositum fuisse hoc opus ante annum M LXXVIII. quo decessit Ansfridus Pratellensis abbas, cui Durandus illud inscripsit, his versibus.

Ansfrido patri, meritis & honore cluenti,
Durandus frater, quæcumque salubria semper,
Si mihi suppeterent quæ vellem, scribere possem.
Sed tibi, non alii valeant, quæ juro referri
Contra schismaticos & eorum dicta modernos.

& infra: *Hæc, Ansfride pater, tibi divo munere prosper*
Scribere non metui, nec mittere dissimulavi.

ANN. CHR. 1076.

Et ne quis dubitet hæc de Ansfrido Pratellensi abbate interpretanda esse, sic in fine carminis legitur:

Jam valeas felix, memorisque tui memor assis,
Et fratres nostra dominosque ex parte saluta,
Quos nutrit Christo tua dulcis sollicitudo
Intra cœnobium, quod Pratellense vocatum
Prisca ætas coluit, sed nostra hac nobilitavit
Mœnibus & studiis virtutum, & rebus opimis.

Hæc carptim ex illo carmine, quæ vir sagacissimus Pelehester ex veteri codice mihi communicavit. Pratellensis monasterii perantiqui abbas ab instauratione secundus fuit Ansfridus, ab ipso Berengario perperam tentatus, qui post triginta præfecturæ annos XVI. kal. Aprilis obiit anno M LXXVIII. atque adeo Durandus ante hunc annum librum suum de corpore & sanguine Domini scripsisse dicendus, decennio post eum superstes. Mirum est eum nullam Lanfranci facere mentionem.

CXX. Anselmus Guibertum erudit.

a Guibert. lib. 1. vita c. 16.

Inter ea Anselmus Beccensis prior non tantum domesticis, sed etiam exteris erudiendis insistebat. Hos inter unus erat Guibertus monachus Flaviacensis, quem identidem Anselmus conveniebat, ut eum tum ad virtutis tum ad sacrum litterarum studium accenderet, ac deduceret. qua de re ita Guibertus [a] ipse loquitur. *In his præcipuum habui incentorem Beccensem abbatem Anselmum, postea Cantuariensem archiepiscopum, ex transalpinis partibus, Augustana videlicet regione oriundum, virum incomparabilem, documentis & vita sanctissimum; qui, cum in prioratu prælibati cœnobii ageret, sua me cognitioni adscivit, & omnino puerulum, & in summa & ætatis, & sensus teneritudine positum, qualiter interiorem meum hominem agerem, qualiter super regimine corpusculi rationis jura consulerem, multa me docere intentione proposuit. qui ante abbatiam, & in abbatia positus, cum ad Flaviacense, in quo eram, monasterium familiarem religionis & doctrinæ suæ gratia haberet adventum, adeo sedule mihi eruditionis indulgebat beneficia, tanta ad id elaborabat instantia, ut unica ac singularis sui ad nos adventus & frequentationis ego viderer solus esse causa.* Tali itaque ac tanto informatus magistro Guibertus, scripturas sacras juxta triplicem vel quadruplicem modum explicare & explanare didicit. unde factum est, ut is aliquando cum abbare suo ad quoddam illius provinciæ cœnobium profectus, die festo sanctæ Mariæ Magdalenæ sermonem in conventu vice abbatis sui habuerit, sumto argumento ex libro Sapientiæ in hæc verba, *Sapientia vincit malum* &c. qui sermo ita placuit auditoribus, ut eum scripto sibi tradi petierit loci illius prior. at Guibertus id excusavit; quoniam abbatem suum id ægre laturum sciebat. Quam ob causam commentarium suum in hexaëmeron, quod ille tunc temporis aggressus est, furtim composuit, *videns quod non nisi spinas scripta talia oculis ejus ingerebant.* Hic abbas Garnerius erat, cujus tempore Guiberti studia delituere silentio. quo decedenre, prædictum opus explevit.

CXXI. Gundulfus episcopus Roffensis creatur.

Anselmi uti & Lanfranci præcipuus amicus erat Gundulfus monachus Beccensis, qui hoc anno ad Roffensem episcopatum promotus est. Hic natus erat ex pago Vilcassino, quem Nortmannicum vocant, Hatheguino & Adelesia parentibus. Clericus factus in ecclesia Rotomagensi, Maurilio archiepiscopo valde familiaris fuit, agente in primis Willelmo archidiacono, ipsius amico, qui cum Jerosolymitanam peregrinationem aggressus est. In reditu ambo gravissima tempestate in mari jactati, votum ediderunt, se, si ex ea evaderent incolumes, vitæ monasticæ nomen daturos. Ex illo erepti periculo, in patriam redeunt. Voti exsecutionem ad tempus differente archidiacono, Gundulfus Becci religiosa veste induitur, sub Herluino abbate & Lanfranco priore monasticis disciplinis informatus, ab eis factus dein sacrista; vir multæ abstinentiæ, obedientiæ, & orationis, tantæque compunctionis, ut ejus oculi duo lacrymarum rivuli esse viderentur. quam gratiam etiam in episcopatu retinuit. Eodem tempore Anselmus istuc ad conversionem venit, tanta deinceps necessitudine Gundulfo devinctus, ut se alterum Gundulfum, Gundulfum vero alterum [b] Anselmum diceret, & dici gauderet. Ejus rei testes sunt complures Anselmi in libro primo epistolæ, Gundulfo inscripræ. Cum Lanfrancus Cadomensi monasterio [c] præfectus fuisset, eumdem Gundulfum sibi in regimine adscivit adjutorem, qui matri suæ Adelisæ persuasit, ut sanctimonialis fieret in Cadomensi sanctæ Trinitatis monasterio, ubi hæc in observatione sanctæ Regulæ, piisque operibus usque ad obitum perseveravit.

b V. Anselm. lib. 1. ep. 33. &c.

c V. lib. 62. Annal. n. 25.

ANN. CHR. 1076.

ravit. Subacta per Willelmum ducem Anglia, Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus creatus, Gundulfum secum duxit, eumque rei suæ familiaris procuratorem constituit, quod ille officium pie ac prudenter administravit. Interim idibus Julii hoc anno moritur Arnustus seu Ernostus, ex Beccensi monacho Roffensis præsul, vix dimidio episcopatus sui anno peracto. Volens autem Lanfrancus, ut pro veteri more monachus monacho in illa ecclesia succederet, non alium aptiorem invenit quam Gundulfum, qui illius ruinas resarcire posset. Hanc electionem comprobarunt rex & episcopi, quibus ille cedere invitus coactus est. Ejus ordinatio dilata usque ad annum sequentem, facta XII. kal. Aprilis, qui dies sancto Benedicto sacer est. Tanta vero prudentia uti & sanctitate illam sedem rexit Gundulfus, ut intra triginta & unum regiminis annos non modo ecclesiam præ senio pæne dirutam instauraverit, sed etiam religiosos monachos amplius sexaginta ibidem instituerit, ubi vix quinque clericos invenerat.

CXXII. Anselmi ad eum epistola.

Ejus promotione comperta, Anselmus, singularis ejus amicus, litteras eximiæ amicitiæ indices scripsit [a] *olim dilectissimo fratri, nunc dulcissimo patri*, partim ei congratulans, quod eum divina gratia dignum invenerit, ut inter principes ecclesiæ suæ « connumeraretur; partim condolens, quod eo ipso, quo magis exaltatus est, majori « tribulatione gravaretur. *Sed item*, inquit, *cum considero, quoniam, teste divina Scri-* « *ptura, de tribulatione nascitur patientia, qua opus perfectum habet; & probatio, qua operatur spem, quæ non confundit; utique intelligo, non tantum condolendum esse vestræ sanctitati in tribulatione propter laborem, quem ex illa suscipitis, quantum congratulandum propter perfectionem & spem, ad quas per illam proficitis.* Et paullo infra eumdem hortatur, ut nullo modo tribulationem putet, quod nec corpus nec animam lædit: *ne, si adversitas earum rerum, quas servus Dei contemnere debet, vos*, inquit, *contristat, probetis vos, plusquam oportet transitoria diligendo, minus quam decet æterna diligere. Aperte enim unusquisque homo ostendit se ea diligere, quorum læsionem pati non potest sine tristitia.* Hæc illa sinceri amici religiosa congratulatio, ab omni prorsus adulationis fuco aliena.

[a] Anselm. lib. 2. ep. 69.

Gundulfi exercitia.

Quodnam vitæ genus sibi præscripserit in episcopatu Gundulfus, pluribus exponit ejus vitæ auctor anonymus, missarum scilicet duarum quotidianam celebrationem, (quarum una erat de beata Maria, vel de sancto Andrea ecclesiæ patrono, aliove sancto; altera de defunctis;) ejus sollicitudinem in audiendo vel persolvendo divino officio, pietatem in passionem Domini, aliaque pia exercitia, quæ eum omnibus amabilem & venerabilem reddebant, ita ut reges ipsi eum in quoquam offendere vererentur. Hinc multa multi, in primis Lanfrancus, ei ejusque ecclesiæ conferebant, quæ ille in alios, maxime in pauperes refundebat. Auctis itaque ecclesiæ possessionibus, visum est ei, ut pars episcopo, pars monachis cederet, ne quis ejus successorum monachos congruo stipendio fraudaret.

CXXIII. Belli abbates primi.

Interim absoluto Belli [b] monasterio, quod rex Willelmus eo in loco, ubi Haroldum devicerat, ante aliquot annos exstruere cœperat; multis eo confluentibus, rex unum ex his, quos e Majori-monasterio acciverat, monachum quemdam & monasticæ disciplinæ servantissimum, Gausbertum [c] nomine, abbatem præfecit, ea tamen lege, ut nec ipse, nec successorum ejus ullus a Majori-monasterio penderet; & ut mortuo abbate, universa [d] possessio monasterii libera & integra in potestate prioris & monachorum esset, ob hanc scilicet causam, quod *abbas de Bella proprios reditus non haberet, sed communes cum fratribus.* Principio illic sexaginta monachos rex congregari statuit, monasterium tot possessionibus dotaturus, *ut conventus ejusdem numero septies-viginti monachorum exsisteret*, quibus panes ex regia mensa, quorum singuli *sexaginta solidos*, seu tres libras penderent, suppeditari voluit. Eisdem monachis collata [e] fuit sancti Olavi regis apud Exoniam capella, quæ postmodum in monasterium accrevit, sancti Nicolai patrocinio insignitum. De hac cella intelligendus est Anselmus, in epistola [f] ad Osbernum episcopum Exoniensem, quem rogat, ut prohibeat clericos suos ab infestatione monachorum *de monasterio, quod vulgo dicitur de Bataille*, in ejus civitate commorantium; nec ipse impediat, quo minus iidem monachi signa pulsent secundum ordinem suum pro divinis officiis. Ea denique Belli monasterii prærogativa & libertas fuit, ut tota in circuitu ad unam leugam possessio ab omni tributo & exactione immunis esset; & quisquis reus ad ejus ecclesiam confugisset, in nullo læderetur, sed liber & absolutus dimitteretur. Ab-

[b] V. lib. 63. n. 3.
[c] Monast. Anglic. to. 1. p. 314.
[d] ibid. p. 318.
[e] ibid. p. 323.
[f] Anselm. lib. 3. ep. 109

bati quoque per totum Angliæ regnum latronem vel furem, alteriusve criminis reum, a supplicio liberare concessum erat. De hoc monasterio agens [a] Ordericus, ait Willelmum multis opibus vel fundis, ut regalem decebat munificentiam, illud ditasse, ibique Goisbertum seu Gausbertum, Majoris-monasterii religiosum monachum, abbatem constituisse: quo monitore illic monasticus ordo & regularis disciplina commode viguerit: post cujus obitum Henricus, Cantuariensis prior, abbatis officium honorifice gessit; & post eum Rodulfus Roffensis prior, monachusque Cadomensis, qui studio sanctitatis & salutaris doctrinæ multis profuit, & in bona senectute, spiritualibusque studiis fervidus obiit anno Heinrici regis vicesimo-quinto. Henricus abbas Anselmo perquam familiaris erat, ut jam vidimus, patebitque ex consequentibus, nbi etiam de Rodulfo agendum. Hunc puto esse Rodulfum monachum, ad quem duas Anselmus [b] epistolas scripsit, & quem jam abbatem in alia [c] salutat.

[a] Orderic. indit. lib. 4. p. 505.

[b] Anselm. lib. 1. ep. 20. & 21.

[c] id. lib. 2. ep. 30.

CXXIV. Ingulfus fit abbas Crulandensis.

Amoto sub finem anni præcedentis Wlketulo abbate in synodo Londoniensi [d], a præfectura monasterii Crulandensis, & in claustrum Glastoniæ relegato, suffectus in ejus locum Ingulfus, tum Fontanellæ in Neustria prior. Is natione Anglus, domo Londoniensis, primum in Westmonasterio, dein Oxonii litteris eruditus, Willelmo Nortmannorum duci, qui in Angliam ad colloquium cognati sui Edwardi trajecerat, adhæsit, ejusque scriba factus est, multæ in ejus curia auctoritatis. Inde Jerosolymam cum triginta sociis, plurimisque Germanicis episcopis & optimatibus pro-
» fectus, & post multa pericula nudipes & macie confectus cum viginti dumtaxat so-
» ciis, reversus in Neustriam; ne de cetero, ut de se ipse scribit, mundi vanitatibus se
» involveret, domum suam scopis mundatam, deinceps mundam conservare volens,
» ad cœnobium Fontanellense convolavit: ubi a Gerberto abbate monastico habitu
» indutus delicta juventutis suæ emundare & emendare indefessa vigilantia fategit. Post aliquot annos, mortuo venerabili priore domno Vitono, ab eodem abbate in partem sollicitudinis vocatus est. Dein ab eodem missus ad comitatum Willelmi ducis, qui post mortem Edwardi apud sanctum Walaricum trajiciendi in Angliam tempus aptum operiebatur, eidem abbatis sui nomine duodecim juvenes electos, equites & armatos cum centum marcis obtulit, a quo grati animi causa donationem totius villæ Cari-loci obtinuit. Denique Willelmus, Anglia in potestatem redacta, Ingulfi memor, vacante post Wlketuli depositionem Crulandæ abbatia, eum in Angliam accersivit, & prædicto monasterio abbatem imposuit. Hæc omnia fusius narrat Ingulfus ipse in chronico monasterii sui, ubi se in natali Domini a Lanfranco archiepiscopo, & ab episcopo Lincolniæ Remigio apud Londoniam benedictum, & in conversione sancti Pauli hoc anno ineunte Crulandæ installatum fuisse tradit. Illic monachos sexaginta-duos invenit, ex quibus quatuor fratres laïci erant, præter multos alios ejusdem loci, ut ipse vocat, *comprofessos*, qui in aliis monasteriis versabantur. Statim atque præfecturam iniit novus abbas, monasterii possessiones distractas recuperare studuit; & antecessoris sui commiseratione tactus, eum e Glastoniensi ad Burgense monasterium, ubi humanius cum illo ageretur, transferri curavit, subinde eum Crulandam invitans, omnique honoris officio prosecutus ad decem annos, quibus ipse Wlketulus supervixit. Inter ea, quæ Ingulfus fecit, monasterii sui possessiones regia auctoritate recenseri curavit, prolatis chartis & instrumentis, quæ tum *Saxonica, tum Gallicana manu* conscripta erant. quæ Gallicana manus a tempore Alfredi regis, qui a Gallicanis doctoribus eruditus fuerat, frequentari cœperat.

[d] V. supra lib. 64. n. 109.

CXXV. Gerardus Jerosolymis reversus, fit abbas.

In Gallia Gerardus Corbeïæ monachus & ædituus, cum sancti Petri ecclesiæ instaurandæ & exornandæ operam impendisset, sacra Jerosolymorum loca voti causa perlustrare constituit. Petita & fere negata venia, Fulco abbas tandem flagitanti ea conditione annuit, ut ad monasterium post peregrinationem reverteretur. Discessit itaque vir Dei, lustratoque Domini sepulcro, aliisque sacris locis, ad sua remeavit. Post ejus reditum abbas sancti Vincentii apud Laudunum Reginerus, qui ipsius carnalis frater erat, ex hac vita migravit, & ut in ejus locum succederet Gerardus, postulatus est. Hic subiit onus non libenter: at cum illius loci fratres ad resecanda peculiaria, aliaque vitia minus obsequentes experiretur, abdicandæ præfecturæ propositum iniit. Consultus hac de re quidam piissimus ejus loci inclusus, auctor ipsi fuit, ut inde discederet, eique milites quosdam haud ignobiles, qui relinquendi sæculi consilium eodem auctore ceperant, sociavit, ejusque providentiæ commendavit. Tum Gerardus, resignato in manus Helinandi episcopi, a quo institutus fuerat,

abbatis officio, cum sociis Lauduno discedit, ad exteras peregrinaturus regiones. Audiendus hac de re Gerardus ipse in notitia ab eo facta de origine monasterii Silvæ-majoris. *Ego Geraldus Deo largiente abbas, quamvis indignus, diu optaveram eripi de mundanis fluctibus, quibus contundebar acrius, quam fragilis ferre posset animus. Ceterum subjecti mihi minus obediebant, nec eorum ferrea molliri pectora quiverant, quos quidem sæcularia plus nimio negotia induraverant. Denique, monstrante divina clementia portum salutis, placuit animo antra petere solitudinis, ubi nulla esset sæcularis habitatio hominis. Itaque, commendata episcopo cura commissi gregis, egressus sum de monasterio comitantibus paucis, ignorans omnino quo cursus ferret itineris. Sed tandem, Domino ducente, quippe qui numquam abest sperantibus in se, pervenimus ad dominum Willelmum Pictavensem comitem, virum adprime nobilem, totius quoque Aquitaniæ ducem, qui locum attribuit nobis congruum, Silva-major nuncupatum.* Hactenus Gerardus.

CXXVI. S. Medardi abbas Arnulfus.

Paullo ante apud Suessionas in monasterio sancti Medardi mortuus erat Rainaldus abbas, qui non semel exauctoratus fuerat. Post eum Pontius quidam pseudomonachus, a Philippo rege abbatiam pretio adeptus, cunctam loci substantiam cum ornamentis ita exhausit, ut divina illic officia ob rerum omnium penuriam defecerint. Tanta indignitate commoti saniores consilii fratres, consilio Tetbaldi seu Theobaldi Suessionensis episcopi, regem adeunt, ab eoque obtinent, ut, ejecto Pontio, novi fieret abbatis electio, qui intrusi damna repararet. Electus unanimi fratrum & loci *casatorum* seu feudatariorum consensu, *concordante clero & populo*, Arnulfus, tunc illic a tribus annis ac dimidio inclusus, & silentii strictissimus observator. Ubi id rescivit, scripto in tabella responso inducias petit in sequentem diem. Dolum advertentes fratres, noctu circum ejus cellam custodes disponunt. Verum, illis somno sopitis, Arnulfus scala conscensa e muro foras se proripit, & per densissimas noctis tenebras errabundus, demum ad quamdam villam, subtus montem Lauduni positam, divertit, indeque ad remotiora loca fugere constituit. Verum errore viarum reversus ad urbem Suessionum, in cavatam rupem se abdit, sed ab agricolis & cæsoribus lapidum deprehensus, ad monasterium reducitur, demumque abbatis onus subire cogitur. Mox regulari disciplinæ reformandæ sedulus incumbit, ecclesiæ ornamenta reficit, ablatasque possessiones recuperat. Ejus rei causa ad pagum Sambricum asello vectus pergit, ut quamdam monasterii villam, Hancenias* vocabulo, a Godefrido Florinensi, viro potenti, qui eam occupaverat, redimeret.

* Hensiennes.

CXXVII. Abbatia cedit.

Dum his studiis insistit vir Dei, æmulum passus est quemdam ejusdem loci monachum, nomine Odonem, qui abbatiæ honorem affectabat. Ut vero Arnulfum a regimine removeret, regi suggerit, ut eum pro veteri more ad militarem expeditionem cogeret, certus fore ut religiosissimus & solitudinis studiosissimus abbas dignitati nuntium remittere mallet, quam sæculari militia implicari. Et quidem res ita successit, sed non omnino ad votum Odonis. nam conditione proposita, re vera maluit vir Dei præfecturam abdicare, quam militiam sectari. Hoc facto consternati fratres, eum consulunt, ecquem in suum locum substituendum censeret. Ille vero Gerardum suggerit, qui forte tum ad eos post abdicatam sancti Vincentii præfecturam in transcursu diverterat. Acquiescit Gerardus. quo audito, Pontius ille tyrannus, qui denuo abbatiæ inhiabat, Bertam reginam de expellendo Gerardo sollicitat. Ut id præverteret Arnulfus, e cella in quam denuo se recluserat, reginam adit, ut eam ab hoc consilio deterreret; abnuenti repudium & malam mortem vaticinatur. quod ita non multo post accidit: siquidem Berta ob Bertradam a Philippo rejecta, in Pontivum cum dedecore relegata est, ubi multa calamitate affecta, more plebeio reliquum vitæ traduxit, ibidemque sepulta est. Gerardus vero ab ea pulsus, dedit locum iræ, & in Aquitaniæ partes cum sociis secessit, ubi a duce honorifice exceptus, illustre cœnobium in Silva-majori exstruxit. Ceterum Arnulfus in optatam cellam denuo se recepit, ubi in precibus, vigiliis, & jejuniis cum rigido silentio perstitit, donec ad Suessionensem episcopatum promotus est. Diebus dominicis & sollemnibus claustrales cibos edebat ad vitandam vanitatem. Auctores hac in re habuit Gregorium VII. Hugonem abbatem Cluniacensem & Girardum Silvæ-majoris abbatem, quorum litteris sæpe erudiebatur, ut ne plus saperet quam oporteret.

Gerardus suffectus pellitur.

In ea reclusione multa futura prædixit, in his prolem Bertæ reginæ ex Philippo nascituram; malam fortunam Albrici Codiacensis domini, ab Avelina conjuge de-

ANN. CHR. 1076.

pravati, cujus captionem Ermengardi ejus sorori, quæ Guidoni Castellionensi toparchæ nupserat, prænuntiavit. Felicem quoque partum vir Dei asseruit eidem Ermengardi prægnanti, cujus filio absque oculis nato, saliva adhibita oculos patefecit. is Petrus dictus est, factus suo tempore archidiaconus Suessionensis. Denique, ut alia taceam, Gerici nobilis militis, sui olim in sæculo consodalis, conversionem a Deo precibus obtinuit, agente Judith ejus uxore, cui liberis orbatæ filium, nomine Lambertum, paterni honoris futurum heredem, cælitus impetravit. Nec illud reticendum, quod venenum in pisce latens deprehendit, Adela sorore sua præsente, cujus filio mortem ob matris superstitiosum factum evenisse affirmavit.

CXXVIII. Codiciacus ejusque domini.

Præmissum Arnulfi vaticinium de Albrici Codiciacensis dejectione nos admonet, ut hic quædam observemus de Codiciaco, ejusque dominis, quorum frequens mentio in consequentibus occurret. Chlodoveus Magnus beato Remigio res quasdam concessisse traditur Suessionicæ civitati vicinas, quarum *capita* erant *Luliacus* * *& Codiciacus* *, quæ loca ad fluviolum Aquilam * in pago Laudunensi posita, Remensis ecclesia possedit usque ad tempus Frodoardi [a], a quo hæc accepimus. Utriusque loci ecclesiæ, Codiciaci scilicet ac Luliaci, qui in editis mendose *Juliacus* dicitur, sancto Remigio sacræ sunt. Initio sæculi decimi Herveus Codiciacum præsidio [b] munivit. Non multo post sancti Remigii monasterium, quod ad id tempus in potestate Remensium archiepiscoporum fuerat, proprios abbates habere cœpit, eique Codiciacum castrum concessum est. Verum illud non diu tranquille possedit. nam Viromandensis comes Heribertus nomine Hugonis filii sui, quem in episcopatum Remensem, pulso Artaldo, intruserat, tum Theobaldus Campaniæ comes, aliique subinde principes, locum illum occuparunt. in his Rotbertus quidam, dictus *Cociaci* dominus, qui multas sancti Medardi abbatiæ molestias intulit. Hunc excepisse videtur Albricus laudatus in actis sancti Arnulfi, tunc sancti Medardi abbatis, qui Ermengardi Albrici sorori, mariti sui Guidonis salutem ejus precibus commendantis, prædixisse traditur, postridie fore, ut Albricus ejus frater, Codiciaci dominus, conjugis suæ Avelinæ consiliis depravatus, ab inimicis caperetur & castello suo privaretur. Id factum ab Ingelranno, Drogonis Botvensis, ut videtur, filio, qui hoc castellum ab ecclesia sancti Remigii advocatiæ nomine accepit sub annuo, ut prius, censu sexaginta solidorum, quos diu persolvere detrectavit, sed tandem piorum virorum monitis compunctus acquievit. sicque hic locus ad ejus posteros Codiciacenses præpotentes dominos devolutus est.

* Lully.
* Coucy.
* l'Aiglette.
a Frod. lib. 2. cap. 14.
b Id. lib. 4. c. 13.

CXXIX. S. Basolo data duo altaria.

Etsi Manassæ Remorum archipræsulis, eo nomine primi, fama sinistra fuerit apud sui temporis homines, non tamen omnis pietatis expers erat. Argumento est inter alia instrumentum illud, quo sancti Basoli monasterio duo altaria [c] confert, Atteïæ videlicet atque Caprillæ, eo animo, ut *manum caritatis porrigendo*, animæ suæ portum tranquillissimum præpararet. Hæc vero altaria dedit ea lege, *ut ea fratres per-*
» *petuo sine personatu teneant*, *tantum somniaticas*, id est procurationes, *persolvant*; &
» pro ipso, quoad viveret, duas singulis hebdomadis missas, *unam privatim*, *alteram*
» *vero communiter* celebrent, atque per singulos annos in ejus anniversarii die ejusdem
» loci fratres ex illorum altarium reditibus *in refectorio regulariter epulentur*. *Actum Remis anno dominicæ incarnationis millesimo* LXXVI. *regni autem Philippi regis* XVII. *archiepiscopatus vero domni Manassæ* VII. *indictione* XIIII. Post duos archidiaconos, præpositum, decanum, & cantorem ecclesiæ Remensis apposita sunt signa Heinrici abbatis sancti Remigii, Jotselini abbatis Altivillarensis, Gibbuini abbatis Mosomensis, Raimbaldi abbatis sancti Theoderici, & aliorum. *Bruno cancellarius scripsit & subscripsit*, idem, ut videtur, qui non multo post a Manasse ob ejus facinora recessit, & Cartusiensem Ordinem instituit. Authentico affixum est sigillum Manassæ archiepiscopi, exhibens effigiem beatæ Mariæ, Christum puerum in sinistro brachio gestantis, cum hac inscriptione, *Manasses Remorum archipræsul*.

c Marlot to. 2. p. 172.

CXXX. S. Theoderici & S. Præjecti abbates atque Humolarenses.

Qui in prædicto instrumento laudatur Rainaldus sancti Theoderici abbas, ex auro argentoque exornavit sanctorum Theoderici & Theodulfi abbatum loculos, quos in urbem Laudunum deportavit ad finiendam controversiam, quam super quodam fundo clerici Laudunenses in ipsius monasterium intentaverant. Idem prædictorum sanctorum reliquias per Manassen archiepiscopum e loculis extrahi, & populo ostendi curavit. Rainardi abbatis religione comperta, Ratbodus Noviomensium episcopus, in concilio apud Suessionas in ecclesia sancti Medardi habito, Manassæ archiepiscopi

obtentu, altare villæ *Emmes* sancto Theoderico tribuit sub eadem libertate, qua rex Lotharius altare & ecclesiam Atheïarum eidem sancto concesserat.

Tunc sancti Prajecti apud Viromandos monasterium regebat Waldricus abbas, cujus precibus Heribertus [a] comes, ejus nominis quartus, omnes exactiones eidem loco relaxavit. *Actum apud sanctum-Quintinum anno incarnationis Domini* M LXXVI. *indictione* XIV. *regnante rege Philippo anno* XVIII. Idem Heribertus cum matre sua Pavia confirmavit ea, quæ pater ipsius Otho, ejusque genitrix Ermengardis, ejusdem Heriberti avia, Humolariensibus contulerant, præsente Waleranno abbate, cunctaque ejus congregatione, cui hoc tempore præerat Henricus, & ipse quoque sancti Remigii apud Remos abbas. Eodem anno aut insequente mortuus est Heribertus comes: cui successit Hugo comes Crispeïensis, ducta in matrimonium Adela, ipsius Heriberti filia & herede, cujus frater Odo fatuus principatu indignus judicatus est. Hic est Hugo, Magnus dictus, qui bello [b] contra comitem Andecavensem Philippo regi adfuit, indeque sancti Florentii reliquias e Salmurensi monasterio in Royensem sancti Georgii ecclesiam, quæ ob id sancti Florentii dicta est; reliquias vero sanctæ Pecinnæ e Glonnensi Augustam-Viromanduorum in ecclesiam ejus nominis transtulisse fertur. quod Salmurenses nostri pernegant de sancti Florentii reliquiis, nisi id de quibusdam particulis intelligatur. Certe longe post istud tempus, id est anno M CLIX. apud Salmurum exstabant.

a Hemerė. probat. p. 37. & seqq.

b id. Hist. p. 126.

CXXXI. Varia de Belgicis monasteriis.

Decessit hoc anno Lietbertus episcopus Cameracensis, IX. kal. Julii, sepultus in sancti Sepulcri monasterio, quod ipse in eadem urbe condiderat, ubi sepulcrum suum paraverat ante annos quinque, quam ex hac vita migraret. Vir multæ virtutis, dignusque qui cælitum numero adscriberetur. Liber de ejus vita absque nomine auctoris editus est in Spicilegii tomo IX. Nomen suggerit Aquicinctensis codex, in quo post finem illius vitæ hæc clausula legitur: *Explicit vita domni Lietberti episcopi, edita a quodam monacho, nomine Rodulfo.* qui mihi non alius videtur a Rodulfo monacho, dein abbate sancti Trudonis, qui chronicon monasterii sui, & vitas sanctorum non paucas conscripsit. Balderici chronicon Cameracense desinit in Lietberto, cujus successori ac nepoti Gerardo inscriptum est.

CXXXII. Gerardus II. episcopus Cameracensis.

Gerardus iste, eo nomine secundus, ortus erat ex territorio Alostensi, monachus ac præpositus ad sanctum Vedastum sub Adolfo abbate, postremus episcoporum qui Cameracensi & Atrebatensi simul ecclesiæ præfuerunt. Ejus electionem in concilio examinandam Gregorius papa [c] Hugoni Diensi episcopo committit, propterea quod ille ab Heinrico rege investituram acceperat.

c Greg. VII. lib. 4. ep. 22.

CXXXIII. Turbæ clericorum conjugatorum.

Gerardum porro nostrum ab Hugone Diensi ordinatum fuisse discimus ex epistola clericorum Cameracensium ad Remenses, quorum opem implorant adversus Romanos & suum episcopum, qui eos ad cælibatum adstringere volebant, & unica præbenda contentos esse. In his potissimum sugillant Hugonem Lingonensem, alio nomine Rainardum, *cujus vita*, inquiunt, *& mores satis omnibus innotuerunt; Hugonem quoque Diensem, ut dicunt, episcopum, cujus præter nomen nulla nobis est cognitio.* Dein conqueruntur etiam de suo episcopo, qui Romanorum adstipulationi consentiens, *prædictum onus* eorum cervici imponere moliebatur, & *clericos conjugatos chorum intrare*, ibique *ministrare* prohibebat, eorumque *filios ad sacros ordines provehi.* Ipsis autem ne id ageret humiliter orantibus, & ad metropolitani audientiam appellantibus, respondisse dicitur, « *quod ab Hugone Diensi impositum sibi* [*mandatum*] « *transgredi non auderet, a quo ei exhibita est benedictio.* Hæc satis ad hunc locum: epistolam integram in Appendice referemus. Ejusdem argumenti est Noviomensium clericorum epistola [d] ad ipsos Cameracenses, conquerentium, quod filii clericorum sacris ordinibus arcerentur. Hæc epistola scripta fuit post exauctorationem Manassæ archiepiscopi, quam potius per invidiam, quam per justitiam factam esse causantur.

d Mus. Ital. to. 1. p. 128.

Walterus sancti Sepulcri primus abbas annis fere viginti Lietberto supervixit, quem Colvenerius putat esse auctorem vitæ sancti Vindiciani episcopi ad Johannem Montis-sancti-Eligii primum abbatem. Prædictum Cameracense chronicon scripsit Baldericus, cum esset cantor Morinensis, quod [e] Rainaldus Remorum archipræsul, ipso petente, approbavit. Mortuus est quoque hoc anno venerabilis Fulcardus, qui & Lambertus, abbas Elnonensis, idibus Decembris. Subrogatus est in ejus locum Bovo senior, cujus tempore plurima pars thesauri direpta est, ex quo discordia inter fratres orta est. Successor ejus Hugo ex proposito novam ecclesiam consummavit.

e Marlot. to. 2. p. 202.

ANN. CHR 1076.

Tunc etiam obiit Adelardus [a] abbas Laubiensis in senectute bona, sepultus ante gradus presbyterii veteris ecclesiæ sancti Ursmari. Substitutus Arnulfus agente in primis Oibaldo Cameracensi archidiacono, quem monasterii præpositum & administratorem constituit, qui ambo sacri illius loci bona dilapidarunt. qua de re Laubienses conquesti sunt, scripta epistola [b] ad Otbertum Leodicensem episcopum successorem Henrici, qui Henricus Theoduino seu Deoduino tum successerat, *religionis æmulator non fictus præsul*, ut legitur in libro de vita sancti Theoderici abbatis Andaginensis, ei admodum familiaris.

[a] Spicil to. 6. p. 595.
[b] ibid. p. 598.

Ejus permissu piissimus abbas Romam septima vice profectus est: ubi a Gregorio papa officiosissime susceptus ac retentus per totam paschalis sollemnitatis hebdomadam, indeque cum apostolica benedictione dimissus, ad Remorum urbem accessit. Erat eo anno post rigidissimam hiemem tanta siccitas, ut arentibus agris ingentem mortalibus & pecudibus perniciem minitaretur. Rogatus a civibus Remensibus, quibus ejus sanctitas perspecta erat, ut periclitantibus opem suis precibus conferret, & pluviam cælitus impetraret; diu quidem negavit, sed tandem flagitantium importunitate victus, indicto unius diei jejunio, missa in majori Deiparæ ecclesia celebrata, profusum imbrem a Deo impetravit. Actum hoc anno ab incarnatione Domini M LXXVI. atque communi decreto annalibus Remensibus consignatum, tot habens testes, quot cives ex his, qui in urbe tunc erant, suo tempore superstitites fuisse tradit ejus vitæ anonymus scriptor æqualis. Theodericum laudat in primis chronographus [c] Laubiensis monasterii, cujus ecclesiæ optimum pallium concessisse perhibetur.

[c] ibid. p. 607.

CXXXIV. Varia de Aquitanicis aliisque monasteriis.

Hoc etiam anno Gregorius papa Raimundo Condomensi abbati donationes, ab Hugone Aginnensi episcopo factas, confirmavit. *Datum Lateranis* VIII. *idus Martii per manus Petri S. R. E. presbyteri cardinalis ac bibliothecarii.* quo item anno, & quidem idibus Augusti, Amatus apostolicæ sedis legatus, altare sancti Willelmi confessoris in Gellonensi monasterio consecravit. Gellonensi monasterio tunc præerat Petrus abbas anno M LXXIV. superstes; aut certe Berengarius, quem anno M LXXIX. abbatem fuisse domestica monumenta probant, cui Malefacti cognomen tribuunt. Ei successit Guillelmus ejus nominis primus ineunte sæculo duodecimo.

Excessit e vivis hoc ipso anno Willelmus Ecolismensis episcopus, qui in extremis altare [d] Angeriacense pro remedio animæ suæ monachis Angeriacensibus dedit: hi vero statuerunt, ut duo monachi pro ejus anima semper in ecclesia substituerentur. Ejus obitus contigit XII. kal. Octobris. Successit in episcopatu ipsius frater, Ademarus nomine, patre Gaufrido Ecolismensi *consule* seu comite, Petronilla matre, Stirpensis ecclesiæ abbas, monachorum amans, quos per Ecolismensem episcopatum, quoad potuit, propagavit, auditus aliquando dicere, se cupere, unamquamque sui episcopatus ecclesiam esse prioratum monachorum. cui Hucbertus sacrista respondisse fertur: Et nos, inquit, canonici in singulis ecclesiis Ecolismensis episcopatus singulos vellemus esse episcopos. Hunc excepit Gerardus episcopus, de quo mentio frequens occurret sæculo insequenti.

[d] Labbe to. 2. bibl. p. 257.

CXXXV. Admontense monasterium conditur.

In Stiria Austriæ provincia nobilissimum Admontense monasterium ad fluvium Ansim seu Anassum [*] conditur, dotaturque liberalissime a Gebehardo Saltzburgensi archiepiscopo sub patrocinio beatissimæ Deiparæ-virginis & sancti Blasii episcopi & martyris. Primus ejus loci abbas Isingrinus, e Saltzburgensi sancti Petri assumptus cœnobio, annis sexdecim præfecturam tenuit. Multa passus est Gebehardus a schismaticis, pulsusque ab Heinrico IV. Bertholdum sustinuit sedis suæ invasorem, qui Admontense monasterium non semel diripuit. Post novem annorum vexationes & exsilia ærumnis confectus sanctus præsul anno M XCI. honorifice conditus est in suo monasterio. quo anno Isingrinus abbas multis itidem vexationibus ob eamdem causam confectus, Gisilberto abbati locum fecit. In hoc monasterio aliquamdiu latuit sanctus Thiemo Gebehardi in sede Saltzburgensi successor, de cujus primordiis nunc agendum est.

[*] Ens.

CXXXVI. Thiemonis vita monastica.

Thiemo ingenuis parentibus apud Bajoarios ortus, adhuc puer in Altahensi monasterio, Superiori an Inferiori, monasticis ac liberalibus disciplinis erudiendus traditur. Ubi aliquamdiu illic versatus est, deserendi propositi tentatione pulsatus, illinc recessit; sed mox remordente conscientia in monasterium reversus, cum omnes ei culpam gratuito condonarent, ipse desertoris pœnam sponte subire voluit.

ANN. CHR. 1076.

Post multos in religiosa vita progressus contigit ut Irembertus, Juvavensis seu Saltzburgensis sancti Petri monasterii abbas, propter adversam valetudinem, præfecturam resignaret, & in ejus locum Thiemo ex Altahensi monasterio postularetur. Nec mora expetitus a venerabili Gebehardo archiepiscopo, ab eodem abbas ordinatur. Id factum sub annum M LXXIX. quo tempore Heinricus rex in omnes, qui Gregorio VII. addicti erant, atrociter sæviebat. Hac procella vexatus Gebehardus, & sede sua pulsus est, eique substitutus Bertholdus schismaticus. Hinc veritus Thiemo ne peccatis alienis communicaret, ad Hirsaugiense monasterium, tunc temporis religione celeberrimum, se recepit. Triennio illic exacto, ad sancti Petri monasterium revertit, ejusque administrationem resumsit. qua de re gavisus est invasor, eum suis partibus obsequentem fore sperans. At vir Dei ejus blanditias & contagionem pertimescens in Admontense monasterium secessit: ubi tam diu latuit, dum mortuo Gebehardo, legitimo Juvavensis ecclesiæ archiepiscopo, in ejus locum subrogaretur. Admontensis monasterii situm ita fere describit auctor, qui vitam Thiemonis litteris mandavit. Locus ille inter montana Bavariæ juxta Ansim fluvium situs, aditum difficilem viatoribus præbet, adeo natura undique munitus, ut altissimorum ambitu montium, qui fere ad cælum pertingunt, tamquam muris obsitus videatur. Nullus locus religiosæ solitudini & reclusioni magis idoneus, quem strenui quique monachi amant, expetuntque; alii horrent ac fugiunt. Illic religiosam vitam duxit nobilissima virgo Sophia, Belæ Hungariæ regis filia, de qua inferius.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEXAGESIMUS QUINTUS.

Ab anno Christi 1077. ad annum 1080.

ANN. CHR. 1077.
I.
Heinricus rex absolutus, rursus fidem fallit.

PROGRESSUS Vesontione rex Germaniæ Heinricus, ubi natale Domini celebraverat, emensis alpibus, Gregorio Pontifici, in Germaniam, uti anno superiori condictum erat, accedenti, apud Canusium occurrendum censuit, veniam imploraturus. Post multa ultro citroque colloquia, flexus demum pontifex eum ad pœnitentiam admisit. Accessit ergo propius ad urbem, ut jussus erat, Heinricus, atque intra secundum murorum ambitum (nam triplici opidum cinctum erat) receptus, regio cultu abjecto, laneis indutus, sine calceis, sæviente hieme, jejunus usque ad vesperam responsum pontificis exspectavit. quod cum iterum ac tertio fecisset, quarta demum die, Mathilde comitissa, Azzone marchione, atque Hugone Cluniacensi abbate deprecantibus, ad pontificem admissus est, eique reddita communio eo pacto, ut in Augustano concilio objecta crimina dilueret. Id factum v. kalendas Februarias. Non facile aliam illustriorem in speciem pœnitentiam invenias: at vix a pontifice recesserat Heinricus, cum a Guiberto Ravennate, aliisque ejusdem factionis episcopis in transversum actus, ad ingenium & pristinam contumaciam rediit, & adversus pontificem nova moliri cœpit. Qua re cognita, Moguntinus archiepiscopus, aliique Germaniæ episcopi ac principes Forchemii in Alsatia conveniunt, atque Heinrico imperium abrogant, quod Rudolfo Sueviæ duci deferunt. His de rebus certior factus pontifex, adeundæ Germaniæ ad tot turbas componendas consilium cepit. Mox Bernardum, Massiliensem sancti Victoris abbatem, cum altero Bernardo cardinali diacono ad Teutonicas partes misit, eisque litteris [a] præcepit, ut Heinricum & Rudolfum commonerent, ut ipsi tutum in Germaniam iter procurarent ad seipsos: quorum alter, qui id præstare nollet, communione & regno privaretur; qui vero paruisset, in regno confirmaretur. Litteræ hac de re scriptæ sunt pridie kalendas Junii indictione decima-quinta, quæ huic anno M LXXVII. respondet. Bernardum Massiliensem abbatem in ea legatione captum fuisse testatur Gregorius ipse [b] in epistola ad Udonem Trevirensem archiepiscopum: sed a quo captus sit, & quid ipsi tum acciderit, explicat Bertoldus Constantiensis scribens, Rudolfum regem apud Augustam pascha celebrasse cum legatis apostolicæ sedis: ex quibus unus, *religiosissimus scilicet abbas Bernardus* Romam dirigitur: sed ab Uldarico

a *Greg. VII. lib. 4. ep. 23. & 24.*

b *id. lib. 5. ep. 7.*

rico comite Lentzburgensi, Heinrici assecla, captus & spoliatus, annum pæne dimidium in captivitate detentus est; quem Hugo Cluniacensis abbas de manibus Heinrici vix demum eripuit. Addit idem auctor, Heinricum Uldarico duci beneficia contulisse, *eo quod venerabilem abbatem Bernardum, apostolici legatum, adhuc in captione cruciaret.* Hunc Bernardum Hirsaugiense monasterium tunc adiisse, ibique in medio fratrum mensibus decem cum summa humilitate conversatum fuisse tradit Trithemius; ejusque consilio Willelmum abbatem duos ex suis monachos regularis institutionis perdiscendæ gratia Cluniacum misisse: quibus domum reversis, iterum alios duos, ac tertium duos alios istuc miserit, unde Cluniacensium consuetudines retulere.

ANN. CHR. 1077. Bernardus abbas captus.

II. Lambertus Scafnab. nobilis historicus.

Hic desinit Lambertus Scafnaburgensis, nobilis in primis historicus, relata electione Rudolfi regis, consequentia aliis scribenda consulto permittens, ne scilicet uni præ altero favere videretur. Fuit, ut superius vidimus, monachus Hersfeldensis, Scafnaburgensis a patria dictus, qui vestem monasticam anno M LVIII. idibus Martiis induit Meginhero abbate, exeunte eodem anno a Lupoldo Moguntino antistite presbyter ordinatus, statimque Jerosolymitanam peregrinationem aggressus. Scripsit breves annales ab orbe condito ad annum M L. deinceps vero res potissimum Germanicas fuse & accurate enarratad annum M LXXVII. in quo, ut mox dicebam, prudens desinit. Nemo eo politius res Germanicas, teste Barthio [a], litteris commisit; miraturque Scaliger [b], in sæculo tam barbaro tantam hominis & in loquendo puritatem, & in temporum putatione sollertiam fuisse, ut chronologis nostri, inquit, temporis pudorem aliquem exprimere posset, si aliquem sensum harum rerum haberent. Maderus Lamberto tribuendum suspicatur libellum de institutione Hersfeldensis monasterii ab se editum: at stilum Lamberti & ingenium non assequitur monachus ille Hersfeldensis, qui se novitium scriptorem esse fatetur, & *exercendi causa ingenii* suscepisse hoc opus, in cujus prologo monasterii sui infelicem statum describit. Quam diu post hunc annum supervixerit Lambertus, nobis incompertum.

a Barth. advers. 49. c. 4.
b Scalig. de emend. temp.

Gerardi card. & Agnetis aug. obitus.

Eodem tempore obiit Gerardus cardinalis & episcopus Ostiensis e nostris, qui ad reconciliandos Mediolanenses una cum Anselmo Lucensi antistite a pontifice legatus, in Longobardia ab Heinrici hominibus captus est, testante Gregorio papa [c], & cum eo Anselmus Lucensis episcopus, ut scribit Bertoldus, qui Gerardi obitum eodem anno refert his verbis: *Geraldus venerabilis Ostiensis episcopus, jam dudum sæculo vivus, mundo crucifixus, de hujus vitæ ergastulo liberatus est* VIII. *idus Decembris.* Sic legendum videtur, aut IX. kalendas, non IX. idus, ut in editis. Fuerat is monachus ac prior [d] Cluniacensis, antequam in Ostiensi episcopatu Petro Damiani succederet.

c Greg. VII. lib. 5. ep. 5.

d V. lib. 60. n. 18.

Relato ejus obitu, Bertoldus subdit, Agnetem religiosissimam imperatricem, *viginti annis*, immo viginti duobus, in viduitate devotissime expletis, filio suo Heinrico contra apostolicam sedem nequaquam consentientem, Romæ in pace requievisse, ibidemque sepultam fuisse in ecclesia sanctæ Petronillæ. idem tradit Uspergensis abbas. at in ejus epitaphio apud Baronium relato, Agnes imperatrix augusta, post mortem Heinrici II. viri sui anno XXII. die XIIII. mensis Decembris, animam, bonis operibus fecundam, Lateranis Salvatori suo atque omnium bonorum Deo auctori reddidisse dicitur; & hic, id est ad sanctum Petrum, ubi antea militaverat, clavigero cæli, pro cujus amore ibidem peregrinata fuerat, quinta die mensis Januarii membra carnis commendasse. Confer ea quæ superius diximus [e] de religiosa ejus vita. Heinricus ejus filius Papiæ [f] hoc anno versabatur III. nonas Aprilis, cum bona & privilegia suburbani Salvatoris monasterii confirmavit.

e lib. 61. n. 101.
f Bullar. Casin. to. 2. p. 111.

III. Benedictus abbas Clusensis multa passus.

Heinrico assentabatur Cunibertus Taurinensis præsul, admodum infensus Benedicto Clusensi abbati, Gregorii papæ partibus addicto, quem ille ob hanc maxime causam plurimum exagitavit, ac demum adjuncto Petro marchione, expulit e monasterio. Dum in vico sancti Antonini exsul moraretur Benedictus, legendæ sancti Benedicti regulæ intentus, super quibusdam ejus sententiis scrupulos passus est: at earum sensum, monente in somnis ipso sancto Benedicto, ex lectione Cassiani assequitur. Exstant Gregorii litteræ [g] de causa, quæ inter Cunibertum & Benedictum vertebatur, quibus pontifex damna monasterio illata resarciri jubet, præcipiens, ut in proxima synodo episcopus se sistat, ut sancti Michaëlis monasterium probet in proprietate & allodio episcopii sui, uti asserebat, constructum esse. Idem a Gregorio Romam invitatus, cum inde ad Casinum montem tenderet, ab Heinrici satellitibus comprehen-

g Greg. VII. lib. 6. ep. 6.

ANN. CHR. 1077.

sus, multas passus est injurias, longe majores passurus, ni Adelaidæ marchisæ interventu liberatus fuisset. Reversus itaque ad monasterium, Petro marchione & Cuniberto episcopo mortuis, quietam illic vitam deinceps acturus videbatur. at nova ludibria passus est a Witelmo Cuniberti successore, necnon a Gregorio-Vercellensi schismatico, cui aliquando missam in monasterio celebrare volenti constanter restitit, multis ob id injuriis ab eo affectus. Adelaida marchisa, mox laudata, filia erat Manfredi Segusiæ marchionis, uxor quondam Odonis, quæ Pinarolensem, ut vidimus, abbatiam construxit, monachorum colonia Clusis adducta. Huic soror erat Immilla, quæ hoc anno sancti Petri ecclesiam apud Musinascum [a] in monasterium convertit, eo pacto, ut quolibet anno, in *missa* seu festo sancti Martini unciæ auri census Romanæ sancti Petri ecclesiæ solveretur. Eadem Immilla conditrix fuit parthenonis virginum Benedictinarum [b] apud Caramaniam, quarum loco substituti ejusdem Ordinis monachi, ac demum Hieronymiani.

Musinasci & Caramaniæ monasteria.

a *Ital. sac.* to. 4. p. 1455.

b *ibid.* p. 1457.

IV. Warmundus abbas fit archiepiscopus Viennensis.

Viennæ in Gallia, post mortem Leodegarii archiepiscopi, in illam sedem subrogatus est Warmundus abbas Dolensis in pago Bituricensi, cujus electionem Gregorius papa laudavit, scriptis litteris ad clerum & populum Viennensem, gratulatus, quod haberent *ex dono divina propitiationis ordinatum Warmundum, bonum & justum episcopum, virum religiosum atque prudentem*, cui eos obedientes esse jubet. Idem pontifex aliis litteris Warmundo ipsi confirmat Viennensis ecclesiæ primatum super septem provincias, eidemque ecclesiæ subjectas esse vult virorum abbatiam sancti Petri extra portam urbis sitam, atque virginum abbatiam sancti Andreæ intra eamdem urbem; necnon sancti Theuderii abbatiam, quæ ejusdem diœcesis erat. Idem Gregorius eidem archiepiscopo mandavit, ut censuris compelleret sanctimoniales sanctæ Columbæ juxta Rhodanum ad præstandam abbatiæ sancti Petri obedientiam. quod cum illæ exsequi differrent, illius negotii curam archidiacono Vapincensi commisit. Hæc ex Antiquitatibus Viennensibus Johannis a Bosco. Tunc Viennensem pagum regebat Geilinus comes, qui suburbanam sancti Victoris ecclesiam concessit, vel potius asseruit sancti Theofredi cœnobio pro animæ suæ & filiorum suorum remedio, maxime pro anima Willelmi filii sui, qui ejusdem cœnobii monachus, & postmodum abbas fuit. Huic donationi assensit Warmundus archiepiscopus mox laudatus. Eamdem ecclesiam Lambertus Valentinensis episcopus, jam pæne desertam, longe ante Guigoni abbati instaurandam commiserat, scilicet anno M. XI. Dolensem abbatiam cum archiepiscopatu retinuit Warmundus usque ad obitum, qui post sex annos contigit. De eo conqueritur Manasses Remorum archiepiscopus in litteris [c] ad Gregorium papam.

c *Labbe* to. 1. *Bibl.* p. 203. & *Greg. reg.*

V. Cluniaco auctus census a rege Alfonso.

Hoc anno Adefonsus seu Aldefonsus, vulgo Alfonsus, rex Leonum in Hispania, sanctis apostolis Petro & Paulo apud Cluniacum, & domno Hugoni, totique ejus congregationi annuum censum, quem Fredenandus seu Ferdinandus ipsius pater dare consueverat, duplo auxit pro anima ejusdem patris sui & matris suæ Sanciæ reginæ, sed tamen eo pacto, ut, quod ille vestimentorum causa concesserat, emendo tritico inserviret, eo maxime anno, quo magna frugum sterilitas fuerat. *Data* VII. *idus Julii, æra* M C XV. *regnante rege Adefonso in Legione & Castella & in Pampilione*. Petrus Azuris & Didacus Azuris comites, Gondisalvus Salvatoris comes, Monius & Gonsalvus comites, & Sancius Ordonii itidem comes id confirmant; ex episcopis Pelagius episcopus in sancta Maria, Petrus Asturicensis, & Bernardus episcopus incertæ sedis; ex abbatibus Fredenandus, Julianus & Ramirus, non designatis eorum monasteriis. Ex his Julianus abbas erat monasterii sanctorum Facundi & Primitivi.

Carionis monasterium & alia eadem dicta.

» Hoc item anno Tarasia comitissa uxor comitis Gomiz-Didaz, cum liberis suis,
» quoddam monasterium sub patrocinio S. Johannis-Baptistæ & S. Zoyli constructum
» juxta urbem sanctæ Mariæ, *qua dicitur Carrionensis*, & corporibus sanctorum Cor-
» dubensium, Zoyli & Felicis decoratum, quod hereditario jure ipsi provenerat, *fun-
» datum antiquitus supra ripam ejusdem fluminis*, scilicet Carionis, *ad ingressum & exi-
» tum porta*, quod prædictus comes & ipsa ejus conjux instauraverant, cum suis adjun-
» ctis confert sacrosancto cœnobio Cluniacensi æra M C XV. *regnante Aldefonso rege in civitate Legionensi usque ad montes Pyraneos, præsidente episcopo Pelagio in eadem civitate, & Bernardo præsule in Palentia & domno Symeone in Burgos*. Carion nobile oppidum est in regno Legionensi ad fluvium cognominem in ipso limine Castellæ veteris. Illic habetur sancti Zoyli monasterium Benedictini hactenus Ordinis, in quo

sancti martyris Felicis Complutensis corpus in argentea theca servatur, & magna religione colitur, teste Morale in notis ad Eulogium, ubi observat, illuc sancti Felicis corpus translatum tradi, tametsi ejus cadaver per ignem & aquam dissipatum fuisse testetur Eulogius [a]. Verum potuit pia christianorum diligentia, inquit Morales, ossa non penitus consumta de flumine extrahere. quod utique facile fuit, cum igne desiccata supernatarent. Idem *serenissimus princeps*, cum consensu sororum suarum Uracæ & Gelviræ, filiarum *magni ac gloriosissimi imperatoris Fredenandi*, parvum habitaculum, quod ad-Eremitas vocant, situm sub alpe Cerratos procul amne Durio, « cum monasterio sancti Petri de Campo-modo, Hugoni abbati concedit, *ut ordo & regula sancti Benedicti, & instituta Cluniacensium ibi studiose serventur*, ad honorem « sanctorum Jacobi apostoli & fratris ejus Johannis, Petri & Pauli, Martini episcopi, « & ceterorum, quorum reliquiæ illic reconditæ erant, eo pacto, ut Hugo ipse & « frater ejus Rainerius abbas, & qui post eum fuerint cum fratribus suis, teneant ibi « ordinem & consuetudinem Cluniacensium, & nullus homo super eos potestatem habeat nisi solus abbas Cluniacensis. Actum æra M C XV. & quidem XI. kalendas Junii. « Subscribunt post Aldefonsum Agnes regina, Uracha & Gelvira filiæ Fredenandi principis, Bernardus episcopus Palentinæ sedis, & Simon Aucensis; Sisebudus Caridignæ abbas, Julianus abbas sanctorum Facundi & Primitivi, Vincentius abbas sancti « Petri de Aslanza, & Rainerius abbas una cum fratribus, quos habebat in subjectione « domni Hugonis abbatis.

a Eulog. Memor. lib. 3. c. 9.

VI. Cluniaci & Hugonis abbatis elogium.

Honorificum in primis est Gregorii VII. privilegium, Cluniaco datum hoc anno in concilio Lateranensi, in quo pontifex patres alloquens ait, inter ultramontana monasteria eminere [b] Cluniacense monasterium, tutelæ apostolicæ sedis præcipue assignatum, quod sub religiosis & sanctis abbatibus ad id usque dignitatis & religionis « pervenit, ut ceteris monasteriis, quamvis multo antiquioribus, in Dei servitio & fervore præcellat, & nullum in terra illa huic omnino adæquari videatur. Cujus rei « causa sit, quod omnes ejus ad id tempus abbates sancti fuerint, nec ulli, eorumve monachi, Romanæ ecclesiæ filii, umquam degeneres exstiterint, aut genua sua « coram Bahal curvaverint: sed ejus semper libertatem & dignitatem imitantes, quam « ab origine traxerunt, auctoritatem nobiliter servaverint, nulli umquam nisi beati « Petri potestati subjecti. His præmissis, pontifex ejus immunitatem confirmari censet: « cui omnes assentiuntur. «

b Bullar. Clun. p. 21.

His apprime convenit elogium, quod idem protulit [c] de sancto Hugone Cluniacensi abbate in epistola ad Hugonem Diensem episcopum hoc anno scripta, ei præcipiens convocari synodum in Gallia ad examinandam causam Gerardi Cameracensis episcopi, anno superiore, ut vidimus, electi, qui investituram ab Heinrico rege imprudens acceperat; necnon causam Catalaunensis episcopi & Carnotensis ecclesiæ, Aniciensis, Arvernensis, aliarumque. Hæc autem omnia discuti jubet coram ipso Diensi episcopo, Manasse Remensi archiepiscopo, & Hugone abbate, quem laudat his verbis. *Volumus etiam ut fratrem nostrum Hugonem venerabilem Cluniacensem abbatem tecum synodo interesse ex nostra parte convitare rogando, & multum instando procures, cum propter alia multa, tum maxime ut causa Arvernensis ecclesiæ competenti & firma determinatione cum Dei & illius adjutorio finiatur. Confidimus enim in misericordia Dei & conversatione vitæ ejus, quod nullius deprecatio, nullius favor aut gratia, nec aliqua prorsus personalis acceptio eum a tramite rectitudinis dimovere poterit.* quo elogio nihil magis honorificum afferri potest. Porro Aniciensis ecclesiæ causa erat Stephanus de Mercorio, cui propter simoniam episcopatus abrogatus. Hæc epistola scripta est IV. idus Maii, indictione XV.

c Greg. VII. lib. 4. ep. 22.

VII. Æduense concilium.

Ad has causas dirimendas Gregorius synodum in his partibus haberi, *cum consilio & consensu regis Francorum*; si vero noluisset, apud Lingonas convocari iisdem litteris præcipiebat. Hanc apud Æduam celebrari consultius visum est, assentiente Hugone Burgundiæ duce: ubi multi ex Francia & Burgundia illustres viri, episcopi, abbates, monachi ac nobiles convenere, ut scribit Hugo Flaviniacensis. Tunc sancti Benigni Divionense monasterium, Adalberone abbate IX. kal. Februarii mortuo, rectore destitutum erat, & de successore deligendo monachi diffidebant. Movebat in primis antiquæ nobilitatis & religionis monasterium, quod a pristino fervore, Rotberti ducis violentia & incuria prælatorum, nonnihil deflexerat ex eo tempore, quo rediviva illic religio beati Willelmi opera maxime refloruerat. Et quia labente inte-

ANN. CHR. 1077.

rius religione exterius quoque cetera defluunt, *intus parum erat religionis, foris cumulus desolationis.* Synodo aderat Jarento, Casæ-Dei prior, querimoniam facturus de injuriis suo monasterio illatis; aderat quoque Rainardus Lingonensis præsul, cognomine Hugo, cujus erat sancti Benigni monasterio prospicere, qui Jarentonem ante ejus conversionem noverat, ejusque religionem compertam habebat. Concilio inito, de multis ecclesiæ necessitatibus quatuor primis sessionibus actum est. Accusatus simoniæ Manasses archiepiscopus a suis clericis, & suspensus ab officio, quia vocatus ad concilium non venerat ut se purgaret. Quinta die in sede Lugdunensi substitutus est Gebuinus archidiaconus Lingonensis in locum Humberti ob simoniam expulsi, qui ad Iurense sancti Eugendi cœnobium secesserat, ibique monachus factus erat.

Jarento fit abbas Divionensis.

Id ægre tulit Lingonensis præsul, conquestus quod patres dextrum ei eruissent oculum, cui suum abstulissent archidiaconum, in quo suum ipsius consilium, totiusque diœcesis solatium residebat. Tum sancti Benigni monasterio idoneum rectorem providendum monet, qui labentis religionis damna resarciat. Rogatus edicere, ecquem ad id aptum censeret; ille Casæ-Dei priorem manu designans: *Date mihi*, ait, *hunc piscem de fonte Dei.* cui obtinendo Hugonis ducis preces adhibuit. Repugnabat Hugo Diensis, qui eum Casæ-Dei necessarium judicabat: sed maxime reclamabant Casæ-Dei monachi, qui cum priore suo synodo aderant: nec minus prior ipse resistebat. Jamque fugam clanculum parabat, cum patrum jussu capitur, tenetur, & Lingonensi traditur episcopo, quem legatus monet, ut Deo de concesso tali viro gratias agat, ipsumque ea caritate foveat, quo olim Bruno episcopus Willelmum ejusdem loci abbatem. quod ille dignitatis suæ periculo pollicitus est. Id actum sexta sessione. Mox Divionem missus nuntius, qui electum monachis nuntiaret. Adsunt ilico monachi, & electioni assentiuntur. Nec mora uno die, id est XV. kalendas Octobris, Æduæ consecrati sunt Gebuinus in Lugdunensem archiepiscopum a legato, & Jarento in abbatem ab episcopo Lingonensi. Hic statim Divionem pergens, die XXI. Septembris apud sanctum Benignum exceptus est. Observato loci statu, cum languentem illic religionem, domum ære oppressam alieno, ecclesiam ornamentis spoliatam, ædificia denique semiruta vidisset; consilium & opem ab Hugone Cluniacensi abbate quærendum judicavit, ut ex eodem fonte resurgeret monasterium, ex quo per Willelmum abbatem derivata erat ejusdem loci religio. Nec eum fefellit vana spes. nam inde octo accepit religiosos monachos, ex quibus unum priorem constituit, ceteris singula officia deputavit: ut eorum exemplo reliqui inolita vitia corrigerent, & virtutes appeterent. Sic brevi factum est, ut in pristinum statum inibi refloresceret religionis cultus, & amissa recuperarentur, & nova acquirerentur, multique nobilium & mediocrium Deo militaturi eo confluerent.

VIII. Manasses Remorum archipræsul exauctoratus.

Ad prædictam synodum citatus, ut diximus, Manasses Remorum archipræsul, ut se de objectis criminibus purgaret, adesse recusavit. Adfuere clerici Remenses ejus accusatores, scilicet Manasses alter, Bruno & Pontius. Accusationum præcipua capita erant, simoniaca in sedem Remensem intrusio, sacræ supellectilis direptio, spoliatio clericorum, ecclesiarum, abbatiarum, injustæ excommunicationes. Manasses unus ex ejus accusatoribus is esse videtur, qui post Rainaldum, Manassæ archiepiscopo suffectum, illam sedem adeptus est: Bruno vir ille sanctus erat, ab ecclesia Coloniensi ad Remensem translatus, qui ejusdem Manassæ sceleribus offensus, postmodum in solitudinem secessit, ubi sacri Ordinis Cartusiensis fundamenta jecit. Damnatus ab Hugone Diensi Manasses in concilio Æduensi, Romanum pontificem appellavit, obtinuitque ab eo, ut, quia legatum sibi infensum causabatur, non ille, sed abbas Cluniacensis de se judicaret. Ita enim asserit idem ipse Manasses in Apologetico, in quo Hugoni Diensi rationem reddit, cur ad Lugdunense concilium ab eo vocatus non adesset. Excusandi causas referre non est nostri instituti, quas cuivis in illo Apologetico a me edito [a] legere licet, scripto ante concilium Lugdunense anno MLXXX. celebratum. In illo scripto ait, se cum Manasse pro omnibus sociis concordiam fecisse, exceptis duobus, *quorum unus*, inquit, *scilicet Bruno, nec noster clericus, nec noster natus aut renatus est, sed sancti Cuniberti Coloniensis, in regno Teutonicorum positi, canonicus est: cujus societatem non magnopere affectamus, utpote de cujus vita & libertate penitus ignoramus; &, quia quando apud nos fuit, multis beneficiis a nobis in eum collatis, male & nequiter tractati sumus.* Hanc solam recusandi

[a] *Mus. Ital. to. 1. p. 119.*

ANN. CHR. 1077.

Brunonis testimonii causam profert Manasses, alias graviores non prætermissurus, si inculpatæ omnino vitæ non fuisset Bruno. Quid ad Manassæ postulata responderit pontifex, ipsius epistola probat, data apud sanctum Germanum subtus montem Casinum, XI. kalendas Septembris, indictione prima, id est anno M LXXVIII. Ex qua intelligitur, præcessisse concilium Æduense, in quo Remenses illi clerici Manassen archiepiscopum absentem accusarunt. Porro Manassen canonicum cum Brunone ei adversari instituisse ex Gregorii VII.[a] litteris discimus, etsi contrarium archiepiscopus asserat.

In eodem Apologetico queritur Manasses, quod Hugo Diensis interdixerit Drogonem Taruennæ episcopum, virum tantæ senectutis, ut, cum ante episcopatum in ordine presbyteri diu permansisset, jam tunc *ultra tempus* LX. *annorum* gradum tenuerit episcopi. Id si ita esset, ejus episcopatus initium ab anno M XVII. repetendum esset. at paullo serius statuendum esse superius[b] vidimus. Jam in locum Drogonis in illa sede successerat hoc annno Hubertus, qui tunc litteris[c] pro erectione abbatiæ sancti Johannis de Vineis in synodo Suessionica subscripsit. Præter ea questus est Manasses, quod duo suffraganei sui, Laudunensis & Suessionensis, se inconsulto Ambianensem consecraverint. quod intelligendum de Radulfo, qui post mortem Fulconis electus est.

a Greg. VII. lib. 7. ep. 20.

b lib. 56. n. 95.

c Marlot. to. 2. p. 173.

IX. Turbæ in sancti Remigii monasterio.

Ex eorum numero quos Manasses archiepiscopus excommunicavit, fuere duo sancti Remigii apud Remos monachi, Robertus & Lambertus, qui ob id Romanum pontificem appellarunt. Excommunicationis hæc causa prætexebatur, quod *cuidam extraneo abbati, interventu pecuniæ*, ut aiebant, *& omnino contra regulam sancti Benedicti & auctoritatem sanctorum patrum, indigne illis & præfato monasterio pro abbate apposito, obedire & sub ejus regimine in eodem cœnobio manere noluerint*. Idcirco se ab « archiepiscopo excommunicatos, &, excæcato quodam eorum fratre laïco, omni « miseria circumventos esse dicebant; nec eis quidquam profuisse, quod sedem apo- « stolicam appellaverint. Hæc cum ex eis rescisset Gregorius papa, scriptis[d] ad Josfredum seu Gosfridum Parisiensem episcopum litteris, ei hanc causam discutiendam committit, eique præcipit, ut archiepiscopum inducat ad relaxandam illam excom- « municationem, & prædictos monachos sine omni molestia in pace dimittendos; sin « minus, ipse eos ab excommunicationis vinculo absolvat; abbatem vero illum, qui « prædictum sancti Remigii monasterium per ambitum occupasse dicebatur, commo- « neat, ut vel Hugoni Diensi episcopo, vel aliis apostolicis legatis, qui in Gallia sy- « nodum celebraturi essent, se sistat introitus sui rationem redditurus; aut certe ad « ipsum pontificem in proxima festivitate omnium sanctorum veniat cum fratribus « ejusdem monasterii, qui de ejus intrusione conquerebantur. «

d Greg. VII. lib. 4. ep. 20.

Henricus ejus loci abbas.

Tunc sancti Remigii cœnobio præerat Heinricus abbas, qui anno superiore Manassæ litteris pro sancto Basolo subscripsit, jam ante Humolariensis abbas. Is post abdicationem Willelmi Mettensis abbatis, cujus superius[e] meminimus, sancti Remigii præfecturam adeptus, eam cum Humolariensi retinuit, adjuncta etiam Novigentensi, quam tamen postmodum dimisit. Huic recte convenit quod *extraneus abbas* in præmissis litteris dicitur. at quod de ejus simoniaca intrusione refertur, obstare videtur Guiberti[f] abbatis testimoninm, qni eum *magnificum virum* appellat; qui etsi *non litteris, non genere clarus esset, in rerum tamen forasticarum* seu exteriorum *sic fuit dispensatione conspicuus, ut interioris regulæ statui bona sollicitudine pariter redderetur intentus*. qui *his tribus monasteriis præsidens, ex ditiorum copiis duorum*, Remigiani scilicet atque Humolariensis, *tertii hujus*, nempe Novigentensis, *quod coalescere cœperat, supplebat indigentiæ*. Ejus porro in Remigiano cœnobio præfecturam Gregorio, ejusve legatis probatam fuisse ex eo intelligimus, quod sancti Remigii abbatiam per viginti duos fere annos retinuit cum Humolariensi, deposita Novigentensi, quam *ævo gravis & oculis captus*, Godefrido sancti Quintini de Monte monacho resignavit, opulentiores retinens, quæ facilius regi poterant. Hæc abbatiarum pluralitas Heinrici abbatis religionem parum probat, cujus in abbatia Novigentensi successoris Godefridi longe defæcatior fuit pietas, qui oblatam sibi sancti Remigii abbatiam recusavit, pauperiore illa contentus.

e lib. 64. n. 39.

f Guibert. lib. 2. de vita sua c. 2.

X. Novigentensis monasterii primordia.

Admoneor hoc loco agere de origine Novigentensis beatæ Mariæ monasterii, quod eo tempore condi cœptum est, uti discimus ex Guiberto, ejusdem cœnobii tertio abbate, qui initio libri secundi de vita sua fuse de ejus primordiis egit. No-

ANN. CHR. 1077.

vigentum locus est maxime solitarius subtus Codiciacum * castrum positus ad amnem Aquilam * in diœcesi Laudunensi: *quantum ad habitationem monasticam novus*, inquit Guibertus, *quantum vero ad usum sæcularem vetustissime cultus*. Ejus antiquitatem probant innumera, quæ illic Guiberti tempore eruebantur sepulcra, quæ gentilium fuisse putat Guibertus, hoc ordine disposita, *ut circulatim in modum choraulæ, sepulcrum unius multa ambirent*, in quibus *quædam vasa*, seu urnæ reperiebantur, *quorum causam* sive usum, ait ille, *nesciunt christiana tempora*. Illic vetustissimum templum erat, *virgini pariture* ante Christum conceptum, ut tum credebatur, dicatum, ubi *quædam littera metro composita* legebantur: quibus rex quidam Britonum, paullo post Christi Domini passionem Jerusalem aditurus, illuc divertisse ferebatur, & in reditu, visis apostolis eodem revertisse, ibidemque mortuum ac sepultum fuisse cum quadam capsula varias reliquias continente, quæ ex ejus tumulo eruta Guiberti tempore ibidem visebatur. Illud certum, exstitisse illic ecclesiam ab antiquo sub nomine Dei-genitricis Mariæ, quæ *villis vetusta memoria, & ditissimis constipata*, magno adjacentium populorum concursu ac veneratione frequentabatur, & miraculis, divinisque luminibus crebro illustrari dicebatur. Hinc *ex devotorum consilio propositum est, ut ad frequentiam divini servitii inibi habendam monachis traderetur*. Principio sex tantum illic collocati sunt monachi ob tenues reditus, iisque præfectus mox laudatus Heinricus sancti Remigii abbas, *qui jamdudum Humolariensi monasterio præerat*. Hic ecclesiam novam consecrari curavit ab Elinando Laudunensi episcopo, a quo privilegiis insignita, a plerisque vero aliis pensionibus & muneribus aucta est. Idem Elinandus altare Novigenti, rogatu Albrici Codiciaci domini, liberum fecit, ut superius [a] vidimus.

* Coucy. * l'Aiglette.

[a] lib. 61. n. 41.

XI. S. Nicolai in Bosco initia.

Novigentensi monasterio, ut situ, ita & tempore proximum fuit cœnobium sancti Nicolai, in saltu Vedogio seu Voëssa situm, vulgo sancti Nicolai in Bosco nuncupatum, quod a quibusdam eremitis originem habuit. De ea sic loquitur Ingelrannus Laudunensis episcopus in suis litteris pro eodem monasterio, anno M C III. datis. *Erat solitudo deserti in silva Voësa, in qua devoti Deo eremitæ cœperunt de proprio labore suo vivere, & ecclesiam in honorem sancti Nicolai ædificare. Deo autem bonæ inceptioni eorum provectum tribuente, de incultis facta est terra cultibilis, de loco bestiarum ecclesia Domini, de solitudine religiosa congregatio monachorum. Erat autem locus ille in parochia sancti Petri de Crispeio.* Hactenus Ingelrannus, qui monasterii ecclesiam liberam fecit, ibidemque parochiam instituit pro devotis laïcis, qui illic habitaturi convenerant. Primus ejus loci abbas fuit Letbaldus, de quo necrologium III. kal. Octobris: *Obiit domnus Letbaldus abbas & fundator hujus cœnobii*. Nullum ejus instrumentum invenimus ante annum M LXXXIX. quo anno Ricuinus ac Warnerus germani fratres, liberiori exorti genere, abbatem & fratres S. Nicolai de saltu rogavere, ut ipsos in suum consortium admitterent, eisque habitum monasticum concederent. quod obtinuere, toto alodio suo, quod in villa Choelniaci habebant, eisdem abbati & fratribus collato. His litteris Clarembaldus dominus Vendolii, Wido frater ejus, aliique subscripsere.

XII. Simonis Crispiacensis conversio.

Non ante præsentem annum M LXXVII. Simon Crispiacensis comes monasticæ vitæ propositum exsecutus est. Ante triennium pontificem consuluerat, quid ageret pro remedio animæ patris sui Radulfi, apud Ambianos in Montis-Desiderii castello humati, quod hic legitimo possessori vi abstulerat. Responderat pontifex, ejus cadaver inde efferendum, alibique sepeliendum; & pro ejus animæ refrigerio missas celebrandas, erogandasque eleemosynas. Huic mandato Simon obsecuturus hoc anno parentis exuvias ex illo castello removit, & Crispiacum in ecclesiam beati Arnulfi transtulit, monasterio insignem, ubi illud ad uxorem ejus, Simonis matrem sepelivit, multasque eleemosynas pro eo erogavit. Insuper beati Arnulfi ecclesiæ per anulum aureum tradidit terram Bonooculi *, & duo pretiosa candelabra, ut per merita beati Arnulfi martyris anima patris sui luce æterna frueretur, litteris datis XI. kal. Aprilis hoc anno, indictione XV. Ex quibus intelligitur, Simonem necdum tunc sæculo nuntium remisisse. Paullo ante quam discederet, prædictam sancti Arnulfi abbatiam Hugoni abbati & Cluniacensi congregationi subjecit, litteris ad Hugonem scriptis, ad ejus vitam a nobis relatis, in quibus ait, se Hugonem præ omnibus mortalibus diligere, eique tradere sancti Arnulfi abbatiam per abbatem unum e suis ordinandam. Hanc unionem postea confirmavit Hugo episcopus Silvanectensis, ad cujus diœcesim Crispeium pertinet. Guibertus [b] abbas auctor est, Simonem, detecto viso-

* Bonœuil.

[b] Guiber. lib. I. de vita sua c. 10.

que lurido patris cadavere, ad tale spectaculum ita exhorruisse, ut jam tunc honores sæculi fastidire cœperit. *Concepta itaque hac ipsa voluntate, fervente tandem desiderio, quod parturiebat emisit, & patriæ suorumque fugax, fines excedens Francicos, Burgundiam ad sanctum Eugendum in territorio Iurensi concessit*, inquit Guibertus.

Rem fusius narrat Simonis vitæ scriptor anonymus. Is, ut superius[a] vidimus, Hildeberti Arvernensis comitis filiam desponderat, eique perpetuæ continentiæ votum persuaserat, eodem & ipsi jam tunc animo affectæ. Inde ad sua reversus, ut de re familiari statueret, a Willelmo Anglorum rege, a quo educatus fuerat, interpellatur, ut filiam suam ducat uxorem, forte Adelam, quæ Stephano-Heinrico Campaniæ comiti postea nupsit. Ille propinquitatis impedimentum obtendit, atque papam hac de re consulendum. Annuente Willelmo, Simon Romam se adire fingit: at in ipso itinere divertit ad sancti Eugendi monasterium, ubi cum sociis, nobilissimis viris, monasticum induit habitum, abjectis sæculi honoribus quam plurimis. Erat quippe non modo Crispiacensis seu Vadensis*, sed etiam Medantensis* comes, necnon Vitriaci, Barri-super-Albam, aliorumque locorum dominus. Tantus vir jam monachus factus, totum se vigiliis, jejuniis, & orationi dicavit, obedientiæ in primis addictus, tantæ denique frugalitatis, ut deficiente tritico, pane avenæ contentus esset. Non multo post ipsius conversionem annuente abbate (is Odo erat) in solitudinem cum aliquot sociis secessit, ubi proprio manuum labore sibi victum comparabat. Cibus ei panis cum aqua, legumen & poma silvestria, & quidem semel in die, exceptis dominicis & sollemnibus festis. Tam insigne exemplum complures illustres viros, in his Hugonem Burgundiæ ducem, necnon Widonem comitem Matisconensem, aliosque ejusdem ordinis viros ad conversionem adduxit, ut videbimus anno sequenti. Præmiserat ante se Simon, ut ex Johanne[b] Besuensi chronographo discimus, duos illustrissimos viros, Rodulfum scilicet ac Franconem: secum vero duxit Rotbertum, Arnulfum & Walterium, æque nobiles, qui Deo cum eo se consecrarunt. Hos brevi postea secutus est Stephanus, Arnulfi comitis *de Risnel* filius, clarissimi *consulis* seu comitis *de Fontvenz* filiam matrem habens, factus demum abbas Besuensis monasterii, ubi disciplinam regularem restituit, de quo plura inferius.

[a] *lib. 64. num. 98.*

* *du Valois.*
* *de Mante.*

[b] *Spicil. to. 1. p. 606.*

XIII. Beccensis ecclesia dedicatur.

Per id tempus Willelmus rex Anglorum in Gallia versabatur regni sui procuratione Lanfranco archiepiscopo commissa. Cum in his Gallicanis partibus versaretur; rei publicæ necessitas postulavit, ut Lanfrancus ad eum accederet, de incidentibus regni negotiis cum eo acturus. Ordericus[c] id factum dicit in reditu Lanfranci ex Romano itinere, ex quo cum Thoma Eboracensi & Remigio Lincolniensi episcopo reversus erat. At certius videtur, quod ex actis Lanfranci mox retulimus: cum is nonnisi serius Romam adierit, siquidem Gregorius VII. in epistola[d] scripta post biennium ad ipsum, id est VIII. kalendas Aprilis, indictione II. queritur, quod ex eo tempore, quo ad summum pontificatum provectus fuerat, ad se venire Lanfrancus non multum curasset. Cum itaque in Galliam venisset Lanfrancus, prima ejus cogitatio fuit revisendi venerabilem abbatem Herluinum, & carissimos Beccenses fratres, a quibus maximo cum gaudio & honore acceptus fuit. Nova necdum sacrata erat ecclesia, quæ ejus consilio incboata fuerat. Rogatus ab amantissimis fratribus, ut eam dedicaret, id lubens præstitit x. kalendas Novembris hoc anno MLXXVII. Ejus rei gratia illuc convenere plerique illius provinciæ episcopi & abbates, multique proceres. Episcopos quinque adfuisse testatur Beccensis chronographus, Odonem scilicet Bajocensem, Gislebertum Lexoviensem, Gislebertum item Ebroïcensem, Rotbertum Sagiensem, & Ernaldum seu Arnaldum Cenomannensem. Rex ipse adesse non potuit, urgentibus negotiis impeditus, nimirum revocandis, ut puto, ad suas partes Cenomannis, qui tunc temporis ab eo defecerant, ut in actis[e] episcoporum Cenomannensium legitur. Nova ecclesia in honorem beatæ Mariæ dedicata: cujus princeps altare Lanfrancus, alii episcopi alia consecrarunt. Vetus ecclesia, quæ beati Herluini a posteris dicta est, substitit ad annum MCCCCXVIII. quo anno, dum Angli cœnobium obsiderent, æquata solo est. Tertio post prædictam dedicationem die, discedendi missionem Lanfrancus a suis Beccensibus poposcit, a quibus ægre avulsus est, maxime a venerabili patre Herluino, qui eum, ut carissimum filium, super omnes mortales amabat, nihil ulterius hujus mundi cupiens, utpote ejus præsentia recreatus, quem semel priusquam moreretur, videre peroptabat.

[c] *Orderic. lib. 5. p. 548.*

[d] *Greg. VII. lib. 6. ep. 30.*

[e] *Analect. to. 3. p. 286.*

ANN. CHR. 1077.

Cadomensis item ecclesia.

Becco discedens Lanfrancus Cadomum se contulit, ubi Cadomensis monasterii basilica in honorem sancti Stephani dedicata, tum ab ipso Lanfranco, tum a Johanne Rotomagensi archiepiscopo, Thoma Eboracensi, aliisque episcopis, præsentibus ipso Willelmo rege & conjuge sua Mathilde, ipsius monasterii conditoribus, cum infinita virorum illustrium & promiscui vulgi multitudine. Multis aliarum ecclesiarum dedicationibus interfuit Lanfrancus, qui in Angliam reversurus Mainerio Uticensi abbati ad instaurationem basilicæ & monasterii multam pecuniæ summam contulit.

Paulus abbas S. Albani.

Florebat tunc in cœnobio Cadomensi Paulus monachus, *natione Neuster*, humili loco natus, ut Matthæus Parisius tradit. Post mortem Fretherici [a] sancti Albani abbatis, Paulus agente Lanfranco archiepiscopo, cujus propinquus falso dicitur, ad vacantem abbatiam hoc anno promovetur III. kalendas Julii, vir religiosus & litteratus, & regularis disciplinæ rigidus exactor, cautus tamen ne repentina mutatio tumultum generaret. Ejus rei causa Lanfranci consuetudines & statuta monastica illuc induxit, ex quo bonæ ejus loci famæ odor ad remotas regiones Romam usque dimanavit. Ad hæc reformatæ ab eodem sanctimoniales, quæ prope monasterium habitabant: quibus mantellum nigrum & silentium suo tempore, tempusque quietis & vigiliarum, ac terminos exspatiandi præscripsit. Idem abbas rem familiarem sollicite curavit, novamque basilicam, aliaque ædificia ex lapidibus & tegulis veteris civitatis Verolamii exædificavit. Cetera ejus facta minutatim apud Matthæum Parisium videre licet. Exstat præclara ad eum Anselmi [b] epistola, qua ipsi de ejus " promotione gratulatur, & præclara monita tradit, in his ut studeat plus diligi ab " omnibus mansuetudine & misericordia, quam timeri nimis austera & nulli parcente " justitia. quod tamen ille non omnino observavit, si vera sint quæ de eo scribit Willelmus Parisius.

[a] V. lib. 61. n. 94.

[b] Anselm. lib. 1. ep. 71.

XIV.

Rodbertus abbas Carnutum postulatus episcopus.

Cadomensis ecclesiæ dedicationi interfuisse ab Orderico traditur Rodbertus nobilis abbas, olim Uticensis, tunc vero sanctæ Euphemiæ in Calabria, qui in Galliam Philippi regis invitatu reversus, ad colloquium venit Willelmi regis, cui veniam [c] petenti, quod ipsum olim in exsilium injuste extulisset, facile indulsit. Ideo vero hunc Philippus rex accersierat, ut Carnutensem episcopatum, qui post Araldi obitum vacabat, ei conferret. *Sed Gallis*, inquit Ordericus, *Normannorum devitantibus magisterium*, (Rodbertus quippe nobilis Nortmannus erat) Goisfredus, Eustachii Boloniensium comitis nepos, pontificatum occupavit. Hæc Carnutensis electio multis turbis obnoxia fuit. Primo quidem Robertus quidam monachus episcopatum illum *nefanda ambitione* occupasse dicitur; ideoque episcopali officio a Gregorio papa privatus, supra corpus beati Petri apostoli sacramento se obligaverat, in illam sedem se non ingesturum: sed tamen Roma reversus, illam invadere institit, eamque a legato apostolico licet admonitus, dimittere noluit. Hæc discimus ex duabus [d] Gregorii epistolis, IV. nonas Martii Carpinetæ datis: quarum una scripta est ad Carnotenses, altera ad Richerium Senonensem archiepiscopum, cui præcipit eumdem Robertum & fratrem ejus Hugonem commonere, ut Carnutensi ecclesiæ ablata restituant, nec deinceps in eam se immisceant. Verum cum Robertus ille pertinaciter in illa sede permaneret, ab Hugone Diensi episcopo excommunicatus, depositusque est. Quam sententiam Gregorius confirmavit litteris [e] ad eumdem Hugonem scriptis, " in quibus ei significat, Philippum regem Francorum iterata postulatione legationem ad se direxisse *pro Roberto abbate* [f] *monasterii sanctæ Euphemiæ de Calabria, qui & hoc anno*, inquit, *cum in Longobardia eramus, per nos transivit in Franciam, ut eum ad regimen Carnotensis ecclesiæ episcopum probaremus, & ordinaremus*, tum subdit. *Reversus est etiam ille idem Robertus abbas ad nos, dicens, se donum episcopatus, offerente rege, refutasse, nec quidquam inde sine nostro consilio facere voluisse, vel facturum esse.* Institere nihilominus ejus postulationi Carnutenses clerici: ex quibus duo pontificem ejus rei causa adierunt. Sed quoniam absentium vota pontifici haud comperta erant, ejus rei cognitionem retulit ad Hugonem Diensem episcopum: at quid iste ea de re statuerit, non liquet. Certe Rodbertum abbatem ad suum monasterium revertisse, ibique post septemdecim regiminis annos idibus Decembris feliciter ad Dominum migrasse auctor est Willelmus [g] Gemeticensis.

[c] Orderic lib. 5. p. 583.

[d] Greg. VII. li. 4 ep. 14. & 15.

[e] Id. lib. 5. ep. 11.

[f] V. lib. 62. n. 16. & seqq.

[g] Willelm. Gemet. lib. 7. c. 30.

Ad Robertum superiorem illum monachum quod attinet, hic post latam in ipsum ab Hugone excommunicationis ac depositionis sententiam ad Gregorium papam

pam denuo confugit: a quo diu detentus, ut se ipse canonice purgaret, tandem absolutus fuit, ut ex sequentibus Gregorii [a] epistolis intelligimus. Verum in illo sive alio itinere, dum Roma rediret, in cella Cluniacensi apud Silviniacum decessit. De eo enim intelligendum videtur Carnutensis ecclesiæ necrologium [b] ad decimum kalendas Januarias, quo die *Silvaniaci* obiisse dicitur Robertus episcopus, *Roma veniens, quo ipse perrexerat, ut ecclesiam istam diu inquietatam reduceret ad statum pristinæ tranquillitatis, quam toto corde diligens reddiderat ei, redimendo plurima ornamenta, male ab aliis distracta*, eique nova quædam dedisse, *multo plura & majora dare proponens, si Deus longiorem vitam sibi præstitisset*. Hic est sine dubio Robertus episcopus, cujus sepulcrum e terra erectum visitur in ecclesia cellæ Silviniacensis apud Burbonenses. Hæc certiora videntur iis, quæ in veteri indice episcoporum Carnutensium leguntur, ubi Robertus episcopus sedis apostolicæ legatus in Aquitania fuisse dicitur, eamque propriis sumtibus visitasse. Hunc in sede Carnutensi præcesserat Araldus episcopus, ut in superioribus vidimus, qui in editis Roberto male postponitur. Gosfridus ab Orderico supra memoratus, simoniæ insimulatus apud Gregorium VII. [c] depositus fuit a Paschali II. In quadam charta Vindocinensi annus episcopatus ejus primus componitur cum anno M LXXIX. Huic suffectus anno M XCII. venerabilis Ivo, de quo multa erit in consequentibus dicendi materia.

ANN. CHR. 1077.

a Greg. VII. lib. 9. ep. 15. & 16.

b Analect. tom. 2. p. 557.

c Greg. VII. lib. 5. ep. 17.

XV. Hucbertus & Eustachius abbates Carnutenses.

Tunc Carnutensi sancti Petri monasterio præerat Hucbertus abbas, cujus tempore Gaufridus illius loci monachus, *totius congregationis assensu, atque Hucberti abbatis præceptione* rerum in Nortmannia sitarum *custos & provisor factus*, testatur, quod quidam Gerardus, prænomine Caper, quoddam prædium contulerit beatæ Mariæ de Plancis, quæ cella erat sancti Petri in diœcesi Sagiensi. Hoc donum prædictus Gerardus, bello impeditus, per Guarinum fratrem suum super altare beatæ Mariæ posuit. Huic donationi assensum præbuere Guillelmus de Molinis-castro, & uxor ejus Albereda, ad quos prædii illius dominium pertinebat. *Actum Plancis publice, vivente Willelmo invictissimo Nortmannorum duce, Anglorumque rege; in Francia vero regnante serenissimo rege Philippo, indictione* XV. *Paulus monachus exstitit notarius.* Hæc indictio convenit præsenti anno M LXXVII. quo proinde anno in abbatiam restitutus erat Hucbertus abbas, quem Araldus episcopus multum exagitaverat, & monasterio cedere atque Drocas se recipere coëgerat, Eustachio Corbeiæ monacho in ejus locum substituto. Huic denuo cedere coactus est Hucbertus, agente Gaufrido seu Gosfrido episcopo mox laudato, cui Eustachius favebat, Romam cum eo ad Gregorium profectus. Quam ob rem Nogentum-Rotroci ad capessendum sancti Dionysii monasterium pergit Hucbertus: ast a Beatrice comitissa repulsam passus, ut Cluniacensibus [d] locum faceret, ad Bruerolensem cellam secessit. Hanc cellam Gaufridus episcopus Eustachio abbati ab omni synodi, circadarum, aliarumque consuetudinum onere liberam asseruit anno M LXXXIV. quo anno forte Hucbertus abbas jam decesserat. Eustachius ejus successor res temporales strenue procuravit, haud scio an eodem studio spirituales. Ad tot turbarum cumulum anno ipso M LXXVII. incendio consumtum est hoc sancti Petri cœnobium IX. kalendas Septembris, antequam fratres ad nocturnas vigilias surgerent, sancti Hilarii basilica, quæ parœcialis est, manente illæsa, ut in brevi chronico [e] Andegavensi legitur.

d V. infra n. 84.

e Labbe bibl. to. 1. p. 288.

XVI. Ainardo Divensi abbati succedit Fulco.

Cum annum regiminis unum ac tricesimum ageret Ainardus Divensis abbas, superius [f] laudatus, is senex plenusque dierum, vitæ præsentis cursum complevit, obiitque XIX. kalendas Februarii. Ejus corpus in basilica sanctæ Mariæ sepelivit venerabilis Durandus Troarnensis abbas, qui ejus epitaphium composuit, ejus mausolei laminæ insculptum, & ab Orderico relatum [g], in quo virtutum multis floribus & meritis redimitus dicitur, vir magnus, mitis instar agni, pollens prudentia & consilio. Hic quosdam versus de sancto Kiliano Wirziburgensi episcopo & de sancta Catharina composuit. In ejus locum subrogatus a Willelmo duce Fulco Uticensium præpositus seu prior, qui quatuor illuc Uticenses monachos secum duxit, Bernardum scilicet, cognomento Matthæum, cognatum suum, Richardum, Guillelmum de Monasterio, & Turchetillum, peritos librarios, & in divino cultu ferventissimos, qui ad jugum Domini ferendum humeros et avide supposuerunt. Porro Fulco a Roberto *Salariensi* seu Sagiensi episcopo abbas consecratus est, *postea a Willelmo rege Anglorum ad Bertam comitissam pro privatis causis in Brigiam* [*] *missus*. Hunc

f lib. 58. n. 103

g Orderic. lib. 4. p. 545.

* la Brie.

ANN. CHR. 1077. a Anselm. lib. 1. ep. 52. b id. lib. 2. ep. 51.

esse puto Fulconem, quem Anselmus [a] ad subeundam oblatam dignitatem hortatur; & quem in alia [b] epistola rogat, ut mitius agat cum monacho apostata, qui facti pœnitens erat. Post aliquot annos injuste exagitatus, & ex abbatia pulsus Fulco, solum vertere coactus est, in Italiam profectus: sed comperta ejus innocentia, in abbatiam restitutus.

Hugo episcopus Lexovii obit. c Orderic. lib. 5. p. 550.

Mortuus est hoc anno Hugo Lexoviensis [c] præsul juxta opidum, quod Pons-episcopi dicitur, quatuor leugis Lexovio distans. Ejus corpus in urbem relatum, ad octodecim dies insepultum fuit ob litem canonicorum, de ejus sepultura contendentium cum sanctimonialibus beatæ Mariæ parthenonis, quem Hugo una cum matre sua Lescelina comitissa construxerat. Illi episcopum suum esse dicebant, ac proinde in ecclesia sua humari debere: hæ contra respondebant patrem ac conditorem suum esse, qui ipsas in Dei obsequium aggregaverat, & sicut pater filias educaverat, in ecclesia ab eo constructa sepeliendum esse, prout ille vivens statuerat. Lite fervente, res ad Willelmum regem Rotomagum refertur. Jussus illuc ire Johannes archiepiscopus renuit, utpote Hugoni, dum viveret, infensus. Missus istuc Gislebertus Ebroïcensis præsul, defuncti corpus in choro sanctimonialium (sic enim rex mandaverat) honorifice sepelivit, præsente Roberto Aucensi comite, defuncti præsulis germano. In ejus locum subrogatus Gislebertus, cognomento Maminotus, regis archiater & capellanus, consecratus a Michaële Abrincatensi episcopo, in præsentia Johannis archiepiscopi, qui jam obmutuerat.

XVII. S. Symphoriani ecclesia Floriaco datur.

Apud Æduam urbem suburbana sancti Symphoriani ecclesia, ejusdem sancti martyris nobilitata reliquiis, varias, ut pleræque aliæ, passa est vices. Principio monachorum erat, quorum abbas fuit sanctus Germanus, postmodum Parisiorum antistes. Sub finem sæculi septimi Ansebertus episcopus multa eidem ecclesiæ legavit, ejusque clericis, sæcularibus an monachis, non ita liquet. Post medium sæculum decimum illic canonici erant, quibus præerat Rodulfus *prælatus*; ita enim se dicit in litteris, quibus res quasdam sancti Symphoriani in beneficium sub annuo censu concedit canonicis ecclesiæ sancti Cyrici Nivernensis, interventu Natranni hujus urbis episcopi. At sæculo undecimo procedente hæc sancti Symphoriani ecclesia ita neglecta erat, ut fere in solitudinem redacta esset. Hanc in pristinum monastici ordinis statum restitui præcepit Gregorius papa. quod ut exsequeretur Pontius de Glana, ejus loci advocatus, eam Floriacensi monasterio in melius reformandam commisit, idque Philippus rex litteris suis confirmavit, in quibus legitur, Pontium de „ Glana ecclesiam sancti Symphoriani, in Æduensi suburbio sitam, ejusdem beatissimi „ Symphoriani martyris præsentia corporis ac spiritus sublimatam, fultamque patro- „ cinio, in qua ordo monachilis beato Germano ejusdem loci fratre ac monacho, „ postmodum Parisiorum episcopo, floruerat, adnullatusque deinceps; nunc Deo pro- „ pitiante ad formam & honorem ejusdem ordinis revocatam per auctoritatem sedis „ Romanæ præsulis, videlicet domini Gregorii, faciente idipsum & laudante duce „ Burgundiorum domino Hugone, concedente etiam & approbante ejusdem civitatis „ Æduæ episcopo Aganone, assensu quoque Adelidis ejusdem Pontii uxoris, eorum- „ que filiorum, sanctæ Dei-genitrici, sanctoque Benedicto Floriacensi liberam contu- „ lisse. His litteris apposita sunt signa Philippi regis, Bertæ reginæ, Manassæ Remensis, Richerii Senonensis & Richardi Bituricensis archipræsulum; dein Aganonis Æduensis, Rainerii Aurelianensis, Roderici Cabilonensis, Widonis Belvacensis, Landrici Matisconensis, Radbodi Noviomensis, Tetbodi Suessionensis, atque Hugonis Nivernensis episcoporum; postea Federici dapiferi, Hugonis constabularii, Gualeranni camerarii, & Hervei magistri pincernarum; ac demum Widonis Pictavensis, & Stephani Campaniensis comitum. *Actum publice Aurelianis in palatio nostro, celebrato regali concilio, anno incarnati Verbi* M LXXVII. *regni nostri* XVIII. Goffridus episcopus Parisiorum, regis cancellarius, relegit & laudavit. Conquesti sunt hac de re clerici illi Æduenses apud Gregorium [d] papam, qui factum improbavit litteris scriptis ad Hugonem episcopum. Floriacensi monasterio ad id tempus præerat Guillelmus abbas, in superioribus laudatus.

d Greg. lib. 5. ep. 31.

XVIII. Res Vindocinenses.

Inter illustres Vindocinensis monasterii benefactores non ultimus censendus est Rotbertus Burgundio, vir eo tempore nominatissimus, qui hoc anno quamdam isti „ loco donationem fecit pro anima sua, & fratris sui Heinrici, atque uxoris suæ, *illius,* „ *quæ Blanca vocata est*, filiorumque suorum. Actum est hoc *apud Andecavem*, in capi-

tulo monasterii novi sanctæ Trinitatis anno M LXXVII. die festivitatis sancti Andreæ apostoli. Huic filius erat inter alios Rainaldus, cujus uxor, nomine Ennoguena, *filia Rotberti de Vitreio, nata de ipsius legali conjuge, filia videlicet Warini, naturalis heredis & domini Credonensis*, ut legitur in quadam charta Vindocinensi. Hoc dominium ad ipsum Rotbertum devolutum est: qua de re vide Menagium in historia Sablolienfi: ubi observat Blancam, Rotberti uxorem, alio nomine Hadvisam [a] dictam fuisse, filiam quidem unicam Gaufridi domini Sabloliensis. Hæc obiter. Alia Vindocinensibus donatio hoc anno itidem facta est a quodam opidano, pro anima filii sui, qui nocte vigiliæ sancti Johannis-Baptistæ, cum ad ludos, *quos paganico more, quasi ex consuetudine, insaniter exercebant, cum aliis juvenibus exiisset*, inter ludendum vulneratus, sine confessione & communione defunctus est. Actum anno M LXXVII. mense Junio, die natalis sanctorum apostolorum Petri & Pauli.

AN. CHR. 1077.

a Sabl. p. 79.

XIX. Anastasius monachus Sarracenis fidem prædicat.

Per id tempus Anastasius, ex monacho sancti Michaëlis in Periculo-maris factus Cluniacensis, jussu Gregorii VII. & trina Hugonis Cluniacensis abbatis admonitione, in Hispaniam profectus est, Christi evangelium Sarracenis prædicaturus: ubi, ad probandam fidem & Sarracenorum contumaciam emolliendam, per rogum ardentem celebratis missarum sollemniis, transire voluit: at Sarraceni conditioni acquiescere noluerunt. Verum, cum eos in errore ac cæcitate sua obfirmatos videret, excusso in illos pulvere pedum suorum, Cluniacum reversus est: indeque post septem annos in solitudinem ad Pyræneos montes, Hugone abbate ægre annuente, secessit, conscenso monte altissimo, quem Abriscolam vocant.

Frotardus S. Pontii abbas.

Hoc etiam anno Gregorius papa in Hispaniam misit Amatum Ellorensem seu Oleronensem episcopum, cui vices suas commisit, ad repetendam veterem pensionem, quam sancto Petro ab antiquo debitam esse dicit, & ad restituendam ecclesiasticam disciplinam; eique abbatem sancti Pontii adjunxit, *virum venerabilem, fide & morum honestate probatum*, ut scribit pontifex ipse in litteris [b] ad Hispanos, Carpinetæ datis IV. kal. Julii, indictione XV. Hic est Frotardus, post Ademarum abbas sancti Pontii Tomeriarum ab anno M LXXVIII. *illustrissimus* dictus in charta, qua Pontius-Gauberti & uxor ejus Emma Deo & sancto Pontio, *ac illustrissimo abbati Frotardo* mediam partem ecclesiæ, quæ vocatur Capella, juxta flumen quod dicitur *Lanzat*, conferunt anno M LXXVIII.

b Greg. VII. lib. 4. ep. 28.

V. Marca Bearn. p. 331. & seq.

XX. S. Johannis de Pinna facta donatio.

Tunc Bigorrensem comitatum procurabat Centullus comes, qui pro remedio animæ suæ, parentumque suorum & avi sui Centulli-Guastonis, monasterio sancti Johannis de Pinna in Aragonensi provincia sito, ad utilitatem servorum Dei ibidem habitantium, donat unum rusticum, cui nomen Lupo-Garsias [c], cum uxore & liberis suis & omni alodio suo, in villa *Isuici*; ibidemque pascua porcorum suorum, quos idem rusticus procurare debebat, & in domo sua nutrire & custodire. Actum æra M C XV. anno incarnati Verbi M LXXVII. in atrio ejusdem sancti Johannis-Baptistæ, & in illius festivitate. His litteris post Centullum subscripsit Sancius rex Aragoniæ, donationem confirmans cum optimatibus suis, qui sequuntur, scilicet Garsias episcopus ecclesiæ Jaccensis, Garsias Legerensis monasterii abbas, Sancius prædicti sancti Johannis monasterii abbas, Grimaldus monasterii sancti Victoriani abbas, & hujus chartæ scriptor, id est monasterii Asanensis, cujus primus abbas sanctus Victorianus fuit, in tomo primo nostrorum Annalium laudatus. Hæc fortasse nonnullis minutiora videbuntur, quam ut in nostris Annalibus referri debeant. at eadem referre visum est post illustrissimum Petrum de Marca, qui hæc historiæ suæ Bearnensi inserere non dubitavit.

c Marca Bearn. pag. 314.

Nobiliacii abbates.

Ob similem rationem non omittenda videtur charta manumissionis [d], qua Petrus, Nobiliacensis apud Pictones abbas, quemdam Aimericum, ejusdem monasterii servum, in libertatem hoc anno asserit. Petro abbati Bertrannus successit, cujus nomen subscriptum est concilio Pictavensi, in quo clericorum filii a præbendis sancti Hilarii ecclesiæ deinceps arcentur. Ex quo intelligitur, hoc concilium non ante annum sequentem habitum fuisse.

d Besly com. Pict. p. 473.

Morlanensis cella.

Redeo ad Centullum, primum quidem Bigorræ vicecomitem, postea comitem, quem Gregorius sæpius tum litteris, tum legatorum suorum monitionibus pellexerat, ut ab illicita Gislæ consanguineæ suæ copula recederet. at ille, etsi alias vir admodum pius, faventem sibi patriæ consuetudinem salubribus monitis obtendebat. Tandem vero ad meliora conversus consilia, Gislam abjecit, & in facti piaculum

ANN. CHR. 1077.

a Marca Bearn. lib. 4. c. 13.

cellam apud Morlas [a] in honorem sanctæ Fidis erexit, eamque Hugoni Cluniacensi abbati commisit in manu Hunaldi abbatis Moisiacensis, fratris sui germani. Id factum tum propter se, tum propter Gislam uxorem suam & filium Guastonem, & quidem consilio & assensu Willelmi Ausciorum episcopi & Bernardi Lascurrensis atque Amati Oleronensis episcoporum, necnon Bernardi Tumapalerii avunculi sui, olim comitis, tunc vero monachi in Monte-sancto, in comitatu Armeniaco. Gisla porro habitum monasticum Marciniaci induit; at Centullus Beatricem Bigorritanam comitissam secundis nuptiis sibi copulavit ante annum M LXXX. quo tempore jam Bigorræ comitem se dicebat.

XXI. Brunwillarenses villam ablatam repetunt.

Dum Gregorius VII. in Gallia Cisalpina moraretur, Wolphelmus, Brunwillarensis in pago Coloniensi abbas, legatos ad eum direxit, ut ejus auctoritate beato Nicolao, monasterii sui patrono, restitueretur villa Cloteno, quam Richeza Poloniæ regina, ejusdem cœnobii conditrix, ei contulerat. Hæc eo loci sepulturam suam olim designaverat: sed Anno archiepiscopus ejus corpus Coloniæ humari curaverat in ecclesia sanctæ Mariæ Ad-gradus, cui prædictam villam ob id assignavit. Interpellatus hac de re idem præsul, se Brunwillarensibus eam restituturum pollicitus erat, at morte præventus, promisso non fecit satis. Iteratis apud Hildolfum ejus successorem querelis, cum ille restitutionem monachis negaret, & rex Heinricus suum hac de re judicium in dies differret; Wolphelmo visum est per legatos adire summum pontificem, qui tunc in Gallia Cisalpina, ut mox dicebam, versabatur. Auditis Brunwillarensium querelis, pontifex scriptis litteris Hildolfum archiepiscopum ad restituendam villam hortatur. at ille ad pontificis monita obsurdescit, sed non multo post repentina morte pœnas luit. quod Hartmanno Tuitiensi abbati viso prænuntiatum fuisse traditur.

XXII. Turbæ apud S. Gallum.

Mortuo apud sanctum Gallum Udalrico abbate, ejus nominis secundo, Rudolfus Sueviæ dux, rex contra Heinricum electus, Liutoldum ejus loci monachum Udalrici loco substituit, reluctantibus ceteris monachis, qui Heinrico studebant. Interim Heinricus ex Italia redux venit ad sanctum Gallum, Udalricum, Marquardi Carinthiæ ducis filium, abbatem constituit. Inde fugatus Liutoldus, Augiam se recipit ad Ekkehardum abbatem, Rudolfi ducis fautorem, qui Udalricum e sancto Gallo armis expellere constituit. Ille contra, collectis viribus, adversus eum se munit. Uterque juvenis, uterque nobilis & litteratus, sed parum recti & honesti, nedum religionis memor. Ad vim apertam prope ventum est: ast amicis saniora consilia suadentibus, Ekkehardus, re infecta, ad sua rediit. Is dehinc Romanum iter aggressus, in opido sancti Domnini captus a Cadaloo Parmensi episcopo schismatico, post longam captivitatem, Gregorii & Mathildis comitissæ interventu liberatus est. Dum in custodia detinetur, vulgato de ejus morte in Alamanniam nuntio, ejus abbatia Udalrico sancti Galli abbati ab Heinrico rege traditur, Bertoldo marchione infesto, qui in odium Heinrici totam Brisgaugiam, in primis res sancti Galli, in illis partibus sitas, adjuncto cum aliis Welfone duce, diripit ac devastat. Hinc sancti-Gallenses ad extremam redacti penuriam, sacram supellectilem & pretiosa pleraque ecclesiæ ornamenta in subsidium divendere compelluntur. His injuriis commotus abbas, vicem adversariis retaliare pergit. Verum cum a suis militibus, ob quædam denegata beneficia, fere desertus esset, ad rupem *Rachenstein*, natura & situ loci satis munitam, se recipit. Udalrico in his periculis mœsto & anxio quidam peregrini specie adstitisse fertur, eique consilium dedisse, ut Agennum Galliæ Narbonensis civitatem adiret, orationis causa, sanctæ Fidis reliquias inde relaturus, ejusque in honorem sacellum erigeret, certus sibi ejus patrocinium adfuturum. quod ita, ut prædictum erat, evenisse inferius videbimus.

Inter ea Ekkehardus Augiensis abbas, e captivitate reversus, monasterii sui injuriam ultum ire properat, &, collectis copiis, in sancti Galli monasterium quatuor vicibus hostiliter debacchatur, abbatis ædes solo prosternit, magnamque prædam inde abducit: insuper in supercilio proximi montis arcem construit. quæ ab Udalrico sancti Galli abbate brevi expugnata, eversaque est. Hæc aliaque, quæ consulto mittimus, furentibus militibus potius, quam abbatibus conveniunt: sed nec sic deferbuit abbatialis ille furor, ut in consequentibus dicturi sumus.

XXIII. Schirensis cœnobii origo.

Exstat in superiore Bavaria Schirense haud ignobile monasterium, cujus pro variis sedibus varia origo est. Prima ejus initia fuere in silva, quam Willingen vocant, in

ANN. CHR. 1077.

loco, qui modo Interior-cella nominatur: ubi duo viri nobiles, Otto & Adelprechtus, in illam solitudinem, ut Deo liberius vacarent, secessere, ibique ecclesiam in honorem sanctæ Margaretæ construxere, fundum & suppetias subministrante Haziga pissima comitissa, quam Conradus, Schirensis sæculo tertio-decimo cœnobita & chronographus, antiquo Schirensium genere ortam; recentiores vero regis Aragoniæ filiam dicunt. Hæc comiti Castellensi Hermanno primum nupta, dein Ottoni Schirensi comiti, ex quo tres filios, Ottonem scilicet, Bernardum & Echardum comites, procreavit.

Prima illius loci ecclesia hoc anno M LXXVII. ab Ellenhardo Polensi episcopo, qui ejusdem Hazigæ materteræ filius erat, consecrata fuit, annuente Meginwardo Frisingensi episcopo, in cujus diœcesi hic locus situs est. Crescente fratrum numero, prædicta comitissa hunc locum Willelmo Hirsaugiæ abbati commisit, qui duodecim illuc monachos, totidemque laïcos fratres misit ad normam Hirsaugiensium victuros. Hi, propter viarum difficultatem, asperitatemque silvarum, victualia istuc comportare non valentes, apud comitissam, ejusque filios effecerunt, ut monasterium in commodiorem locum, *Vispach* nomine, transferretur: ubi ecclesia in honorem beatæ Dei-genitricis Mariæ anno M LXXXVIII. dedicata fuit. Non multo post eadem comitissa, videns in dies fratrum numerum ac religionem illic augeri, novum ibidem opus aggressa est, & locum in abbatiam erexit, ac monasterium sub patrocinio sancti Martini construxit. Id factum consilio Willelmi Hirsaugiensis abbatis, qui e monasterio suo nobilem ac religiosum monachum, Erchemboldum nomine, eo direxit, ibique primum abbatem instituit. Annum haud expressit Conradus: sed id factum oportuit ante annum M XCI. qui Willelmi supremus fuit. Hinc patet falsum esse Conradum, cum Willelmum ad annum M C XI. superstitem facit. Hujus monasterii fit mentio in actis sancti Willelmi abbatis. Sed nec ultima hæc monasterii sedes. nam sæculo duodecimo ineunte ejus translatio facta est in locum *Usenhoven* dictum, ad fluvium Glanan; cujus monasterii consecratio anno M C 1. facta dicitur, ac demum ad *Schiren*, ut suo loco videbimus.

ANN. CHR. 1078. XXIV. Concilia duo Romana.

Postero anno M LXXVIII. Romæ duo habita concilia: unum v. nonas Martii, in quo ab episcopis fere centum Guibertus Ravennas, aliique schismatici præsules excommunicati sunt; & quod ad res nostras attinet, abbati Farfensi, scilicet Berardo, octo dierum induciæ concessæ: quibus finitis, nisi ad emendationem venisset, excommunicatus denuntiatur, eique corporis & sanguinis Domini communio interdicitur, atque abbatis ordine privatur. Quid causæ fuerit, quod tam severa ei animadversio intentata sit, illius cœnobii monumenta non produnt. Non dubitem id ei contigisse, quod Heinrico regi schismatico adhærere crederetur, maxime cum hæc abbatia ad id tempus imperatoribus subjecta & addicta fuisset. Certe Heinricus ipse post annos quinque perquam honorifice in illud monasterium admissus est. Ut ut sit, Berardum apud pontificem purgatum fuisse eo evincitur, quod longe post hunc annum abbatia potitus est. In Normannos, qui in Casinatium terras grassabantur, statutum est, ut, « si quis ex eis prædia monasterii sancti Benedicti montis Casini invaserit, vel quæcumque res ejusdem monasterii abstulerit, post trinam admonitionem excommunicationi subjaceat. »

Berengarius denuo examinatur.

Altera Romana synodus in ecclesia Lateranensi habita est, non x. kal. Decembris, ut vult Bertoldus, sed in festo Omnium Sanctorum, teste Berengario, qui tum synodaliter conventus, ut ab hæresi sua toties jam ejurata, sed necdum ex animo deposita, resipisceret, brevem fidei suæ formulam edidit, qua profitebatur « panem altaris post consecrationem esse verum corpus Christi, quod de Virgine natum est; & vinum esse verum sanguinem, qui manavit de latere Christi. » Verum cum sub his veri corporis & sanguinis verbis æquivoca latere non immerito crederetur, alia confessio explicatior ab eo petita, ejusque rei causa inducias ad proxime futuram synodum, quæ anno sequenti celebrata est, obtinuit. Intermedio tempore Hugo Cluniacensis abbas de hoc hæresiarcha Gregorium papam missis ad eum nuntiis consuluit, quo pacto cum eo se gereret, utpote qui errorem suum tueri pergeret. Excidit illa Hugonis epistola, ad quam ita rescripsit [a] pontifex: *De Berengario, unde nobis scripsistis, quid nobis videatur, vel quid disposuerimus, fratres; quos tibi remittimus cum prædicto cardinali nostro*, scilicet Richardo, *nuntiabunt.* Veri simile est, Hugoni abbati injunctum fuisse, ut Berengarium Romam perducendum curaret, ut in prædicta Romana synodo denuo examinaretur.

[a] Greg. VII. lib. 5. ep. 21.

ANN. CHR. 1078.

quæ res in sequentem annum, ut dixi, dilata est. Subdit pontifex. *Vos autem certa fide, immo & oratione, Dei omnipotentis misericordiam implorate, ut mentes nostras secundum suam voluntatem dirigat, & in magna tempestate nos gubernans, ad portum suæ pietatis nos perducat. Tot enim angustiis premimur, tantisque laboribus fatigamur, ut ii, qui nobiscum sunt, non solum pati nequeant, sed nec etiam videre possint.* Hæc epistola data est hoc anno, nonis Maii, indictione prima.

XXV. Hugo abbas Cluniac. quanti habitus.

Ea porro erat venerabilis Hugonis abbatis in ecclesia existimatio & auctoritas, ut nullum fere in Gallia negotium absque eo tractaretur, nullum concilium haberetur, cui de pontificis mandato non interesset, adeo ut sedis apostolicæ legatus censeretur. Unde Gregorius in epistola [a] ad Rainerium episcopum Aurelianensem, qui ecclesiæ suæ ornamenta dilapidaverat, aliaque errata commisisse dicebatur, præcipit, ut episcopus, restitutis omnibus, ad synodum his in partibus indicendam se sistat, *ibique coram legatis nostris*, inquit, *videlicet Hugone Diensi & Hugone abbate Cluniacensi, necnon & Rogerio subdiacono nostro, de his & aliis, quæ tibi intentantur, rationem canonice exponas.* Idem patet ex aliis ejusdem papæ epistolis, maxime in causa Eveni archiepiscopi Dolensis, cujus causam, , uti & Manassæ archiepiscopi Remensis, qui itidem ecclesiæ suæ ornamenta consumserat, aliorumque episcoporum, Gregorius in concilio dijudicandam commisit Hugoni Diensi, *adjuncto sibi abbate Cluniacensi*, ut scribit pontifex in epistola [b] ad Hubertum Romanæ ecclesiæ subdiaconum, & Teuzonem monachum, legatos suos, quos monet, ut ambo, vel eorum alteruter, eidem concilio adsit. Hic Teuzo monachus, in aliis etiam Gregorii epistolis celebratus, videtur esse ille magnanimus Teuzo [*], Johannis Gualberti discipulus, *qui sic usque ad senectam caritate fervens exstitit, ut non solum animabus, sed etiam corporibus illuc venientium vellet ex corde præbere pro posse medelam*, a Johanne Razolensis abbas institutus. Quamquam alter fuit Teuzo monachus, & inclusus Florentiæ in abbatia sanctæ Mariæ, in actis sancti Johannis itidem laudatus.

a *ibid. ep.* 20.
b *ibid. ep.* 22.
* *al. mendose* Leuzo.

XXVI. Evenus præsul ab æmulo vexatur.

Quæ fuerit Eveni archiepiscopi causa, ex iis, quæ superiori libro [c] diximus, facile intelligitur. Expulso ex illa sede ob solutiorem vitam Johoveo, electus fuerat in ejus locum Gilduinus, vir cum primis nobilis ac pius, sed præmaturæ ætatis, qui Romam profectus, Eveno sancti Melanii abbati itineris sui socio locum cessit. Consecratus a Gregorio papa Evenus, ubi Dolum rediit, sedem illam invenit a Johoveo rursus occupatam, qui Willelmi Anglorum regis favore & auctoritate præsidebat. Inde Romam reversus Evenus, querelas apud pontificem de sua expulsione deponit. His motus pontifex, litteras [d] scribit ad Hubertum & Teuzonem, legatos suos, ut cum Hugone Diensi episcopo & Hugone abbate hanc litem dirimant, *procurantes etiam, ut Anglorum rex ex sua parte illuc legatum dirigat.* Alias quoque [e] litteras ejusdem argumenti scripsit ad Gosfredum Redonensem duosque alios Britanniæ comites, quibus significat, se Hugoni Diensi episcopo curam demandasse convocandi concilii, in quo negotium istud, aliaque in regno Francorum exorta definirentur; eosque rogat, ut episcopos & religiosos Britanniæ abbates, clericos quoque & laïcos idoneos ad illud concilium mittant, ut, diligenter explorata, ac demum decisa hac lite, Dolensis ecclesia pacem & tranquillitatem recipiat. *Datum Lateranis* XI. kal. *Junii, indictione prima.* Ad hæc idem Gregorius [f] Willelmo regi Anglorum ea de re superiori anno scripserat, hanc causam ita finitam sibi visam esse, ut nihil super ea ulterius tractandum restare videretur, episcopo scilicet ab se in Dolensi ecclesia ordinato, & illo pro quo rex intervenerat, ob sua facinora legitime dejecto. Attamen, ne regis deprecationem insuper habere crederetur, se causam illam legatis suis commisisse in illis partibus retractandam, ubi totius negotii testes facilius adesse possint. Forte hæc causa examinata fuit in synodo Pictavensi hoc anno habita. Sententia dicta in gratiam Eveni archiepiscopi, qui deinceps Dolensem ecclesiam cum S. Melanii abbatia usque ad obitum pacifice rexit. Pulsus a Dolensibus Johoveus ad montem S. Michaëlis se recepit, ibique munitus loci præsidio, multas Dolensibus intulit injurias.

c *lib.* 64. *n.* 117.
d *Greg. lib.* 5. *ep.* 20.
e *ibid. ep.* 22.
f *id. lib.* 4. *ep.* 17.

XXVII. Pictavense concilium.

In prædicto concilio Pictavensi multæ turbæ ab archiepiscopo Turonensi & Redonensi episcopo excitatæ sunt, quas Hugo Diensis describit in litteris ad Gregorium papam, ab Hugone Flaviniacensi abbate relatis. In his abbas Bergensis ecclesiæ de Flandria, simoniæ convictus, depositus fuit. Is videtur esse Ermengerus, qui ab æmulis injuste [g] ejectus dicitur, postea restitutus: cujus successor Manasses, Roberti Frisonis Flandriæ comitis cognatus, a Gregorio VII. episcopalia insignia acce-

g *V. Sæc.* 4. *Act. parte* 1. *p.* 322.

AN. CHR. 1078.

pisse fertur. In illa synodo sanciti decem canones, quorum tertius statuit, ut nullus abbas, monachus, vel quilibet alius pœnitentias injungat, nisi quibus proprius episcopus hanc curam dederit. Quartus, ut abbates, monachi, canonici ecclesias, quas numquam habuerunt, non emant, nisi consentiente episcopo, in cujus fuerint diœcesi: in illis vero, quas hactenus absque calumnia habuerunt, redditus beneficiaque obtineant. Legi quosdam versus Willelmi de Romanis ad Hugonem Diensem adversus eos, qui ecclesias emebant. Sextus canon est, ut abbates, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant, aut prælationes amittant. Hoc Pictavense concilium præcesserat alia Hugonis Diensis ad Gregorium papam epistola, ex codice Virdunensi a Labbeo [a] edita, in qua Manassem suum in Christo amicum, canonicum scilicet Remensem, qui in Claromontano concilio Remensis ecclesiæ male acquisitam præposituram in manu sua dimiserat, pontifici commendat, sicut catholicæ fidei sincerum defensorem; *& dominum Brunonem Remensis ecclesiæ in omni honestate magistrum*, qui non multo post sacrum Ordinem Cartusiensem instituit, ambos Manassæ archiepiscopi ob ejus facinora adversarios, ut superius [b] vidimus. In fine epistolæ de Teuzone monacho & legato hæc habet: *Teuzo filius vester jam redisset ad vos, nisi ad convocandum concilium,* XVIII. *kal. Februarii Pictavis, Deo annuente, celebrandum, detineretur.* Hic vero in illius concilii tumultu pæne interfectus est, ut idem Hugo Diensis in alia epistola mox laudata scribit, eum ad pontificem remittere se innuens his verbis: *Si quid vero minus scripsimus sanctitati vestræ, Teuzo filius vester, fidelissimus cooperator noster in Domino, de Taruanensi episcopo cum Pictavensi quid statuerimus, plenius intimabit.*

a Labbe conc. to. 10. p. 364. & seqq.

b Supra n. 8.

Paullo post istud concilium Gosfredus dux Aquitanorum & Pictavensis comes, & abbas, *quantum [c] laico licet*, ecclesiæ sancti Hilarii, ejusque filius Willelmus, petentibus ejusdem ecclesiæ canonicis, & præcipue domno Gosleno, Burdegalensi archiepiscopo & ejusdem ecclesiæ thesaurario, assensu quoque Isembardi episcopi Pictavensis, edixit, ut secundum sanctionem Gregorii papæ ab Hugone Diensi in concilio Pictavensi recitatam, nullus clericorum filius, nullusque spurius deinceps in illa ecclesia canonicus admitteretur. qui vero ante admissi fuerant, non promoverentur ad ulteriorem gradum. His litteris post canonicos subscripta sunt signa Gosfredi Aquitanorum ducis & Willelmi ejus filii tum pueruli, dein Goscelini archiepiscopi Burdegalensis, Isemberti Pictavorum episcopi, *Amati apostolicæ sedis vicarii*; tum Guidonis abbatis Monasterii-novi apud Pictavos, Ademari abbatis sancti Martialis apud Lemovicas, Odonis abbatis Angeriacensis, Gervasii abbatis sancti Savini, & Bertranni abbatis sancti Juniani Nobiliacensis, de quo superius egimus. qui omnes prædicto concilio haud dubie interfuerunt.

c Besly Comites p. 449.

Abbates in illo concilio.

XXVIII. Vindocino asseritur Olona.

Tunc etiam in eadem urbe factum est placitum *in rotunda domo Pictavensis episcopi*, ante ducem Aquitanorum Guidonem-Gosfridum & archiepiscopum Burdegalensem Goscelinum, & Isembertum episcopum Pictavensem pridie nonas Septembris hujus anni, super ecclesiis de Olona, Vindocinensi monasterio ab Agnete comitissa olim datis, quarum mediam partem Ebrardus abbas sanctæ Crucis de Thalamonte contra Odericum abbatem & monachos Vindocinenses sibi arrogabat. Verum is coram judicibus convictus, rem male usurpatam Vindocinensibus restituit. Huic placito ex parte Vindocinensium interfuerunt monachi Robertus de Olerone, Clarus de sancto Aniano, Arnaldus de Podio-rebelli. Hæc apud Beslium ex [d] tabulario Vindocinensi, in quo Petronilla, mater Burchardi comitis, hoc anno kalendis Novembris obiisse dicitur, quæ duodecimo ante obitum die, cum in Castro-Rainaldi ægra decumberet, duos Vindocinenses monachos, Martinum & Hubertum, ad se visitandum accersivit, & per eos sanctæ Trinitati, favente Burchardo filio suo Vindocini comite, aliquot jugera terræ contulit.

d ibid. p. 458. & seqq.

Campionum oblatio.

Non omittendum quod legere memini in chartario Vindocinensi, quod Rainaldus castri Credonis dominus, ejusque uxor Ennoguena, cognomine Domitilla, *scuta bellorum & denarios, qui mittentur in castello suo a jurantibus ad reliquias sacramentorum*, reddiderunt & concesserunt sanctæ Trinitati & Vindocinensi monasterio in manu Oderici ejusdem loci abbatis. *Actum est hoc apud Credonium in monasterio sancti Clementis* VII. *kal. Februarii, anno ab incarnatione Domini* M LXXVIII. *indictione* I. *regnante Philippo Francorum rege, anno* XVIIII. *& præsulante Eusebio episcopo anno pontificatus sui* XXX. Ex quibus intelligas, victores pugiles, quos campiones vocant, arma

ANN CHR. 1078.

sua & denarios ob acceptam victoriam in ecclesia offerre solitos fuisse ad reliquias sanctorum, quos duellum inituri invocaverant. quod etiam sacramenta ad ipsas reliquias facientes præstabant.

XXIX. S. Florentii cella prope Dolum.

Hoc ipso anno condita fuit cella sancti Florentii prope Dolum in Armorica, in villa, quæ *Mesvoit* tum vocabatur. Tunc temporis Salmurense sancti Florentii monasterium regebat Guillelmus abbas, nobilis Armoricus, qui *ad monachatum veniens*, multa sancto Florentio contulerat. Huic duo germani fratres erant, Johannes & Gilduinus, is forte, quem ad Dolensem archiepiscopatum electum, sed non consecratum fuisse superius [a] diximus, ambo itidem in sanctum Florentium munifici. Hi quippe inter alia Salmurensi monasterio *dederunt villam Mesvoit prope castellum Doli, cum omnibus consuetudinibus, quas in ea habebant*: subinde vero Johannes *pro sua & pro fratris sui Gilduini anima* villam *Berthon*, quæ in parochia de Ros sita erat. Demum idem Johannes in prædicta villa *Mesvoit* cœpit construere monasterium *in honorem sanctæ Mariæ, sanctique Florentii per auctoritatem papæ Gregorii VII. & per testimonium Milonis* [b] *archiepiscopi, qui prius decanus Parisiacensis ecclesiæ ab apostolico ordinatus est archiepiscopus Beneventana, quem de hac re intercessorem apud papam habuit Johannes. Evencius etiam* seu Evenus *archiepiscopus Dolensis, ut construeretur annuit, & cimiterium ipse benedixit.* Hoc ipsum etiam confirmavit Gosfredus Redonensis comes; idque pariter Gosfredus Eudonis comitis filius, cum ad colloquium venisset cum Gosfredo Redonensi comite in regionem, quæ Ploasna dicitur, petente Johanne, ratum habuit, teste Alano comite, ejus fratre, aliisque. Ad hæc octavo post anno Alanus, cognomento Sergandus, comes Britanniæ, eamdem ecclesiam *Dolis in honorem sanctæ Trinitatis, & memoriam sanctæ Dei-genitricis, sanctique Florentii confessoris fabricatam, rogatu & ammonitione domni Johannis Dolensis, a quo ipsa res cepit exordium*, monachis sancti Florentii concessit. *Actum est hoc in Nannetica urbe, tertia feria, pridie idus Julii, anno ejusdem ecclesiæ fundationis octavo, ab incarnatione vero Domini* M. LXXXVI. Hujus rei testes fuere ex monachis Radulfus, frater domni Ginhenochi monachi, Johannes frater domni Guillelmi abbatis Salmurensis, multique alii. Denique Baldricus archiepiscopus idem confirmavit, ut suo loco dicturi sumus. Johannes prædictæ ecclesiæ auctor, ex comite monachus, ex monacho electus est archiepiscopus Dolensis, sed ante ipsius consecrationem mortuus, quem carmine celebravit Baldricus, qui ei in illa sede suffectus est.

a lib. 64. n. 117.

b V. lib. 64. n. 37.

Johannes ejus auctor, quis.

XXX. Cluniaco datur Avalonis ecclesia.

Redeo ad Hugonem Cluniacensem abbatem, cui Hugo dux Burgundiorum hoc anno concessit ecclesiam beatæ Mariæ apud Avalonem, ubi novem canonici præbendas [c] habebant. Actum XI. kalendas Martii, præsente Odone priore Cluniacensi, anno ab incarnatione M. LXXVIII. indictione prima. His litteris apposita sunt signa Odonis fratris ducis Hugonis, Rotberti alterius ejus fratris clerici, Widonis comitis Matisconensis, Bernardi de *Montfort*, Eustachii filii ejus, Artaldi de Avalone, & aliorum, qui omnes in Cluniacensium societatem tunc admissi sunt. Ex his discimus, Odonem Cluniaci priorem, cujus superius [d] meminimus, necdum tunc ad Ostiensem episcopatum a Gregorio promotum fuisse: quod tamen haud serius hoc anno factum videtur, siquidem Gerardus, ejus in illa dignitate antecessor ex Cluniacensi itidem priore sub finem anni præcedentis mortuus est, ut superius [e] vidimus. Odoni in Cluniacensis prioris officio successit Ivo. Avalonis ecclesia, de qua hic mentio, sita est in diœcesi Æduensi, ubi ecclesia sanctæ Mariæ & sancto Lazaro jam tum sacra erat, ut alias [f] vidimus. Aliud est castrum Avalonis in diœcesi Gratianopolitana, ubi cella [g] est Cluniacensis, de qua non videtur intelligenda prædicta donatio, facta ab Hugone Burgundiæ duce, ad quem Gratianopolitanus pagus non pertinebat.

c Spicil. to. 6. p. 454.

Odo prior factus episcopus Ostiensis.

d lib. 64. n. 64.

e Supra n. 2.

f lib. 36. n. 74.

g Bibl. Clun. pag. 179.

XXXI. Widonis comitis conversio.

Non multo post, & quidem hoc ipso anno, Wido Matisconensis comes sæculo nuntium remisit, commotus exemplo Simonis comitis Crispiacensis, cujus conversionem superiori anno retulimus. Facturus vitæ monasticæ professionem apud Cluniacum Wido comes, quædam ex amplissimis suis bonis sacro illi monasterio contulit, ut patet ex ejus litteris ab Acherio [h] nostro editis, quarum exordium ejus pietatem sapit. sic autem habet. *Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ego Wido, aliquando comes Matisconensis, perpendens quam inutilis est omnis honor hujus sæculi, immo quam nocuus & illecebrosus ad æternam damnationem, misericordia Christi me visitante & inspirante, pro ejus amore ex toto renuntiavi sæculo, & contuli me ad memoriam sanctorum apostolorum Petri & Pauli in monasterio Cluniacensi, ut de cetero ibidem regulari*

h Spicil. to. 6. p. 417.

ANN. CHR. 1078.

lari disciplinæ subditus pœnitentiam agerem peccatorum meorum. Neque vero is solus, sed tota ejus familia, multique viri nobiles monasticam cum eo vitam amplexi sunt, scilicet uxor ejus cum filiis suis & triginta militibus, eorumque uxoribus, quæ Marciniaci sanctimoniales factæ sunt, ut in chronico Cluniacensi [a] legitur, ubi Wigo Albionensis comes itidem Cluniaci monachus tunc exstitisse perhibetur, sed id paullo post.

a *Bibl. Clun. p. 1647.*

Hugonis item ducis Molismo benefici.

Non minus illustris fuit ipsius Hugonis Burgundiorum dncis mox laudati conversio, qui ejusdem Simonis comitis animatus exemplo, abdicatis sæculi honoribus, cum Widone Cluniacum se recepit, ab Hugone abbate consaoguineo suo peramanter acceptus. Id factum tertio post anno, quam Rotberto avo suo, Rotberti regis filio, cujus conjnx erat Adela Hugonis abbatis soror, in ducatu successerat. quo in munere omnes optimi ducis partes religiose implebat, bonis amicus, malis & injustis [b] terribilis. Unde Gregorius papa in Hugonem acriter increpuit, quod hominem rei publicæ adeo utilem Cluniaci admisisset. *Cur*, inquit [c], *frater carissime, non perpendis, non consideras, in quanto periculo, in quanta miseria sancta versatur ecclesia? Ubi sunt qui se sponte pro amore Dei opponant periculis, resistant impiis, & pro justitia & veritate non timeant mortem subire? Tulisti vel recepisti ducem in Cluniacensem quietem, & fecisti ut centum millia christianorum careant custode. Quod si nostra exhortatio apud te parum valuit, & apostolica sedis præceptum apud te obedientiam non invenit; cur gemitus pauperum, lacryma viduarum, devastatio ecclesiarum, clamor orphanorum, dolor & murmur sacerdotum & monachorum te non terruerunt? Hac ideo dicimus, quia, quod vix aliquis princeps bonus invenitur, dolemus: monachi vero, Deo miserante, sacerdotes & milites, & non pauci pauperes per diversa loca, qui Deum timent, reperiuntur: principes autem Deum timentes & amantes in toto occidente vix aliqui inveniuntur.* Hæc carptim ex Gregoriana epistola, ex qua intelligitur, Hugonem abbatem contra præscriptum pontificis Hugonem ducem Cluniaci recepisse. Jam vero quomodo pius ille dux in monasterio se gesserit, testatur scriptor anonymus in libro de miraculis sancti Hugonis abbatis Cluniacensis. *Vidimus*, inquit, *& Hugonem ducem prius Burgundia, & post militiæ spiritualis signiferum, qui solebat calceos ungere fratrum, seque ita despicere & humiliare, ut omnes viles personæ stuperent, cum sub se viderent talem principem sternere. Hic post certamen quod gessit, sustinendo etiam corporalem cacitatem, tandem obtinuit aternam quam meruit lucem, & suave olentia nobis reliquit exempla.* Is Cluniaci annos fere quiodecim in piis illis & humilibus exercitiis exegit, demumqoe obiit sacerdos, sepultus pooe capellam sanctæ Mariæ de cœmeterio.

b *Orderic. lib. 13.*
c *Greg. VII. lib. 6 ep. 17.*

Antequam Cluniacum secederet, multa bona contulit Rotberto abbati nascentis cœnobii Molismensis; in primis *presbyteratum ecclesia Mercennaica* * cum tota terra sancti Veroli *, aliaque. Actum apud Castellionem *, cujus honorem ex patrimonii successione se accepisse dicit. Testes Gerardus de Granceïaco, Bernardus de Monte-Barro, Stephanus de Nuccario, & alii. Post annos quinque dux Odo Hugonis frater, ipsam villam Marcenoacum Molismensibus donavit, assentieotibus ejusdem fratribus Rotberto & Heinrico, necnon Beatrice & Helia. Tanti vero beneficii vice Molismenses ei dederunt *loricam pretii triginta librarum, quam Hugo frater ejus*, priusquam sæculum relinqueret, *beata Maria Molismensi jam concesserat.* Hanc donationem idem Odo, Jerosolymam profecturus, confirmavit, auxitque. Cum vero animadvertisset Rotbertus abbas, villam Mercennacum juris esse Bituricensis ecclesiæ, & ad ecclesiam beatæ Mariæ de Salis pertinere; ne quid injuste possidere videretur, Bituricam adiit civitatem, cum litteris Rotberti Lingonensis episcopi, qui Rainardo successerat; rogaturus, ut prædicti loci donatio Molismensi ecclesiæ assereretur. Hujus petitioni communi consilio beatæ Mariæ de Salis prior & canonici, Molismensium paopertati compatientes, sob annuo censu assensom præbuerunt.

* *de Mercenay.*
* *S. Vorle.*
* *Chastillon sur Seine.*

XXXII. Cluniaco & Mosiaco quædam subjecta monasteria.

Hoc eodem anno Bernardus Bisuldunensis comes Cluniaco quædam subjicit monasteria, quæ a regulari tramite deflexerant, scilicet sancti Petri Campi-rotundi in Gerundensi territorio, sanctæ Mariæ ad Arulas in Eleoensi, sancti Pauli Vallosiæ seu in Valle-olei in Narbonensi: ut hæc monasteria secundum regulam sancti Benedicti ordinarentur. Et quidem Bernardus comes ait, se abbatiam de Arulis a Guifredo Narbonensi archiepiscopo centum unciis auri, totidemque ab Arnaldo-Arnaldi; & abbatiam sancti Petri centum quoque unciis auri a Petro vicecomite Fenollensium redemisse, qui quidem has abbatias *in feuum* tenebant; easque tradidisse in

ANN. CHR. 1078.

manus cariſſimi ſui conſobrini Hunaldi Moiſiacenſis abbatis, de quo ſupra, ubi hoc monaſterium Cluniacenſi ſubjectum fuiſſe diximus.

Ad hæc Raimundus-Petri de inſtaurandis eccleſiis perquam ſollicitus, animum adjecit reſtituendæ eccleſiæ, quæ olim conſtructa fuerat in honorem beatæ Dei-genitricis Mariæ in valle Cubaria *, ſitæ in pago Narbonenſi intra fines ſeu limites Petræ-Pertuſenſis* ſecus fluviolum Rivum-frigidum: ubi congregatio monachorum adeo floruerat, ut abbatiæ vocabulo etiam tunc indigitaretur. Hæc vero eccleſia ex parentum ſucceſſione prædicto Raymundo obtigerat, eratque ſub poteſtate prædicti Bernardi comitis Biſuldunenſis. Hi pari conſenſu, una cum Berengario Petri, locum illum in monaſticum ordinem denuo erigere cupientes, cum conſilio & aſſenſu Wilfredi archiepiſcopi Narbonenſis, eamdem eccleſiam cœnobiis Cluniacenſi & Moiſiacenſi reformandam ac regendam tradiderunt.

* *Cubiere*
* *de Pierre Pertuſe.*

Hugonis abbatis ad Moiſiacenſes epiſtola.

Per id tempus neſcio quid adverſi Moiſiacenſibus accidit, quos Hugo Cluniacenſis abbas ſcripta epiſtola conſolatus eſt, & ad vitam religioſe tranſigendam hortatus in hunc modum.

Dulciſſimis & amantiſſimis fratribus ac filiis, ſub patrocinio beatorum apoſtolorum Petri & Pauli apud Moiſiacum degentibus, fratri Hunaldo abbati, ſalutem animarum & corporum, & æternam benedictionem. Noveritis, filii cariſſimi, qualiter vos ſemper dileximus, quamque ſpeciali amore locum illum præ omnibus Congregationis noſtræ locis habuimus & honoravimus. Hoc namque privilegium vobis & loco veſtro ſemper conceſſimus & concedimus, ut in amore & honore atque memoria Congregationis noſtræ ſpeciales ſitis. Unde, filii, rogamus, ut noſtri memores, Dominum ſuper omnia diligatis, timeatis, honoretis, eique gratias ſuper beneficiis ſuis agatis. Licet enim vobis plures ſupervenerint anxietates, ejus tamen miſericordia non defuit vobis, in bonis augmentum præſtans, & in neceſſitatibus ſolatium. Idcirco, cariſſimi, ipſum in omnibus & ſuper omnia præ oculis habetote; dominis noſtris ſummis apoſtolis ſervire non ceſſate; ordinem veſtrum & ſacram religionem, ſanctamque obedientiam cum ſumma diligentia cuſtodite. Penſate quam nihil ſit quidquid in mundo cernitis. Cogitate cum quanto ſudore laborandum, ut poſſit illud evadi terribile judicium, & perveniri ad gaudium numquam finiendum. Dominus abbas, quem vobis præfecimus, vir bonæ intentionis & religioſus, nobis & fratribus noſtris non parum carus, ſatis ſe laudat de vobis. Unde gaudemus, & ut magis magiſque ipſum diligatis, honoretis, eique devote obediatis, utpote tam glorioſo viro, volumus & admonemus. De cetero commendamus vos omnipotenti Deo, qui vos benedicat, & adjuvet, & protegat, & ab omnibus peccatis abſolvat, vobiſque perſeverantiam in ſancta religione tribuat; & poſt hanc vitam, precibus & meritis ſummorum apoſtolorum, quibus deſervitis, vos ad æternam perducat, amen. Et quia vos corporali aſpectu videre non poſſumus, ſpiritali nos videamus. Orate pro nobis & pro fratribus noſtris.

Hactenus Hugonis abbatis epiſtola non antehac edita, quam idcirco integram hoc loco referre viſum eſt.

XXXIII. Elariaci parthenon.

* *Laré.* a *Perard. p. 192.*

Elariacus * locus eſt in ſuburbio Divionenſi, ſancto Benigno a Guntchramno rege jam pridem collatus, ubi conſtitutæ longe ſerius Ordinis noſtri ſanctimoniales. Harum prima occurrit mentio in litteris Gregorii VII. [a] Jarentoni ſancti Benigni abbati inſcriptis, in quibus, poſtquam pontifex monaſterii privilegia confirmavit, de Elariaco ita ſubdit. *Eccleſiam quoque beati Germani* de Laré, *ubi ſanctimoniales conſiſtunt, vobis perpetuo confirmamus poſſidendam; & ut ipſæ ſanctimoniales numquam a ſubjectione eccleſiæ Divionenſis ſe removeant, ſub anathemate prohibemus, ſed ſemper per veſtram providentiam gubernentur* &c. *Data Lateranis per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis* XIII. *kal. Julii, anno ab incarnatione Domini* M LXXVIII. *indictione* I. *pontificatus autem domni Gregorii papæ VII. quinto.* Non abſimilis veri eſt Petri Franciſci Chiffleti [b] conjectura, cenſentis, ſanctimoniales illic primum a Jarentone inſtitutas, cum ex priore Caſæ-Dei factus eſt Divionenſis abbas, eoque deductam fuiſſe Hildeberti Marchiæ comitis filiam, Simoni Criſpiacenſi comiti deſponſatam, quæ ipſius Simonis ſuaſu ſanctimonialis habitu apud Caſam-Dei, ſive in parthenone ſancti Andreæ de Cumis induta eſt, inde forſan tranſlata [c] cum Jarento Divionem migravit. Hujus parthenonis ſeculo inſequente abbatiſſa extitit Guidonis, ſancti Bernardi ſenioris fratris, conjux, a Gaufrido monacho laudata. *Ipſa eſt, quæ uſque hodie*, inquit, *in monaſterio Lairiacus, quod prope Divionem ſitum eſt, perſeverat, mulier virtutis, & multarum in Chriſto virginum mater.* Ibidem, & forte ſub hac abbatiſſa, Hugo dux Bur-

b *Chifflet. opuſc. p. 181.*

c *lib. 43. num. 19.*

gundiæ, eo nomine secundus, filiam suam Aremburgem Deo consecravit.

ANN. CHR. 1078.

XXXIV. Casæ-Dei datur S. Andulfi ecclesia.

Ad Casam-Dei quod attinet, eodem tempore Bertrandus quidam, vir nobilis, cognomento Dictus, Deo & beatæ Mariæ, sanctisque martyribus Vitali & Agricolæ, « & beato Rotberto, & Casæ-Dei domno Duranto abbati, ceterisque ejusdem loci « monachis, sancti Andulfi ecclesiam cum terra de Bernoira, in suo dominio sitam, « cum appendicibus suis tradit pro redemtione animæ suæ, parentumque suorum, « assentientibus conjuge sua & fratre suo Atone Claromontensi abbate, aliisque; eo « pacto, ut post mortem illorum presbyterorum, qui tunc ecclesiam istam tenebant, « *per manum domni regatur Duranti abbatis*. Bernardus ejusdem Bertrandi frater, Dictus itidem cognominatus, Deo quoque & beato Rotberto cessit quidquid in illa ecclesia habebat, præsentibus Guigone monacho, *fratre domni Hugonis Diensis episcopi*, & Calisto monacho & camerario Casæ-Dei. Bertrandus porro, *qui se devoverat atque promiserat in manu sanctæ memoriæ domni abbatis Rotberti monachum esse futurum*, id a Casæ-Dei monachis obtinuit, ut, *si in laico habitu, quamdiu vixerit, voluerit in monasterio habitare*, id ipsi liceret. Ex his litteris patet, Rotbertum, Casæ-Dei primum abbatem, jam tum pro sancto habitum fuisse.

XXXV. Durando abbati facto episcopo succedit Seguinus.

Non multo post Durantus seu Durandus ad episcopatum Claromontensem promotus est, cum Casæ-Dei per decem circiter annos a sancti Rotberti obitu præfuisset. Futuram hanc ei dignitatem vaticinatus fuerat Rotbertus, cum ei prandenti frustum panis comedendum porrexit, quem ille aperto ore statim comedit. Eo abbate Rotbertus comes Arvernorum, & Rotbertus Casæ-Dei prior, ei in regimine monasterii collaborarunt, hic contra invisibiles, ille contra visibiles hostes. Exstat Durandi abbatis epistola [a] ad Anselmum, tum Becci priorem, in qua ejus Meditationes laudat, petitque admitti in Beccensium societatem, a quibus pro pignore epistolas beati Pauli sibi dari postulat, paratus ipse dare quod illi vellent. Ad hanc perhonorificam epistolam modestissime respondet Anselmus, suas pro eo preces, quod perviles essent, offerre se non audere professus; sed eas, cum ille poscere dignaretur, negare non debere. Ceterum quamvis minimum sit quod ipse concedit, aliquid magnum ab eo exposcere, prostratum mente ab eo ejusque sancta congregatione flagitantem, ut se servum suum, velut unum e suis accipiat, & suum nomen ultimo loco, ubi eorum scripta sunt nomina, adscribi faciat.

[a] *Anselm. lib. 1. ep. 61. & 62.*

Durando in abbatiali dignitate suffectus traditur Adalelmus: sed eo statim in Hispaniam misso, subrogatus Seguinus seu Siguinus vir illustris, ex castro pagi Lugdunensis Escotaiaco * oriundus, canonicus quondam Lugdunensis, testante Hugone Flaviniacensi, morum probitate conspicuus, *nunc felici*, inquit ille, *beatus excessu*. Ejus tempore Casæ-Dei monasterium & religionis fama, & amplissimis possessionibus excrevit; idem signis & virtutibus insignis. Hic cum aliquando in Carennacensi cella, quæ ad Dordoniam fluvium in Cadurcensi pago sita est, diem festum pentecostes celebraret, cuidam homini locum infestanti, nec ejus monitis resipiscere volenti, interitum prædixit. Idem Petro de Ponte-Gibaudi Casæ-Dei monacho abbatialem sancti Illidii Claromontensis dignitatem ominatus est, scilicet post Atonem abbatem, in superioribus Bertrandi litteris laudatum. Sub illius Petri præfectura, quem corporis imbecillitas attrivit, bellicus turbo comitis Claromontensis & canonicorum monasterium sancti Illidii oppressit, ut in libro de miraculis sancti Rotberti legitur.

* *Escotay.*

S. Illidii abbates.

XXXVI. Adalelmus abbas in Hispaniam missus.

Quod spectat Adalelmum, quem in Hispaniam missum modo dicebamus, erat is nobili genere natus, Lausduni * in confinio Pictavensis & Andecavensis pagi, pietate & liberalibus studiis apprime informatus. Militiam sectatus adolescens, re familiari in egenos expensa, dum Romam voti causa progreditur, apud Arvernos in Iciodorense Benedictinæ familiæ cœnobium divertit: ubi a Rotberto Casæ-Dei abbate, qui forte illic versabatur, benigne acceptus, fidem dedit, se, peracta Romana peregrinatione, ad eum reversurum. Post reditum, a sancto patre apud Casam-Dei in cœtum fratrum admissus, ea sedulitate religiosa exsecutus est omnia, ut non multo post informandis novitiis præfectus sit; ac demum ordinatus sacerdos, Durando abbate ad sedem Claromontensem promoto, electus in ejus abbatiali successor: sed mox in Hispaniam missus, Seguino abbati locum fecit, ob id omissus in vetustis indicibus Casæ-Dei abbatum. Ut vero in Hispaniam proficisceretur, effecit apud Alfonsum regem Constantia ejus secunda uxor, Rotberti Burgundiorum ducis filia,

* *Laudun.*

ANN. CHR. 1078.

teste Glabro, proindeque Rotberti regis neptis: quæ Adalelmi virtutum ac miraculorum rumore commota, eum ad se accersiri per regem curavit. Nec vana famæ fides. nam ubi ad Hispaniam pervenit, cum aulam & urbes miris in dies facinoribus illustraret, rex tam sanctum virum apud se retinere decrevit, eique sancti Johannis-Evangelistæ sacellum cum monasterio quod ad portam Burgensis urbis ad peregrinorum xenodochium & sepulturam condiderat, assignavit, fundis ac reditibus ad pium istud opus abunde collatis. Illic durissimam vitam duxit vir Dei, quotidie missas post matutinos celebrare solitus; reliquum diei in peregrinorum usus expendens. Ex variis miraculis ab eo patratis, Tagum fluvium exundantem, minimeque tranabilem, vir Dei asello insidens, signo crucis prætento, stupente rege, facile trajecisse memoratur.

XXXVII. Pontius Fraxineti abbas.

Sub prædicto Seguino Casæ-Dei abbate, ut tradit Hugo Flaviniacensis, ordinatus est [a] a papa Gregorio abbas Fraxinensis ecclesiæ Pontius, Casæ-Dei, ut videtur, monachus, qui post aliquot annos, infestatione Heinrici Germaniæ regis, abbatiam dimisit, quæsita ab Anselmo Luccensi episcopo & obtenta venia, immo extorta, ut satis ex ejusdem Anselmi epistola intelligitur, ab eodem Hugone relata, in qua ait se credidisse, *domni abbatis & sanctæ congregationis Casæ-Dei, necnon venerabilis patris Hugonis Lugdunensis archiepiscopi obedientiam cum benedictione apostolica beatiss.mi patris* » *nostri Gregorii omnibus iniquitatibus majorem esse.* at Pontium non credendo se ea gra- » tia indignum reddidisse. Se quidem eum in suam fidem olim suscepisse ea condi- » tione, ut curam regiminis ipsi injunctam cum omni sollicitudine gereret, nec animæ » suæ custodiam commissi sibi gregis necessitatibus præponeret: sed, cum a suo præ- » posito & præconcepta dimittendi regiminis intentione nullo modo revocari possit; » satius sibi visum esse, ut ardenti ejus desiderio cederet. tolerabilius reputanti, ut » ille solus periret, quam ut sibi commissos omnes in discrimen adduceret. *Si itaque*, inquit, *alia via plus tibi placet, nostra licentia depone sarcinam, quam imposuit tibi sola sine caritate necessitas, & sanctis orationibus adjuva me in alia navi laborantem.* In fine salutari suo nomine jubet domnum Lugdunensem archiepiscopum, *si tamen rationabilis necessitas a totius orbis necessitate excusat. Si enim aut timore, aut negligentia, aut quietis noxia amore matrem suam*, id est Romanam ecclesiam, *visitare, & liberare de manu mortis distulerit, reus erit judicio, nisi sine mora venire, & in omnibus auxiliari studuerit.* Hæc scribebat Anselmus ante annum M LXXXVI. quo decessit, atque adeo Hugo Diensis ante illum annum ad archiepiscopatum Lugdunensem jam promotus erat. Fraxinensis illa eclesia, cui Pontius abbas præfectus fuerat, videtur exstitisse Fraxineti *, quod opidum est Italiæ apud Insubres ad Padum fluvium in ducatu Montis-ferrati.

[a] *Labbe to. 1. bibl. p. 215.*

* *Fressinet.*

XXXVIII. Floriaco data S. Gervasii ecclesia.

Revertor in Galliam, ubi dum Floriacensi sancti Benedicti monasterio præesset Guillelmus abbas, ecclesia sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, quæ extra muros urbis Aurelianensis ad orientalem plagam sita est, hoc anno Floriacensibus concessa fuit, quæ anno superiori adhuc sæcularium canonicorum erat. Id constat ex diplomate Philippi regis, qui eo anno canonicis illius ecclesiæ ecclesiam sancti Remigii de Cantoïlo donavit, atque clausum vinearum in eodem loco, quod *nostra*, inquit, *procurator pueritia plantari fecit Balduinus Flandrensium comes* &c. *Actum publice Aurelianis anno incarnati Verbi* M LXXVII. *anno regni nostri* XVIII. *Goffrido Parisiorum episcopo cancellario nostro.* At sequenti anno idem rex monachis Deo ibidem servientibus exactiones sui juris in solo Floriacensi remisit, adjecta insuper domo quadam, sita juxta forum ejusdem Aurelianæ civitatis. Actum itidem Aurelianis anno incarnati Verbi M LXXVIII. regni sui XVIII. Gislebertus ad vicem Rogerii cancellarii subscripsit. Destructa fuit hæc cella Anglorum tempestate, & in simplex beneficium redacta sub titulo sancti Pharetrii *.

* *S. Phalier.*

XXXIX. Herluinus Becci abbas obit.

Necdum annus integer a consecratione novæ Beccensis ecclesiæ elapsus erat, cum emeritus senex venerabilis Herluinus abbas, jam votis satisfactum suis videns, quippe qui & novum opus absolutum cernebat, & amantissimum Lanfrancum adhuc semel conspexerat; de cetero nil nisi dissolvi & cum Christo esse optabat. Deinceps omni membrorum officio destitui cœpit, & sensim ad exitum properare. Mense Augusto insequente, id est tertio-decimo kalendas Septembris, omnino lecto decubuit, & mortem sibi instare sensit. quod ubi fratribus innotuit, tantus universos pervasit mœror, quasi omnes morti jam addicti essent. Nulla eis de cibo, nulla de somno

cura. Tertio die vir Dei absolvi se, & cetera, quæ morientibus exhiberi solent, officia sibi exhiberi rogavit. Adsunt filii vale dicturi amantissimo patri, lacrymis ac singultibus preces interrumpentibus. Ventum ad agendam confessionem, ut extremam pii patris benedictionem & absolutionem perciperent. Ipse in lacrymas effusus, ne verbum quidem proferre valebat: sed vix tandem eluctatus in vocem, absolvit filios, & benedictionem omnibus impertiit. Ipsa die, qua moriturus erat, ubi primum ad matutinas insonuit signum, domnum Rogerum Exaquensem abbatem,[a] qui ad caput ejus accumbebat, ilico excitavit, jussitque adesse Anselmum priorem, qui propius aderat. Prima luce omnes diei horas coram se recitari postulavit; tumque imminente exitu, viatico se muniri, ipsiusque animam Deo commendari. Ocius ad ecclesiam ivit Rogerius, *sed nullam in Eucharistia*, id est in pyxide, *hostiam invenit*. Forte unus e sacerdotibus tunc missam pro eo celebrans, sumendum adhuc in manibus tenebat corpus Domini. Sacræ hostiæ portionem accepit abbas, & morienti viaticum tulit. Ejus exitum commendaturi statim accurrunt fratres: quorum lacrymas ille sustinere non valens, sumto viatico innuit, ut in claustrum redeant. Tandem post vespertinam synaxim, nocte jam proxima, quæ in dominicum diem illucescebat, VII. kalendas Septembris, felix illa anima ex hujus sæculi tenebris migravit ad perpetuam lucem. Obiit anno ætatis octogesimo-quarto, monasticæ professionis quadragesimo-quarto, ac fere totidem abbatialis dignitatis; sepultus in capitulo, quod ipse recens exstruxerat: ubi hactenus ejus tumulus visitur, nigro lapide absque ulla inscriptione ornatus. Epitaphium ejus duplex ad ejus acta retulimus, scripta primum a Gisleberto-Crispino ejus discipulo, ac dein Westmonasteriensi abbate; dein ab alio anonymo. Adfuit cum vicinis abbatibus Gislebertus Ebroïcensis episcopus, qui funus curavit. Satis fuerit ad Herluini laudem dixisse, eum fuisse auctorem percelebris Beccensis monasterii, quod innumeros doctrina & pietate præstantes viros tulit. Præcipua Herluini, Beccensiumque monachorum devotio fuit erga beatissimam Virginem Mariam: ex quo factum putamus, ut illi veste alba præter morem nostrorum usi sint usque ad nostrum tempus, quo sancti Mauri congregationi aggregati sunt. Plura hac de re inferius[b]. Nullo adhuc publico cultu honoratus est beatus Herluinus, cujus corpus e tumulo elatum non fuit. Editæ sunt tamen de eo quædam collectæ seu orationes, sed numquam publico, ut credimus, ecclesiæ usu receptæ.

ANN. CHR. 1078.

a V. lib. 61. n. 61.

b lib. 68. n. 92.

XL. Anselmus abbas eligitur.

Ubi de successore substituendo actum est, omnium suffragia in unum Anselmum priorem convenere. Ille solo prostratus id oneris a se deprecatur: at fratres contra humi procumbentes, ut illud subeat, instant. Elapsis in has vicissitudines aliquot diebus, fratrum demum constantia victus Anselmus, simulque constrictus præcepto Maurilii quondam Rothomagensis archiepiscopi, qui eum ad subeundum non modo prioris officium, sed majorem quoque, si ei deferretur, præfecturam adegerat; quantumvis reluctans, electioni suæ acquiescere visus est. Hanc protinus Willelmo principi, qui tum in Neustria versabatur, significavere Beccenses: at ejus confirmationem distulit, dum Brionam ipse accederet. Ubi illuc venit, tres ex optimatibus suis Beccum misit, qui, an unanimi consensu facta esset electio, inquirerent. Ubi rem ita se habere rescivit princeps, electum ad se deduci præcepit. Electus denuo reluctatur: sed tandem suorum precibus expugnatus, ad ducem accessit, baculumque pastoralem, nullo tamen facto hominio, accepit. Tum cuidam episcopo injunctum, ut electum Beccum reduceret, & in sedili abbatis sollemni ritu collocaret. Verum Anselmus numquam adduci potuit, ut pastoralem baculum portaret, nec alio modo se gessit, quam in prioratus officio fecerat. Dilata ejus benedictio ad octavum kalendas Martias anni sequentis, a Gisleberto Ebroicensi episcopo facta *absque ulla mentione professionis*, vacante Rotomagensi ecclesia. Hæc carptim ex libello de libertate Beccensis monasterii, quem in Appendice referemus. Anselmus prior sequentes libros composuit, scilicet Monologion, Proslogium, Apologeticum contra Gaunilonem, libros de veritate, de casu diaboli, de libertate arbitrii, de grammatico, Meditationem, quæ incipit, *Terret me*, & alias.

XLI. Beccenses monachi sub Herluino.

In Beccensi monasterio sub Herluino abbate admissi sunt monachi triginta sex supra centum, ex quibus duo archiepiscopi Cantuarienses, Lanfrancus & Anselmus; & unus Rotomagensis, Guillelmus Bona-anima, Johannis successor; episcopi tres, Gundulphus & Hernostus Roffenses, tertius Fulco Belvacensis; abbates quinque,

ANN. CHR. 1078.

nempe Rogerius Exaquensis, Guillelmus Cormeliensis, Gislebertus-Crispinus Westmonasteriensis, Henricus de Bello, & Richardus sanctæ Walburgæ. In aliis monachis insigniores exstitere Rogerius Cadomensis, artis poëticæ peritus, qui carmen de contemtu mundi composuit, incipiens ab his verbis, *Quid deceat monachum* &c. Baldricus de Sarvavilla, Herluini abbatis cognatus, tertius Becci prior, & Hugo ejus filius; Willelmus-Crispinus, prædicti Gisleberti-Crispini pater; Lanfrancus Lanfranci archiepiscopi nepos, & Wido ejus socius, magisterio puerorum addictus; Osbernus pius & eruditus; Godbertus secretarius, qui beatum Anselmum luce circumfusum vidit; Herluinus ab Herluino abbate missus ad Gundulfum Roffensem episcopum, quem Anselmus Heinrico Cantuariensi priori, qui & ipse Becci monachus erat, commendavit; Hugo Mellenti comes, aliique complures.

XLII. Johanni abbati Fiscamnensi succedit Guillelmus II.

In monasterio Fiscamnensi Johannes abbas, ob corporis exilitatem Johannelinus dictus, cum annis quinquaginta & uno locum rexisset, hoc anno decessisse traditur in brevi chronico [a] Fiscamnensi, & quidem VIII. kalendas Martii, ut notatur in necrologio sancti Benigni, ubi aliquamdiu abbas fuerat, & in altero sancti Germani a Pratis, rubeis litteris, quo die obitus Hugonis prioris sancti Benigni in eodem Pratensi necrologio notatur. Sepultus est Johannes in capella beati Johannis-Baptistæ cum hoc epitaphio.

a *Labbe bibl. to. 1. p. 326.*

Hic jacet ante omnes pius innocuusque Johannes,
Cujus corpus humum, mens tenet alta polum.
Rexit, Guillelmo primo moriente, secundus
Hoc nostrum parili stemmate cœnobium.

Vir fuit tum eruditione, tum rebus gestis clarus, ut probant ea, quæ in superioribus de eo retulimus. Ei suffectus Guillelmus II. *de Roz* cognominatus, tertius Fiscamni ab instauratione abbas, quem locum per annos fere viginti-novem [b] perquam laudabiliter procuravit. Is ante conversionem Bajocensis clericus, id est cantor, decanus & archidiaconus sub Odone episcopo; dein Cadomi apud sanctum Stephanum factus monachus, ac demum vix uno post professionem anno Fiscamnensis abbas. ut mystica nardus, teste Orderico [c], in domo Domini caritate, largitate, ac multimoda probitate fragravit. Cum esset Bajocensis clericus, Uticensibus nostris quadraginta libras Sterlingensium dono dedit. unde nomen ejus inter benefactores adscriptum, & sollemnes pro eo preces, sicut pro monacho loci professo, institutæ. Eo abbate, multi sapientes & illustres viri, ejus amore & exemplo adducti, Fiscamnum confluxisse perhibentur, & in schola divini cultus sub eodem sanctæ Trinitati religiose ministrasse. Idem præ decoræ & delicatæ formæ præstantia cognominatus Puella dicitur. De eo plura inferius. Anno ejus præfecturæ primo cella sancti Gabrielis, in pago Bajocensi super Sellam fluviolum, Fiscamnensibus concessa fuisse traditur.

b *Labbe to. 1. p. 328.*

c *Orderic lib. 4. p. 529. & lib. 8. p. 832.*

XLIII. Wolstani episcopi constantia in Lanfrancum.

Post Beccensis ecclesiæ dedicationem reversus in Angliam Lanfrancus, Londoniæ concilium habuit. In eo Wolstanus Wigorniæ episcopus [d], agente Willelmo rege, qui eum ob litteraturæ, ut prætendebat, insufficientiam & imperitiam Gallici sermonis, episcopatu privare volebat, baculum pastoralem resignare jussus a Lanfranco est. Ille, nec vultu mutatus nec animo, se quidem episcopatu indignum, tantoque oneri imparem esse confessus est: at invitum ad illud subeundum a clero, rege, & apostolica sede adductum, non alteri baculum resignaturum, quam ei, a quo acce-
» pisset. His dictis ad tumulum sancti Edwardi regis accessit, ibique stans: Tu scis,
» inquit, domine mi, quam invitus & sæpe subterfugiens hoc onus susceperim. Factus
» sum equidem insipiens, sed tu me coëgisti. Nunc ecce novus rex, novus pontifex,
» nova jura condunt. Te erroris arguunt, qui jussisti; me temeritatis, qui consensi.
» Nunc conjunctus Deo, pulsis ignorantiæ & erroris tenebris in plena luce versaris.
» Tibi resigno baculum cum ovium cura, quas mihi commisisti. Has ei trade qui di-
» gnus sit. Tum baculum tumulo infixit, mox episcopalibus exutus vestibus, inter monachos monachus ipse resedit. Id ubi rescivit Lanfrancus, missus ab eo Gundulfus Roffensis episcopus baculum e tumulo efferre tentavit, sed non valuit. Ea re stupefactus Lanfrancus, cum rege & episcopis ad tumulum accedit, factaque oratione baculum, sed frustra, inde evellere conatur. Ille impotentiam fassus, Wolstanum

d *V. lib. 61. n. 127. & 128.*

istuc adducendum censet. Victus precum instantia vir Dei, ad tumulum accedit, virgam apprehendit, nulloque negotio recipit. Tum vero Lanfrancus, ad ejus provolutus pedes, delicti veniam petit, ac deinceps eum cum maximo honore habuit, immo & rex ipse, præcipuus facti auctor. Hac in re quddam humani passus videtur Lanfrancus, non tam ex eo quod Willelmo regi nimium obsequiosus fuerit, Anglicanas dignitates ad populares suos transferre satagenti, cui Lanfrancus restitit non semel; quam quod non satis forte attendit ad veræ ecclesiasticæ doctrinæ conditiones. Etsi enim Wolstanus fabulas poëtarum, ut ait Willelmus, aliasque profanæ scientiæ subtilitates ignoravit; ad ea tamen, quæ muneris sui erant, exsequenda maxime sufficiens erat, nec erat ignarus ecclesiasticæ disciplinæ regularum: uti probavit Anselmus, Lanfranci in sede Cantuariensi successor, qui eum aliquando consuluit super contentione, quam cum Londoniensi episcopo de jure consecrandæ in Londoniensi diœcesi ecclesiæ habuit: ubi ejus sapientiam, uti & sanctitatem laudat.

ANN. CHR. 1071.

XLIV. Abbates S. Michaëlis ad Mosam & S. Vitoni.

In Lotharingia mortuus erat hoc anno Albertus abbas sancti Michaëlis ad Mosam, eo nomine secundus, notatus in necrologio ad diem XIV. mensis Aprilis, ubi *restaurator hujus ecclesiæ* dicitur. Suffectus in ejus locum Sigifridus seu Seifridus ex monacho sancti Agerici, ut ex ejusdem loci necrologio discimus. Seifrido abbati Theodericus Virdunensis episcopus confirmat altare sancti Cyrici, quod Alberto ejus antecessori ante annos undecim *in renovatione ecclesiæ* sancti Michaëlis concesserat; additque altare Troniaci. *Actum publice Virduni anno incarnationis* M LXXVIII. *indictione* II. forte a Septembri inchoata, si non legendus annus M LXXVIIII. *Theoderici episcopatus anno* XXXVI. His litteris apponitur signum Rodulfi abbatis, scilicet sancti Vitoni. Sancti Michaëlis cœnobium rexit usque ad annum M XCVIII. Sigifridus abbas, cujus frequens mentio per id tempus in vetustis ejus loci instrumentis occurrit.

Rodulfus mox laudatus in regimine sancti Vitoni monasterii anno superiore jam successerat Grimoldo abbati adhuc viventi, ut in brevi ejus loci chronico legitur, ubi Grimoldus hoc anno obiisse dicitur. Rodulfum biennio ante successisse tradit Hugo [a] Flaviniacensis in chronico, in quo Grimoldus anno M LXXV. die sancti Nicolai abbatiam dimisisse perhibetur, eique Rodulfus successisse, ordinatus die sancti Urbani, adeoque mense Maio anni insequentis. Consentit idem auctor [b] cum brevi chronico in assignando mortis anno Grimoldi abbatis, quem ait anno M LXXVIII. obiisse, dum Roma regrederetur, & Mantuæ in ecclesia sancti Andreæ XIV. kalendas Julii sepultum fuisse, cum a tribus annis sancti Vitoni monasterium regeret Rodulfus abbas, *Grimoldo de prælatione abbatiæ excusato* ob nimiam simplicitatem. Ejus obitus in necrologio notatur VIII. idus Junii. Clarius hæc explicat Laurentius de Leodio in continuatione [c] historiæ Virdunensis, ubi ait, sub Grimoldo abbate, qui sancti Vitoni monasterio per sexdecim annos præfuit, religionem quorumdam insolentia deperiisse; & quia per illum emendari non poterat, eum a Theoderico episcopo amotum fuisse: cui venerabilem Rodulfum, sancti Agerici monachum, *religione, scientia & moribus insignitum*, substituit, qui per se, aliosque monachos secum ex sancti Agerici cœnobio adductos, *summam ordinis* restituisse, & plurima bona sancto Vitono contulisse dicitur, multis viris nobilibus & industriis ibidem aggregatis, quos bonus religionis odor eo attraxit, quorum probitate locus iste in pristinum decus refloruit. Tunc vero ita religione florebat sancti Agerici monasterium, ut eo tempore duodecim abbates inde per diversa loca assumti sint, *omnes magnorum gestorum viri*, inquit Laurentius de Leodio.

a Labbe bibl. to. 1. p. 197.

b ibid. p. 213.

c Spicil. to. 12. p. 286. & seqq.

XLV. Gemblaci abbates & viri illustres.

Apud Gemblacum Mascelino abbati a sex annis [d] jam subrogatus erat Thietmarus, qui antecessoris sui vestigia in omnibus sequens, monasterii substantiam adauxit,[e] potius, quam minuit. Christi nihilo minus paupertatem imitari sollicitus erat, & mundi gloriam fugere, *vir columbinæ simplicitatis*. Hic commissam sibi familiam per annos viginti-tres rexisse dicitur: cujus tempore apud Gemblacum floruere in primis Guiricus, quem alii Guerinum vocant, & Sigebertus. Primus, scilicet Guiricus, Olberti quondam abbatis consanguineus & discipulus, multis annis prioris functus officio, tam religiose se gessit, ut *aurum multo meritorum igne probatum, & vas honori Dei aptum cognominaretur*. Intentus jejuniis & precibus, in celebrando missæ sacrificio ita assiduus, ut, si quando, quod raro accidebat, tam sacro operi dees-

d V. lib. 64. n. 10.

e Spicil. to. 6. p. 534. & seqq.

ANN. CHR. 1078.

ſet, nullam requiem habere videretur. Ejus tumulo hoc epitaphium adſcriptum eſt.

Norma, decus, ſpeculum, Guerinus honor monachorum,
Doctor Gemblaſus hoc tumulo tegitur.

Sigebertus monachus.

Sigebertus, haud ignobilis auctor, Gemblaci jam florebat tempore Maſcelini abbatis. Hinc, fama ejus ad Mettenſes perlata, a cœnobitis ſancti Vincentii expetitur. Illic ſub Fulcuino abbate diu converſatus, *ſapientiæ fons patens erat*, ut loquitur Gemblacenſis chronographus, *non ſolum monachis, ſed & clericis ad ſe undique confluentibus.* Immo non ſolum chriſtianis, ſed & Judæis in eadem urbe commanentibus acceptus erat, utpote Hebraïcæ veritatis peritus. Illic ſanctæ Luciæ virginis [a] & martyris paſſionem, cum metro, tum proſa celebravit, & quædam alia compoſuit. Demum poſt multum temporis, vix impetrata facultate, redit ad ſuos Gemblacenſes, quibus multa contulit ad ornatum eccleſiæ, ex iis ſcilicet, quæ a ſuis auditoribus in præmium acceperat. Non minor apud Gemblacum auditorum ejus frequentia erat. Si quid quæſtiönis occurreret, ad eum reccurrebatur. Eum præcipue conſulebat Heinricus archidiaconus & decanus eccleſiæ Leodicenſis, cujus rogatu ſcripſit ad Trevirenſes librum de jejuniis quatuor temporum, & alia, quæ ipſe commemorat in libro de viris illuſtribus, ubi in fine opera ſua recenſet. In his, rogatu prædicti archidiaconi, reſpondit ad epiſtolam Hildebrandi ſeu Gregorii papæ, quam ſcripſit ad Hermannum Mettenſem epiſcopum, *in poteſtatis regiæ calumniam.* Hinc apud Baronium male audit Sigebertus, uti & propter ejus reſponſionem ad epiſtolam Paſchalis papæ, *qui Leodicenſem eccleſiam, æque ut Cameracenſem, a Roberto Flandrenſium comite jubebat perditum iri*, propterea quod ſchiſmatico imperatori faverent. Unde factum eſt, ut imperatoris partes ſecutus, pontificibus plus æquo fuerit infenſior. Prædicta Gregorii papæ [b] epiſtola ad Hermannum epiſcopum ſcripta eſt VIII. kalendas Septembris, indictione XIV. quæ anno M LXXVI. reſpondet.

a *V. lib.* 56. *n.* 105.

b *Greg. VII. lib.* 4. *ep.* 2.

XLVI. Thiofridus Epternacenſis abbas.

Florebat quoque per id tempus Thiofridus Eſternacenſis ſeu Epternacenſis abbas, qui hoc anno M LXXVIII. Regimberto ſuperius [c] laudato ſucceſſit. Jam illic monachus erat anno M XXXI. quo ſancti Willibrordi tranſlatio [d] facta eſt, Humberto abbate Regimberti anteceſſore, ut ipſe teſtatur in libro Florum capite VI. Regimberti adhuc viventis adjutor factus, eo mortuo, cum quidam competitor Heinricum regem appellaſſet, ipſe viciſſim adiit Gregorium VII. quo judice jus ſuum obtinuit, id eſt abbatiam, quam viginti-octo annis rexit. Bertelius [e] in hiſtoria Luxemburgenſi ait, Thiofridum anno M LXXXI. Regimberto ſucceſſiſſe. Et tamen domeſtica inſtrumenta docent id triennio citius contigiſſe, ducto forte ejus præfecturæ initio ab eo tempore, quo Regimberti coadjutor factus eſt. Quanta in exiſtimatione fuerit, illud argumento eſt, quod Bruno II. Trevirenſis archipræſul ſuam ipſius animam, id eſt conſcientiæ ſuæ curam ei commendavit. Nec illud minoris momenti, quod incolæ Walichrenſis inſulæ, quam olim ſanctus Willibrordus prædicatione ſua illuſtraverat, mutuis in ſe ſe cædibus debacchantes, Thiofridum abbatem ad reformandam pacem accerſiere. quam ille provinciam haud illibenter aggreſſus eſt, procedentibus obviam ei Antwerpienſibus univerſis *cum ſanctorum ſuorum pyxidibus*, eamque feliciter exſecutus eſt, comitante & interprete Ekehardo, *cœnobita egregio*, qui *ante converſionem inter principes ejuſdem inſulæ nominatiſſimus* erat. Id Thiofridus ipſe litteris mandavit in libro de vita ſancti Willibrordi, cujus ſcriniolum, in quo particula ejus coſtæ erat, in ea legatione detulit, ejuſque virtute nonnulla miracula, & concordiam inter Walichrenſes patravit. De cetero vir non modo pietate, ſed doctrina inſignis fuit, græce & hebraice pro tempore peritus.

c *lib.* 61. *n.* 52.

d *lib.* 56. *n.* 104.

e *Bertel. p.* 166.

XLVII. Mediolacenſes abbates & Laurishamenſes.

Inter cetera ejus opera ſcripſit librum de vita ſancti Liutwini archiepiſcopi Trevirenſis, quondam aſſumti e cœnobio Mediolacenſi, quod his verbis commendat. *Noſtra quoque memoria tam clara mundi luminaria, tam magnifica ibi virorum claruerunt nomina, ut, qui minimus inter eos cenſeretur ordine, digniſſimus haberetur ſummi honoris culmine; &, quacumque eccleſia ex eis nacta eſſet rectorem, ut mundus ſolis jubare, ſic ejus doctrina ac virtutum illuſtraretur lumine.* Hæc tametſi hyperbolice dicta ſint, id tamen ſaltem probant, Mediolacenſes noſtros ab antiqua religione haud omnino tum degeneraſſe. Hunc locum per id tempus regebat Mizo, eo nomine ſecundus, qui Everhelmi ob ſimoniam exauctorati, erratis caſtigandis, & diſſipatis mona-

ſterii

ANN. CHR. 1078.

ſterii fortunis colligendis utilem operam navavit, templumque ſplendide exornavit. Hunc excepit Libo, cujus tempore Theodericus, Moſellanorum dux, quadriennium vitæ ultimum in Dei cultu illic exegiſſe dicitur.

Laurishami Adalberto abbati poſt bienni regimen, incertum quas ob cauſas, depoſito, alter non meliori auſpicio ſupponitur, ſcilicet Wintherus, non paſtor, ſed lupus, Sigehardi comitis frater, Adelberti Moguntini archiepiſcopi patruus. Is nobilitatis faſtu inflatus, monaſterii poſſeſſiones fratri ſuo, aliiſque in beneficium tradidit, ac demum Wormatienſem epiſcopatum ſimoniaco ambitu, & maximo Laurishamenſium detrimento invaſit. Præter ea, ſi ejus loci chronographo fides eſt, *ut fratrum diſturbaret concordiam, nova cujuſdam ſecta neſcio quas inſolentias ſubinducere conatus eſt: ſed, cunctis unanimiter obnitentibus, propoſito fruſtratus eſt.* Id dictum videtur a chronographo de Hirſaugienſium inſtitutis, quæ Wintherus Laurishamum forte introducere conabatur. Illud argumento eſt, quod, exactis in epiſcopatu tribus annis, epiſcopatu & abbatia ceſſit; de cetero privatus vivere pollicitus in Hirſaugienſi monaſterio, quod ſpecie converſionis expetiit. Verum inde non multo poſt ab amicis revocatus, nihilo melior factus, Laurishami prædia denuo in beneficium expoſuit. Sed tandem, abdicata rurſum utraque dignitate, Hirſaugiam reverſus, ibidem rebus exceſſit humanis, *miſerabili ſane exitu*, inquit chronographus, quippe *qui tanta rapuit, nec exſolvit.* Tenuit epiſcopatum annis tribus, abbatiam annis undecim. Eo Hirſaugiam ſecundo reverſo, concordi fratrum electione ſubrogatur Anſelmus, vir conſilio & prudentia præditus, qui ablata monaſterio recuperavit. Ejus tempore combuſtum monaſterium, quod ille ſtrenue inſtaurare curavit.

XLVIII. S. Ægidii abbatia in Hungaria.

a Baluz. Miſcell. to. 2. p. 183.

In Hungaria ſanctus rex Ladiſlaus, Belæ pugilis filius, *nobiliſſimam abbatiam de Sentigis* fundaſſe dicitur, in *qua non ſolent recipi niſi Franci*, inquit Albericus. Quænam ſit illa abbatia, diſcimus ex diplomate [a] Paſchalis II. Inſcriptum *Hugoni abbati monaſterii ſancti Ægidii, quod in valle Flaviana ſitum eſt* prope Nemauſum, Galliæ Narbonenſis civitatem. In hoc enim diplomate legitur, quod Latiſlavus, bonæ memoriæ Hungarorum rex, ad honorem Dei & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, in memoriam ſancti confeſſoris Ægidii Semichenſem fundavit eccleſiam, & eam per manus Odilonis, felicis memoriæ prædeceſſoris ipſius Hugonis, prædicto ſancti Ægidii obtulit monaſterio, ubi ejus venerabile corpus requieſcit. Id vero confirmat Paſchalis eo pacto, ut quicumque Semichenſis abbas fuerit, abbati monaſterii ſancti Ægidii obedientiam profiteatur, & perſeveranter obſervet: negotia vero, quæ monaſterio Semichenſi acciderint, ſolius regis judicio terminentur. *Datum Parmæ per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis & bibliothecarii* IV. *nonas Novembris, indictione* XV. *anno dominicæ incarnationis* MCVI. *pontificatus autem domni Paſchalis ſecundi papæ octavo.* Hujus monaſterii nullam mentionem invenio apud rei Hungaricæ ſcriptores, Bonfinium & Thwroczum, ſed tantum monaſterii [b] Waradienſis, quod Ladiſlaus in honorem ſanctæ Mariæ conſtruxiſſe dicitur: ubi & ſepultus eſt.

b Thwrocz cap. 59.

XLIX. Pinarolii abbates & benefactores.

c lib. 62. n. 67.

Actum eſt ſuperius [c] de origine Pinarolienſis in Pedemontana regione monaſterii, cui Aginulfus ſeu Arnulfus primus abbas præfuit, pervenitque ad pontificatum Gregorii VII. a quo privilegium, Adelaidæ comitiſſæ rogatu obtinuit. Hoc privilegio, quod Anſelmo abbati monaſterii ſanctæ Mariæ in Pinarolio inſcriptum eſt, hunc locum in ſuam tutelam ſuſcipit pontifex, ejuſque poſſeſſiones confirmat, ſtatuitque inſuper, ut, defuncto abbate illius cœnobii, abbates monaſteriorum Fructuarienſis, Bremenſis, ſancti Solutoris Taurinenſis, ſancti Michaëlis Cluſenſis, aliique, ſi qui illis in partibus fuerint, in unum conveniant, & in eorum præſentia fratres unum ex ſua congregatione, ſi quidem illic idoneum reperire valeant, in abbatem ſibi eligant: ſin minus aliunde adſciſcant. Datum Laterani per manum Petri S. R. E. cardinalis. Deſunt aliæ chronicæ notæ apud Guichenonem [d] qui hoc diploma retulit. Arnulfi abbatis ſucceſſor Arduinus laudatur in litteris hoc anno ſcriptis, quibus Agnes comitiſſa, filia quondam [e] Willelmi Pictavienſis comitis, & relicta nobiliſſimi marchionis Petri, filii Adelaidæ comitiſſæ, donat monaſterio quæcumque ſui juris erant apud Pinarolium. Hujus Agnetis epitaphium legitur in abbatia ſancti Petri de Ferrania, ſita prope caſtrum Caïri, quæ ab origine fuit

d Guichenon. to. 2. hiſt. Saband. p. 16.

e V. Chron. Pedem. p. 366.

ANN. CHR. 1078.

Ordinis nostri, postea canonicorum regularium, nunc abbatiali [a] titulo gaudens. Sic autem habet epitaphium.

a ibid. p. 316.

Hac recubant fossa matris venerabilis ossa,
Cujus erat patulum vita boni speculum.
Hac Pictavorum comitum spes nobiliorum,
Pulcra fuit facie, nurus Atalasia.
Defunctoque viro, longe post ordine miro
Mundum deseruit, sicque secuta fuit.

Hæc Adalasia conditrix fuit monasterii Pinaroliensis, filia Manfredi Secusiæ marchionis & Bertæ comitissæ, uxor primo Humberti Maurianæ comitis, dein Ottonis marchionis Italiæ, ex quibus Sabaudiæ duces originem trahunt. Ceterum Arduino abbate Pinarolio subjecta fuit abbatia sancti Petri de Musinascha, quam Immilla, soror Adalaidis comitissæ, paullo ante condiderat. Arduino abbati successit Ubertus abbas, cui Humbertus Maurianæ comes alter anno M XCVIII. donavit quidquid juris habebat in loco, qui dicitur Ferruciades. Nunc Pinaroliensem abbatiam occupant Fulienses.

L. S. Theobaldi reliquiæ Latiniacum translatæ.

Post quatuor annos, quam corpus sancti Theobaldi Vicentini eremitæ Vangadiciam [b] translatum fuerat, Arnulfus Latiniaci, simulque sanctæ Columbæ abbas, ejus frater, hortatu Rodulfi ejusdem sancti discipuli, qui in Franciam venerat, in Italiam profectus est cum Ivone Latiniacensi monacho, tum ut partem reliquiarum sancti Theobaldi fratris sui obtineret, tum ut Willam matrem, adhuc superstitem, inviseret. Ejus votis annuit Azo marchio cum Petro Vangadiciæ abbate, qui ei brachium sancti confessoris cum aliquot aliis reliquiis dedere, quas ille mox in Franciam advexit. Cum ad pagum Senonensem pervenisset, Richerio Senonensi archipræsule per nuntium præmonito, venienti occurritur a clero & promiscui vulgi multitudine infinita, & ad majorem sancti Stephani ecclesiam pervenitur. Inde Pruvinum sacræ deferuntur reliquiæ, ubi ecclesia in sancti Theobaldi bonorem constructa. Tandem Latiniacum adveniunt, ibique magno tripudio excipiuntur. Non multo post ecclesia sancti Theobaldi nomine insignis, haud procul Latiniaco, in silva, quam Fagos vocant [*], erigitur, hactenus cella monasterii Latiniacensis. Idem Arnulfus prope Senonas alteram eidem Sancto ecclesiam nuncupavit.

b V. lib. 64. n. 84.

* le bois du Fou.

Latiniaci abbates.

Ab instaurato Latiniacensi monasterio non ita rata est abbatum series, qui locum rexerunt. Primus fuit Herbertus ex Judæis ortus, sed a puero christianus, sancti Germani apud Parisios monacbus, Fulberto & Gerberto magistris in litteris apprime eruditus, de quo non semel in superioribus facta mentio est. Hunc excepit Rogerius, cui Imbertus Parisiorum præsul anno M XXXVI. Curvisnarum ac Montis-Evrini altaria concessit. Anno M L. Radulfus abbas detectioni corporis sancti Dionysii interfuit. Ejus successor, haud scio an proximus, exstitit Arnulfus, sancti Theobaldi frater, Campaniæ comitum propinquus, qui sancti Florentini martyris reliquias Latiniacum transferri curavit, ut inferius videbimus. Idem sanctæ Columbæ apud Senonas abbas, a Philippo rege relaxationem a consuetudinibus, quas in villa Sarmasiæ regii ministri exigebant, obtinuit. *Actum publice Parisius, regnante Philippo rege anno* XIV. *anno incarnati Verbi* M LXXIIII. Willelmus cancellarius legit & subscripsit, & ante eum præcipui regni officiales & ministri.

LI. Stephanus abbas S. Urbani vitam scribit.

Antequam hunc annum claudamus, non abs re erit observare, Stephanum abbatem sancti Urbani monasterii in diœcesi Catalaunensi, de cujus primordiis alias egimus, boc tempore passionem sancti Urbani papæ & martyris, patroni sui, novo stilo scripsisse & exornasse, eique epistolam apologeticam præfixisse ad dominum Rogerium Catalaunensem episcopum: in cujus fine ait, eumdem Rogerium ipsi auctorem fuisse, ut sanctorum ejusdem ecclesiæ pontificum, Memmii videlicet, Elasii ac Leudomiri acta expoliret. quod an præstiterit, incertum. Sancti Urbani passio, Stephano auctore, babetur in codice Cisterciensi. Cum vero tres fuerint sæculo undecimo Rogerii præsules Catalaunensis ecclesiæ, ad quem eorum referenda sit hæc Stephani apologetica epistola, non omnino exploratum. Post illam epistolam sequitur Præfatio ejusdem auctoris sub hoc initio: *Sæpius rei cujuslibet* &c. tum Passio ab his verbis: *Urbanus igitur urbis Romæ episcopus* &c.

ANN. CHR. 1079.

LII. Synodus Romana in Berengarium.

Post Romanam synodum anni M LXXVIII. ut diximus, in festo Sanctorum omnium habitam, in qua Berengarius brevem fidei suæ formulam, sed insufficientem, ediderat; altera insequenti anno in quadragesima, mense Februario convocata est. In hac Bruno monachus e nostris, postea Signiensis episcopus, & Albericus diaconus Casinas, contra ipsum Berengarium disputationem habuere; eisdemque agentibus factum, ut Berengarius novam, duabus aliis explicatiorem fidei formulam subscribere coactus sit, quam in Gallias reversus denuo refellit. Si Petro diacono ac monacho [a] Casinensi credimus, in hac posteriori synodo Romana, cum « nullus Berengario resistere valeret, Albericus monachus, unius hebdomadæ acce- « ptis induciis, adversus eumdem Berengarium librum edidit, sanctorum patrum te- « stimoniis roboratum, in quo omnes ejus assertiones erroneas destruxisse, æternæ- « que oblivioni tradidisse dicitur. Hoc *nimis glorianter, ac mendaciter* scriptum ait Ba- « ronius, id referens ad concilium Romanum anni M LIX. in quo Berengarium hæresim suam sponte damnasse putavit. Et quidem Petrus nonnumquam res suas nimium effert, ut forte hoc loco acciderit: at synodus illa cui Albericus vocatus interfuit, non illa, quæ prædicto anno sub Nicolao II. habita est; sed alia posterior intelligenda, Romæ itidem celebrata sub Gregorio VII. in qua institit Albericus, ut formulæ professionis fidei, Berengario tum propositæ, vox *substantialiter* adderetur. Hujus rei testem habemus Berengarium ipsum, qui in refutatione novissimæ istius formulæ ab ipsomet facta, quam ex veteri codice Gemblacensi descriptam habemus, Albericum acriter, immo petulanter sugillat, quod vocem illam *substantialiter* prædictæ formulæ addendam curavisset, contra sanctos, ut hæreticus ait, patres, & contra ipsam veritatem. *Non enim* REALITER, inquit ille, *eorum quisquam, non* SUBSTANTIALITER, *quia nec ipsa veritas, addendum putavit. Erravit potius, facilius plane erravit Casinus ille, non monachus, sed dæmoniacus Albericus,* (hæ sunt hæretici hominis amœnitates) *mentitusque est errare me de mensa dominica, nisi, cum dicerem,* PANIS SACRATUS IN ALTARI EST CORPUS CHRISTI, *adderem* SUBSTANTIALITER. Ex quibus, aliisque intelligitur, Albericum contra Berengarium decertasse in posteriori synodo Romana, anno M LXXIX. habita, in qua hæc vox *substantialiter* ultimæ Berengarianæ fidei professioni inserta est. Ceterum an Alberici scriptum illud, quod unius hebdomadæ spatio contra Berengarium composuisse dicitur, alicubi exstet, necdum rescire mihi licuit, certe nec Casini nec Florentiæ illud invenimus, tametsi Johannes-Baptista Marus asserit, cunctas ejus lucubrationes haberi manu descriptas Florentiæ in bibliotheca conventus sanctæ Crucis fratrum Minorum conventualium, quam haud indiligenter revolvimus. Hunc cardinalem diaconum sanctorum Quatuor-coronatorum a Stephano X. creatum fuisse tradunt, ad quorum ecclesiam eum sepultum fuisse testatur Petrus diaconus, qui tamen ejus cardinalatus diserte non meminit. Alius fuit Albericus junior, domo Campanus, monachus itidem Casinensis, quem plerique cum altero confundunt. De eo in consequentibus agemus.

[a] Chron. Casin. lib. 3. c. 35. & lib. de viris illust.

Albericus & Bruno ejus adversarii.

LIII. Bruno Signiensis episcopus.

Ad Brunonem quod attinet, in Liguriæ provinciæ villa Soleria natus est, Andrea & Willa parentibus. In sancti Perpetui monasterio diœcesis Astensis educatus, dein studiorum causa Bononiam se contulit, postea Senas, ubi inter canonicos ab episcopo & canonicis majoris ecclesiæ cooptatus est. Inde Romam profectus, a Petro Igneo episcopo Albanensi acceptus hospitio, cum Romana illa synodus haberetur, contra Berengarium una cum Alberico disputavit; paullo post a Gregorio VII. factus episcopus Signiensis; ac demum, abdicato episcopatu, monachus Casinensis. Hæc ex ejus vitæ auctore, cui non concordat Petrus diaconus [b]. Hic enim scribit, Brunonem seu Brunum, non Senensis, sed Astensis ecclesiæ canonicum fuisse, eumque regni cælestis desiderio, patria parentibusque relictis, ad Casinense monasterium, ut sub monastico habitu Deo liberius serviret, properantem, ad Romanam urbem accessisse; atque ab Urbano II. creatum episcopum Signiensem. Verum, ut cetera omittam, in eo falsus est Petrus, quod eum ab Urbano II. creatum episcopum dicit, quem a Gregorio VII. ad eam dignitatem promotum fuisse constat, & quidem anno, ut videtur, proximo post illam cum Berengario concertationem. siquidem decessit anno episcopatus quadragesimo-quarto, Callisti II. quinto. De eo plura in subsequentibus.

[b] Chron. Casin. lib. 4. c. 31.

ANN. CHR. 1079. LIV. Gregorii in Berengarium versipellem caritas.

Ceterum, absoluta posteriori synodo Romana, Gregorius ex Urbe dimisit Berengarium, quem erroris sui vere pœnitentem existimavit, concessis ei salvi-conductus litteris, *omnibus beato Petro fidelibus* inscriptis, quibus anathema intentat iis, qui ullam in ejus personam vel possessiones injuriam facturi, vel qui eum vocaturi essent hæreticum. Addit pontifex, se ei comitem adjunxisse fidelem suum, Fulconem nomine, quem Berengarius *transmontanum clericum, & domini papæ convictorem* vocat. Alias item litteras pontifex pro eodem scripsit Radulfo Turonum archiepiscopo, & Eusebio Andecavorum episcopo, quos monet suo nomine præcipere Fulconi Andecavorum comiti, ut Berengarium vexare desinat, & contra omnes ejus inimicos opem ferat. Has litteras refert Franciscus de Roya, antecessor Andegavensis, in libro ab se composito de hæresi & pœnitentia Berengarii.

LV. Falso accusatus a Berengario relapso & aliis.

Verum tanta Gregorii indulgentia indignum se exhibuit hæreticus versipellis, eumque mox delusit. Vixdum enim in Galliam reversus erat, cum ultimam illam fidei professionem iterum violavit, scriptoque edito refutavit, in quo Gregorii papæ in ipsum indulgentiam in malam rapuit partem, quasi ejus erroribus favisset. quod triplici ex capite probare conatur. Primum, quod fidei professionem, ab ipso Berengario [a] editam, in priori synodo Romana, quæ anno M LXXVIII. habita est, ad fidem catholicam sufficere dixisset Gregorius, si homini hæretico credimus. Alterum, quod igniti ferri judicium ad probandam Berengarii fidem in posteriori synodo Romana statuisset. Tertium, quod religiosum quemdam virum precibus & jejuniis operam dare præcepisset, ut per eum cælesti oraculo disceret, quid de illa » controversia esset definiendum: responsumque ab eo acceptum, nihil de Christi » sacrificio cogitandum, nihil tenendum, præter id, quod haberent authenticæ scri- » pturæ, contra quas Berengarius nihil sentiret: ac demum jussisse pontificem, eum » bono animo esse: sed tamen postea quorumdam cardinalium improbitate ab illo » consilio dejectum, aliam a Berengario confessionem, quæ postrema est, exegisse. Eadem fere Gregorio imputat Benno cardinalis schismaticus in ipsius vita. nempe » Gregorium indixisse jejunium cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectius senti- » ret de corpore Domini, Romana-ne ecclesia, an Berengarius: & misisse duos cardi- » nales, Attonem & Cunonem ad sanctam Anastasiam, ut cum Suppone ejusdem ec- » clesiæ archipresbytero triduanum jejunium peragerent, & illic tribus diebus singuli » per dies singulos psalterium & missas decantarent, ut supradictum eis signum Chri- » stus ostenderet. quod minime contigit. Hinc traducendi papæ occasionem arripientes schismatici, numero triginta, incontinentes scilicet ac simoniaci, quos ille exagitabat, anno M LXXX. conventu Brixiæ apud Noricos habito, pontificem abjecere, varias in eum struentes calumnias, quasi catholicam de eucharistia fidem in quæstionem poneret, & Berengarii antiquus discipulus esset. quod utrumque a vero prorsus abhorrebat.

[a] V. supra n. 14.

Enimvero quam alienus a Berengarii errore fuerit pontifex, facile demonstrari potest, cum ex eo, quod Gregorius ante pontificatum in concilio Turonensi anno M LIV. lata sententia illum damnandum curavit: tum ex duabus synodis eo pontifice convocatis, in quarum posteriori domnus papa, ut acta synodi testantur, Be- » rengario præcepit auctoritate Dei omnipotentis & sanctorum apostolorum Petri & » Pauli, ut de corpore & sanguine Domini numquam ulterius cum aliquo disputaret, » vel aliquem docere auderet, excepta causa reducendi eos, quos seduxerat. quæ de verbo Lanfrancus refert. Etsi autem igniti ferri judicium pontifex indixisse dicitur: id, si verum est, eo consilio facere potuit, ut hominis versipellis, toties ad errorem relapsi, animum hoc modo probaret. Verum, ea probatione omissa, ad preces ac jejunium se convertit pontifex, ut futuri concilii exitum Deo commendaret, & præfractam hæretici hominis mentem emolliret. Sed, ut appareat quam male inter se se mendaces cohæreant, asserit Benno cardinalis, Deum nullo signo declarasse pontifici, quid tenendum aut definiendum esset: contra vero Berengarius asserit, a beata Maria id oraculi acceptum, *nihil de sacrificio Christi cogitandum, nihil esse tenendum, nisi quod haberent authenticæ scripturæ, contra quas Beringerius nihil haberet.* Sic mutua comparatione utriusque mendacium confutatur. Neque porro ulla fides habenda est, sive Bennoni, utpote Gregorii hosti infensissimo, sive Berengario, qui toties fidei violatæ reus, indignus fide est in propria causa. Fatendum est tamen, Gregorium forte censuisse, mitius tractandum Beren-

ANN. CHR. 1079.

garii ingenium, quippe qui realitatem admittere videretur: ne homo versipellis & turbulentus novas in ecclesia turbas & factiones concitare pergeret. Ad id vero inductus est pontifex, tum majori ecclesiæ bono, tum suapte indole, quæ ad commiserationem & indulgentiam propensior erat. quod forte non facile sibi persuadere plerique patientur, quos ejus facta in Heinricum IV. in contrariam abduxere sententiam. At quisquis ejus epistolas & acta illius temporis attente perlegerit, haud ægre id quod dico intelliget. Certe qui partes Rudolfi tuebantur, nimiam Gregorii in Heinricum, ejusque asseclas facilitatem sæpius incusarunt, ut fidem faciunt eorum epistolæ ad ipsum Gregorium. Sed de his satis superque satis pro loco, quæ a me fusius disserta sunt in Præfatione ad partem secundam Sæculi sexti Benedictini.

LVI. Gregorii epistolæ ad Hugonem abbatem.

Duas hoc anno epistolas Gregorius scripsit venerabili Hugoni abbati Cluniacensi: unam [a], qua eum arguit, quod Hugonem Burgundiæ ducem religiosissimum in suum monasterium admisisset: qua de re anno superiori [b] egimus. Alteram [c], qua eum monet, ut bona Matisconensis ecclesiæ, quæ Landericus episcopus ab ipso usurpata dicebat, aut eidem ecclesiæ restituat, aut facta commutatione compenset: sin minus, Diensi episcopo & abbati sancti Pauli litem inter eos finiendam pontifex committit. Id intelligendum videtur de abbate sancti Pauli in Urbe, cujus nomen ignoramus. Prima ex his epistolis data est Romæ IV. nonas Januarii; altera ibidem XVIII. kalendas Maii.

a *Greg. VII. lib. 6. ep. 17.*
b *V. supra n. 31.*
c *Greg. lib. 6. ep. 34.*

S. Martini de Campis ecclesia Cluniaco data.

Hoc anno rex Philippus, cum in Floriacensi monasterio versaretur, ecclesiam sancti Martini ad Campos seu de Campis, ab Heinrico patre suo, ut superius [d] dictum est, instauratam, & quæ tunc canonicorum erat sub Engelardo abbate, Hugoni abbati Cluniacensi, ejusque successoribus donavit: ut Deus omnipotens, « intervenientibus beatis apostolis suis Petro & Paulo, regnum & vitam suam cum pace & « tranquillitate in præsenti sæculo disponeret, & in futuro sempiterna gaudia concederet. « *Actum publice apud sanctum Benedictum de Floriaco, anno incarnati Verbi* MLXXIX. « *anno regni nostri* XIX. Gislebertus ad vicem Rogeri cancellarii hoc diploma relegit & subscripsit. Regiis litteris adscripta sunt post regem signa Aganonis episcopi Æduensis, Rainaldi comitis de Nivernis, Roberti dapiferi & aliorum. Mox in illam ecclesiam inducti sunt e Cluniaco monachi, quibus Hugo priorem præfecit Ursum seu Ursionem, virum pietate clarum, & regularis disciplinæ studiosissimum: cui Theobaldus successit, ut alias videbimus.

d *lib. 61. n. 55.*

LVII. Johanni archiepiscopo Rotomagensi succedit Guillelmus.

Post annos tres, quam Rotomagi in ecclesia sancti Audoëni tumultus [e] excitatus fuerat inter Johannem archiepiscopum & illius ecclesiæ cœnobitas, paralysi [f] percussus archiepiscopus, nihilo minus ad sancti Audoëni ecclesiam, festo ejus die, se deferri præcepit; & quia per se missam celebrare non potuit, Gisleberto Ebroïcensi episcopo vices suas commisit: ipse vero in medio cantorum specie præcentoris adstitit. Verum, urgente infirmitate, lecto evangelio, post fidelium oblationes ecclesia egredi coactus, tribus aliis annis eodem incommodo laboravit. Ordericus [g] scribit, eum subita passione percussum, turba spectante ad terram dejectum fuisse, & biennio quo supervixit, elinguem exstitisse. Demum, resignato episcopatu, in villa sancti Filiberti duodecimo præsulatus sui anno vitam explevit, in Rotomagensi ecclesia humatus quinto idus Septembris. Duobus ante ejus obitum mensibus in ejus locum suffectus fuerat Guillelmus [h] Bona-anima cognomine, ex archidiacono factus antea Becci monachus, jam tum Cadomensis abbas, vir generis nobilitate & probitate morum præpollens, qui tum communi electione, tum apostolica & regia auctoritate ad hanc dignitatem promotus est. Hæc ex actis archiepiscoporum Rotomagensium: ex quibus patet longe falli Matthæum Parisium, & Galliæ christianæ auctores, qui Johannem a sancti Audoëni monachis occisum criminantur. Guillelmi promotioni non statim assensit Gregorius VII. ut fidem facit ejus epistola [i] ad Hubertum S. R. E. subdiaconum, propterea quod *sacerdotis*, scilicet Radbodi Sagiensis episcopi, filius diceretur. *Audivimus etiam*, inquit, *Rotomagensem archiepiscopum sacerdotis filium esse. quod si verum deprehenditur, noveris promotioni illius nos assensum nequaquam tribuere.* Postea tamen ejus promotio ab eodem pontifice probata est, sive quod Guillelmus Radbodi ex legitimo ante episcopatum conjugio filius fuerit, sive quod cum eo Gregorius de hac irregularitate dispensaverit. In hac dignitate Guillelmus statum quidem, non animum mutavit, optime semper affectus in monachos, quorum instituta fovere ac tutari perseveravit, testante in primis An-

e *V. lib. 64. n. 40.*
f *Analect. to. 2. p. 453.*
g *Orderic. lib. 5. p. 550.*
h *V. lib. 63. n. 55.*
i *Greg. VII. lib. 7. ep. 2.*

ANN. CHR. 1079.

felmi [a] epiſtola ad Urbanum II. Cadomenſe ſancti Stephani monaſterium poſt eum rexit Giſlebertus, Callidus cognomento, domo Conſtantinienſis, ad quem duæ exſtant Anſelmi epiſtolæ [b] de acutiſſima febre, qua vexabatur, ex quo ab eo diſceſſerat.

[a] Anſelm. lib. 2. ep. 33.
[b] Anſelm. lib. 2. ep. 44. & 47.

LVIII. Guitmundus Italiam petit.

Ordericus [c] auctor eſt, mortuo Johanne archiepiſcopo, Guitmundum ad archiepiſcopatum a rege aliiſque electum fuiſſe; ſed ejus æmulos, quos ille vituperaverat, ejus electioni obſtitiſſe, & effeciſſe, ne archiepiſcopus eſſet, objicientes, quod filius eſſet preſbyteri. *Ille autem*, ait idem auctor, *ab omni avaritia purgari volens, & inter exteros paupertate premi, quam inter ſuos diſſenſiones fovere malens, Odilonem* [d] *monaſterii ſui*, id eſt Crucis ſancti Leutfredi, *abbatem reverenter adiit, & humiliter ab illo licentiam peregrinandi petiit, & accepit. Porro illiteratus abbas metiri neſciebat, quantus ſapientiæ theſaurus in præfato doctore latebat. ideo deſiderabilem philoſophum de monaſterio ſuo facile dimiſit: quem Gregorius VII. papa venientem ad ſe gaudens ſuſcepit, cardinalem S. R. E. præfecit, & Urbanus papa, jam probatum in multis, metropolitanum Adverſis urbis ſollemniter ordinavit.* Hactenus Ordericus: qui alibi [e] ejus in divinis officiis aſſiduitatem laudat, prædicandi uſum, patientiam & benignitatem adverſus omnes.

[c] Orderic. lib. 4. p. 526.
[d] V. lib. 63. n. 53.
[e] Orderic. lib. 5. p. 551.

LIX. Anſelmus Becci abbas ut ſe gerit.

Etſi Anſelmus anno ſuperiore in locum Herluini Beccenſis abbatis electus eſſet, ejus tamen ordinatio, dum ille onus ſubire refugit, in hunc annum dilata eſt. Sed quia Rotomagenſis eccleſia tunc paſtore deſtituta erat, utpote Guillelmo in locum Johannis, qui epiſcopatu ceſſerat, necdum ſubſtituto, juſſu principis Giſlebertus Ebroïcenſis epiſcopus Anſelmum abbatem in ipſa Beccenſi eccleſia VIII. kalendas Martias *abſque ulla mentione profeſſionis* ordinavit. Ordinatus autem adeo nihil de priſtina converſatione remiſit, ut contra de quotidiano profectu longe magis ſollicitum ſe exhibuerit. Principio ſingula monaſterii officia ſingulis fratribus, de quorum fide & prudentia ſecurus erat, aſſignavit, ut monachis erudiendis & informandis totum ſe daret. Si quid tamen majoris momenti negotii emergeret, id ad ſe referri ſatagebat, ſollicite cavens, ne quiſquam quovis dolo malo vel arte circumveniretur. Erga hoſpites tanta caritate præditus erat, ut cum deeſſet quod eis apponeret, ex refectorio fratrum ſuppleret. Sic tamen neceſſitati fratrum providebat, ut nihil deeſſet, nihil ſuperflueret. Ubi rei familiaris copia deerat, querentibus œconomis ſpem in Deum reponendam aiebat, cujus providentia numquam ipſi defuit. Sæpe enim poſtera die vel naves ex Anglia, rebus neceſſariis onuſtæ, ad proximum appellebant portum; vel vicini eis ſubveniebant, vel denique vitæ monaſticæ candidati ſe ſuaque monaſterio offerebant. Beccenſium in hoſpites caritatem prædicat Ordericus [f], confeſſus eam verbis a ſe explicari non poſſe. Interrogandos potius hac de re Burgundiones, Hiſpanos, & quoſvis alios, e longinquo ſive e proximo iſtuc adventantes, qui quanta benignitate ab eis accepti fuerint, ingenue proferant, eoſque in ſimilibus imitari ſincere ſatagant. *Janua Beccenſium*, ſubdit ille, *patet omni viatori, eorumque panis nulli denegatur caritative petenti.* Non mirum itaque ſi Deus eis affluenter rependebat, quod tam liberaliter in omnes expendebant.

[f] Orderic. lib. 4. p. 530.

Lanfranci in Beccenſes caritas.

Unus e præcipuis Beccenſium benefactoribus fuit Lanfrancus Cantuarienſis archipræſul, qui, comperta Beccenſium penuria, quæ ex terræ ſterilitate ſtatim poſt Herluini abbatis obitum eos affligebat, viginti libras ad eos per Herbertum abbatem, aliaſque eleemoſynas miſit, necnon aurum ad calicem conficiendum. Pro utriſque gratias ei agit Anſelmus duabus primis libri ſecundi epiſtolis, quarum in priori ſignificat, eam fuiſſe tunc Beccenſium egeſtatem, ut etiam leguminibus emendis impares fuiſſent.

LX. Anſelmus in Angliam trajicit.

Ipſo ordinationis ſuæ anno Anſelmus in Angliam trajecit, tum ut quaſdam monaſterii ſui poſſeſſiones luſtraret, tum ut Lanfrancum inviſeret. Mare ingreſſus hora diei prima, intra ſex horas portum attigit, & in villa Limingis a Lanfranco exceptus eſt. qua de re Beccenſes litteris [g] ſuis certiores fecit. Ubi Cantuariam advenit, perquam honorifice a conventu eccleſiæ Chriſti, quæ cathedralis erat, acceptus, multa coram monachis de caritate, rebuſque moralibus præclare diſſeruit. Ejus ſermonis ſummam retulit Eadmerus, illius eccleſiæ jam tum monachus adoleſcens, qui in ejus familiaritatem ex eo tempore admiſſus eſt, futurus ejuſdem in archiepiſcopali dignitate capellanus, & rerum ab eo geſtarum ſcriptor. Inter amica col-

[g] Anſelm. lib. 2. ep. 9.

loquia Lanfrancus se quodam teneri scrupulo dixit erga quosdam, quos Angli colerent, sanctos, de quorum sanctitate nonnihil dubitabat. In his unus erat Elfegus, Cantuariensis olim pontifex, vir bonus quidem, quem illi non modo inter sanctos, verum etiam inter martyres numerabant, tametsi non pro Christi nominis confessione, sed quia se pecunia redimere noluit, ne videlicet subditos suos rebus suis spoliaret, a paganis cæsum faterentur. Quamquam & alia suberat necis ejus causa, nempe quod paganis civitatem & ecclesiam Cantuariensem, ejusque cives ad mortem tradere noluisset. Ad Lanfranci scrupulum multis satisfecit Anselmus, in summa, Elfegum merito sanctum, & quidem martyrem coli, quippe qui subditorum suorum commoda propriæ vitæ pretio redimere non dubitasset. quo responso ita confirmatus fuit Lanfrancus, ut deinceps beatum Elfegum, ut vere magnum & gloriosum martyrem, impense coluerit, ejusque historiam, ab Osberno Cantuariensi monacho editam & ad modulos compositam, sollemni decreto probaverit. Nullus in ea insula fuit, qui Anselmi monitis instrui non cuperet; nullus non melior ab eo recedebat, clerici, monachi, ipsique conjugati, principes & magnates. Monachos, ut ne minima ordinis sui instituta contemnerent, admonebat, quod ex minimorum contemtu omnium bonorum jactura & ruina oriretur. quod quidem sub vivarii similitudine exponebat, ejus clausuram districtioni ordinis monastici similem esse inquiens: quando quidem sicut pisces defluente vivarii aqua sensim moriuntur, si ipsius clausuræ minutatim decidant, nec reficiantur: ita monastici ordinis religio funditus perit, si per modicorum contemtum vitiorum paullatim a fervore deficiat. His aliisque rebus vir Dei magnam sui apud Anglos existimationem & auctoritatem concitavit.

ANN. CHR. 1079. Ejus sententia de Elfegi sanctitate.

Ex omnibus Anglis, qui Anselmum in illo itinere coluere, unus fuit dominus Richardus cum sua conjuge Robaide, qui Beccenses monachos ab eo expetiere, ut eos in quadam possessione sua instituerent. Reversus ex Anglia Anselmus id exsecutus est, missis illuc quibusdam e suis, quos Gundulfo [a] Roffensi episcopo, in cujus forte diœcesi collocandi erant, & Balduino, seu Baldewino sancti Eadmundi abbati commendavit, ut eorum protegerentur auxilio, consilio regerentur, eorumque judicio ac censura eorumdem monachorum vita discuteretur. Balduinus iste monachus fuerat sancti Dionysii in Francia, qui Leofstano sancti Eadmundi abbati [b] a Willelmo vel ab Edwardo rege jam dudum suffectus fuerat. Alias ejusdem argumenti epistolas scripsit Anselmus tum ad Henricum [c] Cantuariensis ecclesiæ priorem, tum ad prædictos Richardum & Robaidem, qui hos monachos ad se mitti petierant. Posteriorem hanc epistolam scribit Anselmus tum suo, tum Richardi *parvuli*, ut ipse vocat, monachi nomine, id est novitii, qui Richardus Gisleberti seu Gilberti nobilissimi comitis ex filio Richardo nepos erat, factus postmodum ultimus Eliensis monasterii abbas.

LXI. Beccenses in Angliam missi.

a *Anselm. lib. 2. ep. 3. & 4.*

b *V. lib. 62. n. 93.*

c *Anselm. lib. 2. ep. 5. & 6.*

Ex his, qui tunc in Angliam missi sunt, unus fuit Richardus alter, postea sanctæ Walburgæ abbas; tum Henricus de Gornaco, qui Beccum redire expetens, domni Richardi reditum exspectare jubetur; insuper Mauricius, ad quem scribit Anselmus de quodam monacho, regis aulam sæpius frequentante, quem ab aula revocari jubet; & præter hos Odo, Gualterus & Henricus camerarius, eo missus ad procuranda monasterii negotia. qui cum minus religiose se gereret, Beccum revocatus est. Ex his Gualterum Lanfrancus cœnobio Eoveshamensi abbatem præfecit. Lectu digna sunt Anselmi de his epistolæ [d] duæ, quarum una *Richardo & aliis de Beccensi congregatione in Anglia conversantibus* inscripta est, quos monet, ut memoriam monachicæ religionis perpetuam habeant: « ut quod habitus exterius profitetur, vita & « moribus exhibeant; ut se non mundi, nec eorum quæ in mundo sunt; sed Dei tan- « tum, & eorum quæ Dei sunt, amatores ostendant. Dein severe objurgandum præcipit Henricum camerarium, qui in multis inordinate se gerebat, & in gildis seu popinis cum ebriosis vino se ingurgitabat. Sequens epistola est de monacho diutius in curia morante: in quem, nisi se quantocius emendat, severe se animadversurum asserit: « malle tamen illius spontaneam correctionem, quam ullam ei inferre austerio- « ris disciplinæ correptionem. Hæc epistola directa est fratri Mauricio, ad quem scriptum suum de malo, an aliquid sit, nuper a se compositum mittit.

d *ibid. ep. 7. & 8.*

Dum Anselmus in Anglia moraretur, Beccum divertit Rodulfus nobilis adolescens, thesaurarius Belvacensis, filius Lanscelini, sæculi amator immoderatus. Is

LXII. Rodulfi Belvacensis conversio.

ANN. CHR. 1079.

Becco discessurus, subita Spiritus-sancti gratia mutatus, monachum se fieri postulavit. Ea re accepta, Anselmus gratulatorias ad eum litteras [a] dedit, qoibus eum ad propositi constantiam hortatur, & contra dæmonis tentationes præmuoit, Christo ipsum precibus commendans, qui eum ab amore sæcularis vanitatis abstraxerat, & sanctissimæ matri ejus, quæ ipsum ad se fugientem sub sua tutela susceperat. Eidem Rodulfo amicus erat, & olim in sæculo socius, nomine Lambertus, quem Anselmus, haud dubie instinctu Rodulfi hortatur, ut sæculum [b] relinquendo Christum sequatur, & per temporalem humilitatem & paupertatem, exaltationem & divitias æternas consequatur, paratum se esse dicens, ad ipsum obviis ulnis in Becco suscipiendum. Non videtur Lambertus hortanti assensisse. Nullum enim ejus nominis invenio in numero eorum, qui sub Anselmo abbate apud Beccum vixerunt. Prædicti Rodulfi exemplo utitur Anselmus [c] in epistola ad Guillelmum virum nobilem, ut eum a militia sæculi ad spiritualem convertat, dehortans eum ab itinere Jerosolymitano, quod ille meditabatur, ut fratrem suum *tenentem regnum Græcorum* inviseret. Eidem scripta videtur & alia [d] epistola, qua eum hortatur Anselmus ut fugiat sæculum, & Beccum veniat.

a ibid. ep. 20.
b ibid. ep. 39.
c ibid. ep. 19.
d ibid. ep. 25.

Buriaci ecclesia Angeriaco data.

Eodem anno Albertus canonicus ecclesiæ Belvacensis sancto Johanni & cœnobio Angeriacensi dedit ecclesiam Buriacensem [*], quæ olim parochialis sub titulo sancti Luciani fuerat, postmodum ab eo pro quatuor canonicis dotata; ejusque donationem confirmavit Wido episcopus Belvacensis, litteris datis Belvaci, die natali sancti Petri anno MLXXIX. indictione II. regnante Philippo rege, anno regni ejus XIX. His litteris subscribunt Petrus abbas monasterii beati Luciani, qui Theobaldo recens successerat; Garnerius abbas monasterii beati Geremari, Radulfus abbas sancti Symphoriani, Ivo abbas de sancto Quintino canonicorum regularium, qui postea Carnutum episcopus fuit; præter hos nobiles laïci, Ivo comes de Bello-monte, Galerannus de Britolio, Adam de Insula, quæ ab eo Insula-Adami dicta est, Gislebertus de Merlo, Radulfus Delicatus [*], Hugo de Autogilo, Bernardus de Monceïo, & Gislebertus de Claro-monte. Postea vero idem Albertus, qui sub ordine canonico digne & laudabiliter vixisse traditur, cum consilio canonicorum fratrum suorum, in animum induxit, ut in eadem ecclesia *districtiorem ordinem & Deo placentem* instituerent. Horum itaque precibus pulsatus Odo Angeriacensis abbas, Ausculfum priorem cum Gaufrido monacho illuc misit, quibus prædicta ecclesia inhabitanda, & monasticis ædificiis instruenda concessa fuit anno MLXXXIV. quod rex Philippus anoo sequente confirmavit. Illic quatuor monachi fuere sub Gaufrido præposito, qui cum Ausculfo istuc venerat. Guillelmus de Monciaco eidem ecclesiæ tres frumenti modios aonui reditus donavit, ut ipse fieret monachus sancti Johannis Angeriacensis. Varios dominos subinde habuit hæc ecclesia seu cella, a Benedictinis primum translata ad canonicos regulares, tum ad Præmonstratenses; nunc redacta ad simplicem, ut vocant, prioratum. Præter hanc ecclesiam prædictus Albertus intramuranam sancti Luciani ecclesiam Angeriacensibus concessit, ut inferius videbimus.

* de Bury.
* Delieux.

LXIII. Corbeiæ vicecomitatus restitutus.

Hoc ipso anno Folco veteris Corbeïæ abbas, pactum iniit cum Ingelranno Bovensi comite super vicecomitatu Corbeïensi, quem iste invaserat. De hoc pacto Fulco scriptum edidit, in quo testatur, Corbeiensis monasterii ab ipsa origine absolutam fuisse libertatem usque ad tempus Maingaudi abbatis, quem rex Rotbertus a regimine expellere tentavit, & alium in ejus locum subrogare, sed non potuit, resistente abbate, qui *in regno prævalidus erat*, utpote *summus in honore, nec inferior in genere*. Hac tamen occasione usus Galterius Ambianorum comes, Corbeienses vexare cœpit, vicecomitatum & omoem tribunitiariam Corbeiæ potestatem invasit: Fulco vero ejus filius, ejusdem urbis episcopus, pari consilio in ipsum Corbeiæ locum ejusque clericos jus exercere instituit, sed apostolica repressus auctoritate, a cœpto destitit. Post Galterium Ingelrannus Bovensis comes, qui Corbeiensis monasterii *casatus* seu cliens erat, vicecomitatum itidem usurpavit: at Corbeia e manibus Arnulfi Flandriæ comitis per Philippum regem redemta, vicecomitatum recuperarunt Corbeienses, frendente Ingelranno, qui eos prædis & incendiis vexare noo destitit, dum Franco abbas hanc cum eo concordiam iniit, ut quidquid *infra præcinctum Corbeiæ* ad vicecomitatum pertineret, exceptis clericis & monasterii famulis, utrique commune esset: at opidani in sola remanerent abbatis potestate.

Actum

Actum Corbeiæ sub die VIII. *kalendas Mortii anno ab incarnotione* M LXXIX. *indictione* II. assentientibus ex utraque parte Effrido de Encta, Roberto fratre ejusdem Ingelranni, Lamberto de Ribodi-monte & aliis.

LXIV. Majori-monasterio data ecclesia S. Nicolai de Roceio. * Roucy

Eodem anno, cum Bartholomæus, Majoris-monasterii abbas, urbem Laudunum adiisset, societatem precum iniit cum Laudunensi ecclesia, eique Elinandus episcopus ecclesiam sancti Nicolai apud Roceium * sitam, concessit, cum ea prærogativa, ut monachi illic degentes divinum officium, etiam tempore interdicti, ibidem celebrare possent. *Actum est hoc Launduni, domnis archidiaconis Fulcrado & Ebalone laudantibus, atque thesaurario Manasse cum universo Loudunensis ecclesia congregatione, anno incornationis Domini* M LXXIX. *indictione* II. *anno ejusdem Elinandi episcopatus* XXVII. Tunc etiam Hilduinus comes de Roceio, & Adelais uxor ejus, cum filiis suis Ebalo, Andrea & Hugone, beato Martino Majoris-monasterii & monachis ejus contulere monasterium, quod in bonorem sancti Nicolai apud Roceium constructum est. Postea tamen comitissa illud monachis sancti Theoderici donare voluit in manus Reinaldi abbatis: at Hugo monachus Majoris-monasterii, qui apud Ventiliacum prior erat, huic donationi intercessit, effecitque ut prior valeret donatio. Id factum in curia Roceii coram ipsa comitissa, ejusque baronibus, & quidem in dedicatione illius monasterii, præsente Elinando episcopo, qui illud consecravit.

LXV. Vindocinensibus remissæ exactiones. a Besly comtes. pag. 477. & seqq. * Marine.

Per id tempus Wido Pictavorum comes, alio nomine Gaufridus-Willelmus, adiit ª Monasterium-novum, in pago Santonico *infra terras sancta Trinitatis*, id est Vindocinensis monasterii, situm, ubi ab ejus loci monachis bonorifice, ut par erat, exceptus fuit. Post epulas parato ipsi lecto in calefactorio, ubi paullulum quievit, petiere monachi, ut ab injuriis & vexationibus, quas patiebantur, ipsos eximeret. Ille vero promisit se eis facturum satis, cum ex insula Aias, quo ob Cluniaci negotia pergebat, regressus esset. Missi nihilo minus ad eum monachi duo, Clarus & David, ad terram, quæ vocatur Maritima *, ubi ille in reditu ex illa insula morabatur. Tum, auditis monachorum rationibus, se in culpa esse confessus est, & terras cultas & incultas, quas ejus parentes, Gosfridus comes & Agnes, monachis sanctæ Trinitatis de Vindocino contulerant, confirmavit, malasque consuetudines, ab eis exigi solitas relaxavit, dato illis duobus monachis scirpo ex viridi junco, quo domus constrata erat, *sicut solemus facere*, inquit illius notitiæ auctor, *quando aliquem persona potentis, vel dominum suscipimas, vel amicum.* Actum X. kalendas Junii hoc anno, qui indictione secunda præditus erat. Hæc ex tabulario Vindocinensi, in quo alia charta eodem anno data dicitur de quadam ecclesia *die festivitatis sancti Petri, qua dicitur Gulaangusti.* Eodem anno Burchardus comes in quadam charta testis notatur, qui tunc in sanctæ Trinitatis ecclesiam oraturus venit, *regnante Philippo Francorum rege anno vicesimo, præsulante Gosfrido Carnotensium episcopo anno primo, paternante Oderico abbate anno* XXXIII.

LXVI. Cella sancti Sepulcri de Balgenciaco. * al. IIII. sed male.

Tunc temporis florebat Lancelinus miles de Balgentiaco seu Belgenciaco genere & militari virtute, nec minus pietate illustris, qui hoc anno ecclesiam quamdam, prope murum castri sui sitam, atque in bonorem sancti Sepulcri Christi Domini & sanctæ Mariæ ejus genitricis, omniumque sanctorum consecratam, primitus a Christianis incboatam, sed a se perfectam, Vindocinensi monasterio contulit cum filio suo Radulfo, ut eam *sub nomine cella* monachi illius loci jure perpetuo tenerent & possiderent, ac divinum inibi servitium die nocteque jugiter celebrarent. *Hac donatio facta est apud castrum Belgenciacum anno* M LXXIX. III. * *nonas Februarii, dominica die ob ipso Lancelino super altore quam dedit ipsius ecclesiæ, videntibus his & concedentibus Radulfo filio ipsius Lancelini, & sorore ejus, qui auctorizaverunt, Herveo fratre ipsius Lancelini de Lavarzino, Antelmo de Bello-monte, Archembaudo monacho.* Postea idem Lancelinus hanc donationem ratam habuit apud Vindocinum in capitulo fratrum, eodem anno, XIV. *kalendas Junii, die festo sancta Trinitotis.* Subscripsit post Lancelinum *Radulfus filius ejus, qui auctorizavit, & cum eo donum ligneum super altare posuit*, aliique, denique *omne capitulum sancta Trinitatis, quod domnus Odericus abbas tenebot.* Hujus Lancelini pater fuisse videtur Lancelinus vassus, dominicus de castro Balgenciaco, a quo Agnes comitissa, conditrix monasterii Vindocinensis, ecclesiam sancti Beati comparavit, pro qua eidem Lancelino dedit *nummorum solidos mille, & suæ uxori duas muscas aureas in pretio duodecim librarum*, & quædam alia; itemque a filiis ejusdem Lancelini, Johanne & Lancelino, quædam

ANN. CHR. 1079.

apud Castrum-dunum. De Lancelino juniori & Radulfo ejus filio consule si vis Gosfridi abbatis epistolas & Sirmundi [a] notas, ubi Lancelinus de Balgenciaco Fulconis Rechini Andecavorum comitis socer fuisse dicitur. Fuit & tertius Lancelinus de Balgentiaco, qui Vindocinensibus concessit *nundinas sancti Beati apud Balgentiacum in curia monachorum ante portam galilea sancti Sepulcri in præsentia domni Roberti abbatis, domno abbate in palefrido suo sedente, anno ab incarnatione domini* M C LII.

a Sirmund. p. 97.

LXVII. S. Eutropii ecclesia instaurata.

Habitum est hoc anno Burdigalæ concilium, cui præsederunt Amatus Olorensis seu Oloronensis episcopus, & Hugo Diensis apostolicæ sedis legati. Tempus discimus ex quodam [b] instrumento tabularii Santonensis, in quo Willelmus Pictavorum comes & totius Aquitaniæ dux prædictos episcopos supplex adiisse dicitur, consilium „ ab eis petiturus, quo pacto animæ suæ saluti consuleret, & quo in loco cœnobitas, „ qui pro suis suorumque parentum delictis Deum exorarent, constitueret. Visum est „ ut id fieret in ecclesia parochiæ Santonensis, ubi corpus sancti Eutropii episcopi re- „ quiescebat, ita neglecta, ut nullus in ea regularis ordo teneretur, a Willelmo nu- „ per erepta e manibus laicorum, qui eam in usus profanos converterant. Placuit „ Willelmo consilium, simulque Bosoni Santonensium episcopo, qui concilio ade- „ rat, assentientibus ejus archidiaconis cum Goscelino Burdigalensi archiepiscopo, & „ Kalone vicecomite, *de cujus jure ipsa ecclesia secundum sæcularem consuetudinem fuerat* &c. *Actum Burdigalæ in concilio ibidem celebrato anno* M LXXIX. *pridie idus Octobris indictione* II. Huic concilio adfuere quam plures episcopi & abbates, in his Ademarus Engolismensis episcopus, Raimundus Vasatensis, Petrus episcopus de Area, Boso Santonensis; abbates vero Odo sancti Johannis Angeriacensis, Reginaldus seu Rainaldus sancti Cypriani, Arnaldus *de Corac* Burguliensis, multique clerici. Non tamen ante biennium illic instituti sunt Cluniacenses, ut inferius [c] videbimus.

b Besly comit. p. 480.

c lib. 66. n. 14.

Eodem anno Willelmus dux Aquitanorum locum Silvæ-majoris Geraldo abbati ad construendum monasterium liberaliter concessit, eumque ab omni servitute exemit. quod anno sequenti in altero Burdigalensi concilio a patribus confirmari curavit, ut inferius videbimus. Utrique concilio dux Willelmus interfuit.

LXVIII. Baldricus abbas Burguliensis.

Qui hic laudatur Arnaldus *de Corac* Burguliensis abbas, in vulgatis indicibus omissus, collocandus est post Raimundum, ac proinde Baldrici proximus antecessor. Nec fere serius hoc anno Baldricus Burgulio præesse cœpit. siquidem annis fere triginta illud rexit, & anno M C VIII. ad Dolensem episcopatum promotus est, ut suo loco demonstrabimus. Certe idem ipse Baldricus in [d] epistola ad nostros Fiscamnenses abbatialis sui regiminis annos diserte exprimit his verbis. *Admirabar paradisum opimam, quæ me inter mala sua granata diu nutrierat, Burgulium & jucundabar: præsertim quoniam horto illi ferme sex lustris custos & hortulanus exstiteram.* Jam si ab hoc anno M LXXIX. numeres sex fere lustra, id est triginta fere annos, utique pertinges ad annum M C VIII. quo Baldricus episcopus factus est. Fuit is haud incelebris suo tempore poëta, natus Magduni [*] ad Ligerim paullo infra urbem Aurelianorum, unde Aurelianensis a nonnullis dicitur. Magduni se natum esse ipse diserte asserit in carmine necdum edito ad Emmam abbatissam excusans, quod nulli flores urbani eloquii in suis versibus inessent. quippe, inquit,

d Neustria pia p. 217.

* Mem.

Rustica dicta mihi, quia rusticus incola ruris,
Magduni natus, incolo Burgulium.

Illic magistrum habuisse videtur Hubertum, cujus lessum [e] composuit, in quo hic *doctorum speculum*, & *Magduni clara lucerna* vocatur. Hinc Baldricus Burgulii factus monachus, dein abbas, poëticæ maxime deditus fuit, non tam gravis sententiis, quam verbis profusus, & aliquando pro more poëtarum liberior. In prædicto carmine ad Emmam queritur quod apud magnates vilescant poëtæ, ipseque Marbodus, *vatum spectabile sidus.* Eidem Marbodo, utpote *poëtarum optimo*, carmina sua corrigenda offert. Cujus loci abbatissa fuerit hæc Emma, necdum mihi compertum. Eo abbate abstinentiam a carnibus Burgulii non viguisse patet ex carmine, quod idem Baldricus scripsit in quemdam monachum apud suos commorantem, qui sabbato carnes edere detrectabat, unde ille ad eum:

e Chesn. to. 4. p. 268.

Sabbato abstinentia a carnibus.

Sabbata custodis, tamquam Judæus apella [*],
Cum tamen alterius legis iter teneas.

* circumcisus.

&c infra: *Tu vero refugis per sabbata tangere carnes,*
Nobis est licitum tangere quas volumus.
Ergo si nostra vis legi participare,
Amodo judaicum pone supercilium
Senti nobiscum, promittas ad faciendum,
Quod faciunt fratres, fratribus ipse favens.
Aut igitur veteris sectæ præcepta sequaris,
Aut carnes aliquas tangere non renuas.

Ex quibus intelligitur, quod alia nos argumenta docent, sæculo undecimo abstinentiam a carnibus sabbato necdum ubique viguisse. Sed tamen Glaber [a] Rodulfus auctor est, eam anno millesimo inductam fuisse in gratiarum actionem ob redditam abundantiam & pacem; præceptumque, *ut omnibus hebdomadibus sanctione perpetua, sexta die abstineretur a vino, & carnibus septima, nisi forte gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima sollemnitas interveniret.* Hoc statutum confirmavit Gregorius VII. in concilio Romano, addita exceptione *de majori festivitate vel infirmitate.* Tempore Petri [b] venerabilis, Baldrico subæqualis, *abstinebant Dei causa ipsi mimi vel lixæ a carnibus omni sabbato,* forte ob honorem Deiparæ Virginis, cui sabbatum ex eo tempore jam præcipue dicatum erat, teste Petro [c] Damiani. Unde mirari subit, hanc abstinentiam apud Burgulienses monachos necdum obtinuisse, quam violare ipsis mimis & lixis tunc religio erat. quod argumento est, laxatam apud eos tunc fuisse monasticam disciplinam, nec tam de abstinentia & severiori vita, quam de libris & versibus curam fuisse. Unde Baldricus ipse in carmine ad Gerardum Lausdunensem, quem hortatur ut monachus Burgulii fiat, non aliud ei illicium proponit quam libros & optatum ad studia secessum.

[a] Glab. lib. 4. c. 5.
[b] Petr. Ven. lib. 6. ep. 15.
[c] Pet. Dam. opusc. 33. c. 3.

Sed libri desunt fortassis & otia desunt.
Ipse locum novi, qui floridus otia gignit,
Libros & chartas, & cuncta studentibus apta.
*Burgulius locus est, & Campio * dicitur amnis,*
Flumine perpetuo qui vitreus irrigat hortos.
Hocque loco locus est a turbis pæne remotus,
Qui tutat fratres a sollicitudine mundi,
Et fovet in gremio diuturnos pacis alumnos.

* Authion.

Hortanti paruit Gerardus, factusque est Burgulii monachus, ubi & decessit: cujus epitaphium cecinit Baldricus [d]. Cum vero nonnulli ei improperarent, quod studiis, & maxime poësi nimium addictus videretur; respondet in hunc modum in carmine ad Godefridum Remensem magistrum tunc percelebrem.

[d] Chesn. tom. 4. p. 269.

Ecce tibi dixi, mi Godefride, quid hoc sit,
Quod studeo, licet hoc nihil valeat studium.
Carmina confiteor nil in se nostra valere:
Sed valet id, quod me devocat a vitiis.

&c inferius: *Non mores nostros infecit carminis usus,*
Nec nostros actus, ut reor, inficiet.
Denique si cura non sunt mea carmina cuique;
Qui vult rejiciat; cui placet, ipsa legat.
Si nulli noceo, si non exaspero quemquam,
Si nullus quatitur improbitate mea;
Dumque laboro studens, mecum quoque nemo laborat;
Cur in me nequam quilibet invehitur?

Alterum in Baldrico carpebant ejus censores, nimirum quod *tabulas* insectaretur, & quod *non demisso* incederet *supercilio.* Qua de re se ipse purgat in carmine [e] ad Odonem episcopum Ostiensem, cujus favorem in obloquentes sibi propitium esse rogat, securus futurus, si ejus præsidio fulciretur, adeoque tutior Romam iturus, quo proficisci Odone favente cupiebat. In ejusmodi carminibus etsi multa sunt parum

[e] ibid. p. 275.

ANN. CHR. 1079.

utilia, non pauca tamen juvant ad illustrandam illius temporis historiam, præsertim ad dignoscendos ejus ætatis viros illustres, quos, cum vivos tum mortuos, versibus suis Baldricus celebravit. Hic Batoticus appellatur in quadam charta [a] de controversia & duello, quod factum est *in curta sancti Petri Burgulensis* pro prædio Croïaci prope Peregrinam, quod Giraudus de Blanco-furno sancti Albini abbati Girardo & monachis subtrahere volebat.

[a] *Baluz. Miscell. to. 2. p. 175.*

S. Silvani monasterium

Dum Arsendis abbatissa Santonensi beatæ Mariæ parthenoni præesset, sancti Silvani monasterium eidem parthenoni concessum est. Hoc monasterium a Bosone Petragoricensi comite primitus in honorem beatæ Mariæ & sancti Silvani conditum fuerat in pago Petragoricensi, ac monachis traditum, qui sub Adelberto ejus filio illic perstiterunt. Verum Elias, tertius ejus filius, locum monachis abstulit. quibus reclamantibus, eum religiosissimis sanctimonialibus & abbatissæ Santonensis cœnobii in perpetuum concessit, præsentibus Lucretia, Garsendi & Adela sanctimonialibus, multisque aliis clericis & laïcis. Actum Gregorio VII. pontifice, Philippo regnante, Willelmo comite, Bosone Santonensi, Willelmo Petragoricensi episcopis, Joscelino seu Goscelino archiepiscopo Burdegalensi, & Santonensis parthenonis Arsendi. Bruna, ut in Eliæ litteris legitur. Hoc instrumentum, chronicis destitutum notis, vix differri potest ultra hunc annum, post quem Boso Santonensis, & Willelmus Petragoricensis episcopi vix biennio sua dignitate potiti sunt, alter sede pulsus, alter morte exstinctus. Willelmus Petragoricensis episcopus, a prædicto Willelmo quartus, id factum dicit dono & consensu Bosonis comitis & Audeberti seu Aldeberti ejus filii: at præferenda ipsius Eliæ litterarum auctoritas. In hujus Willelmi episcopi litteris anno M C XXXI. Willelmus comes prædictum locum sanctimonialibus Santonensibus abstulisse dicitur, & sancti Martialis monachis mille solidorum pretio vendidisse. ast Elias ejus successor & Willelmus episcopus eumdem locum sanctimonialibus restitui curarunt, ut suo loco videbimus.

LXIX. S. Mariæ de Solaco ecclesia monachis S. Crucis asserta.

Per id tempus lis erat inter sanctæ Crucis apud Burdigalam, & sancti Severi in capite Wasconiæ monachos de ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco, quam ambæ partes sibi competere contendebant. Hac de re jam disceptatum fuerat coram Alexandro II. ab Arnaldo Trencardi abbate sanctæ Crucis contra Gregorium sancti Severi abbatem, & prolata secundum Arnaldum sententia. Verum Arnaldus Destios, Gregorii abbatis successor, litem denuo hac de re movit, quam Gregotius VII. Amato Olorensi episcopo finiendam commisit, litteris Romæ datis VIII. idus Martii, indictione II. in quibus se olim litteras super hac re abbati sancti Severi transmissas in-
» venisse dicit, quibus abbas non paruerit. Sed tamen ne sibi præjudicium factum que-
» ratur, hanc causam coram ipso Amato & Hugone Diensi episcopo retractari jubet. quod etiam Arnaldo abbati sancti Severi litteris eodem die ad eum datis idem pontifex significat. Juxta pontificis mandatum hæc causa in concilio Burdigalensi hujus anni iterum discussa fuit, eaque ecclesia monachis sanctæ Crucis asserta, ut fidem faciunt ipsius Amati episcopi litteræ, quas in Appendice integras referemus.
» In his litteris testatur Amatus, se jussu ac vice domini papæ Gregorii VII. ob eccle-
» siarum Dei correctionem in Aquitaniæ partes directum, una cum Hugone S. R. E. le-
» gato & Diensium episcopo, in illa synodo finem demum imposuisse controversiæ illi
» & altercationi, quæ inter Arnaldum Trencardi abbatem sanctæ Crucis, & Arnaldum
» abbatem sancti Severi, eorumque monachos super ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco
» dudum agitata fuerat, indicto penultimo concilii die ad illam controversiam finien-
» dam: quo die, auditis utriusque partis rationibus, ac diligenter discussis, ut Arnaldo
» abbati sancti Severi, ejusque successoribus perpetuum super hac re silentium imponeretur, *ex decreto concilii juravit Arnaldus Trencardi abbas sancta Crucis in sexta manu monachorum suorum illud idem sacramentum sive juramentum, de veritate scilicet sui privilegii, quod dominus papa Alexander jam diu ante decreverat Roma debere ante se jurari ab ipso Arnaldo Trencardi tertia tantum manu monachorum suorum, Gregorio abbati sancti Severi.* quo facto Burdigalensis concilii patres Arnaldum abbatem sanctæ Crucis de ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco denuo investierunt, quod Alexander II. jam olim præstiterat. *Actum & definitum in concilio Burdegalensi in ipsa matre ecclesia, in honore beatorum apostolorum Andrea & Jacobi constructa, anno* M LXXIX. *ab incarnatione, indictione* II. *concurrente* I. *epacta* XV. IV. *idus Octobris, anno vero pontificatus domini papa Gregorii VII. sexto, adstante & confirmante Guillelmo nobilissimo Aquita-*

norum duce & comite Wasconiæ cum suis principibus. Sed nondum illius controversiæ finis, quam iterum Suavius sancti Severi post Arnaldum abbas, instauravit. Actum est in superioribus de illa ecclesia beatæ Mariæ de Solaco, quæ in finibus terræ ad litus Oceani sita est. Quid sit jurare *in manu monachorum* satis patet ex iis, quæ in primo horum Annalium [a] volumine diximus.

a *lib.* 14. *num.* 69.

Dolensium rixa componitur.

Alia per idem tempus simultas exorta est in Dolensi monasterio apud Bituriges, cujus simultatis hæc fuit origo. Ante biennium Warmundus ejus loci abbas promotus fuerat ad archiepiscopatum Viennensem. Hic, more illius temporis satis usitato, abbatiam simul cum archiepiscopatu retinere volebat. Obstabant Dolenses monachi, & jus novi abbatis eligendi ad se devolutum esse præfracte contendebant. Re ad apostolicam sedem relata, vetitum est monachis sub excommunicationis pœna, ne alium abbatem eligerent. Electus nihilo minus ab eis Gualterius, sed in Romano concilio depositus. Cum vero nec sic a cœpto desisterent monachi, graves ad eos litteras [b] scripsit Gregorius, eisque apostolica auctoritate mandavit, ut Warmundo archiepiscopo, *sicut patri & abbati*, in omnibus obedirent, seque Valentiæ coram Hugone Diensi episcopo sisterent dominica prima post pentecosten, pœnitentiam ob inobedientiam subituri; secus excommunicationis latæ confirmationem. *Data Romæ* VIII. *kal. Aprilis, indictione* II. Ejusdem argumenti est sequens epistola, inscripta *Rodulfo, Odoni, Epponi, Umbaldo, Everardo, Bosoni, Giraldo, Adelardo & ceteris principibus Bituricæ regionis*. In primis præcipit Rodulfo, qui in his plus ceteris auctoritate pollebat, ut Warmundum in abbatiam sine simulatione & dolo restituat.

b *Greg VII. lib.* 6. *ep.* 17.

LXX. Bernardus abbas Massiliensis legatus.

Bernardus Massiliensis abbas, vir religione & prudentia insignis, itemtidem a monasterio suo aberat, a Gregorio papa subinde obeundis per magna discrimina legationibus, tum in Germaniam, tum in Hispaniam occupatus. Hic initio hujus anni Romæ detentus erat ob ecclesiæ negotia. quod cum gravate ferrent sancti Victoris monachi, consolatoriam ad eos epistolam scripsit [c] pontifex in hæc verba. *Contristavi vos, immo beatus Petrus commovit, turbavit; & ipse sanabit. Filius namque illius, abbas vester, venit ad nos, & pro ejus amore factus est obediens usque ad corporis captionem; &, quia paratus fuit, si oporteret, mori, & ex hoc habebit retributionem. Sed, sicut scitis, fratres mei, rari sunt boni, qui etiam Deo in pace serviant: sed rarissimi, qui pro illius amore persecutiones non timeant, vel qui se contra inimicos Dei indubitanter opponant, proinde christiana religio, heu prô dolor! pæne deperiit, & impiorum superbia nimis accrevit. Prædictus autem pater vester, re vera apostolorum principem diligens, in ejus acie nobis adhæsit, & adjutorium, Christo gubernante, nobis impendit.... sed quia caritas, licet ratio vos consoletur, ad dolorem vos impellit, eo quod tantum patrem, tamque vobis dulcem quasi longo tempore amiseritis; rogamus vos ex parte omnipotentis Dei & amore beati Petri, patienter supportate nos: quia cito, Deo adjuvante, eum vobis lætum remittemus.* Hactenus pontifex, quibus nihil magis honorificum de Bernardo nostro afferri potest. In consequentibus addit se velle *locum B. Pauli & eorum monasterium ita unire, ut sicut jam ex longo tempore Cluniacum apostolicæ sedi specialiter adhæreat, & speciali ecclesiæ hujus adjutorio & benedictione congaudeat. Data* IV. *nonas Januarii, indictione secunda.* Non multo post idem Bernardus Amato Oleronensi episcopo legationis socius adjunctus est, uti nos docet ejusdem Gregorii [d] epistola ad Centullum Bigorræ comitem & vicecomitem Bearnensem, quem licet ob justitiam aliasque dotes laudet, in eo tamen reprehendit quod consanguineam habeat uxorem. quod ut *secundum consilium Amati episcopi, Elorensis, & Bernardi abbatis Massiliensis*, siquidem ad ejus partes pervenire potuerint, emendare curet, eum hortatur. *Data Romæ* V. *idus Martii indictione secunda.* Bernardus cum Amato destinatus fuisse videtur ad legationem Hispanicam, qua Richardus ejus successor perfunctus est, ut mox videbimus.

c *ibid. ep.* 15.

d *ibid. ep.* 20.

LXXI. S. Victori donatio facta.

Bernardo abbate absente monasterium sancti Victoris regebat Rainaudus seu Rainaldus præpositus, cujus tempore, & quidem hoc ipso anno, Gausfredus vicecomes Massiliensis, ejusque filii Aycardus Arelatensis archiepiscopus, Gausfredus, Hugo, Raimundus, Pontius, Fulco & Petrus; necnon Guillelmus ipsius frater cum filiis suis, *Deo ac sanctæ Mariæ, sanctoque Victori martyri, & præclaro fundatori cœnobii Massiliensis Cassiano, domnoque abbati Bernardo, sive etiam abbatibus ac monachis præsentibus & futuris*, donationem faciunt aquæ-ductus, qui vocatur Welna, cum omnibus « fontibus in eamdem aquam descendentibus, omnemque terram, *per quam itura est* «

ANN. CHR. 1079.

ex apprehensione ipsius aquæ, quæ est ad ecclesiam sancti Melnæ, & omnem piscationem ipsius aquæ usque ad descensum ejus in mare &c. *Acta hæc donatio in sollemnitate sancti Victoris in cœtu omnium hominum illic astantium, episcoporum, presbyterorum, abbatum, monachorum, ex diversis provinciis congregatorum,* ante *altare sancti Petri principis apostolorum, in hoc ardentius & instantius laborante & insudante Rainaudo præposito ejusdem cœnobii patre ...... anno incarnationis dominicæ* MLXXIX. Eo dem anno idem vicecomes sancto Victori itidem contulit eam partem, quam habebat in castro vel in villa Sex-furnis, cum consensu uxoris suæ Rixendis & filiorum suorum: quam donationem fecit pro duobus filiis suis Fulcone & Petro, quos Deo tunc obtulit, *ut in professione & habitu monastico regulariter servirent, in supradicto cœnobio.* Ex his Petrus monachus postmodum creatus est archiepiscopus Aquensis.

LXXII. Bernardus abbas obit.

Interim Bernardus abbas hoc ipso anno mortem oppetiit XIII. kalendas Augusti, forte in suo monasterio, vel in itinere ad prædictam legationem. Annum notat chronicon [a] Massiliense his verbis: *Obit domnus abbas Bernardus, plenus Christi dilectione. rexit abbatiam annos* XV. Eadem fere habet Bertoldus, qui eum itidem plenum caritate vocat. Litteras super ejus obitu consolatorias ad Massilienses monachos scripsit idem Gregorius [b], testatus, » majus sibi, quam illis, aut certe æque magnum de ejus transitu incommodum evenisse, qui talem tantumque adjutorem sibi » e latere subductum sentiret. in ipsius quidem prudentia & consilio, si quidem superfuisset, plurimum utilitatis non solum in transalpinis, verum etiam in Italiæ partibus, cum multorum salute, sanctæ Romanæ ecclesiæ proventurum fuisse. Ejus vero » causa, quem in sinum Abrahæ incunctanter receptum non dubitat, se eorum monasterium peculiariter dilecturum, & contra quosvis adversarios tuiturum, quod sedi » apostolicæ, uti Cluniacense vult esse unitum. Ceterum, comperto quod ipsi filium » suum cardinalem presbyterum Richardum, loco germani ipsius Bernardi, abbatem » eligere vellent; se eorum electionem approbare, & apostolica auctoritate firmare; » in hoc se ipsis esse obnoxium, & gemino quasi vinculo annexum, quod Romanæ ec» clesiæ filium sibi rectorem expetierint. *Data Romæ quinto nonas Novembris, indictione tertia*, a Septembri inchoata.

a Labbe bibl. to. 1. p. 341.

b id. lib. 7. ep. 8.

Richardus ejus frater succedit.

Ex his dubitare forte quis possit an Richardus monachus fuerit. Verum hoc dubium resolvit idem Gregorius in alia epistola ad ipsummet Richardum, data quarto » nonas Novembris, qua in epistola ait, fratres Massilienses, in litteris suis *sanctæ me» moriæ* fratris ejus, nuntiantes obitum, novo ipsum dolore sauciasse, petentes insu» per contemplatione amoris sancti ejus fratris, eum, ut ipsum alterum futurum spe» rantes, sibi abbatem concedi. quod pontifex annuit. tum subdit. *Volo ergo, ut fratres tuos nullo modo pertinaciter resistendo contristes, sed voluntati Dei & sanctorum fratrum facile acquiescas. Volumus etiam atque monemus, ut, in quantum potes, spes tantorum fratrum de te vana non fiat, sed spiritum sanctum fratris tui viriliter induas; sæcularia ac juvenilia desideria ut mortem fugias; sanctæ Regulæ medullitus te adstringas: ne occasione tuæ juventutis monasterium sanctum, quod avertat Deus, patiatur aliquod detrimentum religionis.* Ubi cum Massilienses monachos Richardi *fratres* vocat Gregorius, satis superque innuit, eum ejusdem loci monachum fuisse. Ex eadem epistola etiam intelligimus, Bernardum abbatem non Romæ, sed forte in monasterio suo, aut certe, ut mox dicebam, in procinctu vel ipso itinere ad suam legationem obiisse. siquidem ex Massiliensium relatu Gregorius didicit ejus obitum, quem tanti fecit, ut *sanctum* & *sanctæ memoriæ virum* appellet; nec dubitet, eum in sinum Abrahæ incunctanter receptum fuisse. Ad Richardum quod attinet, is hoc anno in Hispaniam ad Alfonsum Castellæ regem pro ecclesiasticis causis secundo missus a Gregorio est, tulitque ad regem *claviculam* [c] *auream, in qua de catenis beati Petri benedictio continebatur.* Hæc epistola data est Romæ XVIII. kalendas Novembris; indictione tertia, ut supra. Hanc itaque legationem denuo aggressus, Pictavos divertit, & concilio illic habito, cum Hugone Diensi episcopo, ut legatus interfuit. In Hispaniam ubi venit, Mozarabicum ritum, quod ipsi mandatum erat, abrogari, ejusque loco Romanum admitti curavit. Reverso Montis-majoris & Crassæ reformationem eidem commisit Gregorius, cujus partibus constanti animo semper adhæsit. Postremo Richardus promotus est ad archiepiscopatum Aquensem, ut suo loco dicturi sumus.

c ibid. ep. 6.

ANN. CHR. 1079.

LXXIII. Montis-majoris abbates. [a] lib. 57. n. 76.

Exauctorato, ut superius [a] diximus Eldeberto, Montis-majoris abbate, suffectus est in ejus locum a Raimbaldo Arelatensi archiepiscopo Rolandus seu Rolannus, quia postolicæ protectionis litteras anno M LXI. a Nicolao II. obtinuit. Idem Raimbaldum archiepiscopum placavit ob paludes monasterio circumjacentes infestum, earumque limites figendos curavit anno Christi M LXVII. ordinationis suæ nono. Eidem se munificum præbuere Rostagnus episcopus Avenionensis, & Gausfredus Provinciæ comes cum Stephanica uxore & Bertranno filio, ibidem sepultus in claustro ad fores capituli, ubi ejus epitaphium implicitis litteris simulque connexis habetur.

Ejus bona restitui jubet Gregorius. [b] id. lib. 6. ep. 31.

Rolanno mortuo vacantem præfecturam occupavit Bermundus vir flagitiosæ vitæ, si litteris comitis Arelatensis fidem habemus, anno sequenti ad Gregorium missis. Hoc autem anno idem pontifex litteras [b] scripsit ad episcopos, principes, & quoscumque clericos & laïcos, quorum aliqui cum illius monasterii, quod sanctæ Romanæ ecclesiæ speciali jure subjectum esse dicit, bona sacrilega manu invasissent, ac diripuissent; ea restitui præcepit pontifex sub gravi interminatione. Data est hæc epistola Romæ pridie kalendas Aprilis indictione secunda. Plura de hoc monasterio anno sequenti.

LXXIV. Aquicinctense monasterium conditur. [c] Miræi orig. Bened. p. 126.

In Belgio inchoatum est hoc anno Aquicinctense sancti Salvatoris monasterium, sic dictum a circumfluentibus aquis, quod ad Scarpum fluvium in diœcesi Cameracensi positum est. Ejus auctores fuere illustres duo viri, Sicherus atque Walterus. Sicherus conjugem [c] habebat, Mathildem nomine, nobilem genere, sed moribus præcellentem; quæ virum suum ad pium istud opus aggrediendum exstimulabat, ob eam maxime causam, quod sanctus quidam eremita, Gordonius nomine, solitariam in illa insula vitam duxisse ferebatur. Hinc animati ambo illi viri, Ansellum, seu Anselmum de Ribodi-monte, virum nobilissimum, a quo hæc insula pendebat, simul adeunt, & ab eo locum exstruendo monasterio expostcunt. quod facile obtinent. Unde ex condicto pariter Gerardum secundum, Cameracensis ecclesiæ præsulem, conveniunt, eique consilium aperiunt suum. Eorum votis benigne annuit episcopus, receptoque fundo de manu Anselli, qui eum a Gerardo in beneficium tenebat, eumdem cum arundineto adjacente eis tribuit. Nec mora prædicti viri cœnobium illic construere cœperunt, & de suis alodiis dotarunt. Mox ibidem aggregati Deo devoti homines, qui se cum suis facultatibus Christo consecrarunt. quibus ad vitæ monasticæ normam informandis idem præsul duos ex Hasnoniensi proximo asceterio probatæ vitæ monachos istuc adduxit, quorum unum, Alardum nomine, abbatem ordinavit. Hic miræ simplicitatis fuisse dicitur, qui cum fratribus in claustro residere solitus, immodica venerationis obsequia, quæ aliis abbatibus exhiberi solebant, scilicet manuum vel genuum oscula sibi impendi prohibebat, ne successores eadem reverentiæ officia exigerent. Idem pontifex multa eidem loco beneficia contulit, necnon Hugo Cameracensis ecclesiæ decanus, qui omnem fere substantiam suam illo convexit, ex qua *monasterium & habitacula fratrum* primitus ædificasse traditur. Hic Lietberti episcopi, qui Gerardum præcessit, capellanus antea fuerat, ut nos docet Rodulfus [d] monachus in libro de ipsius Lietberti vita, in quo laudatur *Hugo capellanus, cujus sanctitatem*, inquit Rodulfus, *monstrant claustra canonicorum ecclesiæ matris; monstrat monasterium Aquicinctense*, cujus proinde inter fundatores Hugo censendus est.

[d] Spicil. to. 9. p. 702.

Quæ hactenus de origine Aquicinctensis monasterii retulimus, a Miræo fere desumta sunt ex codice Gemblacensi, in quo Sigeberti chronicon, quibusdam accessionibus auctum, continebatur. Idem auctor edidit [e] Gerardi episcopi hac de re litteras, in quibus duo milites ejus parochiani, genere & divitiis præclari, Walterus ac Sicherus, *mundanæ militiæ cingulum* deponere, omnemque hujus mundi proprietatem contemnere volentes, ut theoricæ vitæ se totos darent, se suaque omnia Deo dedisse, ipsique uni deinceps servituros promisisse perhibentur; atque in loco, qui Aquicinctus* dicitur, ecclesiam instaurasse, quam a sancto Gordanio, ejusdem loci olim eremita, quondam ædificatam esse acceperant. Hoc autem consilium Walterus per matrem, Sicherus per uxorem Ansello aperuisse dicuntur. ipse vero Ansellus insulam illam Aquicincti, & arundinetum ad eam pertinens, cum villa Vedreto eidem insulæ contigua, quæ a Gerardo episcopo in beneficium tenebat, in ejus manus reddidisse, qui ea omnia in jus novæ illius ecclesiæ convertit. Actum anno ab

[e] Mir. ... p. 205.

* Anchin.

AN. CHR. 1079.

incarnatione Domini MLXXIX. indictione II. præsulatus Gerardi episcopi IV. Ex his intelligitur, prædictos fundatores, Walterum & Sicherum, ibidem monasticam vitam professos fuisse. Insigne fuit, estque etiam nunc hoc monasterium, ex quo post annos quindecim nova colonia prodiit ad instaurandum Tornacense sancti Martini perantiquum cœnobium.

S. Sepulcri abbatia.

a ibid. p. 206.

b lib. 62. n. 51.

Idem Gerardus episcopus se munificum exhibuit in Cameracensem sancti Sepulcri abbatiam monachorum, ab antecessore suo Lietberto constructam, cui, & abbati [a] ejus Waltero, *ac monachis decem pauperibus*, altare *de Liewe* hoc ipso anno concessit, liberum ab omni consuetudine, excepto annuo censu decem solidorum. Hic Walterus, uti tomo superiori vidimus [b], primus ejus loci abbas, scripsit vitam sancti Vindiciani Cameracensis & Atrebatensis ecclesiarum episcopi, quam nondum editam vulgati auctores laudant. Ejus initium simul cum præfatione Johanni abbati, scilicet primo Montis sancti Eligii prope Atrebatum, & *cunctis fratribus cum eo ad superna tendentibus*, inscripta, præ manibus habemus; ex iis discimus Walterum ad id opus aggrediendum, agente ipso Johanne, *episcopalibus edictis commonitum fuisse*; & quidem ut in anniversaria beati antistitis sollemnitate legeretur, uti conjicere est ex primis ejus verbis. Qui vero secuti sunt auctores Herveus & alii, ex ea compendia edidere; at Franciscus *Doresmieux* Montis sancti Eligii initio seculi præcedentis abbas, collectis undequaque monumentis novam sancti Vindiciani viram adornavit, quam habes die XI. Martii apud Bollandianos. Walterus obiisse dicitur anno MXCI. die XI. Martii. Initio seculi sequentis Godefridus Barbatus Lotharingiæ dux capellam Dominici sepulcri & sanctæ Mariæ prope Bruxellam Parvino abbati & monachis sancti Sepulcri Cameracensis in eleemosynam dedit ea conditione, ut ibi fratres diu ac noctu Deo & beatæ Mariæ obsequia impendant.

Mira. orig. Bened. p. 263.

LXXV. Walo abbas Mettensem episcopatum occupat.

c Meurisse p. 373. & seqq.

Interim magis magisque flagrabat in dies schisma Henricianum, quod episcopos & principes in diversa partium studia scindebat, aliis Gregorio pontifici, aliis Henrico regi, aliis Rudolfo adhærentibus. Ex episcopis Herimannus Mettensis a partibus papæ constanter stabat. qua re exacerbatus rex, eum in conventu Moguntiæ habito hostem imperii declarari, & sede sua dejici curavit, ac Wallonem [c] sancti Arnulfi abbatem in ejus locum intrudi. Hanc sedem occupabat Walo adhuc anno MLXXXV. ac sequenti. At videns se nihil proficere, tumque usurpatæ sedis pœnitentia ductus, ad Herimannum accessit, perpetrati facinoris veniam petiit, & piaculi causa in Gorziense monasterium secessit, factus ibidem custos puerorum, ut tum loquebantur. Demum tantæ modestiæ & pœnitentiæ exemplo compulsus ad commiserationem Herimannus, eum in priorem restituit honorem. Non multo post idem præsul iterum sede sua pulsus est, & Bruno quidam, comitis Salmensis filius, in eam intrusus: cujus insolentiam Mettenses non ferentes, intra puellare sancti Petri monasterium, quo confugerat, gladiis lanceisque confossum interemerunt. Tunc etiam Lanzo sancti Vincentii abbas multa ab Heinricianis passus est.

Wido abbas S. Apri.

d V. lib. 61. n. 97.

Tullensi S. Apri monasterio adhuc tum præerat Wido [d] abbas, cujus rogatu Pibo episcopus hoc anno confirmavit res omnes, quas *bona memoria Bruchardus, ad monachatum conversus*, eidem cœnobio apud Roserias contulerat. Idem anno sequenti, ad preces ejusdem Widonis donationes, a Gauzelino & Brunone eidem loco factas, ratas habuit.

LXXVI. Corbeiæ novæ abbates.

e V. Annal. Paderborn. p. 599.

In monasterio Corbeiæ novæ Wernherus abbas IX. kalendas Januarii hujus anni obiisse dicitur, qui anno præcedente ecclesiam sancti Michaëlis archangeli in monte sancto construxerat, ut in annalibus Corbeiensibus legitur. Hæc ecclesia in monte haud procul Huxaria [e] opido sita erat, quam Wernherus abbas, aliis Warinus, petente Humberto exstruxerat, dotaveratque pro sustentatione ejusdem Humberti & Simonis conversi, cui idem abbas monasticum habitum imposuit. Eamdem ecclesiam Poppo Patherbrunensis episcopus hoc anno dedicavit. Post Wernheri obitum electus est in ejus locum Frethricus *in pœnam & ruinam monasterii, homo nullius devotionis, lurco, & vanitatum coryphæus*; ideoque post triennium non integrum merito depositus & ejectus. Sub eo Erchimbertus hospitalarius Eresburgi abbas factus est; Isibordus vero, vir doctus, claruit. Apud Trithemium laudatur Bernardus ejusdem loci monachus & scholasticus, qui boc anno decessisse dicitur, & post eum Hermannus scholis præfectus fuisse, multosque sub se discipulos habuisse. At in catalogo ejusdem cœnobii monachorum, qui tunc numero paucissimi erant, nullus lector seu scholarum præ-

fectus

fectus notatur sub quatuor abbatibus, qui Marcwardum Frethrici successorem præcesserunt: at sub Marcwardo schola Corbeiensis refloruisse dicitur, quo abbate amplius fuit ac numerosus conventus, tresque sub eo lectores notantur. Idem Trithemius ait Bernardum illum scripsisse opus luculentum, sed mordaciori stilo, ad Harduinum Magdeburgensem archiepiscopum contra Heinricum IV. Romanæ ecclesiæ rebellem & excommunicatum.

ANN. CHR. 1079.

Hoc item anno Fritislaris opidum cum monasterio, quod sanctus Bonifacius archiepiscopus quondam in Hassia exstruxerat, combustum fuit in expeditione, quam Rodulphus rex in Hassiam movit, ut in Saxonicis annalibus nondum editis legitur.

Fritislar combustum.

In Cavensi monasterio decessit hoc anno Leo [a] ejus loci secundus abbas, resignato prius regimine Petro ejusdem loci monacho, qui Alferii, primi ejusdem cœnobii abbatis, *nepos* erat. Extremis vitæ suæ diebus Leo ad ecclesiam sancti Leonis de Veteri secessit, paullo ante ab se constructam: ubi, cum rebus divinis contemplandis aliquamdiu vacasset, glorioso fine quievit IV. idus Julii, anno præfecturæ vicesimo-nono. Dum funus ejus curaretur, cereus ardens in pallium, quo feretrum ejus opertum erat delapsus, nullum omnino detrimentum panno attulit.

LXXVII. Leoni Cavæ abbati Petrus succedit

a V. lib. 59. num. 108.

Successor ejus Petrus, domo Salernitanus, venerabilis Alferii *nepos*, seu, ut alii scribunt, ejus ex nepte filius, antecessores suos sanctitate reddidisse traditur, lucro superasse. A Leone abbate monastica veste indutus vitæ religiosæ propositum tanto studio arripuit, ut rigiditate antiquos etiam patres æquare videretur. nam tantæ abstinentiæ fuisse dicitur, ut quinque aut sex modici panes illi ad totam quadragesimam sufficerent. quo tempore in præcelso monte sancti Eliæ, qui Cavensi superemimet, sacros illos dies transigere solebat. Cum ad eum Cluniacensium nostrorum fama pervenisset, istuc cum aliquot e suis accessit, æmulandæ eorum religionis causa: ubi ab Hugone abbate perhumaniter acceptus, in claustro privatus quinquennium, & in capella abbatis triennium exegisse dicitur. Inde Cavensibus restitutus, cum virtutibus excelleret, ad Policastrensem episcopatum, petente clero & populo, ac Gisulfo Salerni principe, promotus est: ubi cum breve tempus expendisset, exterioris vitæ strepitum non ferens, relicta infula, ad Cavenses suos denuo se recepit. Tunc Leo venerabilis abbas, timens ne tanto viro iterum privaretur monasterium, simul etiam se regiminis oneri ferendo præ gravi ætate imparem sentiens, in ejus humeros assentientibus fratribus sarcinam rejecit. Tanta vero ejus tempore Cavensium religionis fama erat, ut tribus amplius virorum millibus, qui eo certatim confluebant, sanctæ conversationis habitum imposuisse referatur: quibus viri in sæculo potentes abunde necessaria subsidia conferebant. Ipse vero non solum de suis, sed etiam de externis sollicitus, ea caritate pauperibus & egenis catervatim ad se confugientibus subveniebat, ut etiam per vicos & opida quæreret, quibus vestes & alimenta præberet. Ipse contra in se asperior, lorica ferrea indutus ad cutem, vino sic abstinebat, ut, etiam debilitato stomacho, & voce jam fere amissa, vix a bonæ memoriæ Urbano secundo ad parcissimum ejus usum reduci potuerit. Hinc a magnatibus, qui multa ei promittebant, ob eximias virtutes expetitus, ad eos accedere omnino refugiebat, ratus, pro temporalibus rebus a Deo recedendum non esse.

Multa alia de venerabili Petro referuntur, ex quibus ea tantum facta, quæ aliquid majoris ædificationis continent, paucis commemorare visum est. Hic aliquando Calabros fratres invisurus, ad sancti Matthæi ecclesiam, quæ in Lucano litore ad ejus sepulcrum erecta erat, declinare, & missarum sollemnia ibidem celebrare statuit: at, viso ad navigandum opportuno tempore, rem in reditum differendam censuit. Verum cum in reditu, velut insalutato apostolo pertransire vellet, ad ejus ecclesiam subversa navicula, quod promiserat reddere coactus fuit. Hos Calabros fratres Cavensis cœnobii monachos fuisse ex alio ejus facto intelligitur, relato in hunc modum. Cum frater quidam *de cella quadam Calabriæ* ad Cavense monasterium veniret, contigit, ut cujusdam sæcularis hominis hospitio exceptus, ad edendos communes cibos, id est carnes, invitaretur. Ille primum tergiversari, renuere; quippe id sibi per regulam monasterii non licere. Sed tandem invitantium importunis precibus victus, se esurum promisit. Interim dum prandium paratur, in soporem ob itineris laborem resolvitur monachus: cui venerabilis abbas Petrus dormienti apparuisse dicitur, eumque arguisse, eccur seductori suo tam cito assensum præbuisset? &, *talisne est*, inquit, *ordo* seu disciplina *Cavensis, ut in via directi fratres carnibus vesc-*

LXXVIII. Quædam ejus facta.

ANN. CHR. 1079.

cantur? Cumque ille culpam agnosceret, ac veniam peteret, exspoliari jussus est, ac flagellari. Ex quo expergefactus denuo invitantibus ut carnes ederet, respondit: si ob cibos nondum a se sumptos flagella meruisset, quid si jam comederet? Ex quibus patet, illam Calabriæ cellam, ex qua profectus erat iste monachus, Cavensi monasterio subjectam fuisse.

Erat in Cavensi monasterio frater quidam ortu Amalphitanus, Fredericus nomine, qui extra monasterium in quadam cella manens, negligenter se habuit, & religionis splendorem malis actibus deturpavit. Is aliquando gravi morbo redactus ad extrema, culpas suas confiteri erubescebat, nec corpus Dominicum sæpe sibi oblatum, sumere poterat. Tandem vero Petro abbati conscientiam aperuit suam: quem vir Dei, ne omnino *impurgatus* e mundo abiret, *corporali vindictæ* subdi jussit. Ille porro paternæ caritatis verbera patienter excepit, tumque corpus Dominicum facile percepit, & statim magna cum pace, non sine spe adeptæ veniæ, decessit. Quiddam simile alteri monacho ægrotanti accidit, quem ob nonnihil reservatæ pecuniæ, *tarenum* vocant, dæmon sibi vindicabat: ille vero contra se purgare conabatur. Forte tunc quidam senior ex more monasterium perlustrans, monachum illum eminus quasi cum alio loquentem audivit, & solum inveniens, cum quo fuisset locutus, ab eo inquisivit. Ægrotus signo innuit, se sequenti die id ei renuntiaturum. Prima luce adfuit senior, cui infirmus erratum fassus est, idque ut abbati suggereret rogavit. quod ut pater agnovit, eum, sicut alium, corporali pœna expiatum absolvit, eodem die moriturum.

Alterum exemplum addere lubet de quodam milite Gallo, qui Cavam ad conversionem venit. Illic cum aliquamdiu religiose vixisset, relicto demum monasterio arma resumsit, & sæculariter, ut prius, vivere cœpit. Tum vero multa morte digna commisit: sed divinæ tandem misericordiæ respectu compunctus ad monasterium rediit, & multas quas conquisierat opes, tamquam gratissima munera, secum attulit. At venerabilis pater prodigum filium ad se redeuntem peramanter complexus, quæ attulerat, tamquam purgamenta in foveam projici, atque igne comburi præcepit, insigni posterorum abbatum documento, ut fratrum personas diligant, & animabus damna inferri nullius lucri obtentu permittant. Is erat Petrus abbas, vir tantæ modestiæ, ut, cum ipsi in synodo nudo capite residenti sanctæ memoriæ Urbanus II. pontificalem infulam misisset, vir Dei eam quidem receperit, sed ea uti noluerit, damnans hoc exemplo, inquit auctor, quorumdam arrogantiam, qui indebitos sibi ejusmodi honores ambiunt.

ANN. CHR 1080. LXXIX. Turbæ novæ in ecclesia.

Anno subsequente supra millesimum octogesimo habitum est Romæ concilium generale nonis Martii, indictione III. quo in concilio Heinrico regi, Germaniam bello, armisque miscere pergenti, neque toties repetita sacramenta servanti, immo in pertinacia obstinatius persistenti, cum suis asseclis anathema dixit Gregorius, regnumque abrogavit, Rudolfum vero in regia dignitate confirmavit, professus, se invitum nec nisi post tentata in cassum alia remedia, ad hæc extrema descendisse. Ea re amplius efferatus Heinricus, coacto apud Brixinam Noricorum urbem triginta factiosorum episcoporum conventu, legitimum papam abjuravit, eique Guibertum, Ravennæ archiepiscopum, antipapam sub nomine Clementis opposuit; atque ita totam non modo Germaniam, sed etiam Italiam conturbavit, ut nullus secure [a] ad apostolorum limina ire posset, nisi prius jurasset, quod Gregorium papam non adiret. Gregorii causam contra schismaticos Anselmus Luccensis, & Deusdedit cardinalis e nostris, scriptis suis propugnarunt. His actis, Heinricus ferocior & erectior ad persequendas Germanici belli reliquias factus, Rudolfum summo congressus est prælio, in quo Rudolfus, licet victor, idibus Octobris occubuit, tertio anno quam rex dictus fuerat.

a *Bertold. hoc an.*

Giselbertus monachus obit.

Eodem die, teste Bertoldo, Giselbertus religiosissimus presbyter & monachus, ejusdem Rudolfi ad papam legatus, in Longobardia requievit in pace: at cujus loci monachus fuerit, ignoramus; nisi is sit Giselbertus ille vir doctus ac pius, cui Willelmus Hirsaugiensis abbas Erfodiensis monasterii præfecturam commisit.

LXXX. Decretum pro Cluniaco.

In prædicto Romano concilio editum videtur insigne illud decretum, quod Gregorius [b] papa in gratiam Cluniacensis monasterii fieri curavit anno pontificatus sui septimo, in hæc verba præfatus. *Noveritis, fratres & consacerdotes nostri, immo tota hac*

b *Bullar. Clun. p. 21.*

ANN. CHR. 1080.

sancta synodus cognoscat & sciat, quia cum ultra montes multa sint monasteria ad honorem Dei omnipotentis & beatorum apostolorum Petri & Pauli nobiliter & religiose fundata, inter omnia quoddam illis in partibus habetur, quod quasi peculiare & proprium beato Petro & huic ecclesia speciali jure adharet, Cluniacense videlicet, ad honorem & tutelam hujus sancta & apostolica sedis ab ipsis primordiis principaliter assignatum, &, favente divina clementia, sub religiosis & sanctis abbatibus ad id usque dignitatis & religionis pervenit, ut ceteris monasteriis, quamvis multo antiquioribus, quantum ipse cognosco, in Dei servitio & spirituali fervore precellat; & nullum in terra illa, quod ego sciam, huic omnino valeat adaquari. Nullus enim abbas umquam ibi fuit, qui sanctus non fuisset. tum subdit pontifex, sacri illius cœnobii abbates & monachos nullo modo degeneres exstitisse, sed sanctæ Romanæ sedis libertatem, dignitatemque imitantes, quam ab origine traxerunt auctoritatem semper servasse, nec ulli potestati, præterquam Romanæ ecclesiæ, colla subdidisse. Denique totius concilii assensu pontifex Cluniaci libertatem & immunitatem omnimodam sollemni decreto confirmavit.

LXXXI. Robertus monachus apud Gregorium male audit.

Ab hoc studio tantisper refrixisse videtur Gregorius occasione Roberti Cluniacensis monachi, quem rex Castellæ Alfonsus ante aliquot annos obnixe ad se mitti petierat. Hujus mutationis hæc fuit causa. Miserat anno superiore in Hispaniam Gregorius Richardum cardinalem & abbatem Massiliensem, eam maxime ob causam, ut Hispani Ordinem Romanum in divinis officiis & missis, abrogato ritu Mozarabum, admitterent. quæ res, sæpius jam tentata, Gregorio in primis cordi erat. Huic novationi, quam Richardus pro suo munere urgebat, intercessit Robertus, ejusque suggestione rex & populi obicem Richardo afferebant. qua re intellecta, pontifex gravem scripsit epistolam [a] ad Hugonem Cluniacensem abbatem, quem sic initio compellat. *Quanta impietas a monasterio vestro per Roberti monachi vestri præsumtionem exierit, ex litteris Richardi legati nostri, abbatis videlicet Massiliensis, potes cognoscere. qui nimirum Robertus, Simonis magi imitator factus, quanta potuit malignitatis astutia adversus beati Petri auctoritatem non timuit insurgere, & centum millia hominum, qui laboris nostri diligentia ad viam veritatis redire cœperant, per suggestionem suam in pristinum errorem reducere. cujus iniquitati non solum te consensisse non credimus; verum etiam pro immanitate sceleris nobiscum tristari, & ad exercendam debitam ultionem animum habere intelligimus: præsertim cum fidei nostra antiquum prabeas experimentum, de honore sancta Romana ecclesia idem nobiscum sentire, & ad exsecutionem justitia, qua, frigescente caritate, jam pane terris excessit, libertatem rectitudinis reservasse.* Quod Robertus *in pristinum errorem* reduxisse dicitur centum millia hominum, *qui ad viam veritatis redire cœperant*, non aliud intelligendum existimo, quam quod ille a recipiendo Ordine Romano Hispanos dehortaretur, suaderetque Mozarabum ritum, qui apud eos jam dudum in usu fuerat, esse retinendum. Subdit pontifex, se nihilo minus a concepta in Hugonem favorabili opinione nullo contrario adversantium & obmurmurantium rumore, nulla suggestione abstrahi posse: tametsi *pane omnes*, inquit, *qui nobiscum sunt fratres, nisi freno rationis nostra retinerentur, amorem, ab eis loco vestro exhibitum, in gravem inimicitiam convertissent.* Tum Hugonem admonet, ut Robertum illum, *qui supra dicta iniquitatis auctor exstitit, qui diabolica suggestione Hispaniensi ecclesia tantum periculum invexit*, introitu ecclesiæ & omni rerum suarum ministerio interdicat, donec Cluniacum redeat, & temeritatis suæ dignas pœnas luat. denique, ut regem ipsum, ejusdem monachi fraude deceptum litteris suis ad resipiscentiam hortetur; secus gravissimam in se beati Petri ultionem provocaturum, quod legatum Romanæ ecclesiæ indecenter tractaverit, & falsitati potius, quam veritati crediderit. In fine, Roberto excommunicationem, nisi erratum corrigat, comminatus, Hugonem monet ejus esse studii, *ut monachi in iisdem partibus injuste dispersi, ad proprium redeant monasterium; & nulla ibidem ordinatio vires obtineat, nisi qua legati fuerit auctoritate probata.* Ex quo intelligitur, non solum Robertum, sed alios quoque Cluniacenses monachos, qui in Hispaniam, reformandæ monasticæ disciplinæ causa missi fuerant, prædictæ novationi contrarios fuisse. Ejusdem argumenti sunt duæ sequentes epistolæ, una ad Alfonsum Castellæ regem, altera ad Richardum legatum, quem ad patientiam hortatur, & in persequendo proposito confirmat. In utraque Robertum coërcendum, & in monasterii sui claustra ad pœnitentiam retrudi mandat; & quidem eamdem esse Hugonis abbatis hac de re mentem. *Eadem enim via*, inquit, *eodem sensu, eodem spiritu ambulamus.* Data est prima epistola, haud dubium

[a] *Greg. VII. lib. 8. ep. 2.*

ANN. CHR. 1080.

quin & aliæ duæ, v. kalendas Julii Ciperani, quod Campaniæ oppidum est, indictione tertia, quæ huic anno octogesimo convenit. Pontificis mandato in his aliisque rebus paruit rex Alfonsus, ut paret ex sequentibus ad eum Gregorii [a] litteris; nec dubium quin etiam Hugo abbas Cluniacensis.

[a] id. lib. 9. ep. 2.

LXXXII. Varia hujus anni concilia

Præter Romanum alia etiam hoc anno concilia variis in locis habita sunt, quibus fere omnibus Hugo Diensis præfuit. In primis occurrit Lugdunense, in quo depositus Manasses Remorum archiepiscopus ab Hugone Diensi episcopo, cui ille trecentas auri uncias, aliaque munera, ut eum ab hoc concilio excusaret, clanculum obtulerat. Alterum est Avenionense, in quo electus dicitur præter alios Hugo Gratianopolitanus præsul. Tertium Juliobonense in Caletis, cujus tredecim decreta exstant, ex quibus duodecimum tantum monachos spectat, quo statuitur, ut presbyter, qui pro » monachis ecclesiam habet, eam honorifice teneat, qui si cum monachis vivere no» luerit, congruum ex illa ecclesia stipendium habeat: quæ vero superabundant, ab» bati cedant in usus monasterii. Quartum concilium est Santonense, in quo monasterium Regulæ, quod *Squirs* vulgo tum vocabant, situm in diœcesi Vasatensi ad Garumnam, Floriacensi S. Benedicti cœnobio assertum est adversus Raimundum episcopum Vasatensem, qui de eo contendebat. Huic concilio, præter novem episcopos, adfuere abbates quinque, scilicet Odo Angeriacensis, Draco seu Drogo Malliacensis, Irenæus abbas sancti Stephani Pedaniæ, Ademarus Lemovicensis seu sancti Martialis, Arnaldus-Trencardus abbas sanctæ Crucis Burdigalensis. *Acta anno Domini* MLXXX. *regnante Philippo rege* XXII*. *anno abbatis Willelmi*, scilicet Floriacensis, *cujus instinctu sopita est supra dicta calumnia, decimo. Data per manum Lamberti cancellarii vicarii* seu legati *Hugonis*, nimirum Diensis VI. *idus Januarii apud Santonas*. Hæc ex Johanne Besllo [b]. Chronicæ istæ notæ desunt in editis libris conciliorum, quas ad annum sequentem, secundum novum calculum, referendas persuaderet annus XXII. Philippi regis, ducto initio ab anno MLIX. quo rex vivente patre dictus est, nisi obsisteret Verani abbatis Floriacensis præfectura, qui prædicto Willelmo abbati hoc ipso anno MLXXX. successit, ut mox videbimus. Adfuere in illo concilio, præter duos legatos, videlicet Amatum, qui ei præsedit, & Hugonem Diensem, quatuor archiepiscopi, nimirum Joscelinus Burdigalensis, Guarmundus Viennensis, Richardus Bituricensis, & Rodulfus Turonensis. necnon tres episcopi, Ademarus Engolismensis, Hugo Lingonensis, atque Raimundus Vasatensis, prædictæ litis auctor. His omnibus conciliis adde Burdigalense, ineunte Octobri hujus anni habitum, in quo damnatus ultimo Berengarius, de quo nulla deinceps mentio in conciliis; adde etiam Meldense, de quo nunc agendum est.

* f. XXI.

[b] Besly Comm. p. 484.

Arnulfus Suessionum episcopus eligitur.

Post mortem Tetbaldi Suessionensis episcopi, Ursio quidam, habitu monachus, litteris quidem a puero eruditus, sed ad pastorale officium moribus & animo nequaquam idoneus, hanc sedem occupavit favore Gervasii regis dapiferi, fratris sui germani, qui illam dignitatem ob palatina sua obsequia fratri suo apud regem procurare satis egit. Hoc intellecto, Gregorius papa rem dijudicandam commisit Hugoni Diensi episcopo, qui, convocato apud Meldas episcoporum cœtu, Ursionem abjecit, & de legitimo pastore eligendo patres consuluit. Pars sanior consensit in Arnulfum, tunc reclusum apud sanctum Medardum, de quo jam in superioribus egimus. Missi illuc statim e concilio nuntii, qui electum ad concilium sisterent. Ille haud sponte ad concilium venit, cui legatus ex obedientia subeundi honoris legem imposuit. Inde ad sancti Medardi cœnobium recessit, tempus exspectaturus conditum ad suam consecrationem, quæ *dominica ante natalem Domini, & quidem* XIV. *kalendas Januarii* ab Hugone Diensi facta dicitur. adeoque anno sequenti, quo anno prædictus dies in dominicum incidebat. Forte Ursio ille non alius fuerit ab Ursione illo clerico, qui e Beccensi monasterio ad aliud migraverat, de quo Anselmus [c] ad Petrum abbatem.

[c] Anselm. lib. 2. ep. 13.

Non omittenda hoc loco electio Walteri episcopi Cabilonensis præsente anno facta, cui non pauci interfuere *illustres cœnobiorum patres, in his domnus Hugo, sacri cœnobii Cluniacensis abbas, simulque venerandus loci Trenorchiensis rector domnus Petrus, præsidens quoque abbatiæ beati Petri Cabilonicæ urbis domnus Rainardus*. Hæc electio facta dicitur *anno incarnati Verbi unigeniti* MLXXX. *præsidente divina dispositione Romanæ sedi excellentissimo papa Gregorio, sceptra quoque moderante regni nobilissimo regum Philippo, consulatu urbis Cabilonicæ tunc temporis manente absque terreno principe*.

ANN. CHR. 1080.

LXXXIII. *Willelmo Floriaci abbati succedit Veranus.*

Ex prædictis chronicis notis concilii Santonensis, discimus tempus initi a Willelmo [a] Floriacensi abbate regiminis, cujus annus decimus cum anno MLXXX. ineunte componitur. Tortarius auctor est, eum sancti Benedicti reliquias in scrinium æneum transtulisse ex arca lignea, ex qua particulæ decerptæ & distributæ multis sanitatem contulerint. Non excessit hunc annum idem Willelmus: cui Veranus hoc ipso anno successit, uti nos docet charta cujusdam Raugerii de Marsa-rotunda, qui relicta sæculari militia, monachum professurus, sollemnem fecit donationem rerum suarum *secundum regulam patris Benedicti in pleno capituli conventu, ante domnum abbatem Floriacensem Veranum*; & quædam contulit monasterio Regulæ, pro quo monasterium facturus erat. *Actum Floriaco anno ab incarnatione Domini* MLXXX. *regni Philippi serenissimi regis Francorum anno* XX. Hic est Veranus, *qui per aliquanta annorum curricula regimen Floriacensium* obtinuisse a Tortario dicitur. quem, quia in vulgatis abbatum indicibus non reperitur, rectorem tantum seu curatum Floriacensis parochiæ fuisse cum sociis Bollandi opinatus eram. at vere abbatem fuisse tum ex hoc loco, tum ex aliis a me alias relatis constat. In libro sacramentorum monasterii Sublacensis, tempore Johannis abbatis, filii Johannis-Ottonis comitis exarato, inter nomina fratrum conscriptorum, hæc leguntur *de congregatione sancti Benedicti de Floriaco*: VERANUS *abbas & omnis congregatio, ejusdem cœnobii per manum Gualterii monachi eorum suscepti sunt in fraternitate & societate nostra*. Idem Veranus abbas decretum Brocardi seu Burcardi episcopi Wormatiensis describi curavit, præfixis in fronte his aliisque versibus.

> *Abbatum lumen Veranus tale volumen*
> *Fecit conscribi; dat, Benedicte, tibi.*

[a] *V. lib. 63. n. 91.*

Is quartanis febribus per menses fere sex vexatus, cum medicorum artem omnem incassum adhibuisset, demum ad sancti Benedicti reliquias deportatus, integram sospitatem recepit, testante Tortario. Ejusdem abbatis tempore Gillebertus monachus quæsturam concionatoriam ad reficienda ædificia exercuit, ex eodem auctore.

Galterius abbas Ferrariensis.

Tunc Ferrariensi sancti Petri monasterio præerat Galterius abbas, qui synodo Senonensi hoc anno interfuisse dicitur. Idem ante decem annos a Philippo rege diploma obtinuerat ad removenda monasterii sui gravamina, & anno sequenti privilegium ab Alexandro II.

LXXXIV. *S. Dionysii de Nogiomo monasterium datur Cluniaco.*

Ante aliquot annos Rotrocus Mauritaniæ comes, sancti Dionysii monasterium, quod pater ejus Gaufridus prope castrum Nogiomi [a] condiderat, ipse autem rebus suis multum auxerat, Carnutensi sancti Petri cœnobio contulit rogatu Landrici abbatis. Mortuo Rotroco, qui quidquid in auro & argento, vino & tririco habebat, monachis donavit, filii ejus occasione usi depositionis Hucberti [b] sancti Petri abbatis, cui vivens Rotrocus per Eustachium abbatem Nogiomensis ecclesiæ regimen commiserat, omnem annonam mutuarunt; & Beatrix uxor Gaufridi comitis, Rotroci filii majoris, quidquid auri & argenti in arce erat, præter unum calicem aureum, usurpavit. Compellentibus vero monachis ut ablata redderet, in tantam iram exarsit, ut eos inde expulerit, & Cluniacenses eorum loco substituerit, assentiente Gaufrido ipsius marito, cujus hac de re litteræ sic habent. *Ego in Dei nomine Gaufridus, castri Mauritaniæ comes, manifestum esse volo, quoniam ecclesiam sancti Dionysii, quam avus meus Gaufridus inter Gioginia fluvium, castrumque Nogiomi in Pertico fundavit, pater meus rebus suis magnifice auxit. Hanc autem ecclesiam ego Gaufridus dedi Deo & sancto Petro Cluniacensis cœnobii cum omnibus juribus suis* &c. His litteris adscripta sunt signa ipsius Gaufridi, qui hoc donum fecit, Richerii Senonensis archiepiscopi, Tetbaldi comitis, Beatricis uxoris Gaufridi, & Rotroci filii ejus. *Hanc vero chartam Gaufridus comes & uxor ejus Beatrix confirmavere in concilio Meldensi, cui domnus Hugo episcopus Diensis, domini papæ Gregorii vicarius; & domnus Amatus Oleronensis ecclesiæ episcopus, ejusdem domini papæ vicarius præfuere.* His subscripta sunt signa Aganonis episcopi Æduensis, Hugonis Lingonensis, Walteri Cabilonensis, Landerici Matisconensis, & Hugonis Nivernensis. Hæc cella hodie quoque Cluniacensibus subjecta est.

[a] *Nogent le Rotrou.*
[b] *V. supra n. 15.*

LXXXV. *Monasterium item S. Benedicti ad Padum.*

Sub idem tempus Mathildis comitissa monasterium sancti Benedicti ad Padum, quod a Tedaldo viro illustri ipsius avo conditum fuerat, beato Petro & sedi apostolicæ subjecit in manu Gregorii papæ, qui illud venerabili Hugoni abbati Clunia-

ANN. CHR. 1080.

censi, ejusque successoribus ordinandum commisit: Hugo vero illud Widoni abbati regendum dedit. Habes in Appendice hujusce voluminis Gregorianum hac dere diploma, *Hugoni venerabili abbati Cluniacensis monasterii, suisque successoribus* inscriptum, quibus curam prædicti monasterii, *consistentis inter litora Padi & Larionis fluminum*, unde Padolironensis vocabulum accepit, & ordinationem in perpetuum committit, ea conditione, *ut inde per singulos annos beato Petro & ejus apostolicæ sedi in præsentia Romani pontificis, aut ejus archilegati, Romæ, aut ubi ipse jusserit, octo diebus ante vel post kalendas Maii, una Romana uncia auri impensioni reddatur.* tum subdit pontifex Hugonem alloquens. *Verum quia tu dilectissime frater & abbas venerande, ad regendum illud monasterium de congregatione Cluniacensis monasterii, cui Deo auctore præesse dinosceris, fratrem Widonem nobis donasti, virum religiosum & prudenter edoctum, qui ibidem sacræ religionis formam atque doctrinam secundum regulam sancti Benedicti & vestræ conversationis consuetudinem edoceret, & Deo auxiliante institueret: ne hujus ædificationis vestigia in posterum deleantur, aut tui, frater, spiritualis germinis fructus per subrogationem alicujus extraneæ conversationis & infecundæ supplantationis aliquo deinceps tempore deficiat, vel occasione depereat; curam illius loci tibi, tuisque successoribus in perpetuum in nostra vice committimus, ut in ejus gubernatione atque custodia nostra sollicitudinis tu, omnesque successores tui & potestatem habeant, & studium procurationis impendant.* Denique decernit, ut mortuo ejusdem loci abbate, alius eorum diligentia subrogetur. Hoc diploma caret chronicis notis: at datum videtur hoc anno: tum quia Petrus abbas, qui Widonem præcessit, illi monasterio adhuc præerat anno M LXXVI. quo anno placitum [a] coram missis Beatricis comitissæ & filiæ ejus Mathildis super terris insulæ prædicti monasterii habitum est: tum quia Wido jam ejusdem loci abbas erat anno M LXXX. ut ex mox dicendis perspicuum erit. At non diu supervixit post hunc annum, siquidem Willelmus abbas jam anno M LXXXVIII. ipsi successerat.

[a] Probat. hist. monast. Padolir. p. 27.

LXXXVI. Pitverensis cellæ facta donatio.

Widonis abbatis mox laudati avunculi vel patrui erant nobiles viri, Hardericus clericus ecclesiæ Aurelianensis, & Isembardus miles ejus frater, qui agente Widone abbate nepote suo, prædictum *Sinaquis* dictum, aliaque, Cluniacensibus contulere, facto hac de re instrumento jussu Philippi regis, necnon Richerii archiepiscopi Senonensis, & Rainerii Aurelianensis episcopi, qui ibidem cœmeterium consecravit, & ædificandæ ecclesiæ primum lapidem posuit. His litteris subscribunt Guido seu Wido abbas & Gaufredus donatorum nepotes. Tempus factæ donationis discimus ex diplomate [b] Philippi regis, qui hanc donationem confirmavit. notum faciens, quod *quidam nobiles viri, Hardericus clericus sanctæ Aurelianensis ecclesiæ, & frater ejus Isembardus miles; & nepotes eorum, quidam videlicet Cluniacensis monachus, nomine Wido, abbas sancti Benedicti super Padum, & fratres ejus Gaufredus & Unibaldus*, aliique petierint, ut sibi liceret, *Cluniaco religioso monasterio*, cui domnus Hugo abbas præerat, alodum suum *Sinaquis* aliaque donare ecclesiæ prædicti monasterii super Vadum * Pitveris in honorem beatæ Mariæ & sanctorum apostolorum Petri & Pauli constructæ, & ab ipsis Cluniacensibus dotatæ, permittente Rainerio Flandrensi, qui tunc temporis ecclesiæ Aurelianensis episcopus erat. quam donationem rex confirmat. *Data per manus Rotgerii cancellarii*, VII. *idus Aprilis anno incarnati Verbi* M LXXX. *indictione* III. Eamdem donationem Ludovicus VI. & Johannes episcopus sæculo sequenti ratam habuere.

[b] Bibl. Clun. p. 529.

* Pivers.

Curvæ-villæ cella.

Eodem anno Girogius quidam, Curvæ-villæ in pago Carnutensi dominus, Majoris-monasterii monachos in ecclesiam ejusdem castri, ab Ivone genitore suo in honorem sancti Nicolai constructam loco canonicorum induxit, assentientibus Philippa conjuge sua, necnon Tetbaldo & Simone germanis suis. quod ratum habuit Hugo vicecomes, de cujus beneficio erant, & post eum Gaufridus seu Gosfridus Carnutensis episcopus, cum apud Pontem-Goëni versaretur.

LXXXVII. Fulcherius de Turre monachus.

Fulcherius de Turre, *vir secundum sæculum nobilis, amplaque terrarum possessione ditis, &, quod his majus est, moribus ornatus probis*, inter insignes Vindocinensis monasterii benefactores censendus, multa hoc anno, aliisque tum præcedentibus, tum subsequentibus illius loci monachis concessit; tandemque se ipsum Deo ibidem consecravit sub annum M XC. monasticam vitam professus.

Servi voluntarii oblatio.

Sollemne erat illis temporibus, ut, qui se se alicui ecclesiæ servos mancipabant, fune ad collum alligato se ad altare sisterent, sicque servos se perpetuos profiterentur. Hujus rei exemplum nobis hoc anno suppeditat quidam Ingelbaldus, vir a na-

ANN. CHR. 1080.

talibus liber & ingenuus, qui corporali morbo correptus, deplorata salute votum edidit, se, si convalesceret, Deo in Vindocinensi monasterio servum perpetuum addicturum. quod recuperata sanitate devote præstitit: *in cujus facti memoriam quatuor denarios de capitagio suo, sicut mos sacularis est talibus facere, super altare dominicum prædicti loci gratanter imposuit; funem quoque signi* seu campanæ *collo suo devote circumplicavit, & cartulam scribi in testimonium postulavit, manuque sua firmavit. Actum Vindocini in capitulo sanctæ Trinitatis, anno dominicæ incarnationis* M LXXX. *decimo kalendas Octobris.*

LXXXVIII. Johel Culturæ abbas.

Tunc temporis Cenomannense sancti Petri monasterium, quod olim Cultura-Dei, nunc absolute Cultura vocatur, regebat Johel abbas. Hunc forte ad Meldense vel quoddam aliud concilium, in Francia hoc anno celebrandum, cum Arnaldo ejusdem urbis episcopo, aliisque Nortmannorum episcopis & abbatibus invitaverat Hugo Diensis; sed cum illi non adfuissent, eos suspenderat Hugo. Interim Rainaldus quidam monachus Culturensem abbatiam invaserat. His acceptis Gregorius papa Arnaldum episcopum & Johelem abbatem litteris ad ipsum Arnaldum scriptis [a] restituit; aliasque hac de re scripsit ad ipsum Hugonem episcopum, quibus significat ad « se perlatum fuisse, quod ejus religio omnes Nortmannorum pontifices, præter Roto- « magensem, ipsumque Culturensem abbatem, quem pontifex ipse restituerat, ad con- « cilium invitatos suspenderit: quos non tam inobedientia, quam metus regis Fran- « corum, quia secure venire non poterant, abesse coëgerat. tum eumdem monet, ut mi- « tius agat cum Willelmo Anglorum rege, qui, licet in quibusdam non ita religiose se « habeat, tamen ecclesias non destruat nec vendat, immo pacem & justitiam colat. Quam « ob rem jubet pontifex, ut Hugo prædictis episcopis & abbatibus, non prætermisso « Culturensi abbate, litteras restitutionis mittat. Posterior hæc epistola caret chronicis notis, quæ ex priori ad Arnaldum episcopum supplendæ sunt, *data Romæ octavo kalendas Maias, indictione tertia.* Johel abbas is est, qui tum monachus librum de vita sancti Nicolai scripsit, ut superius vidimus.

[a] Greg VII. lib. 7. ep. 22. id. lib. 8. ep. 3. V. lib. 9. ep. 5.

LXXXIX. Dolensium lis cum episcopo Lemovicensi.

Paullo ante, id est ipsis kalendis Aprilis, idem pontifex scripsit ad Dolenses pagi Bituricensis monachos super querelis, quas de illis Guido Lemovicensis episcopus in Romana synodo fecerat, quod ecclesiæ suæ duo monasteria subtraxissent. qua de re ad duo concilia vocati ab Hugone Diensi episcopo, suoque legato, non tamen comparuissent. Quapropter synodalis conventus decreverat, ut duo illa monasteria Lemovicensis ecclesia usque ad legati adventum possideret. quod pontifex observari præcipit. Quænam sint duo illa monasteria, & quid inde consecutum sit, nobis incompertum.

Auriliacensibus cella Dalmaraci restituta.

Alia controversia eodem tempore agitata est Pezanenses inter atque Auriliacenses monachos super cella beatæ Mariæ de Dalmaraco seu Dalmairaco, quas utrique sui juris esse contendebant. Pezanense seu Pecianense antiquum monasterium est, de quo alias egimus, situm in suburbio Ausciorum, qua in diœcesi cella Dalmaraci * consistit. Auriliacense seu Aureliacense nobile cœnobium est apud Arvernos, sæpius quoque in superioribus laudatum. Hanc cellam ad se pertinere asserebant Pecianenses ex donatione Arnaldi-Willelmi vicecomitis, qui eam omnino destructam instauraverat, & Pecianensi monasterio sancti Michaëlis, atque Raimundo abbati ejusque monachis contulerat. quo ex tempore Pecianenses eamdem cellam per annos sexaginta, nullo reclamante, possederant: dum Aureliacenses eam in Burdegalensi concilio, in præsentia Amati S. R. E. legati illam repetierant. Verum Amatus, ratione habita multarum expensarum, quas Pecianenses in ejus instaurationem contulerant, ipsis hanc cellam adjudicaverat, eo pacto, ut Dodo abbas pro illa ecclesia quinque solidos quotannis Romanæ ecclesiæ persolveret, per quam eam teneret ac possideret, confirmante Ausciensi archiepiscopo. Verum contra hoc judicium reclamarunt Aureliacenses, qui hanc cellam ab antiquis retro temporibus sibi subjectam fuisse contendebant. Re ad legatos apostolicos denuo relata, Willelmo Ausciorum archiepiscopo hoc negotium commissum fuit, eique injunctum, ut justitiam faceret Petro abbati Aureliacensi contra Dodonem Pecianensem, qui ex longo tempore hanc ecclesiam occupaverat. quod cum Willelmus exsequi supersederet, acres ad eum litteras [b] scripsit Gregorius, quibus hanc ecclesiam Aureliacensibus restitui sub interminatione interdicti præcipit.

* *Dalmeyrac.*

[b] *ibid. ep.* 18.

Aliæ ejusdem pontificis litteræ [c] exstant ad Bituricenses, Narbonenses & Burdi-

[c] *ibid. ep.* 19.

ANN. CHR. 1080.

galenses archiepiscopos in gratiam eorumdem Auriliacensium monachorum, conquerentium de Berengario Carlatensi vicecomite, qui debitum servitium & fidelitatem abbati exhibere detrectabat, nisi beneficium, quod immerito detinebat, adhuc de jure abbatiæ augeretur. Hinc ait pontifex se abbati injunxisse, ut nulli militum, sive quibusvis aliis, præter unum mansum ex illa abbatia in beneficium daret, nisi communis utilitas fratrum postulasset. Insuper jubet, ut monasterium Maurzicense, cum suis adjunctis, necnon ecclesiæ Dalmairaci & Montis-Salvii, aliæque Aureliacensibus restituantur: monasterium vero Viacense, a principibus ipsius terræ in manu abbatis refutatum, eidem confirmat; ac demum eis, qui ablata restituere noluerint, signanter Berengario, Dei & beati Petri indignationem comminatur. Utraque hæc epistola data est Romæ secundo idus Aprilis, indictione tertia.

XC. Maimacum monasterium conditur.

Sub idem tempus conditum est Maimacum monasterium in finibus diœcesis Lemovicensis versus Arvernos prope Ventadorum, inter Vezerum & Dordoniæ fluvios situm. Ejus auctorem esse constat Archembaldum vicecomitem Combornensem in piaculum, ut ajunt, cædis Tutelensium monachorum, & ab ipso conditore subjectum abbatiæ Usercensi. Exstant in hujus abbatiæ archivo testes hac de re litteræ, in quibus Archembaldus sic Maimacensis monasterii originem ac progressum describit. *Ego qualiscumque vicecomes Archembaldus, cognoscens cujus esset periculi res ecclesiasticas possidere, adii Guidonem Lemovicensem pontificem, petiique tam clerum ejus quam ipsum, ut ecclesiam de Maimac, quam de eo in fevo tenebam, liceret mihi ordini monastico deputare: sed obtinere non potui, nisi ecclesiam de Orgiac, quam de ipsis similiter in beneficium habebam in Castellania de Comborn, & quam multum appetebant, redderem, quod & feci.* Maimacensis ecclesiæ libertatem adeptus vicecomes, eam Geraldo Uzercensi abbati, ejusque monasterio subjecit; Guido vero episcopus eamdem ecclesiam Geraldo abbati ordinandam commisit. Hæc omnia consensu suo approbarunt Rotberga Archembaldi mater, ejusque conjux Ermengardis, necnon Bernardus ejusdem frater & filius Ebolus. Sunt & aliæ ejusdem Archembaldi hac de re litteræ, anno MLXXXV. datæ, in quibus Archembaldum patrem suum vocat, fratres vero Ebolum & Bernardum: quibus litteris Gauzbertus abbas Tutelensis subscribit. In utrisque litteris Hermengardis *uxor quondam ipsius* dicitur, tametsi adhuc vivens, quæ quidquid juris in ecclesia Maimacensi habebat, totum sanctæ Mariæ, quæ monasterii patrona est cum sancto Leodegario, liberaliter donavit. Hoc monasterium non multo post in abbatiam conversum fuit, & peculiares abbates habuit, habetque hactenus, congregationi nostræ subjectum, non vero Uzercense, de quo in superioribus egimus.

XCI. Abbates Uzercenses, Tutelenses & Sollemniacenses.

De Richardo Uzercensi abbate actum est superius, cui Constantinus abbas pietate insignis successit, Constantino Geraldus superius laudatus, qui sancti Martialis monachus fuerat. Hic regulam a suis strictissime observari curavit, sæculari modo viventes vicecomiti Seguriensi in vincula conjiciendos tradidisse fertur: quo exemplo cæteri territi, rectius mores composuerunt, adeoque excreverunt eo abbate, ut ad centum fratres ibidem exstitisse dicantur. Idem abbas monasterium ædificiis ac possessionibus auxit, ecclesiam fere totam refecit, quam ab Urbano II. consecrari rogavit; sed quid inde consecutum sit, suo loco videbimus.

Post Adacium abbatem, cujus alias mentio facta est, Tutelense monasterium rexit Frudinus seu Frodinus, uti & Bellilocense *, sub quo Tutelæ vigebat disciplina regularis. Id argumento est, quod Hilduinus Lemovicensis antistes monachos inde accersivit, quibus cœnobii sancti Martini Lemovicensis curam commisit, eisque abbatem Radulfum *de Chantemioule*, Tutelensem monachum præfecit. Frodino successit Gauzbertus abbas, qui Archembaldi litteris, ut modo vidimus, pro Maimaco subscripsit. De Willelmo ejus successore alias agendum.

* V. lib. 56. n. 100.

Geraldo Sollemniaci abbati, qui Lemovicensibus conciliis pro sancti Martialis apostolatu interfuit, subrogatus est Adalfredus, laudatus in litteris Geraldi de Bonavalle, anno MLV. datis. Hunc excepit Guido seu Wido abbas, cujus tempore Gaucelinus de Petra-Buferia monasterium sanctæ Crucis ejusdem loci Sollemniacensibus commisit sub annum MLXX. Guidoni suffectus fuisse videtur Gauzbertus Uzercensis abbas, cui Sollemniacense monasterium commissum fuisse dicitur. Abbatum ejus loci obscura dein successio usque ad sæculum subsequens.

XCII. S. Fermerii monasterium S. Florentio subjicitur.

Extat in diœcesi Vasatensi sancti Fermerii * monasterium, haud longe a Droto fluvio

* S. Ferme.

vio & opido Liburnæ * positum, quod a quodam Fremundo Burdigalensi conditum ferunt. Cum illic prolapsa esset monastica disciplina, & monachi solutius viverent; Raimundus Vasatensis episcopus & Raimundus de Gentiaco hoc cœnobium cum rebus suis tradidere Salmurensi sancti Florentii monasterio & Willelmo abbati ejusque monachis, *pro emendatione vitiorum monachorum in eodem loco male viventium, ad cellam & quidquid voluerint agendum. quod donum Wido comes Pictavensium Burdigalis in turre sua concessit*, id est confirmavit. Actum anno ab incarnatione Domini M LXXX. Hoc monasterium ad hunc diem proprios habet abbates.

* Liburnæ.

XCIII. Leothericus monachus Cormaricensis.

Hoc fere tempore in Cormaricensi apud Turones monasterio florebat Leothericus, patre Mainardo, matre Anseisa in vico Sanceiaco apud Senones natus. Militiam primo sectatus, dein ea relicta Romam orationis causa profectus est; indeque reversus, in Lotharingiæ solitudinem secessit. Tum dæmonis insidiis ac dolis ex ea egressus, denuo Romam adit, ac Jerosolymam proficisci statuit. Verum nave conscensa ex eo itinere ob vitæ discrimen revocatus, in patriam reverti cogitat. Inops rerum omnium, cum necessaria vitæ subsidia in reditu emendicare cogeretur, Cormaricum venit. Forte eo die Cœna Domini celebrabatur, quo die Christi exemplo tribus pauperibus manus & pedes illic abluere mos erat. Ex tribus monachis, qui id officii pauperibus exhibebant, unus erat Christienus nomine, qui aliquando Leothericum noverat. Huic dum manus lavat (unus quippe ex tribus pauperibus erat) hominem agnoscit. Id ubi Guidoni abbati renuntiavit, Leothericum hortatur abbas, ut illic sacris beati Benedicti se initiaret. Id se facturum pollicetur, ubi primum patriam & parentes revisisset. It, redit, monachum profitetur, professus eleemosynarii officium exsequitur. Verum, cum totum se contemplationi dare vellet, ad vicum Anchiacum, qui juris monasterii est, se recepit: ubi, subtractis sibi quibuslibet cupediis, nihil sibi reliqui fecit, præter fructus, crudasque herbas, & aquam, jejunio sibi perpetuo indicto, cilicio corpori semper adhærente, pro lecto nil nisi sagum & cilicium habens. Veduntam * inde in villam a Guidone abbate accersitus venit, ubi templum beato Petro nuncupatum erat. illic e vita excessit vir beatus XVIII. kalendas Octobris, anno post Christum natum M XCIX. humatus in cœnobio Cormariceno, in sacello beati Nicolai, quem miraculis claruisse testatur Joachimus Perionius, ejusdem loci doctissimus cœnobita, qui ex antiquiori auctore ejus vitam excerpsit. Nullo cultu publico hactenus honoratus est Leothericus: at loculus ejus lapideus, qui in navi ecclesiæ pæne concisus cernitur, a vicinis populis frequentari solet.

* Ventt.

XCIV. S. Cypriano privilegium datum.

Dum Pictavense sancti Cypriani monasterium regeret Rainaldus abbas, sæpius jam a nobis laudatus, Gregorius papa hoc anno amplissimum ei privilegium indulsit, quo monasterii privilegia, jura, & possessiones confirmantur, malæ consuetudines rescinduntur, præcipue epulæ in festo sancti Cypriani a clericis illic non sine scandalo fieri solitæ, de quibus ita pontifex pronuntiat. *Insuper apostolica auctoritate interdicentes licentiam clericis Pictavensibus auferimus exigendi illam pestiferam in festivitate sancti Cypriani consuetudinem pastus, de qua sæpe sanguinis effusionem natam esse audivimus. Iniquum enim & monasticæ religioni omnino videtur contrarium, ut pro refectione unius diei tantum scandalum oriatur, & Deo servientium quies inturbetur monachorum* &c. *Datum Laterani sexto kalendas Aprilis per manus Petri S. R. E. presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, anno septimo pontificatus domni Gregorii papæ, indictione tertia.* Ejus tempore Airaldus *de Montoiron*, monachum illic professurus, alodum suum, quod vocatur *Bellefont*, cum ecclesia ejusdem in honorem sancti Hilarii constructa, aliaque monasterio tradidit *in manu Rainaldi abbatis*, qui ipsum monachum *ordinavit*.

XCV. S. Eparchii abbatia Angeriaco subjecta.

Circiter idem tempus Fulco Engolismensium comes *concessit atque donavit Deo, sanctoque Johanni Angeliacensi in manu Odonis ejusdem angelicæ congregationis abbatis, suisque successoribus abbatiam sancti Eparchii regulariter ordinandam, volente & annuente abbate Cluniacensi domno Hugone, cui jam donum & chartam de eadem abbatia fecerat.* Id factum consilio & assensu fratris sui Ademari episcopi, necnon & procerum suorum, Alonis scilicet de Monte-Morelli, Iterii Cogniacensis & aliorum, & quidem eo pacto, ut primus illius loci abbas pro libito & voluntate prædicti Odonis abbatis eligeretur: subsequentes vero idem Odo ejusve successores cum consilio comitis & episcopi, eorumque optimatum, e claustro sancti Eparchii eligerent, si quis illic ad id idoneus repertus fuisset; sin autem, de cœnobio sancti Johannis. Quod si

AN. CHR. 1080.

» Angeliacensis congregatio a regulari disciplina excidisset, e Cluniaco abbas, aut quo- » vis alio loco assumatur. Hujus rei confirmationem Ademarus episcopus ab Urbano II. postmodum obtinuit, eamdemque abbatiam resignavit in manu Ausculfi abbatis Angeriacensis, Odonis successoris, qui Ausculfus in præsentia ipsius episcopi, omniumque canonicorum, Hugonem Angeriacensem monachum in monasterio sancti Eparchii abbatem ordinavit. Non diu tamen hæc unio duravit.

Brantosimum Casæ-Dei.

Tunc temporis Brantosmense monasterium a pristina religione ita defecerat, ut fere ad nihilum redactum esset. quod animadvertens Helias Petragoricensium comes in cujus potestate erat, illud Seguino Casæ. Dei abbati in melius reformandum hoc anno commisit. Instrumentum hac de re confectum sic habet. *Ego Helias comes Petragoricensium, gehennales pœnas abharrescens, & electis Dei me optans sociari, monasterium sancti Petri apostolorum principis, sanctique Innocentis Sicarii, quod nuncupatur Brantosma, quod modo mea ignavia minime regulariter degit, sed abusione habitantium fere ad nihilum redactum est: sub meo jure retinere timui, ac vitiis eorum favere. Ideoque consilio domni Guillelmi de Monte-Berulfa*, Petragoricæ sedis episcopi, & cleri ipsius, Siguino abbati Casæ Dei & successoribus suis tradidi ordinandum,* &c. *Facta fuit donatio ista anno incarnationis dominica* M LXXX. sortita effectum anno sequenti. Odo primus ab instaurata disciplina abbas videtur fuisse, qui cum Bosone abbate Stirpensis ecclesiæ societatem suffragiorum iniit.

* Montberon.

XCVI. Silvæ-majoris cœnobium conditur. a lib. 64. num. 125. & seqq.

Idem annus insignis est ortu Silvæ-majoris monasterii, quod sanctus Gerardus abbas tunc construere cœpit. Hic abdicata, ut superius [a] diximus, sancti Vincentii Laudunensis præfectura, pulsus dein ex abbatia sancti Medardi, lustratis obiter sancti Dionysii apud Parisios, & sanctæ Crucis apud Aurelianos ecclesiis, necnon tumulo sancti Martini apud Turones, Pictavorum urbem cum sociis adiit. Illic a Guidone-Guillelmo Aquitaniæ duce benigne acceptus, inde per Radulfum Burdigalæ præpositum deductus est ad locum, qui olim Altus-villaris seu Silva-major dicebatur, inter duo maria, id est Dordoniam & Garumnam, septem a Burdigala leucis, positum, ubi in amœno colle monasterium conditum est. Fundum Gerardo facile concessere ejus possessores, Autgerius de Riontio, Olivarius de Turre, aliique: quos inter matrona quædam, nomine Ermengardis de Gistris, partem quoque suam ei donavit. Hæc paullo ante cuidam Malliacensis cœnobii monacho, solitariam vitam ducere cupienti, ibidem habitandi spatium concesserat: sed cum ei locus displicuisset, hic alio secessit, relicta capella, quam illic exstruxerat. is, comperto totum istum locum, ne excepta quidem sua particula, Gerardo collatum fuisse, ad Drogonem abbatem suum properat, eique rei gestæ seriem explicat. Mox abbas ad concilium, anno superiore Burdigalæ celebratum pergit, ac de Gerardo, tamquam possessionis suæ invasore, querimoniam facit. *At nos*, inquit Gerardus ipse qui hæc refert, *magis volentes omnia relinquere, quam quidquam cum lite retinere, quippe qui nostra dimiseramus; pro acquirenda pace rogavimus domnum Amatum Romanum legatum, ac domnum Guillelmum, magnæ memoriæ Aquitaniæ ducem comitemque Pictavensem, cujus consilio & auxilio in prædicto loco remanseramus, quatinus illi ab ipso abbate impetrarent, ut ipsam particulam nobis cum pace dimitteret, unde videlicet nihil proficuus haberet; nec magis ibi ferarum, quam hominum ac Deo servientium habitationem diligeret.* Verum respondit abbas, se id citra fratrum monasterii sui consensum facere non posse. Tunc Amatus ipse Malliacum adit cum Letherio monacho, uno ex Gerardi sociis, fratresque rogat, ut jure suo cedant. Hi primum tergiversari, reluctari: sed tandem convicti ratione, quod a caritate abhorreret, id ad Dei servitium denegare, ex quo nihil proventus acciperent, assensum præbuerunt, & quidquid in illo prædio sibi competeret, agente Amato cardinale legato, liberum dimiserunt.

XCVII. Ejus libertas probata in concilio Burdigalensi.

His actis, Goscelinum Burdegalensem archiepiscopum, in cujus diœcesi positus erat locus, convenit Gerardus, ut ab eo novi monasterii libertatem obtineret. Petenti facile annuit antistes, eique amplissimum contulit privilegium, quod in concilio Burdegalensi hujus anni confirmari curavit. Rem totam itidem Gerardus ipse commemorat, ex quo ea, quæ magis in rem nostram faciunt, paucis referemus. Obtento, ut mox dicebamus, Silvæ-majoris loco, *cum ibi vellem*, inquit Gerardus, *incipere monasterium, perrexi ad domnum Goscelinum Burdegalensem archiepiscopum, in cujus episcopatu prædictum erat alodium, ejus quidem rogaturus beneficium. qui, interveniente præfato duce, jam inceptum monasterium ita omni donavit libertate, ut nec ipse,*

nec alius post eum non archiepiscopus, non archipresbyter, non cujuslibet ordinis persona, aliquod in eo jus vel dominationem possit habere: quatinus ibi degentes monachi, absque ulla inquietudine libere possent Deo servire. Sed & hoc stabilitum est ab ipso, eodem precante Willelmo, ut si quando, disponente Christo, villa creverit; nihilo minus in ea archiepiscopus, vel quilibet minister ejus, quidquam habeat juris nec in clericis, nec in laicis; sed omnia referantur ad abbatis dispositionem, vel congregationis: ita ut tamen *ecclesiarum consecrationem, sacrosque ordines, vel chrisma ab archiepiscopo accipiamus, cum necesse fuerit. Hæc constitutio iterum ab eodem firmata est in proximo concilio, præsentibus Romanis legatis, Hugone atque Amato, multoque aliorum episcoporum collegio.* Hinc, *consulente domno Amato constituimus, ut hoc cœnobium solummodo Romanæ foret ecclesiæ subjectum, obque sui tutelam domno apostolico singulos annos solveret munus quinque solidorum.* Ad abbatis officium quod attinet, illud detrectabat Gerardus ob decrepitam ætatem, & *minus utilis*, ut ipse sentiebat, *meliori cedere* cupiebat. *Verum domnus Amatus a nostris*, inquit, *rogatus fratribus, licet totis resisterem viribus, tamen mihi ex parte domni apostolici testatus obedientiam, eorum commendavit providentiam.* Hæc ille. *Acta est vero supradicta confirmatio Burdigalensi civitate in concilio, anno ab incarnatione Domini* M LXXX. *indictione* III. *pridie nonas Octobris, octavo anno septimi Gregorii papæ, Philippo in Francia regnante.* His adscripta sunt signa Willelmi Aquitanensis ducis, Amati & Hugonis apostolicæ sedis legatorum; Goscelini Burdegalensis, Rodulfi Turonensis, & Willelmi Auxiensis archiepiscoporum; ex episcopis, Bosonis Santonensis, Ademari Engolismensis, Willelmi Petragoricensis, Raimundi Vasatensis, Hugonis Bigorrensis, Donaldi Agennensis & Petri Adurensis; ex abbatibus, Odonis abbatis sancti Johannis Angeriacensis, Drogonis Malliacensis, Rainaldi sancti Cypriani Pictavensis, Bertrandi sancti Juniani Nobiliacensis, Hildeberti Nantuliacensis, & Fulcradi sancti Salvatoris, scilicet Carrofensis. Eodem anno circumpositæ regionis viri nobiles civilem quoque libertatem, *Salvamentum* vocant, eidem asceterio concesserunt: *ut scilicet nemo, præter abbatem & monachos, in toto alodio ad eamdem ecclesiam pertinente, quidquam juris vel dominationis, sive advocationis in ulla prorsus re habeat.* quæ libertas denuo asserta est sub Gaufrido ejus loci abbate sexto. Unus e præcipuis Girardi fautoribus ac benefactoribus fuit Guillelmus-Guido Pictavorum comes ac dux Aquitanorum: cui ut gratum se præberet Gerardus, cum omni fratrum collegio decrevit, ut pro eo singulis hebdomadis [a] *specialis missa* caneretur, & « una quotidie præbenda, ut cuilibet fratrum, pro eodem pauperibus erogaretur. quod « etiam post ejus mortem observari, quamdiu steterit Silvæ-majoris ecclesia, præcepit. «

[a] V. Append.

XCVIII. Monasterii conditi tempus, & socii S. Gerardi.

Ceterum sancti Gerardi istuc adventus contigit superiori anno M LXXIX. altero vero anno monasterium construi cœptum est, non anno M LXXVII. ut fallit chronographus Maxentianus. Id enim diserte habet anonymus subæqualis in libro de ejus vita. *Anno ab incarnatione Domini* M LXXIX. *cum sociis suis venit domnus Gerardus in Silvam-majorem, in festivitate, ut fertur, apostolorum Simonis & Judæ: in secundo anno inceptum est monasterium, quinto scilicet idus Maii, in honore Domini & beatæ Mariæ virginis, & sanctorum apostolorum Simonis & Judæ.* quod de anno M LXXX. intelligendum esse arguitur ex præmissa Geraldi notitia, qui inceptum monasterium dicit, antequam ejus libertatem in concilio Burdegalensi obtineret.

Gerardi hoc in opere socii & adjutores octo fuere, qui eum e Francia in Aquitaniam secuti sunt. Ex his tres priores sancti Vincentii monachi sub eo fuerant: alii quinque adhuc laïci, eum ut magistrum & patrem pro Dei amore comitati erant. Tres illi priores fuere Martinus, qui postea monasterium sancti Dionysii prope Montes Hannoniæ rexit: secundus Ebroïnus, qui ex milite factus monachus, deinde inclusus usque ad mortem strenue pugnavit, VIII. idus Julii laudatus in Silvensi necrologio, ubi *bonæ memoriæ socius beati Geraldi dicitur*: tertius fuit Alerannus ipsius Geraldi nepos, & tertius Silvæ-majoris abbas.

Ex aliis quinque primus fuit Berlegius Francigena, ex urbe Noviomo nobili genere ortus, castellani ipsius civitatis germanus: qui relictis litterarum studiis, militiam secutus adolescens, diu in ea se exercuit: sed tandem divinæ gratiæ inspiratione afflatus, arma deseruit, & lacrymarum fonte ablutus, omnibus quæ possidebat, abdicatis, Gerardum, immo Christum secutus est. Alter fuit Wido, Monte-Laudnno [*] civitate oriundus, miles episcopalis ac prædives, vir multæ virtutis & probitatis. Tertius Tezzo, strenuus in sæculo miles, sed in Christi militia exercitatior,

[*] Laon.

ANN. CHR. 1080.
* Coucy.

ex castro Codiciaco * in pago Laudunensi ortus. Quartus Valterus, & ipse Lauduni natus, vir militaris in omnibus operibus suis valde moderatus. Quintus denique Litherius, itidem Laudunensis, promtus ad omne opus bonum & ad omnes beneficiis sibi demerendos. Hi omnes ea quæ sæculi sunt pedibus calcantes, de terra & cognatione sua egressi sunt, ut Christum sequerentur; ex strenuissimis militibus facti silvarum exstirpatores; & qui prius pretiosis vestibus induti erant, postea vilissimis induti vestibus sordebant. His omnibus exemplo prælucebat vir Dei Gerardus, cujus fama ita per diversas regiones respersa fuit, ut multa sub ejus magisterio cœnobia variis in locis condita sint, non modo in Gallia, sed etiam in Hispania: qualia fuere in Belgica secunda sancti Dionysii prope Montes Noveiense, aliaque, de quibus agendum suis locis.

XCIX. Carrofenses & Nantoliacenses abbates.
a lib. 58 n. 20. & 21.
b Supra n. 97.

Post Fulcherium Carrofensem abbatem, qui Vindocinensis ecclesiæ dedicationi [a] anno M XL. interfuit, nullum invenio ejus loci abbatem ante Fulcardum seu Folcardum, quem concilii Burdigalensis actis subscripsisse paullo [b] ante vidimus. Idem quippe mihi videtur esse Fulcaudus abbas, cujus tempore, id est anno M LXXVII. rex Philippus Carrofensium possessiones confirmat. Eodem Fulcardo abbate habitum est apud Carrofum concilium, in quo inventæ & demonstratæ dicuntur reliquiæ, & quoddam altare dedicatum, ex chronico Maxentiano, nimirum post instauratum monasterium, quod antea incendio corruptum fuerat. Ad annum saltem M LXXXVIII. pervenit Folcardus, quo Burdegalensem pontificatum iniit Amatus. Id vero discimus ex Carrofensi chartario, in quo hæc verba: *Folcardus abbas Carrofensis, & Albertus comes Marchiæ, defensor monasterii, sanctam Crucem diu tectam visitant. quo audito, eo veniunt Amatus Burdegalensis, Guido Lemovicensis, & Almarus seu Ademarus Engolismensis episcopi.*

Nantoliacense sancti Benedicti monasterium, prope castrum Rocæ Fulcaldi apud Pictones itidem positum, jam exstabat ineunte sæculo undecimo, quo tempore Abbo Floriacensis abbas, Regulæ cellam aditurus, per Carrofense monasterium *ad Nantoliacum devenit cœnobiolum, in honore sanctissimi patris Benedicti fundatum*, inquit Aimoinus. Huic loco præerat Petrus abbas anno M XL. quo Vindocinensi dedicationi cum Fulcherio Carrofensi interfuit. Hoc cœnobiolum primo commissum fuit Salmurensi abbatiæ [c] per Ademarum de Roca-Fulcaldi, qui ejus instaurator fuisse creditur; dein Pictavensi sancti Cypriani monasterio per Gumbaldum Burdegalensem archiepiscopum pontificatu Lucii II. in vulgatis indicibus omissum, ut suo loco demonstrabimus.

c V. lib. 60. n. 66.

C. Ebroilo facta donatio.

Præter Jerosolymitanam & Romanam celebris erat per id tempus peregrinatio ad templum sancti Jacobi, quod in Gallicia Hispaniæ provincia magno etiam tunc fidelium concursu frequentabatur. Illuc orationis causa profectus hoc anno quidam nobilis Arvernus Arno de Velcia cum aliquot sociis, in reditu gravem in morbum incidit, seque in obvium sancti Severi monasterium, quod in capite Wasconiæ ob situm vocant, deferri præcepit. Cum se morti proximum sentiret, convocatis ad se militibus peregrinationis suæ sociis, scilicet Claudio de Calviniaco, Arnaldo a Laima & Rogerio de Calviniaco, sancto Leodegario ac monachis cœnobii Ebroïlensis, quod in ejus patria situm erat, donationem fecit cujusdam silvæ ad se pertinentis prope villam Chambariacum & ecclesiarum Velciacensium, eisque hanc eleemosynam commendavit, remissis insuper nonnullis consuetudinibus, quas in opido Ebroïlo exigere solebat. Hanc vero donationem post ejus mortem ratam habuerunt uxor ejus filiique in capitulo Ebroïlensi coram Willelmo abbate, & tota congregatione: abbas autem & monachi *beneficia loci & duos annuales* mortuo concessere, ejusque nomen *in martyrologio inter nomina fratrum* adscripsere, statuto insuper eidem anniversario perpetuo, cum erogatione panis & vini uni pauperi facienda. Jam non semel in superioribus laudatus [d] est Willelmus Ebroilensis abbas, cujus successor, haud scio an proximus, Theodardus abbas, suo loco memorandus.

d lib. 64. n. 14. & 74.

CI. Bernardus ex monacho episcopus Aquensis.
* de Mucron.
* d'Acqs.

Quod attinet ad prædictum sancti Severi monasterium, ubi Arno ille decessit, in ejus loci chartaceo codice laudatur Bernardus de Mugronio * ejusdem cœnobii monachus, ex nobili Mugroniensium genere, qui hoc anno factus dicitur episcopus Aquensis *, *vir magnæ probitatis*, ex eodem chartario, cui consentit quodam modo charta Aquensis, in qua *vir miræ abstinentiæ* dicitur, *sed mollis & timidus in juris sui defensione*, nempe quod quemdam ecclesiæ suæ fundum facilius cessit, idque etiam

ſcripto confirmavit. quod in conventu epiſcoporum, apud monaſterium Regulæ in Benearnia convocato, reſciſſum fuit. Litem quoque cum eo habuit Augerius, alterius Regulæ prior, ſuper cella ſancti Capriaſii de Pontonis, quam Aquenſis eccleſia, in cujus diœceſi ad Aturim * fluvium ſita eſt, injuſte poſſidebat. Ejus rei querela poſt aliquot annos relata ad concilium Burdigalenſe, cui Bernardus epiſcopus intererat, hæc cella Floriacenſi abbatiæ, ad quam Regulæ monaſterium ad Garumnam pertinet, reſtituta judicio Amati ſedis Apoſtolicæ legati, necnon archiepiſcopi Burdigalenſis, aliorumque epiſcoporum, qui eidem concilio interfuerunt. Charta ſynodalis hac de re facta, qualis penes nos eſt, deſtituta eſt chronicis notis; at referenda videtur ad annum M LXXXIV. ut ſuo loco videbimus. Hæc ſancti Capraſii cella condita dicitur paullo poſt medium ſæculum decimum a Torto ſeu Arre-forti vicecomite Tarticenſi, & Amalberto Floriacenſi abbati commiſſa, nunc redacta in ſimplicem, ut vocant, prioratum.

* l'Adour.

CII. S. Pontio Tomeriarum facta donatio.

Poſtea quam ex Hiſpanica legatione [a] reverſus erat Frotardus ſancti Pontii Tomerienſis abbas, eidem monaſterio munificum ſe exhibuit Guillelmus Toloſæ, Carcaſſonenſium & Albigenſium comes & dux. Hic enim multa Deo, beatæ Mariæ & ſancto Pontio martyri, ac domno abbati Frotardo, ejuſque monachis contulit in epiſcopatu Albigenſi *pro anima Pontii comitis & patris ſui Guillelmi & matris ſuæ Adelmudis*, ut fuſe legitur in charta donationis factæ anno ab incarnatione M LXXX. & quidem XVI. kalendas Julii: cui chartæ poſt donatores adſcripta ſunt ſigna Raimundi comitis, fratris ipſius Guillelmi, Bertrandi comitis, ejuſdem Guillelmi ex Raimundo fratre nepotis, multorumque aliorum. Haud ſcio an is ſit Raimundus Rutenenſis, Gabalitanus, necnon Narbonenſis, aliorumque locorum comes, qui univerſas ſancti Pontii poſſeſſiones, in variis ſui juris epiſcopatibus ſitas, eidem Frotardo abbati poſt annos quinque confirmavit, promittens, ſe deinceps adjutorem & defenſorem fore illius loci monachorum. Superſtes fuit fere ad hujus ſæculi exitum Frotardus abbas: cujus tempore multi nobiles filios ſuos Deo illic obtulerunt; in his Sancius Aragonum rex filium ſuum Ranimirum, ut ſuo loco dicturi ſumus.

a ſupra n. 19.

CIII. Turbæ in Monte-majori.

Poſt ſcriptas anno ſuperiori [b] a Gregorio papa litteras ad epiſcopos & principes Arelatenſis provinciæ pro reſtitutione bonorum Montis-majoris monaſterii, quæ quidam ſacrilegi homines invaſerant; ingentes motus ibidem exorti ſunt occaſione Bermundi abbatis, qui ejus loci præfectura privatus fuit, Guillelmo abbate in ejus locum ſubſtituto. Id diſcimus ex quadam epiſtola nondum edita comitis Arelatenſis ad Gregorium VII. in qua totius negotii ſumma exponitur. Hæc epiſtola ſic habet.

b ſupra n. 73.

Sublimiſſime domine & princeps totius orbis terræ, ſi bene vales, congratulor valde; ſi autem, quod abſit, aliter, conturbor vehementiſſime. Ego enim ſum veſtri ſervus, & de injuſtitia, quam hactenus paſſus eſtis ab iniquo judice, ita ſum afflictus, quaſi corpore & mente flagellis maximis verberatus. De cetero, pater ſanctiſſime, mando tibi, qualiter Bermundus abbas ſancti Petri & Ri * *Montis-majoris abbatia expulſus ſit juſte, & qualiter ipſe ſucceſſerit, quem tibi mitto, Guillelmus nomine. Ille namque tanti erat flagitii & tantæ impudicitiæ, quod pudet me alicui honeſto viro dicere..... & inde ab ullo vivente corrigi non poterat. Ego quoque & monachi ſupra dicti loci deteſtabilem hujuſmodi rem agnoſcentes, nequivimus diu pati: ſed, conſilio invicem habito, audivimus archipræſulem* * *Lugdunenſis urbis, qui ei benedictionem tribuerat abbatis, & cujus conſilio atque judicio abbatiam, quam ab archiepiſcopo* * *Arelatenſi a te anathemate percuſſo, ſimoniace acceperat, amiſit; & hic qui nunc præeſt, paullo ante memorati pontificis decreto regulariter ſubrogatus eſt ei, atque benedictionem ab eodem accepit. Nunc ergo ſupplex imploro tui clementiam, ut propria manu abbatiam a te ſuſcipiat, & privilegia, olim loco illi, qui eſt tuæ ditionis, a patribus indulta, corrobores manu propria, & novum ſibi privilegium tui ex parte attribuas. Noſtis enim quemadmodum dereliquerim, Dei & ſancti Petri & Ri ac tui pro amore, omnes epiſcopatus & abbatias: & nolo ut hæc, quæ ſemper manſit libera, cuilibet viventi, niſi ſancto Petro & Romanæ eccleſiæ & tibi ſubjaceat. Valete.*

* an Benedicti.

* Gebuinum.

* Aicardo.

CIV. Montis-majoris & Craſſæ reformatio.

Quid comiti reſcripſerit Gregorius, incertum: at ex conſequentibus patebit, tenuiſſe Willelmi abbatis ſubſtitutionem. Hinc tamen occaſionem ſumſit Gregorius, ut Montis-majoris & Craſſæ monaſteriorum reformationem demandaret Richardo cardinali & abbati Maſſilienſi, de quo ſuperius [c] actum eſt; Pontificis hac de re verba obſervatione digna ſunt. *Quia ergo quædam monaſteria, alterum in Provincia, videlicet ſancti Petri, quod dicitur ad Montem-majorem; & alterum in Narbonenſi archiepiſco-*

c ſupra n. 72.

ANN. CHR. 1080.

patu sanctæ Mariæ de Crassa, quæ ad hujus sedis defensionem pertinere, propriique juris ejus esse noscuntur, jam dudum sæcularium monachorum culpa a religionis tramite deviasse intelleximus; ea reformare ad lapsi decoris specimen valde esse necessarium duximus. Scitis enim decentius atque convenientius esse, destructa restruere, & ad gradum suum collapsa reducere, quam in dilatandis, vel noviter ædificandis operam dare. Quapropter ad prædictorum locorum restaurationem religionis tuæ prudentiam perutilem arbitrantes, licet tu quorumdam proborum virorum precibus adhortatus, absque licentia nostra de eorum cura te nolueris intromittere; nos tamen censuimus per tuam, successorumque tuorum sollertiam fratribus in eisdem cœnobiis deinceps mansuris perpetuam regularis vitæ circumspectionem providere. Proinde circa præfata monasteria sollicitudinis nostræ vicem dilectioni vestræ committentes, volumus atque præcipimus, ut in eis quæ amputanda sunt amputetis, quæque corrigenda sunt corrigatis; & quæ disciplina tenori desuerunt, vestra vigilantia & labore conferantur, &c. Hæc epistola in editis caret chronicis notis: at in codice Montis-majoris sic definit. *Datum Romæ* XIV. *kalendas Maii, pontificatus nostri anno* VIII. qui præsenti anno incarnationis respondet.

CV. Dalmatii abbatis Saviniacensis gesta & obitus. * La Bresle. a De la Mure p. 401.

In Saviniacensi agri Lugdunensis monasterio Dalmatius abbas, Duranti II. successor, in superiori tomo laudatus non semel, hoc anno finem vivendi fecisse dicitur. Hic Arbrevillam * monasterii prædium propter imminentia bella muris cinxit, ac turribus munivit. Ad hæc Saviniaci ecclesiam, qualis hodie quoque cernitur, ædificavit. Præclarum de eo ejusque monasterii religione testimonium tulit Lugdunensis ecclesiæ capitulum, cum ei concessit hospitalem in suo claustro domum, in qua, si quando negotiorum causa Lugdunum adiret, cum suis hospitari posset. Hujusce concessionis instrumentum ex Johannis de Mura a historia Lugdunensi hoc loco majori ex parte referre operæ pretium esse puto, resecto præludio, cui hæc subjunguntur absque chronicis notis.

Noverit igitur omne fidelium contubernium, quoniam Lugdunensis ecclesia generalis conventus sancto Martino, Dalmacioque abbati Saviniensis cœnobii, suisque successoribus cunctis propter sanctitatem atque reverentiam loci, necnon propter familiaritatem & nimiam amicitiam, utpote quem quasi intimum, immo canonici loco habebamus; ex propriis redditibus dominici peculii, quam cariorem deputabamus hereditatis portiunculam, domum videlicet quamdam infra muros claustri sitam, dono firmamus, ac perpetuo possidendam decernimus: ut si forte pro qualicumque negotio ad urbem Lugdunensem veniendi opus fuerit, habeat ipse abbas cum suis monachis & famulis domum & qualecumque nostri dono hospitiolum, opportunum tamen, ut decet tanti ordinis viros, & absque alicujus molestiæ incursu debitam quietem capiant. Hoc autem tali tenore tradimus, ut nulli liceat hanc domum & dare & vendere, aut commodare alicui potenti laico; sed vicariis tantum atque mancipiis omnibus, qui ex præfati cœnobii familia fuerint, pateat domus. At, si forte abbate monachisque absistentibus, pro communi utilitate sive episcopos, sive quaslibet personas opus fuerit admitti; cum consilio abbatis aut custodis domus debere suscipi, ea insuper exacta pactione, ut & propriis utensiliis, vel ad domum pertinentibus vasculis quibuslibet effractis aut diminutis, aut etiam incuria perditis, judicio canonicorum, aut fiat restitutio integra, aut ex jam dicto conventu clericorum cum abbate conveniens exigatur querela. Placuit denique & hoc inseri, ut, si fortuito aut ignorantia, sive negligentia quislibet successorum abbati Dalmacii superius adnotatum donum dare & vendere præsumpserit, seu etiam alio quolibet modo conventum hoc violaverit; vocatus ab omnibus veniat in capitulum canonicorum, & accepto quadraginta dierum spatio, aut emendet atque restituat damnum in pristinum statum, aut a dono antecessorum se noverit sequestratum, nisi cum venia beneficio sibi fuerit indultum. Ego Bovo, donum qui primus contuli, & juxta cujus domum illud habitaculum consistit, auctorizantibus omnibus canonicis primus subscribo. Richo decanus, Fredaldus &c.

Ejus successores.

Nihil luculentius afferri poterat ad declarandam ecclesiæ Lugdunensis in Dalmatium abbatem & Saviniacenses monachos studium ac reverentiam. Excessit ex hac vita Dalmatius abbas hoc anno, idibus Julii, annis viginti in abbatiali dignitate exactis, humatur in claustro ad limen capituli, apposito epitaphio, in quo *sapiens & moderator honorum* dicitur. Successor ejus Wido post tres annos non integros abbatiam cum Berardo vix uno anno rexit. Widonem excepit Iterius *de Talaru*, vir pissimus, qui privilegium a Gregorio septimo consecutus est. obiit quarto idus Aprilis. Successor ejus Girbaudus, partim sponte, partim coactus, abbatiam Pon-

tio abbati cessit, viro memoria digno, de quo in consequentibus acturi sumus.

CVI. *Jarento abbas Mettensem episcopum absolvit.*

Inter episcopos, qui Gregorio VII. maxime addicti fuere, unus e præcipuis erat Herimannus seu Hermannus Mettensis antistes. Hic primo quidem adhæserat Heinrico, a quo etiam investituram acceperat: sed postea eum facti tantopere pœnituit, ut episcopatum omnino abdicare statuerit, nisi pontificis voluntas obstitisset. Itaque ab eo postulavit absolutionem errati; mandatumque Hugoni Diensi, ut eum vice pontificis aut per se, aut per alium absolveret. Hugo vero id officii commisit Jarentoni Divionensi abbati, qui Mettim profectus, Herimannum in pervigilio natalis Domini absolvit. Dein eidem Herimanno petenti, quo pacto schismaticis occurreret, prolixam [a] scripsit pontifex epistolam, quam ei per Rodulfum Virdunensem sancti Vitoni abbatem ab Urbe misit. quæ omnia discimus ex chronico Hugonis abbatis.

Rodulfus Virdunensem reconciliat.

Idem auctor in consequentibus agit de conciliabulo Ultrajectino, in quo anathema Gregorio dictum est: ex quo se clam proripuere Theodericus Virdunensis & Pibo Tullensis episcopi, ne tam scelerati facinoris essent participes, quod unus Willelmus Trajectensis perpetrare ausus est, sed non impune. Tanta vero animi pænitudo Theoderici animum invasit, quod schismaticis aliquamdiu adhæsisset, ut ob id paratam sibi Virdunum revertenti clericorum suorum processionem interdixerit, excommunicatum se ratus, quod cum factiosis ad horam communicasset, bene secum actum existimans, quod cum Willelmo Trajectensi non periisset. Quam ob rem, misso ad Gregorium papam Rodulfo sancti Vitoni abbate, cum se omnino pro illa communione excommunicatum affirmaret, & ob id sibi officium interdixisset, *in manu ejus*, scilicet Rodulfi, *stolam reddidit & anulum*, absolutione ejus Mettensi episcopo reservata. Verum non diu in proposito stetit Theodericus, sed ad vomitum reversus, denuo ad schismaticorum societatem rediit, & gravioribus deinceps vinculis & peccatis se implicavit, ita ut omnem religionis speciem exuisse videretur. quæ fusius apud eumdem Hugonem videre licet.

CVII. *S. Vitoni monachi ab episcopo pulsi.*

Inter hæc Rodulfus abbas cum suis legitimo pontifici constanter adhæsit. Hinc soluta est [b] vetus illa necessitudo, quæ inter Virdunenses episcopos & monachos sancti Vitoni semper intercesserat, adeo ut episcopus abbatem & monachos, plurimis affectos injuriis, suo loco exturbaverit. sed eis pro justitia ita pulsis contraria in bonum mox cessere. nam fratres in Burgundiam profugi, a Jarentone sancti Benigni venerabili abbate, tamquam angeli Dei accepti, per septennium, quo episcopus supervixit, ibidem perstitere. Hinc firmata inter utrumque monasterium societas, longe sanctior & validior, quam olim inter Sabinos & Romanos. Ea vero fuit Rodulfi abbatis apud pontificem existimatio, ut ei schismaticos reconciliandi facultatem dederit in tribus episcopatibus, Virdunensi scilicet, Mettensi ac Tullensi. Hæc monachorum expulsio post biennium facta dicitur in chronico Vitoniano.

Fulcradi abbatis facinora in S. Vitonum & S. Michaëlem.

Interim Fulcradus sancti Pauli apud Virdunum abbas, vacantem immo potius vacuam sancti Vitoni abbatiam invadit, Theoderici episcopi auctoritate fultus; ibique nonnulla ornamenta & prædia diripuit. Tunc etiam eumdem Fulcradum cum Richero decano idem episcopus misit *ad sigillandum altare sancti Michaëlis* ad Mosam, propterea quod ejus loci monachi a Virdunensi episcopatu ad Tullensem transire vellent, & ad Virdunensis episcopi audientiam accedere nollent. Verum ejusdem monasterii familia utrumque comprehendit, & vinctos apud Barrum custodiæ mancipavit. Quam ob rem ejusdem loci villa & ecclesia *ab hostico*, id est exercitu *episcopali* concremata est. *Sigillare altare* hoc loco idem esse videtur ac sigillo episcopali Virdunensis episcopi illud insignire in signum dominii seu jurisdictionis. Tunc temporis sancti Michaëlis abbatiam administrabat Sigifridus abbas, qui hoc anno Sophiam comitissam apud Montiacum adiit, conquesturus de quibusdam vexationibus quas Boso *de Viocort* nonnullis monasterii prædiis inferebat. quam controversiam comitissa mox composuit.

CVIII. *Messinensis parthenonis statuta.*

Biennio post mortem Adeliæ Flandriæ comitissæ, Rotbertus Frisius ejus filius confirmavit possessiones [c] Messinensis monasterii ab ea conditi, ubi supremos vitæ dies in habitu viduali transegerat, atque humata fuerat. Erant eo loci sanctimoniales & canonici: utrisque subsidia secundum Adelæ institutionem assignavit comes, adductus, ut fertur, *miraculorum signis*, quæ in eodem loco patrabantur. Insuper statuit, quo pondere, quave mensura victualia sororibus, numero triginta, subministrari

[a] *Greg. VII. lib. 8. ep. 21.*

[b] *Spicil. to. 12. p. 288.*

[c] *Mir. eod. donat. p. 191.*

ANN. CHR. 1080.

strari debeant, nempe ut panis ex adipe frumenti *penset quinque marcas*. In dominicis & festis diebus quatuor fercula, in aliis vero tria concessa: singulis diebus *justa cerevisiæ & dimidia*: vinum in omnibus festis, quando *sequentia* cantatur: quibus diebus unaquæque soror quartam partem sextarii habeat; ad vestimenta vero sua triginta libras denariorum. Atque ut abbatissa hæc omnia sororibus suppeditare possit, certa ei assignantur prædia, quæ hospitibus quoque excipiendis sufficiant. Ad hæc statuit comes, ut ad sepulcrum matris suæ lucerna die noctuque in honorem Dei genitricis luceat, & in ejus anniversario abbatissa pauperibus sex libras distribuat. Addit insuper ut in anniversario filii sui Balduini, qui ibidem sepultus erat, triginta solidos ad calceamenta habeant sanctimoniales. Denique quandocumque ipse istuc accesserit, vel quivis ejus heres, ut caritatis amore præbenda ipsi concedatur, scilicet unus tantummodo panis, & justa cerevisiæ. Acta hæc dicuntur Mecinis IV. nonas Februarii, anno ab incarnatione Domini M LXXX. in quibus nonnulla recentioris videntur institutionis.

CIX. Pons lapideus Dionantensis. a Mir. notit. p. 107. * f. modii.

Eodem anno factus est pons lapideus [a] Dionantensis super Mosam, assentiente Godescalco abbate Valciodorensis monasterii, cui navicula ad usum transeuntium competebat ab hoc tempore, quo Eilbertus comes illud condiderat. unde fratribus nonaginta quatuor denarii singulis annis, abbati vero quatuor vini sextarii * veniebant. Cum autem placuisset Henrico Leodicensi episcopo, Alberto comiti Namucensi, Cononi comiti atque opidanis, ut illic pons ex lapide fieret; eo pacto assensit abbas, ut Valciodorenses a portorio essent immunes; & ut Albertus comes beneficium, quod ipsius atavus Robuoldus Valciodorensi monasterio concesserat, ratum haberet. quod ita inter eos convenit. Actum Dionanti kalendis Septembris anno M LXXX. indictione tertia. Godescalcus abbas [b] Lamberto successerat, non bonus rei familiaris œconomus.

b Spicil. to. 7. p. 163. & seqq.

Everneri-curtis cella.

Sub id tempus cella Evernei-curtis in pago Porcensi condita fuit a Theoderico Andaginensi seu sancti Hucberti abbate, cui ejusdem loci altare ab Elinando Laudunensi præsule concessum. Istius villæ tertia pars sancto Hucberto collata fuerat a Josberto de Marla, quod est castrum pagi Laudunensis ad Somenam fluvium, viro nobili ac potente, qui rabidi canis morsu attrectatus, & sancti Hucberti meritis sanatus, eidem hoc donum fecerat in grati animi testificationem. quæ fusius videre licet in libro de miraculis sancti Hucberti episcopi, ubi quædam alia miracula, Theoderico abbate, illic facta memorantur. Ibidem prædictus Albertus Namucensis comes, veneratione loci divertisse dicitur cum uxore sua Idda ad ecclesiam beati Hucberti, poscente Theoderico abbate, eique comitatum Anseromiæ, quem vicecomites surripuerant, restituisse. In fine ejusdem libri fit mentio Lamberti ex Valciodorensi monacho abbatis Hasteriensis monasterii, quæ cella modo est abbatiæ Valciodorensis.

CX. Scafusanum monasterium. c lib. 61. n. 111.

Florebat per id tempus monastica religio in monasterio Hirsaugiensi sub venerabili Willelmo abbate, sæpe jam a nobis laudato: cui Scafusanum Sueviæ monasterium, de cujus origine superius [c] diximus, regulari disciplina in melius informandum commissum est. quod Gregorius VII. hoc anno probavit. Exstant ea de re ejusdem pontificis litteræ Willelmo abbati Hirsaugiensis monasterii inscriptæ, in quibus ait » pontifex sibi innotuisse, quod ipsius Willelmi religio curam monasterii sancti Salva» toris juris apostolicæ sedis, siti in villa Scafusa, in episcopatu Constantiensi, obsecrante » comite Burcbardo, virisque religiosis hortantibus, eo dumtaxat pacto susceperit, » ut prædictus comes cederet quibusdam juribus, quæ in illud monasterium sibi vin» dicabat, & locum ipsum liberum esse permitteret. quod pontifex magnopere pro» bat, idque apostolica auctoritate firmat. *Et quia locus ille, sicut audivimus*, inquit, *ad religionis statum: Domino miserante cœpit assurgere; nos in quantum valemus, perpetuam illic sanctitatis stabilitatem providere cupientes, fraternitati tuæ super cœnobium illud sollicitudinis nostræ vicem committimus, scilicet ut fratres ibi disciplinis regulariter instruere, mores eorum vitamque competenter instruendo, ea quæ ad salutem animarum pertinent, vigilanter providere, ac maxime, ut inibi abbas secundum Deum ordinetur,* » *procures*. Ad hæc, ut fratres ibidem absque ulla inquietudine omnipotenti Domino » deserviant, vetat pontifex, ut ne ullus sacerdotum, regum, vel ducum aut comi» tum, aut quivis alii, ullam eidem loco molestiam inferat: *sed ita sit ab omni sæculari potestate securus, & Romanæ sedis libertate quietus, sicut constat Cluniacense monasterium, & Massiliense manere: abbas autem advocatum, quem voluerit, eligat. quod si*

is

is postmodum non fuerit utilis monasterio, eo remoto alium constituat. Insuper privilegium quod Alexander II. Everardo comiti, ejusque posteris advocariam, & præficiendi abbaris potestatem, & totius rei administrationem concessit, omnino rescindit &c. *Actum Laterani, octavo idus Maii, indictione tertia.*

ANN. CHR. 1080.

Quanti porro Willelmum nostrum fecerit Gregorius, non solum ex hac, sed etiam ex alia ejus epistola [a] intelligitur, Altmanno Pataviensi episcopo, & venerabili Hirsaugiensi abbati directa, quibus graviora ecclesiæ negotia, tamquam fidis & incorruptis ejus defensoribus, committit. Hic est Altmannus, incontinentium clericorum insectator acerrimus, cujus rei causa eorum in se odium adeo concitavit, ut illi Heinricum regem ad ipsum sede sua extrudendum, proscribendumque adduxerint, effecerintque, ut in clerum ipsi restituerentur. Idem religiosus præsul duo monasteria exstruxit, unum canonicorum regularium sub titulo sancti Nicolai extra muros Patavienses; alterum Gotwicense nostri Ordinis in Comageno Austriæ inferioris monte, amœnissimo loco situm. Post ejus discessum sancti Nicolai clerici cælibes, propterea quod uxoratos clericos ab Heinrico restitutos expulissent, ab imperatoris satellitibus cœnobio extracti, virgis publice cæsi fuere; &, restitutis eorum loco clericis conjugatis, ignominiose non modo e monasterio, sed etiam ex urbe, totaque vicinia expulsi.

CXI. Altmannus episcopus religiosissimus. [a] Greg. VII. lib. 9. ep. 3.

Gotwicense [*] monasterium, haud longe a Danubio in inferiori Austria, super editissimo & pæne inaccesso monte positum, in honorem beatissimæ virginis Mariæ condi cœpit anno MLXXIII. quo anno Altmannus episcopus, ejus auctor, primum lapidem posuit. Consecratum vero est post annos novem: tumque canonicis regularibus concessum dicitur: quibus post beati Altmanni obitum substituti monachi auctoritate Urbani II. & Udalrici Passaviensis episcopi assensu, educti e Brisgoviensi sancti Blasii cœnobio, Hartmanno duce, qui primi illic abbatis officium gessit ab anno MXCIII. Sub hæc Gotwico deducta est colonia monachorum in Garstense [*] superioris Austriæ monasterium, conditum primo pro clericis anno MLXXXII. qui sub præposito Eberhardo eumdem locum viginti annis tenuerunt: quo mortuo, monasterii conditor dux & marchio Styriensis, quem Otacherum vocant, monachos Gotwicenses subrogavit. Hæc omnia fusius prosequitur Stengelius.

Gotwicensis cœnobii auctor. [*] Kotwvich. [*] Garsten.

In chronico Augustensi, quod Marquardus Freherus vulgavit, Sighardus seu Sigebardus abbas hoc anno sanctæ Afræ cœnobio præfectus dicitur; eodemque anno Heinrici regis adversarii III. idus Junii suburbana Augustæ Vindelicorum vastasse & concremasse perhibentur, & sancti Petri ecclesiam incendisse. Ex ædibus suburbanis processit ignis ad sanctæ Afræ & sancti Udalrici monasterium, totumque cum officinis fratrum & dormitorio absumsit, ecclesiam invasit, & in pulverem redegit. Hinc dispersi fratres palabundi, ac veluti proscripti & exules facti sunt: sed resumtis tandem animis, locum paullatim purgare cœperunt. Dum vero altius fundamenta effoderent, sancti Udalrici sepulcrum in tertio specu inventum est, ut legitur in chronico Augustano Pistoriano.

CXII. S. Afræ monasterii incendium.

Per id tempus Johannes quidam Armenus, Beneventum forte profectus, errores disseminare ferebatur. Hunc Roffrido Beneventano archiepiscopo & Desiderio abbati Casinensi examinandum committit Gregorius papa litteris [b] Roffrido scriptis, qui ante triennium Miloni archiepiscopo successerat. Ejus tempore Madelmus Sicenolfi abbatis successor, Beneventano sanctæ Sophiæ monasterio præerat, cui Gerardus comes [c] ecclesiam sancti Benedicti prope Mabionam urbem sitam, concessit. quod Roffridus archiepiscopus probavit anno pontificatus sui secundo. Perstitit Madelmus abbas usque ad pontificatum Paschalis II. variaque privilegia obtinuit a Gregorio VII. Urbano II. ipsoque Paschali, quæ in chronico [d] sanctæ Sophiæ videre licet: ex quo discimus, Madelmo abbati successisse Bernardum, qui a Gelasio II. privilegium impetravit.

CXIII. Res Beneventanæ. [b] Greg. VII. lib. 7. n. 28. [c] Ital. sac. to. 8. p. 138. [d] ibid. p. 676. & seqq.

Dum in castello seu urbe Corgnito comitatus Tuscanensis coram Mathilde marchionissa & ducissa, aliisque judicibus placitum haberetur; eo accessit Berardus Farfensis abbas, & adversus Luponem, ejusque consortes expostulavit super ecclesia sancti Petri, eidem castello proxima, quam ab eis injuste retineri querebatur. Contra Lupo reponebat, ecclesiam illam a parentibus suis concessam fuisse monachis sanctorum Cosmæ & Damiani, qui eam refutaverant, ob idque Lupo ipse, tamquam hereditario jure, sibi vindicaverat. Verum, cum Berardus abbas totum jus in illam eccle-

CXIV. Farfenses, Asculanæ & Rogienses.

ANN. CHR 1080.

siam, quod monachis sancti Cosmæ competebat, suo monasterio assertum fuisse judicio Alexandri II. probasset; hæc ecclesia ei adjudicata est anno ab incarnatione Domini M LXXX. & quidem VII. kalendas Aprilis indictione tertia. Huic placito subscribit suo more *Mathilda Dei gratia, si quid est*, interposito signo crucis.

Eodem anno duo germani fratres, Aldo & Paganellus, una cum matre sua, eidem Berardo abbati ejusque monachis contulere *monasterium, quod vocatur sancti Benedicti, infra territorium Asculanum, in loco qui dicitur Sumati, & vocabulo Tres-casæ* cum suis adjunctis. Hoc monasterium condidisse traditur [a] sub finem sæculi decimi Adam episcopus Asculanus, quæ urbs est in Piceno seu Marca Anconitana: ibique primum abbatem Azonem ordinasse.

[a] Ital. sac. to. 1. p. 494.

Exstabat ab antiquo in suburbio Regii-Lepidi [*] ecclesia sancti Petri & sancti Prosperi episcopi, quæ hoc tempore a Mathilde comitissa modo laudata in nobilem nostri Ordinis abbatiam reformata fuit, & Giselberto abbati commissa: diplomate dato hoc anno, cujus fragmentum refert Margarinus in secundo tomo Bullarii [b] Casinensis: ubi etiam quædam donatio eidem monasterio facta eodem anno legitur. Perstat etiam nunc hæc abbatia, sed intra muros urbis, unita Congregationi Casinensi. Indicem ejus loci abbatum, variaque instrumenta refert Ughellus in appendice ad tomum secundum Italiæ sacræ, relata ad calcem [c] tomi quinti.

[*] Reggio.

[b] Bullar. Casin. to. 2. p. 112.

[c] Ital. sac. to. 5. p. 1580. & seqq.

CXV. Casin. acta.

Hoc ipso anno Jordanus princeps Capuanus generale præceptum [d] Casinensi monasterio facit de universis donationibus, tam a patre suo Richardo, quam ab aliis ei factis. Resipuerat quippe Jordanus amisso lumine oculorum ob subtractum haud exiguæ pecuniæ summæ depositum [e], quod Rosellanensis ecclesiæ pontifex Casinensibus commendaverat. Id ubi rescivit princeps, per submissos milites hanc pecuniam, e secretario abstractam, ad se deferri mandavit. Fratres autem ad hæc, depositum, quod patri Benedicto creditum fuisset, se nulli mortalium daturos, constanter responderunt. At milites, nulla ejus responsi habita ratione, pecuniam e secretario vi abstrahunt, & ad principem deferunt. quod ubi Gregorius papa rescivit, divinum in Casinensi ecclesia officium cessare jussit, altariaque omnia denudari; Casinenses insuper nimiæ timiditatis arguens, quod tantum facinus passi fuissent. quippe tolerabilius esse, ut castella monasterii in prædam & direptionem darentur, quam ut tam venerabilis locus tantæ injuriæ subjaceret. Verum hoc facinus non diu inultum sivit Deus. nam princeps ejus auctor, ubi abstractam pecuniam accepit, oculorum lumine usque adfinem vitæ orbatus est. Gregorius vero in concilio residens constituit, ut, si quis Nortmannorum, vel quorumlibet hominum, possessiones Casinensium invaderet, & bis vel ter admonitus factum non emendaret, excommunicationi esset obnoxius. Sub idem tempus Michaël imperator Desiderio abbati dona quam plurima misit, poscens ut pro se ac liberis, & pro statu imperii sui Dei omnipotentis clementiam assidue supplicarent Casinenses. Insuper per præceptum [f] aurea bulla signatum constituit, ut singulis annis Casinense monasterium e palatio suo auri libras viginti-quatuor & pallia quatuor acciperet.

[d] Chron. Casin. lib. 3. c. 47.

[e] id. c. 46.

[f] ibid. c. 39.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER SEXAGESIMUS SEXTUS.

Ab anno Christi 1081. ad annum 1085.

ANN. CHR. 1081.

I. Res ecclesiasticæ & civiles.

POST mortem Rudolfi, Heinrici Germaniæ regis æmuli; non statim ad novam alterius regis electionem procedi voluit Gregorius papa, satius esse ratus, ut cum *aliqua mora provideretur idoneus, quam nimium festinando in regem aliquis ordinaretur indignus*, ut scribit in litteris [a] ad Altmannum episcopum Pataviensem & Willelmum Hirsaugiensem abbatem, quibus multum in illis partibus confidebat. Interim fundendas frequentissimas preces, largissimas dandas eleemosynas, omnibusque modis Deum exorandum, *ut inimici*, inquit, *nostri, quos suo præcepto diligimus, resipiscant, & ad gremium sanctæ ecclesiæ redeant.* At longe aliter, quam optaverat pontifex, res vertit. Heinricus enim, magno delectu habito, primo vere in Italiam contendit, ut vel a pontifice absolutionem extorqueret, vel eum pontificatu dejiceret. Quam ob rem cum Clemente Ravennate deposito pridie pentecostes Romam accessit, urbemque Leoninam obsidere instituit. verum sagittis, lapidibusque a Romanis repulsus, ad suburbana succendenda convertitur, atque æde sancti Pauli violata, cum ne ita quidem urbis deditio succederet, re infecta Ravennam se retulit, proximo vere denuo Romam aggressurus.

[a] Greg. VII. lib. 9. ep. 3.

Illius expeditionis accepto nuntio, pontifex litteras [b] scripsit *Desiderio venerabili cardinali sancti Petri & abbati Casinensi*, professus, se, si pravæ regis, ejusque asseclarum voluntati favere vellet, nullum aliquando antecessorum suorum a quoquam rege adeo honoratum & cultum fuisse, quam ipse ab hoc rege honoraretur. *Verum, quoniam illorum minas & sævitiam pro nihilo*, inquit, *ducimus; magis si necesse fuerit mortem suscipere parati erimus, quam impietatibus eorum assensum præbere, aut justitiam relinquere.* Hinc Desiderium hortatur, ut sibi adhæreat, & Romanæ ecclesiæ honorem pro virili tueri pergat. quod quidem strenue præstitit Desiderius, etsi ab Heinrico tentatus litteris & promissis, ut ipsius partibus se adjungeret. Ad eumdem scripta est alia [c] epistola, qua pontifex ei mandat, ut exploret, an Rotbertus Apuliæ dux per quadragesimales dies, *quibus Nortmanni solent pugna vacare*, aut certe post pascha, Romanæ ecclesiæ auxilium ferre velit.

[b] ibid. ep. 11.

[c] ibid. ep. 4.

II. Bernardus abbas Saguntensis.

Per id tempus, expugnata urbe Toleto, adeoque in Christianorum potestatem redacta, Alfonsus Magnus eidem urbi pastorem idoneum postliminio sufficiendum curavit,

ANN. CHR. 1081.

Hac de re scripsit ad Gregorium papam, eique quemdam a se designatum archiepiscopum suggessit. Verum ejus electionem non probavit pontifex, propterea quod, " etsi [a] satis prudens & liberalis videretur, expers esset scientiæ, sine qua nec alios do- " cere, nec se ipse defendere valeret. Quapropter regem monet, ut cum consilio le- " gati sui Richardi abbatis Massiliensis, aliorumque religiosorum virorum, alius eli- " gatur, sive indigena, sive extraneus. Neque enim respuendum extraneum, vel hu- " milis sanguinis virum, dummodo idoneus sit ad regimen illius ecclesiæ. Si Gregorii epistola, ex qua hæc accepimus, cum hoc anno recte componitur, non serius expugnata fuit ab Alfonso urbs Toletum. quod tamen Rudericus [b] Toletanus, aliique, ad æram millesimam vicesimam-tertiam (sic legendum, non tricesimam-tertiam) differunt, adeoque ad annum Christi millesimum octogesimum-quintum. quo anno urbs hæc capta dicitur, & quidem VIII. kalendas Junii, die festo Urbani papæ & martyris. quod sane probari non potest, siquidem ipso die Gregorius VII. mortuus est, qui tamen de eligendo Toletano pontifice, nonnisi post captam urbem, prædictam epistolam scripsisse videtur.

a ibid. ep. 2.

b Roderic. lib. 6. c. 23.

Quis fuerit ille, quem Alfonsus Toletanæ ecclesiæ præficiendum Gregorio suggerebat, incertum: at certum est illi sedi Bernardum, nostri Ordinis monachum, tandem impositum fuisse. Is ex Aginnensi oriundus territorio, opido scilicet Salvitatis*, testante Ruderico [c] Toletano, cum ab infantia litteris imbutus fuisset, sæculari militiæ nomen dedit; sed postmodum infirmitate coactus, in sancti Oreotii Auxitano monasterio Benedictinæ regulæ sumto monastico habitu, se mancipavit. Inde vocatus Cluniacum ab Hugone abbate, cum eo laudabilem aliquamdiu egit vitam. Dein, cum rex Alfonsus Saguntense sanctorum Facundi & Primitivi cœnobium, ubi aliquando, vitandæ [d] captivitatis causa, monasticum habitum haud sponte induerat, augere & amplificare vellet; ab Hugone abbate religiosum virum postulavit, qui illic abbatis officio fungeretur: ut, sicut Cluniacum ceteris Galliæ monasteriis, sic etiam istud Hispanicis omnibus præcelleret. Hugo illuc Bernardum, *quem ob sanctitatis meritum carum habebat*, cum aliis monachis misit. Hic vero abbas factus, ita se omnibus amabilem & acceptum exhibuit, ut, Toleto in christianorum potestatem redacto, mox ipse illius sedis archiepiscopus electus sit. Jam ante aliquot annos hac dignitate ornatus erat, cum eidem ecclesiæ primatum restituit Urbanus II. anno pontificatus sui primo. De prædicto sancti Facundi monasterio Gregorius in superiori ad Alfonsum epistola ita scribit. *Ceterum quod de uxore tua*, scilicet dimittenda, *& de abbatia sancti Facundi postulasti, competentius responderi per filium nostrum Richardum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem & legatum, & fratrem Simeonem episcopum arbitrati sumus.* tum subdit *de illa persona in archiepiscopum eligenda*, cujus superius meminimus. An autem de præficiendo abbatiæ sancti Facundi Bernardo monacho locus iste intelligendus sit, an vero de concedendo eidem abbatiæ privilegio, non satis exploratum.

* la Sauvetat.

c ibid. c. 24.

d ibid. c. 16.

III. Archiepiscopus Toletanus creatur.

Postquam abbatiæ sancti Facundi aliquamdiu magna cum prudentia & religione præfuisset Bernardus, eumdem rex Alfonsus in frequenti episcoporum, abbatum & procerum apud regiam urbem consessu electum XV. kaleodas Januarii Toletanæ ecclesiæ archiepiscopum [e] & primatem ordinari curavit, eamdemque ecclesiam liberaliter dotavit. quod etsi forte non statim post captam urbem, sed aliquanto serius factum sit; hic tamen consequenter exponere visum est. Ubi novam iniit sedem Bernardus, Sarracenicum fanum, quod Mezquitam [f] vocant, eliminata Muhammedis spurcitia, in christianorum templum, suadente Constantia regina, convertit. quod ubi rex accepit, tanto furore correptus fuisse dicitur, quippe qui fanum illud Sarracenis pacto firmaverat, ut e sancti Facundi cœnobio mox advolaverit, reginam & archiepiscopum, si credi fas est, igni traditurus, nisi Arabes ipsi obstitissent, veriti, ne id tandem in eorum caput redundaret.

e ibid. c. 24.

f ibid. c. 25.

IV. Arnulfus Suessionum episcopus consecratur.

Jam tempus instabat, quo Arnulfus apud sanctum Medardum reclusus, quem anno superiore [g] electum fuisse Suessionensem episcopum diximus, consecrandus erat. Hinc ille, quatuor monachis secum assumtis, ex suo monasterio, ubi condictum exspectabat tempus, ad Hugonem Diensem pergit, ut ab eo consecraretur, Manasse archiepiscopo tunc in ordinem redacto. Inter eundum Theotbaldum Campaniæ comitem apud Virtutes,* opidum pagi Catalaunensis, adit, a quo perhumane acceptus est. Illic dum versaretur, unus e sociis, Ostremarus nomine, quiddam parum ci-

g lib. 65. num. 82.

* Vertus.

vile in fratrem Everolfum, qui & unus comitum erat, protulit, propter quod Arnulfus eum a comitatu suo repulit. Mœstum ob id ac pœnitentem vir Dei Parisios mittit ad Bertam reginam, ut ei futuræ prolis ortum, qui brevi subsecutus est, scilicet Ludovici, prænuntiaret. Inde iter persecutus Arnulfus, demum pervenit ad Hugonem Diensem, a quo consecratus est episcopus *dominica ante natalem Domini, qua tunc accidit* XIV. *kalendas Januarii*. Ea vero fuit in illis partibus ejus existimatio, ut Viennenses illum sibi archiepiscopum vi rapere vellent. quippe tunc vacante sede, ut Hariulfus vitæ scriptor tradit. At ille reditum accelerans, Cluniacense obiter lustravit monasterium: ubi ab Hugone abbate & fratribus perquam honorifice acceptus fuit. Ubi Suessionas advenit, urbem ingressuro Gervasius regius dapifer, Ursionis pseudepiscopi germanus, cum valida armatorum manu occurrit, eumque urbis aditu prohibuit. Quapropter quoddam ejusdem diœcesis castellum, Ulciacum * vocabulo, secedere coactus est, ubi pastoralis officii munia omnia sollicite implere studuit. Illic dum versaretur, Everolfum monachum qui ipsi carissimus erat, jam pæne exanimem, subito sanitati restituit, moxque eum in ecclesiam ad celebranda sacra misit. Multa alia vir sanctus miracula patrasse dicitur; in his cæcæ mulieri lumen oculorum restituisse apud Calvum montem *, Remensis diœcesis opidulum, cujus loci ecclesiam, quæ modo Præmonstratensium est, invitatu Rogeri comitis Porcensis dedicavit. Hujus miraculi testes fuere non modo comes ejusque conjux, sed etiam Angelrannus beati viri archidiaconus, Radulfus-Viridis, postea Remorum archiepiscopus, multique abbates & alii, qui ad dedicationis sollemnitatem convenerant. Quod scribit Hariulfus de vacante sede Viennensi, id non ante duos annos accidit, quo tempore decessit Warmundus archiepiscopus e nostris, idemque Dolensis abbas, cujus obitus anno M LXXXIII. consignatur in chronico Dolensi, ut inferius videbimus.

* Ouchy le Chateau.

* Chaumont.

V. Simon Crispiacensis regem adit.

Per id tempus accidit, ut Rex Philippus quædam Cluniacensibus auferret. quod gravate ferens Hugo abbas, rogavit Simonem, tum sancti Augendi monachum, olim Crispiacensem comitem, ut, qua pollebat apud regem auctoritate, causam suam apud eum peroraret. Ille vero abbatis sui jussu regem adit apud Compendium eo tempore, quo *sudarium Domini* in basilica sancti Cornelii hactenus asservatum, e veteri theca efferendum erat, & in *capsa aurea decentius reponi* deberet, ea scilicet, quæ a Mathilde Anglorum regina concessa fuerat, etiam nunc in eadem ecclesia cum sacro illo sudario asservata. Illic cum preces fudisset Simon, regem convenit, itineris sui causam exposuit, & petita mox impetravit. Inde in Neustriam profectus, ut regem Willelmum & Mathildem reginam, apud quos educatus fuerat, inviseret, regem ipsum filio suo Rotberto, qui cum eo dissidebat, reconciliavit. quo facto, ad monasterium suum reversus est, non diu illic moraturus, ut anno sequenti videbimus.

VI. Confluentina Becci cella.

* Conflans.

Tunc temporis ecclesia sanctæ Honorinæ virginis & martyris, quæ in Confluentio * opido diœcesis Parisiensis ad Isaræ & Sequanæ confluentes colitur, Beccensibus monachis concessa fuit ab Ivone domino Belli-montis ad Isaram, & Adelide ejus uxore, ut illic Beccenses monachi divina officia persolverent, assentiente Gaufrido episcopo Parisiensi. Mox nova constructa ecclesia, ad quam Beccenses præsente Anselmo Becci abbate migrarunt cum corpore sanctæ Honorinæ, quod eum in locum e Gerardivilla *, ad ostium Sequanæ posita, grassante Nortmannorum procella, translatum fuerat. Non multo post ad novam illam ecclesiam accessit vir nobilis Ingerrandus de Bova, pater Thomæ de Marla, *boiarum* seu catenarum *tria paria afferens*, Beccensibus contestatus, captum se ab hostibus, & tribus illis catenis in dolio constrictum, oratione Deo facta meritis sanctæ Honorinæ fuisse absolutum. cujus beneficii memor servum quemdam cum generatione sua, qui vice sua oblationes quotannis apud Confluentium afferret, perpetuo addixit. Exstat sancti Anselmi tunc abbatis epistola, inscripta [a] *fratribus Beccensibus apud Confluentium commanentibus*, quibus litteras mittit, perferendas ad quemdam Bernardum monachum de sancto Petro super Divam, qui *apud Parisium in monasterio sancti Maglorii*, studiorum causa versabatur contra voluntatem abbatis sui, ei promittentis, se illum benigne recepturum, Anselmi gratia, si quantocius rediret.

* Graville.

a Anselm. lib. 2. ep. 14.

VII. Gregorii papæ epistola ad Anselmum.

Sub idem tempus Gregorius pontifex perquam honorificam scripsit epistolam [b] *Anselmo venerabili abbati Beccensi*, ejus precibus se commendans in hæc verba. *Quo-*

b Inter Anselm. ep. 31.

ANN. CHR. 1081.

niam fructuum tuorum bonus odor ad nos usque redoluit, quam dignas grates Deo referimus, & te in Christi dilectione ex corde amplectimur, credentes pro certo, tuorum studiorum exemplis ecclesiam Dei in melius promoveri, & tuis, similiumque tibi precibus etiam ab instantibus periculis, Christi subveniente misericordia, posse eripi. Nosti, frater, si justi apud Deum prævaluit oratio, quid justorum? Prævalebit equidem, immo impetrabit sine dubio quod petierit..... Unde volumus tuam, tuorumque fraternitatem assidue Deum orare, ut ecclesiam suam & nos, qui ei, licet indigni, præsidemus, ab instantibus hæreticorum oppressionibus eripiat. Anselmi ad hanc epistolam responsum desideratur.

Anselmi ad Hugonem inclusum epistola. a ibid. ep. 22.

Non omittenda hoc loco ejusdem Anselmi epistola [a] ad Hugonem inclusum, qui, missis ad eum duobus laïcis, ipsum consuluerat, quibus monitis homines, ad se » causa pietatis accedentes, ad hujus sæculi contemptum & æterni regni desiderium » incitaret. Ad quod modeste respondet Anselmus, Hugonem id tanto facilius per se ipsum » præstare posse, quanto liberius in sua reclusione vitæ cælestis dulcedinem haurire » & experiri poterat. Sed tamen, ut petentis voluntati quodam modo faceret satis, » quædam ei proponit argumenta, quibus sæcularium animi ad æternorum desiderium accenderentur. Eorum summa est, regnum cælorum esse venale, sed non alio pretio comparari posse, quam amore. *Si ergo vis*, inquit, *esse rex in cælo, ama Deum & homines, sicut debes; & mereberis esse quod optas. Hunc vero amorem non poteris habere perfectum, nisi evacuaveris cor tuum ab omni alio amore.* Plura scire cupientem remittit ad Proslogium suum, in cujus fine de pleno gaudio disseruerat. In hac epistola *sanctitatis* titulo compellat Hugonem illum inclusum, qui non alius esse videtur ab Hugone incluso Cadomensi, cujus in alia epistola [b] meminit.

b id. lib. 1. ep. 37.

VIII. Godefridus fit œconomus, tum presbyter. c V. lib. 64. n. 40.

In monasterio sancti Quintini de Monte prope Petronam tunc florebat religio, Godefrido abbate. Unus e præcipuis ejus discipulis erat cognominis adolescens Godefridus, superius [c] jam laudatus non semel, cujus industriam compertam cum haberet, id officii ei demandavit, ut vinum, quo regio illa caret, aliaque necessaria in usus fratrum & adventantium pauperum & hospitum compararet. Principio ille quidem id graviter accepit, sciens, ægre posse eorum animos in virtutibus proficere, qui rebus temporalibus distrahuntur: sed tamen, ut erat eximiæ humilitatis, cujus obedientia comes est, abbatis voluntati paruit. Interim tamen sibi minime præfidens, fratrum & pauperum opem ac preces flagitare non cessabat, ut ne a sancto proposito rerum exteriorum tractatione avocaretur. Adeo vero divina illi adfuit gratia, ut res monasterii, antea valde afflictas & ære alieno obligatas, in integrum restituerit, & fratribus aliisque istuc adventantibus omnia necessaria abunde suppeditaverit, universis tam externis, quam domesticis acceptus & honoratus, per atrocia illa bella, quæ in illis partibus Rotbertus Perronensis, Odo Namucensis & Clarembaldus Vendoilensis dominus excitaverant. Forte aliquando vir Dei ad Suessionense sancti Crispini monasterium divertit ipso die, quo sanctorum Crispini & Crispiniani martyrum illic quiescentium sollemnitas recolebatur, ibique monachorum, clericorumque canentium frequentiæ se adjunxit, & ipse canendi valde peritus. Ingressus paullo ante missarum solemnia in refectorium, illic quosdam offendit monachos, poculis & carnibus edendis indulgentes. Eo viso, illi nonnihil verecumdari cœpere: sed tandem, deterso rubore, eum, ut simul cum eis reficiat, invitant. At ille id longe refutavit, æquum non esse inquiens, ante missarum sollemnia ventrem epulis infarcire. His dictis, illi minime, ut par erat, emendati, sed animis exulcerati, atra bile perciti, multa in eum probra & convicia regerunt. quibus nihil motus Godefridus, submisso capite, depressisque luminibus, ad ecclesiam mox rediit, precibus vacaturus. Hujus autem facti memoria fratrum illic habitantium animis adeo in posterum infixa fuit, ut mores in melius commutaverint, testante Nicolao monacho, qui hæc refert. Cum vero vicesimum-quintum ætatis annum attigisset Godefridus, ejus pietate permotus abbas, eum sacerdotio initiari voluit: at ille se ad ejus pedes abjicit, multisque lacrymis ne id fieret deprecatur. Verum in sententia persistens abbas, eum misit ad Ratbodum Noviomensem episcopum, a quo is presbyter ordinatus est, novo illo gradu deinceps humilior & sanctior. His meritis gradum sibi fecit ad præfecturam Novigentensis monasterii, ac demum ad episcopatum Ambianensem, ut inferius videbimus.

IX. S Benigno cella Wangionis-rivi addicta. * Vignory. d Perard. p. 194.

Paullo ante id tempus, Rotgerius, castri Wangionis-rivi * *advocatus* seu dominus, ecclesiam sancto Stephano in eodem castro [d] exstruxerat, eamque Harduinus Lin-

ANN. CHR. 1081.

gonum episcopus dedicaverat. Hæc ecclesia in cellam erecta fuit ab eodem Rotgerio, & sancto Benigno subjecta, probante ipso Harduino episcopo, qui anno M LXV. decessit, successorem sortitus Rainardum, cognomento Hugonem. Hujus tempore, id est præsenti anno M LXXXI. & quidem XIII. kalendas Octobris, die dominica, Jarento sancti Benigni abbas, illius donationis instrumentum [a] *mane ante Primam relegit, Widone principe*, prædicti Rotgerii filio, *& uxore filiisque ejus in claustro Wangionis-rivi adstantibus*, qui hanc donationem confirmarunt. His litteris apposita sunt signa *domni Widonis principis, Helderardis ejus uxoris, domni Widonis infantis, filii eorum, Alberti pueri, Arnulfi pueri* & aliorum. Ex quibus probatur id, quod alias diximus, puerorum olim & infantium nomina litteris donationum, quas ipsorum parentes faciebant, apposita fuisse. Domnus Gotefredus abbas *Bellocensis* seu Bellilocensis cum tribus monachis suis huic confirmationi adfuisse dicitur. quod de Bellilocensi Argonnæ monasterio interpretor.

a id. p. 195.

Majori-monasterio & Vindocino factæ donationes.

Habitum est hoc anno concilium Exolduni [*] apud Bituriges XV. kalendas Aprilis, teste Clario monacho cum chronographo Autisiodorensi: sed quinam ei episcopi interfuerint, quidve in eo statutum sit, non explicant. Episcoporum nomina saltem habemus ex litteris Richardi Bituricensis archiepiscopi, in Spicilegii Acheriani tomo VI. & a Labbeo relatis, quibus *ecclesiam sancti Martini de Campis, olim de Briva appellatam, juxta muros Bituricæ urbis constitutam*, quam de manu laïca eripuerat, Majori-monasterio contulit, idque *in concilio Exolduno a domno Hugone Diensi episcopo, & ceteris omnibus firmari rogavit.* His litteris subscribunt *Hugo Romanæ ecclesiæ legatus, Amatus Elleronensis episcopus*; & post eos Richardus ipse Bituricensis archiepiscopus, Richerius Senonensis, Rodulfus Turonensis & Gauscelinus Burdegalensis cum duodecim aliis episcopis, qui omnes prædicto concilio intererant.

[*] Issoudun.

Superstes erat etiam tunc Odericus Vindocinensis abbas, cujus tempore Rotbertus, miles de Monte-contorio [*], omne *dominicum*, quod habebat *apud villam de Columbariis* [*], sanctæ Trinitati Vindocinensi *gratis* contulit, *solummodo* pro salute animæ suæ, parentumque suorum. quæ donatio ut rata & firma esset, ipse & duo filii ejus, Gervasius & Hamericus, *cultellum unum propter recordationem hujus facti super altare Domini Dei* manibus suis posuerunt, & chartam hac de re factam *fidelium* suorum manibus confirmandam tradiderunt. In his unus est Lancelinus de Balgentiaco cum filio suo Radulfo. Idem Rotbertus addit, monachos secum pepigisse, ut, si quando ipse monachus fieri vellet, nihil amplius illi ab ipso exigerent: si vero monachus non foret, saltem nomen ejus, necnon filiorum, duarumque ejus uxorum nomina *in martyrologio suo* inscriberent. Hujusce donationis notitia facta est anno M LXXXI. indictione quarta, Oderico abbate.

[*] Montcontour.
[*] Columiers.

X.
Episcopi & abbates Andecavenses.

Eodem anno Eusebius Andecavorum episcopus, cognomento Bruno, e vivis [b] excessit IV. nonas Octobris: cui Goffridus successit, sed ordinatus tantum VIII. idus Maii anni insequentis. Hic eodem die Girardum sancti Albini abbatem [c] benedixit in locum demortui Otbranni abbatis, qui anno M LXXXI. decesserat. Paullo ante Otbranni obitum, Raginaldus Burgundio de Credone castro, Rotberti filius, una cum Domita conjuge, filioque Mauricio, confirmavit omnes sancti Albini possessiones, quæ in ipsorum dominio sitæ erant, ejusque confirmationis instrumentum posuit in manu Otbranni abbatis, dein super altare sancti Albini. Aliquanto post mortem Otbranni, electus est assensu Gaufridi episcopi & Fulconis comitis Girardus ex priore, eo nomine secundus abbas, cujus electioni centum & quinque monachi subscripti inveniuntur. In quodam chronico dicitur filius Higelli comitis, forte Hoëlli comitis.

b Labbe bibl. to. 1. p. 288.
c ibid. p. 276.

Cenomannenses episcopi.

Hoc item anno defunctus est *dulcis memoriæ* [d] Arnaldus Cenomannorum episcopus III. kalendas Decembris feria secunda, sepultus in monasterio sancti Vincentii, in ipso monachorum oratorio ante gradus altaris; inde postea translatus in capitulum ejusdem monasterii, & locatus ad sinistram Hoëlli episcopi, qui ei successit, sed non ante annum M LXXXV. sacratus, ut in actis [e] episcoporum Cenomannensium legitur. Hic multa passus est ab Hilgoto presbytero, uti & Guicherius decanus, *vir honestæ* [f] *conversationis, & litterarum scientia non mediocriter adornatus*: qui in hoc peccavit quod monachus factus, *fraterculum duodennem*, necdum litterarum elementis eruditum, in suo ipsius constituerit loco; & contra ecclesiastica instituta, *prudentibus puerulum senioribus præposuerit*. quod ipsius traducendi & vexandi occasionem & materiam prædicto Hilgoto præbuit.

d ibid. p. 285.
e Analect. to 3. p. 285.
f ibid. p. 293.

ANN. CHR. 1081.

XI, Turbæ in ecclesia Turonensi.

In ecclesia Turonensi tunc ingentes exortæ sunt turbæ. Earum occasio & causa ex eo nata est, quod Radulfus archiepiscopus [a] faveret Amato & Hugoni Diensi episcopo, sedis apostolicæ legatis, qui Philippo regi episcopatus regni sui auferre volebant. Hinc rex Fulconi Rechino comiti Andecavorum injunxit, ut archiepiscopum sede sua dejiceret. quo facto prædictus Radulfus Gregorium papam per nuntios interpellavit, ut comes Andecavensis & canonici sancti Martini, qui ejus legatos in processione recipere noluerant, cum toto pago excommunicarentur. Fulconis etiam partes sectabantur Majoris-monasterii monachi, uti nos docent litteræ episcoporum provinciæ Lugdunensis, vacante tunc post mortem Gebuini archiepiscopi Lugdunensi ecclesia, cujus curam tunc gessisse dicitur episcopus Matisconensis. Hæc autem epistola sic habet in codice sancti Albini Andecavensis.

a Chron. Turon.

A. Augustodunensis episcopus, R*. Lingonensis, G*. Cabilonensis, L*. Matiscensis vice primatis curam gerens ecclesiæ Lugdunensis cum toto Lugdunensis ecclesiæ conventu: omnibus provinciæ Turonensis episcopis, abbatibus, clericis & monachis atque laïcis obedientibus R. venerabili archiepiscopo Turonensi, divinam gratiam & suam.*

* Agano. * Rainaldus. * Gualterius. * Landricus.

Quam mira crudelitate Fulco comes Andegavensis matris ecclesiæ Turonensis visceribus gladium suæ persecutionis immerserit. quam superba præsumptione adversus eamdem matrem ecclesiam monachi Majoris-monasterii insurrexerint, nullum vestrum credimus ignorare. Nec vos latet Gaufrido Andegavensi episcopo non deesse potestatem cogendi Fulconem ad tanti facinoris emendationem, si divinis quam tyrannicis præceptis obedire præeligeret, & apud eum districtionis ecclesiasticæ quantumlibet studium vigeret. Ipse vero propositum suæ professionis violans, nec divinis mandatis, nec archiepiscopi sui monitis obediens cum fratribus in defensionem justitiæ desudantibus, cor suum in otio & delsciis nutriens fovit magis quam impugnavit supradicti Fulconis malitiam. Cum ergo super his omnibus clamor Turonensis ecclesiæ nostram pulsasset sollicitudinem, tam Fulconem comitem, quam episcopum Andegavensem & monachos ad sanctæ sedis Lugdunensis examen, justitiam facturos & accepturos invitamus. Quibus ad diem statutum, judicium per absentiam fugientibus, & in perversitate sua manentibus; episcopum quidem Andegavensem ab episcopali & sacerdotali officio, quod & suus archiepiscopus ei interdixerat, suspendimus: Fulconem vero cum monachis Majoris-monasterii ex auctoritate B. Petri atque domini Hugonis primatis & Romanæ ecclesiæ legati excommunicationis gladio percussimus. Omnes quoque fautores eorum, seu cum ipsis communicantes sub eadem excommunicatione conclusimus. Obsecrantes autem fraternitatem vestram hortamur ut matris vestræ doloribus, sicut patri filii condolentes ipsi tota virtute solatiari studeatis & Radulfo ejus archiepiscopo, sicut patri vestro totaliter obediatis, nec cum supradictis excommunicatis communicetis, ne animas vestras alienis facinoribus aggravetis. Valete.

Hactenus episcopotum litteræ, ex quibus obiter discimus necdum morem fuisse, ut episcopus Augustodunensis [b] curam ecclesiæ Lugdunensis vacantis gereret, quod officium olim Insulæ-Barbaræ abbati competebat. Sed ut ad rem sermo recurrat, huc spectat Gregorii VII. [c] epistola ad Turonenses & Andegavenses, quibus communionem cum Fulcone interdicit; & in fine præcipit *B. venerabili abbati sanctæ Mariæ*, (an sanctæ Mariæ apud Nucarias diœcesis Turonensis) ut litteras suas canonicis sancti Martini perferat, quæ litteræ quia desunt in registro Gregoriano, hic eas proferre juvat ex codice sancti Albini.

b V. Spicil. to. 8. p. 253. & seqq.

c Greg. lib. 9. ep. 23.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, canonicis sancti Martini Turonensis. Quia legatis nostris & archiepiscopo vestro non obedire, sed insuper eum expulisse audivimus, & ab eis vos esse excommunicatos ob culpam vestram didicimus; idcirco salutem & apostolicam benedictionem mittere ausi non fuimus: cujus rei indignos vos existere profecto plus vobis ipsi dolemus. Nam si animarum vestrarum curam gereretis, omnino nec illud præsumere, nec post flagitium tamdiu in impœnitudine manere consilium haberetis. Quapropter paterna vos allocutione monentes ex parte B. Petri præcipimus, ut de tanto facinore digne satisfacientes, prædictum fratrem nostrum archiepiscopum ad ecclesiam suam cum honore reducere procuretis; ac deinceps ei paternalem, sicut decet, obedientiam & reverentiam exhibentes obedire nullatenus detrectetis. Præcipimus etiam vobis, ut res tam ipsius archiepiscopi, quam canonicorum sancti Mauricii in integrum restituatis; atque legatis nostris de cetero debitam obedientiam exhibentes, & ab ipso comite excommunicato Fulcone & ab omnibus excommunicatis vos custodire vigilanter studeatis. Quod si nec his etiam mandatis salubriter obedire volueritis, sententiam anathematis in vos confirmantes apostolicæ ultioni vos subjacere decernimus.

Hæc

Hæc Gregorii epistola longe aliam de canonicis Martinianis inducit opinionem, quam quæ in Galliæ christianæ tomo primo [a] ex chronico Turonensi ingeritur. Sed hæc non ad nos. Porro comes Fulco cum Radulfo archiepiscopo colloquium habuit apud Rupes, ut testantur sequentes litteræ cujusdam sacerdotis ad Radulfum archiepiscopum, qui eum ad reconciliandum Fulconem adhibuerat. Has litteras, etsi ad institutum nostrum proprie non pertinent, tamen ad illustrandam illius controversiæ notitiam ex eodem codice hic exhibere visum est.

[a] Gall. chr. to. 1. p. 762. & seqq.

Domino metropolitano R. G. sacerdos salutem.

Ad ea quæ nobis satis multa scripsit vestra paternitas saltem pauca respondissem, cum possint plurima responderi, nisi quod vos propediem spero præsentanee collocuturos. Porro comitem F. ad hoc tandem summo labore inclinavi, ut judicium vobiscum ineat in crastina sancti Michaëlis, vobis apud Rupes, se autem & suis in adverso ripa Ligeris consistentibus; ita quidem ut prius se a vobis injuste excommunicatum denarret, nec debere se ulterius vobiscum placitare. Quod si hoc non potuerit, tunc eamdem integrum secundum justitiam subeat. Sed hæc verba non mea sunt, sed sunt illius, ne forte & ex his contra me indignemini. Valete.*

* Roches-Corbon.

Quid inde consecutum sit, aliis exponendum relinquo. Ad nostra revertor.

XII. S. Petri de Sorziaco ecclesia S. Florentio data.

Jam annus undecimus erat, ex quo Guillelmus [b] abbas Salmurensi sancti Florentii monasterio præsidebat: cum ecclesia sancti Petri de Sorziaco diœcesis Petragoricensis, quæ olim abbatia fuerat, eidem cœnobio collata est. Eam hereditario jure tenebat quidam Alquerius miles, castri Musidanii dominus, cui in mentem venit, ut eam absque ullo pretio, quod tunc insolitum erat, monachis sancti Florentii, Petro & Constantino, traderet. Hujus rei gratia in urbem Petrocoriorum accessit III. nonas Augusti, ut hanc donationem Willelmi episcopi & Heliæ comitis auctoritate firmari curaret. Postridie, quæ sancti Stephani, majoris ecclesiæ patroni, festivitas erat, post capitulum accessit ad dormitorium illius ecclesiæ clericorum: ubi, præsentibus episcopo & comite, in frequenti hominum consessu, suum hac de re propositum exposuit; professus, se id gratuito pro sola animæ suæ, suorumque parentum salute, hanc donationem velle facere: sed tantisper exspectandum fratrem suum Willelmum, qui ipso die ejusdem negotii causa istuc venturus esset. Ubi ille advenit, interpellatus est ab altero eorum fratre, Arnaldo tunc illius ecclesiæ priore, qui ibidem abbatis nomen retinebat; rogatusque sub trecentorum solidorum munere, ut ne prædictam ecclesiam sancti Florentii monachis cederet. Verum Willelmus, qui Arnaldo primum suffragari videbatur, demum Salmurensium precibus victus, illam domno Natali priori, Frogerio, aliisque monachis concessit. Constitutis itaque illic sancti Florentii monachis, unus ex illis, Giraldus nomine, ad Karrofense monasterium profectus, sæpe dictam ecclesiam prodere voluit. Ejus machinationi nimium creduli Fulcradus Karrofensis abbas, ceterique fratres, Alquerium, ejusque fratres Willelmum & Arnaldum monachum muneribus pertentant. quo accepto, sancti Florentii monachi, ne id fieret, intercesserunt hoc anno, Philippi regis XXI.

[b] V. lib. 63. n. 61.

XIII. Evenus Dolensis episcopus obit.

Ex eodem Salmurensi monasterio assumtus fuerat Evenus, primum sancti Melanii apud Rhedonas abbas, ac demum archiepiscopus, ut tum vocabatur, Dolensis, qui, ubi septem ac viginti annos abbatiæ præfuisset abbas simul & archiepiscopus, cum magno sui desiderio e vivis excessit, sepultus in eodem sancti Melanii monasterio, cujus strenuus instaurator fuerat. Post multum vero temporis, venerandæ memoriæ Guillelmo ejusdem monasterii abbate, accidit, ut ejus corpus e tumulo relevaretur, tumque revoluto sepulcrali lapide, plumbea tabula ad ejus caput inventa cum hac inscriptione: *Anno dominicæ incarnationis* MLXXXI. *Romano pontifice Gregorio VII. consule Redonensi Gaufrido, & Silvestro episcopo,* VII. *kalendas Octobris obiit domnus Evenus Dolensis archiepiscopus & abbas sancti Melanii, vir strenuissimus, omniumque morum honestate preclarus, pater piissimus, cœnobiique hujus restaurator mirificus. Namque ut primum abbatiam suscepit, unum tantummodo in ea monachum reperit; infra vero* XXVII. *annos, quibus monasterio præfuit in tantum congregatio crevit, ut die obitus sui perfectus numerus centum fratrum ibi remanserit. Idcirco credendum est, cum a Domino, non tricenum, nec sexagesimum, sed potius centesimum percepisse fructum.* Hæc ex chronico sancti Florentii. Ex his corrigenda series archiepiscoporum Dolensium & sancti Melanii abbatum: ubi Gervasius, & ipse sancti Florentii monachus, post Eveni obitum sancti Melanii monasterii regimen accepit, Eveni studiosus imitator, ad annum

ANN. CHR. 1081.

M C VIII. superstes. Gervasio successit Herveus ejus nominis primus ad octo annos, quem excepit Donraldus abbas ex monacho sancti Michaëlis in Periculo-maris.

Benedictus abbas fit episcopus Namnetensis.

In brevi chronico [a] Kemperlegiensi Benedictus abbas sanctæ Crucis, frater Hoëli comitis, Namnetensis episcopus hoc anno factus dicitur, retento monasterii regimine, ad quod, abdicato post triginta fere annos episcopatu, denuo remigravit, ut in consequentibus videbimus. In eodem chronico tunc quoque Johannes quondam abbas sanctæ Crucis obiisse traditur. Anno vero sequenti beati Gurloësii corpus e terra levatur, & ecclesia sanctæ Crucis instauratur.

[a] Baluz. Miscell. to. 1. p. 523.

XIV. Cluniaco tributa monasteria.

Habitum est hoc anno concilium apud Santonas, præsidentibus sedis apostolicæ legatis, Amato Olorensi seu Oleronensi & Hugone Diensi episcopis, quorum consilio & auctoritate Willelmus Pictavorum comes & totius dux Aquitaniæ, monasterium sancti Eutropii titulo & corpore insigne, quod de manu laïcali eripuerat, in manus Hugonis Cluniacensis abbatis præsentis transtulit, ut ad Dei cultum reformaretur, & quidem omnino liberum, ita ut præter censum quinque solidorum, quos matri ecclesiæ persolveret, nulli hominum quidquam deberet. Hoc ratum habuere iidem legati, in prædicto concilio, cui interfuerunt ex abbatibus Ademarus Lemovicensis, Odo Angeriacensis, Seguinus Casæ-Dei & Rainaldus sancti Cypriani; ex laïcis Calo vicecomes, Rotbertus-Burgundus, aliique; ex ordine monastico *domnus Teuzo de palatio domni papæ, domnus Wido monachus de Casa-Dei, frater comitis Nivernensis; Cluniensés domnus Fulco, de Galliniaco olim dictus, domnus quoque Gerento & domnus Pontius, & multi alii.* Actum *anno incarnationis dominicæ* M LXXXI. *indictione* IV. *anno & hebdomada qua synodus Santonensis est celebrata.* Hac de re jam ante biennium actum fuerat [b] in concilio Burdegalensi, sed res infecta fuerat ad hoc tempus, quo istuc inducti sunt Cluniacenses qui prioris ecclesiæ sedem mutarunt, nova commodiori in loco exstructa basilica, quam Urbanus II. dedicavit. Corpus tamen sancti Eutropii ex eo tempore se possidere contendunt nostri Vindocinenses, totum an potiorem ejus partem, alii definiant.

[b] V. lib. 65. n. 67.

Tunc temporis Rostagnus Aquensis archiepiscopus & germanus ejus frater Amelius cum filiis suis, sanctorum Gervasii & Protasii monasterium diœcesis Arelatensis, situm apud castrum Fossas, quod eorum *parentes* seu propinqui in proprio alodio fundaverant & construxerant, male ordinatum esse videntes, Hugoni Cluniacensi abbati ordinandum commiserunt. De hoc monasterio in consequentibus fusius agemus.

Eodem anno M LXXXI. Hugo comes de Domno-Martino sancti Lupi ecclesiam in villa, quæ dicitur *Esserreus*, ad Isaram, cum altari quod tenebat, reddidit in manus Guidonis Belvacensis episcopi diœcesani. Idem vero episcopus hanc ecclesiam cum altari contulit beato Petro Cluniacensi & ejusdem monasterii monachis, *dominis*, inquit, *& fratribus nostris*, assensu clericorum suorum. Postea idem comes Hugo prædictam villam cum adjunctis suis, Cluniacensium ecclesiæ donavit, annuentibus Philippo rege & Hugone de Crispeio ejus fratre & uxore Hugonis Adela. Hoc donum laudarunt & confirmarunt præ aliis Rodhaidis uxor Hugonis de Domno-Martino, ejusque filius Petrus, atque filiæ, Basilia, Adela & Eustachia.

Ad hæc Adefonsus seu Alfonsus, totius Hispaniæ imperator, Cluniacensibus donat sanctæ Columbæ monasterium, quod ipsi *ex regali progenie* obtigerat, situm Burgis in provincia Castellæ, juxta viam quæ ducit ad sanctum Jacobum. Scripta charta pridie idus Jngii, id est Junii, æra M C XVIIII. Subscribunt Huracha seu Uraca, filia Fredenandi regis & Sanciæ reginæ, Jelvira soror ejus, comes Petrus Ansuriz, comes Gunsalbus Salvatoriz, comes Nonninus Gunsalbus, comes Martinus Adfonso, comes Rodricus Monniz, & plures alii.

XV. Sithienses abbates.

In Belgio Heribertus Sithiensis abbas hoc anno carnem exuit, regiminis sui anno decimo-septimo; sepultus in medio basilicæ, quam ipse perfecerat. Huic successit Johannes monasterii prior, a puero ibidem educatus, humilis & mitis supra modum, ordinatus a Gerardo Cameracensi episcopo, ejus nominis secundo, cui Morinensis ecclesiæ cura tum commissa erat ob intestina Morinensium cum suo episcopo dissidia, quæ a morte Drogonis episcopi semper in deterius creverant tempore trium episcoporum, Hucberti scilicet, Lamberti a Rotberto Frisone intrusi, & Gerardi, ut ex Gregorii VII. epistolis & Iperii chronico patet. Ex his Hucbertus, a quodam lancea vulneratus, relicto episcopatu sub Heriberto abbate Sithium se recepit, ibique ad tempus usque Lamberti abbatis Johannis successoris religiosissime vixit in Veteri-mo-

nasterio, professus se indignum esse, qui inter fratres in novo degeret. Non multo post Johannis abbatis ordinationem incendio conflagravit Sithiense monasterium, quod ille instaurare statim aggressus est.

ANN. CHR. 1081.

Laudunense sancti Vincentii monasterium post Rogerium tunc administrabat Adalbero abbas, *Suessionis oriundus*, teste [a] Guiberto, *& bene litteratus*, cujus rogatu Elinandus Laudunensis præsul ecclesiam sancti Thomæ, subtus Vetus-Laudunum positam, hoc anno concessit, ut illic monachorum cella fieret. Eidem abbati post annos septem Radbodus Noviomensium antistes cellam sancti Johannis-Baptistæ de Vendolio,* supra Faram opidum ad Isaram sitam, donavit. De cella sancti Goberti apud Altimontem inferius.

Adalberoni Abbati S. Vincentii Laudunensis cella datur.

a *Guibert lib. 3. de vita sua c. 4.*

* *Vendeuil.*

XVI.

Paullo ante id tempus apud Declivium * Flandriæ vicum conditum fuerat asceterium: sed propter loci angustias non multo post translatum in opidum, quod Geroldi-montem * vocabant. Id discimus ex litteris Gerardi Cameracensis episcopi mox laudati, qui interventu Rotberti [b] junioris comitis Flandriæ & Stephani de Boulario altare *de Huneghem*, cum adjunctis suis, eodem scilicet Geraldi-monte & Boulario, *liberum sine persona & obsoniis*, prædicto monasterio propter indigentiam concessit, « ita ut monachi illic habeant quidquid juris parochialis est. Actum in eodem opido, « anno Verbi incarnati M LXXXI. indictione IV. præsulatus vero Gerardi episcopi anno « tertio. Hinc corrigas quæ Miræus in libro de monasteriis Belgicis scripsit de hoc cœnobio, quod etiam nunc religione, uti & sequens, florescit, scholarium academia insuper insignitum.

Geroldi-montense monasterium conditur.

* *Dickelenne.*

* *Gramont.*

b *Miræi notit. p. 208.*

Eodem anno Richeldis Hannoniæ comitissa, mater Balduini comitis, filii Balduini Flandriæ comitis, eo nomine sexti, qui utrumque comitatum, Flandriæ scilicet atque Hannoniæ, tenuit, de animæ suæ salute sollicita, consilium iniit, ut quemdam locum, prope Montes-Hannoniæ positum, & sancto Dionysio [c] antiquitus dedicatum, denuo erigeret, ibique fratres secundum regulam sancti Benedicti militaturos ad normam Silvæ-majoris monachorum institueret. Locus in Brocareia * seu Brocaria positus dicitur, indeque sancti Dionysii in Brocareïa monasterium nuncupatur. Acta sunt hæc in Monte *, qui vocatur Castrilocus, anno ab incarnatione M LXXXI. Non tamen id exsecutioni mandatum est ante annum sequentem, quo tempore Richeldis prædictum locum subjecit Silvæ-majoris monasterio, quod recentissime construi cœperat a domno Gerardo abbate, ut in superiori libro vidimus. Itaque Geraldus comitissæ rogatu monachos illuc misit, primumque illic abbatem instituit, eo pacto, ut census duodecim auri denariorum quotannis initio quadragesimæ, sanctæ Mariæ, in cujus honorem Silvæ-majoris monasterium dedicatum est, persolveretur. Ejus rei diploma sequenti anno datum est, cui Balduinus comes cum Richelde matre sua, Gerardus Cameracensis episcopus, Anselmus de Ribodi-monte, aliique subscripti sunt. Has litteras in observationibus ad vitam sancti Geraldi integras retulimus, in quibus cuivis, præterquam abbati & fratribus, quidlibet juris, dominationis vel advocationis ibidem interdicitur. unde ipse Gerardus episcopus omne jus episcopale, quod in illa ecclesia habebat, remittit, *ut ibi degentes monachi, omni prorsus inquietudine sint liberi*. Si vero aliquando contingeret, ut abbas sancti Dionysii « contra regulam ageret, Silvæ-majoris abbatis correctioni subjicitur. quod etiam de « monachis statuitur, qui abbati rebelles forent. Richeldis matris pietatem litteris suis post biennium prosecutus est Balduinus comes, qui non modo illius loci libertatem monachis asserit, sed etiam servos & *albanos* seu advenas eis concedit, necnon sancti Petri ecclesiam apud Montes sitam inter monasteria sanctæ Waldetrudis & sancti Germani, ita ut illius ecclesiæ canonicis obeuntibus, eorum præbendæ monachis cedant. quod Gerardi episcopi consilio comes factum dicit. Biennio tantum supervixit Richeldis, mortua anno M LXXXV [d].

S. Dionysii in Brocareia cœnobium.

c *ibid. & seq.*

* *Brocheroye.*

* *Mons.*

d *Spicil. to. 7. p. 589.*

Primus S. Dionysii abbas fuit Martinus ex Silvæ-majoris monachis, qui anno M XCVI. concilio Claromontensi interfuit: ejus vero successor Heribertus concilio Remensi sub Callisto II. Hi eorumque successores Silvæ-majoris abbati ad duo minimum sæcula subjecti fuere, ita ut eorum electio a Silvæ-majoris abbate & conventu confirmari deberet, eique subjectionem post suam ordinationem profiteri tenerentur, ut in consequentibus videbimus.

XVII. Eliensis monasterii status.

In Anglia Godefridus Eliensis abbas, superius laudatus, a Willelmo rege ad Malmesburiensis [e] abbatiæ regimen translatus est, ejusque loco substitutus in Eliensi

e *Angl. sac. to. 1. p. 612.*

ANN. CHR. 1081.

Symeon prior Wintoniensis, frater Walkelmi ejusdem ecclesiæ episcopi. Benedictionem ab batialem a Remigio Lincolniensi episcopo accepit, contra privilegia regis Edwardi & Victoris papæ II. qui abbates Elienses absque subjectionis obedientia a quocumque episcopo ordinari præceperant. Nova monasterio ædificia condidit novus abbas: ast Eliensium in se concitavit indignationem, quod benedictionem a diœcesano episcopo accepisset, etsi cum ea conditione, ut nullum jus in sequentes abbates episcopus sibi arrogaret. Hinc Symeon a rege obtinuit, ut decem Wintonia monachos accerseret, quibus rerum interiorum, exteriorumque providentiam commisit. quæ res Eliensium animos amplius exasperavit. Unus ex illis Wintoniensibus monachis, Godricus nomine, vir erat eximiæ sanctitatis, inde ob exemplum istuc adductus. Post septem regiminis annos Symeon per reliquos septem in languorem incidit ob exactiones militares, coactus quadraginta milites suppeditare ad custodiam insulæ, totidemque ad expeditionem. Cum se invisum Eliensibus cerneret, regni judices ad se vocavit, qui, manu in thesauros injecta, brevem eis annonam constituerunt, scilicet uno quoque anno ad vestimenra fratrum septuaginta libras, ad coquinam sexaginta, ad sagimen ducentos porcos, certamque frumenti quantitatem & vini, quod in festis tantum duodecim lectionum & sabbato (*caritatem* vocabant) subministrabatur. Ita sæculares rerum domini facti sunt usque ad obitum abbatis, gementibus sub eorum tyrannide monachis, experimento suo probantibus, quanti periculi sit sæculares in monasteria sic accersere.

XVIII. S. Eadmundi ecclesia monachis asserta.

a *Monast. Anglic. to. 1. p. 289.*

In monasterio sancti Eadmundi gravis controversia tunc fervebat inter Baldewinum abbatem & Arfastum seu Erfastum Tetfordensem episcopum, qui sedem suam in sancti Eadmundi ecclesia statuere volebat. Ea res in conventu Wintoniæ habito hoc anno, præsente Willelmo rege, ventilata fuit. Illic *clamorem* a fecisse dicitur episcopus, *sed scriptis & testimoniis omnino vacuum*. Abbas contra reposuit, Cnutum regem, cum consilio episcoporum & optimatum suorum, clericos male viventes ex illa ecclesia expulisse, eorumque in locum monachos substituisse, ubi per quinquaginta-tres annos citra prædicti Arfasti antecessoris contradictionem perstiterint, quod præceptis regum & Cantuariensium archiepiscoporum auctoritate roboratum sit. Auditis utrimque partibus, regia & episcopali auctoritate sancitum est, ut ab Arfasti, ejusque successorum dominatione ipsa ecclesia cum adjuncta villa esset immunis. Subscripsere post regem Mathildis regina, archiepiscopi duo, Lanfrancus scilicet Cantuariensis, & Thomas Eboracensis; tredecim episcopi, quorum unus Arfastus Tetfordensis erat; Rotbertus & Willelmus filii regis; abbates septem, nempe Scollandus sancti Augustini, Wlfwoldus Certesiensis, Vitalis Westmonasteriensis, Ægelnothus Glastoniensis, Ægelwinus Eoveshamensis, Ægelsinus Ramesiensis, & Turoldus Burgensis; ac post eos comites & optimates. *Data pridie kal. Junii, anno* XV. *regnante Willelmo rege gloriosissimo, ab incarnatione autem Domini* M LXXXI *indictione* IV. *Actum apud Wintoniam in palatio regio.* Non tamen omnino repressa est Tetfordensium seu Norwicensium episcoporum insectatio, qui novas eidem loco molestias facessiverunt tempore Willelmi *Curteys* b abbatis, Baldewini successoris.

b *ibid. p. 290.*

XIX. Res Germanicæ.

c *Greg. VII. lib. 9. ep. 10.*

Interim in Germania, cum Heinrici regis iræ longius procederent, non pauci ab ejus partibus recedentes, ad Gregorii communionem accedebant. Hos fraterne suscipiendos monet pontifex in epistola c ad Altmannum Pataviensem episcopum, in his Onasburgensem episcopum, scilicet Bennonem, quem pontifex sibi adhærere velle intellexerat. Insuper Altmannum hortatur, ut litem, quam idem Benno cum Corbeiensi abbate super decimis habebat, componere satageret. Corbeiæ-novæ tunc abbas erat, sed nullius frugi, Frethricus, cujus tempore, & quidem hoc ipso anno, Erchinbertus, ejus loci monachus, factus est abbas Heresburgensis, ut in annalibus Corbeiensibus legitur.

Eodem anno Moguntiæ monasterium sancti Martini (cathedralis ecclesia est) cum tribus adjacentibus monasteriis, ac pæne tota civitas conflagravit. Ita Marianus & additiones ad Lambertum: ubi etiam Heinrico regi natus dicitur filius cognominis, is scilicet, qui eum regno expulsurus erat.

XX. Rambonense monasterium

Apud Italos in Piceno, haud procul Tolentino, exstabat per id tempus sancti Flaviani monasterium juxta locum, qui dicitur Rambona, a quo Rambonense monasterium dictum est. Ei tunc præerat Gislerius abbas, cui Aldebrandus quidam, filius Hildebrandi, & Idelberga ipsius conjux, hoc anno quamdam sanctæ Mariæ

in Silva ecclesiam, sitam in comitatu Auximensi, contulerunt. Ejusdem loci abbas erat Albertus anno MCXIII. Nec plura de hoc monasterio.

ANN. CHR. 1082. XXI. Heinrici nova Romæ facinora.

Vix annus supra millesimum octogesimus-secundus inchoatus erat, cum rex Heinricus, milite ex hibernis educto, Romam reversus, urbem Leoninam acri obsidione premere instituit; eaque in potestatem redacta, cum templum augustissimum sancti Petri igne violare frustra tentasset, veteris urbis oppugnationem aggressus est. Verum sævientium æstuum incommodis conflictatus, Romanis acriter resistentibus, ab oppugnatione recessit, exercitu per vicina loca disperso, cui Clementem antipapam præfecit: ipse vero in Lombardiam se recepit. Ad hoc tempus referenda est ejusdem Heinrici epistola ad Theodericum Virdunensem episcopum, in historia [a] Trevirensi relata, in qua ait, *se die sancti Benedicti* Romam intravisse, « & eum incredibili modo, non sine miraculo, cum decem tantum hominibus secum « haberet, (quod antecessores sui vix cum decem millibus facturi fuissent) a Roma- « nis ultro receptum fuisse: adeo ut tota Roma ipsius esset, excepto castello, in quo « reclusus habitabat Hildebrandus, scilicet domo Crescentii. Porro Hildebrandum « *legali omnium cardinalium, ac totius populi Romani judicio* abjectum esse, & electum « papam Clementem in sede apostolica sublimatum; seque consensu omnium Romanorum in die sancto paschæ consecratum fuisse imperatorem, in quibus etsi quædam præter veritatem jactanter dicta sint, visum est tamen saltem hæc pauca in transcursu delibare.

[a] Spicil. to. 12. p. 288.

Farfæ acta.

Antequam Romam obsideret Heinricus, ad Farfense accessit monasterium, cujus abbatem Berardum de castro Faræ, & de omnibus monasterii rebus investivit, seque *in fraternitatem & societatem orationum* adscribi postulavit. Inde ad prædictum Faræ castrum profectus, ex eo Rusticum, Crescentii quondam filium, qui illud invaserat, expulit, ipsoque die castrum Farfensibus restituit. Tempus, quo Farfam accessit, diligenter notavit loci chronographus in hæc verba. *Anno dominicæ incarnationis* MLXXXII. *indictione* V. *epacta* XVIII. *concurrente* V. *quinta feria, mensis Martii die* XVII. *prima videlicet hebdomada quadragesimæ, tertia hora diei, dominus Heinricus* IIII. *gloriosissimus rex, a Deoque coronatus piissimus augustus imperator tertius, ad hoc Farfense devotissime veniens cœnobium, a cunctis fratribus nobilissime, valdeque honorifice & amantissime susceptus est* &c. Hæ chronicæ notæ apprime huic anno, etiam secundum nostrum calculum, conveniunt.

XXII. Desiderium abbatem ad se vocat.

Erant in Italia monasteria quædam regia, quæ imperatores jure proprio sibi tunc vindicabant, & quorum sibi arrogabant investituras: qualia fuere Farfense & Casauriense, quale etiam fuit Casinense. Hinc est quod prædictus rex Heinricus, dum Farfæ versaretur, sive hoc anno sive sequenti, ut Baronio visum est, litteras [b] ad Desiderium Casinatem abbatem, ut ad se veniret, misit. ad quas cum ille nihil respondisset, alteras subjecit terroris ac minarum plenas, mandans, ut Farfæ sibi occurreret. Tunc rescripsit Desiderius, sibi integrum non esse ad eum accedere ob metum Nortmannorum. Attamen si rex cum Romano pontifice pacem inire vellet, se eum incunctanter aditurum. Hoc responso iratus rex, tertias ad eum litteras scripsit, postulans, ut ad celebrandum secum pascha veniret. Ad hæc anceps animi abbas, quid ageret hærebat. si enim ad regem proficisceretur, ne sacro anathemati subjiceretur, metuebat: si maneret, ne sibi aut suo monasterio detrimentum accerseret. Divino tamen præsidio, sanctique Benedicti patrocinio confisus, iter aggreditur, sollicite cavens, ne sive in toto illo itinere, sive in mora apud regem, cum ullis episcopis aut honoratis regii comitatus viris preces haberet, cibumve sumeret. Denique jussus ut regi fidem præstaret, atque ex ejus manu abbatiam susciperet; alterum se præstiturum dixit, cum eum imperatorem legitime coronatum videret: alterum nec pro totius mundi honore facturum constanter asseruit. Hinc ira excandescens Heinricus, Jordano principi, qui ad ipsum transierat, præcipit, ut nuntiis suis Casinense monasterium tradat. Verum, cum multa de Desiderio præclara retulisset princeps, mitigatus rex id unum ab inflexo abbatis animo extorquere potuit, ut suam apud Pontificem operam pro ejus coronatione interponeret.

[b] Chron. Casin. lib. 3. c. 50. al. 49.

His actis, rex ad obsidendam Urbem cum exercitu suo profectus, cum in burgo sancti Valentini maneret, ejus loci ecclesiam Farfensi monasterio asseruit, diplomate dato *anno primo pontificatus domini Clementis III. papæ*, immo antipapæ, *die* XXIIII. *mensis Maii.*

ANN. CHR. 1082.

XXIII. Canusinum & Fraxinorense monasteria.

Hoc anno, cum ad extremas rei familiaris angustias redactus esset Gregorius papa, ut ei succurreret Mathildis comitissa, Canusinæ abbatiæ thesaurum, quem eidem loco cum progenitoribus contulerat, Romam perferri curavit. Exstat hac de re apud Tengnagellum relatio, cujus hoc initium. *Anno Domini* M LXXXII. *comitissa Mathildis cum episcopo Anselmo*, scilicet Lucensi, *qui & vicarius* seu legatus *erat Gregorii VII. in illis diebus in Longobardia, thesaurum ecclesiæ Canusinæ postulavit abbati Gerardo, qui tunc præerat præfatæ ecclesiæ, ad dirigendum papæ pro defensione Romanæ ecclesiæ, quæ illo tempore persecutionem grandem habebat a Guiberto hæresiarcha*. Mathildis voluntati pro sua in pontificem & Romanam ecclesiam propensione obsequens Gerardus abbas, mox ecclesiæ suæ thesaurum misit, videlicet coronas viginti-quatuor, quarum duæ aureæ erant, (quales coronæ tunc temporis in ecclesiis suspendi solebant ad ornatum) duas altarium tabulas argenteas; turibulum grande argenteum, quod decoctum Canusii septingentas libras argenti, novemque auri pendebat. In hujus vero thesauri compensationem abbatiæ Canusinæ quædam capellæ concessæ. Hujus loci occasione de istius abbatiæ origine hic agendum est.

Canosa locus est haud procul a Regio-Lepidi in Lombardia, ubi Atto Brixiensis marchio ecclesiam sub medium sæculum decimum exstruxit, sanctorum martyrum Victoris & Coronæ, nec non sancti Apollonii Regiensis episcopi & confessoris corporibus a Gothifredo episcopo Regiensi ipsius filio decoratam, quam sæcularibus clericis commisit. Attonis ex filio Tedaldo nepos fuit Bonifacius marchio, qui ex Beatrice conjuge Mathildem comitissam suscepit. Mortuus est Bonifacius VI. kalendas Maii, anno Christi M LII. ut diserte tradit Domnizo, ex quo hæc omnia de Canosa, & Canusina abbatia discimus. Bonifacio viginti-quinque annis supervixit Beatrix, quæ una cum filia Mathilde Fraxinorense monasterium nostri Ordinis construxit, & Canusinam ecclesiam itidem Benedictinis attribuit: quod Domnizo [a] testatur his versibus.

a Domnizo lib. 1. c. 17.

> ——————*comitissa Beatrix*
> *Moribus in pulcris natam nutrivit ab ulnis,*
> *Scilicet excelsam Mathildim, mente modestam*
> *Bina monasteria cum qua simul edidit ipsa.*
> *Fraxinorense monasterium primum fuit illud.*
> *Prædia multa satis dedit illic magna Beatrix.*
> *Esse quia monachos plusquam clericos venerandos*
> *Credebant ambæ; Canusina quoque sancta*
> *Ecclesia nomen mutaverunt & honorem*
> *In melius, dudum cui præpositus fuit unus*
> *Usus cum cleris nonnis tantum duodenis*
> *Deservire quidem: nunc abbas servit ibidem*
> *Cum monachis Christo multis famulantibus illo.*

Canosæ monachis haud dubie præpositus fuit Gerardus abbas primus, de quo superius facta mentio est. Monasterii de Canusio meminit Lucius II. cujus loci abbas commendatarius erat anno M D XIII. Ludovicus Tricaricensis episcopus. Nec plura de hoc celebri quondam monasterio, ubi Atto marchio, Gothifredus episcopus ejus filius, aliique ejusdem stirpis sepulti sunt.

Ad Fraxinorense quod attinet, aliis Frassinorum & de Frassinaria, situm erat [b] in diœcesi Mutinensi, sub titulo sanctæ Mariæ & omnium Sanctorum; nunc vero unitum Romano collegio Maronitarum per Sixtum V.

b V. Luba p. 150.

XXIV. Simonis monachi Romæ gesta & obitus.

Vix in sancti Claudii monasterium reversus erat Simon ex comite monachus, cum a pontifice iteratis litteris Romam accersitur. Ubi eo advenit, honorifice acceptus est, eique domus ad habitandum juxta beatæ Theclæ virginis ecclesiam assignatur. Illic dum moraretur, omnes ejus famuli aëris contagione absumti sunt, duobus tantum monachis relictis, quorum alter ad monasterium regressus est, alter vero, Rotbertus nomine, usque ad finem vitæ Urbis inæqualitatem cum eo sustinuit. Contigit autem eo tempore, ut Rotbertus Guiscardus, Apuliæ princeps, a Gregorio dissentiret: cui reconciliando Simon in illas partes a pontifice missus, rem pro voto exsecutus est. Inde in Urbem reversus, cum repetendi monasterii sui veniam a papa sæpius petiisset, Dei tandem voluntatem apud sanctum Petrum perscrutari jubetur:

ubi, cum pervigilem in precibus noctem exegisset, morbo corripitur. Tum ad domicilium reversus suum, ut se inviseret, pontificem rogat, cui animæ suæ arcana aperit. Dein, ejus indulgentia & benedictione percepta, sacro viatico munitus, pridie kalendas Octobris spiritum Deo reddidit. Ejus obitum sanctus Arnulfus, Suessionum tunc episcopus, ipsa hora cælitus didicisse traditur. Funus ejus perquam honorifice curatum, jussuque pontificis sepulturæ locus *inter apostolicos* ei concessus. Regina vero Anglorum Mathildis, quæ ipsum educaverat, ad tumulum ejus exornandum auri quam plurimum & argenti per quemdam monachum transmisit. Post ejus mortem Rotberto monacho, qui cum ipso Romæ perstiterat, ad sua reverso apparuisse dicitur, eumque objurgasse, quod duos aureos sibi relictos in pauperes non expendisset. Tum eum de sua gloria certiorem factum jubet significare *Anselmo sanctæ Mariæ Becci abbati, prudentissimo & reverendissimo viro*, quod modicum ipsi in Deo contulisset auxilium, contra quam de ejus pro se suaque salute studio speraverat. His dictis, monachum ad prosequenda monasticæ vitæ, in primis obedientiæ, officia hortatus est; moxque evanuit. Hæc cum Anselmo Rotbertus retulisset, illacrymatus vir Dei culpam confessus est, seque eleemosynis facturum satis promisit. Simonis gesta litteris mandavit anonymus ejus æqualis; epitaphium præter alios composuit Urbanus II. quod pyramidi inscriptum ob meritum cum auctoris, tum beati Simonis, hoc loco exhibere visum est.

ANN. CHR. 1082.

Simon habens nomen, majorum sanguine claro,
Francorum procerum pars ego magna fui.
Paupertatis amans, patriam, mundumque reliqui,
Christum divitiis omnibus anteferens.
Post ad apostolicam calestis principis aulam
Eximius tanti me patris egit amor.
Quo duce promerear tandem super astra levari:
Hospitor hic, sacras conditus ante fores.

Præter Crispiacense sancti Arnulfi monasterium, quod Cluniacensibus nostris concessit Simon, complures cellas seu prioratus erexisse dicitur: unum sub sancti Petri titulo apud Barrum-super-Albam Campaniæ oppidum: alterum sanctæ Germanæ in vicino monte: tertium in opido Firmitatis ad Albam: quartum Silvæ-rubræ* seu Roboretæ secundum Albam fluviolum, uti & quintum sancti Leodegarii: sextum apud Confinium* in eodem tractu, & quosdam alios: quos omnes sancti Augendi seu Eugendi abbatiæ, ubi monachum induerat, attribuit.

* Sivarolla.
* Consin.

XXV. Turbæ novæ apud S. Gallum.

Interim Hermannus Luciliburgensis, contra Heinricum anno superiore in festo sancti Laurentii rex electus, & post natale Domini in festo sancti Stephani coronatus, expeditionem in Italiam ad liberandum pontificem parabat. Hujus rei causa e Saxonia in Sueviam hoc anno, teste Bertoldo, accessit. quo tempore id sine dubio contigit, quod Burchardus monachus sancti Galli [a] scribit, nempe quod Hermannus iste Liutoldo sancti Galli pseudoabbate, de quo superius [b] actum est, deposito, quemdam Augiensem monachum, Verinharium nomine, in illum locum intruserit. Inde novæ rixæ inter Udalricum sancti Galli abbatem, eo nomine tertium, & Ekkehardum Augiæ abbatem, qui monachi sui partes tuebatur. At victor non semel Udalricus, post cædem patriarchæ Aquileiensis in ejus thronum promotus, novas ad resistendum vires habuit ex nova dignitate, cujus potentiam reveritus Werinharius, a præfectura sancti Galli male usurpata abstinere compulsus est, ut inferius videbimus. Ad Hermannum novum regem quod attinet, Ottone duce, quem in Saxonia reliquerat, mortuo, ab Italica expeditione animum avertit, in Saxoniam redire coactus.

a Goldast. rer. Alam. to. 1. p. 121.
b lib. 65. n. 22.

Illic cum apud Goslare in frequenti procerum ac principum Saxonum consessu versaretur, ipsum adiit Marcwardus Corbeiæ-novæ abbas recens electus, petiitque, ut duorum cœnobiorum [c] sibi commissorum, Corbeiensis nimirum & parthenonis Herivordensis privilegia confirmaret, necnon decimarum possessionem adversus Brunonem Osnabrugensem episcopum, eas ex Heinrici regis decreto repetentem. Fecit novus rex quod rogabatur, diplomate dato in palatio regio Goslare coram multis principibus III. nonas Augusti anno ab incarnatione MLXXXII. indictione quinta. Itaque

Corbeiæ-novæ privilegia renovata.
c V. Annal. Paderborn. p. 607.

ANN. CHR. 1082.

ante hunc diem depositus fuerat ejectusque Frethricus Corbeiæ abbas, in cujus locum jam tum substitutus erat Marcwardus, *bonus pater & doctus, doctorumque amator*, ut in annalibus Corbeiensibus legitur, in quibus hæc confirmatio perperam differtur ad annum sequentem. Vir frugi fuisse dicitur iste abbas, precibus, studiis & curæ monasterii semper intentus: sub quo numerus fratrum amplissimus fuit, & schola Corbeiensis refloruit. Idem ossa Liutolfi & Dietmari piissimorum abbatum elevasse, & ante aram sanctæ Crucis cum summa reverentia posuisse memoratur, factus demum episcopus Onasbrugensis. Ceteris rebus Germanicis hujus anni tantisper dilatis, ad res Gallicanas divertamus.

XXVI. Meldensis concilii acta pro Dervo & aliis.

Apud Meldas habitum est hoc anno concilium, præsidente Hugone Diensi episcopo, sedis apostolicæ legato, cum Amato vicario Gregorii papæ, cui Richardus Biturigum archiepiscopus, & episcopi novem, cum Tetbaldo seu Theobaldo palatino comite interfuere. Horum omnium nomina discimus ex duobus ejusdem concilii actis pro Dervensi monasterio. Unum est contra Breonensem * comitem, qui injustas consuetudines a prædicta abbatia exigebat contra decretum Theobaldi comitis, superius a nobis relatum. Eas vero in posterum sub anathematis pœna exigi vetant patres. Alterum est comitis Rosnacensis, qui, consilio habito cum Gregorio papa *ut moreretur mundo & viveret Deo*, Dervensibus alodia quædam concesserat apud Roserias, Muceïum, & Tunchereïum, eo pacto, ut Dervenses Cluniacensibus cederent quartam partem ecclesiæ sanctæ Margaretæ, ubi illos idem Guarinus collocaverat. quam donationem Meldensis concilii auctoritate confirmari petiit, obtinuitque. Utrisque actis in Appendice relatis subscribunt cum duobus legatis & Richardo Bituricensi archiepiscopo novem, ut dixi, episcopi, scilicet Hugo Trecensis, Rogerus Catalaunensis, Roricus Ambianensis, Hugo Gratianopolitanus, Hugo item Lingonensis, Hugo quoque Nivernensis, Hagano Augustodunensis, Arnulfus Suessionensis, & Landricus Matisconensis. Post episcopos vero Tetbaudus comes, Alais seu Adelais ejus uxor, & Odo eorum filius. *Actum Meldis civitate in concilio publico, ubi multitudo sacerdotum jussu Gregorii papæ, qui & Hildebrannus dictus est, convenerant.*

* de Brienne.

Diem & annum non exprimunt hæc acta: sed utrumque nobis indicat Clarius monachus in chronico Senonensi in hæc verba. *Anno* M LXXXII. *die* XIV. *kal. Novembris, obiit Walterius Meldensis episcopus; & in sequenti septimana Hugo Diensis episcopus, Romanæ ecclesiæ legatus, congregavit concilium in eadem urbe, & ordinavit* ibi *episcopum Rotbertum abbatem ecclesiæ Resbacensis. quod quia sine præsentia & assensu Richerii archiepiscopi* Senonensis *& coepiscoporum ejus factum est, excommunicaverunt eum*, scilicet Rotbertum, cujus loco Richerius post annos duos Walterium episcopum ordinavit. In duobus illis actis Hugo legatus adhuc Diensis episcopus dicitur, tametsi ante hoc Meldense concilium Gebuino Lugdunensi archiepiscopo jam successerat: at sub finem secundi instrumenti etiam Lugdunensis archiepiscopus vocatur. Ad eum jam archiepiscopum Gregorius papa scripsit [a] de lite Seguini abbatis Casæ-Dei adversus alterum incerti loci abbatem, quem Hugo interdicto supposuerat, propterea quod loco, ad discernendam justitiam constituto, non adfuisset.

a Greg VII. lib. 9. ep. 19.

Sub idem tempus Dudo Dervensis abbas, Brunonis successor, querimoniam itidem movit in Goffridum juniorem, Junvillæ dominum, sui monasterii advocatum, qui iniquas consuetudines in quibusdam monasterii prædiis exigebat. Hac de re proclamatio facta dicitur *ad magnanimum comitem Theobaldum*: a quo monitus est Goffridus, ut pro ejusmodi vexationibus Dervensibus satisfaceret *apud civitatem Meldis*. Verum, cum die constituto illic adesse non potuisset comes, utpote vehementer occupatus *ob captionem filii sui Stephani, carcerali custodia a rege Francorum mancipati*; inde reversus Goffridus cum Dervensibus pactionem fecit, ne iterum a comite hac de re corriperetur, pollicitus se contentum fore consuetudinibus, quas avus ejus Stephanus, cum laude & consensu monachorum accipere consueverat. Hic Stephanus, de Vallibus cognominatus, filia comitissæ Junvillæ seu Joviniaci ducta in uxorem, ejus loci comitatum obtinuit, ut ex Alberico [b] discimus, fuitque pater Goffridi senioris.

b Alberic. an 1055.

XXVII. Cella Brigensis data Majori-monasterio.

In prædicto concilio Meldensi statutum est, ut minores abbatiæ, in quibus duodecim monachorum numerus cum abbate sustentari non poterat, Cluniacensis vel Majoris-monasterii abbatum procurationi subjicerentur. Quam ob rem Hugo comes de Domno-Martino ejusque fratres, Ebalus & Andreas, quorum majores abbatiam sancti Petri, Cellam vulgo dictam, in pago Briegio prope Creccium ad Mucram * in

* le Grand Morin.

suo alodio construxerant, eam religione fere destitutam, Tetbaldo comite cum Adelaide probante hoc anno reformandam commisére Bartholomæo Majoris-monasterii abbati, qui ægre illam admisit, ac demum illic monachos suos cum priore instituit. Longe antiquior erat hæc ecclesia, *La-cella* dicta in litteris Walteri episcopi Meldensis, eo nomine primi, anno sexto-decimo Heinrici regis datis, quibus fratribus monasterii *Lacellensis* altaria duo concessit, unum sub abbatiali nomine in villa, nomine *La-cella*, alterum in villa *Wairas* nuncupata, ea lege, ut ipsi ejusque successoribus parerent abbas & monachi, & episcopum, cum illud diverteret, hospitio exciperent. quod Bernerius abbas vir religiosus, adhuc vivens implere statuit, sed morte præventus non potuit. Ex quo intelligitur monachos illic & abbatem exstitisse, antequam hæc cella Majori-monasterio subjiceretur. Horum omnium litteras in Appendice referemus, in quibus habetur confirmatio Rotberti Meldensis episcopi, qui se ab Hugone Diensi consecratum fuisse dicit. Locum hunc versibus suis celebravit illius temporis poëta Fulcoïus subdiaconus Meldensis in hunc modum.

ANN. CHR. 1081.

Fulcoïus spatians paradisum per Briegensem,
Dum fontes, saltus, dum Thessala Tempe reviso,
Delibans ut apis, quid in arbore, quid sit in herba,
Occurrit locus hic positus Mucram super amnem.
Insula parva situ, musis gratissima sedes,
Magna voluptati superans Helicona deorum:
Cui nomen Cellæ: Cellam dixere coloni.
Invitante loco, captus regione resedi.

Post hæc sequuntur versus de Dudone abbate, qui principatu Philippi primi floruisse dicitur.

Cujus nobilitas sedes possedit avitas,
Imperio digna specie per idonea signa
Exstitit illustris, non ut plerique....
Longe tentatus, per tentamenta probatus
Abbas Dudo bonus.

His versibus subjicitur carmen prolixum de sancto quodam Bladino porcorum pastore, apud Cellam sepulto in basilica sancti Petri.

——Locus hic qui distat ab urbe
Meldis, millenis spatio propiore decenis.

id est quatuor leucis. Hanc Cellam *abbatiam Cella-Briensis* vocat Manasses primus Meldensis episcopus, eamque *ad cellam* & ad prioratum confirmat fratribus Majoris-monasterii cum parochiali ejusdem Cellæ ecclesia. Cellam modo occupant Benedictini Anglicani.

Fulcoïus poëta mox laudatus, ut id obiter notem, ortu Belvacensis, sed Meldensis subdiaconus, versibus suis celebravit sanctos Briegenses; viros sui temporis illustres, Alexandrum II. & Gregorium VII. Romanos pontifices; Gervasium & Manassen Remorum archiepiscopos, necnon Richerium Senonensem; Hugonem Diensem multosque episcopos; Hugonem abbatem Cluniacensem, Ivonem Dionysianum, cujus & *titulum* seu epitaphium, multorumque aliorum composuit. Viros itidem sui temporis doctos prædicavit, Lanfrannum seu Lanfrancum, Anselmum & Hermannum magistrum, cujus epitaphium edidit. Denique idem auctor titulos quoque scripsit parentum suorum, Anselmi & Emonæ, duorumque fratrum suorum, Adæ & Tritici, necnon Escelinæ nutricis. Idem epitaphium scripsit Hugonis cujusdam ex milite monachi, qui

Fulcoius poëta.

Conculcans mundum sumsit baptisma secundum.

Hæc satis ad internoscendum obscurum poëtam, cujus opera exstant in bibliotheca regia, & Bellovacensi.

XXVIII.
S. Celiniæ cella, aliæque item Majoris-monasterii.

Eodem tempore in ipsa Meldarum urbe sanctæ Celiniæ virginis ecclesia seu abbatiola, quæ olim multos habuisse monachos dicitur, sed tunc in tantas redacta an-

ANN. CHR. 1081.

gustias, ut vix unum aut alterum ministrum alere posset, Majori-monasterio itidem subjecta fuit. Primus ejus loci prior fuisse videtur Berno, ad cujus preces Galterus seu Walterus, eo nomine secundus, episcopus Meldensis, Bernardo Majoris-monasterii abbati confirmat prædictam sanctæ Celiniæ ecclesiam, & quatuor altaria, necnon ecclesiam beatæ Mariæ de Curte-Evroldi, & ecclesiam beati Jacobi apostoli Gallifeti anno M XCVI. Non multo post eodem Bernone priore, Adela comitissa ejus-
» dem loci monachis, qui tunc a præfecto comitis plurimum vexabantur, donat *to-*
» *tum consulatum* seu jus comitis in terra sanctæ Celiniæ, sicut habebat ultra pontem;
» & quidem pro anima Stephani comitis mariti sui, in Palæstina cæsi anno M C I. & fi-
» liorum suorum Guillelmi, Tetbaldi, Stephani & Odonis. quod donum Tetbaldus
» comes ratum habuit, præsentibus Manasse Meldensi episcopo, Urso sancti Faronis
» & Galeranno sancti Petri Resbaci abbatibus atque Galfredo vicecomite. Denique
» Rainaldus episcopus Meldensis scripto testatum reliquit, Ansellum de Dangiolio,
» in extremis constitutum, monasticum induisse habitum inter sanctæ Celiniæ mona-
» chos, quibus quædam donaria contulerit; eisdemque longe ante *usarium unius qua-*
» *drigæ* in nemore suo, quod Moleïum dicitur, concessisse eo tempore, quo *in viam Dei*,
» id est ad expeditionem sacram, cum comite Heinrico proficisceretur, scilicet anno M CXLVII. Hujus scripti testes duos abbates, Lambertum sancti Faronis, & Simonem sanctæ Mariæ, videlicet de Cagia, adducit Rainaldus episcopus, qui in Meldensium episcoporum indicibus Genoldus mendose appellatur.

Concilia Exoldunense & Carrofense.

Paulo ante Meldense concilium habitum fuerat aliud concilium [a] apud Exoldunum [*] Bituricensis pagi opidum, præsidente itidem Hugone Diensi episcopo cum Amato Ellerensi seu Oleronensi, quo in concilio Richardus Bituricensis archiepiscopus donationem, fratribus Majoris-monasterii ab se factam ecclesiæ sancti Martini de Campis olim de Briva appellatæ, juxta muros urbis Bituricæ sitæ, confirmari curavit. Hugo & alii sexdecim episcopi [b] instrumento subscripserunt.

a *Spicil.* to. 7. p. 17.
* *Issoudun.*
b *Concil.* to. 10. col. 400.

His conciliis adde Carrofense, hoc anno celebratum, in quo ejusdem monasterii reliquiæ ostensæ sunt III. idus Novembris, ut legitur in chronico Maxentiano, seu Malliacensi, quod potius de quodam conventu fidelium, quam de vero concilio intelligendum videtur. Eodem anno sancti Maxentii monasterium cum adjuncto opido flammis absumtum, uti & Malliacense, cui Gaufredus abbas tunc præfectus fuit, postmodum rector sancti Michaëlis de Clusa in Alpibus Cottiis. Eodem tempore præsidebat Wido abbas Cormaricensi monasterio, ubi tum monachus vivebat, nomine Literius, jam a nobis laudatus [c], vir tantæ abstinentiæ, ut per annos decem nec vinum, nec aquam, præterquam in sacrificio bibisse dicatur.

c *lib.* 63. *n.* 61.

XXIX. Vindocinenses abbates.

In brevi chronico Andegavensi apud Labbeum [d] ponitur hoc anno mors Oderici abbatis Vindocinensis, sæpius a nobis laudati, & Davidis ejus successoris electio his verbis. *Obiit Odericus hujus loci abba, vir famosus suis diebus in ordine monastico & disciplina*, IV. *nonas Octobris. Vixit autem in abbatia* XXXVIII [*]. *annos & tres menses ac dies quatuor: cui successit sequenti anno domnus David abba pridie nonas Junii, non vivens in abbatia amplius quam duos annos, duosque menses.* Davidi, bonæ memoriæ abbati, VIII. idus Augusti, anno M LXXXV. mortuo, substitutus IX. kalendas Maii insequentis Berno, successorem sortitus Goffridum, virum doctrina & pietate insignem, de quo in consequentibus multa dicendi occasio erit.

d *Labbe bibl.* to. 1. p. 288.
* ita ms.

S. Albini & S. Sergii abbates.

Ordinatus hoc anno Gaufridus Andecavorum præsul, Girardum sancti Albini abbatem eodem die, id est VIII. idus Maii, ordinavit. Eodem etiam anno Dacbertus sancti Sergii abbas decessit III. idus Aprilis: cui successit in annos undecim Achardus. Post biennium magna contentio emersit inter duos illos abbates de donatione cujusdam terræ, in burgo sancti Sergii facta sancto Albino; eoque ventum est, ut rem duello dirimere constituerint. Verum dum pugiles in campum procederent, res amice composita est. Ab iisdem renovata est alia controversia de Campiniaco, quæ paucis ante annis [e] sollemni modo composita fuerat. Hanc litem redintegrarunt Sergiani, ut inferius videbimus.

e *V. lib.* 64. *n.* 72.

XXX. Moritonii cella B. Mariæ.

Exstat in inferiori Nortmannia, diœcesi Abrincatensi, Moritonium castrum [*] seu opidum haud ignobile, comitatus titulo illustre, quod Willelmus Anglorum rex & dux Nortmannorum fratri suo ex matre Rotberto concessit. Illic duæ antiquitus erant ecclesiæ, una sancti Ebrulfi collegiata, altera sanctæ Mariæ minus præcipua, juxta castrum in *rocha* seu rupe posita, unde B. Mariæ de Rocheto vulgo appellata. Hanc

* *Mortain.*

ecclesiam quidam Norgodus in præbendam habebat a sancto Ebrulfo, a quo eam redemit Rotbertus Moritonii comes, eamque Deo & sancto Martino, atque Bartholomæo abbati, fratribusque Majoris-monasterii cum Mathilde conjuge sua donavit pro anima Willelmi Anglorum regis fratris sui & reginæ Mathildis, proque sua & conjugis suæ salute. Ad hæc idem comes eidem ecclesiæ sanctæ Mariæ contulit præbendam in sancti Ebrulfi ecclesia, eo pacto, ut, si illa sanctæ Mariæ ecclesia in abbatiam erigeretur, ejus abbas hebdomadam suam peragat in sancti Ebrulfi *monasterio*, & ipsemet intersit in eadem ecclesia festivis diebus ad missam & vesperas: si vero abbas non interfuerit, prior loci ejusdem id ipsum faciat. Priori donationi hoc anno factæ adscripta sunt signa Guillelmi regis Anglorum, Guillelmi & Rotberti comitum ejus filiorum, item Rotberti comitis Moritonii & Mathildis comitissæ, necnon Guillelmi eorum filii, tum Guillelmi Rotomagensis archiepiscopi, Michaëlis Abrincatensis, & Gissleberti Luxoviensis seu Lexoviensis episcoporum, & aliorum. Posterior donatio post sex annos facta est. Post aliquantum temporis, id est anno secundo Stephani Anglorum regis, gravis exorta lis est inter canonicos sancti Ebrulfi & monachos Moritonienses de jure sepulturæ opidanorum, quod canonici sibi reservatum esse contendebant. Causa Rotomagi præsente rege discussa, Hugonis archipræsulis & Richardi Abrincatensis episcopi judicio definitum est, ut quidquid intra muros opidi continebatur, ad parochiam canonicorum pertineret; cetera quæ foris essent, ad monachos, qui olim viginti numero illic erant.

XXXI. Fontanellensium lis de exemtione.

Hoc ipso anno, in quo sistimus, alia non minus gravis controversia inter Willelmum Rotomagensem archiepiscopum & Girbertum Fontanellensem abbatem agitata est super exemtione monasterii, quam archiepiscopus impugnabat. Causa hæc Rotomagi præsente Willelmo rege discussa fuit ab episcopis multisque abbatibus & nobilibus viris, in idque conventum est, non esse contra canonicam & apostolicam auctoritatem, ut insigniora monasteria quadam peculiari prærogativa immunia essent ab episcoporum & archidiaconorum exactione. Huic definitioni subscripsere post episcopos Anselmus Becci abbas, Hugo de Cestra, Rogerus de Bello-monte cum filiis suis, Rotberto comite Mellenti, Guillelmo Crispino, multisque aliis nobilibus viris, qui præsentes aderant. Actum Rotomagi anno ab incarnatione M LXXXII. nonis Septembris, indictione V.

Beccensium immunitas.

Hic est Willelmus, Bona-anima cognominatus, ex archidiacono Rotomagensi Beccensis monachus, & post Lanfrancum sancti Stephani apud Cadomum abbas, qui eamdem exemtionem Beccensibus concessit, nempe ut ipsa Beccensis ecclesia, ejusdemque loci parochia cum ejus parochianis libera esset ab omni episcopali exactione, præter ea quæ ad episcopalia munia speciatim pertinent, id est monachorum & clericorum ordinationes, ecclesiarum consecrationem, pœnitentium reconciliationem, ac determinationem illius occultæ pœnitentiæ, *quæ sine consilio episcopi dari non potest*; chrismatis denique & olei collationem. Quod si in illa parochia causa orta fuerit, quæ *ferri judicio* finienda sit; tunc pro arbitrio abbatis aut apud matrem ecclesiam causa finiatur; aut archiepiscopus *ferrum judicii* ad locum illum per ministros destinabit, ibique judicium coram archiepiscopi ministris fiet: pecunia vero, si qua inde obvenerit, semper abbatis erit. In ceteris autem Rotomagensis diœcesis parochiis, quæ ad eamdem abbatiam pertinent, hoc solum indulsit archiepiscopus, *ut manu-pastos suos laïcos quietos habeat, illos tantummodo, qui terram vel domos nullo modo possident*: si quis vero ex his, qui liberi facti sunt, *contra christianitatem egerit*, & abbas ad corrigendum tardior fuerit, eo monito archiepiscopus reum emendabit. In hujus privilegii vicem si Beccensis abbas ab archiepiscopo invitatus esset, apud matrem ecclesiam in festo dedicationis adesse debebat, *sumtus archiepiscopi habiturus*, ut archiepiscopo missam celebrante chorum teneret; aut vice archiepiscopi missam festivam celebraret.

XXXII. S. Germani Pratensis abbates.

Ad hunc annum non pervenit Petrus abbas monasterii sancti Germani Pratensis, Rotberti secundi successor, vir tantæ modestiæ, ut præfecturam diu subire detrectaverit, quam tandem præpositi majoris precibus expugnatus ægre admisit, tenuitque ad decennium. Ei subrogatus Isembardus, ineunte hoc anno Philippum regem, Pisciaci die epiphaniorum residentem, adiit, conquesturus de quodam milite Hugone, cognomento Stavello, qui in possessione sancti Germani, quæ Domnus-Martinus nuncupatur, & in villulis ad eam pertinentibus, multa gravamina inferebat,

ANN. CHR. 1082.

prætextu advocationis, quam ex parte conjugis suæ sibi competere contendebat. Is cum uxore vocatus ad regis judicium, cum jus usurpatum probare non potuisset, causæ succubuit. *Actum Pisciaco castro, anno Verbi incarnati* M LXXXII. *regnante Philippo rege anno* XXIII. *Datum mense Januario die* VI. *indictione* V. Gislebertus clericus *nutu* Gaufridi Parisiorum episcopi & cancellarii subscripsit. Huic placito adscripta sunt post regem signa Richerii Senonensis archipræsulis, Gaufridi Parisiorum episcopi, Galterii Meldensium episcopi & Ursonis Silvanectensium, tum Hugonis Crispeu comitis, qui regis frater erat, Rotberti Mellensium, Odonis Campaniæ comitis, Garini Ridelli, aliorumque militum. Idem abbas duo altaria, unum sancti Germani subtus Colliacum sub gravi pensione a Waltero Meldensi, ejus nominis secundo; alterum Novigenti ad Matronam, quod Artaldi cognominant, ab Hugone Suessionensi episcopo obtinuit.

XXXIII. Augiensis cella Cluniaco subjicitur.

a *lib.* 15. *num.* 56.

Actum est in primo tomo [a] nostrorum Annalium de Augiensi seu Oyensi monasterio, quod sanctus Godo in confinio Campaniæ & Brigensis pagi, prope Sezanam opidum exstruxit. Lapsu temporis adeo attritum erat, ut non modo ædificiis, sed etiam religione fere destitutum videretur. quod cum animadvertisset Hugo Trecensis episcopus, ad cujus parochiam hic locus pertinebat, eum Hugoni Cluniacensi abbati restituendum in pristinum statum, ordinandumque commisit litteris hoc anno datis, quarum hic tenor. *Notum sit omnibus fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod ego Hugo, sanctæ Tricasinæ ecclesiæ indignus episcopus, de Domno-Petro Dei indultu princeps ac dominus, venerabilium virorum, domni videlicet Widonis Cluniacensis præpositi, germanique ipsius Hugonis, principis castri, quod Plaiola vocatur, motus ratione & precibus, monasteriolum quod in Augia habetur, quod peccatis exigentibus, rebus, ædificiis, &, quod magis dolendum est, religione imminutum, & pæne nihilatum est, ecclesiæ Cluniacensi, cui venerabilis Hugo non tam præesse, quam prodesse videtur, habendum in posterum, & proprio jure regendum secundum sui voluntatem & loci utilitatem, in potestatem prædicti Hugonis abbatis ac successorum ejus transfundo, quatenus idem locus de cetero quietus & immunis ab omni perturbatione, Deo volente, in Christi servitio permaneat, & monasticus ordo reviviscat. Actum hoc anno ab incarnatione sempiterni Principis* M LXXXII. Nunc hæc cella Trecensi sancti Petri monasterio subjecta est.

* Robio.

Eodem anno monasterium sancti Valeriani de Rodobio*, diœcesis Vercellensis, a quibusdam civibus Vercellensibus recens constructum, cujus regulares ædes necdum consecratæ erant, Cluniacensibus commissum est.

XXXIV. Hugo Gratianopolitanus episcopus Casæ-Dei fit monachus.

* l'Isere.

Necdum duos in episcopatu a sua consecratione annos exegerat venerabilis Hugo Gratianopolitanus præsul, cum pastoralis oneris pericula & rationes reformidans, & vitæ contemplativæ otium percupiens, ad Casæ-Dei monasterium, religionis fama tunc celebre, abdicato episcopatu, se recepit, ibique monachus sub Seguino abbate factus est. Erat Hugo filius Odilonis nobilis Valentinensis, viri in militari habitu admodum religiosi, qui in provectissima ætate Cartusiense institutum arripuit, annisque in eo circiter decem & octo exactis, fere centenarius inter manus filii sui Hugonis, qui ipsi unctionem & sacrum viaticum ministraverat, animam Deo reddidit. Non minus pia fuit Hugonis mater, quæ post mariti sui excessum, cum sæculum itidem deserere vellet, filii sui consilio, quia tunc rara erant feminarum religiosa monasteria, in privata domo reliquum vitæ suæ in pietatis officiis impendit. His parentibus ortus est Hugo, in pagi Valentinensis loco, cui Castrum nomen est, juxta Isaram* sito. Scholis Valentiæ adhibitus, studiis expletis cum ab omni contaminatione se immunem servare vellet, ab Hugone Diensi episcopo & sedis apostolicæ legato, in ejus familiam adoptatur, & ad exstirpandas simoniæ, aliorumque ejus temporis vitiorum tum in clericis, tum in laïcis propagines adjutor adhibetur. Interim contigit, ab eodem legato concilium Avenione celebrari: ad quod Gratianopolitani canonici, qui præsule destituti erant, pastorem postulaturi convenerunt. His oblatus a legato Hugo, nihil non tentavit, ut hanc dignitatem declinaret. Sed tandem eam subire coactus, cum a Guarmundo Viennensi archiepiscopo, qui simoniæ insimulatus erat, consecrari nollet, cum legato Romam profectus est, ut a Gregorio papa ordinaretur. Inde pontificis consiliis gravi, qua vexabatur, tentatione relevatus, & Mathildis comitissæ, quæ ei pastoralem baculum & quosdam sacros codices dono dedit, benevolentia honoratus, ad ecclesiam suam venit, in qua clerum & populum valde incompositum, sacerdotes incontinentes & simoniacos, laïcos usuræ addictos & ecclesiarum

invasores invenit, ex negligentia ejus antecessorum episcoporum, qui domus episcopalis substantiam devoraverant. His corruptelis emendandis quantum laboris & sollicitudinis impenderit Hugo, non facile est edicere. Verum, cum forte votis suis fructum non respondere animadvertisset, vitæ quietioris studio, necdum duobus post consecrationem expletis annis, ad Casam-Dei secessit: ubi *factus monachus, sanctorum, quorum ibidem aderat copia, virorum succensus exemplis*, suisque eos vicissim succendens, *cunctorum imitatione pariter & veneratione* dignum se præbuit. Verum, post unius anni spatium, jussu Gregorii pontificis ad ecclesiam redire coactus est cum multo fenore virtutis ac fervoris; sicque deinceps vitam instituit, ut monachi vitam in episcopatu retineret, viris religiosis suo contubernio adjunctis, quos inter unus fuit vir venerabilis Guillelmus, tunc prior sancti Laurentii, postea sancti Theotfredi abbas. In episcopatu eam modestiam & sensuum, maxime oculorum, castigationem præ se tulit, ut oculos in mulieres numquam defigeret; eam devotionem, ut excipiendis confessionibus pœnitentes profusis lacrymis ad compunctionem provocaret.

Juvat ad rerum consequentium illustrationem hoc loco disquirere, quo præcise anno Hugo factus & consecratus sit episcopus. Hujus nodi solutio ex duplici capite pendet, ex anno scilicet habiti concilii Avenionensis, in quo electus fuit ad episcopatum; & anno fundatæ Cartusiæ-majoris, quæ anno ejus episcopatus fere sexto facta est. Ad primum quod attinet, Avenionense concilium celebratum fuit post scriptam a Gregorio [a] papa epistolam ad Arelatenses, quos ad eligendum sibi episcopum hortatur, qui in prædicto concilio electus fuit, uti & Hugo, ut constat ex chronico Hugonis Flaviniacensis. Atqui hæc epistola scripta est *kalendis Martii, indictione* II. adeoque anno M LXXIX. Non ergo ante hunc annum aut insequentem utraque electio facta est. Ut vero potius anno M LXXIX. factam existimem, mihi duo persuadent argumenta. unum est, quod pro comperto habeam, Cartusiæ fundationem, quæ anno Hugonis episcopatus fere sexto facta est, collocandam esse anno M LXXXIV. Alterum est, quod Hugo decesserit, teste Guigone, anno M C XXXIII. kalendis Aprilis, *ætatis suæ anno ad minus octogesimo* (erat autem annorum fere viginti-septem, quando electus fuit) *consecrationis autem suæ ad minus quinquagesimo-secundo.* Quos calculos si compares, ejus electionem anno M LXXIX. consecrationem ineunte anno sequenti factam admittas necesse est.

> a *Greg. lib. 6. ep. 21.*

> XXXV. S. Agerici monasterio Theodericus episcopus munificus.

Apud Virdunum sancti Agerici monasterio tunc præerat Stephanus, religiosissimus ejus loci abbas tertius, sub cujus finem præfecturæ Theodericus illius urbis episcopus, exemplo antecessorum suorum Ramberti & Richardi, servis Dei inibi degentibus, opportuna subsidia procurare sollicitus, multa prædia, in his villam *Balereis* super ripam Mosæ in vicino positam, quam a duce Godefrido receperat, eis contulit. *Data* VI. *idus Septembris anno dominicæ incarnationis* M LXXXII. *indictione* IV. Verum, animum non multo post mutavit Theodericus, & a summo pontifice iterum diris addictus, Virdunenses monachos, qui ab ipsius communione abstinebant, graviter exagitavit, vexavit, ac vagos & extorres fugere coëgit. Post biennium obiit Stephanus abbas IX. kalendas Februarii, cujus tempore valde floruit disciplina regularis in illo monasterio, ex quo multi abbates ad alia loca assumti sunt, in his Godefridus abbas sancti Quintini de Monte prope Perronam & Ulricus sancti Michaëlis ad Mosam. Stephanus abbas libellum de vita sancti Agerici episcopi scripsit, sed parum accurate [b]. Hunc excepit Boso abbas, pietate & doctrina insignis.

> b *Chron. Bened. to. 6. ad an. 1037.*

> XXXVI. Gislebertus abbas Westmonasteriensis.

Londini in Anglia Vitalis Westmonasteriensis abbas mortem obiisse hoc anno ab Usserio [c] dicitur, ad quem Sulcardus, ejus loci monachus, librum de prima illius constructione scripsit, cujus fragmentum refertur in Monastico [d] Anglicano. Humatus est Vitalis, primus a restitutione abbas, in australi chori parte cum hoc epitaphio.

> c *Usser. antiq. Brit. p. 128.*
> d *Monast. Angl. to. 1. p. 57.*

Qui nomen traxit a vita, morte vocante
Abbas Vitalis transiit, hicque jacet.

In ejus locum substitutus est Gislebertus-Crispinus, monachus Beccensis, curante Lanfranco, qui eum paullo ante in Angliam accersierat. Ejus absentiam ægre ferebat Anselmus [e], quem sibi quantocius restitui flagitabat. Verum aliter visum est Lanfranco, qui eum magis utilem in regimine Westmonasterii existimavit. Eidem ad hoc regimen assumto nihilominus gratulatur [f] Anselmus, qui de eo, quippe in

> e *Anselm. lib. 1. ep. 13.*
> f *ibid. ep. 16.*

ANN. CHR. 1082.

sancta conversatione nutrito, longe meliora quam de se suique similibus sperare se dicit. Ejusdem vitæ in præfectura institutæ rationem, qualem ille exposuerat, Anselmus [a] laudat. Non repeto hic quæ de Crispinorum nobili genere superius dicta sunt. Vir fuit pro tempore doctissimus ille Gislebertus seu Gilbertus, qui multa doctrinæ ac pietatis suæ monumenta reliquit, plerosque in libros sacros, quorum indicem apud Pitseum videre licet. Librum scripsit de vita beati Herluini abbatis primi Beccensis; necnon disputationem, quam ipse habuit cum Judæo, qui ad fidem conversus est, editam inter Anselmi opera novæ editionis. Eidem Anselmus inscripsit epistolam [b] de sacramento altaris. Fuit & alius Gislebertus, monachus itidem Beccensis, atque Anselmo jam archiepiscopo familiaris & acceptissimus, quem ad Heinricum Anglorum regem [c] direxit, ut Paschalis II. electionem ei significaret.

[a] *ibid. ep.* 36.
[b] *id. lib.* 4. *ep.* 105.
[c] *id. lib.* 3. *ep.* 114.

XXXVII. S. Trudonis monasterii status & abbates.

In Hasbanio per id tempus fidelium frequens concursus erat ad tumulum sancti Trudonis ob famam miraculorum, quæ illic patrata circumferebantur; tantaque oblationum illic copia erat, ut per singulas hebdomadas centum libris [d] æstimari posset. Verum, præterquam quod hæc populorum frequentia monasticæ disciplinæ plurimum exitiosa erat, ut superius [e] vidimus; tanta opum ubertas principum avidos animos proritavit. Hos inter Herimannus Mettensis episcopus, ad cujus sedem locus ex conditoris voluntate spectabat, apud Leodicum ob Heinrici regis vexationem profugus, monasterii facultates in suos usus convertebat; cetera emungebat Heinricus Leodicensis præsul, qui Adelardum abbatem variis criminationibus & exactionibus vexare non cessabat. Inter hæc abbatem vitæ tædebat, secessissetque ad Sigebergense monasterium, ni eum Gerardus præpositus retinuisset. Sed tandem mœrore confectus occubuit sub finem hujus anni, id est VIII. idus Decembris, cum locum viginti-septem annis rexisset. Hic monasterium magnifice renovavit, longe amplius commendandus, si tantum studii adhibuisset in tuenda regulari disciplina, quæ sub eo plurimum detrimenti passa est. Quantæ turbæ in eligendo successore acciderint, in consequentibus exponemus.

[d] *V. Spicil. to.* 7. *p.* 358. *& seqq.*
[e] *lib.* 60. *num.* 76.

Alexii Comneni bulla aurea.

Prædicta Trudoniani monasterii facultatum direptio revocat in memoriam Alexii-Comneni imperatoris auream bullam hoc anno datam. Hic, strage suorum a Nortmannis accepta, prudentior ac religiosior factus, peccatis eam suis adscripsit, quod ex donariis ecclesiarum exhaustum ærarium supplevisset; cavitque, ne id umquam, quavis occasione urgente, a quovis imperatore tentaretur, edita constitutione aureo sigillo munita, quam veluti cæleste edictum observari jubet. Hanc dignam, quæ hoc anno suis Annalibus insereretur, judicavit Baronius; nos vero ad alia properantes omittimus.

XXXVIII. Hirsaugiæ novum monasterium.

In Germania Willelmus Hirsaugiæ abbas, restituta in suo monasterio disciplina regulari, & præclaris constitutionibus firmata, novis ædificiis exstruendis animum adjecit, novumque ex veteri monasterium facere hoc anno aggressus est, quod intra novem annos absolvit. Hujus operis præcipui fuere artifices ipsi monachi, maxime barbati, ut tum vocabant, fratres: sumtus vero suppeditarunt viri nobiles ac divites vicini. Hos inter in primis a Trithemio laudatur Hermanni marchionis conjux, postquam ille divino instinctus amore Cluniacum secessisset: ubi ignotus degens porcorum pastor fuisse, & in vili illo ministerio usque ad finem perseverasse dicitur. Tanta vero Hirsaugiensium fama religionis erat Willelmo abbate, ut pii quique certatim ejus discipulos apud se habere cuperent, sive novis construendis, sive antiquis reformandis monasteriis, ut anno sequenti videbimus.

Garstense conditur.

Interim Garstense * monasterium a Garste torrente sic dictum, in superiore Austria, ad dextram Anasi * ripam, paullulum supra Stirensem urbem amœnissimo loco in honorem apostolorum Petri & Pauli hoc anno conditur ab Otacbero marchione Stirensi, qui sacram ædem ab episcopo Pataviensi, haud dubie Altmanno, facta permutatione accepit. Hoc vero primum condidit pro clericis, qui sub præposito Eberhardo viginti annis eumdem locum tenuere: quibus Benedictinos monachos fundator ipse post viginti annos substituit.

* *Steyr-Garsten.*
* *Ens.*

ANN. CHR. 1083.

XXXIX. Heinrici regis nova facinora.

POstero anno supra millesimum octogesimo-tertio, rex Heinricus denuo Romam impugnare pergit ante pentecosten. Capta ab eo urbe Leonina, sancti Petri porticum magna ex parte destruxit, adjuncto sibi Guiberto Ravennate, quem solio pontificali apud sanctum Petrum imposuit. Inter ea Gregorius, nequaquam fractus

[ANN. CHR. 1083.]

animo, ad arcem sancti Angeli se recepit, atque synodum Romæ ad medium Novembris indixit, cui multi ex Francia & episcopi & abbates interfuerunt, non tamen Hugo Lugdunensis, Anselmus Luccensis, & Reginaldus Comanus, qui magis necessarii erant, utpote ab Heinrico prohibiti. His ita gestis, Heinricus, relicto præsidio in castello sancti Petri, ob æstivos calores in Lombardiam recessit.

[XL. Monastica.]

In illa expeditione pauci ei adhæsere schismatici episcopi; & quidem unus ex Saxonia Lietmarus Hammaburgensis archiepiscopus, cui ille ad rei necessariæ supplementum contulit Eltenensem abbatiam sanctimonialium virginum, haud procul Embrica ad Rhenum sitam, quæ ex liberalitate Meinwerci episcopi Patherbrunensis, ejusque sororis ac consanguineorum opulentissima erat. Heinrici hac de re diploma refert ad hunc annum Nicolaus Schatenus[a], datum x. *kalendas Julii*, hoc anno, indictione VI. *Actum Romæ post urbem captam*. Paullo ante, id est, XVIII. *kal. Julii*, Farfensi monasterio *campum illum, qui est in Kinzica, qui fuit vinea dominicata regis*, donavit, intervenientibus *Heinrico patriarcha, Lietmaro Hammaburgensi archiepiscopo, & Diedaldo* seu Thiedalo *Mediolanensi. Actum* itidem *Romæ*. Burchardus episcopus & cancellarius *vice Sisegnini* archicancellarii regias litteras recognovit. Ad hæc Guido quidam, Guidonis comitis filius, in loco Pusterula ad Pertusum prope urbem Romam, *intus tentorium domini regis Heinrici*, per fustem quem in manu babebat, refutavit in manu domni Berardi abbatis, quidquid de bonis ecclesiæ beatæ Mariæ de Minione, & de Viterbo usurpaverat. Eidem vero Guidoni, in grati animi indicium, Berardus abbas dedit anulum aureum *in præsentia archiepiscopi Bremensis, episcopi Novariensis, episcopi Aureliensis & Tretonensis, & Saxonis comitis*, aliorumque. Actum eodem anno, IX. *kalendas Junii*, *indictione* VI. Itaque ad id tempus Heinricus in oppugnatione Urbis hoc anno perstitit.

[a Annal. Paderborn. pag. 609]

[Monasterium S. Benedicti in Tusculano.]

In ipso archivo Farfensi, ex quo hæc retulimus, Adam episcopus consilium iniisse dicitur, ut monasterium construeret ad ecclesiam sancti Benedicti in territorio Tusculano, loco qui vocatur Sumatii & ad Duas-furcas, seu Para-solem, ubi viri Deo famulantes pro eo preces Deo jugiter funderent. Quapropter, *ordinato ibidem abbate Azano presbytero, humili & honesto moribus*, eidem ecclesiæ concessit *terræ modios mille juxta geometriæ rationem*, quorum dimensiones ipse commemorat. Si autem, ipse ejusve successores ad ipsum aliquando locum orationis causa, in quavis solemnitate accesserint, *celebrato peractoque divino mysterio, simplici ac sobria benedictione* seu refectione *percepta, absque ullo requisito dono* ad sua regredientur. Videretur hic Adam esse Tusculanus episcopus: at nullus ejus nominis apud Ughellum[b] invenitur.

[b Ital. sac. to. 1. p. 263.]

[XLI. Pedemontana monasteria.]

Ejusdem Heinrici favore Ragenerius seu Rainerius Vercellensem episcopatum adeptus est[c] post Wennericum, qui sub nomine Theoderici Virdunensis episcopi de discordia regni & sacerdotii ad Gregorium VII. scripsit, specie dolentis ei suggerens omnia, quæ contra leges civiles & ecclesiasticas eum fecisse & dixisse rumor vulgabat. Rainerius vero ejus successor, duo nostri Ordinis monasteria condidisse traditur: unum sancti Petri de Mulegio haud procul Vercellis, quod Innocentius IV. Vallumbrosanis monachis attribuit: alterum sancti Jacobi de Bexa seu Bexia in comitatu Bugellæ, diœcesis Vercellensis; quod monasterium Innocentius II. sub apostolicæ sedis protectionem admittit litteris Nicolao abbati inscriptis, in quibus Rainerium *bonæ memoriæ* episcopum monasterii conditorem laudat. Nobilis hæc abbatia, teste Ughello, multis bonis juribusque spoliata, monachis quoque exturbatis, per abbatem commendatarium administratur, vel potius deglutitur. Nec plura de hac abbatia in Chronologia Pedemontana.

[c Ital. sac. to. 4. p. 1070. & seqq.]

[Lis de sepultura.]

Haud scio an ad prædictum concilium Romanum profectus est hoc anno Amatus episcopus Oleronensis & legatus cum Odone sancti Petri Generensis abbate secundo: quo absente, grandis altercatio cujusdam sepulturæ occasione exorta fuit. Forte miles quidam, nomine Guillelmus-Ramo[d] de Batris, in monasterio sancti Petri se humari petierat. Dum ejus corpus efferretur a monachis, armata manu adfuit Bernardus Tarbiensis archidiaconus, assensu Dodonis episcopi, & defuncti cadaver, e manibus monachorum vi ereptum, Tarbiam deferri curavit. Hinc querelæ ad Willelmum Ausciorum archiepiscopum & ad Centullum comitem delatæ. Centullus ambas partes coram se in castro Lurdensi sisti jussit. Adfuit Odo abbas Roma reversus; adfuit etiam judicio Amatus episcopus cum Ebrardo sancti Savini & Gregorio Regulæ Bigorritanæ abbatibus. Auditis utrimque partibus, Centullus secundum mo-

[d Marca Bearn lib. 4. c. 19.]

ANN. CHR. 1083.

nachos sententiam pronuntiavit. Hic Odo sancti Petri abbas, cognomento de Benaco, Willelmi-Arioli de Benaco filius, sancto Petro a parentibus oblatus fuerat cum ecclesia Benacensi, liberalibus studiis instruendus sub Arsio [a] primo loci abbate, cui successit in annos triginta, quo tempore sancti Petri ecclesiam renovari & dedicari curavit.

a V. lib. 55. n. 94.

XLII. Warmundus archiep. & abbas Dolensis obit.

In brevi chronico Dolensi hoc anno obiisse dicitur Guarmundus seu Warmundus decimus-quintus abbas Dolensis monasterii apud Bituriges, idemque archiepiscopus Viennensis, anno episcopatus sexto, qui ob simoniæ crimen depositus fuisse dicitur. Post ejus obitum vacasse videtur abbatia Dolensis usque ad annum M LXXXVII. quo *adventus domni Aldeberti abbatis Dolensis* ponitur, nempe ex monasterio Casæ-Dei, cujus monachus erat, futurus demum archiepiscopus Bituricensis. Hic est Aldebertus seu Audebertus, qui cum sponsa Simonis Crispiacensis ad Casam-Dei secessit, ut superius vidimus. Post Warmundi obitum Viennenses Anselmum sancti Medardi monachum, jam electum episcopum Suessionensem, in archiepiscopum postularunt: at ille oblatam dignitatem fuga declinavit, deditque locum Guidoni Burgundiæ comitis filio, non minus moribus, quam generis nobilitate insigni.

S. Andreæ abbas Humbertus.

b Spicil. to. 13. p. 294.

Tunc sancti Andreæ monasterio, *intra mœnia Viennæ urbis posito*, præerat Humbertus abbas, ut patet ex litteris [b] Emmonis cujusdam, ejusque uxoris Elisabeth, anno superiore datis, quibus filium suum Richardum Deo inibi offerunt, & cum eo quartam partem matris ecclesiæ sancti Petri, id est quartam partem oblationum altaris, cœmeterii & decimarum conferunt prædicto monasterio, atque Humberto abbati & monachis ejus, tam præsentibus quam futuris. *Scripta per manum Bornonis monachi, in mense Januario, luna sexta in kalendario.*

XLIII. Cluniaco facta donatio.

Tunc etiam temporis Teudbaldus, Cabilonensis comes, ab Hispania revertens, morte interceptus, apud Cluniacum se humari mandavit, eidemque loco quædam contulit prædia, in his prædium Montis-sancti-Johannis in villa *Digoins*, quam donationem Hugo ejus filius post patris obitum confirmavit. Is filiam vel sororem habuit Ermengardem, quam Humberto Borbonio in matrimonium dedit, assignata ei in dotem terra illa apud *Digoins*: quam, mortua Ermengarde, demum Cluniacensibus concessit, eisque filium suum Humbertum, adhuc puerum tradidit, monasticis ritibus instruendum. *Actum anno* M LXXXIII. *indictione* VII. *epacta* XI. *concurrente* I. *mense Novembri*. quo tempore indictio VII. a mense Septembri inchoata erat.

Hunaldus Moisiaci abbas.

c lib. 61. n. 128.

Eodem anno post Durandum Tolosanum episcopum & abbatem Hunaldus Moisiacense monasterium rexisse dicitur in chronico, quod Aymericus abbas ejusdem loci composuit. De Hunaldo actum superius [c], iterumque de eo in consequentibus agendum.

Saguntense privilegium.

Hoc ipso anno Bernardus abbas sanctorum Facundi & primitivi in Hispania a Gregorio VII. privilegium ad preces Alfonsi VII. obtinuit, ab Yepesio relatum, quo monasterium illud eximitur a jurisdictione episcopali eodem modo, quo Cluniacense exemtum est. Datum Laterani per manum Petri presbyteri cardinalis, & S. R. E. bibliothecarii. Unde electus abbas in benedictione sua professionem obedientiæ, non episcopo, sed Romano pontifici præstabat, ut in aliis monasteriis fieri consueverat. Hujus rei fidem facit ritualis codex asservatus in eodem monasterio, quod ipsam immunitatem retinuit ad illud usque tempus, quo Wallisoletanæ congregationi unitum est. Ad Galliam revertor.

XLIV. Molismo & Reomao factæ donationes.

Inter præcipuos Molismensis cœnobii benefactores censendus est Rainardus, alio » nomine Hugo, episcopus Lingonensis, qui ecclesiam ad honorem suæ matris Lin- » gonensis ecclesiæ amplificare cupiens, parochiæ suæ quosvis clericos adhortatus est » ad ferenda subsidia Molismensi cænobio, quod in pago Lingonensi pullulare cœperat, & palmites suos dilatare. *Acta sunt hæc Lingonis anno ab incarnatione Domini* M LXXXIII. indictione VI. Ante hoc tempus quædam eidem loco altaria idem præsul concesserat. Idem ipse quoque se munificum præstiterat erga nostros Reomaënses, quibus ecclesiam Barrensis opidi ad Sequanam in Tornodorensi tractu donavit, Hugone tum abbate ejus nominis secundo, qui Hugoni primo successerat. In Molismenses etiam benevolum se exhibuit Richerius archiepiscopus Senonensis, concessa » Senunæ ecclesia Molismensibus monachis, ecclesiæ Senunensi servientibus, ita ut ab- » bas vel prior illius loci sacerdotem eligant idoneum ad curam animarum. Adjecit quoque ecclesiam Flacciaci, quam quidam Humbertus *Wisel*, uti & præcedentem ad

ad id tempus tenuerat. Non minus bene affectus fuit in Molismenses, immo etiam in Besuenses Rotbertus, Rainardi in sede Lingonensi successor, Hugonis Burgundiæ ducis & Odonis frater, de quo in consequentibus mentio recurret.

XLV. Castaneti & Nanciaci cellæ.

Per id tempus Hadwidis *ductrix*, ut tum loquebantur, Gerardo Alsatiæ & Lotharingiæ duce, viro suo, ante annos tredecim orbata, ecclesiam sancti Petri & sanctæ Mariæ in castro Castaneti * sitam, multis prædiis auxit, eamque domno Rotberto Molismensi, ejusque successoribus commisit: cujus rei litteras Vignerius [a] retulit in probationibus Lotharingicis. Post mortem Hadwidis dux Theodericus ejus filius, Castanensem ecclesiam amplificare volens, favente Pibone Tullensium pontifice, in cujus parochia hic locus situs erat, a Rotberto abbate tot monachos obtinuit, quot necessarii erant ad regularem urdinem observandum, ex quibus unus esset abbas, qui baculum pastoralem ex altari sancti Petri; benedictionem vero a Tullensi episcopo acciperet, Molismensi abbati correctioni obnoxius. quo mortuo, successur e gremio Castanensium, siquidem inter eos idoneus reperiri posset; sin minus, e claustro Molismensi assumendus. De ecclesia vero, quæ antea parochialis erat, ne fratres molestiam & inquietudinem paterentur, assentiente episcopo statutum est, ut alia ejus loco fabricaretur cum competenti dote & atrio, ut mos est ecclesiarum; eique ecclesiæ abbas presbyterum provideat, cui animarum cura committatur.

* *Chasteney.*
a *Vignier p. 105.*

Idem Theodericus locum in alodio suo apud Nanciacum [b] dedit Deo & sanctæ Mariæ Molismensi, id est campum quemdam ad construendam ecclesiam. quæ quamdiu sub titulo prioratus permanserit, Molismensi ecclesiæ annuum censum marcæ argenti reddat: si vero in abbatiam erigeretur, id consilio Molismensis abbatis faciendum, qui unum e suis abbatem eligat, ipsius disciplinæ & correctioni subjectum. Quod si aliquando ad hunc locum venerit Molismensis abbas, ei locum cedat Nanceianus. Hæc ecclesia modo occupatur a canonicis primatialis ecclesiæ Nanceianæ, tametsi nullo legitimo titulo primatiali unita, ejectis tribus aut quatuor monachis abbatiæ Molismensis, illic residuis. quod initio præcedentis sæculi septimi-decimi factum est.

b *id. p. 112. & seqq.*

XLVI. Floriacensium jus apud Moritonium.

Ad Floriacense monasterium pertinebat prædium quoddam apud Moritonium, inferioris Nortmanniæ opidum, ubi duas ecclesias fuisse superius [c] diximus, unam sancti Ebrulfi collegiatam; sanctæ Mariæ alteram, quam Rotbertus comes Majori-monasterio donavit. Illic castrum sancti Hilarii nomine construere volens idem Rotbertus in prædio Floriacensis monasterii, monachis annuentibus, decimum quemque opidanum ejusdem loci eis concessit, ab omni exactione liberum & immunem, excepto hospitandi jure, quod sibi in necessitate reservavit. Id factum consensu & imperio domni Willelmi Anglorum regis ducisque Nortmannorum anno MLXXXIII. faventibus filiis suis, Rotberto & Willelmo, qui cum Willelmo rege his litteris subscripserunt, & cum eis Michaël Abrincensis episcopus, qui *juste & legaliter* consensisse dicitur; Gillebertus quoque Lexoviensis præsul & Hugo abbas Cerasiensis signa sua apposuere.

c *num. 30.*

XLVII. Dongii cella & aliæ.

In Armorica Frioldus vicecomes Majori-monasterio donavit locum ad construendam ecclesiam & cellam cum Burgo juxta castellum suum Dongium, probante comite Namnetensi, necnon Quiriaco episcopo, qui nihil a monachis & loci incolis, *præter paternam obedientiam*, se exacturum spopondit. Postea idem Frioldus Roma revertens, in Majoris-monasterii capitulum venit, receptusque in societatem fratrum, prædictam donationem confirmavit, aliaque de suo addidit, postulans ut, si in pago Namnetico aut Andecavino moreretur, ejus corpus abbas ad Majus-monasterium, illic sepeliendum, deferri curaret. Sub hæc Bartholomæus abbas hoc anno petiit Namnetas infra octavas ascensionis Domini, illius provinciæ cellas visitaturus; obtinuitque, ut Goffridus, Frioldi vicecomitis filius, donationem patris ratam haberet. Postera die vicecomes venit ad sanctam Radegundem, ubi abbas hospitabatur, ejusque loci donationem ei factam approbavit.

Bartholomæi abbatis miracula.

Tunc prædictus Quiriacus episcopus quemdam locum super fluvium Herdæ, vocabulo *Henort*, in memoriam sancti Georgii constructum, Bartholomæo abbati concessit. Cum vero idem abbas Comburnum accessisset, eum rogavit quidam Maino, ut ad villam *Guguen* descenderet, filios suos Haimonem & Gauterium, qui gravi morbo detinebantur, visitaturus. Ivit ille, & signum crucis eorum frontibus imposuit. Mox illis in somnum resolutis, post somnum integra sanitas restituta. quo viso,

ANN. CHR. 1083.

& audito, quod idem abbas leprosum osculo sanasset, prædictus Maino, & Theenus ejus pater, illius loci ecclesiam cum alia Bartholomæo concessit. quæ omnia Johannes dictus Dolensis, Comburnii dominus, scripto testatus est, in Appendice referendo.

XLVIII. Silvæ-majoris cella.
[a] V. lib. 65. n. 96.
[*] la Forest de Legue.
[b] V. Miscell. Labbe p. 181.

Interim crescebat fama religionis Silvæ-majoris [a] monachorum Giraldo abbate, multique ad eos confluebant in dies, se vel sua, immo plerique se suaque Deo in eorum gratiam oblaturi. Inter primos fuit rex Philippus, qui sancto Giraldo ecclesiam sancti Leodegarii in saltu Lesgua [*], diœcesis Suessionensis, cum suis appendicibus donavit, dato hoc anno diplomate, cujus exordium [b] huc referre juvat. *Audita fama*, inquit, *nobilium virorum, qui in Silva-majori nuper inceperunt monasterium, cogitabam quomodo me possem commendare orationibus eorum, sciens me sæcularibus impeditum non posse evadere interitum, nisi interventione justorum. Cum hoc sæpius mecum mente revolverem, & quo pacto id fieret mecum tractarem, disponente gratia Dei advenerunt monachi a domno Giraldo, primo ipsius loci abbate, missi. Cumque de eorum conversatione multa inquirerem, & omnia, quæ de Deo famulantibus debent nuntiari, audissem, pulsavit animum meum mentio cujusdam ecclesiæ, sancto Leodegario in saltu, cognomento Lesgua, dedicatæ, quam eis obtuli in caritatis exhibitione. Sed eis diu multumque renitentibus, ne Dei munus quovis pretio viderentur impertiri, (jam enim eorum me precibus, sicut cogitavi, commiseram) vix tandem obtinui, quod hanc oblationem meam reciperent.* & post multa inter testes primus adducitur *Techo monachus, qui fuerat castellanus de Cocheio, & Rainaldus castellanus de Cocheio*, prædicti Techonis filius. Quin etiam Gelduinus quidam de familia regis, ipso consentiente, omnem mundi gloriam despexit ac reliquit, & monasticum habitum in Silva-majori a domno Giraldo suscepit.

[*] Neronville.

Per idem tempus in ecclesia sancti Petri Neronis-villæ [*] diœcesis Senonensis, cella erecta est Silvæ-majoris, probante Richerio archiepiscopo, ex dono Dimonis viri nobilis, ejusque conjugis ac liberorum. Non multo post quidam clericus, Garmundus nomine, filius Fulconis Faiei militis, cum in adolescentia sua vitæ solutioris fuisset, ex letali morbo resipiscens, prædictæ sancti Petri ecclesiæ se ipsum obtulit, ibique monastico suscepto habitu, pristinæ sanitati ilico restitutus est.

[*] Semoy.

Ad hæc quidam vir nobilis Tecelinus sancti Bartholomæi ecclesiam, prope Aurelianos sitam, Giraldo contulit in villa Sedis-meri [*], ubi cella monachorum Silvensium erecta, cui Albertus, ejusdem Tecelini filius, quædam adjecit, aliique post eum. Denique ut ceteros mittam, Theodericus Anselmi cujusdam filius, despecta sæculi militia, ad Silvam-majorem secessit, ubi se ipsum Deo, beatæ Mariæ & sancto Benedicto obtulit, variasque possessiones, quas apud Aurelianos habebat.

XLIX. S. Saturnini ecclesia monachis destinata.
[c] Catel. Langued. p. 873.

Per id tempus Isarnus Tolosæ episcopus apud Guillelmum comitem, eo nomine IV. satis egit, ut Moisiacenses monachi in sancti Saturnini ecclesiam canonicorum loco inducerentur. Exstant hac de re ipsius Isarni [c] litteræ, quibus hic cum Hu- » naldo abbate Moisiacensi statuit, ut ista ecclesia domno Hugoni abbati Cluniacensi, » ipsique Hunaldo sub certis conditionibus committatur, *ut ibi Domino sub monastica regula omni tempore serviatur.* quod Guillelmus Tolosæ comes laudat, approbatque, ita ut quidem *propter excommunicationem apostolici vel ejus legati* Isarno id honoris au- » ferret, quem in illa ecclesia ei concedebat. Iisdem litteris vetat Isarnus, ne in illa » sancti Saturnini ecclesia instituatur abbas, sed semper teneat illam cum priore suo abbas Cluniacensis. Quam diu illic perstiterint monachi, si tamen umquam exstiterint, incertum. Certe cum apostolicam sedem appellassent illius loci clerici, jussit pontifex monachos inde eliminari, ibidemque restitui canonicos, qui paullo post vitam regularem amplexi sunt ad normam regulæ Aquisgranensis, ut colligo tum ex litteris Arnaldi Petragoricensis episcopi, qui ecclesiam sancti Cypriani in sua diœcesi tribuit præposito & clericis sancti Saturnini Tolosanæ ecclesiæ, ut illic *regulariter vivant secundum institutiones beati Augustini, Gregorii, Hieronymi, & ceterorum patrum*, ex quorum sententiis Aquisgranensis regula conflata erat. tum ex aliis litteris Geraldi Caturcensis episcopi, idem statuentis de Wiganiensi ecclesia. Porro hanc vitæ regularis institutionem pontificatu Gregorii VII. factam fuisse constat ex ejus

[d] Greg. VII. lib. 9. ep. 29.

epistola [d] ad abbatem Massiliensem, scilicet Richardum, in qua scribit inter alia pontifex, regulares illos canonicos conqueri de Moisiacensibus monachis, qui quamdam ipsorum ecclesiam, contra definitivam Amari legati, aliorumque episcoporum sententiam occupare, *per vim Willelmi comitis*, pergebant. quod pontifex emendari præcipit.

ANN. CHR. 1083. L. Ribodimontensis monasterii initia & primi abbates.

In Belgica secunda duo hoc anno monasteria de novo condita fuere, scilicet Ribodi-montense, & Affligemiense. Ribodi-mons castrum seu opidum est, ad Isaram positum in diœcesi Laudunensi, Laudunum inter & Augustam Viromanduorum. Hujus castri dominus tunc erat Anselmus, de Ribodi-monte dictus, & Ribodi-montensis comes, qui ante quatuor annos [a] Aquicincti insulam ad construendum monasterium concessit. Hic, ut pius erat, saluti suæ serio consultum volens, aliud monasterium in honorem beatissimæ virginis & sancti Nicolai in prato castro suo adjacente construere statuit, cui sancti Nicolai-de-Prato vocabulum inditum est. Exstant Anselmi hac de re litteræ in Notis [b] Acherii nostri ad Guibertum, in quibus ait, se ecclesiam seu abbatiam illam ab omni servitute immunem ac liberam facere, salva reverentia & canonica subjectione sanctæ Remensis ecclesiæ & Laudunensis, eamque « multis prædiis dotat, quæ in iisdem litteris enumerantur, abbatis eligendi libera fa- « cultate monachis relicta: sed ita ut electus ad benedicendum ab se vel heredibus suis « honorifice ducatur ad episcopum, a quo curam animarum per pastoralem virgam « accipiat. *Acta sunt hac apud Laudunum, anno incarnati Verbi* M LXXXIII. *indictione* VI. *anno Philippi Francorum regis* XXIII. quibus litteris apposita sunt signa Elinandi Laudunensis episcopi, Rainaldi Remensis archiepiscopi, Rainaldi Suessionensis comitis, & aliorum. Has litteras diplomate suo roboravit rex Philippus, *id ipsum postulante domno Elinando episcopo*, ubi Ansellus de Ribodi monte appellatur. Actum apud Ribodi-montem anno M LXXXIV. indictione VII. anno regni Philippi XXIV. Diplomati « adscripta sunt signa Elinandi Laudunensis episcopi, tum Rainaldi Remensis archiepiscopi, dein Rotgeri Catalaunensis episcopi, Rabodonis, aliis Radbodi Noviomensis, Gerardi Cameracensis, Gerardi Taruennensis, Roriconis Ambianensis, Ingelramni Suessionensis, & Widonis Belvacensis episcoporum; & post eos Hugonis comitis Pontivi, Eubali comitis de Roceio, Rainaldi comitis Suessionensis, Balduini comitis Valentianensis, & aliorum. Post annos viginti Godefridus de Ribodi-monte, Anselmi filius, patris opus & donationes [c] approbavit, adjecta sancti Germani ecclesia, quæ in ipso castro sita erat, ubi Bartholomæus episcopus monachos collocari voluit. Primus sancti Nicolai abbas fuit Rainardus, *abbas & pater monachorum de Monte Ribodonis*, ut se ipse dicit in charta anni M LXXXVII. Huic successit Mainardus, qui subscriptus invenitur litteris Godefridi mox laudati. Mainardo successisse videtur Warulfus, qui, relicto regimine, sub disciplinam Godefridi abbatis Novigentensis convolasse traditur in libro primo de vita ipsius Godefridi. Willelmo ejus successori Bartholomæus episcopus litteras concessit, quibus prædictam sancti Germani ecclesiam in cellam monachorum convertit. Hoc sancti Nicolai monasterium a patribus congregationis nostræ nuper a fundamentis instauratum est.

a V. lib. 65. n. 74.

b Guibert. p. 645.

c ibid. p. 646.

LI. Affligemium conditur.

Affligemium seu Afflegemium locus est, tribus a Bruxellis leucis positus, in diœcesi olim Cameracensi, nunc Mechlinensi, ubi hoc eriam anno monasterium construi cœpit, quod processu temporis celeberrimum evasit. Pio ejusmodi operi occasionem præbuit Wedericus [d] sacerdos & monachus sancti Petri Gandensis, vir nobilis genere, sed religione præstantior: qui apostolica roboratus auctoritate, per Flandriam & Brabantiam verbum Dei magno studio prædicavit, multosque ad pœnitentiam adduxit. In his præcipui fuere sex milites, rapinis non minus quam factis bellicis famosi, qui Wederici admonitionibus compuncti, suis omnibus relictis, magistro suo tribus fere mensibus adhæserunt. Verum, eo consulente, ad Annonem Coloniensem archiepiscopum pergunt, eique ante acta vitæ facinora aperiunt. quibus ille persuasit, ut ad locum patratorum facinorum redirent, ibique scandala prioris vitæ emendarent. Hi vero tam salubribus animati monitis, mox ad natale solum redeunt, & ad locum tunc desertum & latrociniis infestum, *Afflegem* vocabulo, in vigilia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli hoc anno conveniunt, ut, secundum viri Dei mandatum, pœnitentiæ labori deinceps se totos manciparent, tribus tantum panibus emendicatis & uno caseo secum allatis cum paucis ferramentis, quibus terram excolerent. Illic primo pro tenui facultate permodicum oratorium construxere, & tugurium sibi ad habitandum, cum duplici domuncula ad excipiendos pauperes & peregrinos. Hæc initia fuere percelebris illius monasterii, cujus primi exstitere auctores sex illi milites, scilicet Gerardus, cognomento Niger, Cinelinus, Hargerus, Wlbodo, Geldulfus, & Tibaldus. His paullo post se adjunxit Gerardus alter, cognomine Albus, sed ferocitate & vitiis deturpatus, qui post commissum

d Spicil. to. 10. p. 585. & seqq.

ANN CHR. 1083.

homicidium, viso humani generis hoste, tanto horrore perfusus est, ut saluti suæ quantocius consulendum censuerit, nihil consultius ratus, quam ut ad prædictos fratres se reciperet: ubi ex lupo in agnum Dei gratia repente mutatus est. Hunc brevi secutus est etiam miles alter, Henrardus nomine, cui jam ex homicidii pœnitentia sæculum omnino viluerat. Is, explorato loco & habitantium conversatione, reversus domum sua omnia abdicavit, & in proximo festo sancti Remigii se eis adjunxit. Horum omnium una cura & sollicitudo erat de salute animarum suarum: ceterum corpora tum corporeo labore, tum fidelium eleemosynis sustentabant. Novis loci colonis favere ejus domini, & Gerardus Cameracensis præsul, a quo Aquicinctum missi sunt, ut vitæ monasticæ magistros inde adsciscerent. Assensit haud gravate Alardus primus ejusdem loci abbas, eisque priorem suum, Titubaldum nomine, cum fratre Rodulfo concessit. Hanc constructionem inter alios confirmavit Heinricus Brabantensis comes, ejusque loci advocatus, litteris [a] suis post triennium » datis notum faciens, quo pacto miles quidam suus, Gerardus nomine, cum aliis » quibusdam, quos gratia Dei prævenit & subsecuta est, balteo militari deposito, ut me» liorem invenirent hereditatem, militiam Christi professi sint, & in comitatu suo, loco ab antiquis *Hafflinghem* vocato, *modo autem Novo-monasterio appellato, habitationem saltuosam adhuc & desertam elegerint: ut quanto amplius remoti a secularibus, tanto sub regula beati Benedicti viverent familiarius.* Hic vero, præter alia dona, capellam suam in Wavera [*] eis confert: cujus loci præpositus fuit nostro tempore Benedictus Haëftenus, vir pietate, doctrina, scriptisque ac studio Benedictioæ professionis apud posteros æternum commendandus.

a Mir. notit. p. 107.

* Vavre.

LII. Luxemburgense item seu Monsteriense.

Duobus istis monasteriis tertium Belgicæ secundæ adjungendum est, haud longe a muris Lucilburgi seu Luxemburgi, in jugo montis, inter ruinas veteris castri & palatium Mansfeldicum, olim exstructum sub titulo sancti Petri, at temporis processu sanctæ Mariæ patrocinio ac nomine consecratum, quod ob excellentiam supra cetera illius tractus cœnobia vulgo *Munster* appellatur. Istud a Conrado Lucilburgensi comite, fratre Hermanni regis, assentiente Clementia ejus conjuge, hoc anno conditum fuisse constat ex litteris a Miræo [b] relatis in hunc modum.

b Miræi notit. p. 213.

Ego Conradus comes, licet sero, inspiratione divinæ gratiæ ad pœnitentiam provocatus, eleemosynis & ceteris pietatis operibus peccata mea redimere statui. Cœpi itaque in monte hoc, ubi nullus parentum meorum prius adoravit Dominum nostrum, domum Domini in honore & veneratione apostolorum principis a fundamentis construere. quæ omnia ut magis rata essent, acta sunt annuente uxore mea Clementia cum filiis & filiabus nostris, in præsentia domni Mettensis episcopi Herimanni anno M LXXXIII. *pridie nonas Julii.* Id confirmat Willelmus Conradi filius post mortem patris, in Jerosolymitano itinere post tres annos mortui, isque suæ confirmationis litteras cum Conrado filio super altare posuit. Primus ejus loci abbas Folmarus, incertum quo ex loco assumtus, successorem habuit Godefridum, religione ac pietate antecessori suo haud dissimilem: quorum successores, non sine hiatu relatos, videre licet apud Johannem [c] Bertelium, ejus loci abbatem doctrina & eruditione insignem, in historia Luxemburgensi, ubi sui monasterii fortunam accurate describit. Præcipua hæc fuit, quod, bellis inter Carolum V. imperatorem & Franciscum I. Galliæ regem sævientibus, hoc monasterium a Cæsarianis ipsis, ne a Gallis interciperetur, incendio absumtum est, locusque monachis intra urbem concessus, ubi novum cœnobium ædificarunt, cujus conspectum Stengelius cum brevi monasterii historia exhibuit in secunda parte Monasteriologii sui.

c Hist. Luxemb. p. 123. & seqq.

LIII. Turbæ apud S. Trudonem.

In monasterio sancti Trudonis post mortem Adelardi abbatis, quæ sub finem anni superioris accidit, convenere fratres III. idus Augusti insequentis in capitulo [d] ad novi abbatis electionem, præsentibus episcopis Mettensi & Leodicensi, Hermanno & Heinrico, necnon Berengario sancti Laurentii apud Leodicum abbate, & Francone magistro scholarum sancti Lamberti, admodum religioso. Electus Gerardus tum præpositus: at ejus electio ab episcopis rejecta. Tum vero proferuntur a nonnullis clericis delatrices litteræ, quibus infamabantur e fratribus ii omnes, qui eligi poterant, jussumque est, ut ex abis monasteriis eligendus assumeretur. Repugnantibus fratribus, electique sui, qui ex Gumtramni abbatis discipulis unus superstes erat, meritum defendentibus, exsilium contumacibus intentatum ab Heinrico Leodicensi episcopo, cautumque, ne quis eos in suo episcopatu exciperet. Altera die

d Spicil. to. 7. p. 363. & seqq.

ANN. CHR. 1083.

ambo episcopi in monasterium introducunt Lanzonem, cœnobii sancti Vincentii Mettensis abbatem, eique sancti Trudonis præfecturam committunt IX. kalendas Septembris. Id cum gravate admodum ferrent Trudoniani, plerique voluntarium prætulere exsilium, per varias dispersi regiones; pars etiam mutato habitu ad clericorum ordinem redacti; pauci cum Lanzone abbate in monasterio remanserunt, quorum unus fuit Gerardus ille præpositus, qui a fratribus electus fuerat. Inter ea Lanzo duorum fultus episcoporum auctoritate, in temporalibus & spiritualibus strenue agere cœpit: sed nescio quo occulto Dei judicio, præfecturæ suæ anno tertio, monasterium illud magnificum, quod multis curis impensisque Adelardus II. numeris omnibus absolverat, incendio penitus absumtum est VII. idus Martii, anno MLXXXV. Accessit & aliud infortunium, Liuponis scilicet monachi de abbatia disceptatio, ut in consequentibus exponemus.

Egmundæ donationes confirmatæ.

Per id tempus Egmondense monasterium regebat Stephanus abbas, *bonæ memoriæ* dictus[a] adhuc vivens in litteris, quibus ejus rogatu Theodericus V. Egmondensis comes antecessorum suorum donationes monasterio factas confirmavit, auxitque. In his litteris enumerantur donationes omnes Egmondensium comitum ab origine monasterii, cujus ecclesiam ligneam Theodericus I. Walgeri frater, cum conjuge sua Gena fecisse dicitur, ibique sanctimoniales instituisse. Eamdem ex lapidibus magno sumtu refecit Theodericus II. monachis loco sanctimonialium substitutis. Dein Ecbertus, prædicti comitis filius, Trevirensis archipræsul, ipsum locum donis honoravit; prædiis vero dotavit Arnulfus comes; maxime Theodericus III. ejus filius cum uxore Orhelhilde, uti & Florentius I. ejus filius ac successor, cujus filius fuit Theodericus V. qui has omnes donationes ratas habuit hoc anno, Conradi Trajectensis episcopi VIII. Stephani abbatis XXVI.

a *Miræi non. p.* 115.

LIV. Marcwardus Corbeiæ novæ abbas.

In Saxonia Frethrico abbati Corbeiæ novæ deposito suffectus hoc anno Marcwardus, *bonus pater & doctus, doctorumque amator*, ut in Corbeiensibus annalibus legitur, quo abbate refloruit schola & ecclesia Corbeiensis, quæ sub regimine Frethrici[b], hominis inutilis, magnopere neglecta fuerat. Sub novo hoc abbate auctus fratrum numerus, antea valde imminutus; amplificata cum religione & doctrina res familiaris ob frugalitatem Marcwardi, qui precibus, studiis, & curæ monasterii omnino intentus fuisse, denique Corbeiam, uti animam suam dilexisse traditur. Idem ossa Liudolfi & Dietmari piissimorum abbatum e tumulis extulit, & ante aram sanctæ Crucis cum summa reverentia posuit, factus demum episcopus Ossenburgensis.

b *V. lib.* 65. *n.* 76.

LV. Hirsaugiensis instituti propagatio.

Postquam Hirsaugiense monasterium de novo restruxerat[c] Willelmus abbas, mirum est quantos sub eo progressus fecerit monastica disciplina, tum novis condendis monasteriis, tum antiquis ad meliorem frugem convertendis. Septem minimum recensentur cœnobia, in quibus institutum suum propagavit, præter varias cellas Hirsaugiæ subjectas. Unum est Richenbacense, quod hoc anno ab eo exstructum fuisse Trithemius tradit. Locus est in Nigra-silva, a rivo, qui in Murgam influit, *Richenbach* dictus, quem vir ingenuus ac nobilis Berno Willelmo abbati ad condendum monasterium donavit. Illuc missi tres monachi & quinque laïci fratres locum dumis horridum exstirparunt, eoque expurgato, monasterium sub titulo sancti Gregorii construxerunt, aut potius agrestes casas, in quibus non pauco tempore habitarunt. Horum provisor & sub Willelmo abbate pater secundus erat Ernustus nomine, vir in sæculo probus & curialis, qui se suaque omnia jam pridem Deo consecraverat. Hic ad silvam exstirpandam, ad construendas officinas regulares, per se suosque impensas suppeditavit.

c *V. supra n.* 37.

Alterum monasterium, quod beato Willelmo suam debet originem, est sancti Georgii, itidem in Nigra-silva, diœcesis Constantiensis. Hezilo vir nobilis, pius ac locuples, fundum contulit exstruendo novo monasterio, cujus primus abbas fuit Heinricus, & post eum alter minus ad regimen idoneus. Huic amoto suffectus Theotgerus, & ipse aliorum monasteriorum pater, demumque Mettensis episcopus, de quo inferius pluribus agendum. Hoc monasterium non ita pridem invasit dux Wittembergensis Lutheranus: monachi vero Willingam confugere, ubi domicilium fixere. Illic vidimus aliquando domnum Georgium Geisserum, tum monachum, postmodum abbatem, doctrina & pietate præstantem, qui nostris studiis juvandis totus addictus erat.

In eadem Constantiensi diœcesi prope Danubium in Suevia exstat Zwifaltense

ANN. CHR. 1083.

asceterium, sic dictum ob duplicem aquam, beatæ Mariæ nuncupatum, quod quidem antiquius est, ut suo loco vidimus, sed a Willelmo instauratum, cui Heinricum abbatem gnavum ac pium præfecit. Liutulfum ex comite ejus loci monachum laudat Bertholdus, qui istius monasterii meminit.

His adde, ut alia prætercam, Wilheimense, & in Carinthia Lavense, ubi duodecim monachos instituit Willelmus sub Wezilone probatæ virtutis abbate. Adde etiam Scafusanum, Petershausense, superius memorata, & Campergense, quæ tria, jam pæne destructa, in pristinum statum restituit, uti & Erfordense, a sancto Bonifacio in honorem Deiparæ Virginis anno DCC LII. constructum, ex appendice ad Lambertum, contra quam Trithemius opinatus est, qui illud ante Willelmum nostrum exstitisse negat. His aliisque præerat Willelmus ut communis ac generalis pastor, magnopere sollicitus, ut idoneos singulis rectores provideret, id est pios & doctos: quorum alterum sine altero haud sufficere persuasum habebat.

LVI. Laïcorum fratrum institutio.

Præter monachorum monasteria Willelmus aliud Hirsaugiæ in honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli ad australem plagam construxit pro laïcis conversis; quorum institutio erat, ut res exteriores administrarent sub monachorum spirituali disciplina. Hi vigiliis nocturnis, partimque matutinis seu laudibus, & completorio, non autem diurnis horis interesse debebant. Summo mane missam audiebant; & post capitulum, in quo de suis erratis veniam petebant, ad injuncta opera mittebantur. In tractandis negotiis non solum lites & jurgia, sed etiam otiosos sermones cavere solliciti, omnis proprietatis expertes. Dominica die pars una, sequenti pars altera *corpus & sanguinem Domini* reverenter percipiebant, at in summis festivitatibus omnes simul. In coquina servientes, monachis & hospitibus cibos sua quique hebdomada parabant, una simul reficere soliti. Hæc fere disciplina erat ejusmodi conversorum laïcorum, teste Heymone monacho, qui librum de gestis Willelmi, magistri sui, scriptis mandavit.

Mariani Scotti chronicon.

Mariani Scotti chronicon in hoc anno desinit, ejus ætatis quinquagesimo-quinto, quod chronicon ab orbe condito ad id tempus in editis productum est, in exemplari quo usus est Sigebertus tantum a Christo nato ad annum præcedentem, falsus quoque duobus annis in ætate Mariani, aut certe librarius, ut Vossius recte observavit. Superstes fuit Marianus ad tres annos, scilicet ad annum M LXXXVI. quo *Marianus Scottus inclusus* obiisse dicitur a Dodechino abbate sancti Disibodi, ejus continuatore, & *apud sanctum Martinum* Moguntiæ extra urbem sepultus fuisse. Idem etiam Psalten regium commentariis illustrasse fertur.

LVII. Glastoniæ seditio ob cantum.

In Anglia seditio ingens in Glastoniensi monasterio exorta dicitur auctore Turstano abbate, ante Fiscamnensi monacho, quem rex Willelmus illic instituerat. Is monasterii sui Fiscamnensis cantum, qualem scilicet Willelmus abbas olim ordinaverat, Gregoriano relicto Glastoniæ introducere cœpit: monachos autem, Romano cantui assuefactos, voluntati suæ resistentes, armata militari manu usque ad ecclesiam persecutus fuisse dicitur, & duos quidem vel tres lancea confossos interemisse, plerosque graviter vulnerasse. quod ubi rescivit Willelmus, indignum abbatem a præfectura removit, & Fiscamnum redire jussit: qui tamen rege mortuo, abbatiam denuo nundinatus fuisse dicitur. Hæc fuse Rogerius Hovedenus, quæ paucis Heinricus Huntindoniensis præstrinxit.

Mathildis reginæ obitus.

Iidem auctores & plerique alii Mathildis Anglorum reginæ obitum hoc anno collocant. Variant Ordericus & Willelmus Gemeticensis: ast annus certus, sed incertus dies. Alii enim idibus Aprilis, alii III. nonas Novembris, alii denique, quibus ejus epitaphium aperte favet, ipsis kalendis Decembris eam obiisse scribunt. Omnes conciliat Arturus [a] hoc modo, ut pia regina decesserit idibus Aprilis, ejus vero corpus Cadomum sollemni pompa delatum sit III. nonas Novembris, ac demum kalendis Decembris humatum in medio basilicæ monasterii sanctæ Trinitatis, quod ipsa construxerat. Funus ejus honorifice curarunt cum ejus loci sanctimonialibus monachi sancti Stephani aliique, & clerici cum multo pauperum agmine, quibus ipsa vivens necessaria contulerat. Ejus monumentum ex auro & gemmis mirifice constructum fuisse testatur Ordericus, qui ipsius epitaphium refert. Eodem anno rex Willelmus, qui sine dubio ejus exsequiis interfuit, mense Julio, die festo sancti Arnulfi episcopi & martyris, controversiam composuit inter monachos sancti Stephani & sanctæ Trinitatis sanctimoniales exortam super fundo & burgo sancti Stephani, de quo litem movebant sanctimoniales: quibus Willelmus portionem burgi sui ad finiendam

[a] *Neustria pia p. 657. & seq.*

litem concessit. Testes Gislebertus Ebroïcensis, Michaël Abrincensis & Gislebertus Luxoviensis, ut tum scribebant, episcopi; testes quoque Balduinus abbas sancti Eadmundi in Anglia, Rotbertus comes de Moritonio, Rotbertus de Belismo & alii. Huic parthenoni tum præerat Mathildis pientissima abbatissa prima, cui Cæcilia Willelmi regis & Mathildis filia post annos octodecim successit.

ANN. CHR. 1083.

LVIII. Schrobesbericense monasterium conditur.

Inter nobiles proceres, qui Willelmum ducem in Anglicana expeditione secuti sunt, unus e præcipuis fuit Rogerius de Monte-Gomerici comes, cui rex multos bonores, in his comitatum Salopiensem, adeoque urbem Scroburiam seu Salopiam dedit. Illic ad orientalem portam urbis condita fuerat ab ejus consanguineo lignea capella, quam tunc Odelerius Aurelianensis, vir multa eruditione & facundia præditus, ejusdem comitis dono possidebat. Ille, ut Rogerio familiaris & *auricularius* seu fidus consiliarius erat, ipsum eleganti oratione, quam Ordericus [a] refert, exhortari cœpit, ut eo loci monasterium construeret. In illa oratione multa in laudem monachorum dixit Odelerius, quorum mores se apprime didicisse ait, utpote apud eos ab adolescentia educatus. Ceterum se ad fabricam monasterii symbolam suam, scilicet quindecim libras Sterilenses, collaturum, seque ipsum, ac Benedictum filium, suaque omnia monasterio traditurum. Erat Odelerius presbyter, sed conjugatus, pater utique Orderici Vitalis, quem litteris imbuendum ad Uticense Nortmanniæ monasterium miserat. Odelerii oratione permotus Rogerius monasterium in honorem sancti Petri eo in loco, ubi capella erat, ad Molam fluvium sita, ædificare aggressus est, cui totum orientale suburbium attribuit, *& super aram per chirothecas suas donationem posuit*. Evocati e Sagiensi sancti Martini cœnobio Rainaldus & Frodo monachi regularia ædificia disposuerunt. Primus abbas Fulcheredus fuit, cui Godefredus successit, docti & religiosi pastores, qui annis fere quadraginta locum rexerunt. Odelerius porro quod promiserat adimplevit, datisque ducentis libris argenti Benedictum filium suum primogenitum Deo ibidem obtulit, & ipse post obitum Rogerii comitis monasticum babitum induit, & post septem annos religiose exactos, ibidem piissime decessit. Hæc fusius apud Ordericum, cujus chronici de hac fundatione characteres non bene simul conveniunt. Hæc quippe a Rogerio comite in conventu procerum statuta fuisse dicuntur anno M LXXXIII. indictione IV. V. kalendas Martii feria VI. quo anno indictio VI. erat, & quintus dies ante kalendas Martii in sabbatum incidebat. Sed bas minutias mitto. In chronico Johannis Bromtonis comes Salopiæ Warinus anno Willelmi regis quarto-decimo duo cœnobia construxisse dicitur; unum in suburbio Salopiæ in honorem apostolorum Petri & Pauli: alterum in comitatu Salopiæ in villa *Wenloke* in honorem sanctæ Milburgæ. Primum ex illis duobus illud ipsum est, cujus fundatio Rogerio comiti Warini successori ab Orderico & Willelmo Malmesburiensi tribuitur. Forte Warinus haud alius sit a Siwardo Rogerii consanguineo, a quo prædictam capellam ligneam, ubi postea monasterium positum fuit, exstructam fuisse Ordericus tradit. Apud eumdem Bromtonem Rogerus Belismensis, illustris comes Salopiæ, idem qui Rogerus de Monte-Gomerici; post annos quinque, cum ex gravi morbo decumberet, *ad succurrendum anima sua monachus factus* fuisse dicitur, Adelissa comitissa consentiente; & *misisse Regimaldum priorem Salopia Cluniacum pro tunica sancti Hugonis induenda*. Ordericus tamen scribit, Rogerium anno M XCIV. defunctum VI. kalendas Augusti, & in basilica nova inter duo altaria sepultum fuisse. Idem tradit, Godefredo [b] abbate subita morte prævento, Herbertum gubernaculum *rudis abbatia* usurpasse. Plura de hoc monasterio in Monastico [c] Anglicano, ubi indifferenter Salopiense & Scrobesburiense appellatur.

a *Orderic lib. 5. p. 579. & seqq.*

b *id. lib. 12. p. 873.*

c *Monast. Anglic. to. 1. p. 371. & seqq.*

ANN. CHR. 1084.

LIX. Romæ novæ procellæ.

ANno insequente supra millesimum octogesimo-quarto, Heinricus iterum Romam aggreditur, acceptusque a Romanis in urbem feria sexta ante dominicam palmarum, sequenti dominica Wibertum Ravennatem sub nomine Clementis III. in cathedra sancti Petri constituit, a quo se, Bertamque reginam die festo paschæ subsequentis imperatorio diademate coronari fecit. Id antequam faceret, hortantibus religiosis viris, in primis venerabili Hugone Cluniacensi abbate, qui eum e sacro fonte susceperat, suadentibusque, ut tandem toties excommunicatus resipisceret, se assentire simulavit, modo ut a Gregorio papa imperiali corona donaretur: atque ut rei fidem faceret, Odonem cardinalem Ostiensem, aliosque re-

ANN. CHR. 1084.

laxari jussit, & cunctis, qui Romam adire vellent, securitatem pollicitus est. Verum Gregorius qui hominis versutissimi fraudes frequenti experimento noverat, id se facturum negavit, nisi ille prius Deo & ecclesiæ satisfecisset. qua conditione rejecta, Heinricus se a suo pseudopontifice coronari haud gravate obtinuit. Hæc Pandulfus in historia nondum edita Romanorum pontificum. Interim Rotbertus Guiscardus, Apuliæ dux, per Desiderium Casinensem abbatem in auxilium pontificis adducitur. quo comperto, Heinricus cum suo Clemente Urbe excessit, & in Germaniam rediit, ubi, Augusta-Vindelicorum ab adversariis capta, res suas male succedere intellexerat. Itaque Romani, cum Rotberto aliquamdiu restitissent, ad deditionem tandem compulsi sunt. Rotbertus inde Urbe sibi cedendum ratus, saluti Gregorii timens, cui insensos Romanorum animos ob rejectas pacis cum Heinrico conditiones intelligebat, ipsum ex Urbe eduxit, & Casinum primum, inde Salernum perduxit. ubi pontifex usque ad obitum, qui anno sequenti accidit, demoratus est, comitante ipsum inter alios Jarentone, sancti Benigni apud Divionem abbate, ut scribit Hugo [a] Flaviniacensis. In via Jarento, turba calonum, dum alios tardius subsequitur, persequente, Walterium monachum, qui eis resistere volebat, lancea perfossum amisit, ut anno sequenti amplius exponemus.

Pontifex Salernum secedit.

[a] *Labbe bibl. to. 1. p. 229.*

Berta Casinum adit.

[b] *Hist. Mediani-mon. c. 73.*

Si Johanni de Bayone [b] credimus, Heinricus in Germaniam reversurus, filium suum *sub stola*, id est custodia, *Mediolanensis episcopi* reliquit; Berta vero ejus uxor *ad templum castri Casini, a quo omnis mulierum sexus perpetuo artatur, perveniens, cum a fratrum cœtu arbitrium concederetur introeundi, quoniam hoc asylum contemplari magnæ jocunditatis est; conditionis suæ non immemor, specieque regii habitus vim magis interius retinens, non ingreditur.* Eamdem modestiam exhibuit eadem regina, subdit idem auctor, cum a rege repudiata, in Lauriense cœnobium se recepit.

Farfensium bona confirmata.

In illa porro expeditione novus imperator omnia Farfensis monasterii privilegia & universas possessiones cellasque confirmavit. In earum enumeratione recenset inter alia » in urbe Roma cellam sanctæ Mariæ in crypta Agonis, & ecclesiam sancti Benedicti in loco qui dicitur Scorticlarii, cum cryptis earumque pertinentiis; ecclesiam sanctæ Mariæ in Formello cum fundis, quos Leo papa IX. bonæ recordationis sanctæ Mariæ contulerat; in territorio *Tuscano* cellam sanctæ Mariæ juxta fluvium Minionem; in comitatu Narniensi monasterium sancti Angeli & cellam sancti Antimi; in comitatu Perusino cellam sanctæ Mariæ in Diruta; in comitatu Firmano monasterium sanctæ Mariæ & sanctæ Victoriæ, positum in Matenano-monte; in comitatu Esculano monasterium Salvatoris juxta fluvium Aso; in comitatu Tearino monasterium sancti Stephani in Lucania; denique, ut alia omittam, in civitate Reatina monasterium puellarum sub titulo sancti Georgii. Hoc diploma datum est anno Heinrici imperii primo. quo tempore Rainerius Vercellensis episcopus præsente Heinrico cum pseudopontifice Clemente, Berardum Farfæ abbatem de ecclesia sancti Valentini, in burgo sancti Valentini diœcesis Viterbiensis posita, *per ostium & clavem investivit mense Maio, die* XXIV. *anno primo pontificatus Clementis.*

LX.

Pistorii monasterium S. Michaëlis.

[c] *Ital. sac. to. 3. p. 351.*

Pistorii in Etruria vetus ecclesia sancti Michaëlis de Furculis, in suburbio tunc posita, nunc muris urbis inclusa, cum omnino cultu divino destituta esset, in monasterium hoc anno conversa est [c] a Leone Pistoriensi episcopo, & Ficuclensis apud Luccam cœnobii monachis commissa. Id factum voluit præsul ea lege, ut, si quando in abbatiam erigeretur, nullus illic abbas institueretur, nisi quem monachi ibidem habitantes unanimi assensu elegissent, *cum consilio* tamen *& adjutorio abbatis Ficuclensis, & eorum, qui congregationes Vallumbrosanas pro tempore regerent.* Verum, quia Ficuclensis abbas primos illic monachos collocavit, per eum monachos illos vult regi episcopus, sed cum Vallumbrosanorum præpositorum conniventia: a quibus si aliquando discordent monachi, alios ibidem monachos instituere præpositis illis liceat. Id autem non multo post accidit, & quidem ante initium sæculi insequentis, quo ineunte Petrus, ex monacho Vallumbrosano Pistoriensis episcopus, multa largitus est sancti Michaëlis monasterio, quod in abbatiam jam tum erectum erat. Haud scio an primus ejus abbas fuerit Ildeprandus, ex comitibus Guidis de Romena, qui eidem Petro in episcopatu Pistoriensi successit. Hunc excepit beatus Atto octavus abbas Vallumbrosanus, de quo alias. Hactenus istud monasterium occupant Vallumbrosani.

LXI.

Suessionense concilium.

In Gallia habitum est hoc anno concilium apud Suessionas, præsidente Rainaldo

Remorum

Remorum pontifice, anno pontificatus sui primo, assistentibus septem comprovincialibus episcopis, quorum nomina inferius referemus. Hujus concilii notitiam accepimus ex litteris tum Rainaldi archiepiscopi, tum Tetbaldi seu Theobaldi Campaniæ comitis, quibus litteris altare villæ Ventiliaci * Majoris-monasterii fratribus concedunt. Sita est hæc villa in diœcesi Remensi, inter Axonam & Vidulam fluvios, haud procul a Roceio * opidulo, & Ponte-variæ *, ubi cellam Majoris-monasterii primum exstruxerat [a] idem Tetbaldus Palatinus comes, eo nomine tertius, pro salute animæ suæ, atque patris sui *excellentissimi comitis* Odonis. Hujus loci prior jam ante quinque annos erat Hugo, ut superius [b] vidimus. Idem Tetbaldus prædictæ synodo Suessionensi adfuit, effecitque, ut quidam ejus *fidelis*, Sesqualo nomine, qui altare Ventiliaci *in fevum*, ut tum loquebantur, ab ipso tenebat, illudque filiæ suæ in dotem alias dederat, ipsum altare Majoris-monasterii monachis resignaret. Rainaldus autem Remorum archiepiscopus, rogatu Tetbaldi comitis, qui idem altare ab archiepiscopis *in casamento* tenebat, ob amorem sancti Martini, *dulcissimi domini ac protectoris sui*, prædictis monachis *ad opus ecclesiæ Ventiliaci*, in perpetuum *absque persona tenendum tradidit*. Rainaldi litteris adscripta sunt post eum signa domni Rogeri Catalaunensis, domni Elinandi Laudunensis, domni Gerardi Cameracensis, domni Ratbodi Noviomensis, domni Roriconis Ambianensis, Widonis Belvacensis, & Gerardi Teruacensis episcoporum; tum domni Manassæ Remensis ecclesiæ præpositi, futuri post Rainaldum archiepiscopi, aliorumque Remensis ecclesiæ canonicorum, inter quos non comparet Bruno, qui jam tum ab urbe Remorum recesserat. *Actum Suessionis in concilio, anno incarnationis dominicæ* M LXXXIV. *indictione* VII. *regnante glorioso Francorum rege Philippo anno* XXIV. *archiepiscopatus autem domni Rainoldi anno* I. *Godefridus cancellarius scripsit & subscripsit.* Defuit huic synodo Arnulfus Suessionum præsul e nostris, qui tunc in Belgio versabatur, ut postea videbimus. Ex his patet, Tetbaldum comitem ad hunc saltem annum pervenisse.

ANN. CHR. 1084.

Ventiliaci cellæ.

* *Venteloy.*

* *Roucy.*

* *Pontavere.*

a *V. lib.* 58. *n.* 8.

b *lib.* 65. *n.* 64.

LXII. Rainaldus Remorum archiepiscopus.

Observandum hoc loco initium pontificatus Rainaldi seu Rainoldi archiepiscopi Remensis, cujus annus primus in præcedenti instrumento hoc anno, sed incerto mense, consignatur. Jam illam sedem inierat anno superiori, quo litteris Anselmi comitis pro constructione monasterii Ribodimontensis signum ac nomen suum cum archiepiscopali titulo apposuit. Turonensis ecclesiæ thesaurarius erat ante suam electionem. unde in præmissis litteris pro Ventiliaco sanctum Martinum *dulcissimum dominum ac protectorem suum* vocat. Electus est non statim ab exauctoratione Manassæ antecessoris sui, anno M LXXX. facta. Cur tam diu dilata sit successoris electio, id in causa fuit, quod Manasses post sententiam depositionis in se latam, & a Gregorio VII. confirmatam, nihilo minus se pro archiepiscopo aliquamdiu gesserit. Ad hæc Elinandus Laudunensis episcopus, amoto Manasse, Remensem archiepiscopatum nundinatum fuisse, & biennio tenuisse a Guiberto [c] dicitur, sed tandem eo cessisse jussum a Romano pontifice, scilicet Gregorio, a quo audivit, homini jam conjugato aliam uxorem superducere non licere. Suffectus itaque tandem anno M LXXXIII. in Manassæ locum Rainaldus, ex illustri Berlaïorum genere progenitus, quo anno Bruno canonicus Remensis jam Remorum urbe, ut mox dicebam, excesserat.

c *Guibert. lib.* 3. *de vita sua c.* 2.

LXIII. Brunonis canonici Remensis incessus.

De hoc eximio Cartusianorum institutore jam non semel facta mentio est: sed omnia hoc loco paucis recapitulanda. Bruno ex urbe Colonia haud obscuris ortus parentibus, ibidemque factus clericus, in civitatem Remorum accessit adolescens, ibidemque consedit:

Quem docuit tenerum mater Remensis alumnum,

ut statim post ejus obitum testati sunt canonici Remenses in *titulo* seu carmine, quo ejus funeri parentarunt. Dein pontificatu Gervasii canonicus & scholarum magister, seu *magnorum studiorum*, ut Guibertus [d] loquitur, *rector*, moxque cancellarius factus est. quo nomine chartæ fundationis [e] sancti Martini Gemellorum apud Ambianos anno M LXXIII. *Bruno cancellarius* subscripsit; idemque post tres annos quibusdam litteris Manassæ archiepiscopi pro sancti Basoli monasterio. Biennio post hoc munere fungebatur [f] Godefridus, cum scilicet ab isto officio a Manasse remotus esset Bruno, qui ejus facinoribus aperte se opponebat, ejusdem exauctorationis præcipuus auctor. Godefridus iste Remis genitus erat, vir pro tempore doctissimus,

d *Guib. lib.* 1. *de vita c.* 11.

e *Marlot. to.* 1. *p.* 154.

f *id. to.* 1. *p.* 173.

ANN. CHR. 1084

a Præfat. 2. ad fac. 6. num. 85.

ad quem *examina discipulorum* concurrebant, testante Baldrico in carmine alias a me relato, qui & subdit:

Et tunc Remis erat, Remis quoque Bruno studebat,
Bruno Latinorum tunc studii speculum.

b Analect. tom. 4. p. 385.

His adjunctus erat senex Herimannus, quem Gozechinus [b] scholasticus primum laudat inter illius temporis sapientes & auctoritate præstantes viros, qui, relictis inferioribus studiis, ad theologiæ otium concesserant. Porro Baldricus in prædicto carmine ait, Godefridum *ad studium*, id est studiorum magistratum, promotum fuisse a Manasse, qui anno M LXXX. exauctoratus, aliquamdiu pontificatum nihilominus retinuit, ut mox dicebam. Ex his non facile est definire, quo præcise anno Bruno Remis discesserit. Certe non serius anno M LXXXIII. siquidem anno sequenti majoris Cartusiæ fundamenta jecit. Cum vero ante, quam eo adiret, *quemdam magni nominis eremitam*, de quo paullo inferius agemus, consuluerit, aliquantum temporis ad hoc iter insumsisse dicendus est.

Quænam ejus causa.

Quæ causa Brunonem ad hunc secessum impulerit, ipse aperit in epistola ad Radulfum Viridem præpositum Remensem, quam ex Calabria scripsit, ut eum ad exsequendum monasticæ vitæ conceptum olim propositum adhortaretur. *Reminisciitur*, inquit, *dilectio tua, quod cum ego & tu, & Fulcius-Monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti domui Adæ, ubi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus & perituris mundi hujus divitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis aliquamdiu, ut opinor, tractaremus: unde divino amore ferventes, promisimus, ac vovimus Spiritui-sancto, in proximo fugitiva sæculi relinquere, & æterna captare, necnon monachicum habitum recipere. quod & in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad cujus reditum peragenda distulimus. quo moram faciente, aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus, fervorque evanuit. Quid ergo superest, carissime, nisi a tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam gravi tamque diuturno mendacii crimine iram incurras potentissimi, & propter hoc cruciatus immanes?* Prima ergo istius secessus causa fluxit ex illo colloquio, quo animatus Bruno & duo illi amici, de relinquendo sæculo consilium inierunt. Præcessit & alia causa, quam Guibertus suggerit, nempe corrupti Manassæ archiepiscopi mores, quos Bruno strenue insectatus est: sed cum ille perverse agere pergeret, ejus vitæ horrore perfusus vir Dei, Remorum urbe relicta, *ad Gratianopolitanum processit territorium*, inquit Guibertus; ibique facultate ab Hugone episcopo accepta, *in arduo & admodum terribili promontorio, ad quod difficillimum & valde insolens iter intenditur, sub quo etiam prærruptissimæ vallis vorago dehiscit, habitare deligens, hujusmodi mores instituit*, quales in consequentibus describit idem auctor, *& sequaces ejus hodieque sic vivunt*. Aliam istius secessus causam post annos minimum ducentos quidam attulere auctores, nimirum Brunonem, dum Parisiis in scholis versaretur, prodigio redivivi canonici, qui se damnatum vociferatus sit, perterritum, in eremum secessisse, & adjunctis sibi sociis Cartusiensium Ordinem instituisse. quæ narratio, variis subinde aucta circumstantiis, sancto Antonino, ipsique Gersoni, solidæ doctrinæ ac pietatis viro, probata, non mirum si bona fide a totius sacri Ordinis alumnis admissa & asserta sit, cui Cæsarius Heisterbacensis videtur prælusisse. At in contrarium viros doctos magnopere movet antiquiorum auctorum silentium, qui de Cartusiensium origine scripserunt, in primis Petri Venerabilis, qui, cum de miraculis, ostensisque sui temporis ex professo agat duobus libris, quorum in secundo Cartusiensium primordia & instituta accurate describit, ubi & cujusdam fratris Cartusiensis visum mirabile fuse commemorat, ne verbum quidem de redivivo illo canonico agit. Hinc est quod post diligens & accuratum doctorum virorum examen sensim adeo decrevit illius traditionis auctoritas, ut hæc narratio e Romano breviario expuncta sit. quod nequaquam sacri Ordinis existimationi præjudicare debet.

LXIV. Cartusiæ majoris initia.

Remis egressus Bruno cum sociis sex, consultis inter eundum spiritualibus viris, Hugonem eximiæ sanctitatis Gratianopolitanum episcopum adiit: qui, septem stellarum viso & indicio cælitus de eorum adventu præmonitus, accedentes paterno complexus amore, asperrimos Cartusiæ montes eis ad habitandum concessit. Mox eo se contulere generosi Christi milites paullo ante festum sancti Johannis-Baptistæ: ubi, exstructo in honorem Deiparæ Virginis oratorio, in separatis cellis, totidem

cavernis & speluncis, habitare, & cælestem vitam agere cœperunt, Brunone magistro ac duce, qui idemtidem in alium locum maxime horridum secedere consueverat. Hæc initia & cunabula fuere sacræ illius domus, quæ a situ Cartusia dicta est, ceterisque ejusdem familiæ locis nomen dedit, Major ad discrimen aliarum appellata. Hæc, inquam, origo, sacri illius Cartusiensium Ordinis, qui veterum anachoretarum orientalium fervorem in occidente excitarunt. Primi Brunonis in hoc sancto proposito socii & adjutores exstitere Landuinus Italus, ejus in Majoris Cartusiæ regimine proximus successor; Stephani duo, Burgensis & Diensis, sancti Rufi canonici; Hugo sacerdos, & laïci duo, Andreas & Guarinus. Hæ septem stellæ sunt, & prima lumina cælestis istius instituti.

In assignando anno, qui Cartusiæ principium dedit, variant auctores, cum recentiores, tum antiqui nonnulli. Alii quippe annum M LXXXIV. alii insequentem; alii denique annum M LXXXVI. assignant. Postremam hanc sententiam, quæ Baronii est, propugnat Sirmundus [a] in epistola ad Severum a Neapoli Cartusianum, qui ipsum hac de re consuluerat. His præiverat ante annos fere quingentos Gerardus [b] prior Vosiensis. *Hic Ordo*, subdit ille, *teste Bernardo, inter omnes ecclesiasticos Ordines primatum tenet, non ratione temporis, sed vigore sanctitatis, unde ipse vocat eum speciosissimam columnam ecclesiæ.* Hæc sententia, uti & præcedens, fundamentum habet in libro de vita sancti Hugonis Gratianopolitani episcopi, auctore Guigone, quinto Cartusiæ priore, ubi scribit Brunonem ad eum accessisse anno circiter sexto Hugonis episcopatus, quem in concilio Avenionensi episcopum renuntiatum fuisse tradit Hugo, Flaviniacensis eo tempore abbas. Hoc autem concilium anno M LXXIX. habitum fuisse ex iis, quæ superius [c] diximus, facile confici potest, non anno M LXXX. ut plerique volunt. atque adeo Hugonis consecratio, si non eodem anno, saltem ineunte anno proximo facile fieri potuit. Verum Cartusiæ-majoris fundationem anno M LXXXIV. factam fuisse antiqua Ordinis traditio est, cui multa suffragantur argumenta. In primis decretoria hanc in rem videtur charta Hugonis episcopi Gratianopolitani, ipso anno scripta presbyteris & laïcis sui episcopatus, qua vetat, ne feminæ transeant per terram fratrum Cartusiæ, qui Deo placere cupientes, mundum & turbas fugiebant; & ne quisquam intra terminos ipsorum possessionis, piscationem aut venationem exerceat, & sua animalia pascenda deducat. *Datum mense Julii, anno* M LXXXIV. proximo scilicet mense, quam Bruno cum sociis ad Cartusiam venerat, quem circa nativitatem sancti Johannis-Baptistæ eo accessisse docet libellus [d] de institutione Ordinis Cartusiensis, desinens in Guigone priore quinto, ubi articulo quarto de Johanne Tusco id legitur. In eodem libello Bruno decessisse perhibetur *undecimo plus-minus anno* post egressum e Cartusia, quam sex annis rexit. Itaque septimo-decimo a primo in eam ingressu decessit, & quidem anno M C I. ut omnes consentiunt. quo ex numero si annos septemdecim subduxeris, restabit annus M LXXXIV. qui primus annus erit ejus in Cartusiam ingressus. Idem calculus conficitur ex obitu Guigonis prioris quinti, anno M C XXXVII. defuncti, *cum ab exordio Cartusiensis eremi annus quinquagesimus-tertius ageretur*, ex eodem libello, qui paullo post ejus obitum scriptus fuit. Denique id ipsum evincit ipsius Brunonis epitaphium, in veteri codice repertum, cujus primi versus:

> *Anno milleno quarto quoque, si bene penses,*
> *Ac octogeno sunt orti Cartusienses.*
> *His ortum tribuit excelsus Bruno magister.*

Itaque non ita rigide, sed commode interpretandus est Guigonis calculus, ubi agit de primis annis Hugonis episcopatus, cujus anno quinto, secundum hanc sententiam, Bruno in Cartusiam accessit. Alias Guigo ipse non sibi constaret assignando summam annorum ejus ætatis, consecrationis & episcopatus.

LXV. Cartusiensium regula & instituta.

Jam vero investigandum est, an certam Regulam suis alumnis vir Dei præscripserit, antequam prima illius Ordinis Statuta scriptis redigerentur. Non dubium quin sancti Benedicti Regulam, quatenus anachoretarum ferebat institutum, sibi suisque sectandam proposuerit. Illud argumentum est, quod Guigo ipse statuta sua condidit ad mentem regulæ Benedictinæ, ut probat Cartusiæ Portarum antiquus codex, in quo Statuta illa hunc præferunt titulum: *Statuta Guigonis Cartusiæ prioris, & aliorum*

[a] Sirmund. to. 4. p. 676.
[b] Labbe bibl. to. 2. p. 289.
[c] supra n. 34.
[d] id. to. 1. p. 618.

ANN. CHR. 1084.

patrum, juxta Regulam sancti Benedicti. Unde Guigo ipse in sua præfatione ait, se hæc Statuta scribere distulisse, *quod vel in epistolis beati Hieronymi, vel in Regula beati Benedicti, seu in ceteris scripturis authenticis, omnia pane, quæ hic religiose*, inquit, *agere consuevimus, contineri credebamus.* Certe non aliam a Benedictina professionis formulam proponit. Ad hæc Paschalis II. Lanuino, Squillacii post sanctum Brunonem priori, indulget, ut in quadam ecclesia juris eremi, quæ apud Squillacium sita erat, monasterium constituat, *ut fratres, austeritatem eremi ferre non valentes, juxta beati Benedicti regulam illic possint omnipotenti Domino deservire*, ut suo loco amplius explicabimus, ubi observabimus, duplex apud Squilliacium genus Cartusiensium fuisse, cœnobitarum & anachoretarum, uti apud Camaldulenses, omnino ad mentem sancti Benedicti. Quin etiam Eugenius III. in privilegio Montis-Dei Cartusiæ concesso, statuit, *ut ordo monasticus secundum beati Benedicti regulam, normam quoque & institutiones fratrum Cartusiensium, perpetuis ibi temporibus observetur.* Denique ante S. Brunonis canonizationem Cartusienses S. Benedictum, recitando confessionem, patrem suum dicebant, retinentque etiam nunc dispositionem divini Officii ad normam regulæ sancti Benedicti, cujus diem festum sollemni, pro more suo, ritu semper observarunt.

Primi eorum mores.

Primos eorum mores accurate descripsit Guibertus[a], cujus summa saltem capita hic exhibere juvat. Et primo quidem ad ædificia quod attinet, eorum ecclesia non longe a crepidine montis posita erat, & circa illam in devexo & sinuato montis latere tredecim pro totidem monachis cellæ per gyrum dispositæ ac separatæ, in quibus operabantur, dormiebant & vescebantur. In ecclesia aurum, argentum, ornamenta ecclesiæ a nemine accipiebant, nec nisi unicum habebant calicem argenteum. Ad ecclesiam non horis solitis, uti apud claustrales, sed certis conveniebant, missas dominicis tantum & sollemnibus festis audire soliti. Sub priore agebant: vices abbatis episcopus Gratianopolitanus exsequebatur. Ciliciis induti erant ad cutem: ceterarum vestium multa apud eos tenuitas. Eorum victus hæc ratio erat. Dominica die ab œconomo panem accipiebant & legumina, quod unicum pulmenti genus in cellis suis singuli coquere poterant: aquam autem ad potum, ceterosque usus ex ductu fontis, qui singulorum cellis per occultos meatus influebat. Pisce & caseo dominico & sollemnioribus festis in communi refectorio utebantur; pisce inquam, non quem sibi emissent, sed quem ex piorum hominum liberalitate accepissent. Vinum, si quando bibebant, ita dilutum erat, ut vini saporem fere omnino amisisset. Terra illa, in qua degebant, sterilis & ingrata erat, ac proinde rei frumentariæ causa parum ab eis culta. Verum ovium suarum, quas plurimas nutriebant, velleribus qualescumque suis usibus fruges comparare solebant. Infra montem laïci fidelissimi, viginti numero habitabant, penes quos harum rerum cura & sollicitudo erat: alii vero divinæ contemplationi absque remissione vacabant. Paupertatis quam maxime amantes, locupletem nihilominus bibliothecam habebant, ut quo minus panis materialis copia exuberabant, tanto magis illo qui non perit, pane reficerentur. Ceterum quanto paupertatis studio flagrarent, insigni probat exemplo idem Guibertus, quod ipso, quo hæc scribebat, anno evenisse testatur. Cum Nivernensis comes, ait ille, vir valde religiosus & potens, illos Dei servos causa devotionis invisisset, eosque ad cavendam rerum sæcularium cupiditatem esset adhortatus; post suum reditum, horum monitorum immemor, eorum indigentiæ compassus, argentea eis munera submisit. Illi vero, comitis monitorum haud obliti, munera sibi oblata respuerunt, effari,
» se neque in expensis propriis, neque in ecclesiæ ornamentis, pecuniis uti constituisse.
» quo intellecto, comes boum coria & pergamena plurima, quæ ad scribendos libros eis necessaria cognoverat, ad eos misit. Certe primos illos Cartusiæ incolas exarandis libris sedulam navasse operam, testis est Guigo in Statutis suis, ubi eos ad hoc exercitium excitare volens: *Quot enim libros scribimus*, inquit, *tot nobis veritatis præcones facere videmur.* Tanta porro piorum illorum hominum religio omnes in eorum admirationem ita commovit, ut ad eorum imitationem certatim concurrerent *virorum, feminarumque greges*, immo decennes & undecennes infantuli, qui longe supra vires ardua quæque subire contendebant. *Fiebat in illis conversionibus*, inquit Guibertus, *quod in antiquis fieri solebat martyribus, ut major in imbecillis, tenerisque corporibus inveniretur fidei vivacitas, quam in illis, in quibus grandævitatis ac scientia floreret auctoritas.* Denique qui se ipsos relicto sæculo consecrare Deo non poterant, facultates suas, operas ac labores in servorum Dei subsidia conferebant. Hinc

[a] Guib. lib. 1. vitæ c. 11.

nova monachorum cœnobia construi cœpta, adeo ut in villis, opidis, urbibus, immo etiam in saltibus atque agris aliorum monachorum quaquaversum examina repente fervere viderentur. quod Cartusiensium pietati ac fervori adscribit Guibertus, ex quo hoc sacri Ordinis specimen attulimus. Unum est, in quo Cartusiensium ritum non videtur assecutus, ubi ait, eos nusquam pæne locutos; &, si quid peti necesse esset, *signo exigi* potius quam verbis. Ut enim prius illud admittam, posterius repugnat Guigoni, qui ejusmodi signa non probat, sufficere arbitratus, *linguam solam, non etiam ceteros artus reatibus implicare loquendi*. Hic locus esset aliorum auctorum, puta Petri Venerabilis & ceterorum testimonia de Cartusiensibus afferre: sed jam longius progressi, ea tantum ex Petro Venerabili proferemus, quæ a Guiberto omissa sunt.

Scribit itaque Petrus, eorum vestes non modo vilissimas fuisse, sed breves & angustas, atque omnino hirsutas & horridas, ut nullam inde gloriandi occasionem haberent; cupiditatem vero eos ita radicitus amputasse, ut certos pro locorum fertilitate vel sterilitate terminos in circuitu cellarum suarum sibi præscripserint, extra quos, nec si totus eis mundus offerretur, ne pedis quidem terræ spatium acciperent. Eadem ratione certum quoque boum, asinarum, ovium & caprarum numerum ab eis præfixum: &, ne hæc augere cogerentur, non ultra duodecim monachos, excepto priore, ab eis admitti cum octodecim conversis totidemque mercenariis. Ad hæc ad domandam carnem eos non modo ciliciis, sed etiam pane tantum furfureo semper uti, & ab omni carnium esu tam sanos, quam ægros in perpetuum abstinere. Denique tertia feria & sabbato, aut legumine, aut olere cocto vesci; secunda vero, quarta, & sexta feria, pane solo & aqua contentos, semel in die semper comedere, exceptis octo diebus natalis Domini, totidemque paschæ & pentecostes, epiphania Domini, certisque festis sollemnioribus per annum. Ad officium divinum quod attinet, omnes ad vesperas & matutinas in ecclesiam convenire, ceteras horas in cellis persolvere ad campanæ sonum; præterquam dominicis & festis illis diebus, in quibus bis comedebant, quibus diebus missas celebrabant. Hæc satis superque satis de sacro illo instituto, cujus bonam partem, post annos amplius sexcentos, cum perpetua reclusione mirum est ad nostrum usque tempus potuisse retineri, quod etiam de Camaldulensibus licet dicere.

LXVI. Bruno an Rotbertum Molismi abbatem consuluerit.

Quinam sit ille *magni nominis* eremita, quem Bruno adeundo Cartusiam consuluit, nemo hactenus, ne quidem divinando, assecutus est. Conjiciebam aliquando fuisse Stephanum Tiernensem, qui tum Mureti apud Lemovices non sine magni nominis fama eremiticam vitam cum suis agebat. ar quibusdam monumentis adducor ut credam, illum magni nominis eremitam non alium esse, quam Rotbertum abbatem Molismensem. Exstat in illius monasterii tabulario Rainardi de Barro, & Johannis de Laniaco charta, qua *terram apud Siccam fontanam*,* *labore hominum* partim *jam complanatam*, laudante Valentio comite Brenensi & Barrensi, cujus *hoc casamentum* erat, ecclesiæ Molismensi conferunt. *Cum vero ecclesia loci illius, quam ædificaverant Petrus & Lambertus, discipuli magistri Brunonis, qui cum eo in territorio illo erant, & eremitice vixerant, a domno Roberto Lingonensi episcopo in honore beatæ semper virginis Mariæ dedicaretur, atriumque benediceretur; prædictus comes & idem Rainardus & Acelinus cum multis aliis præsentes fuerunt.* Ex quibus intelligitur, Brunonem apud Siccamfontanam, qui locus est diœcesis Lingonensis in archidiaconatu Barri-super-Albam, aliquamdiu *eremitice* vixisse cum prædictis Petro & Lamberto ipsius discipulis; & de proximo consulere potuisse Rotbertum Molismensem abbatem, magni tum nominis, qui eremiticam passim vitam agebat. Nulla prædicto instrumento apponitur chronica nota: sed ad marginem recentiori manu adscriptus est annus M LXXXI. qui tempori secessus Brunonis apprime convenire potest. Nec obstat quod Rotbertus Lingonum præsul, & ipse Brunonis discipulus, qui Siccæ-fontanæ ecclesiam dedicavit, non ante annum M LXXXV. hanc sedem inierit. nam hæc dedicatio aliquanto post recessum Brunonis facta est. Certe Brunoni Remis Gratianopolim adeunti obvium erat Molismense monasterium, adeoque Rotbertus ejus abbas, quem nullus tum eremitarum aut monachorum, ad perfectionem illis in partibus contendentium, non rectorem ac ducem habere cupiebat.

* *Saisse fontaine.*

Planciaci monasterium & alia Molismo data.

Per id tempus nobilissima quædam matrona, Gilia nomine, insigne monasterium exstruxit prope castrum Planciaci * ad Ulmos in diœcesi Trecensi, ac liberaliter dotatum Molismensi ecclesiæ tradidit: ubi Rotbertus abbas monachos e suis, qui ejus

* *Plancy.*

ANN. CHR. 1084.

animam precibus Deo commendarent, constituit, quibus illa sedulo ministrabat. Hæc donatio facta est annuente Galterio comite Brivensi, a quo hæc matrona illa tenebat. Eidem loco mediam partem hereditatis suæ apud Barrisvillam largita est, necnon crucem auro & lapillis ornatam, calicem aureum, multaque alia. quæ omnia Galterius de Capis, ejus filius, cum uxore comprobavit.

Tunc etiam Tecelinus de Maliaco, monastico habitu apud Molismum induendus, eidem loco ecclesiam Campaniolæ, cum assensu Rainardi Lingonum episcopi contulit, necnon possessiones quæ ipsi hereditario jure competebant, tam pro se, quam pro sorore sua, Odelina nomine, quæ fratris exemplo apud Molismum religiose, quoad vixit, conversata est.

LXVII. Aldenburgense monasterium.

Superius [a] diximus, Arnulfum Suessionum episcopum abfuisse a præmisso Suessionensi concilio, cui Rainaldus archiepiscopus, Manassæ successor, præsedit. Causa ejus absentiæ hæc erat, quod jussu Gregorii papæ in Flandriam tunc profectus esset, ut Rotberto comiti apostolicas redderet litteras, quibus eum pontifex a vexatione Arnulfi Morinorum archidiaconi, aliorumque dehortabatur. Exstat hac de re Gregorii [b] epistola: sed deest illa, quam pontifex ad Arnulfum scripsisse dicitur. Tunc temporis cædibus & rapinis tota Flandria miscebatur: quibus turbis componendis vir Dei strenuam navavit operam, quam Deus miraculis confirmavit. Id contigit in primis Aldenburgi, ubi duo milites, Conon & Robaldus, mutuis odiis pagum illum conturbabant. quos cum ad concordiam revocasset Arnulfus, Aldeburgensis ecclesia ipsi donata est. Aldeburgum * seu Aldenburgum primæ olim notæ in Flandria oppidum, Brugas inter & Ostendam positum, ab Attila excisum tradunt. Hujus loci dominus sæculo sexto quidam Aldo, quem beatus Ursmarus ad fidem Christi convertit, ecclesiam in honorem beati Petri apostolorum principis exstruxit, eamque prædiis dotatam Laubiensi monasterio attribuit. Processu temporis collapsum longa ætate hoc templum Aldenburgenses instaurarunt, anno scilicet M LVI. quod ab eo tempore miraculis beatissimæ Virginis illustrari cœpit. Tunc illam ecclesiam Conon, vir nobilis, tenebat a Rotberto comite, qui eam ab episcopo Tornacensi acceperat. Erat Cononi pia uxor, Husecca nomine, quæ religione tacta, viro persuasit, ut ecclesiam illam comiti redderet. quam ubi recepit comes, eam restituit Ratbodo Noviomensium & Tornacensium episcopo: Ratbodus vero eamdem Arnulfo nostro contulit ad construendum monasterium, quod hoc anno ædificari cœpit. In his aliisque operibus in Flandria occupatus est vir sanctus per duos circiter annos. Tum Suessionas regressus, denuo Flandriam adire coactus est, ubi & mortem oppetiit. Cum adhuc Aldenburgi versaretur, quidam peregrinus Jerosolymis reversus ei significavit, sororem suam Odam, quæ ad loca sacra profecta erat, magno ejus revisendi & consulendi teneri desiderio, antequam ille e vita migraret. At voto suo frustrata est pia mulier, quæ reversa fratrem suum ante dies octo Aldenburgi sepultum invenit.

[a] num. 60.

[b] Greg VII. lib. 9. ep. 13.

* Oudenbourg.

LXVIII. Fulgentius monachus Affligemium venit.

Cum Affligemiense monasterium, ut superiori anno [c] diximus, jam fere dispositum & ordinatum esset, eo accessit in pervigilio ascensionis Domini Alardus Aquicinctensis abbas, cui opus & situs loci magnopere placuit. Illuc etiam eadem die pervenit Fulgentius sancti Agerici apud Virdunum a duodecim annis religiosus & eruditus monachus, ex Brabantia oriundus, qui postea Affligemii abbas ordinatus fuit. Postera die, quæ Domini ascensione celebris erat, Alardus abbas duos fratres vestes monasticas induit, ibique duobus vel tribus diebus demoratus, inde ad suum monasterium revertit. Idem post dimidium fere annum monachos suos, quos illuc præmiserat, ad se revocavit: tum vero domnus Fulgentius, adscito socio suo Herimanno, cum illis fratribus remansit, eosque in rebus monasticis & spiritualibus informavit. Quod autem Fulgentius e suo monasterio discesserit, in causa fuit vexatio Theoderici Virdunensis episcopi, ob pertinaciam ad tuendas imperatoris partes excommunicati: a cujus communione cum sancti Vitoni, sancti Agerici & sancti Pauli monachi abstinerent, loco cedere coacti sunt. Idem etiam contigit monachis sancti Michaëlis ad Mosam, ut ex Alberici chronico discimus. *Inter hæc*, inquit Hugo Flaviniacensis, *Virdunensis fera, tota humanitatis facie eversa, hac illacque debacchabatur, ita ut omnis in eo religionis species immutaretur; & obsequium, quod prius viris religiosis, qui tunc a Leodio confluxerant, & ab aliis undique partibus; atque sub habitu monastico in cœnobiis suburbanis degebant, exhibuerat, verteret in arma furoris. Totus illi sermo de imperio Heinrici, de papatu Clementis erat: ita ut publice in ecclesiis nomen*

[c] supra n. 51.

illius hæresiarchæ nefandi in canone recitari præciperet. quod etiam faciebant plurimi alii episcopi, subdit idem auctor.

ANN. CHR. 1084.

LXIX. Andrense monasterium conditur.

Tunc temporis apud Morinos Gisnensem* pagum administrabat Balduinus comes, cognomento Jerosolymitanus. Is cum Ingelranno domino Lillerienfi & quibusdam aliis Flandriæ proceribus in Hispaniam ad S. Jacobum profectus, in reditu ad Carrofense monasterium, *ad usus & consuetudines Majoris-monasterii informatum*, divertit: ibique aliquamdiu infirmatus, loci religione & humanitate adeo captus est, ut ex sacro illo virgulto plantas aliquot fructiferas reportaverit. In his præeminebat Gilbertus seu Gislebertus, ex vico territorii Ambianensis Uberio, juxta Corbeiam sito, oriundus, Everardus & Hentfridus de Bethberga, quos comes in Salvatoris & sanctæ Rictrudis collocavit ecclesia, quam ipse recens in vico Andernensi seu Andrensi haud longe a Gisnensi castro condiderat. quod Guillelmus abbas Andrensis hac occasione factum narrat. Dum sanctimoniales in cœnobio Marcianensi, quod sancta Rictrudis sæculo septimo in Belgio ad Scarpum fluvium exstruxerat, ubi & humata fuerat, adhuc residerent; æditus quidam, natione Anglicus, ejusdem sanctæ reliquias furtim abstulit, eas in patriam delaturus: at, cum ad Gisnense territorium pervenisset, morbo adeoque morte interceptus, sacras reliquias sub quadam spina occultatas reliquit. quæ post multum tempus supernis indiciis detectæ sunt. quod ubi rescivit Balduinus comes, eas ad Gisnense castrum transferre, sed frustra, conatur. Tandem plaustro absque auriga impositæ, boum ductu ad quamdam sancti Medardi capellam prope Andernas superno nutu devehuntur. Illic novam ecclesiam construxit comes, baronum & optimatum donis locupletatam, favente Gerardo Teruanensi episcopo, qui sanctæ Rictrudis, ejusque reliquiarum cultum approbavit. Eo loci collocata est nova monachorum colonia, Carrofo a comite deducta, eisque concessum a Gerardo episcopo altare villæ, quæ vulgo *Andernes* tunc dicebatur, litteris anno M LXXXIV. Philippi regis XXXVI. præsulatus Gerardi primo datis. Primis ejus loci monachis præfectus fuit prioris nomine Gislebertus mox laudatus: qui hoc munere per novem annos rite perfunctus, dehinc quindecim annis abbatis officium gessit. Non multo post conditum monasterium mortua Balduini comitis uxor Adela, in capitulo monasterii humata fuit: ad quam post annos circiter septem Balduinus ipse honorifice sepelitur. Hæc aliaque multa Guillelmus Andrensis abbas in monasterii sui chronico [a], quod ad annum M CC XXXIV. perduxit. Ejus tempore grandis controversia Andrensibus intentatur a Carrofensibus, qui abbatis Andrensis electionem sibi competere contendebant. Hanc litem Innocentius III. diremit, ut suo loco, Deo dante, videbimus.

LXX. Majoris-monasterii cella in Morinis.

Idem Gerardus Morinorum præsul hoc anno, rogatu Lidiardis castellaniæ & filii ejus Balduini castellani, altare villæ Nepeglisiæ, ab omni exactione immune, Majori-monasterio contulit, eo pacto, ut, si forte locus ille in abbatiam erigeretur, abbatis electio a capitulo Majoris-monasterii pendeat: electus vero ad Teruanensem episcopum benedicendus adducatur, eidemque subjectionem promittat. Actum anno ab incarnatione Domini M LXXXIV. anno præsulatus Gerardi primo. Hoc ipso anno Bartholomæo abbati piissimo successit Bernardus abbas, cognomento de sancto Venantio, qui monasterium ad finem sæculi rexit non absque procellis, quas a fratribus quoque passus est. Eo abbate complurium cellarum accessio monasterio facta est. Ejus etiam tempore illuc se recepit Hilgotus Suessionum præsul, ejus in regimine futurus successor. Bernardo quoque abbate Urbanus II. Majoris-monasterii ecclesiam dedicavit. Prima donatio Bernardo abbati facta occurrit hoc anno, quo Albinus clericus Carnoti convenisse dicitur Bernardum abbatem, *redeuntem de placito de Medanta, anno ab incarnatione* Domini M LXXXIV. eique ecclesiam Chamartii concessisse.

Bernardus abbas.

Hamense monasterium.

Eodem quoque anno, ex Iperio, Hamense monasterium in pago Atrebatensi, inter Ariam & Lilleriam opida, conditum fuit a prædicto Ingelranno Lillerienfi domino, qui Balduini comitis in peregrinatione ad sanctum Jacobum socius fuerat, & cum eo diverterat ad Carrofense monasterium, unde primos, ut veri simillimum est, Hamensis cœnobii monachos eduxit. Aliud est ejusdem nominis monasterium canonicorum regularium in pago Noviomensi.

LXXI. Angeriaco subjicitur S. Luciani ecclesia.

Ad usus & consuetudines Majoris-monasterii tunc informatum erat, ut mox vidimus, Carrofense asceterium, cujus Fulcaudus abbas erat. Vigebat eodem tempore

* de Guines.

a Spicil. to. 9. p. 338. & seqq.

ANN. CHR. 1084.

disciplina regularis apud Angeriacenses sub Odone abbate, cujus sæpe jam in superioribus meminimus. Id argumento est, quod Albertus, Belvacensis ecclesiæ canonicus, qui ante quinque annos ecclesiam Buriaci Angeriacensi monasterio concesserat, assensu canonicorum fratrum suorum ecclesiam sancti Luciani apud Bellovacos eidem subjicere constituit, ut in ea monachi collocarentur. Itaque *petitione ipsius Alberti & canonicorum*, ut in Angeriacensi chartulario legitur, Odo *abbas beati Johannis Angeriacensis multoties pulsatus & provocatus, priorem suum Ansculfum nomine cum alio monacho transmisit Bellovacum: Guido vero Bellovacensis episcopus per eos beato Johanni, deprecatione canonicorum, prædictam ecclesiam, sicut canonici tenuerant, concessit, & ut ibi monachi secundum Regulam viverent, approbavit*, tanto terræ spatio juxta ecclesiam concesso, quantum ad construendas regulares officinas necessarium esset. *Actum Belvaci* VI. *kal, Martii anno* M LXXXIV. *regnante Philippo Francorum rege, anno* XXV. *regni ejus, indictione* VIII. quæ pro novo calculo ad annum sequentem referenda est. Hæc sancti Luciani ecclesia *intra muros* dicta, ad discrimen extramuranæ S. Luciani abbatiæ, primum quidem ex ligno tantum, dein ex lapide constructa fuerat a quodam nobili viro, Rodulfo nomine, & Belvacensi S. Petri ecclesiæ subjecta, eo pacto ut quotannis libram incensi abbatiæ S. Luciani persolveret, ut Louvetus [a] testatur. Rodulfus iste *Belvacicæ urbis casatus* dicitur in litteris Guidonis, episcopi apud Louvetum, in aliis *dapifer* vocatus. Angeriacensium in illa ecclesia institutionem Philippus regio diplomate confirmavit, Belvaci anno sequenti dato, cui apposita signa Galeranni camerarii, Gervasii dapiferi, Tetbaldi constabularii, Adelardi buticularii, Ursionis Silvanectensis episcopi, & Frotgerii episcopi Cabilonensis. An & quamdiu in illa ecclesia exstiterint monachi, incompertum. Certe sæculo insequenti jam collegiata erat, uti modo, hæc ecclesia sub nomine sancti Nicolai, qui secundarius ejus patronus initio fuerat.

a *Louvet antiq. de B. p.* 490.

LXXII. Guibertus studia persequitur.

Inter ea Garnerius, Flaviaci seu sancti Geremari abbas, privatæ vitæ studio, præfecturam abdicasse dicitur ad undecim annos superstes. Vir fuit litterarum non multum amans, quippe cujus improbitate Guibertus inchoatum [b] in Genesim commentarium furtim persequi coactus est, *quo decedente*, inquit [c], *nactus occasionem, dum pastore locus ille vacaret*, opus incœptum decem libris explevit, quos ipse jam Novigenti abbas, Bartholomæo Laudunensi episcopo dicavit. In hoc commentario moralem sensum tropologetico ideo prætulit, quod allegoricis moralia tunc utiliora crederet, *fide ex Deo in integrum stante, moribus pæne omnibus vitio profligatis.* Alia quoque per id tempus in alios sacræ Scripturæ libros commentatus est. Post duos circiter vacationis annos Flaviacensibus præfectus est Hugo, melius in litteras ac litteratos affectus, quam ejus antecessor. unde eo abbate Guiberto licuit studia sua libenter explicare. Tunc temporis contigit id, quod idem auctor refert [d] de duobus proprietariis monachis: quorum unus, olim in sæculo flagitiosus, sed nobilis miles ad extrema vitæ perductus, *dum pro mortuo terra distenditur*, signo crepitante vocati fratres adsunt, psalmos & preces consuetas recitant. *quo facto, hominem, ut monastici moris est, cilicio suppositum, ut videbatur, in extremis stridoribus vix efflantem relinquunt.* His egressis, ille, resumto parumper spiritu, priorem absente abbate advocat, crimen confitetur, & absolutione accepta, post paullulum repetitis singultibus exspirat. Alterum exemplum magis lugubre refert idem auctor de quodam alio, acedioso quidem, sed qui nihil inhonesti in sæculo commiserat, cui nihil levitatis præter equitandi aviditatem poterat imputari. Is, duobus solidis a quadam nobili matrona furtim acceptis, Belvaci apud sanctum Quintinum dysenteriæ morbo correptus, Flaviacum jussu abbatis refertur. Hunc convenit abbas foras profecturus, ut conscientiam exoneraret. Ille rei necessariæ frequentia subinde implicatus, confessionem distulit. Interim abbas discedit: & ille ad lectulum reversus, mox a dæmone suffocatur. Interrogatus abbas absens, quid de mortui cadavere fieret, is, communicato cum prudentibus viris consilio, *præcepit agrariam ei fieri sepulturam, & ab oratione & psalmis exsortem; & pectori ejus superponi pecuniam.* Privatas nihilo minus pro eo preces fecerunt fratres. Ubi nunc talis invenitur zelus? Quam consultius plerisque videretur, ut dissimularetur culpa, & pecunia reservaretur! Recte hoc loco » Guibertus observat, hoc phylargyriæ vitium in tantum apud monachos perniciosum esse, utpote minus naturale, ut vix aliquod crimen inveniatur, cui tantopere » diabolus surripiendo insidietur.

b *V. lib.* 63. *n.* 22.

c *Guib. lib.* 1. *vita.*

d *id. ibid. capp.* 20. & 22.

In

ANN. CHR. 1084. LXXIII. S. Theoderici abbates.

In monasterio sancti Theoderici prope Remos obiit hoc anno Raimboldus abbas, *beatæ memoriæ* dictus in necrologio, in quo ejus obitus notatur IV. kal. Aprilis. Hic paullo ante obitum anniversarium suum instituit, præfatus se thecas argenteas beatorum Theoderici & Theodulfi abbatum ex auro & argento decenter composuisse. tum ipso die obitus sui fratribus dari constituit *generale unum ex piscibus, ac pitanciam, & panes subcinericios, quos libos vocant.* Cujus rei causa eleemosynario altare *de Sompye* assignat. Electus in ejus locum Richerus, a Rainaldo Remorum archiepiscopo obtinuit novam donationem altaris *de Summopi*, quæ minus legitime antea facta fuerat, forte quod nonnihil pecuniæ Manassæ archiepiscopo pro hoc altari datum fuisset. *Actum Remis anno dominicæ incarnationis* M LXXXIV. *indictione* VII. *regnante Philippo Francorum rege gloriosissimo anno* XXIV. *archiepiscopatus autem domni Rainoldi anno primo.* Ubi observare convenit, annum regis Philippi hoc anno nunc vicesimum-quartum, nunc vicesimum-septimum dici, ut exempla non pauca hoc in libro allata probant, habita scilicet ratione anni & mensis, quibus vel patre vivente rex dictus est, vel patri mortuo successit.

LXXIV. B. Mariæ de Campis ecclesia Parisiis. * *Versalles.* * *Roncy.* * *Villepreux.*

Hæc observatio lucem affert chartæ Goffridi seu Gaufridi episcopi Parisiensis, qui monachis Majoris-monasterii, in ecclesia beatæ Mariæ de Campis apud Parisios commorantibus, concessit altare sanctæ Mariæ in villa quæ dicitur Incampus, altaria sancti Juliani de Versaliis *, sancti Dionysii in villa, quam Uncinas * vocant, & sancti Germani in Villa-pyrorum *. Actum anno Philippi regis XXVI. præsulatus Goffridi vicesimo-quinto. Hanc sanctæ Mariæ de Campis ecclesiam sub finem sæculi præcedentis incolere cœperunt Majoris-monasterii fratres, quo tempore Rainoldus Parisiorum antistes terram de altari sancti Stephani juxta sanctam Genovefam, quæ in *fevo* seu feodo Burchardi comitis exsistebat, sitam, Majoris-monasterii monachis, apud sanctam Mariam de Campis degentibus, tradit anno Hugonis regis VIII. Rainoldi episcopi quarto. Haud scio an de hac ecclesia intelligenda sit alia charta, qua Guido Langobardus, ejusque filius Paganus anno M LXXXIV. Majus-monasterium adiisse dicuntur, & Bernardo jam tum abbati *ecclesiam sanctæ Mariæ apud Parisius* contulisse, facta hac de re charta, quam super altare posuerunt. Perstitere monachi in illa ecclesia usque ad annum M DC III. quo Carmelitæ sanctimoniales excalceatæ eis successere.

LXXV. S. Remigio Senonensi ecclesia S. Baldi concessa.

Eodem anno M LXXXIV. Richerius, Senonum archipræsul, suburbano sancti Remigii monasterio ecclesiam sancti Baldi, ultra fluvium in monte sitam, cui unicus tum presbyter ministrabat, rogatu Guillelmi abbatis concessit, eo pacto, ut in ea plures monachi ad Dei servitium manerent. Et quoniam ista ecclesia ab antiquo Senonensis ecclesiæ thesauro attributa erat, hanc donationem probavit Daimbertus canonicus, qui thesauri munus ab ipso Richerio acceperat. Actum publice in ecclesia sancti Stephani. His litteris post Richerium & sancti Stephani canonicos adscripta sunt signa Gaufredi Parisiensis, item Gaufredi Carnotensis, Philippi Trecensis, Walteri Meldensis, & Arnulfi Aurelianensis episcoporum; & post eos Arnulfi abbatis sanctæ Columbæ, Isemberti * sancti Germani Parisiensis, Leowini sancti Petri Meldensis, Guiberti sancti Germani Autissiodorensis, Gualteri sancti Petri Ferrariensis, & Roberti sancti Florentini Bonæ-vallis abbatum. Data mense Octobris, regnante Philippo rege anno XXIII. lege XXIV. aut XXVI.

* al. Hucbesti.

S. Germani Autissiodorensis abbates. * Labbe bibl. to. I. p. 174.

Si error non est in anno hujus instrumenti, Rotlanno sancti Germani apud Autisiodorum abbati jam successerat Guibertus abbas, qui ei subscripsit. Attamen in libro de gestis * illius monasterii abbatum Rotlannus post annos undecim regiminis IV. nonas Novembris obiisse dicitur, eique Guibertus anno M LXXXV. successisse. Erat is nobili genere, a puero illic educatus, sed pastorali officio impar, quod sæculari fastu, vita solutiori, luxu & ignavia inquinavit, tanto regularis vitæ detrimento, ut vix postea excitari potuerit. Sed tandem, cum insuper gravis culpæ infamia laboraret, ab Urbano II. in ordinem redactus est.

LXXVI. S. Juliani & Nucariarum abbates.

Cæsaroduni-Turonum Girbertus seu Gilbertus abbas sancti Juliani novam monasterii sui basilicam sollemni ritu per Radulfum archiepiscopum in honorem beatæ Mariæ sanctique Juliani & omnium Sanctorum IV. idus Novembris hoc anno dedicari curavit. De Johanne ejus successore inferius.

Sub idem tempus Rainerio Nucariensi apud Turones abbati successit Stephanus, vir magnæ virtutis & auctoritatis: quo abbate miles quidam, Sulio nomine, cogno-

ANN. CHR. 1084.

mento Aridum-mare, filius Theachi de Rupibus, ipso purificationis die, monasterii cœmeterium homicidio polluit. Mox apud monachos divina cessarunt, &, *prout moris est, justitium fecit ecclesia*. Monitus hac de re archiepiscopus homicidam diris supposuit: ille vero die festo annuntiationis Nucarias venit facinus expiaturus. Tum humi prostratus, & ad altare nudatus, virgisque cæsus indulgentiam promeruit, flagitante uxore Tecelina cum eorum filio Guidone de Rupibus, qui monasterio non pauca beneficia contulerunt.

LXXVII. Silvæ-majoris institutum apud Aragones.

Per id tempus Gerardi Silvæ-majoris abbatis, ejusque monachorum fama late pervagata, Hispanias penetravit, permovitque Sancium Aragonum regem, ut ecclesiam villæ, quæ Tosta dicitur, Gerardi alumnis inhabitandam concederet, eisque subsidia necessaria conferret, variis donationibus, tum ab se, tum a Milone quodam eremita factis, quas rex cum Felicia regina & filio Petro confirmavit. His beneficiis haud ingratus Gerardus abbas statutum edidit, ut pauper unus in conventu Silvæ-majoris gratis admissus, pro rege Sancio, ejusque progenie perpetuo preces funderet. qua de re Sancius litteris scriptis, Gerardo gratias egit. Consimile grati animi testimonium edidit idem abbas erga Willelmum Aquitaniæ ducem, qui fundum exstruendo monasterio dederat; scilicet ut singulis hebdomadis peculiaris missa pro eo, quoad viveret, celebraretur; & una pro eo præbenda pauperibus erogaretur.

LXXVIII. Mediani-monasterii & sancti Apri abbates.

Jam annus octavus erat, ex quo Bertricus Mediani-monasterii abbas Benedicto successerat, cum ille, scilicet Bertricus, basilicam sub balma seu rupe monasterio imminente, quæ nunc dicitur Alta-petra, a fratre Theoderico ipsius jussu constructam, a Pibone Tulli-Leucorum episcopo in honorem sanctæ Mariæ Magdalenæ dedicari curavit. Hic anno sui regiminis nono testamentum seu memoriale edidit, in quo rerum eidem monasterio eo abbate collatarum fit enumeratio. Principio laudatur dux Theodericus, qui hortatu Pibonis episcopi Medianæ ecclesiæ remisit summam quinque solidorum, qui singulis annis pro ecclesia Monemensi ab illa ecclesia exigebantur. Alias donationes prætereo.

Paullo ante Wido abbas sancti Apri, vir magnæ litteraturæ & simplicitatis, diebus pentecostes e vivis migrasse dicitur a Johanne de Bayone. Post Widricum ejus loci abbatem, de quo sæpe facta mentio est, occurrit Richardus abbas eo nomine primus, qui anno M LXXVI. litteris Pibonis episcopi pro sancto Michaële ad Mosam, scilicet de capella sanctæ Mariæ sub Asmantia subscripsit. Widonem Richardi successorem excepit Evrardus, qui litteris Sophiæ comitissæ pro eadem capella subscripsit anno sequenti M LXXXV.

LXXIX. Sigefridus archiepiscopus obit.

Hoc etiam anno Sigefridus, e nostris Moguntinus archiepiscopus, malorum ecclesiam affligentium dolore contabescens, defecit, mortuusque est, sepultus in monasterio, quod Hasungæ exstruxerat; vir non satis in officio erga pontificem constans, cui tamen longe ante obitum se reconciliavit. Wecilo ejus successor ex clerico Halberstadensi, Heinrici partium fautor, abbates & monachos sibi contrarios multum vexavit.

LXXX. Hirsaugienses Anselmum consulunt.

Ex his qui pertinacius Heinrici partes tuebantur, unus erat Bruno comes de Calba, filius Adelberti conditoris monasterii Hirsaugiensis: qui Bruno, ob contumacem illam Heinrico adhæsionem, a Gregorio ecclesiæ fulmine percussus, cum nihilo minus divinis se officiis ultro ingereret, Hirsaugienses monachos, pontifici quam maxime addictos, perturbavit. qua de re Willelmus abbas Anselmum nostrum censuit consulendum, quo pacto se cum Brunone comite excommunicato gereret. Hanc epistolam ad hunc annum integram retulit Trithemius sub hac inscriptione: *Domino & patri reverendo abbati Hirsaugiensium fratrum Willelmo, Anselmus Cantuariensis ecclesiæ minister indignus, in hac vita diuturnam prosperitatem, & in futura æternam felicitatem*. At in editis Anselmi epistolis hæc [a] ita inscribitur: *Domno & patri reverendo abbati Guillelmo, frater Anselmus in hac vita* &c. suppresso archiepiscopi titulo, quo necdum insignitus erat Anselmus. In hac epistola Willelmum monet, comitem illum excommunicatum, qui eis divina celebrantibus se immiscet, humiliter ac modeste esse admonendum. quod si admonitionem contemnat, Deum plus timendum quam hominem. ideoque ant secundum prolatam in eum sententiam cum eo agendum; aut domnum apostolicum, seu aliquem ejus vices gerentem, hac de re consulendum. Dein respondet ad duo alia Willelmi consulta, de presbyteris publice concubinariis, & occulte lapsis secrete confitentibus, quæ fusius persequi non est hujus loci,

a Anselm. lib. 1. ep. 56.

Si qua hic Trithemio fides, Anſelmus in reditu e Romano itinere Hirſaugiam adiit, (quod parum veri ſimile eſt accidiſſe anre ejus pontificatum) ibique quatuordecim diebus commoratus, cum Willelmo abbate familiaritatem contraxit, multaſque epiſtolas ſcripſit, & accepit. Apud Johannem de Bayone [a] lego, Brunonem, comitis Alberti de Baltva filium, poſt Walonem ſancti Arnulfi abbatem, in ſedem Mettenſem ad breve tempus intruſum fuiſſe ab Heinrico, pulſo Hermanno epiſcopo, qui Gregorio adhærebat.

ANN. CHR. 1084.

a *Hiſt. Medriani-mon. mſ. c. 76.*

In Anglia poſt mortem Athelelmi Abendonenſis abbatis, quæ hoc anno [b] accidit, in ejus locum Rainoldus, & ipſe, uti & ejus anteceſſor, monachus Gemeticenſis ſubrogatur ad tredecim annos: quo mortuo, rex Willelmus, eo nomine ſecundus, abbatiam Abendoniæ, pluresque alias in manu ſua uſque ad obitum retinuit. Hic Rainoldus abbas, Gemeticenſis monaſterii haud immemor, inſignem librum evangeliorum iſtuc tranſmiſit, hactenus ibidem aſſervatum, præmiſſa hac epigraphe: *Rainaldus, non proprii electione meriti, ſed Dei gratia præveniente indignus abbas Abbendonenſis, hunc ſancti Evangelii textum, ſic auro argentoque ac gemmis ornatum, beatæ Dei genitrici ac ſemper virgini Mariæ, beatoque Petro Gemmeticenſis cœnobii mittit, cunctiſque fratribus inibi Deo ſervientibus, ad honorem Dei atque ejus matris perpetualiter in eodem loco ſervandum* &c. Tunc Gemeticenſe monaſterium procurabat Guntardus abbas, ab anno M LXXII. ex Fontanellenſi aſſumtus, qui Willelmo Conquæſtori morienti adfuit, mortuus in ſynodo Claromonrenſi.

LXXXI. Abendoniæ abbas ex Gemetico.

b *Anglia ſac. to. 1. p. 168.*

In Aragonia prærer id quod ſuperius retulimus, facta eſt ſancti Indaletii epiſcopi tranſlatio ex urbe Almeria in Pinnatenſe monaſterium, ſcripta hoc anno ab Hebrethmo Cluniacenſi monacho, cujus non minus inſolitum, quam Indaletii nomen, quem Vecitanum in Hiſpania epiſcopnm fuiſſe ferunt. Hujus tranſlationis hiſtoriam retulit Papebrochius [c], ſed tam jejnnam & male digeſtam, ut nihil obſervatu dignum contineat. Facta eſt principatu Sancii Aragonum regis, curante Sancio Pinnatenſi abbate, per duos monachos, Evantium & Garſiam, qui in urbem Almeriam, tunc fere in villam redactam, ejus rei cauſa miſſi ſunt, illaſque reliquias in ſuum monaſterium attulerunt. Id ſe vidente factum ait Hebrethmus, qui ſe indignum Cluniacenſis cœnobii monachum vocat, & hanc tranſlationis, ut ipſe vocat, *paginam* juſſu prædicti abbatis hoc anno ſcripſiſſe. Fides ſit penes auctorem.

LXXXII. S. Indaletii tranſlatio in Pinnatenſe monaſterium.

c *April. 3. p. 723.*

Tunc Lirinenſi monaſterio Aldebertus ſeu Eldebertus abbas, ejus nominis ſecundus præerat ab anno M LXVI. cujus juſſu Daniel, ejuſdem loci monachus, commentarium in Pſalmos compoſuit, Eldeberto abbati inſcriptum, & in bibliotheca Lirinenſi aſſervatum, cujus prævia ad Eldebertum epiſtola, quæ penes nos eſt, non magnam injicit opinionem de auctore, ejuſque commentario. Aldebertum præceſſerat Aldebertus primus, Amalrici ſucceſſor, qui ſancto Odiloni Cluniacenſi in regimine Lirinenſis monaſterii ſucceſſiſſe dicitur. Aldebertus ſecundus ſuperſtes fuit ad initium ſæculi ſeqnentis.

LXXXIII. Lirinenſes abbates.

PRiuſquam Roma diſcederet Gregorius papa, concilium habuit, in quo anathematis ſententiam in Wibertum pſeudopontificem, & Heinricum, eorumque fautores iterum protulit. Hoc decretum per legatos, Petrum Albanenſem in Franciam, & per Ottonem Oſtienſem epiſcopum in Germaniam perlatum eſt, ut Bertholdus teſtatur. Otto ipſe eſt Odo noſter, ex monacho Cluniacenſi factus epiſcopus cardinalis, qui ante biennium ad Heinricum in Germaniam miſſus, ab eo comprehenſus fuerat. Is, ubi in Germaniam venit, ineunte anno M LXXXV. id eſt XIII. kalendas Februarii conventum in Saxonia habuit, in quo ſententiam in ſchiſmaticos iteratam vulgavit, quam Saxones probaverunt. Mox conventus alter in Turingia habitus, convocatis utriuſque partis epiſcopis & proceribus, ubi pontificis partes defendente Gebehardo Saltzburgenſi epiſcopo; Heinrici vero cauſam agente Wecilone Moguntino, tanto animorum æſtu res acta eſt, ut non ſine ſanguinis effuſione diſceſſum ſit. Inde orthodoxi Quidelinburgum convenere, ibique denuo publicata in ſchiſmaticos ſententia, multa ad ſarciendam eccleſiæ diſciplinam conſtituta, in his ut ova & caſeus in quadrageſima non ederentur. Contra ſchiſmatici Moguntiæ conciliabulum habuere apud ſanctum Albanum: cujus loci abbas Godeſcalcus, forte ab ipſis ſchiſmaticis, deponitur; ejuſque in locum ſufficitur Adelmannus, ut ex Dodechino diſcimus.

ANN. CHR. 1085.

LXXXIV. Odo in Germaniam legatus.

ANN CHR. 1085. LXXXV. Reinardi-fontanum monasterium, & alia.

Per hos nihilominus motus Reinhardbrunnæ in Turingia monasterium hoc anno ædificatum est *a Ludovico Saltatore*, ut legitur in appendice ad Lambertum. Reinhardi-fontanum vocat Franciscus Paullinus in appendice ad Annales Isnacenses, ubi Heinrici imperatoris diploma refert, illius monasterii constructionem, dotationem, & immunitates confirmantis. In illo diplomate hoc monasterium situm dicitur in » confinio Loibæ Silvæ; in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique Johannis » Evangelistæ magnifice constructum a Ludovico religioso comite, ejusque conjuge » Adelheida, ac centum-quinquaginta mansis dotatum, sanctæ Romanæ ecclesiæ sub» jectum sub quinquennali censu decem solidorum, cum integra libertate eligendi » abbatis secundum regulam sancti Benedicti. Hoc diploma datum est ad petitionem prædicti comitis & Giselberti abbatis, qui tunc eidem cellæ Reginherisbrunnæ præfuisse dicitur. Actum Moguntiæ anno sequenti. Subjuncta est ejusdem Heinrici donatio eidem monasterio facta anno M C III. Ernesto tunc abbate; dein altera donatio post annos quinque eidem facta a Ruthardo Moguntino archipræsule *pro adipiscendo consortio laboris & orationis monachorum, die noctuque Dei servitiis devote insistentium.* De Ludovico Turingiæ comite, illius monasterii conditore, agens prædictus Paullinus in Annalibus [a] Isnacensibus, scribit Ludovico I. seu Barbato hunc Ludovicum II. patri filium, successisse, eumque, repudiata priori conjuge, Udalrici Saxoniæ ducis filia, Adalheidam, Ottonis marchionis Stadensis filiam, & Friderici III. comitis Palatini Saxoniæ viduam, duxisse; eumdemque ab Adelberto Bremensi archiepiscopo captum, & in custodia detentum ad biennium, demum sancto Ulrico voto facto, per fenestram in Salam se dedisse præcipitem, unde Salius seu Saltator dictus sit. tandem pœnitentia ductum fundasse insigne monasterium Reinhardi-fontanum Ordinis sancti Benedicti, a Reinhardo figulo, prope fontem inhabitante, nuncupatum: ubi monachus factus beato fine quievit anno M C XXIII. Uxor vero ejus Adelheidis, peccata expiatura, itidem cum marito condidit Schiblicense monasterium pro sacris virginibus, prima earum abbatissa; necnon Oldenslebiense prope Saxiburgum pro monachis, utrumque sub regula sancti Benedicti. Ratisponæ erat eodem anno Heinricus v. idus Novembris, cum ad preces Irmingardæ abbatissæ omnia [b] Brixiensis sanctæ Juliæ parthenonis jura & privilegia renovavit.

a *Annal. Isnac. p. 14. & seq.*

b *Bullar. Casin. to. 2. p. 113.*

LXXXVI. Bellum novum in S. Gallum.

Inter ea Bertholdus marchio & Werinharius Augiensis abbas, veteres in sanctum Gallum iras denuo renovant, duabusque turmis ordinatis, sancti Galli prædia devastant. Non multo post Udalricus sancti-Gallensis abbas, injurias ulturus, Augiensium terras hostiliter ingreditur, & talione reddita, nulli parcit: mox Diethelmum Tokemburgi militem, qui sancti Galli locum armis invaserat, armatis præsidiis superat, & sub jugum mittit. Inter hæc mala, quæ prædones potius, quam abbates & monachos decent, Gebehardus, Bertholdi marchionis frater, sancti Aurelii seu Hirsaugiæ monachus, duce Welfone suadente, ab Odone, ut tum putabant, Romanæ sedis legato, Constantiensem episcopatum obtinet, Ottone episcopo adhuc vivente, ac resistente in odium Bertholdi marchionis Udalrico sancti Galli abbate. Gebehardus ægre ferens, in sancti Galli domos sævisse dicitur, vixque a monasterii incensione abstinuisse. quod de pissimo ceteroquin episcopo vix credi potest. Tandem vero, cum Udalricus abbas insperato Aquileiensis patriarcha factus esset, Augiensis abbatis ira tantisper deferbuit, ut anno sequenti dicturi sumus.

Aliæ res Germanicæ.

Hoc item anno Volcmarus abbas Nienburgensis obiisse dicitur in chronico Saxonico, cui Erembertus successit. Ad hæc Parthenopolitano seu Magdeburgensi episcopo Hartwigo fugato Hartwigus Hersfeldensis abbas, substituitur. Reinhardo quoque Mindensi episcopo, in Helmwardense monasterium *regulari professione ingresso*, æmulus ejus Volcmarus episcopatum obtinuit. Multæ aliæ per id tempus factæ sunt episcopatuum & abbatiarum mutationes, vel nundinationes, ut patet ex epistola [c] Stephani sive Herrandi Halberstatensis episcopi ad Waltramum, in qua Heinricus abbatiam Fuldensem inter alia *pro adulterio* prò pudor! dedisse perhibetur. Neque tantum abbatias virorum, sed etiam puellarum asseclis suis profundebat, ut Lietmaro Hammaburgensi archiepiscopo abbatiam Fredensis parthenonis, præter Eltenensem, quam eidem paullo ante contulerat. Exstat apud Schatenum [d] hac de re diploma pro abbatia Fredensi, datum hoc anno Wormatiæ v. kal. Januarii.

c *apud Dachery.*

d *Annal. Paderborn. pag. 610.*

LXXXVII. Jarento abbas papam comitatur Salernum.

Sed, his sceleſtis actis omissis, venio ad alterum legatum, Petrum scilicet Albanensem episcopum, quem Gregorius misit ad perferendum in Franciam excommu-

nicationis decretum in Heinricum ejusque faurores. Is est Petrus, cognomento Igneus, ex monacho Vallumbrosano factus episcopus Albanensis. Huic in illa legatione adjunctus est comes Jarento, sancti Benigni apud Divionem abbas, qui Gregorium ad urbem Salernum secedentem secutus fuerat. Quid illi tum acciderit, ex Hugone Flaviniacensi, qui hæc fusius refert, compendio accipe. Gregorium ex Urbe discedentem secutus Jarento, cum pontifex quadam die maturius processisset, celerius subsequens abbas, calonum turbam offendit, qui extrema hostium sequentes, mira currendi agilitate, ignaros doli trucidabant. Horum fraudes abbas haud ignorans, socios iter ocius accelerare monet, nil moratus prædonum illorum clamores, vociferantium, non esse eam viam, qua pontifex præcesserat. Verum abbatis monita nil cunctatus Walterius ejus monachus, substitit, viam ab eis quæsiturus. quod ille non tulit impune. nam letali vulnere ex lanceolæ ictu, dum serius fuga sibi consulere tentat, percussus interiit, homo alias pontificis partibus non satis addictus. Eo ruente, nequaquam a persequendo destitere nefarii illi homines, donec animal, quod sarcinas ferebat, assecuti, cursum ad implendam avaritiam interruperunt, nudatumque veste Walteri corpus reliquerunt. quod perquisitum, & in papæ præsentiam perlatum, ille, ut benigno erat animo, pluviali, quo indutus erat, mortui cadaver operuit, & absolutione ei impertita, missam pro eodem cecinit, tumque sepulturæ mandavit.

Legatus cum Petro Igneo, ad suos redit.

Tum consolatus abbatem, cui duo tantum fratres reliqui erant, eum apud se retinere voluit: at ille suos Divionenses quantocius revisere cupiens, a quibus per annum integrum abfuerat, discedendi facultatem obtinuit a pontifice, qui *ei legationem Colimbriæ* imposuit, datis litteris ad Sisenandum illius provinciæ principem, ut ei, tamquam sibi crederet. Eidem adjuncti sunt Petrus Igneus mox laudatus, & Gisulphus Salernitanus princeps, quos cum eo Cluniacum mittebat, cum litteris ad omnes fideles scriptis, quibus eos ad sibi compatiendum & subveniendum hortabatur. Illi itaque mare ingressi ad vitandas hostium insidias, demum ad sancti Ægidii fanum appulere: ubi abbati animo fluctuanti, an Colimbriam, uti jussus erat, pergeret, filios ac fratres suos potius revisere visum est, & quidem opportune. nam, nisi id fecisset, fortasse e Colimbria reversus, nullos ex eis reperisset, sed omnes hac illac dissipatos; nec habuisset tot alumnos, qui ad ipsum eodem anno confluxerunt. Venit igitur Divionem, & quos ante discessum infestos passus fuerat, toto sibi animo subjectos & obsequentes invenit; sarcivitque caritatem, quæ in quorumdam cordibus scissa erat.

LXXXVIII. Gregorii papæ extrema facta & obitus.

Interim instabat Gregorii papæ obitus, cujus ipse tempus ineunte hoc anno prædixerat circiter kalendas Junii eventurum. Imminente die vocationis suæ, longe ante, inquit Hugo Flaviniacensis, convocatis cardinalibus-episcopis & ceteris conc captivis, diem obitus sui prædixit; consummatisque omnibus ecclesiasticæ institutionis officiis, xv. kal. Junii prædictos fratres sub districti judicii interminatione, & sanctæ obedientiæ præcepto constrinxit, ut, si qua in se corrigenda deprehendissent, nequaquam reticerent. quibus ejus facta, zelum & doctrinam collaudantibus, respondit [a]: Ego, fratres mei dilectissimi, labores meos nullius momenti facio, hoc uno confisus, quod semper dilexi justitiam, & odio habui iniquitatem. Dein eosdem cardinales singillatim sibi dexteras dare jussit, ac polliceri, se neque Wibertum illum sedis apostolicæ invasorem, neque Heinricum regem, eorumque fautores, nisi resipiscerent, in communionem umquam recepturos. Ex quibus redarguas Sigebertum & alios, qui dicunt, Gregorium in extremis indulgentiam illis omnibus impertisse. Sub hæc rogatus, ut in tanta rerum perturbatione successorem designaret, trium dedit optionem, videlicet Desiderii cardinalis & abbatis Casinensis, Ottonis, seu Odonis Ostiensis, & Hugonis Lugdunensis episcoporum, qui ambo tunc aberant. Desiderio autem, qui, audito ipsius morbo, Salernum venerat, prædixit, eum suæ migrationi non adfuturum. qua de re attonitus & mœstus abbas, dicti veritatem brevi agnovit. nam subito admonitus, quoddam Casinensis ditionis castrum a Nortmannis obsessum esse, suis auxilio adesse compulsus, a pontifice invitus discessit. Sic, eo absente, finem vivendi fecit strenuus pontifex VIII. kal. Junii, ipso die festo sancti Urbani papæ & martyris, obiitque *martyr & confessor*, ut loquitur Hugo Flaviniacensis. Hic Urbani II. epistolam refert, in qua Gregorius, prætermisso Desiderio abbate, in successorem designasse dicitur cum Ostiensi & Lugdunensi Luccensem epis-

[a] a vita num. 108.

ANN. CHR. 1085.

copum, scilicet Anselmum. Verum Paulus Bernriedensis, qui res a Gregorio gestas scripsit, aliique omnes, Desiderium præferunt.

» Legi in quodam veteri codice monasterii sancti Petri Catalaunensis, episcopum » Augustodunensem (is sine dubio Agano erat) post biennium Jerosolymis redeuntem, » domni papæ Gregorii depositioni interfuisse, & asserere, pontificem ante octiduum » prædixisse obitus sui diem & horam, nec omnino lectulo decubuisse, sed ipso sui » transitus die adiisse ecclesiam, allocutumque publice cum clero populum totius Sa- » lernitanæ urbis *primo de credulitate*, id est fide, *corporis & sanguinis Domini nostri; deinde de intentione totius sui operis; tum imposita sibi stola, absolvisse cunctos a se anathematizatos*; (quod cum aliis auctoribus non convenit) ac post *genibus & manibus* » incedentem ad altare accessisse, ubi *viaticum corporis & sanguinis Domini* sumsit; sic- » que domum reversum, hora qua prædixerat obiisse, superposito toto suæ sepulturæ » officio, etiam divisione modicæ quam habebat, substantiæ. Paucis ante obitum diebus, id est VII. idus Maii Gregorius privilegium concessit Petro abbati monasterii Ficiclensis, de quo superius egimus. Hic finis fuit magni illius pontificis, qui vivens mira & difficilia operatus est, restituendo cælibatum sacerdotum, simoniam exstirpando, & investituras moderando ecclesiasticarum dignitatum: qui denique magno spiritu vidit ultima, & inter sanctos pontifices adscribi meruit. Hujus sanctitatem prædicant non modo Paulus Bernriedensis, & Domnizo ejus vitæ scriptores, qui aliqua ejus miracula referunt, sed etiam Lambertus Scafnaburgensis, Hugo Flaviniacensis & multi alii. Accedit, quod qui ei adversari sunt, homines malæ frugis & profligatæ plerique famæ exstitere, malaque morte periere: qui vero ei adhæsere, plerique viri sanctitate insignes, ut Anselmus Luccensis, Petrus Albanensis, Gebehardus Saltzburgensis, Adalbero Wirziburgensis, aliique non pauci episcopi, omnes disciplinæ ecclesiasticæ studiosissimi. Porro si qua in re peccavit pontifex, ut difficile est in tot tantisque conflictationibus semper modum tenere; id potius adversariorum pertinaci insectationi & contumaciæ & rerum conditioni tribuendum est, quam nativo ejus ingenio, quod ad commiserationem & indulgentiam propensum fuisse patet ex ejus epistolis, in quibus magna in Heinricum ipsum humanitas & placabilitas subinde elucet. Vixit in pontificatu annos XII. mensem unum ac dies tres.

LXXXIX. Rotberti Guiscardi obitus, & dona Casino facta.

Eodem anno ex anonymo Barensi, vel, ut Bertholdo placet, insequente, & quidem mense Julio, decessit Rotbertus Guiscardus Apuliæ dux, qui Gregorium ex urbe Roma eduxerat, perduxeratque Salernum. Obiit porro in expeditione, quam contra Michaëlem imperatorem susceperat. Ejus corpus in Italiam revectum, & in Apuliæ urbe Venusina conditum est. Filii ejus Rogerius & Boamundus paternam hereditatem inter se diviserunt. Rogerius dux Siciliæ, Boamundus Apuliæ princeps factus. Varias ejus donationes, Casinensi monasterio factas, recenset Petrus [a] diaconus, quasdam etiam Sicelgaitæ ejus conjugis, qui ambo in sacrum illum locum optime affecti erant. Prima quidem vice, quando Regium ad Rotbertum profectus est Desiderius abbas, sexcentos ei byzantios, quinque pallia & unam naviculam auream dux largitus est: quando vero dux ipse primo Casinum venit, duodecim auri libras cum centum byzantiis in capitulo posuit, & super altare sancti Benedicti trecentos squifatos & tria pallia; necnon centum squifatos in fabricam monasterii, ac centum in refectorio, quadraginta in hospitali, duodecim libras denariorum pro domo infirmorum, & centum michalatos pro picturа capituli. Item secunda vice, quando in Tiburtinam urbem perrexit, posuit in capitulo duodecim libras auri, super altare vero centum squifatos, & unum pallium magnum. Tertia denique vice, quando ex Urbe Gregorium adduxit Casinum, obtulit in capitulo mille solidos Amalfitanos, centum byzantios super altare; cum vero inde discessurus erat, centum farganas fratribus in dormitorio contulit. Uxor vero ejus, cum ægrotavit, beato Benedicto misit quadraginta quinque libras argenti & pallium unum: & quando istuc venit post mortem ducis, in capitulo, duas auri libras & trecentos squifatos dedit, duas vero libras auri in domo infirmorum, unam pro expensis, alteram ad balneatorium construendum; omnesque refectorii mensas mantiliis operuit. Mitto multa alia utriusque donaria, necnon varia monasteria, quæ ambo conjuges sancto Benedicto contulerunt. Quin etiam ducis conjux anno sequenti assensu filii sui Rogerii per chartam aurea bulla signatam obtulit beato Benedicto locum in Calabria, qui dicitur Cetrarius, cum suo portu & adjunctis, reservato sibi usu-fructuario.

[a] Chron. Casin. lib. 3. c. 58.

ANN. CHR. 1085. XC. Desiderius pontificatum refugit.

Brevi post mortem pontificis, episcopi & cardinales, Gregorii partibus addicti, post pentecosten convenere ad legendum successorem; omnesque in unum Desiderium abbatem consensere. Verum ille suæ electioni haud acquiescens, ad Casinense monasterium se retulit, universos interim, quibus res catholica cordi erat, ad eligendum idoneum pontificem litteris ac nuntiis incitans. Desiderii electioni favebat in primis Jordanus Capuanus princeps, qui, cum æstatis calores deferbuissent, eum Romam perducere conatus est eo animo, ut ipsum, etiam reluctantem, pontificem declarari & consecrari curaret. At ille consilii haud ignarus, illuc ire persuaderi non potuit: atque ita res toto illo anno infecta remansit. Hæc fusius in chronico [a] Casinensi Petrus diaconus, Leonis continuator.

a Chron. Casin. lib. 3. c. 65.

XCI. Saxi-vivi cœnobium conditur.

In Umbria, tribus ab urbe Fulginate* milliaribus, conditum hoc tempore Saxi-vivi* monasterium virorum, insignis quondam congregationis caput. Huic principium dedit piæ memoriæ Mainardus, monachus & eremita, postmodum illius loci primus abbas. Hic amore solitudinis cum uno socio, Dionysio nomine, secessit ad montem, qui *Vecli* dicitur in antiquis monumentis; ibique oratorium ad pedem montis in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, pontificatu Alexandri II. exstruxit, assensu Bonfilii episcopi & comitis Ugonis seu Ugolini, illius fundi domini, qui una cum uxore sua Ugolina *Mainardo monacho & eremita mediola sex terra ad mensuram cubitalem regis Liutprandi* anno MLXXII. donavit. In chronico Novaliciensi Liutprandus rex Langobardorum tantæ longitudinis pedes habuisse dicitur, *ut ad cubitum humanum metirentur*. unde *mensuram cubitalem*, ut supra, seu *pedem Liutprandi*, vulgo *Aliprandi* [b] appellant. quæ mensura in agris metiendis apud Insubres etiam nunc usui est. Plures aliæ donationes Mainardo subinde factæ, maxime a comite Gualterio, filio Ugonis comitis, qui palatium suum in proxima situm rupe, quam Saxum-vivum vocabant, eidem ad exstruendum monasterium dedit, in quo filius ejus Albertus, aliique monasticam vestem ab ipso Mainardo tum abbate susceperunt. Non ante hunc annum renuntiatus est abbas Mainardus, quippe qui anno superiori tantum præpositus ecclesiæ sanctæ Mariæ *Vecli* dicitur in litteris donationis, ipso anno factæ a Johanne, filio Attonis comitis: anno vero sequenti, id est MLXXXV. Johannes ejusdem loci prior in aliis litteris dicitur. quod argumento est, Mainardum tunc abbatem fuisse, adeoque condi cœptum monasterium Saxi-vivi, a Bonfilio episcopo consecratum, sub titulo sanctæ Crucis & sanctorum Carpophori & Abundii martyrum, quorum reliquiæ ex prædicto sanctæ Mariæ oratorio in novum monasterium, uno tantum milliari dissitum, translatæ fuere. Superstes fuit Mainardus ad annum MXCV. Ea vero fuit illius loci abbatum & monachorum ad multum tempus religio, ut multorum monasteriorum caput exstiterit, scilicet abbatiarum viginti, & septuaginta duorum prioratuum, ut in chronico ejusdem monasterii videre licet, quod Ludovicus Jacobillus Fulignas, protonotarius apostolicus, Italice composuit. Ex his in diœcesi Fulginate, præter ipsum monasterium Saxi-vivi & quatuor prioratus, una erat abbatia sancti Stephani de Gallano, quæ postmodum in cellam seu prioratum redacta est. In Saxi-vivo diu viguit disciplina regularis: sed tandem, ut sunt humanarum rerum vices, refrigescente ibidem religione, sub finem sæculi quinti-decimi transiit hoc monasterium ad patres Olivetanos, qui hactenus illud possident, sed numero paucissimi ob tenuitatem redituum, quos illis permittunt commendatarii abbates.

* Foligny.
* Sassovivo.

b V. Iter nostrum Ital. p. 177.

XCII. Odo episcopus Ostiensis e Germania redit.

Sub autumnum hujus anni ex Germanica legatione revertens Odo episcopus Ostiensis, ad Cluniacense monasterium quondam suum divertit, ibique ecclesiam infirmorum consecravit. Inde cum venerabili Hugone ad Nantuacense monasterium, quod juris erat Cluniacensis, profectus, capitulo adfuit die dominica, quæ erat IX. kal. Septembris, egitque cum Hugone & fratribus de sancti Maximi Regensis, ut putant, episcopi corpore elevando & in decentiorem locum transferendo, quod in fossa quadam occultatum erat, ignoto in loco, cujus duo tantum monachi, Richardus scilicet ac Guillelmus conscii erant. Indicta die ad hanc sollemnitatem, Odo sermonem ad populum habuit; factaque translatio septimo kalendas Septembris, *anno scilicet eodem, quo ecclesia infirmorum dedicata est ab eodem præsule Odone in monasterio Cluniacensi*, ut testatur antiquus auctor, qui libellum de hac translatione, Odone jam Romano pontifice, composuit. Tunc sine dubio contigit id, quod Hugo monachus in libello de vita sancti Hugonis abbatis scribit, nempe Hugonem celebrando missam de defunctis cælitus didicisse Orium Caritatis monachum obiisse, non

ANN. CHR. 1085.

Wilencum priorem, uti nuntio falso vulgatum erat. cujus rei veritatem Odo, nuntio istuc misso, comprobavit. E monasterio Nantuaco Romam reversus est Odo, qui anno sequenti Victoris III. electioni interfuit.

Abbatia sancti Dalmatii de Pedona.
a Chron. Pedem. p. 171.

Ad hunc saltem annum superstes fuit Adelasia, piissima Secusiæ comitissa, siquidem hoc ipso anno abbatiam sancti Dalmatii [a] de Pedona, quæ ab ipsa pendebat, episcopis Astensibus subjecit, postmodum Montis-regalis episcopali mensæ unita, monachis ad alia loca dispersis. Tempus & auctor ignoratur illius abbatiæ, quæ ad vallis Gessii fauces, quatuor ab urbe Cuneo passuum millibus, posita erat.

XCIII. Theodericus monachus in Gregorium scribit.
b Spicil. to. 12. p. 233.
c ibid.

Interim Egelbertus Trevirorum archipræsul, Gregorio papæ infestus, Theodericum monachum ac scholasticum Romam misit ad Clementem pseudo-pontificem, ut pallium ab eo obtineret, quod a Gregorio extorquere non potuerat. Hic Theodericus, a fingendis cœnobitarum ingeniis ac moribus scholastici nomen adeptus, duobus effusis in lucem maledicentiæ plenis libellis, Gregorii acta pontificis virulento [b] calamo insectatus, Clementinæ factionis se vindicem tulerat, ob idque Egelberto fidem industriamque suam probaverat. Is, ubi Clementem adiit, facile id, quod petebat, impetravit; domumque reversus, ob præclaram præsuli navatam operam, sancti Martini abbatia, super litus Mosellæ sita, defuncto *beatæ memoriæ Sigeberto abbate*, donatur: cujus facultates, quoad præfuit, sic decoxisse dicitur, ut rerum necessariarum copia vix monachis suppeteret. Alius fuit Theodericus, sancti Mathiæ apud Treviros monachus ac scholasticus, qui Annales Trevirenses composuit, eosque Cunoni archiepiscopo inscripsit. laudatus a Trithemio in fusiori chronico Hirsaugiensi, ad annum M XII. ubi ejus epitaphium retulit, in quo tantum monachus, non abbas dicitur, sepultus in cœmeterio fratrum pone ecclesiam sancti Martini, ubi ejus epitaphium, lapidi insculptum, in muro cernitur. Post eum Golscherus, ejusdem cœnobii monachus & scholæ præfectus, ad historiam Trevirorum res sui temporis adjecit. Forsan hæc est amborum historia, quæ in tomo XII. Spicilegii a nostro Acherio vulgata est. Insuper id aliis facinoribus [c] adjecit Egilbertus, quod in Harreensi monasterio puellarum, defuncta Imisa *summæ strenuitatis ancilla Dei, matre cœnobii*, Liutgardam veneficam, fratris sui filiam, renitentibus sanctimonialibus, omnibus denique reclamantibus substituit. quod flagelli loco factum esse beatæ virgines Irmina, Modesta & Anastasia, ejusdem cœnobii quondam abbatissæ cuidam sanctimoniali revelarunt.

XCIV. Novæ turbæ apud S. Trudonem.
d V. supra n. 52.
e Spicil. to 7. p. 370. & seqq.

Instituto, ut superius [d] diximus, Lanzone abbate in sancti Trudonis monasterio, fratribusque hac illac dissipatis, unus ex illis, Luipo nomine [e] qui Leodici apud sanctum Laurentium se receperat, veritus ne a Leodicensi episcopo longius amandaretur, frustra tentato Lanzone, ut in monasterium suum reciperetur, animo constituit ejus loci abbatiam petere ab imperatore, quem Herimanno Mettensi episcopo, Lanzonis fautore, infestum esse non ignorabat. Res pro voto illi facile successit, &, abbatiæ dono de manu imperatoris accepto, per duos comites (nam & ipse nobilis genere erat) in ejus possessionem magna militum pompa, VII. kal. Junii, quæ secunda erat rogationum feria, inducitur. His turbatus Lanzo, in turrim quamdam monasterii cum suis refugit, Leodicensem episcopum Heinricum sibi auxilio adfuturum confisus. Inter ea quidam e fratribus, qui Lanzonis prælationem graviter ferebant, atque laïci monasterio beneficiis addicti, Luiponi adjuncti, fidem ei obstringunt. Refractæ monasterii fores versus claustrum, nec Lanzo e turri progredi sinitur. Quinto-decimo demum die missus a Leodicensi episcopo Berengarius sancti Laurentii abbas, Lanzonem astu e turri educit, & secum in suum adducit monasterium. Luipo vero nil moratus, ad urbem Mediomatricum pergit, & baculum pastoralem a Walone seu Gualone, qui in episcopatum intrusus fuerat, accipit. Quo audito, Leodicensis episcopus eum cum suis asseclis excommunicat VII. kal. Julii, octavis scilicet pentecostes. Citatus ab Imperatore Heinricus episcopus in natali Domini ad curiam Aquisgranensem, Luiponem absolvere cogitur, Trudonianis interim interdicto suppositis, donec eorum causa Leodici coram episcopo discussa fuisset. Dum illuc die condicto tendit Luipo, a ministris episcopi in itinere juxta Jupilam verberatur, spoliatur. Leodicum nihilo minus ille pergit: at nisi spoliato res suæ sibi restituantur, ad episcopi audientiam, tertio licet monitus, se sistere abnuit, ob idque denuo excommunicatur. Quid inde consecutum sit, anno sequenti prosequemur.

ANN. CHR. 1085.

XCV. Asinantiæ capella data sancto Michaëli ad Mosam.

Ante aliquot annos Lotharingiæ dux Theodericus capellam sub Asinantia * in proprio fundo exstruere cœperat, sed morte præventus perficere non potuerat. Hanc cum absolvisset Sophia comitissa, cujus ille avus erat, ejusque consecrationem procurare vellet, intercessit Hodierna, sanctæ Glodesindis in urbe Mettensi abbatissa, hac inducta ratione, quod hæc capella in territorio Domni-Martini, ad jus capituli sui pertinente, constructa esset. Sed tandem eo pacto assensit, ut certum censum comitissa sanctæ Glodesindi persolveret. Tum hæc capella in honorem sanctæ Mariæ dedicata a Pibone Tullensi episcopo: eamque Sophia sancto Michaëli ad Mosam in manu Sigifridi abbatis tradidit anno M LXXXV. Sophiæ hac de re litteris [a] apposita sunt signa Albrici abbatis sancti Mansueti, & Evrardi abbatis sancti Apri. Eidem capellæ libertatem concessit Pibo episcopus, qui ait, hoc pactum firmatum [b] fuisse *illo anno, quo Jerusalem ipse iturus erat*, scilicet *anno ab incarnatione Domini* M LXXXV. *indictione* VIII. Hanc peregrinationem aggressus est cum Conrado comite, & in reditu, uti voverat, monachus factus est in Divionensi sancti Benigni monasterio, ut postea dicturi sumus. Sophia comitissa uxor erat Ludovici comitis, mater vero Theoderici, qui Asmingiam * cellam diœcesis Mettensis sancto Michaëli tribuit. In prædictam Asinantiæ ecclesiam forte se receperant tunc temporis monachi sancti Michaëlis, profugi a facie Theoderici episcopi Virdunensium persequentis, a quo *ecclesia* [c] *& abbatia sancti Michaëlis super Mosam destructa* * fuisse dicitur in Alberici chronico, *pro eo quod ecclesia illa se a Virdunensi ad Tullensem episcopatum transferre vellet tempore schismatis.*

* Amance.

[a] Baluz. Miscell. to. 4. p. 451.
[b] ibid. p. 449.

* Insmin.

[c] Alberic. an. 1084.
* ed. male constructa.

XCVI. S. Vitoni monachi apud S. Benignum recepti.

Non humanius actum est cum sancti Vitoni monachis apud Virdunum, qui cum abbate suo Rodulpho refugere coacti sunt ad prædium sui monasterii, vocabulo Flaviniacum diœcesis Tullensis, quod eis a duce Godefrido collatum fuerat. Qui apud sanctum Vitonum remanserant, cum improperio capti, in præsentiam Theoderici episcopi adducti fuere, ut pseudopapæ Clementi & Heinrico imperatori, præstando juramentum super textum evangelii in medio positum, fidem suam obligarent. quod qui non fecisset, cum dedecore & ignominia, vestibus nudatus ex urbe pelleretur. Ex his unus fuit Rufus nomine, qui cum id facere constanter recusasset, spoliatus, cæsus, per medium urbis, *nudus in sola flaminea* ductus, per octo milliaria fugatus est, dum a quibusdam servis Dei veste donatus, Divionem adiit ad sancti Benigni monasterium, quo alii ejus fratres a Jarentone abbate invitati, immo e villa Flaviniaco sumtibus ab eo suppeditatis deducti, se receperant. Hæc fuse describit Hugo, tunc sancti Vitoni a puero monachus, postmodum Flaviniaci in Burgundia abbas, qui locus confundendus non est cum villa Flaviniaco, cujus modo facta mentio est. Hac occasione eximium religiosæ caritatis exemplum præbuit Jarento abbas, in suum admittendo monasterium illos Vitonianos monachos, numero quadraginta, sed ea tamen conditione, ut omnes stabilitatem apud sanctum Benignum firmarent: *ut concordia & pacis unanimitas inter utrasque turmas artius servaretur.* Id a Vitonianis graviter & moleste acceptum, in primis Hugone, qui hæc scribit, quem tunc primum e sæculo Rodulfus abbas ad Christi militiam pertraxerat. Verebantur siquidem illi, ne primam fidem infringerent, quippe qui stabilitatis votum in monasterio sancti Vitoni professi erant. Consultus inter alios Lanfrancus Cantuariæ archiepiscopus a Rodulfo abbate, respondit, eum perjurii reum non esse, qui salutis suæ « causa in aliud monasterium migrat. Id enim propter Deum fieri & propter ejus amo- « rem, ut ei placeatur. Porro qui sic transit, non ab ecclesia ad ecclesiam transire, « cum una sit in toto orbe, non plures ecclesiæ. Denique neque id contrarium re- « gulæ sancti Benedicti, qui monachum ab uno monasterio ad aliud venientem suscipi « jubet. «

Hugonis professio.

Huic sententiæ, nonnisi ægre, assensere omnes, & post omnes Hugo, quem tandem Jarento ad faciendam professionem adduxit, calcato serpente, qui ejus saluti insidiabatur. Tum ille: *Statim*, inquit, *Jesu bone! ut hoc in corde deliberatum est & assensum, dulcedo tua in me pie convaluit, & sensi amorem tuum quasi exstinxisse in me omnia venena serpentis, quæ me ab implenda obedientia professionis impediebant.* & infra: *Precor, Domine Jesu, non me secernas a numero & consortio servorum tuorum, qui dereliquerunt gloriam mundi cum suis oblectationibus: quia & ego, cum tu inspirasses cordi meo, sæculum & quæ ejus sunt, voluntate promptissima postposui & postpono, animam & corpus meum tibi Domino Deo, teste & mediatrice beata Maria, devovi & voveo, & in*

ANN. CHR. 1085.

tuo servitio emori praeopto, quia tibi servire regnare est. Ita Hugo & alia plura, quæ ejus pietatem aperte ostendunt, inferius compendio referenda.

XCVII. Jarentonis eximia caritas.

Post hæc idem auctor laudat Jarentonis abbatis caritatem iis sane verbis, quæ hic referri merentur. *Vigebat*, inquit, *virtus caritatis in patre nostro abbate Divionensi, qua tanta erat, ut, quamquam eo anno ubique tempestatis violentia matura segetes in spicis, & vinum in racemis, omnia prostrata & prorsus damnata essent; nihil tamen minus fieret in refectorio & eleemosyna: cum fratres centenarium fere excederent numerum; & his, qui de terra fertili & plenissima venerant*, scilicet sancti Vitoni monachis, *& nihil minus noverant quam penuriam pati, abundantissime in omnibus ministraretur. & tua pietas omnia supplebat, Domine Jesu; & quidem juste. Habenti enim caritatem dabitur, & abundabit. Qua autem major potuit esse caritas, quam virum, anno integro a monasterio semotum, inde ad sua redeuntem, omnia invenisse confusa & prorsus adnullata, cum omnia deessent, panis, vinum, substantia, quadraginta fratres cum gratiarum actione suscepisse; & qui suis nullo pacto quibat in necessariis sufficere, hunc pro his, quos non noverat, deducendis ad terras extraneas isse, & suis eos expensis ad suum locum deduxisse? Hac sunt tua, Jesu, mirabilia; hac de tuo fonte procedunt. Noverat ille tuus famulus, te tuis non defore, qui consuesti cibos in deserto parare, & de paucis panibus multa millia hominum satiare. Hæc etiam ei tua omnipotentia providisti, qui & necessaria ei subministrasti, & insuper tanta in prædiis & fundis ecclesiæ eidem anno ipso & deinceps contulisti, ut duplicatus videretur census ecclesiæ; & insuper, te donante, benedictionem hereditate possidebit, quia in modico inventus est fidelis.* Præclarum sane christianæ caritatis, & divinæ providentiæ exemplum: quod utinam omnium animis, qui res monasteriorum curant, tam alte infigeretur, ut eorum corda, quæ si non cupiditas, saltem fidei pusillitas contrahere solet, in tempore necessitatis explicaret, dilataretque. Ita se gessit beatissimus pater noster Benedictus, ut suo loco vidimus: ita nostri Hirsaugienses, ut paullo post videbimus; & ut de aliis sileam, nostri Sithienses seu Bertiniani, qui sanctum Thomam Cantuariensem archiepiscopum exsulem cum numeroso suæ ecclesiæ monachorum cœtu effusis caritatis brachiis complexi exceperunt. Verum tamen Jarentonis factum non omnino probaverat Hugo Cluniacensis abbas, ratus impossibile [a] futurum, ut concordiam tenerent tres ejusmodi congregationes, nutriti scilicet seu alumni sancti Benigni, stabiliti & non stabiliti; consultius esse existimans, ut eos, qui stabilitatem firmare vellent, suæ congregationi sociaret; renuentes emitteret. Sed tamen tanta prudentia se gessit pussimus abbas, ut nulla inter tam variæ professionis monachos discordia orta sit, nec Jarento, reformata pace, ægre dimiserit eos, quos tempore necessitatis retinuerat.

[a] Labbe bibl. to. 1. p. 239.

Quæ hactenus diximus, præcessere obitum, vel saltem nuntium de obitu Gregorii
» pontificis: quo nuntio fratrum corda magnopere turbata fuisse tradit Hugo, dolen-
» tium scilicet desolationem sanctæ Dei ecclesiæ; quamquam congaudendum illi sci-
» rent, quem multis tribulationibus probatum suo jam Dominus gremio confoveret.

XCVIII. Pibo episcopus fit monachus Divione.

Eodem, ut jam dixi, anno Pibo Tullensis episcopus Jerosolymam devotionis causa cum Conrado Luciliburgensi comite profectus est: ubi voto facto se obligavit, se, si in patriam salvus & incolumis rediret, statim monachum futurum. quod re ipsa in reditu præstitit in Divionensi sancti Benigni cœnobio sub Jarentone abbate mox laudato. Verum facta professione a suis desideratus, jussu pontificis, scilicet Victoris III. ecclesiæ suæ curam resumere coactus est, cui veræ Crucis portionem, quam ab imperatore Constantinopolitano dono acceperat, auro gemmisque ornatam dedit. Conradus comes in illa peregrinatione fato functus est: cui Heinricus ejus filius successit. Jam ad propriam sedem reversus erat anno MLXXXVIII. quo anno, & quidem kalendis Septembris, cellæ Barri-villæ constructionem, & donationem a Sophia comitissa sancti Michaëlis monasterio factam probavit, eidemque altare ejusdem loci, in honorem beatæ Mariæ consecratum dedit: cujus *ecclesiæ donum in cœnobio sancti Michaëlis super altare quoddam parvulum consecratum fecit, præcepitque ut ad prædictam cellulam transferretur.*

XCIX. Rotbertus Molismo secedit ad cellam Alsensem.

Jam Molismensium primitiva paupertas exuberaverat in magnas opes, quæ cum ex religionis fervore profectæ essent, ipsi demum religionis summam fere perniciem attulerunt. Hinc enim superbiendi, & lautius laxiusque vivendi occasionem arripientes monachi, regularis disciplinæ observatione postposita, cupiditati frenos

laxare cœperunt. Hos ad officium revocare non desistebat piissimus eorum abbas Rotbertus: verum, ubi nihil sua monita proficere intellexit, statuit illos deserere, *ne dum in eis frustra quæreret spirituale lucrum, ipse animæ suæ faceret detrimentum.* Interim ad eum fama pervenit quorumdam solitariorum, qui in magna districtione vivebant. Hic locus varie scribitur cum in libris editis, tum in manu-scriptis, in breviario monastico *Hauz*, in codice Cisterciensi *Aux*, apud Bollandinos *Aurum*, appellatus, de quo plura inferius [a]. Ad hos solitarios divertit Rotbertus, ambabusque ulnis ab eis receptus, cum in oratione, vigiliis, labore manuum, aliisque piis exercitiis primus & antesignanus esset, omnium tamen se minimum reputabat. Verum longe alia mens solitariis illis erat, qui eum sibi rectorem habere voluerunt

[a] lib. 69, n. 73.

Interim pœnitentia ducti Molismenses, virum Dei Molismum revocare modis omnibus tentarunt, temporalium rerum damna & ruinam ex neglectu religionis sibi advenisse deplorantes. Verum, cum nec precibus, nec rationibus ille flecti sustineret, tandem mandato summi pontificis reverti cogitur. Tum vero sermone & exemplo ita omnes animavit, ut brevi disciplinæ monasticæ accurata observatio ibidem refloruerit.

C. Observanda quædam de Alberico & Stephano.

Qui librum de vita sancti Rotberti Molismensis abbatis scripsit sæculo tertio-decimo monachus, ait, inter Molismenses virtute præstantiores fuisse quatuor viros, scilicet Albericum, Stephanum, duosque alios, qui post claustrales exercitationes, majoris solitudinis studio ad locum, cui Vivicus nomen est, secesserint: ast aliquanto post tempore, Molismensium flagitatu, sub excommunicationis interminatione revocatos fuisse a venerabili Joceranno Lingonensi episcopo, quem, si res ita habet, pro Rotberto episcopo perperam obtrudit ille anonymus. quippe Rainardus, cognomine Hugo, post annos pontificatus viginti, anno reparatæ salutis M LXXXV. obiit. cui successit Rotbertus, Odonis I. Burgundiæ ducis & Hugonis germanus frater, ex schola sancti Brunonis profectus, qui sub finem vitæ Molismi factus monachus, non ante annum M C X. Jocerannum habuit successorem. Fallitur etiam idem auctor, cum addit, quatuor illos monachos, Vivico relicto, adiisse quamdam silvam, Cistercium ab incolis nuncupatam, quæ diœcesis erat Cabilonensis; Rotbertum vero, audita eorum sancta conversatione, assumtis secum viginti & duobus fratribus ad eos perrexisse, ut sancti eorum propositi esset adjutor. Nam contra ex his, quæ inferius dicturi sumus, uno ante Cisterciensis monasterii originem anno, id est anno M XCVII. certum est, Albericum Molismi adhuc priorem fuisse; Stephanum autem ibidem etiam tum monachum resedisse. atque ideo non ante Rotbertum, aut certe paucis ante eum diebus, Cisterciensem silvam incolere cœpisse. Quod attinet ad prædictum Vivici locum, creditur esse vicus ille, quatuor a Molismo leucis positus prope Landerici-villam [*] in archidiaconatu Latiscensi [*], diœcesis Lingonensis, vulgo *Vivier* appellatus, ubi cella seu prioratus est abbatiæ Arremarensis.

[*] *Landreville.* [*] *de Lassois.*

Albericus natione Gallus videtur fuisse, Molismi prior institutus a Rotberto, antequam in silvam Cistercium cum Stephano, aliisque secederet. Eidem novæ Cisterciensis familiæ abbati creato, suffectus priori loco Stephanus, ejusdem in regimine abbatiali successor. Hic origine Anglus, cognomento Hardingus, cum ex Romana peregrinatione reverteretur, Molismum divertit, ibique monasticen professus est sub Rotberto abbate. De eo, uti & de Alberico, plura suo loco.

CI. Besuensis monasterii status.

Rotbertus Lingonum præsul, mox laudatus, non modo in Molismenses benevolum ac munificum se præstitit, sed etiam in Besuenses. quod antequam exponam, quo in statu res hujus loci tum fuerint, explicandum est. Sub finem sæculi præcedentis Bruno Lingonensis episcopus Besuenses a regulæ observatione prolapsos, ad meliorem frugem revocaverat per Willelmum Divionensem abbatem. quo mortuo, Ulgerius seu Olgerius abbas regularem disciplinam [b] accurate observari curavit, & a Leone IX. privilegium obtinuit. Hunc excepit Odo abbas, cui Arduinus Lingonum episcopus duas ecclesiæ suæ præbendas [c] contulit. Post Odonis obitum ex monasterio Arremarensi assumtus Wido abbas, non multo post, dimisso regimine, ad suos rediit, locumque fecit Gausberto priori sancti Benigni Divionensis, cui Rainardus præsul anno M LXXX. ecclesiam sancti Remigii ab omni consuetudine immunem donavit. Non alius videtur esse Josbertus [d] abbas, vir magnæ simplicitatis & religionis, qui, cum laxatam religionem restituere non posset, Cluniacum expetiit, ubi reliquum vitæ in magna pace, quam inter falsos fratres habere non potuerat,

[b] V. Spicil. to. 1. p. 565.
[c] ibid. p. 585.
[d] ibid. p. 604.

ANN. CHR. 1085.

piissime exegit. Besuensis itaque monasterii deformatum statum non ferens Rotbertus præsul, eidem loco virum strenuum ac maxime religiosum, Stephanum [a] nomine, ex sancti Eugendi monasterio accersitum, Besuensibus præfecit. Erat Stephanus nobilissimi generis, Joffredo comite progenitus ex matre æque nobili, Arnulfi comitis *de Risnel* filia, ex milite factus apud sanctum Eugendum [b] monachus, exemplo Simonis comitis Crispiacensis, ubi sub Hunaldo abbate per decem annos in Christi militia strenue se exercuit. Inde Cluniacum profectus, illic *cum avunculo suo domno Widone priore magno* per annum demoratus est. Dein Widonem, Novi-monasterii apud Pictavos pro sua religione & sanctitate abbatem factum secutus dicitur, novissime ad suum, id est sancti Eugendi, monasterium regressus, inde ad cellam Barri-super-Sequanam missus est: ubi a Rotberto episcopo agnitus, ad reformandum Besuense monasterium adducitur, ut postea videbimus.

a ibid. p. 605

Stephanus abbas.

b V. lib. 65. n. 12.

CII. Novi monasterii abbates.

Quæ de Widone & Stephano scribit ille chronographus, non omnino accurata sunt. Wido Cluniaci prior ab Hugone abbate Pictavos anno M LXXV. missus est cum octodecim monachis ad regendum Novum-monasterium, cui cum annos quinque præfuisset, Cluniacum reversus est, ibique post mortem in capitulo humatus. Widoni Cluniacum regresso suffectus Geraldus annis tribus ac dimidio Novum-monasterium rexit. Huic successit anno M LXXXIII. Letaldus sancti Hugonis abbatis nepos, vir eximiæ prudentiæ & religionis, qui per annos quinque præfecturam tenuit, Marcum sortitus successorem, de quo inferius agendum. Simon Crispiacensis comes ad sanctum Eugendum se recepit anno M LXXVII. Hunc secutus fuisse dicitur Stephanus, ibique per decem annos demoratus, atque adeo ad annum circiter M LXXXVII. factus Besuensis abbas anno sequenti. Itaque intra illud decennium Cluniaci Widonem priorem invisisse dicendus est. Sed hæc minutiora.

CIII. Udalricus scribit consuetudines Cluniacenses.

Tunc in Cluniacensi monasterio florebat Udalricus, sæpe jam [c] a nobis laudatus, qui hoc tempore consuetudines sacri illius loci tribus libris digessit, eosque Willelmo Hirsaugiensi abbati, cujus hortatu id operis susceperat, nuncupavit. Tempus exprimit in epistola libris præmissa, ubi ait, nondum esse annum [d] tricesimum, ex quo cellam Caritatis Gerardus prior in ipso pago nativitatis suæ fundaverat. Hanc autem fundationem anno M LVI. factam fuisse superius [e] ostensum est. In prædicta epistola Udalricus Willelmum Hirsaugiæ abbatem, quem olim inviserat, ob hoc maxime laudat, quod pueros in monasterium suum non admittat, præcisa hoc nodo radice, *ex qua sola præcipue omnia sunt monasteria destructa, quæ destructa sunt vel in Teutonica, vel in Romana lingua.* Contra vero tritum esse ait Udalricus, & usitatum, *si qua districtio hujus spiritualis militiæ inter has nostrorum temporum fæces esse potest, non esse, nisi ubi major est numerus, & auctoritas majorum illorum, qui non ætate lasciva, nec imperio parentum, sed sponte sua, & majoris auctoritatis, solo Christo imperante, ad ejus se obsequium, rebus sæculo abdicatis, contulerunt.* Casinates nostros ob eamdem rem laudat Petrus Damiani. Insuper Willelmum ob id commendat Udalricus, quod *infirmiorem sexum* longius a monasterio ablegaverit, quales scilicet oblatæ & reclusæ haud longe a multis virorum monasteriis commorabantur: & quod tales famulos habeat, qui ex libera & ingenua conditione ad fratrum obsequium sese demittant, solo vitæ cælestis intuitu. Unum tamen in his desiderat, nempe ut non permittat eos extra claustrum commorari, & detur eis habitus monasticus. Ad id vero quod opponi posset, sibi non suppetere tantas opes, ut tot monachos aggregare possit; reponit Udalricus exemplum Gerardi, cellæ Caritatis fundatoris, qui, eum non minus quam centum fratres quotidie in monasterio alendos habeat, nullum tamen mortalium illac, quæ via publica est, transire permittat, quin eos ad hospitandum non modo invitet, sed etiam trahat; nec dubitet iis, qui penuria laborant, *usque ad tria vel quatuor millia solidorum mutuari*, divina providentia ei subsidia ministrante.

c V. lib. 64. n. 9.

d Spicil. to. 4. p. 23.

e lib. 60 n. 92.

Eximiæ caritatis exemplum.

CIV. Willelmi Hirsaugiensis liberalitas.

Consimilis fuit ipsius Willelmi abbatis caritas in ipsum Udalricum, qui in Alemanniam *ad regem, & ad quemdam regalium divitiarum pontificem* aliquando profectus, deficiente viatico venit ad Willelmum, qui *non exspectavit ut quidquam* [f] *rogaretur*, immo cuncta necessaria ultro etiam nescienti providit, & accipere coegit. Quin etiam quærenti tonsorem ad præcidendam cæsariem ipse capillum totondit, & *sacram hostiam* oblaturo non alium quam se ipsum ministrum exhiberi voluit. Aliud ejusdem patris exemplum non omittendum refert [g] idem auctor, scilicet quod cum

f Udalric. præfat. in lib. 3.

g id. præfat. in lib. 2.

nonnisi *octo vini carradas ad commeatum fratrum* ipso anno collegisset, solitam nihilo minus vini mensuram fratribus non subtraxit, non modo monachis, sed etiam illis, qui extra claustrum positi, ex liberis & ingenuis ultro se devoverant, ut essent servi servorum Dei. qui utrique non minus quam triginta erant. Tum vero præclara patrem inter ac filios æmulatio fuit. *Videres*, inquit Udalricus, *piam sanctamque contentionem domni abbatis, & illorum: domni abbatis de caritate, illorum de parcitate: ita ut, cum instaret eadem vice hypapante Domini, adhuc ipse viderem in cellario fratrum sex carradas superesse.* Hoc exemplum, tum abbatis, tum fratrum prætermittere nefas putavi, ut intelligant monasterii præfecti, qua caritate fratres suos, etiam urgente necessitate, tractare debeant: & qua frugalitate fratres illis temporibus vivere, subtrahendo sibi aliqoid de solita anoona, tum ut aliorum inopiæ consulatur, tum ut eorum, qui res domesticas procurant, sollicitudini & molestiæ parcatur.

Hic præterire non possum aliud insigne Willelmi caritatis & humanitatis exemplum. Per id tempus sedem Moguntinam post Sigifridum Wecilo schismaticorum signifer occupabat. Ejus ditioni subjectum erat Hasungense monasterium, cujus monachos, qua minis, qua blanditiis, ad suas partes pertrahere conatus est. at, cum eos communioni ecclesiasticæ addictissimos comperisset, omnes domo expulit. Cum sic extorres ac palabundi essent, in suum monasterium Willelmus invitavit omnes, (& erant numero septuaginta) eosque tectis suis benigne excepit, & aliquamdiu apud se retinuit; postea vero cellam sancti Gregorii cum suis adjunctis, quanto tempore vellent, assignavit.

Ejus caritas in Hasungenses.

Qua occasione libros illos Consuetudinum Cluniacensium scripserit Udalricus, ipse aperit in procemio ad librum primum. Missus ille in Germaniam ab Hugone abbate, quorumdam negotiorum causa, divertit ad Willelmum abbatem, sibi a puero notum & amicissimum, cujus monasterium situm erat in pago Spirensi & in Insula-nigra. Rogat ille, ut consuetudines sibi explicet Cluniacensis monasterii, cui nullum in illis partibus simile reputabatur *in vita & disciplina regulari*. Excusat se primo Udalricus ob linguæ barbariem & experientiæ congruæ defectum, quippe qui usque ad tricesimum ætatis suæ annum nonnisi de rebus sæculi magnopere curaverit: sed tamen roganti obsecutus est, opere in tres libros distincto. Longius procederem, si horum librorum specimen hoc loco exhibere vellem: maxime cum ex editis libris cuivis id colligere liceat. Unum aut alterum hic tantum observo: nimirum quod electioni [a] abbatis Cluniacensis *nullus mortalium* soleret interesse, *praeter eos solos, qui essent ecclesiæ* Cluniacensis professi, & quod professio [b] novitiorum, qui in cellis ejus erant, ad eumdem locum, id est Cluniacum esset reservata, licet benedictionem in suis locis accepissent.

CV. Cluniacenses consuetudines qua occasione scripsérit Udalricus.

a id. lib. 3. c. 1.
b id. lib. 1. c. 1.

Udalricum in recensendis Cluniaci consuetudinibus præcessisse videtur Bernardus monachus qui suam hoc de argumento scriptionem Hugoni abbati sic inscripsit: *Reverentissimo, atque totius religionis informatori præcipuo, domno Hugoni abbati, frater Bernardus filiorum ejus ultimus.* Hoc opus ideo ab se susceptum dicit, quod, prioribus Cluniacensis loci patribus mortuis, sæpissime orirentur de consuetudinibus suis controversiæ, aliis atque aliis alia sentientibus; ideoque sibi in mentem venisse, ut eas ex iis, quæ jam scriptæ essent, vel quas ab aliis ipse discere potuerat, in unum volumen redigeret. Totum hoc opus auctor uno libro comprehendit, in capitula LXXXI. distincto. Eædem sententiæ eademque sæpe verba in Udalrico: sed ordo diversus, nec ita dilucidus in Bernardo. Udalrici liber primus est de officio divino: secundus de disciplina regulari: tertius de singulis *obedientiis*, ut ipse vocat, id est de abbate, aliisque officialibus. Bernardus vero hunc ordinem invertit, incipiens ab abbate, ceterisque ministris, & in officio divino desinit. Hi officiales post abbatem erant prior major, prior claustralis, decani, circatores, præcentor seu armarius, camerarius, apocrisarius, seu thesaurarius, cellerarius, custos vini, hortulanus, refectorarius, custos hospitii, stabularius & infirmarius. Quis fuerit Bernardus ille, an Bernardus ille vir justus & sanctus, qui testimonium de beati Hugonis cælesti gloria tulit, & paullo post eum obiit, incertum.

Bernardus hunc præcessérat.

Ex his consuetudinibus, aliisque quas ex variis monasteriis colligere potuerat Willelmus, Hirsaugiæ abbas, librum edidit earum, quas monasterii sui positioni & fratrum suorum moribus aptiores judicavit, easque in duos distribuit libros, præmisso prologo, a me edito in tomo quarto Analectorum. Principio ait, se usum fuisse iis

CVI. Hirsaugiæ consuetudines.

ANN. CHR. 1085.

institutis, quæ in monasterio sancti Emmerammi a puero didicerat. Deinde venerabilem virum, ac bonorum omnium memoria dignum Bernardum abbatem Massiliensem, dum apostolicæ sedis legatione fungeretur, ad se divertisse, ipsique auctorem fuisse, ut Cluniacensis cœnobii ritus ceteris præferret; ubi *& perfectissimorum monachorum auctoritate, & temporis antiquitate, monastica eo roboris & gloriæ excrevit religio, ut, si qua adhuc sanctitatis vestigia in aliis videntur monasteriis, non dubium sit ex hoc, quasi ex vivo quodam & inexhausto fonte, singulos emanasse rivulos* Tum subdit Willelmus, quo pacto Udalricus senior Cluniacensis pro monasterii sui negotiis in Alemanniam missus, aliquamdiu Hirsaugiæ manserit, rogatusque, ut suas consuetudines redigeret, duos ex eis libellos conscripserit. atque inde patet, tertium ab Udalrico postmodum adjectum fuisse. Neque hoc contentus Willelmus, duos usque tertium e suis fratribus Cluniacum misit, ut penitius sacri illius loci arcana omnia rimarentur. quibus novissime revertentibus Hugo venerabilis abbas injunxit, suo nomine Willelmum monere, ut ex his consuetudinibus, seniorum suorum consilio seligeret, quæ secundum morem patriæ, situm loci, aërisque temperiem monasterio suo convenire judicaret, & ex eis, si quid esset superfluum, demeret; si quid mutandum, mutaret; si quid addendum, adderet. quod Willelmus duobus libris religiose exsecutus est, idque *ad perpetuam paullo post morituri senis memoriam* accurate a suis observari cupit, in testimonium sinceri in ipsum amoris.

CVII. Udalricus inique vexatus

Post annos abhinc duos Ulricus seu Udalricus mox laudatus, tum prior Gruningensis, a Burchardo Basileensi episcopo acquisivit locum, qui Cella dicitur, situm in Silva-nigra, in comitatu Herimanni comitis, in pago Brisgowiæ, quem in locum nives per declivia montium dilabi solent. Id factum dicitur anno MLXXXVII. Testes dux Bertholfus, Herimannus comes, & alii. Udalrico in hac cella consistenti res molestissima accidisse dicitur. Erat in Brisgaugiæ pago vir quidam, qui stuprum cum sua noverca commiserat. Hic, vulgato scelere, pudore simul & pœnitentia tactus, adiit venerabilem Constantiensem præsulem Gebehardum, pœnitentiæ remedium accepturus. Hunc vero misit episcopus ad Udalricum, petens, ut in numero fratrum, quos barbatos vocabant, reciperetur. Re cum fratribus communicata, non visus est ille admittendus, ob viciniam loci, ubi crimen patratum fuerat. Tum vero miser ille ac miserabilis, quo se verteret, incertus, demum suis ignorantibus ad Hirsaugiense secessit monasterium, ubi sæculo nuntium remisit, & strictioris vitæ disciplinæ se mancipavit. Non multo post, cum ille non amplius compareret, cum scirent omnes ad Cellam conversionis gratia venisse, rumor percrebuit, eum illic, *arundine ori ejus imposita, subterraneo specu, quasi pro pœnitentia, obrutum fuisse*, & triduo post mortuum inventum. Hinc populi furor in Cellenses accenditur, & messis incommoda, quæ tunc ex continuo imbre oborta sunt, eis imputata. Ad hæc Udalricus, in quem totius infamiæ pondus maxime redundabat, nihil non facit, preces, jejunia, eleemosynas, ut veritas patesceret, & scandalum exstingueretur. Cum vero nihil proficeret, a Bertholfo provinciæ duce obtinuit, ut ignis probatione sua innocentia cunctis innotesceret. Constituto ad id die, quo unus e monacbis per exstructi ignis rogum transire debebat, subito ille, cujus causa tota illa tempestatis procella fervebat, supervenit, & præsentia sua monachorum innocentiam probavit.

Simoniacus presbyter ad celebrandum non recte admissus.

Hic venit in mentem aliud factum, quod de Willelmo Hirsaugiensi refert Paulus Bernriedensis in vita Gregorii VII. Inter eos, qui venerabilem patrem spiritualis medicinæ causa expetebant, unus fuit presbyter, simoniaci criminis reus. Hunc a sacris altaribus secundum canonum sanctiones removere volebat religiosus abbas; sed, *vim faciente monachorum importunitate*, qui de sacris canonibus, ut auctor ille sentit, non satis curare solent, eum ab offerendo missæ sacrificio non compescuit. Verum, cum presbyter, inchoata missa, ad lectionem evangelii pervenisset; Christus Dominus scissis vestibus, & lurida facie ei apparuisse dicitur. quo viso ille stupefactus & attonitus, presbytero vicario prosequendæ missæ officium reliquit, & deinceps a sacerdotali munere semper abstinuit.

CVIII. S. Baudilii cella Casæ-Dei subjecta.

Apud Nemausum, Galliæ Narbonensis nobilem civitatem, ab antiquo exstat sancti Baudilii martyris ecclesia, seu abbatia, extra mœnia urbis posita ad australem plagam, quam Nicolaus I. Isnardo episcopo Nemausensi attribuit. Cum hæc ad modicum censum redacta esset, Petrum-Ermengaudi episcopum, ejusque clericos obnixe rogaverunt Raimundus comes & Hermengardis vicecomitissa, aliique quam plures

nobiles viri, ut hanc ecclesiam Seguino Casæ-Dei abbati, ejusque successoribus in perpetuum conferrent. quod illi perlibenter annuerunt. *Facta sunt hæc* v. *kal. Januarii, die sabbati*, id est exeunte anno præcedente. Hactenus hæc Casæ-Dei cella est conventualis, olim commissa Petro-Rogerii Casæ-Dei monacho, dein cardinali, qui demum summus pontifex creatus fuit sub nomine Clementis VI.

S. Pontii res confirmatæ.

Anno insequente M LXXXV. idem Raimundus Nemausensis, Rutenensis, Gabalitanus, necnon Narbonensis comes, monasterium sancti Pontii Tomeriense, a proavo suo Pontio *Aquitanorum magno duce* constructum, ac magnifice dotatum, augere & honorare cupiens, Frotardo abbati [a], ejusque successoribus donat, confirmatque quidquid prædictum monasterium vel jam possidebat, vel acquirere poterat; seque adjutorem ac defensorem monachorum fore pollicetur. Superstes fuit Frotardus abbas ad annum M XCVIII. successorem sortitus Petrum, de quo inferius [b].

a *V. lib.* 65. *n.* 19.

b *lib.* 69. *n.* 96.

C IX.

Seguini abbatis prophetia de S. Illidii abbate.

Sub idem tempus Seguinus abbas Casæ-Dei mox laudatus, ad Claromontense sancti Illidii monasterium profectus, cum ab oratione surrexisset, juvenem quemdam Casæ-Dei monachum, Petrum de Ponte-Gibaudi cognomine, obvium habuit. cui ilico subridens dixit: Deum tibi adjutorem, frater, precibus multis conciliare satage, quia abbatialem hujus loci curam brevi suscepturus es. Et certe ille non multo post ejus loci abbas creatus, Dei adjutorio plurimum opus habuit, quippe quem non modo corporis infirmitas attrivit, sed etiam bellicus turbo comitis Claromontensis & canonicorum dire vexavit, ejusque monasterium fere oppressit. Verum his procellis infractus Petrus, Urbano II. in synodo Claromontensi vitæ suæ innocentiam contra æmulos egregie probavit. Idem sancti Illidii basilicam multis impensis absolvit, & per Paschalem II. dedicari curavit.

Maimacensis monasterii privilegium.

In diœcesi Lemovicensi paullo ante [c] conditum est Maimacense monasterium auctore Archambaldo vicecomite, qui loci illius ecclesiam ab episcopo & clero Lemovicensi *in fevum* tenebat, eumque liberum fieri a Guidone episcopo & capitulo Lemovicensi petiit, obtinuitque. Sic vero idem Archambaldus hac de re loquitur. *Ego Archambaldus vicecomes, filius Archambaldi vicecomitis, qui fuit filius Eboli vicecomitis, imaginem* [*] *fugiens, magisque volens res ecclesiasticas adaugeri quam minui .... pro remedio animæ meæ, patris mei seu matris meæ, atque animæ meæ & fratrum meorum Ebali & Bernardi, necnon & filii mei Ebali, ut Dominus sit mihi propitius, rogavi dominum Guidonem episcopum Lemovicæ sedis cum suo clero, ut in illa ecclesia, quam ab illis in fevo habebam, monasterium in honore sanctæ Dei-genitricis Mariæ ædificare permitteret, quæ ecclesia vocatur Maismac: in qua secundum sancti Benedicti regulam ordo monasticus habeatur, teneatur, & observetur. ea lege, ut sit condonatum altari ejus ecclesiæ sine calumnia alicujus rei, & ut sit libera ab omni consuetudine, sicuti monasterium Uzercæ, excepta synodo & parada. Et hoc rogando impetravi a domino Goidone* &c. Inter testes subscribunt Geraldus abbas Uzercensis, Gauzbertus abbas Tutelensis, Stephanus præpositus, & Petrus de Porcaria monachi. *Factum est hoc privilegium anno incarnati Verbi* M LXXXV. *indictione* VIII. *tertio nonas Februarii, regnante Philippo rege Francorum*. Perstat etiam nunc, ut jam alias dixi, hoc monasterium sub congregatione sancti Mauri.

c *lib.* 65. *num.* 90.

* sic.

C X.

Arnulfus Suessionum episcopatum abdicat.

Institutis, ut superius [d] diximus, in cœnobio Aldenburgensi monachis, & concordia inter Flandriæ proceres confirmata, Arnulfus Suessionum episcopus ad sedem suam revertitur. at turbatis ecclesiæ rebus cum nullum per se remedium afferre posset, nec ullum a metropoli Remensi auxilium sperandum esset, episcopatum abdicavit, & ad pristinam reclusionis cellam in sancti Medardi cœnobio denuo secessit.

d *supra n.* 67.

Hilgotus Petræ-pontis cellam auget.

Suffectus hoc anno in ejus locum Hilgotus seu Hilgodus, altare sancti Sulpicii de Petra-fonte [*], qui locus Compendio proximus est, Majori-monasterio singulari quodammodo attribuit post Theobaldum *beatæ memoriæ* episcopum, qui hoc altare ante pontificatum tenuerat, illudque sancto Martino jam contulerat, nulla personæ facta mentione. Ut vero aliquid de suo adderet Hilgotus, ita rem temperavit, ut sanctæ « matris ecclesiæ Suessionicæ decanus perpetuo ipsius altaris *persona* semper exsisteret, « & quotannis censum quinque solidorum in sollemnitate S. Gervasii ad usum canoni- « corum Suessionicæ ecclesiæ ab illo altari perciperet. residuum vero usus-fructus illius « altaris cederet in usum monachorum. Actum anno ab incarnatione Domini M LXXXV. « Philippi regis XXV. Hilgoti episcopi primo. Post annos octo Nivelo de Petra-fonte «

* *Pierrepont.*

AN. CHR. 1085. „ Majoris-monasterii monachis ecclesiam sancti Maximi, in eodem castro inter duas „ turres sitam, donavit hortatu & instinctu domni Hugonis fratris sui, Suessionensis „ episcopi, antequam Jerusalem proficisceretur: eo scilicet pacto, ut post decessum „ ejus loci canonicorum quatuor aut quinque monachi in illa ecclesia substituerentur.

CXI. Compendiense concilium.

Eodem anno Rainaldus Remorum archipræsul Compendium synodum indixit comprovincialium episcoporum & abbatum ad sarciendam disciplinam ecclesiasticam, quæ tum magnopere labefactata erat. In hac synodo actum est de libertate sancti Cornelii ecclesiæ Compendiensis, ejusque canonicorum, quam Hilgotus ab initio statim pontificatu impugnare aggressus est. Verum ejus conatus auctoritate patrum repressus est ac regia, ut paret ex diplomate Philippi Francorum regis, in Spicilegii tomo II. primum edito, in quo nomina patrum, qui concilio interfuerunt, recensentur scilicet Rainaldi Remorum archiepiscopi, Elinandi Laudunensis, Rogeri Catalaunensis, Ursionis Belvacensis, Ursionis item Silvanectensis, Roriconis Ambianensis, Rarbodi Noviomensis, Geraldi Cameracensis, Goisfredi Parisiensis & Gualteri Meldensis episcoporum, qui duo erant ex metropoli Senonensi. Subsequuntur nomina abbatum, Gervini de sancto Richario, Euradi Corbeiensis, Godefridi de-Monte-sancti-Quintini, Burchardi de sancto Basolo, Ingelgeri de Forestensi monasterio, Walteri de sancto Joscio, Benedicti de sancto Crispino, Roberti de Hasnun, Henrici de sancto Remigio, Fulcardi *de Trant*, (legendum *Gant*) Wimandi de sancto Bavone, Petri de sancto Luciano, Arnulfi de Lobus, Huberti de sancto Winocio, Giraldi *de Ham*, Willelmi de Britolio, Hugonis...... Richerii de sancto Theoderico, Perri de Alto-villari, & Radulfi de sancto Symphoriano, apud Bellovacos. Erratum videtur in secundo abbate, scilicet Corbeiensis monasterii, cui tunc Fulco abbas jamdudum præerat, ad annum M XCVI. superstes.

CXII. Strumense parthenium conditum. * *Estrun.*

Qui prædicto concilio interfuit Gerardus Cameracensis simul & Atrebatensis præsul, eo nomine secundus, Strumense * virginum Benedictinarum cœnobium uno ab urbe Atrebatum milliario circiter hunc annum ædificandum curavit, multisque proventibus dotavit. Illic institutus puellarum numerosus conventus: quibus præfecta Fulgentia, prima ejus loci abbatissa, per annos quadraginta officio rite functa est. Lambertus Atrebatensis episcopus possessionum illius cœnobii ac statutorum confirmationem a Paschali II. impetrasse dicitur. Hæc ex Miræo.

CXIII. Res Anglicanæ.

Hoc ipso anno, teste Simeone Dunelmensi, cui Rogerius Hovedenus consentit, eximiæ vir probitatis & venerationis Perschorensis abbas Eadmundus, XVII. kalendas Julii, die dominica, in senectute bona decessit, & a venerabili Glawornensi abbate Serlone sepultus est: cui successit Glawornensis monachus Turstinus ad biennium tantum superstes. De Perschorensis monasterii origine alias dictum. Glawornense Aldredus Wigorniensis episcopus in urbe Glaworna exstruxit, ejusque ecclesiam in honorem beati Petri apostolorum principis anno M LVIII. sollemniter dedicavit, ubi & Wlstanum Wigorniensem monachum instituit abbatem. Eodem anno in nativitate Domini rex Willelmus, e Normannia recens reversus, Glawornæ curiam suam habuit: ubi tribus suis capellanis, Mauricio Londoniensem, Willelmo Tetfordensem, Rotberto Castrensem episcopatum dedit.

Non videtur omittendum quod Harpsfeldius [a] observavit, videlicet in more positum fuisse Cantuariæ hoc sæculo archiepiscopis, ut, postquam in matrice ecclesia criminum abolitionem sacra illa quinta feria, quæ pascha antecedit, pronuntiassent, sequenti sabbato ad Augustinensium, id est suburbanum sancti Petri seu sancti Augustini, cœnobium mane irent, eamdemque monachis indulgerent. Deinde ibant ad balneum, abbatis expensis comparatum. Inde egressi, novisque abbatis vestibus ex illius sumtu induti, equum ejusdem expensis paratum & instructum conscendebant; atque ita per abbatem & monachos deducti, domum revertebantur. qua de re nihil in Lanfranci decretis notatum invenio.

a *Hist. Angl.* p. 241.

Paulus abbas S. Albani.

Florebat tunc temporis in sancti Albani monasterio Paulus abbas, e Cadomensi monasterio a Lanfranco accitus, cui Anselmus [b] de ejus ad eam dignitatem promotione gratulatus est. Novum ille templum [c] cum claustro & monasticis domiciliis ædificavit, locumque libris, ornamentis variis & nova possessionum accessione decoravit; &, quod majoris momenti est, monasticam illic disciplinam pæne collapsam restituit. Ad hæc monachi e sancti Albani monasterio in Tinemuthensem ecclesiam, sancti Oswini regis insignem reliquiis, quam Rotbertus Northumbriæ comes instau-

b *Anselm.* lib. 1. ep. 71.
c *Harpsfeld.* p. 258. & seq.

raverat,

raverat, ab eo inducti, ea lege, ut juri & potestati sancti Albani abbatis omnino subjecti essent, & in ejus arbitrio esset ejus loci priorem & monachos pro arbitrio mutare. Hanc cellam cum lustraret Paulus abbas anno MXCIII. redeundo morte intercipitur, ut suo loco videbimus.

ANN. CHR. 1081.

Celebre tunc temporis erat monasterium sancti Sulpitii prope urbem Aquilam, in Neustria superiori. Quo præcise anno conditum fuerit, non satis constat. Id tantum tradit Ordericus Vitalis, quod Ingenulfus Aquilæ dominus in propria *possessione monasterium construxerat in honore sancti Sulpitii præsulis Bituricensium*, in quo hoc anno MLXXXV. Richerius, & post aliquot annos Gislebertus, utrique Ingenulfi loci conditoris filii, sepulti fuerunt. Prioris obitum ad annum MLXXXV. refert Ordericus, quem casu die XIV. kalendas Decembris ita evenisse scribit: Cum ille cuhortem adversus Hubertum vicecomitem, qui in Willelmum regem rebellarat, duceret, puer quidam inter vepres absconditus sagittam emisit, qua Richerius sub oculo letaliter vulneratus est. Hoc facinore commoti Richerii comites puerum apprehensum jugulare volebant. sed eos ille impedivit, *quanto poterat conatu exclamans: Sinite illum pro amore Dei; peccatis meis exigentibus sic debeo mori. Mox dimisso percussore lugendus heros peccata sua sodalibus confessus est, & antequam urbem adduci potuisset mortuus est.* Ita Ordericus. Hactenus subsistit ecclesia sancti Sulpitii Aquilensis, sed calamitate temporum in simplicem cellam redacta, absque monachis. Pendet quidem a monasterio sancti Launomari Blesensis: sed eam hodie occupant Jesuitæ Aurelianenses, ejusque reditus collegio suo uniri curarunt.

CXIV. Cella sancti Sulpitii prope Aquilam.

Sub finem hujus anni obiit plenus dierum & virtutum Alfanus archiepiscopus Salernitanus, anno pontificatus sui vicesimo-octavo; obiit, inquam, VII. idus Octobris, sepultusque prope tumulum Gregorii VII. in sancti Matthæi ecclesia, ubi eumdem pontificem paullo ante sollemni pompa humaverat. Multa metro & prosa scripsit, a Petro diacono recensita. quæ pleraque ab Ughello edita sunt in appendice ad tomum II. Italiæ sacræ. In his poematiis nobis præcipue noranda sunt carmen de monte Casino, *Ode in laudem sanctæ Ursulæ*, cujus nomen haud scio an quisquam ante Alfanum commemoravit; versus ad Attonem episcopum Theatinum, quem *semivestitum genuisse cuculla* dicitur, Casini sepultum, cujus epitaphium idem auctor composuit; versus ad Transmundum puerum scholasticum; alii denique ad Guillelmum monachum grammaticum. In illis Transmundum in lectione Platonis & Aristotelis, necnon Virgilii versatum dicit: at in fine eum ab his studiis revocat hac stropha.

CXV. Alfani Salernitani archiepiscopi obitus & scripta.

Si Transmunde mihi credis amice,
His uti studiis desine tandem.
Fac cures monachi scire professum,
Ut vere sapiens esse queteris.

Idem Alfanus in carmine ad Guillelmum monachum percontatur, quid ipsum impulerit, ut, abdicatis sæculi opibus & honoribus, quæ sola olim in pretio ipsi erant, postmodum monasticam vitam, quam despectui habebat, prætulerit. Ad quod Guillelmum respondentem inducit, sibi tandem fuisse perspectam mundi vanitatem, qui suos asseclas & amatores uno momento rebus suis spoliat. quod festivo lupi & vulpis apologo explicat. Alfano archiepiscopo, ejus nominis primo, successit Alfanus secundus ex presbytero ecclesiæ sancti Maximi custode, cujus pontificatus initio Leo Cavensis abbas, eo nomine secundus, monasterium sancti Nicolai de Palma, quod Lucius vicecomes condiderat, monachis suis instituendum commisit.

Per illud tempus, haud tamen satis constat quo id anno factum fuerit, monachi sancti Stephani de Vallibus apud Santones se se ita monasterio Malliacensi subjecere, ut exinde abbatem assumere tenerentur; aut certe si quis inter eos tali honore inveniretur dignus, post ejus electionem perduceretur Malliacum, coram abbate & monachis in capitulo *de sua conversatione & sui ordinis observatione obedientiam* promissurus. Id factum post Doni abbatis Vallium secundi mortem, cui Reginaldus ex Malliacensi monasterio, concedente Gaufredo abbate, & Ramulfo episcopo Santonensi confirmante, substitutus est, ut fusius expositum habes in veteri notitia quam in Appendice proferemus. Vallium abbatem de proprii mona-

CXVI. Monasterium Vallium Malliaco subjicitur.

ſterii gremio, aut certe ex Malliacenſi aſſumendum eſſe confirmavit Alexander III. anno MCLXX. in bulla [a] Petro-Willelmi abbati & monachis Vallenſibus inſcripta apud Sammarthanos. At quo tempore Vallenſes Malliaco ſubjecti fuere, ipſis quoque ſubjectus eſt Sulleienſis prioratus, eo pacto ut abbatiæ titulo donaretur. Conſenſit Reginaldus Vallium abbas, Sulleioque abbatem ſtatim præfecit. ſed eo defuncto, cum reſilire vellent Sulleienſes monachi, Seguinus, qui tunc Vallibus præerat, Malliacenſem abbatem Gaudinum interpellavit, ut ſibi in domandis Sulleienſibus opem ferret. quod ille præſtare renuit, niſi ei & ipſi Sulleienſes ſubjicerentur. Atque ita lis poſt varias altercationes compoſita fuit, ut Sulleienſes Seguino Vallenſi abbati, & ille abbati Malliacenſi claves monaſterii ſui in ſignum dominii committerent [b]. Facta eſt hæc conventio regnante in Francia Ludovico, & Bernardo eccleſiam Santonenſem regente.

[a] Gall. christ. to. 4. p. 892.

[b] ibid. p. 892.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1086. ad annum 1091.

ANN. CHR. 1086.

I. Desiderius abbas papa renuntiatur invitus.

JAM fere annus erat, ex quo post mortem Gregorii sedes apostolica legitimo pastore carebat, Desiderio abbate electioni suæ constanter resistente; cum episcopi & cardinales multi, ex diversis partibus Romam sub pascha profecti, eum Romam accersiverunt, postularuntque, ut secum omnes episcopos & cardinales, qui Casini erant, unaque Gisulfum Salernitanum principem adduceret, ut primo quoque tempore de constituenda ecclesia consultarent. Ille vero, omni de se suspicione post tot menses abjecta, mandato statim paruit. Tum, comitiis pridie pentecostes habitis, omnes ipsum orant, ut pontificatum suscipere ne gravaretur, neque ecclesiam Dei ab adulterino ulterius pontifice occupari sineret. At ille eadem, qua prius, constantia eorum preces repudiavit, professus, se omnia passurum potius, quam ut tantum onus subiret. Postridie rogatus, ut vel saltem eum designaret, quem pontificatu dignum censeret; Odonem Ostiensem episcopum suggessit. Plerisque in eam sententiam inclinantibus, tum vero cardinalis quidam: Ne siverit Deus, inquit, ut " alium quam Desiderium pontificem habeamus: qua voce commoti ceteri, Desiderium " uno consensu prehenderunt, & in ædem sanctæ Luciæ perductum sub nomine Victoris III. pontificem inaugurarunt, injecta in ejus humeros chlamyde coccinea, cum albam renitenti imponere non potuissent. Post quatriduum Victor Roma egressus, Ardeam adiit & Tarracinam; ibique pontificem esse nolle professus, pontificia ornamenta deposuit, & Casinum reversus, ab episcopis & cardinalibus ulla ratione reduci haud quaquam potuit.

II. Hugonis archiepiscopi de ea judicium refellitur.

Hæc omnia, quæ ex chronico Casinensi retulimus, longe discrepant ab iis, quæ de electione Desiderii commemorat Hugo Lugdunensis archiepiscopus in epistola ad Mathildem comitissam, ab Hugone Flaviniacensi [a] relata: in qua nescio quid humani passus videtur Hugo archiepiscopus, quod, se prætermisso, Desiderius electus fuisset. Scribit quippe, Casinensem abbatem, antequam ipse Hugo Romam advenisset, electum fuisse, seque uti & ceteros fratres, hominum magis quam Dei respectu, " ejus electioni assensum præbuisse: ast ubi Casini eum convenisset, tam nefanda ex ejus " ore se audivisse, ut assensus sui magnopere pœnituerit. Eum quippe dixisse, (quod, " nisi ipse audiisset, nequaquam crederet) se Heinrico dicto regi fidem dedisse, quod "

[a] a Labbe bibl. to. 1. p. 233. & seqq.

AN. CHR. 1086.

» ad obtinendam imperialem coronam eum adjuvaret; eumdemque suo ipsius con-
» silio adductum fuisse ad invadendas terras beati Petri. Ad hæc dixisse, Romanum
» electum, quisquis ille demum futurus esset, etsi a beatissimo papa Gregorio abso-
» lutum, tamen excommunicatum fore, nisi ipse Attonem cardinalem, Mediolanensem
» olim electum, quamvis a prædicto papa ipso abbate subscribente publice excommu-
» nicatum, & absque pœnitentia defunctum, beatum diceret. Denique eumdem ab-
» batem passim decreta domini sui papæ Gregorii, aliorumque sanctorum patrum pa-
» lam improbare & factis destruere. Quæ omnia cum ipsum pontificatu indignum pro-
» bent, sibi aliisque visum esse, ut, electione toties ab eo refutata & ecclesiæ reddita,
» obtentu novi eligendi pontificis Capuam convenirent ad concilium, quod *illarum*
» *partium apostolicus vicarius* seu legatus convocaverat; seque re vera cum abbate Mas-
» siliensi, scilicet Richardo, & archiepiscopo Aquensi, aliisque ex urbe Salerno illuc
» convenisse: abbatem vero Casinensem suos asseclas perpulisse, ut se ad sumendum
» pontificatum compellerent. at se cum episcopo Ostiensi & Witmundo monacho,
» eo nimirum quem e monasterio sancti Leutfredi in Italiam profectum superius [a] di-
» ximus, & cum aliis, ejus restitutioni obstitisse, nisi de quibusdam, quæ contra ejus
» famam vulgabantur, se purgaret: cum vero negasse se id facturum; iterumque ele-
» ctionem suam refutasse; sicque conventum solutum fuisse. Interim Jordanum du-
» cem seu principem Salernitanum rogasse, ut abbatem Alfanum in episcopum Saler-
» nitanum consecraret. quod cum ille facere non auderet, Ostiensi contradicente,
» propterea quod Alfanus ambitus manifeste convictus esset, principem ob id indi-
» gnatum ab eis recessisse. Abbatem porro, veritum scilicet, ne ejus præsidio destitu-
» tus ad pontificatum pervenire non posset, revocato duce, Alfanum episcopum con-
» secrasse; &, pluviali sibi imposito, Romam iter instituisse. quod ubi rescivit Ostien-
» sis, qui ei huc usque restiterat; ne abbas contra dignitatis suæ prærogativam ab alio
» consecraretur, propositi & sponsionis factæ immemorem, abbati reconciliatum, re-
» verentiam ei per omnia, uti papæ, exhibuisse. Hæc pluribus Hugo archiepiscopus,
quæ semina fuere schismatis illius, quod prædictus Hugo, una cum Richardo Mas-
siliensi abbate, excitavit, ob id ambo a Victore excommunicati, ut anno sequenti
videbimus. Sane quam longe ab assentatione Heinrici regis abfuerit Desiderius,
manifestum est ex iis, quæ superius [b] diximus: quippe qui Casinensem abbatiam de
manu regis numquam se accepturum constanter asseruit, nisi eum legitime corona-
tum videret; nec adduci potuit, ut ei fidem, uti ille postulabat, præstaret. Ceterum,
si tantopere pontificatum ambiisset, quid necesse erat toties fugere, toties electionem
sui factam refutare? Certe tota illa epistola Hugonis animum invidia exulceratum
satis superque ostendit. Alteram ejusdem argumenti epistolam ad eamdem Mathil-
dem scripsit post mortem Victoris papæ, ut inferius videbimus.

[a] lib. 65. n. 58.

[b] lib. 66. n. 22.

III. Anselmi Lucensis obitus & scripta.

Hæc epistola scripta fuit post mortem Anselmi Lucensis episcopi, quem Hugo *reverentissimæ memoriæ beatum Anselmum* initio vocat. Post menses novem & dies viginti-tres a transitu Gregorii papæ obdormivit in Domino venerabilis Anselmus, amicus ejus singularis: cujus exemplo *testamentum non fecit*, *quia unde faceret non habebat*. Mantuæ versabatur, cum extremo correptus est morbo. Discipulos in primis monuit, ut in fide beatissimi papæ Gregorii constanter permanerent; rogavitque, ut in capitulo monasterii sancti Benedicti ad Padum, id est Padolironensis, ubi monachum professus erat, sepulturæ mandaretur: quod tamen secus accidit, agente Bonizone Sutriensi episcopo & clamante, omnino decere, ut vir sanctissimus & humillimus in episcopali Mantuæ ecclesia perquam honorifice sepeliretur. Illic obiit xv. kalendas Aprilis, eidem ecclesiæ præsidente Ubaldo episcopo, ibique dominante nobilissima duce Mathilde, quæ a sancti Anselmi consiliis tota pendebat. Funus ejus sollemni pompa curatum, præsentibus præter Ubaldum Mantuanum nonnullis episcopis, scilicet Godefrido Magalonensi, Benedicto Mutinensi, Ariberto Regiensi, & Damiano cardinali Romanæ ecclesiæ, qui & ipse Nonantulensis cœnobii abbas erat. Libellum de Anselmi vita & miraculis scripsit ejus *presbyter in pœnitentia*, ut se ipse dicit, cujus nomen a littera B. incipiebat. Alterum de ejusdem miraculis adjecit Hugo presbyter Mantuanus. Ad Anselmi scripta quod attinet, memorantur in ejus vita Apologeticum pro Gregorio VII. expositio in Lamentationes Jeremiæ, & alia in Psalmos imperfecta: quibus addenda collectio canonum, tredecim libris ab eo composita.

ANN. CHR. 1086.

IV. Camaldulensium sanctimonialium primum monasterium.

Hoc ipso anno primum Camaldulensis instituti sanctimonialium monasterium conditur in municipio Luci, territorio Mucellano, diœcesis Florentinæ, sub titulo sancti Petri, agente Rodulfo Camaldulensis eremi priore, qui illic Beatricem primam priorissam, ut vocant, instituit. Hunc locum [a] ex donationibus Camaldulo factis idem Rodulfus dotavit, ea conditione, ut illæ sanctimoniales sacræ eremo semper subjectæ essent: secus vero, earum possessiones ad sacram eremum reverterentur. Hunc locum in primis illustravit Cunidia uxor Gothidii, Luci & Cantomeruli comitis, ex cujus testamento hæc bona Camaldulo provenerant. Hoc institutum probavit Rainerius Florentinus antistes, eique decimas sibi debitas relaxavit. Eisdem sanctimonialibus munificam se præbuit Zabulina, Lundulfi comitis uxor, quæ & ipsa earum cœtui se se adjunxit.

[a] Hist. Camald. lib. 1. c. 55.

V. S. Victori datur ecclesia B. Mariæ de Monachia.

Narbonensem ecclesiam tunc temporis regebat Dalmatius archiepiscopus, qui hoc anno suburbanam sanctæ Mariæ ecclesiam, vulgo de Monachia [*] dictam, cum suis adjunctis, a Simoniacis & Nicolaitis ad id tempus possessam, Deo [b] & sanctæ Mariæ, sanctoque Victori ac cœnobio Massiliensi, & Richardo abbati, ejusque monachis in perpetuum concessit: *ut monachi ibi possint Deo quiete vivere*; & ut ipse Dalmatius *possit habere adjutores & cooperatores religiosos viros*, cum quibus ipse & successores sui *opus Dei perficere* possint. quod ut ne a successoribus suis violetur, sub gravi interminatione vetat. *Facta carta donationis hujus*, XIIII. *kal. Maii, anno ab incarnatione Domini* M LXXXVI. *indictione* VIIII. His litteris apposita sunt signa Willelmi episcopi Tolonensis, Arnaldi abbatis Castrensis, & Willelmi abbatis Psalmodiensis, Raimundi comitis Ruthenensis & Narbonensis. Dalmatii sigillum haud dubie pro signo erat. Has litteras sequuntur aliæ, ab eodem archiepiscopo post biennium datæ, quibus ratam habet hujus ecclesiæ donationem sancto Victori factam, « quam sub regimine & ordinatione Massiliensis abbatis vult in posterum consistere, « maxime quia Massilienses fratres eam a summa paupertate & misera captivitate relevaverant. Hæc ecclesia hactenus perstat sub congregatione sancti Mauri.

[*] N. Dame de la Mourguié.

[b] Baluz. append. ad conc. Narbo. p. 80. & seqq.

VI. S. Savini Levitani reformatio.

Ex eodem sancti Victoris cœnobio orta est restitutio disciplinæ regularis in monasterio sancti Savini in Levitania [*], diœcesis Tarbeiensis. Ejus rei auctor fuit Centullus Bigorritanus comes, qui hoc monasterium, a monastica religione prolapsum in pristinum statum reformare cupiens, Richardo abbati, & monachis Massiliensibus illud commisit, secundum consuetudines Massiliensis cœnobii regendum & corrigendum, assentientibus Bernardo episcopo Tarbeiensi, Odone tum sancti Savini abbate, aliisque istius regionis primoribus viris. Ejus rei litteræ datæ sunt anno M LXXX. kalendis Aprilis. Earum effectum retardarunt non modo rex Aragonensis, sed etiam circumjacentes accolæ, maxime Caldarenses, qui Massilienses a recuperatione monasterii possessionum, quas invaserant, hostiliter arcebant. Sed tandem Ebrardus hoc anno electus abbas, apud Centullum comitem satis egit, ut finem his turbis imponeret. Vocati itaque ad judicium invasores, cum nullum suæ invasioni colorem afferre potuissent, causa ceciderunt, & ablata sancto Savino restituere compulsi sunt. Deformatum bellicis hæreticorum tumultibus & fere eversum monasterium instauraverunt monachi congregationis sancti Mauri, sub qua hactenus viget.

[*] la Vallée de Lavedan.

VII. Calmeliacenses abbates.

Sub finem hujus anni decessit in Calmeliacensi sancti Theotfredi monasterio Willelmus abbas, ejus nominis tertius, cujus præclara in superioribus facta præstrinximus. Morte imminente, fratres ad concordiam cohortatus, de substituendo quamprimum successore eos admonuit, eumque designavit. Ejus obitus idibus Septembris in chronico monasterii notatur. Mox accitus ille, qui abbas designatus ab eo fuerat absens, unanimi fratrum consensu eligitur, Willelmus itidem nomine; idemque sequenti die, quæ sancti Thomæ apostoli festivitas erat, ad Aniciensem beatæ Mariæ ecclesiam confirmandus & benedicendus adducitur. Aberat tunc a sua ecclesia Ademarus episcopus, utpote ad sacra loca profectus: cujus vice electum, ab Aniciensi approbatum capitulo, Hugo Gratianopolitanus præsul ante altare beatæ Mariæ abbatem ordinavit anno M LXXXVII. Inde ad suos reversus Willelmus, commissi sibi gregis profectui, tam in temporalibus, quam in spiritualibus indefesse allaboravit. Ecclesia variis ornamentis ab eo decorata, bibliotheca libris instructa, totumque fere monasterium novis ædificiis instauratum, cellarium scilicet, capitulum & dormitorium, quod centum lectos separatim capiebat. Denique, cum animadverteret

ANN. CHR. 1056.

vir prudentissimus, quam necessaria sit veterum instrumentorum custodia ad asserendas monasterii possessiones, omnes chartulas in unum codicis corpus redigi curavit per unum e suis monachis, qui breve chronicon eidem codici inseruit, ex quo ea fere omnia, quæ hactenus de eodem monasterio retulimus, accepta sunt. Compilator ille, cujus nomen ignoratur, collectionem suam in duos distinguit libros, resecta verbosa superfluitate quorumdam instrumentorum, necnon imprecationibus adhiberi solitis, quas ex decretis canonum & Romanorum pontificum facile suppleri posse dicit. De pontificiis diplomatibus ab eodem Willelmo impetratis inferius agemus.

VIII. Gerardi prioris Caritatis obitus.

Pervenit saltem ad hunc annum venerabilis Gerardus, prior & fundator monasterii Caritatis ad Ligerim sub congregatione Cluniacensi. Id colligere licet ex libro de miraculis sancti Nicolai episcopi, necdum vulgato, quem quidam Beccensis monachus & æditûus, haud dubie Nicolaus nomine, ineunte sæculo undecimo scripsit. Hic sub finem libri, de cella Caritatis & de Gerardo ejus auctore loquitur in hunc modum: *Cluniacensi cœnobio subest quadam cella, quæ dicitur Caritas, in qua primum præpositus constitutus est vir nobilis & religiosus, nomine Girardus, qui regimen ejusdem ecclesiæ tenuit plusquam triginta annos.* Hæc cella [a], ut superius dictum est, condita fuit anno MLVI. adeoque Gerardus, ejus auctor ac primus prior, qui annis amplius triginta eam rexisse dicitur, ad hunc saltem annum pervenit. Ejus tamen obitus anno sequenti collocatur in chronico [b] Vizeliacensi. Eximiæ ejus caritatis exemplum jam [c] retulimus, qui cum non minus quam centum fratres quotidie in monasterio alendos haberet; nullum tamen mortalium illac, quæ via publica est, transire permittebat, quin eos ad hospitandum non invitaret modo, sed etiam pertraheret; & ad subveniendum iis, qui penuria laborabant, *ad tria vel quatuor millia solidorum* mutuatus est.

[a] lib. 60. n. 73.

[b] Labbe to. 1. bibl. p. 396.

[c] lib. 66. n. 103.

IX. Caritatis cellæ.

Hæc cella alias non paucas sibi subjectas ab initio habuit, habetque etiam nunc quinquaginta-duas, quarum priores olim ad capitulum generale in pervigilio assumtionis eo conveniebant. In his cellis una fuit in quadam pagi Brigiensis possessione, *quæ Crux dicitur.* quæ possessio a quodam viro illustri data est venerabili Girardo, ut illic suorum monachorum cœtum institueret. Istuc complurium monachorum colonia ab eo deducta, quibus religiosum quemdam & ferventem in ordine suo virum præposuit. Adveniente sancti Nicolai festivitate, priorem illum interrogant fratres, an historiam sancti Nicolai propriam in vigiliis decantarent. Negavit ille, causatus apud Cluniacum, unde forsan assumtus erat, eam non cantari. Hi vero reponunt eam cantari in monasterio Caritatis, ex instituto domini sui Gerardi prioris. Ille vero ad hæc respondit, eos esse Cluniacenses, nec aliud apud se, quam Cluniaci, cantandum. Instant nihilo minus fratres tertium usque, ut ritus Caritatis prævaleret: at prior a verbis ad verbera venit, eosque virgis ob contumaciam cædi fecit. sed id non tulit impune vir bonus. Nocte enim subsequente, cum se sopori dedisset, a beato Nicolao tam diu flagris cæsus fuisse dicitur, dum antiphonam, *O Christi pietas*, quæ de sancto Nicolao erat, cantare compulsus est. Hoc cantu excitati fratres, priorem dormientem & cantantem stupefacti circumsistunt. qui expergefactus, eis innuit, ut ad strata sua redirent. Tum prima luce, cum loquendi tempus adesset, rem totam eis exposuit, ac dubitantibus humeros vibicibus conscissos ostendit. Postea cum aliquot fratribus ad Gerardum priorem profectus, petiit se officio prioris eximi. Et qua de causa? inquit Gerardus. Nimirum, ait ille, quia fratres acriter me verberari fecerunt. Commoto hac de re Gerardo, factum enarravit prior, & verberum plagis dicto fidem fecit. quo audito, Gerardus prædictam antiphonam cantavit, & per omnes cellas suas historiam sancti Nicolai cantari præcepit. Hæc ex Beccensi illo monacho, præter quem nulla nobis superest notitia de cella illa Crucis, sita in pago Brigensi, ubi nulla alia est cella Caritati subjecta, præter Radoliensem, sancto Paulo apostolo sacram, & Sezannensem, quæ sanctum Julianum patronum agnoscit.

Alia Caritatis cella insignis est apud Longam-villam, opidum diœcesis Rotomagensis in Caletis * ad Seiam * fluviolum, in qua olim viginti-sex monachi esse debebant. Conditorem agnoscit Gualterium-Gisfardum, ejus nominis primum, quo adjutore Willelmus dux Normannorum ad conquirendum Angliæ regnum usus est. Non confundenda hæc cella cum villa cognomine, quæ anno M XII. Gemeticensi

* le païs de Caux.

* la Sie.

monasterio [a] tributa fuerat a Berno seu Bernone abbate Burguliensis cœnobii, cui Emma comitissa hunc locum antea donaverat. Aliarum Caritatis cellarum indicem vide sis in Bibliotheca Cluniacensi.

ANN. CHR. 1086.
a V. lib. 55. n. 68.

X. Girardi successores.

Venerabili Girardo in regimine Caritatis successit Wilencus, cujus meminit Hugo monachus in actis sancti Hugonis abbatis Cluniacensis. Cum esset apud Nantuacum vir sanctus, venit nuntius qui diceret, obiisse Wilencum, qui fuit prior Caritatis. Mox pro defuncto missam celebravit piissimus abbas: cui inter sacra revelatum est, non Wilencum, sed Orium monachum obiisse. Ibi tunc aderat Odo episcopus Ostiensis, ex Germanica legatione revertens, qui, nuntio ad monasterium Caritatis misso, rem ita, ut vir Dei dixerat, se habere intellexit. Id contigit anno præcedente [b], quo Wilencus necdum prior erat, vivente adhuc Girardo. Rotbertus Nivernensis comes omnes donationes monasterio factas ex rebus suæ ditionis anno M XCIV. confirmavit; ob idque *equum unum optimum a priore domno Wilenco accepit. Actum publice apud Marchiam* [*] *castrum sub præsentia domni Wilenci prioris, Ludovici quoque atque Giraldi monachorum.* Hoc castrum prope Caritatem ad Ligerim positum est. Wilenco successit Imarus seu Igmarus, in litteris sacris maxime versatus, ex monacho sancti Martini de Campis factus Ordinis custos, dein prior Caritatis, inde Monasterii-novi apud Pictavos abbas, Oldrico in ejus locum apud Caritatem substituto; ac demum cardinalis, de quo plura suo loco. Oldricum priorem excepit Theotardus, cujus una exstat epistola [c] ad Petrum Venerabilem, qui duas ad eum rescripsit. Post Rainaldum Theotardi successorem Caritati præfuit Rodulphus de Soliaco, Theobaldi Campaniæ comitis agnatus, postea Cluniaci abbas, inde rursus Caritatis prior.

b V. lib. 66. n. 92.
* les Marches.
c Pet. Ven. lib. 1. ep. 5. & seqq.

XI. Anastasii monachi obitus.
d V. lib. 63. n. 19.

Jam annus fere tertius erat, ex quo Anastasius [d] monachus in eremo versabatur: cujus tanta sanctitatis opinio erat, ut circumpositi accolæ ad eum turmatim accederent, pœnitentiam & salutaria ab eo monita accepturi. at ille prædicandi ac pœnitentes suscipiendi facultatem sibi concessam non esse dicebat. Exacto in solitudine triennio, venerabilis Hugo abbas eum revocavit Cluniacum, scriptis ad ipsum litteris, quibus eum ad revisendos fratres hortabatur. Mox ille ad iter se accingit: sed febri in via correptus, in loco, quem Devotas [*] appellant, diœcesis Rivensis [*] morbo ingravescente cursum consummavit XVII. kalendas Novembris, ibidemque in basilica sancti Martini sepultus est, miraculis subinde illustratus.

* Doydes.
* Rieux.

XII. Lis de cella Domnæ-Mariæ.
e Neustria pia p. 311.

Exstat in pago Belismensi, diœcesis Sagiensis, cella de Domna-Maria, quam Albertus, pater Arnulfi Turonum archiepiscopi, monachum apud Gemeticum professurus, eidem abbatiæ contulit, Rotberti regis principatu factus demum abbas Miciacensis cœnobii apud Aurelianos. Post annos fere sexaginta [e] Fulco Miciacensis abbas litem de hac cella movit adversus Guntardum & monachos Gemeticenses. Ad hanc finiendam hoc anno convenerunt ad placitum Rotberti de Belismo ambo abbates, adstantibus multis abbatibus ac baronibus, quorum judicio decretum est, ut Gemeticenses antiqua possessione fruerentur. Huic placito interfuere Rotbertus abbas Sagiensis, Mainerius abbas sancti Ebrulfi, & Johel abbas sancti Petri de Cultura.

XIII. S. Petro de Cultura facta donatio.
* vulgo Sourches.

Dum Cenomannensi sancti Petri de Cultura monasterio præesset Johelus abbas, quem a Gregorio VII. restitutum diximus, accidit, ut Patricius de Cadurcis [*] Gaufridum puerum, filium Gaufridi de Brullone, occideret. Is cædis expiandæ causa ecclesiam de Bernaio, necnon cœmeterium, decimam & terram altaris Gaufrido dedit. Gaufridus vero eam Deo & sancto Petro, ejusque monachis pro anima filii sui donavit, ita absolute, ut nullum alium, *præter Deum*, illic dominum agnoscerent, annuente Patricio de Cadurcis cum uxore sua Mathilde. Monachi autem pro defuncto *mille missas* cantasse dicuntur. Postea, cum idem Patricius mare trajicere vellet, ipse & filius ejus Hugo hoc donum confirmarunt, præsente Odone Culturæ abbate, qui Johelo successerat. Haud scio an idem sit Patricius de Cadurcis, Hugonis de Matriniaco filius, qui, cum monachus apud Culturam factus est, parochiam & terram suam Lavarriaci [*] sancto Petro dedit, consentientibus filiis suis, Hugone & Goffrido; necnon comitibus Gaufrido Andecavensi & Fulcone Vindocinensi ejus nepote. Eodem tempore Rainaldus sacerdos, ipsius Patricii consanguineus, ibidem monachus factus est. His adjungendus Enoch, frater Heliæ comitis Conomannensis, qui Helias quædam prædia *pro monachatu Enoch fratris sui* sancto Petro largitus

Mille missæ.
* Lavarré.

ANN. CHR. 1086. est in præsentia Hoelli Cenomannensis episcopi, & Juhelli abbatis Culturensis, *qui, quasi in materno gremio, fratrem meum*, inquit comes, *cum summo honore & jucunditate in monasterio suscepit.*

Berno Vindocini abbas. Quod dicitur de mille missis pro defuncto celebratis, idem quoque non semel eodem tempore factum legitur in monasterio Vindocinensi, cujus abbas Berno, Davidis successor, IX. kalendas Maii hoc anno ordinatus [a] memoratur: qui post annos septem baculum pastoralem, ætate & ægritudine confectus, Goffrido resignavit. Ipso Bernonis ordinationis anno pridie kalendas Martii obiit Burchardus comes, bonæ indolis adolescens, filius Fulconis comitis, Ansetuli cognominati.

a *Labbe bibl. to. 2. p. 288.*

XIV. Godefridus Novigenti abbas. Novigentensem pagi Laudunensis abbatiam cum Remigiana & Humolariensi ad hunc usque annum retinuit Heinricus abbas, cujus munificentia locus iste non parum crevit. Idem multa contulit ad ejus ecclesiæ dedicationem, quæ ab Helinando Laudunensi episcopo facta est. Verum, cum ætate gravis, & oculis præ senio captus esset abbas, hanc Novigenti abbatiam, quæ sine multa sollicitudine procurari non poterat, abdicare statuit, & cuidam *nepoti* suo committere tentavit. at monachorum vota in alium convenerunt, scilicet Godefridum, conterraneum suum, sancti Quintini apud Peronam monachum, de quo [b] jam sæpius actum est. Eo abbate magnopere aucta est monasterii res familiaris, donationes certatim conferentibus illarum partium incolis ob religionis studium, quæ illic amplius, quam in circumpositis monasteriis, vigebat. In primis simoniæ crimen perosus vir Dei, *exclusis mercimoniis*, inquit Guibertus [c], nimirum in suscipiendis novitiis, *solam admisit gratiam, lucri turpis & opus & nomen* exsecratus.

b *V. lib. 65. n. 10. & 66. n. 3.*

c *Guibert. lib. 2. de vita sua c. 2.*

Godefridi abbatis electionem & præclara facta luculentius commemorat in ejus vita Nicolaus monachus in hunc modum. Ingelrannus comes, castelli Codiciaci dominus, pater Thomæ de Marla strenui comitis, necnon Helinandus præsul Laudunensis, cum animadverterent, Novigenti monasterium nec spiritalibus, nec temporalibus bonis ab Heinrico abbate augeri, quantum vellent; eum magnopere interpellarunt, aut accuratius id efficeret, aut illius præfecturam abdicaret. quippe se nolle amplius ejus loci pati detrimenta, quorum studio & beneficiis fundatus esset. Ille vero tum adversa valetudine, tum ingravescente ætate compulsus, Novigentensibus liberam permisit eligendi abbatis facultatem. Mox illi, communicato cum Rainaldo Remorum archipræsule, & provincialibus episcopis consilio, Godefrido, compertæ integritatis ac virtutis viro, hoc onus communi sententia imponendum decernunt. quod rex Philippus probavit, missis ad Godefridum sancti Quintini de Monte abbatem litteris, quibus eum hortabatur, ut Godefridum monachum suum ejus rei causa illuc mitteret. quod ille ægre admodum exsecutus est, perducto ad urbem Laudunum Godefrido, ubi ab Helinando episcopo ordinatur. Cum Novigentum pervenisset novus abbas, nonnisi sex monachos & duos puerulos illic invenit, nihil ibi vini aut annonæ, cellas admodum humiles & angustas; omnia fere dumetis & tribulis obsita. quibus succisis & exstirpatis, ædificia monachis opportuna & accommoda exstruxit. Insuper domum ædificavit, in quibus pauperes & infirmi reciperentur, quibus fovendis terras & vineas assignavit, quotidie hanc domum frequentare solitus, ut pauperum pedes ablueret, vestes eis præberet, & defunctos sepulturæ mandaret. Tum multi ad eum confluere cœperunt, in his duo eximii patres, Lambertus scilicet cœnobii Floriniensis, & Waldradus sancti Nicolai de Ribodi-monte abbates, qui, nativo solo & monasteriorum regimine relicto, in ejus disciplinam concesserunt. Ea porro Godefridi abstinentia erat, ut solis herbis virentibus vel arborum fructibus corpusculum sustentaret, cum aliis congrua fercula exhiberi curaret; indignatus aliquando coquo, quod herbis præter salem & aquam, nonnihil panis albi intrivisset. Ceterum ejus monita ad discipulos hæc fere erant, ut sedulo cogitarent, unde vel qua causa venissent; quo tenderent, & qua irent. deinde, ut nihil sibi peculii vindicarent, voluntatem propriam frangerent; puritatem cordis, oris veritatem, & corporis munditiam momentis omnibus Christo exhiberent; & caritatis glutino inter se conjuncti, summopere curarent, ut ne quis in ipsos hostilibus insidiis pateret accessus.

XV. Nobiles feminæ ejus consiliis reguntur. Neque vero viris tantum, sed etiam muliebri sexui profuit Godefridus. In primis Adelheidis, castri Codiciaci vicecomitissa, ejus sermonibus egregie instituta, facultates suas magna ex parte in egenos erogavit, &, spretis sæculi pompis, Novigentum

ANN. CHR. 1086.

ſeceſſit, ibidemque in magna ſanctitate perſtitit, quoad Godefridus ad epiſcopatum Ambianenſem promotus eſt. Illic tabulam inſignem in altari beatiſſimæ Virginis, & conſimilem in Noviomenſi ſancti Eligii eccleſia fieri curavit.

Sed præ ceteris celebris fuit nobilis quædam matrona, Viveta nomine, illuſtri apud Flandros orta genere, quæ ad Sueſſionenſe beatæ Mariæ cœnobium, contemtis ſæculi honoribus & carnis illecebris, ſe recepit: ubi ſumto velamine, annos triginta in magna vitæ diſtrictione exegit, cilicio & inedia carnem domans, pane tantum & aqua ac leguminibus corpus ſuſtentans. Erant autem ei tres filiæ, una Ida nomine, altera Helvidis, tertia Havidis: quarum natu major vix undecim ætatis annos attigerat. Omnes una ſecum Chriſto conſecravit. Hæc vero ita ſe totam Godefridi ſubmiſerat directioni, ut nihil eo inconſulto ageret. Forte accidit, ut ad procuranda monaſterii negotia mittendus eſſet quiſpiam ad Teutonum regionem. Beatæ Mariæ parthenoni tunc præerat poſt Ermengardem abbatiſſam Ogiva, quæ ad hanc provinciam nullam magis idoneam invenit perſonam quam Vivetam, utpote quæ Teutonicam linguam callebat. Hæc antequam iſtud iter aggrederetur, Godefridum adeundum & conſulendum cenſuit. Inde, accepta benedictione, ſilvam ingreſſa, quæ Chirifiacum * inter & ſanctum Paulum interjacet, incidit in manus latronum: qui nulla ſacræ profeſſionis aut muliebris ſexus reverentia, eam ſpoliant, atque itineris comites in vincula conjiciunt. Mox illa ad magiſtrum ſuum reverſa, eum obteſtatur, per merita ſancti Nicolai, cujus eo die feſtum recolebatur, ut pro captivorum liberatione precibus inſiſtere ne gravaretur. Ille vero non eum ſe ait, per quem Deus id genus miraculi operari dignaretur. Urget nihilo minus pia matrona, evincitque, ut ad oratorium Deiparæ preces fundat, dum ipſa pariter procumbit ad altare, in quo imago Chriſti Domini cernebatur. Ad eorum preces vincti divinitus ſolvuntur, carceris oſtia patefcunt, & captivi Novigentum advolant. qua re attoniti latrones, ad correptionem Godefridi reſipiſcunt, & ablata reſtituunt. Tandem Viveta Jeroſolymam, qui mos tunc fervebat, profecta, dum nudis pedibus ſacra loca perambulat, demum corporis adverſa valetudine & longitudine itineris attrita, inde ad cæleſtem Jeruſalem feliciter migravit.

* Quierzy.

XVI. S. Baſoli abbates.

Tunc temporis monaſterio ſancti Baſoli poſt Stephanum abbatem præerat Burchardus primus, cujus rogatu Rainaldus Remorum archipræſul ſeptem altaria ſancto Baſolo conceſſit, ac privilegia Lotharii regis, necnon Ebali, Odalrici & Manaſſæ archiepiſcoporum confirmavit. « Actum Remis anno M LXXXVI. indictione VIII. regni Philippi XXVI. archiepiſcopatus ſui tertio. » Idem abbas ab Urbano II. confirmationem omnium ſui monaſterii poſſeſſionum obtinuit, diplomate dato apud Sinueſſam XVIII. kal. Septembris, anno ab incarnatione Domini M XC. Urbani pontificatus anno tertio. Idem pontifex poſt octo annos ejuſdem loci fratribus jus eligendi abbatis confirmavit rogatu ipſius Burchardi abbatis, cui Ricberius anno M C. ſubrogatus.

Valentianis baſilica B. Mariæ conditur.

Per id tempus Balduinus Montenſium comes, cognomento Jeroſolymitanus, baſilicam ſanctæ Mariæ una cum matre ſua Richilde apud Valentianas conſtruxit, dotavitque, & clericis primum incolendam & adminiſtrandam commiſit. Verum poſt Richildis obitum idem Balduinus Dei cultum ibidem amplificare, & locum *ſacræ religioni* artius conſecrare cupiens, eum Haſnonienſi ſancti Petri cœnobio ſub manu Letberti abbatis tradidit, ſuggerente Giſleberto clerico, ejus loci proviſore, & Gerardo epiſcopo Cameracenſi annuente, ea nimirum conditione, *ut* abbas ibidem *fratres* [a] *ſub habitu monachali & norma Deo dilecti patris Benedicti Chriſto militantes conſtitueret, & tamquam propriam cellam perpetuo jure poſſideret.* Id factum hoc anno M LXXXVI. quo pariter anno Gerardus epiſcopus duo ibidem [b] altaria, unum in honorem ſancti Johannis-Baptiſtæ, alterum in honorem ſanctæ Fidis virginis cum atrio conſecravit, ipſamque eccleſiam ab omni epiſcopali & parochiali cenſu liberam & immunem fecit. His litteris præter alios ſubſcripſit Anſelmus de Ribodi-monte. Prædicta beatæ Mariæ eccleſia, olim extra, nunc intra muros, omnium aliarum ejuſdem urbis eccleſiarum princeps, ob idque Major dicta eſt, bactenus ſubjecta monaſterio Haſnonienſi, ubi Balduinus & Richildis, Jeroſolymitani parentes, humati [c] ſunt.

a Mir. notit. p. 221.

b ibid. p. 220.

c ibid. p. 227.

XVII. Affligemi & Aquicincti dedicatio.

Jam annus ab inchoato Affligemienſi [d] monaſterio effluebat, cum locum adiit Gerardus [e] Cameracenſis præſul, eumque dedicavit in præſentia Heinrici comitis, qui eumdem & libertate donavit, & terræ viginti manſis auxit. Exſtat apud Mi-

d lib. 66. n. 51.

e Spicil. to. 10. p. 591.

ANN. CHR. 1086.

a Cod. donat. c. 65.

ræum a ipsius Heinrici comitis Bracbantensis seu Lovaniensis diploma de loco, ab antiquis *Afflingem* vocato, tunc autem *Novo-monasterio* appellato, quem idem Heinricus, ejusque frater Godefridus, ejusdem loci fratribus conferunt, necnon capellam suam in Wavera subterius dictam, cum libertate eligendi, si quidem eis visum fuerit, abbatis, qui baculum, *super altare positum*, nullo contradicente accipiat. *Actum est hoc anno ab incarnatione Domini* M LXXXVI. *regni vero Heinrici regis tricesimo-quinto, præsulatus Gerardi episcopi decimo.* Heinrico comiti anno M XCV. in hastiludio apud Tornacum cæso, & Nivellis sepulto, successit Godefridus ejus frater, cognomento Barbatus, qui comitatui Lovaniensi Lothariensem adjunxit. Wavera municipium est Lovanium inter & Namucum, præpositura Affligemiensi insigne, ubi Haeftenus Disquisitiones in Regulam Benedictinam commentus est.

b Mir. orig. Bened. p. 286.

Eodem quoque tempore Aquicinctensis ecclesia b in honorem Domini nostri Jesu Christi & sanctissimæ ejus genitricis ab eodem Gerardo consecrata fuit, Alardo ejus loci abbate primo, qui anno sequenti obiit, Alelmum Becci monachum sortitus successorem, anno M LXXXVIII. mortuum non sine opinione sanctitatis: cui Hamericus Atrebatensis monachus, litteris eruditus, suffectus est. Hujus tempore Gelduinus, ex monacho Laudunensi abbas sancti Michaelis in Teorascia, abdicata præfectura, profectus est Aquicinctum, ibique reclusus vixit, Haimerici successor futurus.

XVIII. Affligemiensis pax turbata.

c Spicil. to. 1. p. 591. & seqq.

Affligemiensis cœnobii læta initia Wlbodonis infelix lapsus turbavit. Erat is ex sex c primis loci cultoribus unus, quem humani generis hostis perversis suggestionibus dementatum ad deserendos socios impulit. Ad sæculum itaque, ceu canis ad vomitum, reversus, non post multum tempus rediit ad monasterium, non pœnitentis animo, sed sextam ejus bonorum partem, quasi labore suo partam sibique debitam, repetiturus. Repulsam passus auctore Fulgentio monacho, qui ex sancti Agerici Virdunensi monasterio una cum socio Affligemium venerat; Theodericum Virdunensem episcopum adit, incusans duos ex sua parochia monachos, in Bracbantum profugos, multa convicia tam de ipso, quam de imperatore spargere. His calumniis nimium credulus episcopus, Gerardo Cameracensi episcopo mox scripsit, ut duos illos monachos de suo episcopatu quantocius expelleret. Gerardus ad hæc, etsi duobus illis fratribus uti & loco faveret; tamen propter metum imperatoris, cujus favore episcopatum adeptus erat, simul propter episcopum, quem apud imperatorem plurimum posse sciebat, mandavit fratribus ut discederent, nec ulterius in sua diœcesi remanerent. Hoc mandatum ægre ferentes duo illi fratres, ad Rainaldum Remorum archiepiscopum confugiunt, eique innocentiam suam exponunt. His auditis, Gerardo episcopo præcipit archiepiscopus, ut ab eorum infestatione abstineat, eosque in loco quietos manere sinat. sicque optata securitate potiti fratres, nullam deinceps molestiam passi sunt.

Eodem anno quidam clericus, egregiæ indolis adolescens, Arnulfus nomine, instinctu divino tactus, pusillo Affligemiensium gregi adjunctus est: qui in sancta professione annis circiter sexaginta-quatuor fideliter persistens, exemplo & industria sua multum loco profuit. Ita sensim crescebat cum religione, tum numero Affligemiensis domus, in qua mira animorum concordia, patientia laborum & ærumnarum, victus ac vestitus austeritas vigebat usque ad annum inchoati monasterii sextum, quo ex tempore tantæ religionis odor multos, tum laïcos tum clericos, eo traxit: tumque de eligendo abbate, qui eis præesset, actum est.

XIX. S. Trudonis novæ turbæ.

d lib. 66. n. 94.

e Spicil. to. 7. p. 373.

Dum hæc Affligemii gererentur, in monasterio sancti Trudonis turbæ magis ac magis fervebant in dies. Luipo quippe intrusus abbas, ab episcopo Leodicensi, ut diximus d, denuo excommunicatus, ad imperatorem iterum pergit. Interim dum rediret e, turrim ecclesiæ muniunt audacissimi juvenes ejus fautores, qui ecclesiæ ornamenta profanos in usus convertunt, & monasterii substantiam abliguriunt. His facinoribus provocatus Heinricus Leodicensis præsul, exercitum movit ad expugnandam illam speluncam latronum, ipsumque sancti Trudonis opidum, cujus opidani seditiosis favebant. Hi obsessi frequentes in exercitum episcopi faciunt excursus, ita ut episcopum longe a loco repellerent. Sed tandem eos incœpti pœnituit, invitisque illis, qui in turri erant, obsidibus datis, pacem cum episcopo componunt. Erat ab antiquo Trudonenses inter & Brustenienses grave dissidium, immo bellum quasi internecinum, quod ad mutuam utrorumque cædem sæpius vertebat. Itaque

ANN. CHR. 1086.

Brustenienses, qui pars exercitus erant, de pace inter episcopum & Trudonenses facta magnopere dolentes, postposita fide, qua episcopus obsides acceperat, eo minime conscio, per quosdam recessus in opidum irrumpunt, ibique ferro & igni obvia quæque devastant cum multa utrimque sanguinis effusione. Dein in monasterii septa perrupto muro irrumpunt: at qui iotus remanserant, admissos & ingressos trucidant, & super ipsa altaria, borrendum dictu! ipsos immolant, eorumque congesta cadavera in ardentem rogum injiciunt. Sic tota die miserabiliter pugnatum est, nec una in toto opido vel minima domus incendio superfuit. Nocte insequeote, qui de monachis supererant, fuga dilabuntur: pauci vero, qui in turre erant, tantorum malorum præcipui auctores, missis ad comitem Arnulfum *de Los* ountiis, turrim ei tradiderunt. E paucis vero monachis, qui reliqui erant, duo viri, senectute & merito veoerabiles, cum discederent, ab ipsis perfidissimis Trudooianis in via comprehensi, percutiuntur, spoliantur, & ad Leodiceosem episcopum plectendi transmittuotur. Horum unus erat Lietbertus, cujus studio bibliotheca multis libris aucta est: alter Stepelinus, qui librum de miraculis saocti Trudonis scripsit. Acta sunt hæc VIII. idus Julias hujus anni: quæ infortunia ex miraculis sancti Trudonis, & ex relaxatiooe regularis disciplinæ ex bis consecuta, monasterio imminere olim Guotramnus abbas cum mœrore varicinatus erat.

Tandem episcopus, sacri loci vastitatem miseratus, Gerardum venerabilem monachum, quem abbatem electum superius diximus, illuc remisit, ante mensem Augustum, ut fruges colligeret, templi ruinas repararet, & circa exustos monasterii parietes domunculas reficeret. qua re pro tempore & loci facultate peracta, cœperunt fratres bini & bini ad propria redire. sed illi tantum, qui Lanzooem Luiponi præferebant: Lanzo autem novissimus omnium rediit, iovisus opidanis, qui eum, veluti omnium malorum causam, aversabantur. Egit tamen ille pro virili, ut monasterium cum in rebus spiritualibus, tum in temporalibus, instauraret. Tunc Arnulfi comitis milites, relicto turris præsidio discesseruot.

XX. Mettensis quoque ecclesia turbata.

Haud fere meliori in statu erat Mettensis ecclesia, Herimanno legitimo episcopo ejecto ab imperatore, & Walone, sancti Arnulfi abbate, in ejus locum iotruso, qui Luipooi illi pseudoabbati baculum pastoralem tradiderat. Hic cum animadverteret quod nihil proficeret, pœniteotia tandem ductus, ad satisfactionem coram Herimanno & primoribus episcopatus religiosioribusque viris veoit; & io faciooris piaculum in Gorziense monasterium se recepit: ubi sub abbatis disciplina vivens, factus est puerorum custos. Postea tamen abbatiam recepit ex indulgentia Herimanni episcopi, qui ejus pœniteoria flexus, ad commiserationem compulsus est. Redacto io hanc modum ad ordinem Walone, nec sic tamen ira deserbuit imperatoris, qui statim alium intrusit io illam sedem episcopum, nomioe Brunonem, hominem oobilem, sed levissimum, cujus frater Godefridus postea comes fuit palatinus. Hic iotrusus, invasionem suam obtegere cupiens, prædictum Lanzonem abbatem ad se venire rogat: at Lanzo minime acquievit. Verum iocertus quid ageret, cum nec sancti Trudonis, nec sancti Vincentii abbatiam, Brunone sibi adversante, se retinere posse crederet, & Trudonianis se exosum sciret; clam Jerosolymam adire constituit, conflato ex sancti Trudonis rebus ad illud iter viatico, quod magnum monasterio detrimentum attulit. Quid inde consecutum sit, videbimus anno sequenti.

XXI. S. Galli rerum quis status.

Apud sanctum Gallum res æque turbatæ ac turbulentæ erant, ut jam superius [a] vidimus: at insperato Udalricus abbas quoddam laborum suorum levamen accepit. nam Aquileïensi patriarcba, Friderico scilicet, genere Sclavo, a suis occiso, Udalricus [b] io ejus locum suffectus est hoc anno, præfecturæ suæ decimo. Hioc Werinharius Augiensis monachus Udalricum sublimatum videns, a sancti Galli infestatione destitit: contra vero Bertholdus marcbio locum vexare noo cessavit, immo irruptione facta, deprædatione, & igoe eum vastavit, quosdam etiam e monachis per suos ferro vulneravit. Tanti furoris duæ causæ erant: una, quod Udalricus quamdam ejus arcem occupasset: altera quod Liutoldus ejus frater Carinthiæ ducatum, alter vero ejusdem frater marchiam Histriæ regio munere obtinuisseot. Illud etiam Sancti-Gallenses Bertholdo invisos reddebat, quod Hirsaugienses monacbi, & qui apud Scafusam & sanctum Blasium degebant eorum sodales, illos a regulari disciplina exorbitasse quererentur; atque etiam generale anatbema incurrisse, a Gregorio pontifice prolatum in eos, qui Heinrico regi adhærerent.

a *lib. 66. n. 86.*
b *Gold. to. 1. p. 124. & seq.*

ANN. CHR. 1086.

Interim cæso Hermanno Heinrici regis æmulo, & mortuo Ekkehardo Augiensi abbate, Gallensibus semper infesto, hi tantisper respirare videbantur. at nova subito tempestas orta est, Arnoldo sancti Galli monacho ab Heinrico rege, dum Mantuæ versaretur, in Constantiensem episcopatum promoto contra Gebebardum Bertholdi fratrem, quem Hermannus episcopum illic ordinari curaverat. Cum enim Arnoldum in illam urbem introducere vellet Udalricus, repulsus a civibus, quibusdam eorum ædificiis combustis recessit. quæ res cum Constantienses, tum Bertholdum marchionem in Gallenses denuo concitavit. At nihilo minus Arnoldus a Clemente antipapa Ravennæ ordinatus est, & de episcopatu per annos duodecim [a] disceptavit cum Gebehardo: qui tandem pacis causa cessit. Huic constanter adhæsit Theodericus Petri-domus abbas, ob id multis affectus injuriis ab Heinrico Sanctimontis comite, Arnoldi fratre: quæ damna Gebehardus, in sedem suam restitutus, compensare sategit, ipsumque Theodericum in confessarium suum elegit. Piget tot monachorum bella & pugnas recensere: at vitia notare paullo minus juvat quam virtutes, ut ex illorum consideratione similia posteri abhorreant.

a Chron. Constant. V. lib. 68. n. 46.

XXII. Res Anglicanæ.

In Anglia *Clito* Edgarus, id est primogenitus, Edwardi scilicet quondam regis, permissu Willelmi regis, mari trajecto, in Apuliam cum ducentis militibus perrexit. Hujus germana soror, Christiana seu Cbristina nomine, secessit in Rumesiense agri Hantoniensis monasterium, ubi sanctimonialis habitum induit. Non confundendum hoc puellare monasterium cum Ramesiensi virorum.

Malmesburiæ abbates.

Per id tempus Malmesburiensi cœnobio præerat Warinus abbas post Turoldum, quem rex Willelmus ad Burgensem abbatiam transtulerat, ut eam a latronibus, qui locum infestabant, protegeret, quippe qui magis militem ageret, quam abbatem. Huic substitutus Malmesburiæ Warinus, Lyræ in Neustria monachus, regulæ quidem magis assuetus, quam Turoldus, sed tamen monasterio parum utilis, immo potius dilapidator, si Willelmo [b] Malmesburiensi credimus, qui eum merito reprehendit, quod sanctorum corpora & reliquias parum religiose tractaverit, & temere loco moverit. Verum, viso sancti Aldhelmi, qui cæco lumen restituerat, miraculo, ad ejus venerationem commotus, sacrum ejus corpus e lapideo tumulo, in quo Danorum ob metum inclusum fuerat, præmisso triduano jejunio extulit, &, accito Osmundo venerabili Saresberiensi episcopo, in scrinio decenter componi curavit. Defuncto Warino successit Godefridus monachus Gemeticensis: cujus industria honor ecclesiæ adolevit, aucta religio, ornata ædificia, codices nonnulli conscripti, quasi quædam bibliothecæ primitiæ, quam Willelmus longe amplius ab se auctam fuisse gloriatur. Ad hæc, cultus Dei optime institutus, officia divina rite persoluta: adeo ut monasteriorum in Anglia nullum Malmesburiensi præcelleret, multaque cederent. Aderat divinis officiis abbas ipse in primis, discedebat cum ultimis; humanitate demulcens bonos, severitate reos territans; frugalitatis amans, ita ut uno ferculo contentus esset; sed tamen lauticiei nimis indulgens, ut qui nihil nisi exquisitum mensæ suæ inferri pateretur. Hæc ex Willelmo sub finem libri de vita sancti Aldhelmi episcopi, olim Malmesburiensis abbatis, cujus quædam miracula, Godefridi abbatis tempore patrata, commemorat.

b Angl. sac. to. 2. p. 40.

ANN. CHR. 1087

XXIII. Victoris III. consecratio acta & obitus.

NEmo umquam in recusando pontificatu constantior, ne dicam pertinacior fuit, quam Desiderius Casinensis abbas, qui, post frequentes per unum amplius annum recusationes, vix anno insequente M LXXXVII. se pontificem ordinari passus est. Hic enim, peracto Capuæ conventu, per biduum sollicitatus ut pontificatum resumeret, supplicibus tandem episcopis & cardinalibus cessit, & superiora comitia, cruce & chlamyde resumta, confirmavit. Inde, Casini paschate celebrato, ad Urbem progressus, æde sancti Petri, quam Clemens antipapa tenebat, in potestatem redacta, VII. idus Maii, dominica post ascensionem, ab Odone Ostiensi, atque a Portuensi & Albanensi episcopis consecratus, & in sede beati Petri collocatus est. Post octiduum Casinum revertit: at rogatu Mathildis, quæ colloquendi cum eo causa Romam venerat, Urbem repetiit, & ab ipsa ejusque exercitu officiosissime exceptus, per octo dies in Vaticano mansit. Dein festo die sancti Barnabæ rem divinam in basilica sancti Petri fecit, eodemque die auxilio Mathildæ Urbem recepit. In natali apostolorum cum Clemens in æde sancti Petri sacra facere frustra tentasset, in basilica beatæ Mariæ de Turribus, quam vulgus Rotundam vocat, celebravit. His actis,

Victor ingentem exercitum conduxit adversus Sarracenos Africam infestantes, de quibus insignis reportata victoria est, eodem die, quo patrata est, in Italia nuntiata. Inde adversus Clementem, ejusque asseclas conventum Beneventum indixit, in quo antipapam cum suis fautoribus anathemate perculit, & insuper Hugonem Lugdunensem archiepiscopum, atque Richardum abbatem Massiliensem, qui ab ipso secessionem fecerant, a communione removit. Denique episcopatus & abbatias de manu laïca accipi districte prohibuit.

In eodem conventu pontifex graviter infirmari cœpit, indeque post triduum festinato rediit ad Casinense monasterium, cujus possessiones confirmavit. Tum Oderisium monachum religiosissimum, Romanumque diaconum, qui tunc monasterii præpositus erat, vice sui abbatem, consentientibus fratribus, constituit. Post hæc, urgente morbo, convocatis ad se episcopis & cardinalibus, Odonem Ostiensem episcopum successorem suum designavit, seque in abside capituli sepeliri jussit, ac post triduum hoc anno ad Dominum migravit XVI. kal. Octobris, apposito ad ejus tumulum epitaphio, quod apud Baronium videre licet, & in ejus actis a nobis relatis ex chronico Casinensi, ex quo hæc omnia retulimus. Hinc falsi convincitur Hugo Flaviniacensis, cum ait, Victorem, cum missas apud sanctum Petrum celebraret, infra « actionem judicio Dei percussum fuisse, atque errato cognito, se ipsum deposuisse, « accitisque qui secum erant Casinatibus monachis præcepisse, ut corpus suum eo de- « ferrent, & in capitulo, non ut papam, sed ut abbatem sepelirent. quæ quidem falsi « manifeste arguas, cum Victor, non Romæ, sed Casini mortuus sit, nec aliud de pontificatu statuerit, quam quod statuerat Gregorius ejus antecessor, designato scilicet successore, quem pontificatu digniorem censeret. Mitto apologistam Heinrici IV. Gregorio infensissimum, adeoque Victori, quem Sergium abbatem vocat, atque cum ex dysenteriæ morbo solutum defecisse. Ejus ossa e capitulo in sacellum sancti Berthanii abbatis ante annos centum & quinquaginta translata sunt.

XXIV. Ejus scripta & discipuli.

Nonnulla scripsit Desiderius cum abbas esset, quædam etiam pontifex. Habemus ex schedis nostris unam ejus epistolam A. imperatrici inscriptam, qua eam adhortatur id relevandum tributum peregrinis impositum, qui ad sacra loca properabant. At fallor, si error in ejus epistolæ titulum non irrepsit; nec dubito, quin hæ litteræ Alexio tunc temporis Constantinopolitano imperatori, non vero cuivis Orientis aut Occidentis imperatrici scriptæ fuerint. Certe nemo nescit Alexium, non modo exercitibus ad sacras expeditiones properantibus, verum etiam ipsis peregrinis ex Occidente adventantibus insidias tetendisse. Ejus autem avaritiam probat hæc ipsa bulla aureis litteris exarata, qua fatetur se in angustiis redactum donaria sacra e templis abstulisse. Vetat quidem ibi ne id in posterum fiat; sed si ab ecclesiis spoliandis postea abstinuit, non tamen eum a vexandis peregrinis moderatiorem fuisse probant ea, quæ illorum temporum historici passim referunt. Ut ut fuerit, hanc epistolam in appendice, prout eam invenimus, referre visum est. Præcipua vero Victoris lucubratio est de miraculis sancti Benedicti & quorumdam monachorum Casinensium, quæ quatuor libris scripsisse dicitur, tametsi tres tantum ad nos pervenerunt. Ex iis monachis unus est Guinizo, qui ex ulteriori Hispania Casinum profectus, ibidem etiam præpositi officium gessit. Inde in vicinam silvam secessit, ubi solitariam non exiguo tempore vitam ducens, piissime decessit. Hujus discipulus Januarius nomine, ferrum candens illæsa manu tractavisse dicitur. Hæc aliaque in primo libro. In secundo laudatur Felix monachus, qui cæco lumen restituit; Gregorius, summæ religionis monachus, e cujus tumulo miri odoris fragrantia manavit; Azzo item religiosissimus monachus, a sancto Michaële, cujus ecclesiam in Valle-regis instauraverat, in cælum assumtus; Stephanus quoque Veneticus, qui cælum conscendere visus est, uti & Paulus sanctæ conversationis monachus; & Johannes, qui relicto regimne monasterii ad proximam silvam secessit. His adde Rainerium, eximiæ obedientiæ monachum, qui abbatis sui mandato ad Teanense territorium quorumdam negotiorum causa profectus, a latrunculis occisus est, ejusque tumulus miraculis illustratus. In tertio denique libro agitur de Alferio, Cavensis monasterii primo abbate ac de Leone ejus successore, necnon de Ossa sancti Petri apud Beneventum abbatissa, de quibus in superioribus actum est.

XXV. Aldemarii abbatis acta.

His adjungendus Aldemarius Capuanus, Sapiens cognominatus, ex monacho Casinati factus abbas monasterii sancti Laurentii in Capuana urbe, quod Aloara, olim

ANN. CHR. 1087.

conjux Pandulfi principis, cogoomento Capitis-ferrei, sub finem sæculi decimi exstruxerat. Discordia orta ioter Capuæ dominum & Casioensem abbatem, qui Aldemarium peoes se habere volebant; ipse Bovianam * urbem petiit, ubi miracula quædam, uti Capuæ, patravit. Inde ad monasterium sancti Liberatoris, quod ad radicem montis Majellæ positum erat, discessit, ibique brevi tempore permansit. Postea ad locum, qui sanctæ Euphemiæ dicitur, profectus, monasterium condidit, ibique magnum monachorum numerum aggregavit, quos abbatis nomine rexit. Alia quoque cœnobia io Theatina provincia ædificasse perhibetur, uoum etiam magnum in Boclanico [a] Aprutii citerioris opido, ubi vir sanctus religiose colitur. Tandem vir Dei, virtutibus & signis clarus, ad mœnia opidi, quod sanctus-Martinus dicitur, morbo interceptus, ad cœlum migravit: cujus corpus monachi ejus ægre ab opidanis obteotum, in monasterio suo extra muros ecclesiæ decentissime, ut par erat, humaverunt. *miraculorum patrator egregius* dicitur in chronico Casinensi. Alias fuit Aldemarius, itidem Capuanus, Richardi principis olim notarius, de quo mox agemus.

* *Boiano.*

a *Chron. Casin. lib. 3. c. 56.*

XXVI. Oderisius Casini abbas.

Quod spectat Oderisium ejus nominis primum, quem Victor in regimine Casinensis monasterii sibi successorem institui curavit; erat is ex nobili Marsorum comitum stirpe, Casini admissus a Richerio abbate, qui eum pietatis officiis, divinis lectionibus & regulari disciplinæ maxime intentum animadvertens, abbatialem ei dignitatem portendit. Jam Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis erat, cum abbas reountiatus est, eoque nomine Urbani II. electioni anoo sequenti interfuit. Eo abbate multæ Casino donationes factæ. Io his Alexius imperator vestem imperialem deauratam sancto Benedicto obtulit. Ejus tempore Sicelgaita, Rotberti Guiscardi conjux, Casini in atrio basilicæ sancti Petri humara est. Ibidem sepultus est Jordanus princeps Capuanus, uti & Ebalus [b] Veotadorensis comes, qui Jerosolymis reverteos, Casini morte interceptus, sepulturæ mandatur. Haud scio ao ex illis crucesignatis erat, qui in Orientem profecturi, magno numero Casinense monasterium adieruot, ut sancto Benedicto, ejusque fratribus se commendareot; indeque Barim profecti sunt. Ex his fuere Rotbertus Flandriæ comes, Rotbertus dux Nortmannorum, Hugo Magous, Philippi regis frater, & Guillelmus Marchisii filius, alique plures, ut Petrus diaconus tradit in chronico Casineosi ab ipso cootinuato, qiod Leo Marsicanus Oderisii jussu inchoavit, & ad libri tertii caput tricesimum-quintum prosecutus est.

b *Labbe bibl. to. 2. p. 291.*

XXVII. Leo Marsicanus.

Dum hic sumus, de Leone Marsicano agendum. Fuit is apud Marsos ortus, & forte ex ipsa urbe Marsia, quam *civitatem Marsicanam* non semel vocat, uode Marsicani cognomen tulit. Cujus geotis fuerit, noo liquet; at oobilem genere fuisse ex eo intelligitur, quod Johannem, *sanctæ memoriæ* Soranum episcopum, *avunculum* [c] suum dicit. Hunc *vixdum quatuor & decem annos* [d] *egressum*, Desiderius abbas in sacro Casinensi monasterio *suscepit, instruxit, enutriit ac provexit.* Illic *in conversione* [e] magistrum habuit Aldemarium, *felicis memoriæ*, ut ipse loquitur, *Capuanæ civitatis prudentissimum ac nobilem clericum, & Richardi principis olim notarium;* qui io Sardiniam cum fratribus abbatis nomine missus, postquam reversus ad mooasterium est ab Alexandro II. in extramurana sancti Laureotii ecclesia cardinalis simul & abbas sacratus fuisse memoratur. Mortuo Desiderio seu Victore III. Oderisius, ejus inregimine Casinensi successor, Leoni præcepit, ut *sanctæ memoriæ abbatis Desiderii magnifica gesta*, aliorumque Casinatium abbatum litteris maodaret. quod ille exsequi aliquamdiu distulit, utpote *in servitio domni apostolici*, scilicet Urbani II. jussu ipsius Oderisii & ab ipso Oderisio *in diversis negotiis occupatus*, ut Leo ipse commemorat in prologo chronici sui, quod *domino & patri sanctissimo, venerabilis cœnobii Casinensis abbati Oderisio, frater Leo, cognomine Marsicanus*, inscribit: ubi ait, hoc opus olim Alfano archiepiscopo Salernitano, viro sui temporis sapientissimo, a Desiderio abiate injunctum fuisse; sed eum operosioris argumenti periculo se subduxisse. Hoc in opere Leo usus est quodam chronico Johannis abbatis, qui primus in Capua-nova monasterium Casinatibus exstruxit. Opus suum Leo dividit in tres libros secundum tres præcipuos abbates, qui Casinense monasterium instaurarunt, quasi totidem a sancto Beoedicto ejus fundatores. Hi suot Petronax, Aligerous, & Desiderius, in quo auctor definit. attamen Desiderii acta omnia non absolvit, sed Petrus diacoous Leone longe gravitate & auctoritate inferior, qui librum tertium a capite xxxv. ut nodo

c *Chron. Casin. lib. 2. c. 16.*

d *ibid. in prolog. lib. 3.*

e *ibid. lib. 3. c. 26.*

dicebam, prosecutus est, & totum quartum adjecit. Hunc quidem Leo pollicitus erat, sed promissum non implevit, sive morte præventus, sive aliis distentus negotiis, postquam scilicet creatus est episcopus Ostiensis a Paschali II. Obitus ejus in necrologio Casinensi notatur his verbis: XI. *kal. Junii obiit veneranda memoriæ domnus Leo Hostiensis episcopus.* Angelus a Nuce eum pervenisse putat ad annum M C XII.

XXVIII. Amatus, Constantinus & Guaiferius Casinates.

Petrus diaconus, ejus chronici continuator, ortu Romanus, ab Ægidio patre quinquennis beato Benedicto oblatus est sub Girardo abbate anno M C XII. ut suo loco videbimus. Chronici continuationem inchoat, ut jam dixi, a libri tertii capite XXXV. quo agit de Alberico, Alfano, Amato, & Constantino Casinensibus monachis. De Alberico & Alfano actum superius. Amatus episcopus & monachus fuisse dicitur, sed cujus sedis, non prodit Petrus, neque in chronico, neque in libro de viris illustribus; perinde incertum, an ex episcopo monachus, an ex monacbo episcopus factus sit. Carmen de gestis sanctorum apostolorum Petri & Pauli quatuor libris ad Gregorium VII. scripsisse dicitur, necnon historiam Nortmannorum septem libris, qui non exstant, uti nec carmen de sanctis apostolis, nec habentur, ut quidam putant, inter reliquos veteres codices monasterii Casinensis. Baluzius suspicatur [a] hunc esse celebrem illum Amatum Oleronensem primum episcopum, dein archipræsulem Burdigalensem, qui Gregorii VII. pontificatu legati apostolici munere functus est.

a *V. infra num.* 31.

Notior est Constantinus monachus, natione Afer, ex urbe Carthagine oriundus, peritissimus medicus. Is patria egressus, Babylonem petiit, ubi liberales artes, id est grammaticam & dialecticam; tum geometriam, mathematicam, astronomiam, necnon physicam Chaldæorum, Persarum, Sarracenorum, Ægyptiorum & Indorum accurate didicisse perhibetur, & in his studiis triginta & novem annos insumsisse. Reversus in patriam, ob tantam eruditionem invidiam incurrisse dicitur suorum popularium, qui eum ob id occidere voluerint. quo comperto, Constantinus in Italiam trajecit, & Salerni aliquamdiu in habitu pauperis latuit. Dehinc a fratre regis Babyloniorum, qui tunc forte illuc advenerat, agnitus, postmodum apud Rotbertum Apuliæ ducem magno in honore fuit. Sed tandem sæculi pertæsus, Casinum se recepit, ibique a Desiderio abbate in sacri illius loci cœtum monachorum admissus fuit: ubi ex diversarum gentium & linguarum scriptis libros de medicina quam plurimos transtulit, quorum indicem Petrus retulit. Ex his nonnullos in nostra bibliotheca habemus: plerique in Casinensi habentur.

His Desiderii discipulis annumerandus est Guaiferius, cognomento Benedictus, Salernitanus origine, qui, præter alia, scripsit librum de vita sancti Secundini Trojæ episcopi, rogatu Stephani ejusdem sedis episcopi, & jussu Desiderii abbatis, ab Ughello [b] editum: in cujus prologo Stephanum coëpiscopum & fratris sui nomine compellat. Unde conjicere licet, ipsum Guaiferium episcopum fuisse. tametsi Petrus diaconus eum tantum monachum vocat, tum in chronico Casinensi, tum in libro de viris illustribus.

b *Ital. sac. to.* 7. *p.* 1363.

XXIX. S. Nicolai translatio Barium.

Constans omnium auctorum sententia est, corpus sancti Nicolai hoc anno ex urbe Myra, quæ Lyciæ metropolis est, Barium seu Barim in Apuliæ civitatem translatum fuisse, dissentientibus tantum Venetis, qui partem saltem sibi vindicant, ut inferius dicturi sumus. Hujus translationis historiam scripsit Johannes Barensis archidiaconus, eamque Urso tunc temporis Barensi archiepiscopo inscripsit. Hæc translatio facta est a quibusdam Barensibus mercatoribus, qui cum tribus navibus Antiochiam negotii causa profecti, cum Myram appulissent, quæ a Turcis vastata erat, a quatuor monachis locum, ubi sancti Nicolai corpus reconditum erat, exegerunt, indeque abstractum in patriam reportarunt. Ubi ad portum applicuere, incerti quo in loco sacras reliquias reponerent, missus est in urbem Tranum nuntius ad Ursum archiepiscopum, qui tum voti causa Jerosolymam profecturus erat, comitante Johanne archidiacono, qui hanc historiam scripsit. Interim nautæ sacrum loculum Eliæ abbati cœnobii sancti Benedicti, quod ad portum situm erat, custodiendum tradiderunt *nono die intrante mense Maio.* qui dies in posterum sollemnis evasit. Ubi archiepiscopus Barim advenit, omnibus demum visum est, ut sacræ reliquiæ in ecclesia beati Stephani protomartyris, quæ ante tres fere annos intra curiam fabricata erat, reponerentur, ejusque custodia Eliæ abbati committeretur, dum nova sancto Nicolao ecclesia construeretur. Hic Elias [c] e Cavensi monasterio assumtus fuerat ad regendum prædictum sancti Benedicti cœnobium, quod jam ab ineunte sæculo nono

Barensia monasteria.

c *Ital. sac. to.* 7. *p.* 855. *& seqq.*

ANN. CHR. 1087.

exstabat sub ditione Casinensis. Inde translatus Elias ad novum S. Nicolai monasterium demum factus est anno MLXXXIX. Barensis archiepiscopus post Ursum mox laudatum. Eliæ in abbatiæ præfectura successit eodem anno Eustachius, prius abbas in monasterio, quod in honorem Sanctorum omnium condiderat Andreas archiepiscopus, Ursi antecessor. Paschalis II. [a] in diplomate, quod Eliæ sancti Nicolai abbati concessit, insigne de hac translatione testimonium perhibet, eamque factam dicit *temporibus* antecessoris sui *sanctæ memoriæ Victoris III. quod totus pæne orbis agnoscit*; sacrumque beati Nicolai corpus in crypta inferiori, ubi tunc servabatur, ab Urbano II. reconditum fuisse, & super illud altare consecratum, dum basilica eodem in loco exstrueretur: quæ absoluta sub tutela sedis apostolicæ, postulante Boamundo, Rogerii ducis filio, ab ipso Paschali pontifice suscepta est. Eustachio abbati in regimine illius monasterii subrogatus fuit Melus ex priore Omnium-sanctorum; eoque mortuo hæc basilica in collegiatam conversa. Longe ante id tempus exstructa fuit prope Barim sancti Nicolai ecclesia, de qua superius [b] actum est. Exstabat in eadem urbe puellare sanctæ Scholasticæ monasterium antiquissimum, quod Romana [c] abbatissa anno MCCCVIII. multis prædiis ditavit, ornavitque ædificiis; idemque incendio consumtum archiepiscopus & cives [d] Barenses sub finem sæculi sexti-decimi instaurarunt, modo unitum ecclesiæ Barensi.

a ibid. p. 869.
b lib. 58. n. 11.
c Ital. sac. to. 7. p. 906.
d ibid. p. 922.

Post prædictam translationem multæ ubivis locorum conditæ sunt ecclesiæ in honorem sancti Nicolai: cujus reliquias cum habere cuperent sancti Nicolai apud Andecavos monachi, Barim ejus rei causa profectus est Stephanus ejusdem cœnobii cantor, dimissoque cum permissu abbatis sui Natalis monastico habitu, ut melius dolum occultaret, brachium sancti Nicolai argento tectum surripuit. Verum, cum Venusii ægrotaret, ceosuque deficiente argentum, quo brachium tectum erat, divendere coactus fuisset; furto prodito Erembertus Veousii cœnobita, natione Nortmanus, brachium ab eo extorsit, illudque in suo sanctæ Trinitatis monasterio reposuit. quæ omnia Ordericus [e] fuse narrat. De hoc monasterio superius [f] actum est.

e Orderic. lib. 7. p. 653. & seqq.
f lib. 60. n. 52.

XXX. S. Jacobi de Pontida prior S. Albertus.

In Bergomensi comitatu, sed in diœcesi Mediolanensi, conditum est hoc anno sancti Jacobi monasterium, de Pontida a loco, ubi positum est, nuncupatum, dotatum ex bonis, quæ Odo clericus eidem loco donaverat. Hoc monasterium Cluniacensi abbatiæ subjectum fuit, ejusque regimen Alberto priori commissum a venera-» bili Hugone abbate. Hic in atrio ecclesiæ sancti Romani haud procul Cluniaco ex-» sistens, cum consilio monachorum & custodis cœnobii sancti Petri, in præsentia » famulorum suorum, facultatem indulget Alberto priori sancti Jacobi de Pontida, » disponendi de rebus ejus prioratus, ut ipsi consultius videretur, (attendendo ta-» men, ut bona fama Ordinis illæsa servaretur) & maxime de bonis ab Odone clerico » & *ordinario*, ut vocat, *sancti Faustini Brixiæ* concessis. Hunc Albertum pro sancto habent Bergomenses, teste Cælestino in historia Bergomensi, qui eum perperam sæculo nooo vixisse ait. Rectius Ferrarius ad hoc tempus refert, probatque, quod ex dictis constat, Albertum hunc sancti Hugonis Cluniacensis abbatis discipulum fuisse, additque eum anno MXCV. kalendis Septembris obiisse.

XXXI. Gravæ cella conditur.

In superioribus actum est de monasterio sancti Rigaldi Matisconensis diœcesis. Hujus loci abbas Stephanus & Ermenaldus prior divino, ut fertur, instinctu tumultuosas sæculi procellas declinare cupientes, relicto proprio monasterio, in quamdam Oceani insulam, quæ Cluniacensium juris erat, Corda vocabulo, secesserunt, probante Hugone abbate. His adjunctus quidam Cluniacensis monachus, Willelmus nomine, ipsius Stephani germanus, piscandi peritissimus: qua arte sociis abunde omnia necessaria suppeditavit. Eorum bona fama permoti accolæ, eo frequentes conveniebant. Sed quia non sine grandi navigantium periculo hæc insula adiri poterat, monachis illis consultius visum est, ut se in locum, qui Grava dicitur, haud procul ab illa insula se conferrent. Ea re comperta illos invisit Amatus, sedis apostolicæ legatus & archiepiscopus Burdegalensis, in cujus ditione situs erat locus, ibique pernoctavit, & eis ut monasterium inibi conderent, auctor fuit. quod illi cum suis omnibus Cluniacensi monasterio subdiderunt.

XXXII. Amatus S.R.E. legatus, an monachus.

Celebre fuit per id tempus, ut sæpe jam vidimus, hujus Amati nomen. Hic primum Oleronensis in Novempopulania episcopus, legati apostolici munere diu, maxime in Aquitania functus, demum Burdegalensis archiepiscopus factus est post Goscelinum, qui anno superiori, & quidem XIII. kalendas Julii decessit, cui post duos circiter

vacationis

vacationis annos Amatus successit. Hunc monachum fuisse non sine fundamento putat Baluzius[a], idque colligit, tum ex quibusdam Fulconis Andecavensis comitis litteris, tum ex eo quod Amatus semper *domni* titulo, monachis familiari, insignitus invenitur. Comitis Andecavensis hæc verba sunt, occasione litis de cella Credonensi, quæ inter Vindocinenses & sancti Albini monachos vertebatur, prolata: *quia si Amatus de hoc placito se ita intromitteret, ut aliquo modo Vindocinenses monachi sancti Clementis ecclesiam amitterent, procul dubio nec suus episcopus, nec monachus esset.* Hæc comes: ex quibus conjicit vir eruditus, hunc esse Amatum illum episcopum & monachum Casinensem, quem absque designatione sedis laudat Petrus diaconus, ut superius[b] vidimus. Obut Amatus anno M C I. cujus obitus in necrologio Burdegalensi notatur XI. kalendas Junii.

ANN. CHR. 1087.
a Præfat. in to. 2. Miscell.
b supra n. 28.

XXXIII. S. Lupercii cella.

Præter cellam Gravensem, de qua modo agebamus, instauratum est hoc anno monasterium sancti Lupercii martyris, situm in pago Elisano, tunc diœcesis Ausciensis. Illic olim monasterium construxerat Bernardus comes, ibique per multos annos monachi religiosissime vixerant: at processu temporis abjecta regulari disciplina, in tantam licentiam prolapsi erant, ut, votorum immemores, nefanda committerent, & propriis lucris, secularium instar, inhiarent. His motus Willelmus Ausciorum archipræsul, Aimericum comitem, prædicti Bernardi pronepotem, sæpius interpellavit, ut locum illum, qui ejus ditionis erat, in pristinum statum restitueret. Ejus monitis flexus tandem Aimericus, Astenovæ comitis filius, se culpabilem ac reum agnoscens, quod monasterium illud a Bernardo proavo suo exstructum, tam negligenter babuisset, assensu conjugis suæ Ævierna, ac filii Astenovæ, fratrisque sui Bernardi, « prædictum locum domno Hugoni Cluniacensi abbati, ejusque successoribus in manu « domni Willelmi archiepiscopi Ausciensis vice Hugonis abbatis tradidit, ab eodem « abbate regendum & possidendum, uti & sancti Orientii monasterium, in suburbio « Ausciensi positum, quod Aimerici itidem ditionis erat. Actum anno incarnationis « dominicæ M LXXXVII. in Romana ecclesia præsidente papa Urbano, regnante Philippo rege Francorum. Si mendum non irrepsit in nomen Romani pontificis Urbani, id factum oportuit anno sequenti, quo Urbanus papa creatus est.

XXXIV. Pontio Andaonensi abbati succedit Petrus.

Apud Avenionem in Andaonensi sancti Andreæ monasterio ad immortalem vitam hoc anno migravit Pontius abbas, die vicesima-tertia Martii, ut disertis verbis in libro de ipsius vita testatur ejusdem loci monachus, cujus nomen, in veteri codice decurtatum, a littera R. incipiebat. Hunc librum inscribit auctor *dilectissimis in Christo fratribus, Andaonensis cœnobii sancti Andreæ monachis*; aitque se eorum rogatu, sed in primis Rostagni de Venascha, discipuli ejusdem beati viri, necnon abbatis ipsius successoris, ad id scribendum impulsum fuisse. In hoc autem libello quædam Pontii miracula referuntur, quæ ejus sanctitati testimonium perbibent, uti & ejus præclaræ virtutes, paucis[c] a me jam commemoratæ, quæ in libro de ejus vita prolixius habentur. In veteri ejusdem monasterii necrologio ejus memoria his verbis celebratur VII. kalendas Aprilis: *Depositio domni Pontii abbatis nostri, cujus vita multis sacris miraculis commendatur.* Jam pridem sancti Pontii festum eo die ibidem celebratur.

c lib. 56. n. 36.

Petro abbati ejus successori Raimundus IV. Tolosæ comes, dux Narbonensis & marchio Provinciæ, *Podium* Andaonense, ubi constructum est monasterium, & villam adjacentem, sicut ejus antecessores donaverant, confirmavit, ut patet ex litteris anno sequenti datis, quas Catellus[d] retulit. His litteris subscribunt ex parte abbatis Albertus Avenionensis episcopus, Rostagnus prior sancti Andreæ, Petrus Camardus decanus, Guillelmus de Aura-sicca sacrista, Guillelmus prior de Tolone, aliique. Idem Petrus abbas Urbanum II. hospitio ibidem excepit, ejusdemque loci basilicam, ab se absolutam, per Gelasium II. dedicari curavit.

d Catel. Comitf. p. 134.

XXXV. S. Benigno facta restitutio.

Hoc ipso anno Walterius Cabilonensis præsul ecclesiam[e] sanctæ Mariæ, in suburbio Cabilonensi ad ripam Araris sitam, *quam violentia quorumdam tyrannorum a prisca religionis & ordinis honore detorserat*, reformare cupiens; sancti Benigni monasterio, a quo antiquitus possessa fuerat, denuo instaurandam restituit, ad preces *confratris*, inquit, *Jarentonis venerabilis abbatis, cujus larga benignitas ampliora dignissime mereretur.* quibus verbis commendat eximiam Jarentonis caritatem, cujus præclara superius[f] exempla retulimus.

e Perard. p. 196.
f lib. 66. n. 97.

XXXVI. Arnulfus Suessionum præsul obit.

Jam tempus instabat obitus Arnulfi Suessionum episcopi, qui post reditum e Bel-

gio [a] reclusus apud sanctum Medardum supremum vitæ diem in jejunio & precibus præstolabatur, ingemiscens de malis in provincia excrescentibus: quibus medendis reclusio, si quidem continua erat, parum idonea fuisse videtur. Quamquam verisimile est, virum sanctum ecclesiæ ac diœcesis suæ necessariis nequaquam defuisse officiis, qui alienis, id est Belgicarum ecclesiarum, negotiis procurandis reclusionem suam postponebat. Unde, emergentibus novis in Flandria causis, vir Dei a viris primoribus Aldenburgensis pagi interpellatus est per Everolfum monachum, ut ad res illius loci componendas denuo se conferre ne gravaretur. Nec mora eorum votis annuit sanctus præsul, divino certus oraculo, se inde non amplius reversurum. Illuc octava-decima mensis Julii die cum pervenisset, septem dies incolumis Aldenburgi mansit, nempe usque ad festum beati Jacobi apostoli: quo die, celebratis missarum sollemnis, infirmari cœpit, isque morbus ad viginti dies perseveravit. Vicesima ipsa die, feria sexta, sub mediam noctem, ejus cella usque tertium ita contremuit, ut a fundamentis corruere videretur. Turbatis monachis, in primis Everolfo presbytero & monacho, eos bono animo esse jussit, nihilque pavere, hæc quippe signa esse præsentis divinæ majestatis. Sequenti die, quæ assumtionis Deiparæ vigilia erat, sacro se oleo perungi poposcit, factaque confessione coram omnibus, se postera die, quæ dominica erat, ad Christum migraturum dixit: at sepulturam suam in proximum diem, sancti Arnulfi Mettensis antistitis depositione venerabilem, differri præcepit. Sub vesperam *corpus & sanguinem Redemtoris* summa cum devotione percepit, moxque, benedictione data & accepta, in pavimentum cinere & cilicio stratum depositus, feliciter ad Christum migravit XVIII. kal. Septembris, ipso die assumtionis. Postridie ejus exsequiæ sollemni ritu a Bernardo præposito Guastenensi & Richardo decano curatæ, quibus nullus pontificum aut abbatum, uti olim prædixerat, interfuit. Sepultus est in Aldenburgensi beati Petri ecclesia, apposito ad ejus sepulcrum epitaphio, in ejus vita relato.

[a] V. lib. 66. n. 67.

XXXVII. Hariulfus ejus vitæ scriptor.

Hanc duobus libris scripsit Hariulfus, Aldenburgensis abbas tertius, eamque anno M C XIV. absolvit. His duobus libris præmissæ sunt tres ejus epistolæ. Prima ad Lambertum Tornacensium episcopum, quem rogat ut hanc vitam approbet Lisiardo Suessionensi episcopo, amboque simul Remorum metropolitano offerant. Altera epistola est ad ipsum Lisiardum, a quo idipsum postulat. Tertia ad Radulfum Remensem archiepiscopum, cui hanc vitam offert. Eidem vitæ præmittitur prologus ipsius Lisiardi episcopi ad Radulfum archiepiscopum, quo in prologo hoc opus, quasi suum eidem Radulfo offert. His duobus libris adjectus est liber tertius de miraculis, a beato Arnulfo post obitum patratis. Tres illos libros mutato stilo in unum librum contraxit Surius, eumque Lisiardo episcopo tribuit. ast Hariulfum duorum priorum librorum, qui sancti Arnulfi vitam continent, auctorem esse constat: tertius de miraculis, est Lisiardi, qui duos alios adoptavit. Trium testium relatu ea se accepisse dicit Hariulfus, quæ de Arnulfo scriptis mandavit. Primus est Everolfus monachus, sancti viri familiaris, qui cuncta, quæ de eo noverat, Hariulfo in cera exaranti narravit. Alter est Arnulfus, sancti viri ex sorore nepos, primusque Aldenburgensis abbas, qui eadem in membranas ab eodem Hariulfo referri curavit. Tertia denique fuit Adzela, ipsius sancti Arnulfi germana soror, ex qua multa idem auctor didicit.

XXXVIII. Aldenburgenses abbates.

Primus, ut dixi, Aldenburgensis monasterii abbas fuit Arnulfus, sancti Arnulfi ex sorore nepos. Duas vero sorores habuit vir sanctus, Adzelam, seu Ascelam mox laudatam; & Odam, quæ Jerosolymam [b] profecta, in reditu fratrem jam mortuum ac sepultum, contra quam in votis habuerat, invenit. Arnulfo abbati successit Gervinus, Gervino Hariulfus, antea Centulensis monachus, qui libros duos de vita sancti Arnulfi composuit, ejusque corpus e terra levari curavit. Anno M C XIV. absolvit librum secundum, cui Lisiardus episcopus Suessionensis tertium de sancti Arnulfi miraculis adjecit. Alia scripta edidit idem Hariulfus, in primis chronicon Centulense, quod a Saxowalo [c] ante complures annos inchoatum, ipse quatuor libris absolvit anno M LXXXVIII. Philippi regis anno XXVIII. Widonis Pontivorum comitis anno XXXVI. adeoque longe antequam Aldenburgensem præfecturam adeptus esset. Quædam tamen postea chronico suo addidit, ut ex editis patet, in quibus quædam de Urbano II. referuntur. Idem Gervini abbatis antecessoris sui vitam scripsisse dicitur, ac libellum de miraculis, beati Petri apostoli intercessione patratis in Aldenburgensi

Hariulfi scripta.

[b] V. lib. 66. n. 67.

[c] Spicil. to. 4. p. 416.

ecclesia. Vitam produxit ad annum saltem MCXXX. quo anno ejus epitaphium referemus.

XXXIX. S. Medardi monachi corpus S. Arnulfi subripere tentant.

Paullo post sancti Arnulfi obitum Odo sancti Medardi abbas ejusque monachi, auditis virtutibus & miraculis, quæ ad tumulum beati Arnulfi episcopi fiebant, tanto thesauro, sibi quodam jure debito, se privatos graviter ferentes, de ejus corpore clam asportando consilium inierunt. Missi itaque e suis nonnulli specie civilis visitationis, furtim ejus tumulum aperiunt: ast ubi sacra ossa e tumulo abstrahere tentarunt, tertium usque divinitus repulsi, id ulterius moliri non sunt ausi. Hujus rei, quod mirere, auctor fuit Arnulfus, ipsius sancti ex sorore nepos & abbas Aldenburgensis, qui id patrare conatus est cum duobus monachis, Godeberto scilicet origine Aldenburgensi, & Balrado Brugensi, quorum relatu Lisiardus id se didicisse testatur. Forte necdum abbas erat Arnulfus, sed tantum sancti Medardi monachus, cum id tentavit. Odoni sancti Medardi abbati anno MXCVII. jam successerat Radulfus, ejus nominis secundus, quo anno Ansellus Bellovacensis episcopus altare de Melli-loco pro ecclesia Caucasensi ei donavit. Radulfum excepit Gaufridus, ex abbate Catalaunensis demum episcopus, de quo plura inferius.

XL. S. Theoderici abbatiæ altaria data.

Jam ab aliquot annis sancti Theoderici prope Remos cœnobium regebat Richerus abbas, cujus tempore Elinandus Laudunensis episcopus duo suæ parochiæ altaria, in duabus villis pæne in solitudinem redactis, scilicet Domna-Maria * & Ausonis-curte * eidem cœnobio concessit; eaque duobus fratribus, Lansrido atque Tryphoni perpetuo habenda interim commisit, eo pacto, ut e laïco & sæculari statu ad monasticum transirent, & sub monachico habitu vitam ibidem transigerent, labore manuum suarum victitantes, & restituendis illis ecclesiis operam impenderent. Actum Lauduni anno Domini MLXXXVII. indictione X. His litteris post Elinandum & duos Laudunenses archidianos apposita sunt signa Adalberonis abbatis sancti Vincentii, ipsiusque Richeri sancti Theoderici abbatis: qui anno sequenti e vita migravit VI. idus Maii, anniversario suo instituto. Huic subrogatus Radulfus in concilio provinciali Remis celebrato.

* Dame-Marie.

* Ausicourt.

XLI. Adalbero abbas Laudunensis.

Qui præmissis litteris subscriptus invenitur Adalbero Vincentinus abbas, monasterium optime rexit, ob idque Elinandi Laudunensis & Theobaldi Suessionensis episcoporum benevolentiam sibi conciliavit, immo & Philippi regis, qui instaurandis monasterii ædificiis ligna ex silva Crispiniaca, agentibus prædictis episcopis, concessit. Eodem abbate prioratus sancti Thomæ prope Laudunum-vetus ab eodem Elinando erectus. Nec defuit Adalberoni aliorum quoque præsulum munificentia. Ratbodus quippe Noviomensis sancti Johannis-Baptistæ prioratum, supra Faram opidum ad Isaram positum sancto Vincentio dedit. Reginaldus vero Remorum archipræsul ecclesiam sancti Goberti apud Altum-montem in pago Regitestensi, assentiente Hugone comite, eidem donavit, ejectis inde clericis, qui loci curam neglexerant. Ejusdem abbatis tempore Anselmus de Ribodi-monte, ad sacram expeditionem profecturus, ad sancti Vincentii monasterium accessit, malorum pœnitens, quæ monachis intulerat, & in capitulo, nudatis scapulis, in piaculum se flagellari fecit. Idem abbas Bartholomæo episcopo locum Præmonstratum ad construendum sancto Norberto monasterium cessit, ut in consequentibus dicturi sumus.

XLII. S. Sergii & S. Albini quædam acta.

Apud Andecavos sancti Sergii abbatiam hoc tempore administrabat Achardus abbas, cui Silvester Redonensium episcopus ecclesiam de Braëlo, præsente inter alios Gervasio sancti Melanii abbate, concessit. Paullo post, cum de hac ecclesia litem movissent sancti Jovini abbas Simon, ejusque monachi apud Pertum commorantes, rem Achardus abbas retulit ad judicium Silvestri episcopi, qui cum Johanne Dolensi, ut tum vocabant, archiepiscopo placitum de hac causa habuit. Adversariorum ratio hæc erat, Pertum scilicet fuisse abbatiam, in gratiam sancti Martini Vertavensis a Chlodoveo rege constructam, quæ plures cellas & ecclesias, in his Braëlum, sibi subjectas habuerit. Verum, hac ratione uti frivola rejecta, Braëli ecclesia Sergianis asserta est. Pertum * hactenus cella est diœcesis Redonensis, subjecta sancti Jovini abbatiæ apud Pictones. Post Achardum sancti Sergii abbatem, qui VI. kalendas Aprilis, anno MXCIII. decessit, abbatiam obtinuit Bernardus ad multos annos, de quo alias.

* le Pertre.

Hoc item anno MLXXXVII. Fulco Andecavorum comes quasdam consuetudines apud Chiriacum sancto Albino remisit, cum scilicet ab incendio Legionis * reversus,

* le Lion d'Angers.

ANN. CHR. 1087. (qui locus est pagi Andecavensis ad Meduanam fluvium) gravissimum morbum incurrit, fame totam pæne regionem opprimente. Eodem tempore nobilis & egregius miles, Johannes de Fissa *, ecclesiam sancti Audoëni cum capella, quæ in castello suo sita erat, sancti Albini monachis largitus est, necnon *unam mansuram optimæ telluris, id est quantum quatuor immensæ fortitudinis boves arare possunt, juxta morem agricolarum.* Inter ejus rei testes numerantur Girardus abbas sancti Albini, Gaufridus ejus bajulus seu monachus domesticus, & Herbertus prior. Actum apud Fissam anno incarnationis M LXXXVII. Idem Johannes non multo post apud Castrum-Gunterii morbo decumbens, monasticum habitum accepit a monachis sancti Albini, quibus inter alia *totum presbyteratum* de Lusdio * dedit. Ibidem mortuus apud sanctum Albinum sepultura donatur. Ejus vero sepulturæ die Elias ipsius filius, tradito in manu Gerardi abbatis baculo, patris donationes cum Gaufrido fratre suo confirmavit: quas cum infirmare tentasset Gauzbertus, Johannis filius natu major, easdem tandem ratas habuit, acceptis decem libris denariorum Andecavensium cum beneficio societatis sancti Albini per manum Hoëlli episcopi Cenomannensis.

* la Fleche.

* le Lude.

XLIII. Monasterii-novi bona confirmata & abbates.

Mortuo anno superiore Gaufrido-Guidoni, alio nomine Willelmo, Pictavorum comiti, successerat Willelmus ejus filius, eo nomine nonus, qui hoc anno universas donationes [a] confirmavit, Monasterio-novo a patre suo & Aldearda matre factas, quod monasterium pater ejus Gaufridus in suburbio Pictavæ civitatis a fundamentis ædificaverat, ubi ipse humatus jacebat, & ipse quoque Willelmus ejus filius cum tota progenie sua sepeliri volebat. Hæc autem omnia ab omni exactione & obsequio libera & immunia esse jubet, & ab omni expeditione, excepta illa, quæ nomine belli fieret contra ipsius inimicos. *Factum est hoc in manu Marci, prædicti monasterii abbatis, Duranni prioris sancti Nicolai, & Martini monachi, anno incarnationis dominicæ* M LXXXVII. Letaldo [b] abbati successerat hoc anno Marcus abbas, vir magnæ religionis, qui res monasterii multum auxisse dicitur. Huic successit Gerardus secundus, quo abbate Urbanus II. Novi-monasterii basilicam dedicavit. Gerardum secundum excepisse videtur Marcus alter, de quo alias; omnes e Cluniaco assumti.

a Besly Comit. p. 504.

b V. lib. 66. n. 101.

XLIV. Willelmus rex Anglorum obit.

Per id tempus Willelmus rex Anglorum in Galliam trajecerat, & Rotomagi versabatur. Ut erat obesi ventris ac prominentis, de eo Philippus rex Francorum per jocum dixisse fertur: se, si aliquando ille pareret, centum millia candelarum ad missam pro ejus relevatione ei libaturum. quo dicterio Willelmus, qui jam in Philippum offensus erat, vehementius exacerbatus, mense Augusto in Franciam cum infesto exercitu irrumpit, segetes botrosque maturescentes proterit, omnia populatur; postremo Meduntam * oppidum, ad Sequanam positum, injectis ignibus incendit, combustis illic omnibus ecclesiis, in his beatæ Mariæ ecclesia cum duobus reclusis seu anachoretis, & reclusa una ustulata, quæ *speleum suum*, testante Willelmo Malmesburiensi, deserere noluit. Verum, dum ab hac infausta expeditione regreditur, viscerum dolore correptus, Rotomagi decubuit, morboque ingravescente, vinctos omnes laxari jussit. tum Willelmo filio suo, cognomento Rufo, Angliæ regnum tradidit; Rotberto primogenito, qui tunc in Gallia exsulabat, comitatum Nortmanniæ dedit; possessiones vero maternas cum suis thesauris Heinrico tertio filio legavit, mandavitque, ut combustæ ecclesiæ instaurarentur. Rebus ita ordinatis, ecclesiasticis sacramentis munitus, v. idus Septembris hoc anno decessit. Eadmerus in historia novorum auctor est, Willelmum ex morbo decumbentem Becco accersivisse Anselmum abbatem, quem magnopere venerabatur, ut ipsi morienti adesset; virumque sanctum, etsi infirmum, Rotomagum accessisse ad principem, qui eum juxta se hospitari jusserit, eique ægrotanti e mensa sua partem ciborum exquisitorum, qui sibi inferebantur, quotidie deferri: at Anselmum semel tantum eum vidisse, nec morienti præ infirmitate adesse potuisse. Ejus vices supplevit Guntardus Gemeticensis abbas, qui prope regem sedulo excubabat cum Gilleberto Lexoviensi episcopo, eique salutaria monita dabat. Hæc omnia fuse & accurate refert Ordericus [c] cum prolixa ipsius Willelmi oratione, in qua totius regni & administrationis suæ rationem idem princeps reddit.

* Mante.

c Orderic. sub fin. lib. 7.

XLV. Cadaver humatur.

Vix exspiraverat, cum ejus proceres ad sua curanda mox discesserunt: inferiores vero ministri ejus arma, vasa, vestes, linteamina, cunctamque supellectilem diripuerunt, asportarunt, & mortui corpus fere nudum in area domus reliquerunt:

ANN. CHR. 1087.

ubi a prima hora, qua rex decessit, usque ad tertiam *super nudam humum* derelictum est. Cum nullus propinquorum aut familiarium de ejus funere curaret, ejus corpus Cadomum navigio deferri jussit Guillelmus Rotomagi archiepiscopus, ibique in basilica sancti Stephani, quam ipse condiderat, humari. Huic loco tum præerat Gislebertus abbas, qui cum numeroso suorum monachorum, necnon clericorum ac laïcorum comitatu obviam feretro processit: at, suborto Cadomi incendio, omnibus ad restinguendum ignem recedentibus, soli monachi cœptum officium compleverunt, corpusque ad suam basilicam perduxerunt. Ad ejus sepulturam omnes provinciales episcopi convenerunt, atque abbates, scilicet Anselmus Beccensis, Guillelmus de Ros Fiscamnensis, Gerbertus Fontanellensis, Guntardus Gemeticensis, Mainerius Uticensis, Fulco Divensis, Durandus Troarnensis, Rotbertus Sagiensis, Osbernus Bernaïcensis, Rogerius de Monte-sancti-Michaëlis in Periculo-maris, ac duo Rotomagenses archimandritæ, Nicolaus sancti Audoëni, & Gualterius Montis-sanctæ-Trinitatis abbates, aliique plures. Expleta missa, cum regis corpus in presbyterio, inter chorum & altare, humandum esset, intercessit Ascelinus Arturi filius, causatus, aream istam sui juris esse, patri suo a rege vi abstractam, & conquerenti « justitiam denegatam. quam ob rem Dei nomine obtestari ac postulare, ne corpus « raptoris in suo fundo sepeliretur. quæ cum vera esse episcopi & proceres intellexis- « sent, Ascelino *pro loculo solius sepulturæ sexaginta solidos* dari jusserunt: pro reliqua vero area tantumdem terræ alibi assignari.

Ante patris mortem ejus jussu in Angliam trajecerat Willelmus Rufus, rex ab eo designatus, atque Lanfranco archiepiscopo patris epistolam detulerat. qua perlecta, idem præsul cum eo Lundoniam profectus, ipsum regem die festo sancti Michaëlis in Westmonasteriensi basilica sacravit. Tum novus rex insigne patri suo mausoleum, auro & argento gemmisque ornatum, erigi curavit, insculpto aureis litteris epitaphio, apud Ordericum [a] relato, quod Thomas Eboracensis archiepiscopus composuerat. In illa oratione, quam rex instante morte protulit, inter cetera dixit, novem « abbatias monachorum, & unam sanctimonialium, quæ a majoribus suis in Nortman- « nia fundatæ erant, se adjuvante crevisse, & multis opibus auctas fuisse. Ad hæc du- « catus sui tempore septemdecim monachorum, sanctimonialium autem sex cœnobia « constructa, ubi assiduæ preces & quotidianæ eleemosynæ pro summi Regis amore « fierent: quorum ipse conditor aut fundator, aut certe adjutor & promotor fuerit. « His castris munitam esse Nortmanniam. «

a Orderic. init. lib. 8.

XLVI. Beccenses libertatem suam strenue defendunt.

Willelmo rege mortuo, Rotbertus Mellenti comes a Rotberto duce, Willelmi filio, castrum Brionense, quod Nortmannorum ducum hactenus fuerat, dolose obtinuit; eoque obtento, Beccensem abbatiam in fisco Brionensi positam, sibi subjugare molitus est. Ejus rei causa per quosdam e suis Anselmi abbatis animum pertentat, pollicitus, se de rebus suis multa Beccensibus collaturum. Ad hæc Anselmus respondit, Beccensem abbatiam non in sua, sed ducis esse potestate; ceterum comitem rem obtentu difficilem postulare. quo responso accepto, comes Anselmi prudentiam admiratur. Interim, ubi hæc res ad fratrum notitiam venit, eam veluti monasterii sui destructionem exhorruere; &, consilio mature inito, ducem quam primum super hac re adeundum censuere. His auditis, dux ira commotus, elata voce: Per « mirabilia Dei, inquit, quæ insania est, quam audio? Scilicet Mellenti comes vult « meam mihi auferre abbatiam; illam utique abbatiam, quam super omnes diligo, vult « iste proditor mihi subtrahere? Per Dei mirabilia ita non fiet. Tunc forte superve- « nerunt Willelmus-Crispinus, Willelmus de Britolio, & Rogerius de Benefacta, qui ducis propositum valde laudaverunt, professi, se, si id fieret, quidquid eorum parentes ac propinqui Beccensi ecclesiæ contulerant, in suum dominium revocaturos. Post paucos dies comes Mellenti, hujus rei ignarus, cum paucis Beccum venit, Anselmum per se ipse exploraturus. quod ubi monachi rescierunt, in comitem duris verbis invecti sunt, per suam ecclesiam affirmantes, se potius inde discessuros, quam ut id fieri paterentur. Inde cum ira recedens comes, ad curiam pergit. at missi a Beccensibus legati ducem precibus multis occupant, ut ne tantum ecclesiæ suæ damnum inferri sineret. Inter hæc advenit comes, ad quem dux cachinnando: Domine Rotberte, quomodo inter vos & monachos Beccenses? Tum comes demisso « vultu: Bene, inquit, & quidquid jusseris, illi benigne assensuri sunt. Mentiris, infit « dux, tuque falso speras, me meam tibi abbatiam daturum. Discessit itaque spe sua «

ANN. CHR. 1087.

frustatus comes, cui dux Brionæ castrum abstulit, illudque Rogerio de Benefacta seu de Bello-monte, qui hereditario jure hoc repetebat, concessit: sicque Beccenses comitis molestia liberati, in pace deinceps persitterunt. Hæc fusius referuntur in libello de libertate Beccensi, quem in Appendice videre licet. Plura de hoc Brionæ castro, deque ducis cum Rotberto hac de re controversia narrat Ordericus [a], quæ ut referamus, nostri non est instituti.

a Orderic. lib. 8 p. 686.

Nortmanniæ infelix status.

b ibid. p. 672.

Quanta mala sub hoc molli & ignavo duce, scilicet Rotberto, in Nortmannia per octo annos pullulaverint, pathetice exponit idem Ordericus. Prædones [b] quippe catervatim per vicos, agrosque impune tunc grassabantur, nullo sacrorum locorum respectu. desolata gemebant monasteria; monachi & sanctimoniales ad extremam inopiam redacti erant. Ubique rapinæ, incendia, & cædes. Inter hæc luxuria effrenis ubique vagabatur. Episcopi anathema reis intentabant; sacri verbi præcones in eosdem invehebantur: surdis & induratis hæc nullius pensi erant. Sic ignavi ducis levitate brevi corruptum est, quidquid boni sollertia & studio priorum ducum in Nortmannia patratum propagatumque fuerat. Eodem duce agente, Fulco Andecavorum comes, quem ille ad domandos Cenomannos adjutorem habere volebat, infami exemplo duabus uxoribus viventibus tertiam superduxit, Bertradam scilicet, filiam Simonis de Monte-forti, Guillelmi comitis Eroïcensis neptem, quam postea rex Philippus eidem Fulconi cum insigni itidem scandalo subduxit. Hic Fulco, ut Ordericus [c] tradit, quia pedes habebat deformes, longos sibi calceos, quibus pedum tubera operiret, fieri curavit, cum antea rotundi calcei & ad formam pedum compositi essent. quo extempore non modo laïci, sed etiam clerici, immo etiam monachi nonnulli ejusmodi calceis usi sunt. *Unde sutores*, ait Ordericus, *in calceamentis quasi caudas scorpionum, quas vulgo pigacias appellant, faciebant.* Sic potentium hominum mores, quantumvis ridiculi & ridicula causa inducti, in subditorum consuetudinem propagantur. Pudet me, quod inter Rotberti ducis consiliarios Guillelmus de Archis monachus Molismensis ab Orderico referatur.

c ibid. p. 682.

XLVII. Abbatum mortes in Anglia.

d V. lib. 66. n. 115.

In Anglia tres nostri Ordinis abbates hoc anno decessisse memorantur, apud Simeonem Dunelmensem: nimirum Scolandus seu Scotlandus sancti Augustini prope Cantuariam abbas, Alsius Bathoniensis, & Turstinus Perscorensis, de quo superius [d] egimus. Mortuo Scotlando, Lanfrancus archiepiscopus unum e suis Beccensibus in demortui locum substitui modis omnibus tentavit: at rex Willelmus, Conquæstoris filius, inspectis Augustinensium privilegiis, liberam eis electionem remanere voluit. Hi vero, Lanfranci promissis, ut Guillelmus Thornus tradit, insuper habitis, unum e suis Widonem monachum, moribus & doctrina insignem, elegerunt. quem Lanfrancus ordinare aliquamdiu recusavit: sed tandem regis flagitatu benedixit die festo sancti Thomæ apostoli, cum Scotlandus III. nonas Septembris obiisset. Plura de Widone abbate in consequentibus.

Turgotus prior Dunelmensis.

Eodem quoque anno vita functus est Aldwinus prior Dunelmensis pridie idus Aprilis, qui quartus annus erat ab adventu monachorum Dunelmum. Fuit is vir bonus, modestus, & prudentia insignis, Dei offensam cavere in primis sollicitus, ut fidem facit Turgotus, qui ei in prioris officio successit, eoque viginti annis sub Willelmo episcopo perfunctus ad sancti Andreæ in Scoria episcoparum promorus fuit. Is prior Dunelmensem parochiam, maxime exsulante in Nortmannia Willelmo episcopo, rexit, totumque monasterium cum ecclesia novis ædificiis, rege suppetias conferente, exornavit. Hæc constant ex libro quarto historiæ Dunelmensis, quam integram idem Turgotus composuit, non vero Simeon Dunelmensis, qui eam insigni plagiario sibi temere arrogavit, ut Johannes Seldenus diserte probat in præfatione ad decem scriptores Anglicanos.

XLVIII. Apud S. Trudonem novæ turbæ.

e supra n. 19
f Spicil. to. 7. p 385. & seqq.

In Belgio, Lanzone sancti Trudonis abbate, ut superius [e] diximus, Jerosolymam profecto, non sic tamen sopitæ sunt turbæ, quæ illic ejus potissimum occasione ortæ fuerant: immo novæ deinceps electionis causa succreverunt. Itaque Trudoniani, missa de ejus discessu relatione [f] ad Brunonem, qui Mettensem episcopatum post Walonem invaserat, eligendi abbatis facultatem petunt. Interim Gerardus præpositus, qui olim abbas electus fuerat, Heinricum Leodicensem consulit, an secundam sui electionem tenendam censeat. Dissuadet episcopus, tum ob fratrum indomitam inquietudinem, tum quod illi, accepto ab invasore Brunone pastorali baculo, benedictionem impertiri non posset. Ubi Trudonianorum relationem accepit Bruno, ad

monasterium accessit, auditoque Gerardum ab ipso baculum accipere nolle, Herimanno monacho, qui Calvus & Senior cognominabatur, abbatiam multa pecunia recepta tradidit, quam vir quidam nobilis, nomine Engerramnus, ejusdem Herimanni germanus, magna saltem ex parte dedit. Id ubi rescivit Leodicensis præsul, Hermannum a communione removere statuit: sed obstitit multis precibus Gerardus præpositus, eadem infortunia inde consecutura monens, quæ olim in simili causa sub Lanzone & Luipone monasterio acciderant. Discessit itaque multa pecunia onustus Bruno: at, ubi ad urbem Mettensem rediit, a civibus, qui eum ferre non poterant, armis impetitus, & in sancti Stephani inclusus ecclesia, ex eorum manibus vix evadere potuit: sic, ab occupato male episcopatu penitus expulsus est, restitutusque in suam sedem Herimannus: qui ad sancti Trudonis monasterium profectus, quæstione de Herimanni electione habita, cum nihil de bonis ecclesiæ ab eo datum audisset, eum abbatiæ dignitate frui permisit. Tunc ad sua reversi plerique fratres, in his etiam Luipo, qui abbatiam ambierat, cum de instauranda pace & religione serio agere debuissent, turbas fovere perseverarunt, ventri tantum servire studentes, grandesque piscium & vini præbendas exigentes a misero illo abbate, quem absque ullo respectu conviciis & maledictis impune lacessebant. Is erat tunc miserabilis sacri illius loci status, qui non statim in meliorem mutatus est, sed post annos septemdecim, a morte scilicet Adelardi abbatis, quæ anno M LXXXII. contigit, usque ad electionem Theoderici, factam anno M XCIX. qui Theodericus pristinum loco splendorem & religionis cultum restituit.

ANN. CHR. 1087.

XLIX. Cella in castro Porciensi fundata & data Andaginensibus.

Alius fuit per id tempus Theodericus eximius Andaginensis abbas, cujus obitus ad hunc annum referendus videtur. Haud scio an eo adhuc abbate, an proximo ejus successore Theoderico II. Rogerus comes Porciensis territorii, bonorum a summo & omnipotenti Deo acceptorum memor, in suburbio urbis castri Porcensis ecclesiam cum cella Deo ædificavit, sub invocatione sancti confessoris Theobaldi, pro remedio animæ suæ, & Ermengardis uxoris suæ, & filiæ suæ Sibiliæ, ac omnium primogenitorum suorum. Cujus quidem ecclesiæ & cellæ, de consensu comitissæ uxoris suæ, & filiæ suæ carissimæ, vocatis ex monasterio sancti Huberti in Ardenna religiosis viris ejusdem monasterii monachis, proprietatem, dispositionem, regimen, nominationem, seu provisionem tradidit in perpetuum religiosissimo abbati Theoderico, & ejus successoribus, prædicti monasterii abbatibus; nihil juris in dicta cella, quam amplissime dotavit, sibi reservans, nec successoribus. vult tantum, ut *propter omnem justitiam dicti suburbii, quam tradit ecclesiæ sancti Huberti, quivis abbas sancti Huberti, aut commissus ejus* teneatur semel sibi & successoribus ejus *præstare juramentum fidelitatis, in recognitionem donationis. Tenebuntur insuper*, inquit, *religiosi in dicta cella commissi, singulis diebus dominicis tantum, summo mane sacrum dicere, dum continget venatores ire ad venationem, & a nobis requisiti fuerint, & non aliàs. Et ob hoc tenebuntur comites, pro tempore exsistentes, dare prædictis religiosis dolium vini, & mensura Remensis.* Litteras integras, quas adstante & approbante Reginoldo Remensi archiepiscopo, adstantibus quoque nobilibus & ignobilibus, fecit Rogerus comes, videre est in Appendice. *Hujus donationis testes fuerunt, quorum nomina subscripta sunt, Rogeri comitis, Reginoldi archiepiscopi Remensis, Alberti comitis Namurcensis, Ermengardis comitissæ, Sibilsa filiæ, Hugonis Scotti, Pungardi, Odardi filii ejus, Erardi præpositi, & aliorum multorum. Actum publice anno incarnati Verbi* M LXXXVII. *indictione* X. *regnante rege Francorum Philippo* XXVIII. *anno.*

Theoderici abbatis Andaginensis obitus.

Si Theoderico primo facta fuerit hæc donatio, haud diu eidem superstes fuit piissimus abbas. Tribus ante obitum mensibus gravi pulsatus languore, non tamen lecto decumbebat, sed muneris sui officiis vacare pergebat. Forte res quædam postulavit, ut ad procuranda quorumdam prædiorum negotia ad quindecim amplius milliaria proficisceretur, ubi pæne spiritus eum defecit. Tum gestatorio grabato impositus, ut domum rediret, promiscuæ multitudinis obsequiis & pauperum in primis gemitibus, qui optimum parentem brevi sibi subtrahendum dolebant, in via excipitur. Sub vesperam ad portam monasterii perlatus, exclusa turba, ne populi strepitus quiescentes jam in dormitorio fratres inquietaret, a solis domesticis monasterio est invectus. Languore ingravescente, non tamen eam, quam sibi a tenera ætate indixerat, semel in die comedendi abstinentiam solvit, nec consuetum precum & psalmorum pensum prætermisit; nisi quod paucis ante obitum diebus præ infir-

ANN. CHR. 1087.

mitate missatum sollemnia celebrare desiit. Quin etiam cilicium, quo corporis molitiem tot annis attriverat, nec ad momentum deponere sustinuit, immisericorditer misericordes appellans fratres, qui secus suadebant, effatus, *quod servum Christi nonnisi in cilicio & cinere decet mori.* Altera ante ejus obitum die adfuere Henricus Leodicensis episcopus & Berengerus sancti Laurentii abbas, ex clerico monachus ab eo consecratus & institutus, aliique quam plures religiosi viri, ut ejus funus honorarent. Horum adventu non mediocriter recreatus venerabilis senex, episcopo sui ovilis curam commendavit, seque ab eo absolvi & sacro oleo inungi rogavit, precatus insuper, ut ipsius exsequias curaret. Inter crebros singultus mortis prænuntios, per totam nihilominus insequentem usque ad matutinales vigilias noctem, ipsum proximæ mortis stridorem in Domini laudes convertebat, totumque psalmum XC. & canticum trium puerorum, multaque alia cum symbolo fidei recitavit. tum *salutaris Eucharistiæ sacramenta sibi afferri præcepit, erectusque lectulo, Deo se commendans, solita humilitate & reverentia ea percepit;* benedictisque fratribus, anno ætatis suæ octogesimo nondum expleto, monasticæ professionis septuagesimo, abbatialis dignitatis tricesimo-tertio, incarnationis dominicæ M LXXXVII. & quidem VIII. kal. Septembris hora diei fere tertia, ad Deum migravit, cui a puero semper devotissime servierat. Ejus corpus tertia post mortem die ab Heinrico episcopo in sarcophago lapideo compositum, sepulturæ mandatum est ad altare beatissimæ virginis die XXVII. mensis Augusti. Librum de ejus vita rogatu Lamberti Andaginensis monachi scripsit gravis auctor anonymus, ejus æqualis, quem esse Heribrandum sancti Jacobi Leodiensis monasterii monachum, postmodum sancti Laurentii abbatem ait Bucelinus, penes quem sit fides. Certe nulla hac de re mentio in ejus elogio apud Fisenum [a]. Theoderico Andaginensi abbati substitutus Theodericus [b] secundus, libertatem ecclesiæ suæ invicta constantia defendisse dicitur, & anno M C IX. pedum posuisse, ut Rotberto abbati locum faceret. De Berengero sancti Laurentii abbate plura inferius.

[a] Floris Leod. p. 263. & seq.
[b] ibid p. 438.

Senonienses abbates.

In Vosago Bercberus Senoniensis abbas, testante Johanne de Bayone, hoc anno decessit, cum Senoniense monasterium perquam laudabiliter rexisset. Ejus obitus in necrologio notatur IV. kal. Decembris, quo die *Bercher abbas hujus loci* laudatur. Eo mortuo, fere ad triennium vacavit abbatialis sedes, ad annum scilicet M XCI. quo Antonius ex cœnobio sancti Arnulfi ad illam dignitatem promotus fuit, ut suo loco dicturi sumus. Hæc vacatio contigit ob turbas Mettensis ecclesiæ, cui tunc Senoniense monasterium in temporalibus subjectum erat. Erat Antonius natione Italus [c] seu Longobardus, ortu Ticinensis, moribus non minus, quam genere illustris. Hic, relictis parentibus rebusque paternis, Galliam peragrare instituit; factumque est, ut ad urbem Mettensem profectus sancti Arnulfi monasterium, fama celeberrimum, frequens inviseret. Hinc ejus loci monachis factus familiaris, in eorum societatem se admitti postulavit, idque facile obtinuit. Tum, probata ejus virtute ac prudentia, Laïensi * cellæ præpositus fuit. quod officium strenue administrabat, cum ad Senoniensem abbatiam provectus est. Inter alia prædictæ cellæ ædificia omnia, quæ ruinæ proxima erant, instauravit, redituśque ita auxit, ut, cum ad ejus ingressum vix duo tresve monachi sustentari possent, ejus tempore deni, vel etiam duodeni alerentur.

[c] Spicil. to. 3. p. 322.

* de Lay.

L.

Benno Osnabrugi episcopus duorum monasteriorum auctor.

Hoc ipso anno excessit e vivis VI. kal. Augusti Benno episcopus Osnabrugensis, in ecclesiæ communionem ante septennium restitutus, qua propter schisma Henricianum ab Altmanno, sedis apostolicæ legato, privatus fuerat. Duo ab eo monasteria nostri Ordinis condita, dotataque sunt, unum virorum, alterum puellarum. Illud Iburgense dictum a monte Iburgo Osnabrugi suburbano, quod monachis e Coloniensi sancti Pantaleonis cœnobio eductis primum commisit. quos cum inter latomorum ædificantium strepitus laxius vivere advertisset, e Mindensi alios severioris instituti accersiisse dicitur. Sic montem illum, in quo a Caroli magni ætate castrum exstitisse tradunt, divisit in episcopi sedem & cœnobium monachorum, quibuscum non raro conversari solebat. Alterum monasterium in monte sanctæ Gertrudis, urbisque conspectu exstruere cœpit: sed illud, morte præventus, successoribus absolvendum reliquit. Is honoratiori tumulo conditus jacet in Iburgensi monasterio, quod inter hæreticorum procellas semper fidei catholicæ constanter adhæsit. Bennonis episcopi res gestas scripsit Nortbertus [d] Iburgensis abbas tertius, quas Nicolaus Schatenus ad hunc annum in Annalibus Paderbornensibus compendiose retulit. Onasburgensem ecclesiam post Bennonem rexit Marcwardus Corbeiæ novæ abbas, cujus

[d] V. Bucelin. Germ. sac. to. 2. p. 398.

Marcwardus successor.

cujus regimen cum episcopatu retinuisse videtur: sub quo prior & præpositus monasterii curam habuere, ut in Annalibus Corbeiensibus legitur, ubi Gumpertus prior factus abbas dicitur, sed cujus loci, non dicitur.

ANN. CHR. 1087.

Regebat hoc tempore Augustense sancti Udalrici & sanctæ Afræ monasterium Sigenardus, qui ante annos septem abbas ejus loci ordinatus fuerat. Hic reliquias habere cupiens sancti Narcissi episcopi Gerundensis & martyris, qui sanctam Afram virginem olim ad Christi fidem adduxerat, necnon Felicis ejus diaconi, nuntium ejus rei causa hoc anno Gerundam misit cum litteris ad Berengarium illius urbis episcopum, ut voti sui effectum consequeretur. Litteris ejus benigne acceptis, episcopus quasdam alterius sancti Felicis, Gerundensis scilicet apostoli, reliquias misit, non Felicis sancti Narcissi diaconi, *quoniam ipse*, inquit, *translatus a piissimo rege Francorum Carolo apud Parisiorum civitatem honorifice requiescit*; insuper particulas vestimenti & stolæ beati Narcissi, cum quibus sepultus fuerat; at sibi non licuisse ait mittere de ejus corpore, quippe quod *hactenus Dei gratia*, inquit, *servatur incorruptum*, sicut ea die, qua mortuus fuerat. Exstat integra hæc Berengarii epistola in tomo secundo Martii [a] apud Bollandi continuatores, sub hac inscriptione: *Carissimo patri domino Sighardo abbati, & universæ sancti Udalrici & sanctæ Afræ martyris congregationi, Berengarius sanctæ sedis Gerundensis episcopus, cum omni clero & fideli populo, perfrui bonis omnibus semper in Christo.* Præter supra dictas reliquias eidem abbati de ossibus capitis atque manus sancti Romani martyris, socii prædicti Felicis apostoli Gerundensis, idem episcopus mittit cum ipsius Felicis passione, cujus natalis diem notat kalendis Augusti: at sancti Narcissi passionis librum amissum fuisse dicit strage paganorum, qui ecclesias Gerundenses vastaverant. Sacræ istæ reliquiæ Augustam-Vindelicorum illatæ sunt XII. kal. Augusti, ut notavit Velserus, qui hanc quoque epistolam retulit [b] in commentario ad conversionem sanctæ Afræ.

L I. Ad S. Udal. cum missæ S. Felicis reliquiæ.

a Martii to. 2. p. 623.

b Velser. p. 475.

Geisenfeldensi Bajoariæ parthenoni tunc præerat Frideruna abbatissa, quæ cum Udalrico Eistetensi episcopo pactum iniit hoc anno pro decimis opidi *Gamersheim*: quod pactum retulit Gretserus [c] in catalogo episcoporum Eistetensium, factum inter venerabilem illum episcopum, *& honorandam Friderunam Geisenfeldensem abbatissam*: cujus obitus notatur VIII. kal. Februarii, in necrologio sancti Emmerammi, at in Murensi VIIII. easdem kalendas; utrobique *Friderun abbatissa*, absque loci designatione. De hoc Geisenfeldensi parthenone superius egimus.

Frideruna Geisenfeldæ abbatissa.

c Gretser. p. 461.

JAm sextus fluebat mensis, ex quo post mortem Victoris III. legitimo pastore destituta erat Romana ecclesia, cum cardinales episcopi & abbates, in his Oderisius Casinensis, Terracinæ VIII. idus Martii ad comitia celebranda convenerunt, præmissisque precibus ac jejuniis, Oddonem seu Odonem Ostiensem episcopum, quem alii Othonem vocant, virum mediæ ætatis, pietate & eruditione insignem, VI. idus ejusdem mensis pontificem renuntiarunt, & Urbanum II. appellarunt. Hinc ille raptus ab omnibus, *& lanea exutus veste*, purpurea cappa indutus, ad aram sancti Petri deducitur, & in pontificali solio collocatur, ut fuse tradit Petrus diaconus [d] in continuatione chronici Casinensis. Mox ille, scriptis ad omnes ecclesias & principes epistolis, se in omnibus Gregorii VII. beatæ memoriæ pontificis vestigiis insistere velle denuntiavit. Ea vero ejus opinio & existimatio erat, ut omnes ejus electioni, uno fere Heinrico cum paucis asseclis excepto, ultro manus dederint. Inde post duodecim dies Casinum progressus, solito lateris dolore sancti Benedicti [e] meritis relevatus fuisse dicitur, in argumentum, ut Petrus diaconus interpretatur, exsistentiæ apud Casinum corporis beatissimi Patris, cujus reliquias in Galliam asportatas fuisse jam tum ægre ferebant nostri Casinates, quod Paulus diaconus, & ipse Casinas, ante annos trecentos probaverat. Tum Johannem Cajetanum, sacri illius loci [f] a pueritia monachum, patriarchii Lateranensis diaconum ordinavit, qui trium Romanorum pontificum, Victoris III. Urbani II. & Paschalis II. cancellarius, post multa præclare gesta, tandem summus pontifex creatus est, Gelasius II. appellatus. Nec multo post Odo alter, Cluniaci itidem monachus, in Ostiensi episcopatu suffectus est, adeoque Odo Odoni successit, Baldrici versibus celebratus, quem ille Urbano in pontificatu successurum falso ominatus est.

ANN. CHR. 1088.

L II. Urbanus II. eligitur.

d Chron. Casin. lib. 4. c. 2.

e ibid. c. 5.

f ibid. c. 7.

Dum Casini resideret Urbanus, salutandi ejus causa eo advenerunt Rogerius Apuliæ dux, & Boamundus fratres, Rotberti Guiscardi filii, cum multis comitibus &

Bantini monasterii basilicam dicat.

ANN. CHR. 1088.

baronibus,& cum eis Urso, Bantini prope Acheruntiam Apuliæ urbem monasterii abbas, precati, ut ad dedicandam ejusdem monasterii basilicam se pontifex conferre ne gravaretur. Postulatis benigne annuit pontifex, ejusque loci ecclesiam in honorem Deiparæ Virginis consecravit, ipsumque monasterium amplissimo immunitatis diplomare decoravit, a Baronio ad hunc annum relato, quod de Casinensi monasterio conciliorum editores perperam interpretantur. Eamdem immunitatem adversus pervasores auctoritate sua roborarunt Rogerius & Boamundus, hortatu Urbani II. cujus hac de re epistola exstat, & pontificium diploma, quod cum pervasores illi abstulissent, suis litteris suppleverunt, idemque Paschalis II. postea confirmavit.

LIII. Hugonis archiepiscopi epistola ad Mathildem. a *supra n.1.* b *Spicil. to. 2. p. 405. & seqq.*

Post Urbani electionem Hugo Lugdunensis archiepiscopus epistolam ad Mathildem comitissam scripsit, præter eam, de qua superius [a] diximus. In primis [b] eam » hortatur ad perseverandum in fide & obsequio Romanæ ecclesiæ, qua in re adju- » tores apud Deum & commendatores habitura sit sanctæ memoriæ papam Grego- » rium & beatum Anselmum Luccensem episcopum, quos, cum viverent, in omni pie- » tate & justitia informatores habuerat. His præmissis, duo præstat, quorum gratia » hanc epistolam scripsit. Primo siquidem purgare conatur schismatis crimen, quod » adversus Victorem III. excitasse accusabatur. Tum de Hugone abbate & monachis » Cluniacensibus conqueritur. De priori: *Et nos quidem*, inquit, *licet de recuperatione electionis domni abbatis montis Casini a quibusdam sancta Romana ecclesiæ episcopis & cardinalibus presbyteris dissenserimus; unde aliquibus illorum, cur nobis aliter videretur, etiam apud Capuam palam rationes reddidimus: tamen scire vos volumus, ab unitate eorum, qua in corpore sanctæ ecclesiæ ad serviendum beato Petro divina dignatione compacti sumus, nec discessisse, nec in perpetuum, Deo miserante, discessuros; immo habere propositum apostolica sedis profectibus modis omnibus deservire.* Deinde subdit sibi tantas » a Cluniacensibus monachis injurias inferri, ut eas nullo modo æquanimiter sustinere » valeat, nimirum quod illi eum schismaticum & schismatis auctorem haberent; adeoque ab ejus communione & Richardi Massiliensis abbatis abstinerent, prætentis quibusdam Urbani papæ litteris, quas ille ob futilem rationem suspectas reddere conatur. Ad hæc queritur de venerabili Hugone Cluniacensium abbate, quod anno præ- » terito, die sancto parasceves, more solito pro imperatore orationem fecisset, quam » Gregorius VII. pro ejus excommunicatione & depositione dici præcepisset, qua » de re cum a se in judicium coram episcopis vocatus fuisset, judicium subire detre- » ctaverit, visumque sit episcopis, ut ad mitigandam discordiam induciæ usque ad præ- » finitum tempus ei darentur. In fine Rotgerum cardinalem subdiaconum, qui brevi Romam aditurus erat, Mathildi commendat. Hactenus de illa epistola Hugonis archiepiscopi Lugdunensis.

LIV. Toletanæ ecclesiæ primatum restituit. c *lib. 66. n. 2.*

Inter hæc Bernardus Toletanus præsul, de cujus promotione superius [c] actum est, Romam adiit, ut ecclesiæ suæ primatum a Romano pontifice restitui curaret. Hunc benigne excepit Urbanus, utpote Alfonsi regis litteris & Hugonis Cluniacensis abbatis favore, ne quid de propriis ipsius meritis dicam, præcipue commendatum, ejusque ecclesiæ primatus honorem, per trecentos circiter septuaginta annos interpolatum, quamdiu scilicet Sarraceni Toleto potiti erant, in pristinum decus restituit. Exstat hac de re Urbani pontificium diploma, a Baronio relatum ad hunc annum, quo in diplomate meminit Romanæ illius Bernardi profectionis, quam ante electum Urbanum forte aggressus erat, & Bernardum nostrum sic alloquitur. *Igitur voluntate & consensu unanimi comprovincialium populorum, pontificum atque principum, & Ildefonsi excellentissimi regis, te, frater carissime Bernarde, primum illius urbis post tanta tempora præsulem eligi divina placuit examini majestatis. Et nos ergo miserationi superna gratiæ respondentes, quia per tanta terrarum, mariumque discrimina Romanæ auctoritate ecclesiæ suppliciter expetisti, ut auctoritatem christianam Toletana ecclesiæ restituere non negaremus; gaudemus, & etiam corde lætissimo magnas, ut decet, Deo gratias agimus, quod tantam nostris temporibus dignatus est christiano populo donare victoriam, statumque ejusdem urbis, quoad nostras etiam facultates, stabilire atque augere, ipso adjuvante, peroptamus.* Quare pontifex eidem Bernardo pallium concedit, & *in totis Hispaniarum regnis* primatum denuo instituit. Datum Anagniæ hoc anno, idibus Octobris, *per manus Johannis diaconi S. R. E. & prosignatoris domni Urbani secundi papa*, ipsius scilicet Johannis Cajetani, quem Lateranensis patriarchii diaconum ab Urbano ordinatum mox dicebam.

Jam ab aliquot annis Compostellana sedes translata fuerat ad Iriensem ecclesiam, cujus loci episcopus Didacus *Pelaiz*, Alfonsi regis offensam, incertum quam ob causam, incurrerat, & ab eo in custodiam retrusus fuerat. Hinc consilium cepit alterius episcopi in ejus locum substituendi; coactoque apud sanctam Mariam de Fusellis concilio, cui Richardus Massiliensis abbas & apostolicæ sedis legatus præfuit, eidem Dudaco persuasum est, ut, si liber e vinculis abire vellet, se ipse episcopatu indignum in synodo palam fateretur. quod cum fecisset, statim virgam & anulum resignavit in manus legati, qui eum mox depositum pronuntiavit, & alterius in ejus locum substituendi facultatem concessit. Verum nec sic libertatem consecutus est infelix præsul; immo in carcerem denuo conjectus est. Rex vero auctor fuit, ut Petrus Cardiniensis abbas in ejus locum sufficeretur. At vix Petrus Compostellanam ecclesiam biennio rexerat, cum a Rainerio apostolicæ sedis legato in Legionensi concilio exauctoratus est.

ANN. CHR. 1088. LV. Petrus abbas fit episcopus Compostellanus.

Ex his, quibus Urbanus electionem suam litteris significavit, unus fuit venerabilis Hugo Cluniacensis abbas, cui peculiarem hac de re epistolam scripsit, dignam certe, quæ hoc loco integra referatur, quippe quæ totam istius electionis historiam, ipsiusque Urbani de Hugone abbate, atque intimos pietatis sensus præclare repræsentat. Sic autem habet.

LVI. Hugoni abbati Clun. Urbanus electionem suam significat.

Urbanus episcopus servus servorum Dei Hugoni reverendissimo abbati Cluniacensi, omnique ejus sancto conventui salutem & apostolicam benedictionem. Quoniam sanctitatem vestram satis avidam exaltationis Romanæ ecclesiæ novimus, ea quæ circa nos acta sunt compendio vobis notificare curamus. Notum itaque facimus dilectioni vestræ, quod apud Terracinam Campaniæ civitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ episcopi & cardinales, Portuensis videlicet, Sabinensis, Tusculanus, Albanensis & Signensis, cum aliis episcopis numero sexdecim, & abbatibus quatuor, aliisque quamplurimis viris religiosis convenientes; cum Portuensis episcopus omnium Romanorum clericorum catholicæ parti faventium se legatum diceret; abbas vero Casinensis cardinalis diaconus ceterorum diaconorum; P. quoque cardinalis tituli sancti Clementis omnium cardinalium; præfectus autem Urbis laicorum omnium se ferre assereret legationem, cumque post triduanum jejunium, supplicationibus multis, magnisque ad Deum precibus vehementer insisterent, quod ego quidem omnino dignus non fui, tandem me sibi quarto idus Martii in pontificem elegerunt. Quibus, Deum testor, non ambitionis causa, nec alicujus dignitatis desiderio assensum præbui: sed quia tot tantisque viris inobediens esse verebar, talique quali tempore si quantum ad me periclitanti ecclesiæ non subvenirem, Deum me offendere metuebam; præsertim cum prædecessores meos viros omni veneratione dignos, Gregorium scilicet atque Victorem, hoc sibi divine præcepisse asserunt. Rogo igitur, desiderantissime, nimiumque te deprecor, ut, si qua tibi sunt pietatis viscera, si qua filii & alumni tui est tibi memoria, me multum id cupientem tua præsentia consolari; sanctamque matrem tuam Romanam ecclesiam, si umquam possibile fuerit, tuo multum nobis optablili adventu visitare digneris. At vero si id fieri nequit, ut tales de filiis tuis confratribus meis te ad nos mandare non pigeat, in quibus te videam, te suscipiam, tuæ consolationis in immensis perturbationibus positus verba cognoscam, qui tuam caritatem, tuaque dilectionis affectum mihi repræsentent, qui qualiter & tu omniumque fratrum nostrorum se habeat congregatio mihi denuntient. Precor autem, ut omnem sanctorum fratrum congregationem commonere facias, ut apud omnipotentis Dei clementiam preces effundant, quatinus & nos & ecclesiam suam sanctam, quæ tantis videtur subjacere periculis, in pristinum restaurare statum dignetur. Noveris enim omnibus specialius hoc negotium super te pendere. Vale. Datum III. idus Maii apud Terracinam.

Hæc epistola scripta videtur postridie ejus electionis, adeoque forte legendum III. idus Martii. nisi si post dedicationem Bantini monasterii Terracinam revertit, unde in Siciliam transmiserit. Quamquam haud veri simile est, Urbanum tam sero electionem suam amantissimo patri significasse. Eidem confirmavit privilegia & immunitates Cluniacensis monasterii & loca ei subjecta, litteris [a] *Hugoni sanctissimo abbati Cluniacensi* inscriptis. qui *sanctissimi* titulus in consequentibus repetitur his verbis: *Tibi ergo, sanctissime, reverendissime ac dilectissime frater* &c. quo elogio usum fuisse pontificem mirari subit, cum in aliis suis litteris, immo & in prima mox relata, eum tantum *reverentissimum* dicat. Ut ut est, hoc diploma datum fuit Romæ hoc anno kalendis Novembris *per manus Johannis diaconi S. R. E. prosignatoris domni Ur-*

a Bibl. Clun. pag. 514.

ANN. CHR. 1088.

bani II. papa, quo *prosignatoris* titulo usus est Johannes duobus primis Urbani pontificatus annis, cum nondum cancellarius esset, quod officium deinceps semper exercuit, Urbani in omnibus angustiis adjutor.

LVII. Cluniaci nova ecclesia construi cœpta.

a *Bibl. Clun. p. 457.*

Hic annus erat Hugonis abbatis ætatis sexagesimus-quintus, præfecturæ quadragesimus, quo novam Cluniaci ecclesiam ædificare cœpit, adeoque amplificare, ut mille fratribus capiendis idonea esset, testante Alberico, qui ejus initia non recte anno M LVI. consignat. Tempus accuratius indicat anonymus in libro [a] de vita sancti Hugonis, aitque, eum ad aggrediendum tantæ molis opus inductum fuisse monitu sanctorum apostolorum Petri & Pauli, ac beati Stephani, qui Gunzoni, Balmensis quondam monasterii abbati, tunc vero claustrali Cluniacensi & paralytico, ejus rei mandatum Hugoni abbati perferri jusserint, novæque basilicæ specimen dederint. Gunzonis dictis fidem fecit sanitas ei protinus restituta. Nec mora venerabilis Hugo illud stupendæ molis opus aggressus est, beatorum apostolorum patrocinio & ope, uti spoponderant, confisus; illudque intra viginti annos absolvit, suppetias conferente in primis Aldefonso seu Alfonso Hispaniæ rege, ut inferius videbimus. Novæ illius ecclesiæ fundamenta pridie kalendas Octobris hujus anni jacta fuisse legitur in chronico Cluniacensi. Superest ad hoc usque tempus amplissima hæc basilica, ab aliis dein abbatibus aucta, cujus icbnographiam & conspectum in adjuncto folio, brevemque descriptionem qualem ante aliquot annos oculis conspeximus, hic exhibere injucundum non erit.

Ejus descriptio.


Cum ex abbatiali aula in augustam illam basilicam ingrederis, post excelsam lapideam crucem se se offert atrium, inter duas turres apertum, ex quo in basilicam per quadraginta gradus fit descensus. In turri meridionali justitiæ sedes; in aquilonari archivum. Atrio succedit amplissimum vestibulum, justæ ecclesiæ haud impar, ad majorem basilicæ portam porrectum, cujus longitudo pedum CX. latitudo LXXXI. altitudo C XVIII. quod opus est Rollandi abbatis sub annum M CC XX. Hucusque totam Cluniaci ecclesiam lustrasse tibi facile persuadeas. at nonnisi vestibulum est, ut jam dixi, basilicæ ingentis, quæ quadringentis ac decem pedibus in longum constat, centum viginti in latum, opus sancti Hugonis abbatis. Hæc duas collaterales porticus habet, duas item transversales cruces, totidemque rotunda arcuatæ fastigia structuræ, quæ lucernæ instar totam basilicam illustrant. Ad orientem tota grandissimæ illius fabricæ moles absidæ paullo depressiori incumbit, octo columnis, quarum singulas homines duo facile complectantur, ad miraculum suffulta. Fenestræ omnes angustæ, adeoque basilica tota subobscura: quales amabant majores nostri, quod immodica luce cogitationes dispergi, parciori ac veluti dubia colligi animos, inrendique pios sensus persuasum haberent. Hinc est quod amplificatis sæculo sequenti ecclesiarum fenestris opaca & colorata vitra adhibita sunt, quæ lucem temperarent. Nunc longe alii mores apud nos, qui nonnisi perlucida vitreamina amamus, ad oblectandos oculos quam ad augendam pietatem aptiora. Ceterum tanta basilica, commoda, sonora, nulla lignorum contignatione, sed solis tegulis fornici impositis cooperta, opus est, ut dixi, annorum viginti, tam solide constructa, ut post sexcentorum amplius annorum spatium nullas agat ruinas. In maximo choro sedilia CCXXV. monachi nunc minimum sexaginta; pueri chorales ex ingenuis ac nobilibus familiis numero sex, monastico habitu induti: quorum, ut olim, maxima cura est etiam nunc. Communio sub utraque specie ad majus altare omnibus ministris præbetur singulis diebus dominicis & festis. Sub altari matutinali, sancti Hugonis abbatis, immensi illius operis auctoris, tumulus visitur, ab hæreticis violatus; uti & monumentum Petri Venerabilis, quod ad australem parietem extra sanctuarium positum est. Ex adversa parte jacet Pontius abbas, sancti Hugonis successor, qui, propterea quod ecclesiæ anathemate ob dilapidatum Cluniaci thesaurum inflicto, nec soluto, mortuus sit, pedes præfert panni figura irretitos. Gelasius papa, eo nomine secundus ex Cluniacensi monacho, ad parietem chori versus meridiem humatus est in ea transversa parte, per quam monachi in chorum conveniunt. Ejus palatii veteres parietinæ ad portam monasterii cernuntur. Refectorium, stupendæ itidem molis, ad austrum e regione basilicæ positum, sex mensarum ordines habet. Infirmorum ædes magnitudine non impares: cetera ædificia nihil observatu dignum exhibent.

LVIII. Andaonensibus facta donatio.

Hoc ipso anno Raimundus Tolosæ comes, idemque dux Narbonæ, & marchio Provinciæ, Andaonense seu Avenionense sancti Andreæ monasterium adiit, & inspecta

T. 5. Annal. Bened. inter pag. 252. 253.

...censio.



A. Gradus quibus in a... ditur
B. Crux lapidea.
C. Turris in qua locus ... tinatus.
D. Turris in qua arch...
E. Minor navis seu atr...
11. Sepulcrum Petri Venerabilis
12. Sac. S. Dionysii
13. Capella Borbonia.
14. Sac. S. Eutropii
15. Janua claustri Beatæ Mariæ de Cœmeterio
16. Sac. S. Martialis
17. Sepulcrum Jacobi ab Ambosia abbatis.
18. Sac. S. Stephani.
19. Janua Majoris claustri
20. Altera ejusdem claustri janua minor.

P. F. Giffart ex.

fratrum Deo ibidem servientium regulari vita, ad sanitatem corporis obtinendam, animæque salutem, eidem monasterio, ejusque abbati Petro ac fratribus donat *Podium* [a] *de Todone*, aliaque in ipsius litteris expressa, hoc anno datis. Petrus Andaonensis abbas Pontio successerat anno præcedente.

[a] *Spicil. to. 8. p. 159.*

Pueri oblatio Gellone.

Tunc Gellonensi monasterio præsidebat Berengarius abbas, cujus tempore, & quidem hoc ipso anno, vir nobilis Ademarus-Guillelmi [b] ipsiusque uxor Garsindis filium suum Geraldum, & cum eo ecclesiam sancti Martini apud Lundras, ad altare « sancti Salvatoris Gellonensis cœnobii,& dominicæ Cruci,sanctoque confessori Christi « Willelmo & abbati Berengario, universisque monachis obtulerunt *ad monachilem* « *habitum*, eo pacto, ut jam dictus Geraldus semper monachus exsistat; & si ipse mor- « tuus fuerit, pro hac ipsa donatione alius filius loco illius subrogetur; *& sic unus succedat alteri, donec aliquis missam cantet ex his sub monachili habitu jam dicto loco serviens.*

[b] *Analect. to. 3. p. 470.*

LIX. Pontonis monasterium.

Conditum fuit medio fere sæculo decimo monasterium in honorem sancti Caprasii a Torto seu Arreforti vicecomite Artacensi in pago Lannensi *, diœcesi Aquensi *, ad ripam fluvii Aturis *, in loco Pontonis dicto, subjectumque Floriacensi cœnobio & Amalberto abbati; & Regulæ agri Burdegalensis monasterio, quæ cella est Floriacensis abbatiæ, attributum. Processu temporis Bernardus Aquensis episcopus locum invasit. quod gravate ferens Augerius Regulæ prior, rem detulit ad concilium Burdegalense, cui Amatus archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus præsidebat, adstantibus Guillelmo-Bernardo, aliisque episcopis. Causa ventilata, prædicti monasterii restitutio Regulæ adjudicata; quod Bernardus haud multum reluctans exsecutus est. Interfuere huic synodo, præter Amatum & Guillelmum archiepiscopos, Simon Aginnensis, Rainaldus Petragoricensis, Ademarus Engolismensis, Odo Bigorræ, Bertrannus Convenarum, Petrus Adurensis, Stephanus Vasatensis & Bernardus Aquensis, episcopi: quorum postremus is est, cum quo hæc causa discussa fuit. In litteris hac de re confectis, quibus omnes signum suum apposuere, non exprimitur annus, quo hæc synodus habita est. At vix ante hunc annum celebrari potuit: siquidem Amatus nonnisi anno superiori successit Goscelino in sede Burdegalensi. Tortarius sæculo duodecimo Floriacensis monachus, in libro [c] de miraculis sancti Benedicti mentionem facit illius monasterii, cujus vulgare vocabulum *Pontons* barbarum dicit, atque situm esse *in pago Ausciensi, supra flumen Adurcium*, quod in Aquensi pago situm esse constat: ubi alterum brachium sancti Mauri martyris a Floriacensibus positum sit, alterum Diaci in territorio Tornodorensi. Quid Mathildi uxori Guillelmi VIII. Pictavorum comitis & Aquitaniæ ducis apud Pontones acciderit, docet idem auctor. quippe, Guillelmo ad sacram expeditionem profecto, cum ejus conjux provinciam lustraret militum stipata comitatu, contigit ut Pontones adiret. Horum comperto adventu, incolæ præ metu res suas in ecclesiam inferunt. Militibus religio fuit ob loci reverentiam eas attingere, uno excepto, qui saccum frumento plenum inde abstulit: sed paullo post misere periit. Lege quæ de hujus cellæ incendio superius [d] diximus.

* *les Lannes.* * *d'Acqs.* * *l'Adour.*

Burdegalense concilium.

[c] *Tortar. capp. 22. & 23.*

[d] *lib. 60. n. 59.*

LX. S. Cypriano abbatia S Romani data.

Apud Pictones exstabat ab antiquo abbatia sancti Romani, de Castro-Heraldi *, in clericali ordine olim formata & instituta. Hanc Boso vicecomes & Adenors ejus conjux, quorum juris hæc abbatia erat, consilio & assensu Isemberti primum Pictavensis episcopi, dein Petri ejus successoris, consentienribus etiam ejusdem loci canonicis, monasterio beatæ Mariæ semper virginis & sancti Cypriani per manum Rainaldi abbatis contulerunt. *Actum hoc incarnationis dominicæ anno* M LXXXVIII. *rege Philippo, duce Willelmo, Petro episcopo.* Subscribunt post donatores Stephanus-Sicci abbas prædictæ sancti Romani abbatiæ, Aimericus decanus, aliique canonici. Rainaldo abbati Petrus episcopus mox laudatus amplissimum indulsit privilegium, quo, habita ejus humilitatis & pietatis ratione, omnes donationes eidem monasterio factas confirmavit, enumeratis cunctis ecclesiis, quæ eidem subjectæ erant. Rainaldo abbati successit venerabilis Bernardus, multis deinceps a nobis commemorandus, de quo hic quædam præmittenda sunt.

* *Chatellerault.*

S. Laurentii ecclesia Aniaco data

Angeriacensi monasterio tunc præerat Odo abbas, cujus tempore Otbertus, Ambianensis ecclesiæ celeberrimus frater seu canonicus, ecclesiam sancti Laurentii, prope Helliacum in Corbeiensi territorio sitam, sancto Johanni-Baptistæ Angeriacensium patrono contulit, ut illic monachorum cella fieret. Id factum tum ob

ANN. CHR. 1088.

famam religionis Angeriacensium cœnobitarum, tum in gratiam Rotberti ejus loci monachi, nepotis Raimundi Ambianensis canonici: quorum hortatu prædictus Otbertus hanc donationem fecit, quam Wido decanus, Anselmus archilevita & totus clerus Ambianensis ecclesiæ litteris suis hoc anno datis confirmarunt, quas in Appendice videre licet. Tetbaudus seu Theobaldus, Otberti frater, adjacentem silvam suam in usus fratrum concessit. Non tamen diu hæc ecclesia stetit in possessione Angeriacensium, quippe non multo post data canonicis regularibus sancti Augustini, ut suo loco dicturi sumus. Odoni abbati jam successerat Aosculfus anno M XCVI. quo pepigit de ecclesia Vareziæ cum Petro abbate Carrofensi.

LXI. Bernardi Tironiensis vitæ primordia & monachatus.

Beroardus, Tironiensis monasterii & congregationis futurus auctor, quem deinceps ad aliorum cognominum discrimen Tironiensem appellabimus, in Pontivo, Abbatis-villæ territorio, honestis & religiosis parentibus ortus est. Ab ineunte ætate litterarum studiis adhibitus, juvenilibus spretis, totum se ad informandum pietate & liberalibus disciplinis animum convertit. Dein sacrarum scripturarum intelligentiam assecutus, cum annum ætatis fere vicesimum attigisset, divino instinctu patriam deseruit, & cum tribus sodalibus, pari sanctioris vitæ desiderio flagrantibus, Aquitaniam ingressus, ad Pictavorum urbem pervenit. Illic sollicite inquirunt, ubi regularis vitæ disciplina vigeret, *ut melioribus se sociarent, & sanctioribus vitam suam regendam committerent.*

S. Cypriani monachi illustres.

Florebat rum e propinquo sancti Cypriani monasterium, cui mox laudatus Rainaldus præerat, vir apprime litteris eruditus, multaque sapientia & eloquentia præditus, non modo in Aquitania, sed etiam in curia Romana celebris, sancti Rotberti Casæ-Dei conditoris, ut superius diximus, olim discipulus: sub quo complures monachi genere nobiles, sed vitæ sanctimonia & morum gravitate nobiliores, ibidem conversabantur. Ex his præcipui erant Hildebertus, postea Dolensis monasterii apud Bituriges abbas, ac demum Bituricensis archiepiscopus; Gervasius dein sancti Savini abbas, vir summæ abstinentiæ & virtutis in libro de vita Bernardi; & Garnerius, Montis-Maurilionis olim dominus, qui solitudinis amore anachoreticam vitam cœnobiticæ prætulit. Tantorum virorum contubernio Bernardus se adjungere non dubitavit, eorumque exemplo per decem annos informatus, is demum evasit, ut omnes eum uti virtutum ac regularis vitæ speculum suspicerent. Unde, cum Gervasius mox dictus ad regimen sancti Savini monasterii postulatus fuisset, non prius electioni suæ acquiescere sustinuit, quam Bernardus sibi adjutor concederetur, ut postea videbimus.

LXII. Andreas Vallumbros. nus in Gallia condit monasteri. a Orderic. lib. 8. p. 714.

Per id tempus venerabilis Andreas, prior Vallumbrosani in Tuscia monasterii, in Franciam accessit, *vir genere Italus*, inquit Ordericus [a], litteris non mediocriter instructus, *& lucrandis Deo animabus per ejus gratiam maxime idoneus.* Occasionem narrat scriptor patriarchii Bituricensis, qui vulgo Benedictus Vernerius esse creditur, at verius Christophorus Ulierdenus, monachus, ut ille, Sulpicianus. Sic autem hic rem commemorat. Sedente Leodegario primo ejus nominis Bituricensi archiepiscopo, immo Richardo II. nobilissimus quidam comes Jerosolymis in Galliam revertens, Romam adiit, & a summo pontifice sanctorum martyrum Cornelii & Cypriani reliquias obtinuit. Tum vero impetratis etiam ex florentissima monachorum Vallis-Umbrosæ congregatione aliquot devotis fratribus, quorum prior erat Andreas, vir religione insignis, comes voti compos in patriam revertit, eisque fecit potestatem eligendi in sua ditione quemlibet locum ad monasterium suis impensis ædificandum. Delectus ab eis locus in confinio diœcesis Aurelianensis & Bituricensis, & quidem in dominio hodierni ducis sancti Aniani, ubi celeriter exstructum monasterium, a prædicto comite dotatum, sacrisque instructum beatorum Cornelii & Cypriani reliquiis, & Corneliacum * appellatum. Hactenus fere prædictus auctor, qui addit, complures alias ab eodem Andrea priore constructas fuisse cellas & monasteria: quorum præcipuum est illud, quod olim Casale-malanum, modo Casale-Benedictum appellatur, non hoc anno, ut in chronico Maxentiano legitur, sed post annos quinque ædificatum: cui hactenus subest cella Corneliacensis, de qua inferius iterum mentio recurret.

* Cornilly les Centres.

LXIII. Besuenses reformat Stephanus abbas. b lib. 66. num. 101.

Quo in statu eo tempore fuerit Besuense in Burgundia monasterium, in superiori [b] libro exposuimus, ubi de venerabili Stephano sancti Eugendi monacho actum est, qui cellæ sancti Stephani diœcesis Lingonensis in monte, qui Barrus dicitur, in

ANN. CHR. 1088.

comitatu Tricassino ad Sequanam positæ, tum præerat. Ejus comperta virtutis fama, Rotbertus Lingonum præsul, de reformanda Besuensium conversatione perquam sollicitus, eumdem instinc ad instaurandam illic regularem disciplinam accersivit. Ubi primum advenit, ab ipso venerabili episcopo hoc anno, quamvis renitens, abbas ordinatur. Jam vero quanta cura, quanto studio Besuense monasterium emendare & amplificare studuerit, etsi cessent verba, ipsa testantur opera, inquit Johannes [a] ejus loci chronographus. Quamvis enim monasterium istud a quingentis amplius annis primitus constructum fuisset, certe a Stephano abbate sic innovatum, sic in melius immutatum memoratur, ut initium ab eo sumsisse videretur. Quocumque ille pergebat, quidquid vel in ædificiis concinnum, vel in moribus honestum, vel in ritibus congruum deprehendebat; id totum Besuæ exhiberi satagebat. Unde ita refloruit ibidem religio, ut ejus fama non modo per Gallias, sed Romam usque diffunderetur. Ex quo factum est, ut, cum antea vix viginti monachi illic habitarent, eo abbate numerus ad sexaginta excreverit, quibus necessaria abunde suppetebant. Si vero computentur ii, qui in cellis extra Besuam degebant, omnium numerus ad centenarium consurgebat. Ex his porro assumti fuere non pauci ad regimen aliorum monasteriorum, quales exstitere abbates, Wido sancti Michaëlis Tornodorensis, Henricus sancti Sequani, Eustasius sancti Eligii Noviomensis, & Godefridus sancti Johannis Reomaënsis, qui licet primo Besuæ monachus non fuerit, inde tamen assumtus est. Mitto varia ecclesiæ ornamenta & decora ab eodem procurata, auctam bibliothecam, remque familiarem, ut probant plurimæ donationes eidem loco tunc factæ, quarum plerasque chartas refert Johannes chronographus, qui Stephano abbate ibidem floruit, ut inferius dicturi sumus. Superstes fuit Stephanus ad annum saltem M C XIX. cujus elogium metricum, simulque prædicti Johannis, ex chronico Besuensi referemus.

a *Spicil. to. 2. p. 606.*

LXIV. Reomaënses & Noviomenses abbates.

Godefridus Reomaënsis abbas, modo laudatus, Theoderico successit, *pacis amicus*, ut in veteri abbatum catalogo legitur. Successorem habuit sub finem undecimi sæculi Bernardum abbatem, ejus nominis secundum, de quo plura inferius. Non ante sæculi duodecimi initia præfecturas adepti sunt tres alii superius laudati, Wido sancti Michaëlis Tornodorensis, Henricus sancti Sequani, Eustasius sancti Eligii Noviomensis abbates. Certe Eligiano monasterio eo tempore, quo hic sistimus, præerat Johannes, cui Radbodus episcopus anno sequenti ecclesiam Susannæ & Vallis altaria in frequenti synodo concessit anno sui episcopatus XXII. ad annum usque M C II. superstes, quo anno litteris Balduini episcopi, eo nomine secundi, cœnobio de Monte-sancti-Quintini datis, subscripsisse invenitur. Johannem excepit Fulgentius abbas, qui immortalem ex hoc mundo triumphum sancti Anselmi archiepiscopi & sancti Hugonis abbatis suspexisse traditur; Fulgentium Eustasius seu Eustachius mox laudatus.

LXV. Theodericus episc. Virduni a monachis absolutus, moritur.

Excessit e vivis hoc anno Theodericus episcopus: qui, quod Heinrico regi schismatico præfracte adhæsisset, communione privatus fuerat, & sancti Vitoni monachos, Romano pontifici constanter addictos & sibi adversantes, e monasterio expulerat. Hunc senio & annis [b] gravem, cum ad extrema pervenisset, nec adesset qui eum sedi apostolicæ reconciliaret, Rodulfus Vitonianus abbas reconciliandum curavit. Duos quippe e suis monachis, Gerardum quondam archidiaconum, & Gerbertum postea sancti Mauricii seu Bellilocensis monasterii abbatem, ad eum misit: quos cum ille suo lecto assistentes vidit, nutibus quibus potuit, (nam loquendi expers erat) mox salutavit, & reconciliari petiit, eisque offensas ejus in sedem apostolicam per capitula proponentibus, ipse ad singula supplicibus ac demissis oculis, tunsione pectoris culpam fateri, & veniam petere videbatur; at, ubi culpam de monachis ab eo expulsis proposuerunt, tum vero duobus pugnis crebrius pectus tundens, altius ingemuit: ita ut omnes, qui præsentes aderant, in lacrymas prorumperent. Hinc ab illis duobus monachis absolutus, (quod postea Hugo Lugdunensis præsul in synodo approbavit) post paullulum exspiravit, scilicet IV. kal. Maii, ut in sancti Agerici necrologio legitur, cui loco multa beneficia contulit, vir in multis laudabilis, nisi schismatis macula extremos vitæ suæ annos dehonestasset.

b *Spicil. to. 12. p. 289.*

LXVI. Richerus successor per Rodulfum abbatem reconciliatur.

Huic suffectus Richerus, Mettensis ecclesiæ decanus, qui, contra interdictum apostolicæ sedis, ab Heinrico pastoralem baculum accepit; ob idque septem annis episcopalis benedictionis expers fuit; donec Rodulfus abbas, quem cum omnibus ejus

ANN CHR. 1088.

monachis e Divionensi sancti Benigni monasterio, quo se receperant, statim a sua electione revocaverat, eum ad Hugonem Lugdunensem episcopum duxit: qui eum, abjuratione facta, sabbato sancto presbyterum, ipsoque die festo episcopum ordinavit. Inde Virdunum reversus, a Poppone Mettensi & Pibone Tullensi coëpiscopis suis, agente Rodulfo abbate, & a tota urbe honorifice susceptus est. Id factum ipso anno, quo apud Clarum-montem synodum celebravit Urbanus II. cui Richerus dona per legatos transmisit. Ita rem narrat Laurentius a Leodio, monachus Vitonianus; at paullo aliter Hugo [a], & ipse ejusdem loci cœnobita, testis rerum oculatus, qui sancti Vitoni monachorum reditum differt ad annum M XCII. quo anno, cum jam Virdunensi ecclesiæ Richerus prælatus esset, Mettenses Herimanno orbati episcopo, Popponem clericum Trevirensem elegisse perhibentur; eumque, quia Trevirensis archiepiscopus Wiberti antipapæ communione contaminatus erat, ab Hugone Lugdunensi archiepiscopo consecrari curavisse, agente ad eorum preces Jarentone Divionensi abbate, qui domnum Lugdunensem cum duobus ejus suffraganeis, Matisconensi scilicet ac Lingonensi, per bella & gladios in urbem Mediomatricum deduxit, ubi Poppo prima hebdomada quadragesimæ ab archiepiscopo consecratus est. Sequenti autem anno Richerus Lugdunum profectus, simonia purgata, die sancto paschæ ab eodem consecratus. Is sancti Agerici monasterio res amissas restitui satagit, eidemque nova beneficia contulit, ut in ejus loci necrologio legitur ad septimum idus Octobris. Idem etiam in alia monasteria munificum se exhibuit, maxime in cœnobium sancti Michaëlis ad Mosam, ut inferius videbimus.

a Labbe bibl. to. 1. p. 240.

LXVII. Alosti & Gislellæ parthenia.

In Belgio Letbertus abbas Hasnoniensis cum suis monachis hoc anno vendit Giselberto, Balduini Gandensis filio, quædam cœnobii sui alodia, quæ Balduinus [b] marchio, ejus *reformator*, olim ei contulerat, in his Alostum: ubi idem Giselbertus, ad terram sanctam profecturus, virginum Benedictinarum monasterium exstruxit, inde Forestum * prope Bruxellas per Odonem Cameracensem episcopum postea translatum.

b Miræi cod. donat. c. 63. * Vorst.

Hoc item anno conditum est prope Ostendam puellare nostri Ordinis cœnobium, eo videlicet in loco, ubi Godoleva, Bertulfi uxor, a furente marito ante annos octodecim strangulata fuerat. Ejus vero corpus hoc anno M LXXXVIII. a Drogone Teruanensi episcopo e terra levatum, in idem cœnobium translatum est.

LXVIII. Fulgentius Affligemiensis abbas.

Necdum tunc abbatem [c] super se statuerant Affligemienses, quorum una mens demum fuit, ut ne diutius rectore carerent. Consulendus hac de re visus est [d] Rodulfus, sancti Vitoni apud Virdunum abbas, vir inter sui temporis abbates præcipuus, qui brevi Leodicum ad sancti Lamberti festivitatem venturus erat. Illuc itaque missi duo e fratribus, Herimannus, e sancti Vitoni monasterio cum Fulgentio eductus, & Gerardus Niger, Rodulfi consilium expetunt. Ille vero Fulgentium eligendum suadet, &, ne is obsistat, obsignatas ad eum litteras scribit, quibus ad id oneris subeundum compellit. Hujus rei negotium ad festum omnium Sanctorum dilatum est: quo die Fulgentius, cui Rodulfi consilium incompertum erat, unanimi omnium consensu abbas eligitur. Tum ille resistere, gemere, se hoc munere indignum vociferari; ratus se fratrum electioni posse resistere. At illi in sua sententia constanter perseverantes, litteras abbatis ei tradunt, eumque demum pia violentia ad altare pertrahunt, & in sede abbatis statuunt. Ille vero nullum pertinaciæ suæ fructum esse perpendens, timensque ne perturbationis causa fieret, tandem importunitate eorum victus acquievit, onusque impositum, etsi ægre, reverenter subiit.

c V. supra num. 19. d Spicil. to. 10. p. 594. & seqq.

Affligemienses monachi illustres.

Interim ad conversionem eo venit quidam clericus, probitate, scientia, & genere conspicuus, Hugo nomine, cum quo Fulgentius, qui nondum pontificali benedictione confirmatus erat, Cameracum ordinandus ire a suis compulsus est, curavitque Hugonem ad diaconatum, ac paullopost Tornaci ad sacerdotium promoveri: quem mox priorem monasterii instituit, regularis disciplinæ ad annos fere trigintaquinque columen cum ipso futurum. Illuc etiam ad conversionem accessit Heribrandus princeps cum Adela uxore, divini judicii timore adductus, & post eum quinque ejus filii, ut fusius suo loco [e] dicturi sumus. De Francone, doctissimo Fulgentii discipulo, alias.

e lib. 68. n. 11.

LXIX. Witebiense monasterium instauratur.

In Anglia antiquissimum Streaneshalense monasterium varias non modo casuum, sed etiam nominum pertulit vices. Primo enim Streaneshalense ab Hilda abbatissa ejus conditrice dictum est, deinde Prestebiense, ac postmodum Witebiense appellatum.

latum. Eo a Danis everso, cum per annos amplius ducentos ruinis consepultum fuisset; contigit ut Reinfridus, strenuissimus miles, qui in obsequio Willelmi Conquæstoris erat, ad illum locum diverteret[a]. Hic non multo post Eveshami monachus factus est. Dein ubi monasticis disciplinis apprime instructus fuit, divino instinctu cum Aldwino priore Winchecumbensi in provinciam Northanimbrorum ad suscitandam monasticam religionem profectus, Willelmum *de Perci*, virum nobilem, qui cum Willelmo duce in Angliam trajecerat, adiit, atque ab eo prædictum locum, sibi a Willelmo concessum, instaurandum accepit, quem prioris nomine in magna humilitate, paupertate & caritate rexit, ibidemque ad breve tempus multos discipulos congregavit. Forte dum iter ageret negotiorum causa, artifices offendit, qui pontem trans Darwentiam construebant. Hos ut adjuvaret equo delapsus, trabes super illum incaute cecidit, quo ex casu confracto cerebro exspiravit. Ejus corpus delatum ad Hacanos[b] monasterium, sepultumque in cœmeterio sancti Petri apostoli in medio parietis orientalis contra altare. Eo mortuo, locum regendum suscepit Serlo Willelmi *de Perci* germanus frater, qui paullo ante illic monasticen professus erat. Idem Willelmus ecclesiam sancti Petri & sanctæ Hildæ abbatissæ Witebiensem Serloni[c] fratri suo & fratribus Deo ibidem servientibus ad fundandam abbatiam concessit pro anima domini sui Willelmi regis & dominæ suæ Mathildis, qui jam obierant, & pro Willelmo eorum filio, eorumque heredibus regibus Anglorum, & pro domino suo Cestrensi comite, qui eamdem ecclesiam aliaque Reinfrido[d] priori, ejusque conventui jam contulerat; necnon pro semetipso & Emma *de Port* uxore sua, eorumque filio Alano, assentientibus Thoma Eboracensi archiepiscopo, & prædicta Emma, cum filiis suis, Alano, Waltero & Willelmo: ex quibus Willelmus post Serlonem priorem patruum suum ejusdem loci abbas factus est. Ejus vero pater cognominis Jerosolymam profectus, in loco ejusdem regionis, qui Mons-Gaudii dictus est, decessit, ibidem a suis honorifice humatus.

ANN. CHR. 1088.

[a] Monast. Anglic. to. 1. p. 73.

[b] V. lib. 14. n. 39.

[c] ibid. p. 72.

[d] ibid p. 73.

Eboracense sanctæ Mariæ monasterium originem habuit a Witebiensi, qua de re audienda Stephani abbatis[e] relatio. Anno duodecimo Willelmi Conquæstoris Stephanus ille, abdicatis pro Christo sæculi voluptatibus, sacræ religionis habitum induit apud Witebiam, ubi quidam fratres eremiticam vitam ducebant, & ipsum locum, olim virorum ac sanctimonialium conversatione insignem, sed tunc pæne ad nihilum redactum, instaurare cœperant. His fratribus præerat Renfridus superius laudatus, qui apud Gervam seu Girvum, ubi olim floruerat venerabilis Beda, aliquamdiu substiterat, & quosdam fratres ibidem congregaverat: quos regularibus disciplinis satis instructos postea reliquit, & Witebiam se recepit. Adunatis illic discipulis se adjunxit Stephanus, a quibus demum abbas electus est. Mox locum illum recens inceptum ac censu destitutum in pristinum statum cum restituere tentaret, quemdam ex regiis ministris, nomine Willelmum *de Perty*, qui locum eis donaverat, & maris piratas adeo infestos habuit, ut illinc discedere cum suis compulsus sit. Erat non longe a Witebia in ipsius regis dominio prædium quoddam, *Lestingham* vocatum, ubi olim monachorum habitatio fuerat. Hunc locum a rege datum instaurare aggressi Stephanus abbas & socii, ejusdem Willelmi sibi dudum infesti violentia, simul prædonum injuriis vexati, quo se verterent, anxii fluctuabant. Erat tunc temporis in Anglia comes Alanus, Eudonis Britanniæ-minoris comitis filius, cui Stephanus abbas, cum in sæculo esset, valde familiaris & acceptus erat. Is, cum Stephani ejusque monachorum anxietatem rescivisset, eis quamdam ecclesiam, quam juxta Eboracum in honorem sancti Olavi condiderat, inhabitandam rege annuente concessit cum quatuor terræ jugeribus ad regulares ædes construendas. Sed huic dono intercessit Thomas archiepiscopus, qui hoc spatium juris ecclesiæ suæ esse contendebat. quam litem ut componeret Alanus, tantumdem terræ, alio in loco archiepiscopo dedit. Mortuo Willelmo Conquæstore, cum filius ejus Willelmus Rufus Eboracum venisset, & novam illam ecclesiam adiisset; videns eam angustiorem esse, terram ad jaciendum amplioris ecclesiæ fundamentum primus aperuit, quam in honorem beatæ Mariæ consecrari voluit: & prædia monachorum usibus necessaria contulit ab omni regali exactione libera & absoluta. Acta hæc anno ab incarnatione Domini MLXXXVIII. Eboracensi sanctæ Mariæ cœnobio ab hoc tempore annis viginti-quatuor præfuit Stephanus abbas, cui successit Richardus, tum Godfridus seu Gaufridus, cujus tempore ex illo cœnobio egressi sunt duodecim

B. Mariæ Eboracensis origo.

[e] Monastic. to. 1. p. 384. & seqq.

ANN. CHR. 1088.

monachi cum priore ad condendam abbatiam beatæ Mariæ de Fontibus, quæ ad Cistercienses migravit, ut suo loco videbimus.

LXX. Wigorniæ monachi instituti & aucti. a Monast. Anglic. to 1. p. 135.

Hoc anno monachi in novum Wigorniæ monasterium, quod Wolstanus episcopus in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ condiderat, introducti sunt. Hujus rei fidem facit ipsius Wolstani [a] diploma, quo idem præsul cathedrale sanctæ Mariæ „ monasterium, a beato Oswaldo, uno ex antecessoribus suis, constructum, amplifi- „ care cupiens, non solum de reparanda & ornanda ecclesia, verum etiam de augendo „ monachorum Deo istic famulantium numero sollicitus, cum antea vix amplius duo- „ decim invenisset, eos ad quinquaginta auxit, eisque congruos proventus suppedita- „ vit anno dominicæ incarnationis MLXXXVIII. indictione XII. regni Willelmi junioris „ tertio, episcopatus sui XXVII. ingressionis vero in novum, quod exstruxerat in honorem „ Dei genitricis monasterium primo, die sancto pentecostes. His litteris post Wolstanum subscribunt *Thomas prior cum omni congregatione Wigorniensis ecclesiæ, Agelricus archidiaconus, Colemannus monachus & cancellarius episcopi, Frithericus capellanus cum omnibus clericis episcopi, Urso vicecomes cum omnibus militibus vicecomitatus ejus, Ordricus dapifer episcopi, Alwinus similiter dapifer episcopi, Ordricus præpositus ipsius villæ, & plurimarum villarum episcopi.* Ex quibus intelligitur, qualis fuerit episcoporum familia in cathedralibus illis monachorum ecclesiis, in quibus nullus abbas præter episcopum, prior post episcopum primus censebatur. Indictio XII. in hoc diplomate emendanda est ex autographo, in quo recte *indictio* XI. assignatur, uti diximus ex Hickesio [b], qui illud asservari dicit Oxonii in bibliotheca Cottoniana. Idem auctor [c] refert ex bibliotheca Corporis Christi, *sodalitatem Saxonice scriptam*, quæ inita est inter Wlstanum episcopum Wigorniensem, Ægelwigum abbatem Eoseshamiensem, Wulfwoldum abbatem de Ceortesige, Ælfsigum abbatem Bathoniensem, Eadmundum abbatem Perscorensem, Ravulfum abbatem Wincelcumbensem, Serlonem abbatem Gloweceastrensem, & Ælstanum decanum Wigoraceastrensem. quam societatem ultra annum MLXXXVII. differre non licet, cum hoc ipso anno Ælfsigus, seu Alfsius aut Elsius, ut alii scribunt, e vivis excesserit. post cujus obitum Johannes Wellensis episcopus a Guillelmo rege abbatiam Bathoniensem eo pacto impetravit, ut ibi sedes epicopalis institueretur. sed hoc nonnisi anno MXC. factum est, uti patet ex ejusdem regis diplomate, quod ab eodem Hickesio [d] refertur. Ei, præter Lanfrancum & Thomam metropolitanos, tredecim episcopi, e quibus nonnulli e Gallia erant, cum totidem abbatibus & aliis viris nobilibus subscripserunt. Exinde Johannis successores Bathonienses episcopi dicti sunt, nec alius præter ejus sedis episcopos abbas fuit; ecclesiaque Bathoniensis cathedralis esse cœpit, cujus monachi a præposito sub *prioris* nomine regebantur. quod usque ad Henrici VIII. infausta tempora perseveravit.

b Thesaur. Ling. Septent. to. 2. p. 263.
c ibid. p. 149. & seqq.

Sedes episcopalis in monasterio Bathoniensi.
d ibid. dissert. epist. p. 47.

LXXI. Halberstatenses episcopi.

In Saxonia Burchardus seu Bucco Halberstatensis episcopus hoc anno a seditiosis cæsus, sepultusque in medio chori monasterii Ilseneburgensis seu Ilsenburgensis, quod ille dudum religione destitutum ad monasticæ disciplinæ normam reformaverat. Ejus cædem fuse describit chronographus Saxonicus nondum vulgatus. Dietmarus in ejus locum electus per discordiam, sexdecim tantum diebus illam sedem occupavit. Suffectus ejus vice Herrandus, qui & Stephanus, monachus primum Reinhartsbornensis, dein Ilseneburgensis abbas. Ejus consilio & hortatu Udo Stadensis comes, alio nomine Liutgerus, una cum matre sua Oda, fratreque suo Rodolfo, & cum marito sororis ipsorum Friderico comite palatino, apud Hersfeveldam monachos restituit loco clericorum, quos inde expulit. Sic quæ tantum præpositura tunc erat, abbatia facta est, ut initio fuerat. Distinguendus hic locus ab Hersfeldensi seu Herveldensi Hassiæ celebri monasterio, cujus in his annalibus frequens mentio. Plura de his apud chronographum Saxonicum.

LXXII. Lambacensis ecclesia dedicatur.
* Lambach.

Exstat in archiducatu Austriæ haud incelebre Ordinis nostri cœnobium, Lambacum * nomine, supra fluvium Anasum in Pataviensi diœcesi ad Trunam positum, cujus loci ecclesia ab Altmanno diœcesano episcopo hoc anno facta est, rogatu Adalberonis Wirziburgensis episcopi, qui ab Heinrico rege aliisque schismaticis exagitatus, illuc se receperat. Erat is filius Arnoldi comitis ex Regila uxore, ex Francia orientali oriunda, ex qua plures alios liberos suscepit. Verum his omnibus præter Adalberonem morte sublatis, Deum bonorum suorum heredem facere cupiens, in castro suo Lambaco monasterium duodecim clericorum in separatis domiciliis commorantium, instituit, quibus sufficientem annonam suppeditavit. Interea

fervente Heinriciano schismate, Adalbero ejus filius, qui Wirziburgensem ecclesiam strenue regebat, & a schismaticis abhorrebat, sede sua pulsus, in paternum prædium, id est Lambacum se recepit, ejusque loci clericos in monachos convertit, adnuente Gregorio VII. cum consilio Altmanni episcopi Pataviensis, qui-cum novam ecclesiam hoc anno dedicavit XVII. kal. Octobris, anno episcopatus sui XLV. & tertio, quam locum renovaverat, ut idem Adalbero litteris suis testatur. *Et quoniam,* inquit ille, *communis vita monachorum plus indiget, quam sæcularis vita clericorum;* ad illorum supplementum quatuor silvas, aliaque adjecit. Hæc fusius referuntur in actis ejusdem Adalberonis, ab anonymo Lambacensi monacho sæculo tertio-decimo scriptis, & a Johanne Lambacensi abbate in lucem editis. Primus Lambaci abbas fuit Ekkebertus, vir venerabilis, tantæ modestiæ, ut, abdicata præfectura, alium sui loco ordinari flagitaverit. Huic suffectus Becemannus, locum pie & laudabiliter rexit.

ANN. CHR. 1088.

LXXIII. Augienses abbates.

Per id tempus Augusta-Vindelicorum ab Heinrici regis æmulis capta, Sigefridus episcopus in custodiam conjicitur: in cujus locum Eggebertus seu Ekkehardus Augiensis abbas substituendus accersitur: at in itinere morbo correptus, Augiam rediit, ibique decessit, ut in chronico Augustensi legitur. Post eum Udalricus ex præposito abbas electus, ab Urbano II. præsente Gebehardo episcopo Constantiensi ordinatus est in concilio Placentino, si Bucelino credimus. Verum apud Bertholdum legitur, Urbanum anno sequenti episcopalem potestatem Gebehardo Constantiensi episcopo super clerum & populum Augiensis insulæ, præter monachos, concessisse, *data etiam auctoritate, ut abbatem inibi vice sua ordinaret.* Ekkehardi morte, simulque Liutoldi Augiæ advocati, Sancti-Gallense monasterium infestis adversariis liberatur: at novas non multo post turbas patitur ob intrusionem Arnoldi ejus loci monachi, quem Udalricus abbas & Aquilegiensis patriarcha auctoritate regia in Gebehardi locum introducere tentavit. Verum Constantienses, occlusis portis, armis eum ab incœpto discedere cogunt; moxque sancti Galli villas præda & igne late devastant. His accessit Bertholdus marchio, Gebehardi germanus, qui ob injuriam fratri suo illatam, multam itidem stragem edidit. His non sine sanguinis effusione Sancti-Gallenses restitere. Misera sane monachorum conditio, quos longe magis decuisset pœnitentiæ arma, quam bellica tractare.

ANN. CHR. 1089.

LXXIV. Lanfranci archiepiscopi obitus & apologia.

ANno insequenti MLXXXIX. Cantuariensis, immo & Anglicana ecclesia magno lumine orbata fuit, Lanfranco scilicet archiepiscopo, per quem litterarum scientia in Galliis, in Anglia religio & disciplina ecclesiastica refloruit. Cantuariensem ecclesiam cum annos fere novemdecim rexisset, eam ad quatuor annos morte sua vacantem reliquit. Annus ejus obitus certus, dies non ita exploratus, nequidem mensis. Alii quippe IX. kal. Aprilis, alii pridie nonas Junii, alii vero V. kal. Julii, alii denique V. nonas Julii eum decessisse scribunt. At præferenda videtur sententia Gervasii prioris Dorobernensis, qui ejus obitum statuit *V. kal. Junii, feria secunda post octavas pentecostes, hora diei prima*: cui sententiæ subscribunt Milo ejus vitæ scriptor, Johannes Bromton, & tabulæ [a] ecclesiæ Cantuariensis. Hunc *sanctissimum patrem* Lanfrancum vocat Osbernus in epistola ad Anselmum, *virum antiquis scientia & religione comparandum* Willelmus Malmesburiensis; alii alia sapientiæ & sanctitatis elogia ei tribuunt. at necdum sanctorum catalogo inscriptus est, præterquam in fastis Benedictinis, qui auctoritatem legitimam non habent. Beatum dicere satis est, dum ecclesiæ accedat auctoritas. Res ab eo gestas litteris mandavit Milo Beccensis monachus & cantor, ex nobili Crispinorum genere ortus, qui nonnulla de eo a beato Anselmo se accepisse dicit. Petrus Divensis monachus, rogatu ejusdem Milonis, metro cecinit laudes Herluini, Lanfranci, Anselmi, & subsequentium quinque abbatum usque ad Rogerium, sub quo proinde Milo vixit. Breve Lanfranci elogium habetur in codice obituali archiepiscoporum Cantuariensium, editum in tomo primo [b] Angliæ sacræ, & hic in Appendice relatum, in quo Lanfrancus inter alia Cantuariensem ecclesiam insigni copia librorum ornavisse traditur, *ex quibus quam plurimos per semetipsum emendavit.* Ad quem locum editor animadvertit, virum doctum „ Edwardum Brown grave crimen Lanfranco nuper intentasse, quasi vero sacræ scri- „ pturæ & sanctorum patrum scripta ab illo viciata fuerint, argumento criminis de- „ sumto a nota brevi Matthæi Parkeri ad marginem textus Roffensis, ubi Lanfrancus „

[a] *Anglia sac. to. 1. p. 55.*

[b] *Angl. sac. to. 1. p. 51.*

ANN. CHR. 1089.

» libros omnes, tam veteris quam novi testamenti, scriptorum vitio nimium corr
» necnon etiam scripta sanctorum patrum, *secundum orthodoxam fidem* corrige
duisse dicitur. quod quidem Milo ejus vitæ scriptor totidem verbis scribit, id
verbis paullo immutatis Matthæus Parisius & Matthæus Westmonasteriensis
tur. Hinc a Lanfranco *vitiata, adulterata, abrasa* priscorum scriptorum monu
prædictus Edwardus suspicatur. Immo vero *laudabile sane studium,* inquit mox
tus editor, *&, si quis cæcam latina lingua in clero Anglicano ante-Normannico ignor*
perspexerit, cum primis necessarium. Hinc intelligas quam temere nonnulli nostr
poris hypercritici Lanfrancum calumnientur, quasi ob laudabilem emendand
ctorum patrum scriptis navatam operam, eorum corruptor censendus sit, eoq
mine ab eis impune traducatur. quod quidem commentum ejusmodi est, ac
dixerit recognitores sacrorum bibliorum, qui plurima errata, librariorum in
vitio, *secundum orthodoxam fidem* sustulere, eorum esse corruptores. Verum non d
quin aliter de Lanfranco sentiant quotquot sunt æqui rerum æstimatores, eu
de republica christiana hoc facto bene meruisse confiteantur.

Scripta ejus & discipuli.

Scripta ejus a nostro Acherio in unum collecta corpus, typisque vulgata
quorum præcipuus est liber de sanctissimo Eucharistiæ sacramento contra Bere
rium. In illa collectione genuinus ejus commentarius in epistolas Pauli, quen
manibus habemus, desideratur. nam qui in editis habetur, alterius auctoris est.
cipui ejus discipuli in Beccensi academia fuere Alexander II. summus pontifex
selmus Cantuariensis archiepiscopus, Guitmundus Aversanus, Willelmus Roc
gensis, Hernostus & Gundulfus episcopi Roffenses, Fulco Belvacensis, & Ivo
nutensis, teste Roberto de Monte.

LXXV. Quædam in ejus scriptis notanda.

In vulgatis ejus epistolis, numero LX. quædam de rebus monasticis observand
currunt præter ea, quæ suis locis notavimus. Unum est in epistola XXVI. de pr
tero, qui *in claustro monachorum sine benedictione* seu professione veste religionis
cepta *nutritus* fuerat: quem ad sæculum redire non debere dicit. Idem cens
epistola XXXII. de sanctimonialibus, *quæ ad altare oblatæ fuerint, quamvis adhuc*
fessæ non sint. Quæ vero non amore religionis, sed timore Francigenarum ad monaster
confugerunt, si hoc firmo meliorum sanctimonialium testimonio probare possunt, libe
eis recedendi concedendam facultatem. Rem explicat Eadmerus in historia n
rum, initio libri tertii, ubi ait, Mathildem, filiam Malcolmi Scottorum regis,
inter sanctimoniales in monasterio ab infantia nutrita fuerat, ac velata, Anselm
consuluisse, an monasticæ professioni obnoxia haberetur, quod minime p
bat, quippe quæ tantum *servandi corporis sui causa contra furentem, & cujus*
pudori ea tempestate insidiantem Nortmannorum libidinem, nigrum panniculum ca
suo superposuisset. Hærens ad hanc quæstionem Anselmus, concilium episcopor
& abbatum convocat, qui eam voti ream non teneri Lanfranci auctoritate p
bant. Idem Lanfrancus librum decretorum pro sancti Benedicti Ordine jam arch
piscopus inscribit Henrico priori & ceteris fratribus ecclesiæ Cantuariensis, qui
» se mittere ait *sui Ordinis consuetudines scriptas*, ab ipso excerptas ex consuetudini
» eorum cœnobiorum, quæ suo tempore majoris auctoritatis erant in Ordine m
» nachorum, additis vel mutatis paucis, quæ in celebrandis quibusdam festis exc
» lentius in sua ecclesia oporteret agi propter primatem sedem. Tum subdit, var
» esse diversarum ecclesiarum consuetudines, quæ mutari vel augeri possunt pro d
» ctiorum auctoritate: at postquam semel constitutæ fuerint, ab iis, *quorum tota v.*
» *in obedientia est, sine culpa minime violari.* Hæ Lanfranci consuetudines magna
parte cum Cluniacensibus conveniunt.

LXXVI. Sagienses abbates & Troarnenses.

Eodem anno e vivis excessit Rotbertus Sagiensis abbas primus. Hic mense Janu
rio lecto decubuit, & perceptis dominicis sacramentis, XVIII. kal. Februarii e s
culo migravit, vir bonus & simplex ab Orderico [a] dictus. Huic successit Radulfu
ejusdem cœnobii monachus, genere illustris, litteris apprime instructus, qui an
annos decem illuc ad conversionem venerat, a Girardo Sagiensi præsule abbas o
dinatus. Is, cum inter sævos bellorum turbines monasterium strenue rexisset, Ro
berti Belismensis sævitia vexatus in Angliam confugit. quem rex Heinricus honor
fice accepit, & post Gundulfum episcopum Roffensi ecclesiæ præficiendum curavi
» Idem post aliquot annos Cantuariensem pontificatum adeptus est.

Haud minus Troarnenses vexabat Robertus Belismi dominus ac Sagienses, quo

[a] Orderic. lib. 8. p. 678.

ANN. CHR. 1089.

ægre ferret vir omnium Dei famulorum, uti passim ab Orderico describitur, insecutor sævissimus, bæc duo monasteria a suo patre condita fuisse ac multis bonis locupletata. Troarno tunc præerat Arnulfus e Sagiensi priore anno præcedenti Durando suffectus, cui sanctus Anselmus epistolam scripsit [a] ut illum infirmitatibus & multis angustiis pæne attritum ac de abjicienda præfectura cogitantem, ad patientiam adhortaretur. Aliam jam antea ad eum scripserat vir sanctus occasione professionis, quam ab illo extorquere conabatur episcopus Bajocensis, cum esset eum in abbatem benedicturus. Is enim est ipse *Ernulfus*, cui epistola quinquagesima-secunda libri secundi inscripta est, in qua Anselmus, tunc adhuc Becci abbas, probat haud necessarium esse, ut episcopi ab abbatibus obedientiæ promissionem in benedictione exigant, cum illi jam prima sua professione sint adstricti Regulæ Benedictinæ, in qua sanctus pater præscripsit, ut obedientia omni majori, proindeque etiam episcopis, debita reddatur. Eidem abbati anonymus quidam monachus commentarium in Ecclesiasten a se editum nuncupavit, præmissa epistola sub hoc titulo, *Arnulfo venerabili viro, abbati Troarnici cænobii, frater quidam habitu monachus, propositi religiosi transgressor &c. Quidam fratres sæpe & multum me quidem postulavere, uti secundum pauperculam ingenioli mei facultatem, librum Ecclesiasten attentarem eis explanare* &c. *Prologus incipit. Salomon humanam naturam paterna traditionis.* Divisum est istud opus in libros octo, quod babetur in codice ms. ejus ætatis in bibliotheca ecclesiæ metropolitanæ Turonensis.

[a] lib. 3. ep. 141.

LXXVII. Girberto abbati Fontanellæ succedit Lanfrancus.

Mense Septembri currentis anni ad immortalem vitam migravit quoque Gerbertus seu Girbertus Fontanellæ abbas, præfecturæ suæ anno vicesimo-septimo, quem inter præcipuos sui temporis archimandritas, & cum eo Ainardum Divensem & Durandum Troarnensem, quasi tres stellas in cælo radiantes, Ordericus [b] laudat. Obiit quarta die Septembris, uti nos docet ejus epitaphium, a Deodato monacho compositum, a nobis alias jam non semel relatum, in quo ex urbe Maguntia ortus dicitur. Sancti elogio donatus passim occurrit apud auctores, maxime recentiores: sed tamen eum piacularibus pœnis post mortem addictum vidisse fertur Gualchelmus presbyter cum multis aliis, *quos humana opinio*, inquit Ordericus [c], *sanctis in cælo jam conjunctos adstruit.* Gerbertum excepit Lanfrancus abbas, Beccensis monachus, Anselmi dictus nepos, cujus in illam abbatiam promotionem haud legitimam fuisse idem Anselmus [d] scribit, nempe quod Anselmus ipse, ejus abbas, eam non approbasset. Graves hac de re litteras ad illum scripsit vir sanctus; eique obtendenti, Anselmum non prohibuisse, ne abbatiam acciperet, ita respondet: *Verum est quia non dixi, Prohibeo, aut præcipio ne facias. Videbam enim intelligenti sufficere, quia incessanter dicebam: Non vult, non approbat cor meum; non consulis, non præcipies os meum.* « *Si acceperis sine mea jussione abbatiam, numquam habebis ab archiepiscopo benedictionem.* « *Non enim debet monachus exspectare oris imperium, si novit voluntatem abbatis sui aut* « *consilium.* Hanc epistolam ut semel & iterum, immo & tertium usque Lanfrancus perlegat, præcipit Anselmus & obtestatur. Ex sequenti vero epistola discimus, eumdem Lanfrancum abbatem durius egisse cum Fontanellensibus, quos hac de re consolatur Anselmus, litteris Gualtero prioti, aliisque monachis ejusdem loci scriptis. Quam diu hanc abbatiam Lanfrancus tenuerit, incertum. Si is est *domnus Lanfrancus*, ut quidem videtur, qui Anselmi promotioni ad archiepiscopatum cum Beccensibus subscripsisse [e] invenitur, sine dubio pervenit ad annum MXCIII. Verum an abbatiam ante id tempus abdicaverit, non liquet; nec quidquam lucis buc affulget ex actis Girardi abbatis ejus successoris, cui epistolam scripsit Ivo Carnutensis episcopus, ab eo consultus, *utrum tabulæ altarium aliquando consecratæ, cum translatæ fuerint, denuo sint consecrandæ?* ad quod affirmate respondet.

[b] id. lib. 4.

[c] id. lib. 8. p. 694.

[d] Anselm. lib. 2. ep. 42.

[e] id. lib. 3. ep. 6.

LXXVIII. Anselmus scribit in Roscelinum.

Per id tempus turbas in scbolis excitabat famosus quidam magister, Roscelinus nomine, domo Britto-Armoticus, canonicus Compendiensis, quem sectæ Nominalium præcipuum institutorem fuisse tradunt. quam opinionem Abaëlardus, ejus conterraneus & discipulus, postea propagavit. Roscelini error is erat, *in Deo tres personas esse tres res; aut Patrem & Spiritum-sanctum cum Filio esse incarnatum.* Anselmo banc temerariam assertionem, Roscelino haud nominato, proposuit Johannes quidam, forte is, quem Nominalium antesignanum fuisse nonnulli existimant. Anselmi responsio [f] in summa hæc est. *Quod dicit tres personas tres res, aut vult intelligi secundum tres relationes, aut secundum id quod Deus dicitur.* Si primum; *superflue hoc*

[f] id. lib. 2. ep. 35.

ANN. CHR. 1089.

dicit. Nullus enim negat hoc modo tres personas esse tres res: sic tamen ut diligens *telligatur, quomodo ipsa relationes dicantur res, aut cujusmodi res. Quod si dic* *personas esse tres res, secundum quod unaquaque persona est Deus: aut tres Deo* *constituere, aut non intelligit quod dicit.* Cum vero accepisset Anselmus, Roscel prædictæ assertionis esse auctorem; & jactitare in eadem sententia fuisse Lar cum, *venerabilis memoria archiepiscopum*, ipsumque Anselmum ita sentire; atq de re concilium a venerabili archiepiscopo Rainaldo quamprimum esse coll dum: tum hac de re litteras scripsit [a] Anselmus Fulconi Belvacensi episcopo, a & discipulo quondam suo, ut Lanfrancum, nuperrime mortuum, & se ipse ab calumnia purgaret; eique anathema dicit, quicumque *hanc blasphemiam*, qu. Roscelino dici audierat, *pro veritate asseruerit.* Tum subdit, contra eum, qu sentiat, siquidem christianus est, non ratione agendum, sed auctoritate. *Fides nostra*, inquit, *contra impios* seu infideles *ratione defendenda est, non contra eos q christiani nominis honore gaudere fatentur. Ab his enim juste exigendum est, ut ca nem in baptismate factam inconcusse teneant: illis vero rationabiliter ostendendum quam irrationabiliter nos contemnant.* Has vero litteras ad prædictum concilium a cone aut ab alio portari rogat. Hoc concilium post annos quatuor apud Suessi celebratum est.

a ibid. ep. 41.

LXXIX. Fulco monachus fit episcopus Belvacensis.

b Chron. Becc.

Fulco iste, ut mox dicebam, Anselmi discipulus, Beccique monachus fuerat episcopatum, ad quem hoc anno promotus est invitus, renitente Anselmo, sec stulante clero, cujus missi Anselmo dixisse [b] dicuntur: *Nos eligimus eum, non f gerit: quare non vultis concedere quem petimus?* Ad quos Anselmus: *Si ipse Deus* quit, *me eligeret, adhuc timerem: quia ipse per prophetam elegit Saülem, & per se ipsum Judam traditorem, qui ambo reprobati sunt.* His tamen demum assensit Ansel ad quem hoc anno Urbanus papa de Fulcone ita scribit. *Religionis ac scientiæ prærogativam scientes, Belvacensi episcopo qua in ejus ordinatione injusta videban indulsimus; & in tua studio industria confidentes, curam ei episcopatus invito, renite que injunximus. Nunc ergo tibi eum commendamus attentius: quatenus ei in omnit us filio tuo, adjutor, monitor, corrector, atque consultor adsistas; &, cum ipse adesse quiveris, quemlibet ei fratrum tuorum, qui super ipsum spirituali zelo sollicitus sit, p sentem esse mandabis: ut, quod in ejus initiis minus canonicum cernitur, bonis in pi rum profectibus valeat operari.* Quis fuerit ille defectus, ignoramus. In eadem e stola pontifex scribit de Johanne Beccensi monacho, Romanæ quondam eccle filio, qui de Anselmo querebatur, quod eum absque suo consultu monachum fe set, & ad altiores gradus promovisset. Hunc, forte cum Fulcone Romam pro ctum, secum retinuerat pontifex: sed ipsius Fulconis rogatu ad Anselmum ea l remittit, ut ante exactum a præsenti quadragesima annum, aut illum ad se ren teret, aut Anselmus ipse veniens secum adduceret, & si quem alium pontifici u lem nosset. Porro sedem apostolicam ipse visitare ne differat: *ut dilectionis*, inqu *mutua præsentia, devotione debita perfruamur.* In fine postulat, ut, si quæ res ab H berto Romanæ ecclesiæ subdiacono, & in Angliam a Gregorio pontifice legat qui Becci mortuus dicebatur, apud Beccenses relictæ fuissent, eas quantocius se mittat.

LXXX. Anselmi hortamenta ad vitam monasticam.

c ibid. ep. 28.

Tunc temporis cum abesset Anselmus, duo ejus consanguinei, Haimo & Rain dus, Beccum accesserunt, eum invisuri. Ubi id rescivit abbas sanctus, litteris [c] e adhortatus est, ut Becci monasticam professionem amplecterentur. *Desiderati*, inqu *mei, nihil tam bene potestis, quam monastica vitæ propositum arripere. Nosquam mel hoc potestis, quam cum illo, qui vobis in hoc desiderat, & potest, Deo dante, servire consolere. Utique non fallo, quia amicus sum; certe nec fallor, quia expertus sum. mus ergo monachi simul, serviamus Deo simul, ut de invicem nunc & in futuro gaude mus simul una caro, unus sanguis, una anima, unus spiritus simus.* Ejusdem argumen est epistola sequens ad Henricum quemdam, amicum suum, quem ad sæculum qua tocius relinquendum efficacibus verbis adhortatur, ex quibus hæc referre non abs fuerit. *Pensa igitur, dulcis amice, quantalibet mundi gloria potitus fueris, quis sit fini & in fine quis fructus, quod præmium: & e contra qua sit exspectatio mundi gloria calcantium. Si dicis, Non soli monachi ad salutem perveniunt: verum est. sed qui ce tius, qui altius, illi, qui solum Deum conantur amare; an illi, qui amorem D & amorem sæculi simul volunt copulare? Sed forsitan dicet aliquis, quia & in ordu*

monachorum est periculum. O homo qui hoc dicit, quare non considerat quid dicit? An hoc est rationabile consilium, ut, quia ubique est periculum, ibi eligas manere, ubi majus est periculum? Denique, si ille, qui solum Deum nititur amare, servat propositum usque in finem, certa est salus: si vero ille, qui mundum vult amare, non deserit suum propositum ante finem, aut nulla, aut dubia, aut minor est salus. Et certe satis probat, quia nullatenus, aut parum aliquod bonum diligit, qui illud, ubi certius & melius cognoscit, non eligit. Sed dicunt multi: Gravius irascitur Deus peccanti monacho, quam alii, quia de proposito altiori cadit. Hoc verum est quam diu est in peccato. Sed certe benignius & familiarius suscipit Deus monachum pœnitentem, si ad suum propositum redit, quam non monachum, qui ad idem propositum non venit. Hæc iis non ingrata fore puto, qui monasticum propositum amplexi sunt, vel amplecti cupiunt.

ANN. CHR. 1089.

Post Alfridum monasterii sancti Wlmari apud Morinos abbatem, qui anno M LXXII. translationi sancti Bertini interfuit, postulatus est in ejus loci rectorem quidam Becci monachus, vir quidem exactæ disciplinæ, sed mitior ac pacatior, quam ut illius loci monachos, qui laxioris vitæ & duri cordis erant, ad officium revocaret. Videns itaque abbas suam operam inutilem esse, Girardum Morinorum episcopum rogavit, ut se ab illius monasterii regimine absolveret. At, cum nihil rogando proficeret, Anselmum induxit, ut pro se Girardum litteris interpellaret. Assensit bonus pater, exstatque ejus epistola ad prædictum episcopum, ut Remensi archiepiscopo persuadeat, ipseque efficiat, ut *hic frater noster*, inquit, *diutius non vexetur, nec ecclesia sancti Wlmari, ejus occasione, convenienti consilio & ordinatione privetur.* Impossibile quippe esse eum amplius in eadem ecclesia ob multa, quæ longum esset narrare, in pace consistere, aut ad aliquam utilitatem vel cum nimio labore proficere. Proinde obsecrare, ut ne amplius agnum fugientem ad lupos reducant, ovi catulos leonis domandos committant, & innocentem & reclamantem in fornacem Chaldæorum ad nullius boni effectum impellant. Permittant ut alius in loco ejus constituatur, cujus mens paratior sit interiora & exteriora bella circa pravos mores tolerare. Quod si in sua sententia persistant, quod quidem minime optet, prius in prædicta ecclesia pacem & bonam monachorum voluntatem ædificent, & sic pacatum & benevolum in bonum pacis inter benevolos revocent. Ex hac epistola intelligitur, non bene moratos tunc fuisse sancti Wlmari monachos. Prædicti abbatis nomen haud exprimit in illa epistola Anselmus: at non dubito quin is sit Lantfridus sancti Wlmari abbas, quem vir sanctus alia epistola [a] hortatur, ut ne gregem deserat ob varias, quas patiebatur angustias, quippe, si ejus præsentia malitiam non omnino reprimeret, saltem efficere, ne regnaret, nec libere exerceri sine reprehensione posset. Certe in serie Beccensium monachorum, qui sub Anselmo abbate vixerunt, invenitur *Lantfridus abbas*, haud dubie sancti Wlmari. Superstes fuit Lantfridus iste usque ad pontificatum Paschalis II. cujus tempore nescio quid negotii habuit cum Heriberto abbate de abbatia sancti Wlmari: quod negotium Lamberto Atrebatensi episcopo discutiendum commisit pontifex. qua de re exstat ipsius Lamberti epistola [b] Lantfrido sancti Wlmari abbati inscripta.

LXXXI. Ejus epistola pro abbate S. Wlmari.

[a] Anselm. lib. 3. ep. 31.

[b] Baluz. Miscell. to. 5. p. 315.

Magna per id tempus perturbatio in Normannia orta est occasione belli, quod inter fratres, Willelmum Anglorum regem & Rotbertum Normannorum comitem deflagravit. Eo res devenit, ut Feritatem-regis castrum Willelmus obsideret. Rotberto auxilio adfuit rex Philippus, cui ut se gratum exhiberet comes, Gisortum, pagi Vilcassini opidum, quæ possessio erat ecclesiæ Rotomagensis, regi contulit. Id graviter tulit Willelmus, ex abbate Cadomensi factus archiepiscopus, & comitem restituendi sibi castri serio admonuit: at eo in sententia persistente, ecclesias per totam provinciam a divinis cessare jussit. Interdictum observare Fiscamnenses renuerunt, prior & monachi (nam Willelmus abbas tunc in Anglia versabatur) immunitatis privilegium obtendentes, quo soli apostolicæ sedi & vicario beati Petri, suoque abbati obedientiam præstare deberent. Eo quippe libertatis jure se semper potitos fuisse, quoties provincia excommunicationi supposita fuerat. ceterum abbatem suum abesse; nihil eo inconsulto, ut regula præcipit, sibi agere licere. Denique, quod in se esset, libenter impensuros preces, jejunia, eleemosynas, quibus ira divina placaretur. His nequaquam flexus archipræsul, monachos diris addixit. nec sic tamen monachi divina intermiserunt. Interea ex Anglia reversus abbas, convenit archiepiscopum, eumque ut a sententia lata desisteret, enixe rogavit: at nihil apud eum effecit. Id

LXXXII. Fiscamnenses ab archiepiscopo vexati.

ANN. CHR. 1089.

ubi rescivit Urbanus papa, sua & antecessorum suorum statuta violari non est passus sed per legatos suos, Herbertum Tetfordensem episcopum & Rogerium cardinalem archidiaconum pallii usum archiepiscopo interdixit. quo quidem diu caruit, donec, agente comite, ejus usus a pontifice ei restitutus est ea lege, ut ipse per missos suos factum emendaret. Id ubi præstitit, litteras sigillo apostolico munitas Fiscamnensibus indulsit Urbanus, quibus eorum immunitatem denuo asseruit.

LXXXIII. Majori monasterio facta donatio.

In pago Carnutensi vir nobilis Raberius, *sæculari militia deditus*, Majori-monasterio quædam prædia hoc anno contulit, alodem videlicet in pago Dunensi positum, qui vocatur sanctus Peregrinus, & Umblerias in pago Carnoteno, pro anima patris sui Ratherii; matrisque suæ Frohelinæ, favente domino suo Theobaldo comite, atque assensu sororum suarum Milesindis, Rainsaindis & Adalaïdis. Hujus donationis scriptum in curia Theobaldi comitis editum est, cui post donatorem ejusque sorores adscripta sunt signa Theobaldi comitis, Ermengardis comitissæ, Hilduini de Bretulio, & aliorum. Is ipse videtur esse Raherius, cujus adhuc juvenis necem versibus [a] prosecutus est Baldericus, qui eum audacissimum & inter sæculi sui heroas præstantissimum dicit, lancea confossum, cum suorum auxilio in confertissimos hostes rueret. huic erat

a ibid. p. 265. & seqq.

Robustum pectus, flavusque per ora capillus,
Et gena pubescens, rarus & annus adhuc.

quæ bene conveniunt prædicto Raherio militi in Majus-monasterium benefico, qui liberorum tunc expers erat, cum prædictam donationem fecit. Raherium quadruplici epitaphio celebrare non contentus Baldericus, quintum superaddidit *ad scutum ejusdem.*

Kemperlegiensi item monasterio.

Etsi Benedictus Kemperlegiensis abbas promotus esset ab annis septem ad episcopatum Namnetensem, monasterii regimen nihilo minus ad hoc tempus retinebat. nam » hoc anno Alanus Britannorum, ut se ipse vocat, consul, Hoëli consulis filius, S. Cat» wodi confessoris *de Breverec* monasterium cum oblationibus & decimis, sanctæ Cruci » Kemperlegiensi ac Benedicto abbati contulit, Aldroëno Judhaëli filio, ejusdem loci post » Alanum domino & herede, simul cooperante cum Benedicto abbate ejusque mona» chis; atque ambo, Alanus scilicet ac Aldroënus hoc donum super altare sanctæ Cru» cis posuerunt; quibus Benedictus abbas octingentos Redonensis monetæ solidos (sic » etiam sacra venalia erant) de ejusdem abbatiæ censu tribuit. *Acta sunt hæc in anno ab incarnatione Domini* MLXXXIX. *indictione* XII. *epacta* VI. *terminus paschalis* III. *kal. Aprilis, dies paschæ kal. Aprilis.* Illud sancti Catwodi monasterium videtur esse prioratus sancti Cadoci * vulgo dictus, diœcesis Venatensis.

* S. Cadoc.

LXXXIV. Rainaldus archiepiscopus in S. Remigium beneficus.

Unus ex his quibus electionem suam Urbanus papa litteris significaverat, Rainaldus fuit Remorum archipræsul, sibi olim familiaris, ejusque videndi desiderio se teneri testatus est. Ille vero hoc anno, cum primum ipsi per occupationes licuit, Romam proficisci, & pontificem adire constituit. quod iter ut prospere ipsi succederet, sancti Remigii patrocinium sibi demereri studuit. Quam ob rem in procinctu itineris, inclyti illius tutelaris adiit ecclesiam, ubi ad tumulum ejus fusis precibus iter suum Domino commendavit. tum in fratrum capitulum ingressus, altare Vici-sancti-Remigii, Heinrico abbate totaque congregatione postulante, eis concessit, ea lege, ut quotannis ipsius anniversarium celebrarent. Actum Remis hoc anno, ipsius Rainaldi sexto, indictione XII. cujus rei litteras a Marloto [b] relatas scripsit & subscripsit Godefridus cancellarius, quem Baldericus versibus suis celebravit.

b Marlot. to. 2. p. 130.

LXXXV. S. Agerici abbates.

Tunc Virdunensi sancti Agerici monasterio præerat Boso [c] abbas, cujus tempore, & quidem hoc ipso anno, facta est IV. nonas Aprilis dedicatio ecclesiæ sancti Salvatoris, nunc parœcialis, ab Heinrico Leodicensi episcopo, qui fuerat canonicus ecclesiæ sanctæ Mariæ Virdunensis, ut in veteri sancti Agerici martyrologio legitur. Vitam produxit Boso ad annum MCVI. cujus obitus in necrologio notatur pridie idus Aprilis. Rotfridus ejus successor ad annos undecim, mortuus V. kal. Decembris; & post eum Richardus abbas, cujus tempore monasterium cum tota urbe incendio conflagravit. Ejus loci vetus martyrologium cum Regula descripsit ante annos quingentos Ludovicus monachus, & sancto Agerico dicavit, multosque alios codices armario recondidit, ut ejus versus in fine Regulæ testantur.

c V. lib. 66. n. 35.

Marcianis facta donatio.

Marcianense monasterium tunc regebat Adelardus abbas, cujus tempore Theodericus

Theodericus miles, divino instinctu permotus, alodium [a] suum, Vesinum vocabulo, eidem ecclesiæ contulit, in qua sanctarum Rictrudis & Eusebiæ corpora cum multis aliis sanctorum pignoribus requiescere dicuntur. Hanc vero donationem Balduinus comes, Balduini junioris ac Richildis filius, Jerosolymitanus dictus, hoc anno confirmavit.

a Miræi not. p. 134.

LXXXVI. Melsitanæ synodi statuta.

Eodem anno Urbanus papa, mense Septembri, apud Melfim Apuliæ urbem synodum celebravit, in qua quædam statuta condita sunt ad mores & ecclesiasticam disciplinam spectantia, maxime contra simoniam & de ordinibus sacris. In his canone IV. statuitur, ut nemo ante annos quindecim aut quatuordecim subdiaconus « ordinetur; nemo ante annos viginti-quinque aut viginti-quatuor diaconus, nemo « ante tricesimum presbyter. Quia vero tunc temporis laïci decimas & ecclesias, quas possidebant, pro suo nutu quibusvis ecclesiis conferebant; decretum est canone V. « ut nullus deinceps laïcus decimas suas aut ecclesiam, seu quidquid juris ecclesia- « stici est, absque consensu episcopi, vel Romani pontificis concessione, monasteriis « aut canonicis conferat. quod explicans Johannes Cajetanus diaconus cardinalis & « cancellarius in epistola [b] ad Guidonem Molismensem abbatem, istius synodi actis subjuncta, ait hujus statuti hanc sententiam esse, ut quæ ad illud concilium per « principes data monasteriis fuerant, firma & integra permanerent: de cetero abba- « tes ab ejusmodi acquisitione abstinerent, absque consensu videlicet prædicto. Ca- « none VII. præcipitur, ut nullus abbas pretium exigat ab eis, qui ad conversionem « veniunt. Huc spectat præclara epistola [c] Rodulfi abbatis Trudoniani ad Sibertum sancti Pantaleonis priorem contra eos abbates, qui pretium a pueris, qui Deo in monasteriis offerebantur, exigebant. Ad Urbanum redeo, qui post illud concilium Barim profectus est, ubi ecclesiam dedicavit, atque Eliam e nostris archiepiscopum consecravit. Idem sub finem anni Romam reversus, Balmensi apud Sequanos monasterio privilegium V. kal. Decembris indulsit.

b Labb. conc. to. 10. p. 479.

c Analect. to. 1. p. 459.

LXXXVII. Beraldi Farfæ abbatis obitus & statuta.

Sub finem hujus anni decessit piæ memoriæ Berardus Farfensis abbas, eo nomine primus, post annos præfecturæ amplius quadraginta, rebus gestis spectabilis, cujus obitus notatur hoc anno in chronico Farfensi, & in necrologio pridie kal. Novembris his verbis: *Obiit Beraldus religiosus abbas bonæ memoriæ ex monasterio sanctæ Victoriæ* in Piceno, Farfensi abbatiæ subjecto. quo ex loco Beraldus abbas assumtus fuerat. Statuta quædam edidit, quorum uno omnino interdixit, *& sic ordo noster*, inquit, *Cluniensis præcepit, ut nullus e fratribus præsumat confiteri sua facinora illis monachis, qui non habent factam professionem in ipso loco ubi degunt; neque illis, qui ex alio monasterio venerunt pro aliqua legatione vel sua necessitudine, quamvis nostram societatem habeant.* secus facientes, *nisi regulariter pœnituerint, gravissimæ excommunicationi* subjacere decernit. Morte ejus instante, fratres *per vestem principalem altaris B. Mariæ, in capitulum allatam, tactu omnium* sancte affirmarunt, se nullum pro abbate suo habituros, nisi quem tota ejusdem cœnobii religiosa congregatio, consentiente imperatore, canonice elegisset. qui secus attentaturus esset, irrevocabiliter ab ipsis abjiciendum. Hac cautione usi sunt Farfenses, quod animadverterent nonnullos malæ famæ homines abbatiæ inhiare, in quibus erat Teuzo Sabinensis episcopus, qui apud omnes male omnino audiebat. Nec vana eorum cautio erat. Vix enim Berardus animam egerat, cum monasterii primores pro Teuzone intrudendo conspirarunt. at restitit sanior, quamvis minima, pars fratrum, qui contra canones, necdum sepulto abbate, Rainaldum elegerunt, tametsi hic, licet regularis disciplinæ studiosus, ad regimen prorsus inhabilis, & ad temporalia penitus ineptus erat. Sed tamen hunc qualemcumque abbatem habere, quam tyrannum admittere prudentes quique maluerunt, obsistente quantumvis antipapa Clemente, qui alium abbatem eligendum suadebat. Verum non diuturna fuit Rainaldi præfectura, quam nonnisi septem menses cum aliquot diebus tenuit, dejectus a quodam Berardo Florentino, ut anno sequenti videbimus, qui se defuncti abbatis consanguineum dicebat.

Rixa de successore.

LXXXVIII. Gregorius Farfæ chartophylax.

Hæc omnia fuse commemorat Gregorius monachus & chartophylax Farfensis, qui universa monasterii instrumenta in tria majora volumina redegit, quorum in uno abbatum gesta compendiose digessit, favente Berardo seniori abbate, cui opus suum, sane quam maxime laboriosum, dicavit hoc titulo: *Excellentissimo, magnifique honoribus Dei nutu accumulato patri, reverentissimo abbati Beraldo, cunctisque senio-*

ANN. CHR. 1089. *ribus Farfensis sanctissimi conventus, infimus omnium, & cunctorum utinam m... rum ultimus Gregorius, quidquid in hoc ævo sublimius & in Christo felicius.* Erat i... stro Casinensi nobilissimis parentibus progenitus, & Farfensis cœnobii fere... faotia alumous, ut testatur Johanoes grammaticus in prologo super tertiun... tarum volumen, quas *per manus confratris* sui *magnæ sagacitatis Gregorii*, se i... volumen accurate transtulisse, nulla vitiosæ latinitatis facta motatione, asser... buit Gregorius fratrem natu-majorem, nomine Dooadeum, ambosque pat... tissimæ Virgini Mariæ obtulit in Farfensi monasterio cum non modica p... summa. Hæc Gregorius ipse testatur in versibus voluminis tertio præmissis,... bus ait, fratrem suum anno M LXVIII. obiisse; se vero hoc volumen scripsis... Berardi secundi, paullo post mortem Berardi seioris. Thodinus monachus... Gregorii consanguineus, prædictam chartarum collectionem, quam Gregor... caligine oculorum persequi non potuit, ab aono M XCVIII. contiouavit. Magr... usui fuere in his Aonalibus hæc volumina, quæ reverendissimus Severinus... culo, tunc Farfæ abbas, nobis utenda humanissime commodavit.

LXXXIX. Padolironi subjicitur S. Martini monasterium in collibus. a *Hist. Padolir. probat. p. 31.*

Padolironensi sancti Benedicti cœnobio cum præesset Willelmus abbas,... sterium sancti Martini in collibus prope Luccam, pastore ac rectore destitutu... dolironensi abbati ordinandum subjicitur a fundatoribus ipsius loci, Sigi... & Ugone, uti nos docent eorum litteræ, editæ in probationibus historiæ a... lironensis. In his litteris aiunt iidem fundatores, ne prædictum S. Martini m... rium rectore destitutum fluctuaret, utilius ac salubrius sibi visum esse, ut ip... dinatio & omoimoda potestas committeretur abbati monasterii sancti Benedi... inter Padum & Larionem. quapropter commuoi cossilio, & voluntate monac... ibidem commorantium, suorumque heredum se subjecisse ac commisisse ver... Willelmo abbati sancti Benedicti, ejusque successoribus prædictum monas... cum suis rebus, *emendandum atque regendum secundum regulam & instituta sa... nedicti, juxta morem Cluniacensis monasterii, donec monasterium sancti Benedicti... niacensi ordinatione permanserit.* Si vero *a Cluniacensi ordinatione* aliquando se... tur, *supra dictum monasterium in ordinationem Cluniacensis abbatis deveniat.* It... fundatores, qui se in illo sancti Martini monasterio sepeliri volunt. Actum a... incarnatione Domini M LXXXIX. indictione XIII. kalendis Decembris. Nec pl... hoc monasterio invenio.

XC. Mellicense monasterium Benedictinis datum. * *Molck.*

In ioferiori Austria visitur insigne monasterium B. Petro apostolo sacrum,... nubii ripam, medium inter Liozium superioris Austriæ metropolim, & Vie... in editiori loco situm; quod ab opido adjuncto Medlicum seu Mellicum *... inter omnia illius provinciæ monasteria hactenus principatum tenens. Prim... monasterii origo refertur ad Leopoldum Austriæ marchiooem, eo nomine pr... dictum Illustrem, qui ejus loci arce, exacto Geyssa Hungarorum duce, i... potestatem sub annum DCCCCXXXIII. redacta, collegium duodecim canoni... sæcularium paullo post illic instituit. Is protracto in sexagesimum-septimum... regimine, mortuus est anno M. Mellicii sub tumba marmorea in ecclesia pron... sepultus, una cum conjuge Richarda, Ottonis ducis Brunswicensis filia, H... primi imperatoris sorore, relictis duobus filiis, Heinrico marchione & Popp... stea Trevirensi archiepiscopo. Porro Heinrici marchionis aono duodecimo,... M XII. contigit ut B. Colomannus e regio Scottorum sanguine ortus, post sus... ad loca sancta peregrinationem, e Palæstina rediens & Austria transiens, a... genis captus fuerit, & quasi exploratorem ageret, crudeliter necatus, cultu... modum ut martyr. Cujus corpus Stokerauviæ primum sepultum, ob frequen... racula, quibus illustrabatur ejus sepulcrum, dictus Heinricus Mellicium tra... curavit, triennio post ejus cædem. ex qua translatione Mellicio accessit mult... britas. Heinrico successit Albertus filius, qui partem veræ crucis contulit Me... ecclesiæ, jam Austriacorum marchionum sepultura insigni. Addidit Ernest... teroæ dignitatis successor & heres, saocti Mauricii martyris lanceam, altera... crucis particula decoratam, cum cratere sancti Udalrici, novisque prædiis ecc... Mellicensem ditavit. Denique Leopoldus tertius, Ernesti filius, ejosdem loci c... cis ob solutiorem vitam inde remotis, monachos nostri Ordinis e Sublaco a... si Mellicensibus monumentis fides, in ipso festo S. Benedicti, ut fert chronicon... dam, Australe dictum, a Marquardo Frehero vulgatum, ibidem anno M LX...

substituit, sub primo abbate Sigiboldo. Moniales etiam prope Mellicium instituisse ferturidem Leopoldus, quamvis nulla supersint ejus institutionis monumenta: nisi quod ad sanctum Georgium trans Danubium, prope ejusdem sancti Martyris sacellum, sub Mellicensium cura hodienum remanens, fornices quidam superstites cellarum formam exhibere videntur. In ipso etiam opido Mellicensi, ad domum Fischerhoff dictam rudera supersunt quamdam monasterii speciem exhibentia. E Mellicensi asceterio prodiere complures illustres abbates, quos inter enituit sæculo XV. Nicolaus Austriacus, auctor & institutor reformationis Mellicensis, quæ in multa Austriæ, Bajoariæ & Sueviæ monasteria propagata fuit, de qua plura inferius. Superest in illo monasterio codicum non parva supellex, tametsi bibliotheca anno M CC XCVII. incendium passa sit, [a] atque ex eo loco Rabani librum de oblatione puerorum, in appendice tomi secundi Annalium editum, accepimus. Brevem Mellicensis monasterii historiam Stengelius composuit cum catalogo abbatum; fusiorem & accuratiorem R. P. Anselmus Schramb, ejusdem monasterii cœnobita, Vindobonensibus typis editam in folio, anno M DCC II. e qua deinceps plura in rem nostram eruemus.

ANN CHR 1089.

a Schramb. Chron. Mellic. p. 183.

ANN. CHR. 1090. XCI. S. Bernardi Claræ vallensis ortus illustris.

Annus supra millesimum nonagesimus, aut certe proxime subsequens, magnum ecclesiæ universæ, non tantum Gallicanæ lumen protulit, videlicet sanctum Bernardum, futurum suo tempore Claræ-vallensis monasterii percelebris auctorem & primum abbatem; Cisterciensis, immo totius monastici Ordinis eximium ornamentum. Nativitatis ejus annum ex eo colligimus, quod Cistercium ingressus est anno M C XIII. ætatis suæ vicesimo-secundo evoluto, ex Johanne Eremita; adeoque annos natus circiter viginti-tres, ut scribit Guillelmus a sancto Theoderico. Natus est Fontanis [b] in Burgundia prope Divionem patre Tescelino, matre Aletha seu Aalide, quam nonnulli Elizabeth vocant, non minus pietate, quam genere præclaris. Tescelini nobilitatem probat in primis Guillelmus a S. Theoderico, a quo Tescelinus, cognomento Sorus, quod subrufum significat, *vir antiquæ & legitimæ militiæ* appellatur. quo nomine veteres primam post duces & comites nobilitatem, veluti equestrem designabant. Non minus illustris fuit matris prosapia, utpote quæ erat *filia Bernardi, Montis-Barri domini, viri potentis & magni secundum sæculi dignitatem, & ex antiqua (sicut asserunt multi) Burgundiæ ducum generositate trahentis originem*, ut tradit Johannes, cognomento Eremita, mox laudatus, prior, ut videtur, Claræ-vallensis, Bernardo æqualis. Guido de Acro-monte, teste Alberico [c], *fuit ex parte matris frater Tescelini Sori de Fontanis, qui fuit pater beati Bernardi abbatis Claræ-Vallensis.* Bernardi avus paternus fuit Rainardus, dominus Montis-Barri, cujus frater Milo de Monte-Barri ecclesiæ Molismensi contulit *paterni sui juris* fundum seu *villam & alodium proprium de Poilliaco* cum omnibus suis adjunctis, *laude & assensu prædicti fratris* sui *Rainardi & uxoris ejus: atrium* vero *prædictæ villæ quod hactenus*, inquit, *injuste possedi, quia laicorum non est talis possessio, dono sancto Mammeti & ipsius ecclesiæ, cujus juris esse cognoscitur.* Hæc charta caret chronicis notis. Et tamen abbas Molismensis villam, quæ vocatur Pauliacus, emisse dicitur [d] *de Milone*, filio Bernardi de Monte-Barro, datis pro pretio centum-quinquaginta libris denariorum, quæ villa una erat ex illis, quas abbatiæ sancti Petri contulerant sæculo-septimo Ingoara & Leotheria, sorores S. Ebbonis archiepiscopi Senonensis: qui in sæculo comes Tornodorensis exstiterat. Sed forte non totam illam villam, sed tantum quamdam ejus partem S. Petro donaverant duæ illæ sorores, cujus aliæ partes ad suos heredes transierint, ac demum ad Milonem de Monte-Barro, qui in præmissis pro Molismo litteris ait hanc villam *paterni sui juris* fuisse. Certe hujus villæ quartam partem Bernardus miles, Montis-Barri dominus, & Humberga ejus uxor anno M LXV. a Gerberto sancti Petri abbate recepisse dicuntur, teste Clario [e] monacho in chronico sancti Petri. Horum filii exstitere prædicti Milo & Rainardus, quorum alter, scilicet Rainardus, ait hanc villam *paterno jure* sibi obvenisse. Hinc firmatur Petri Francisci Chiffletii [f] conjectura, censentis, S. Bernardi maternam originem ex comitibus Tornodorensibus repetendam esse, ex quibus villa Pauliacus ejus avo & proavo paterno jure obtigerat. Ex his habemus S. Bernardi proavum Bernardum Montis-Barri dominum, cujus nomen ipse retinuit; & proaviam Humbergam, quæ nomen suum transmisit Humbelinæ S. Bernardi sorori, quæ Humberga vocatur a Johanne

b V. lib. 52. n. 18.

c Alberic. an. 1109.

d Spicil. to. 2. p. 764.

e ibid. p. 741.

f Chifflet de ill. genere S. Bernardi.

ANN. CHR. 1090.

Eremita. Bernardi & Humbergæ filii Rainardus & Milo sororem habuere Aaleic S. Bernardi matrem, quæ Tescelino nupta septem liberos peperit, quorum ter fuit S. Bernardus. Porro Rainardo S. Bernardi avunculo filius fuit nomine Bernar Montis-Barri dominus, uti nos docet vetus charta Molismensis, in qua *Bernar dominus Montis-Barri, filius domni Rainardi, & soror ejus, qua comitissa vocatur Rainerius ejusdem comitissa maritus, & Andreas prædicti Rainardi avunculus, interv domni Bernardi abbatis Claræ-vallis, & fratris ejus Girardi atque Nivardi laudaver donationem vel venditionem Poiliaci, quam Dominus Milo de Monte-Barro, frater præc Rainardi, laudante eodem Rainardo, fecerat Molismensi ecclesiæ.* Ex quibus intelligit primam illam Pauliaci donationem abbatiæ Molismensi, non gratuito factam et prædicto Milone, cui Rainardus ejus frater in dominio Montis-Barri successe *Acta sunt hæc apud castrum Montis-Barri anno ab incarnatione Domini* M C XXIX. *t pore domni Guidonis, secundi Molismensis cœnobii abbatis.* Plura de S. Bernardi sti qui volet, legat Diatribam Chiffletii de illustri genere sancti Bernardi, quod tabulario Molismensi illustrare conatus sum.

Septem, ut jam dixi, liberos peperit Aletha, nimirum sex mares, & femin unam, omnes monasticæ vitæ ante mortem addictos. Fecit hoc illustris genitricis e mia pietas, quæ simul ut ex utero eos effuderat, Deo mox offerebat, nec alie lactandos aut educandos, ut nobilium mos est, committebat, sed propriis eos u ribus lactatos ipsa informabat, cum lacte materno pietatem eis instillans, & j grandiores factos non delicatioribus, sed communibus, quasi c potius eremo, quam curiæ destinaret. Post Guidonem & Girardum, quos prim genuit, tertius fuit Bernardus noster, futurus omnium in via Dei dux & ante gnanus. De eo gravida mater somnium habuit præsagium futurorum, quasi cat lum in utero haberet totum album, in dorso subrufum, & latrantem: cujus rei fa stum omen quidam Dei servus matri hoc somnio territæ aperuit. Id in causa fu ut majori, quam ceteros, cura Bernardum educaret, & quam citius potuit, erudi dum traderet canonicis sæcularibus ecclesiæ Castellionensis, quibus canonici reg lares ipsius Bernardi opera suffecti sunt. Ejus *loci indigena* fuisse dicitur Tescelin *sed dominus minoris castri* seu opiduli, *cui Fontaniæ nomen est, quod Divioni superen net, in excelsa rupe locatum.* Illic Bernardus in lucem editus est in ædibus paterni quæ in domum Fuliensium nostro tempore conversæ sunt. Adhuc puer cum capi graviter laboraret, accedentem ad eum mulierem, ut eum carminibus sanaret, illi repulit. Apud Castellionem dum litteris operam daret, vigilia nativitatis Domini p soporem viso nascentis Infantis recreatus, sicque deinceps eo affectus fuit, ut to vitæ suæ tempore in amorem tanti mysterii penitus exarserit, primosque inget sui fetus in laudem Virginis-matris ediderit.

XCII. Bruno e Cartusia Romam evocatur.

Eodem tempore quo natus est Bernardus, Bruno, Cartusiæ-majoris primus inst tutor, ab Urbano II. qui ipsius apud Remos discipulus fuerat, Romam evocatu ut ejus consiliis in ecclesiæ moderamine uteretur. Ægre hanc discessionem tul novellus grex, tanti pastoris solatio destitutus; cunctisque eo absente intolerabilis vi est Cartusiæ habitatio & vitæ asperitas. Sed tandem parendum fuit summi pontific auctoritati, qui locum Seguino abbati Casæ-Dei commendavit. Recessit itaque Brun e Cartusia post annos sex, quam eam incolere cœperat. Ejus discessu conturbati fra tres, quæ humana tentatio est in rebus arduis, deficiente magni meriti duce, lo cum deserunt. quod ubi Bruno rescivisset, litteris ad Seguinum Casæ-Dei abbater scriptis Cartusiam ei, ejusque monasterio concessit. Postmodum vero pontificis hor tatu ac Brunonis monitis fratribus revocatis, & a Landuino, quem Bruno discessu rus priorem eis præposuerat, in proposito confirmatis, idem Seguinus locum sit datum restituit, assentiente capitulo suo in præsentia Hugonis episcopi Gratiano politani, scripto cessionis instrumento, quod hoc loco referre visum est. Sic au tem habet.

Seguini Casæ-Dei abbatis epistola.

Ego frater Siguinus abbas Casæ-Dei notum fieri volo præsentibus & futuris, quod fra ter Bruno a domno papa Urbano Romam evocatus, videns loci destitutionem fratribus re cedentibus propter absentiam ejus, dedit locum Cartusiæ nobis, & Congregationi nobis com missæ. Postmodum vero rogatu prædicti patris nostri papæ Urbani, & precibus prænomorat. fratris Brunonis eisdem fratribus ut ibidem remanerent a priore eorum Brunone plurimum confortatis; fratre Landuino, quem magister Bruno discedens ceteris fratribus præposuit,

ANN. CHR. 1090.

ipsi & ceteris fratribus sub eo degentibus, & eorum successoribus, donum, quod nobis prædictus Bruno fecerat, coram congregatione nobis commissa in capitulo nostro sub præsentia Gratianopolitani episcopi Hugonis, ego ipse frater Siguinus, prædictæ Casæ abbas, cum assensu fratrum nostrorum, reliqui, & eis & successoribus eorum locum prædictæ Cartusiæ pro voluntate eorum omnino liberum feci, & juri eorum omnino tradidi. Sed charta, quam prædictus Bruno nobis fecerat, ideo non est reddita, quoniam a fratribus nostris in capitulo sub interdicto requisita, non potuit inveniri; & si umquam inventa fuerit, eorum ipsa charta sit juris. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini M XC. XV. *kal. Octobris. Ego Siguinus Casæ-Dei abbas subscripsi, & in præsentia archiepiscopi Hugonis hanc chartam ex integro confirmavi.*

Ex his intelligitur quanta fuerit Seguini abbatis existimatio, tum apud Urbanum papam, tum apud Brunonem, quippe qui Cartusiam absente Brunone ei commiserint, immo & donaverint.

XCIII. S. Nicasii abbates.

Hanc de Seguino ejusque monasterio opinionem confirmat Rainaldus Remorum archipræsul, qui hoc anno ex Urbe, quam anno præcedente adierat, revertens, Casæ-Dei monasterium invisit, & ex eo monachum a Seguino abbate obtinuit, nomine Johannem, quem sancti Nicasii apud Remos abbatiæ præfecit. Post Remigium istius loci primum abbatem, quem ex sancti Remigii cœnobio assumtum diximus, quidam Albericus sancti Nicasii monasterio præfuisse dicitur in quodam libello de controversiis Remigianorum cum Nicasianis, multasque lites cum sancti Timothei capitulo super ecclesia sancti Sixti habuisse. at in veteri catalogo abbatum sancti Nicasii, post Remigium nullus abbas interponitur ante Johannem, qui in prædicto libello abbas fuisse falso dicitur nonnisi post concilium Claromontanum anno M XCVI. habitum: cum constet eum anno M XCIII. jam abbatem fuisse, quo anno indictione VI. Elinandi Laudunensis episcopi litteris pro sancto Theoderico subscripsit. In prædicto catalogo post Johannem, nullo intermedio, ponitur tertio loco Jorannus, & tamen litteris Manassæ archiepiscopi pro S. Theoderico, datis anno M XCIII. indictione II. a Septembri scilicet inchoata, apponitur signum Seguini abbatis sancti Nicasii. quod interpretandum puto de Seguino Casæ-Dei abbate, cui forte a Rainaldo commissa fuerit abbatia, ita ut Johannes ejus discipulus tantum ejus vice abbas, id est proabbas, censeretur. Duos Johannes sancti Nicasii unum post alterum abbates recenset Marlotus, sed non solido, ut mihi quidem videtur, fundamento. De hoc Johanne abbate mentionem facit Guibertus [a] Novigenti abbas in libro secundo de vita sua, ubi agit de quodam canonico regulari apostata, qui monasticum habitum in delictorum expiationem a Johanne sancti Nicasii abbate ægre obtinuisse dicitur, multumque a dæmonibus vexatus, absolutione accepta, & sacro oleo inunctus pie decessisse. Tandem Johannes iste relicta præfectura Jerosolymam profectus est, quod Ordericus a multis abbatibus ejus temporis *non sapienter* factum haud immerito ait. Suffectus in ejus locum Guido abbas. Ceterum S. Nicasii monasterium exigui census tunc fuisse & ad paucos redactum monachos patet ex charta Manassæ II. archiepiscopi ad Guidonem abbatem, cujus loci *paucis fratribus religiose famulantibus* [b] quædam largitur ad relevandam eorum inopiam.

a *Guibert. p.* 495.

b *Marlot to.* 1. *p.* 645.

XCIV. S. Remigii renovata privilegia.

Remigianæ abbatiæ ultra hunc annum præfuit Heinricus grandævus abbas, obtinuitque privilegium a Philippo rege, qui perquam honorifice de sancto Remigio, ejusque monasterio loquitur. Ait [c] quippe rex, domnum & venerabilem Heinricum « abbatem sancti Remigii regiam suam celsitudinem adiisse, ac petiisse, ut immuni- « tates, tam nobili & glorioso loco ab antecessoribus suis concessas, sua auctoritate « confirmaret. quod ipse perlibenter præstiterit ob amorem & venerationem erga san- « ctum Remigium, quippe qui Francorum apostolus est electus a Deo, & coronæ suæ « patrocinatur & regno. Hinc est quod sancti Remigii castro & burgo adjacenti omni- « modam impertit immunitatem, omnesque sacri ejus loci possessiones confirmat, « obtestaturque suos successores, ut id illibatum servent ac tueantur, & patronum re- « gni semper habeant sanctum Remigium, cujus apostolatu pervenimus ad fidem ca- « tholicam. Actum Parisius anno M XC. Regio diplomati apposita sunt signa Philippi regis, Ludovici ejus filii, Joffridi Parisiensis episcopi, Odonis comitis, Gervasii dapiferi & aliorum.

c *Marlot to.* 2. *p.* 181.

XCV. S. Theoderici corpus in Flandriam delatum.

Apud sanctum Theodericum Rodulfus abbas tertium præfecturæ annum agebat, cum Adela Danorum regina, post necem Canuti regis in Franciam a fratre suo

ANN. CHR. 1090.

Rotberto Flandriæ comite reducta, ad sancti Theoderici monasterium divertit. Illic perquam honorifice excepta, auditis sancti Theoderici virtutibus, partem silvæ Harlebecensis ejus monasterio donavit, petiitque, ut sacrum ejus corpus in Flandriam deferretur, ubi tunc *sacer ignis, quem Græci herisipilam vocant*, sæviebat. Accedentibus Harlebecam cum sacro loculo fratribus regina cum suo comitatu obviam processit, & donationem ab se factam *per chirothecam unam* confirmavit, scripto diplomate, dato [a] apud Harlebecam IV. kalendas Octobris, anno ab incarnatione Domini MXC. Philippi regis XXXI. Rainaldi archiepiscopi VII. Rodulfi abbatis tertio. Multa in illo itinere patrata per sanctum Theodericum miracula, ut scribit Adalgisus monachus, testis oculatus. In his quidam Cutraci clericus, Egarus nomine, dira illa tabe contractus & pæne confectus integram sospitatem recepit. qui ob sanitatem receptam sancto Theoderico se devovit; factusque ibidem sacerdos, cum quindecim annis parœciali sancti Hilarii ecclesiæ ministrasset, suscepto monachi habitu anno MCXXIII. pie decessit. Ejusmodi lues, teste Sigeberto [b], in occidentali parte Lotharingiæ præcipue grassabatur: *ubi multi sacro igne interiora consumente computrescentes, exesis membris instar carbonum ardentium moriebantur.* Post annos sex idem Rotbertus Flandrensium comes, Jerosolymam proficiscens, sancti Theoderici monasterium iterum adiit: ubi ab eodem Rodulfo abbate fratribusque sollemni processione susceptus, donationem ab Adela sorore factam denuo confirmavit, atque hac de re litteras Clementiæ uxori suæ direxit, forestariis suis interdicens, ne ullam sancti Theoderici monachis molestiam facesserent. Hujus confirmationis instrumento, dato in monte *Or*, ad sanctum scilicet Theodericum, adscripta sunt signa Rotberti comitis, Ebali comitis, scilicet Roccienfis, Balduini *de Gant*, Rogeri de Insula, & aliorum.

a Marlot. to. 2. p. 183.

b Sigeb. anno 1089.

XCVI. S. Clementis translatio Mettas.

Apud urbem Mediomatricum translatio corporis sancti Clementis, primi illius civitatis episcopi, facta est ab Herimanno antistite, ab anno superiore in sedem suam restituto quarto post anno, quam ab ea ejectus fuerat. Ubi primum in urbem rediit, cuidam vitæ innocentis adolescenti, Hugoni nomine, revelatum est Herimannum ut adiret, cumque de transferendo sancti Clementis corpore admoneret, & de instanti ejus obitu, qui tertio post translationem die subsequendus esset. Visum ad sancti Felicis abbatem, ubi sanctus Clemens quiescebat, retulit adolescens, cælitus commonitus & ipse, ut vitæ genus mutaret, & monachus fieret. Unum episcopo aperuit abbas, alterum, quod ejus obitum spectabat, reticuit. Non statim visis fidem habuit, sed tandem morbo correptus, rem exsecutus est, quantumvis infirmus, VI. nonas Maii, ac tertio post die piissime decessit, prout adolescenti revelatum fuerat. Hic vero monachum induit in Virdunensi sancti Vitoni cœnobio, ubi duos fratres jam monachos habebat. Hæc fusius retulit Hugo Flaviniaci abbas in suo chronico, atque ex eo tempore sancti Felicis monasterium nomine sancti Clementis insignitum est. Exstat hac de re diploma [c] ipsius Herimanni, omnia distincte
» referentis, scilicet multis multorum visionibus & revelationibus sibi innotuisse, ut
» a loco, quo a bonæ memoriæ Deoderico episcopo, quondam ad sedem propriam
» illum transferre conanti, sed Dei virtute prohibente non valenti, repositus fuerat,
» sancti antitistis corpus levaretur. at se visis incredulum rem distulisse: sed tandem
» cælitus castigatum exsecutum fuisse. Itaque VI. nonas Maii, cum multa clericorum,
» monachorum, ac fidelium frequentia, corpus sanctissimum, scrinio aureo & argen-
» teo decenter composuisse, & ad cathedralem sancti Stephani ecclesiam transtulisse,
» ubi nocte insequente quieverit; indeque *ad locum Basilicas dictum, unde pridie assumtum fuerat*, id est ad sancti Felicis retulisse monasterium, cui multa contulit ad stipendium monachorum, qui ad sancti Clementis corpus Deo ministraturi essent. Hic vero dies, quo facta translatio est, ut sollemnius in perpetuum observare-
» tur, nundinas ibidem per octo dies instituit Herimannus: ubi, si sæculares, ut tum
» mos erat, cursu equorum se se exercitare voluissent, victori dimidium præmii, re-
» siduum sancti Clementis ecclesiæ assignari jubet. His litteris subscribunt Hagano abbas loci, tresque alii abbates, scilicet Henricus Gorziensis, Lanzo sancti Vincentii, Durandus sancti Symphoriani; & post canonicos monachi ejusdem loci, Richerus prior, Odilo, aliique; tum e laïcis Theodericus dux, Folmarus comes, & multi alii. Authentico appensum est sigillum, ipsius Herimanni effigiem referens, qui biduo post juxta vaticinium decessit. Funus ejus curavit Hagano abbas, cumque

c Meuriss. p 378. & seq.

in ecclesia sancti Petri ad Arenas sepulturæ mandavit. Erat Hagano, uti & ejus antecessores, natione Scottus, qui citra episcopi & fratrum consilium quædam monasterii prædia in feudum laïcis dedisse dicitur in bulla Paschalis II. cujus auctoritate ad communem usum fratrum revocata sunt. Locus ad Basilicas suburbium erat ad portam, quæ hodie sancti Theobaldi vocatur, ubi in declivio collis positum erat sancti Felicis seu sancti Clementis monasterium, nunc translatum in urbem. In illo suburbio complures basilicæ erant, unde nomen loco inditum: in his basilica sancti Petri ad Arenas a sancto Clemente, ut tradunt, exstructa: ubi Herimannus episcopus sepultus est. Illic theatrum erat, quod nuper destructum fuit ad construendam arcem, uti & multæ aliæ ecclesiæ & monasteria. Herimanno mortuo, post aliquot turbas ab Heinrico super electione successoris excitatas, tandem prævalentibus clericis electus est vir catholicus Poppo archidiaconus Trevirensis, qui nonnisi post tres annos ordinatus fuit, nempe VI. kal. Aprilis, media quadragesima, ut scribit Bertholdus, id est anno M XCIII. a Gebehardo Constantiensi episcopo, sedis apostolicæ legato, a rege schismatico, uti ejus antecessor, subinde vexatus.

XCVII. S. Quintino Albani asserti.

Apud veteres *Albani* vocabantur adventitii homines, qui scilicet ex alienis dominiis in aliorum dominorum prædia vel dominia commigrabant, & in iis sedes suas figebant. In monasterio sancti Quintini de Monte prope Perronam ea vigebat consuetudo, ut advenæ illi, qui sancto Quintino primum se addixissent, ejus juris ac dominii censerentur. Hac de re litem contra Godefridum abbatem movit Odo castri Perronæ dominus, ejusmodi homines ad suum dominium pertinere asserens, prohibensque, ne ad sancti Quintini dominium confugerent, neve *census capitalicios* ei persolverent. Sed tandem abbatis & monachorum rationibus acquiescens, ab illa contentione destitit, ea videlicet conditione, ut, si advenæ sancto Quintino prius se dederent, quam a suis ministris præventi essent, nullum eis servitutis jugum posset imponere. qua de re scriptum confici præcepit præsente Ratbodo Noviomorum episcopo, anno Christi M XC. Ratbodi episcopi vicesimo-tertio, qui scriptum illud suo sigillo roboravit, tertio anno ex quo prædictus Odo in paternum honorem successerat. Insuper idem Odo dona quædam adjecit, quædam etiam Ivo clericus ejus frater & Adela ejus soror, necnon Robertus pater eorum, alii alia, ut in litteris fusius refertur.

XCVIII. Capellæ monasterium conditur.

Hoc ipso anno Eustachius Boloniæ comes & Ida ejus uxor, Godefridi Bullonii parentes, monasterium B. Mariæ de Capella construxerunt in prædio Merkensi *, ex quo Merkense appellatum, secundo lapide ab opido Caleto: ubi monachos Hamenses instituerunt, ut ex Iperio discimus. quod monasterium postea Morinensi sancti Johannis abbatiæ adjunctum fuisse Miræus testatur. Plura de Capellæ abbatia apud Malbrancum [a].

* *Merck.*

[a] *Malbr. lib.* 8. *c.* 80.

Tunc Hamensi monasterio præerat Gerardus abbas, qui una cum Johanne sancti Bertini abbate, aliisque nuntiis a Remensi concilio missus est, ut Rotbertum Flandriæ comitem, qui multa ecclesiis damna intulerat, ad emendationem sub excommunicationis pœna compelleret. quod & præstitit comes. Exstat in Spicilegii [b] tomo XI. diploma Rotberti Flandriæ comitis, omnia bona confirmantis, quæ Ingelrannus castri Lilleriensis dominus & Sara ejus conjux Hamensi monasterio contulerant. Ravengarius abbas Capellæ cum Gerardo Hamensi anno M XCVII. subscribit chartæ Manassis comitis pro monasterio Andrensi. Meingerus ejus successor in chronico Andrensi [c] non semel laudatur.

[b] *Spicil. to.* 11. *p.* 314.

[c] *Spicil. to.* 9. *p.* 389. & 390.

Anselmi monita ad Idam comitissam.

Idæ comitissæ pietatem & munificentiam maxime in Beccenses monachos prædicat variis in epistolis Anselmus, eique præclara dat monita, in his ut magis magisque ad profectum quotidie contendat. *Nullus enim*, inquit [d], *gradum bonæ vitæ, quem jam conscendit, custodire sufficit, qui semper ad altiorem proficere non appetit. Semper igitur necesse est ut nitatur ad profectum, qui semper vult vitare defectum.* Eadem aliis verbis repetit in alia [e] ad eamdem epistola, asserens eam numquam securam fore se in " numero electorum computandam esse, donec ita vivat, ut pauci sint, quibus ipsius " vita debeat comparari; immo & cum se in numero paucorum esse cognoverit, ad- " huc ipsi timendum, quia adhuc dubium erit, an inter paucos electos fuerit. Qui " enim dixit, *Pauci sunt electi*, non utique dixit quam pauci: *ut quantumcumque no- " bis videamur profecisse, semper judicemus, nos hondum nisi ad initium proficiendi pervenisse.*

[d] *Anselm. lib.* 2. *ep.* 87.

[e] *Id. lib.* 3. *ep.* 18.

ANN. CHR. 1090. XCIX. Vindocino facta donatio.

Tunc temporis Vindocinensis comes erat Goffridus cognomento Jordanus, dictus etiam Prulliacensis, qui Burchardo, Fulconis Richini filio, successerat. Is, cum adeptus esset comitatum, animo proposuerat quiddam de suo prædio Prulliacensi Vindocinensibus conferre. quod tamen exsequi distulit, donec a Lancelino Balgentiaci domino captus est. Tunc vero uxori suæ, Eufroniæ nomine, mandavit, ut Bernoni Vindocinensi abbati pro suorum antecessorum salute, suaque ipsius liberatione Saviniaci ecclesiam cum sepultura & presbyterio Vindocinensibus donaret. quod ipsa præstitit, etiamsi in dotem locus iste ipsi concessus esset, posito super altare cultello, quem abbas manu propria accepit. Actum apud Saviniacum, annuente Hoëllo Cenomannorum episcopo, qui multa cœnobio Vindocinensi contulisse dicitur. Verum postea, Goffrido Jerosolymis defuncto, eadem Eufronia prædictam ecclesiam Vindocinensibus abstulit. qua de re a Simone apostolico legato & ab episcopo Cenomanensi excommunicata, cum a Goffrido Vindocinensi abbate factæ injuriæ convicta fuisset, ecclesiam illam restituit. Testes in multis Hildebertus episcopus Cenomannensis & Gosbertus sancti Carilefi abbas. Multas subinde lites Goffridus abbas cum prædicto comite habuit, ut inferius videbimus.

C. Majoris-monasterio privilegium ab Urbano datum.

Hoc ipso anno Bernardus, Majoris-monasterii abbas, amplissimum ab Urbano II. privilegium obtinuit. In eo præfatur pontifex, cum universis ecclesiis debitor sit; illis tamen locis atque personis, quæ ampliori religionis gratia eminent, se propensiori caritatis studio consulere debere, adeoque sancti Martini monasterio, cum pro beati confessoris devotione ac reverentia, tum pro religionis prærogativa, qua sacri illius loci monachi præcellebant. Quam ob rem ait, se omnes ejus possessiones confirmare, eumdemque locum in suam tutelam suscipere; vetare ne missæ illic publicæ ab episcopis celebrentur, neu monachi ad externas stationes aut exsequias, præter ipsorum abbatis voluntatem compellantur, aut a quovis excommunicentur; sed præcipere, ut omnes eorum causæ graviores ex apostolicæ sedis judicio pendeant. Ut libera sit abbatis electio, qui ab archiepiscopo Turonensi, si communionem sedis apostolicæ habeat, *consecrationem* gratis accipiat, absque ulla professionis exactione: sin minus, aut ad Romanum pontificem *consecrandus* accedat, aut a quocumque episcopo *consecrandum* se offerat. Idem sancit pontifex de sacro chrismate, de consecratione altarium seu basilicarum, & de ordinationibus sacris. tum subdit monachos alloquens: *Vos igitur, filii in Christo dilectissimi, oportet regularis disciplinæ institutioni sollicitius & devotius insudare: quatenus quanto ab sæcularibus tumultibus liberiores exsistitis, tanto amplius placide Deo devotius mentis & animæ virtutibus anheletis.* Denique pro hac libertate singulis annis unam auri unciam persolvi jubet. *Scriptum per manum Gregorii scriniarii atque notarii sacri palatii. Datum Romæ per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, anno dominicæ incarnationis* M XC. *indictione* XIII. *pontificatus domni Urbani papæ II. tertio, sexto-decimo kal. maii.*

CI. Bernardus abbas præfecturam abdicare vetatur.

Haud scio an eodem tempore Bernardus abbas, quorumdam fratrum oblocutionibus lacessitus, abjiciendæ pastoralis curæ consilium inierit, qua de re ad pontificem scripsit, qui id fieri vetuit, ei rescribens in hunc modum.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili filio B. Majoris-monasterii abbati salutem & apostolicam benedictionem. Sic apud bonos viros est servanda humilitas, ut veritatis ac justitiæ non deseratur auctoritas. Ita ergo humilitatem tuam suscipimus, ut veritatem ac justitiam teneamus. Te siquidem per omnipotentis Dei gratiam catholicum ac vere religiosum habemus. Si quid vero in ordinationis tuæ primordiis, vel per ordinantis culpam, vel per tuam negligentiam deliquisti; nos tibi, beati Martini meritis confidentes, beati Petri vice & auctoritate dimittimus. Hanc autem tibi pænitentiam indicimus, ut de cetero commissorum fratrum saluti vigilantius ac ferventius instare non desinas. In hac siquidem parte omnibus adversus te oblocutionis vocem auferimus, & perpetuum silentium imperamus. Universis autem vestri cœnobii fratribus præsentium litterarum auctoritate præcipimus, ut devotione plenissima debitam tibi reverentiam, obedientiamque persolvant: quatinus, annuente Deo, & ipsi de tuæ sollicitudinis gratia, & tu de ipsorum obedientia pariter gaudere possitis.

Hactenus Urbani epistola, quæ mihi digna visa est, ut hic integra referretur.

Namnetensem episcopum sibi reconciliat.

Forte hujus lectione epistolæ stimulatus Bernardus, suæ ditionis cellas & obedientias, in Britannia positas, perlustrare aggressus est. Obedientiæ prædia erant insigniora, quibus procurandis unus, alterve monachus deputatus erat: cellæ vero

parva

ANN. CHR. 1090.

parva monasteria seu abbatiolæ, in quibus aliquot monachi cum præposito seu priore residebant, omnes revocabiles ad nutum abbatis. Ubi Britanniæ partes attigit abbas, Benedictum Namnetensem episcopum, suis tunc infensum, adut, eum sibi reconciliaturus. Erat Benedictus germanus frater & successor bonæ memoriæ Quiriaci Namnetensis episcopi, Majoris-monasterii amici quondam munificentissimi, ex monacho Kemperlegiensi in locum defuncti fratris substitutus. Hic principio episcopatus monachis Majoris-monasterii favere visus est: at postea multas eis molestias intulit, rixas intentando super illis rebus, quas in diœcesi Namnetensi tempore fratris sui tranquille possederant. Cum primum Namnetas advenit Bernardus, episcopum convenit, eumque qua precibus, qua rationibus ita flexit, ut nullam deinceps monachis molestiam facessierit. *Acta anno a passione Domini* M XC. *intra ruinas veteris ecclesia sancti Petri*, scilicet Namnetensis, quæ a Nortmannis subversa fuerat. ubi *passionis* nomine incarnationem Domini interpretari oportet. Quasdam alias a monachis suis molestias passus est Bernardus, ut inferius videbimus.

CII. Lis inter S. Sergii & S. Albini monachos.

Per id tempus sancti Sergii apud Andecavos monachi litem de Campiniaco, alias [a] jam ventilatam, contra sancti Albini ejusdem urbis monachos redintegrarunt, de injuria sibi illata conquesti apud Hugonem, *virum spectanda virtutis & totius Gallia primatem*, scilicet Diensem, qui tunc Lugdunensis archiepiscopus erat, & Salmurum advenerat. Is, auditis Sergianorum querelis, Giraldum sancti Albini abbatem, ut eis faceret satis, minacibus verbis admonuit. Quam ob rem hæc causa denuo agitata in ecclesia sancti Mauricii apud Andecavos coram Radulfo Turonum archiepiscopo, Baldrico Burguliensi, & Natali sancti Nicolai abbatibus; necnon Ansgerio & Hilgodo Majoris-monasterii monachis: quorum primus, scilicet Ansgerius archiepiscopus in Apulia fuisse dicitur, haud dubie Rangerius archiepiscopus Regiensis: alter, nimirum Hilgodus seu Hilgotus, Suessionum episcopus post Arnulfum, relicto episcopatu anno circiter M LXXXVIII. ad Majus-monasterium secesserat. His adjuncti Marbodus archidiaconus, & quidam alii. Ab eis sancita demum concordia est, Sergianis a lite desistentibus, receptis sanctorum Sergii & Bacchi reliquiis a monachis sancti Albini, qui eas olim a Sergianis acceperant. Tunc sancti Sergii monasterio præerat Achardus abbas.

a V. lib. 64. n. 72.

CIII. Rangerius ex monacho archiepisc. Regiensis.

Qui hac in Notitia laudatur Ansgerius, dictus in Apulia archiepiscopus, is est sine dubio, ut jam dixi, Rangerius, qui ex Majoris-monasterii monacho creatus est archiepiscopus Regiensis sub annum M XC. ex Ughello [b]. quo nomine diplomati Urbani II. pro Cavensi monasterio anno sequenti subscripsisse invenitur, factus paullo ante S. R. E. cardinalis; idemque anno M XCIII. Cavensi dedicationi, & anno M XCV. concilio Claromontensi interfuisse: quo in concilio Urbanus papa confirmavit Majoris-monasterii privilegia, quæ ipse papa eidem cœnobio prius ab urbe Roma miserat per *manus reverendorum fratrum nostrorum domni Bernardi Remensis, cognomento Pontii, tunc prioris nostri, domnique Rangerii, qui postea presbyter cardinalis S. R. E. ac deinde Regiensis archiepiscopus fuit*, ut scribit monachus Majoris-monasterii in textu de suæ ecclesiæ dedicatione, anno M XCV. facta ab Urbano. Vixit saltem usque ad annum M C VI. Rangerius, quo anno Vastallensi concilio interfuit.

b Ital. sac. to 9. p. 435.

CIV. Hilgotus episcopus ad Majus-monasterium secedit.

Quænam Hilgoto abdicandi episcopatus causa fuerit, discimus ex Ivonis epistola [c] ad Urbanum II. apud quem hic purgat Hilgotum, quem nonnulli temere infamabant, quasi pro certis criminibus depositus, ad monasterium confugisset. *Nulla enim*, inquit Ivo, *infamia notatus, nulla criminali accusatione pulsatus, sed propter prælatorum pericula, qua jam expertus fuerat se salubriter ferre non posse, episcopatui renuntiavit, & ad portum monasterii confugiens, de naufragio hujus mundi nudus evasit.* Addit Ivo eum probe sibi notum esse, quippe qui sibi, dum Belvaci adhuc presbyter in regulari sancti Quintini ecclesia resideret, conscientiam suam aperuisset, ac secedendi propositum; a quo eum revocare frustra tentaverat, opponentem, *se malle in loco humili salvari, quam in alto periclitari. Visa itaque*, ait Ivo, *ejus animi constantia, quod vir tanta nobilitatis & tanta felicitatis ita mundum calcaret, & sub leve Christi jugum confugeret, approbavi intentionem ejus; & qui me fecerat conscientia judicem, habuit de cetero sui propositi laudatorem.* Hæc scribebat Ivo anno M C. quo tempore cum Hilgotus, mortuo Bernardo Majoris-monasterii abbate, successor electus fuisset, eum infamabant nonnulli, ut ejus electionem cassam redderent.

c Ivo. ep. 88

CV. Glannafolio facta restitutio.

Eodem anno, in quo stamus, Fulco Rechinus Andecavorum comes Glannafo-

ANN. CHR. 1090.

liense sancti Mauri monasterium adiit: ubi dum in claustris monasterii una cum filio suo Goffrido, multisque aliis nobilibus viris resideret, interpellatus est a monachis, ut monasterio suo insulam, *non longe ab eodem loco, inter Ligerim fluvium & Vigennam, exsistentem redderet, ac proprio munere redditam* confirmaret, utpote quam certa veterum relatione beatum Maurum habuisse constaret, ob idque ejus nomine cognominatam fuisse, in qua sanctæ Mariæ Magdalenæ capella exstabat. Postularis mox assensit Fulco, & sancto Mauro insulam reddidit. quod Bertrada ejus uxor & Goffridus filius gratanter concesserunt. Integras litteras retulit Menagius [a], sed cum vitiatis chronicis notis, quas ex earum compendio ab eodem relato [b] corrigere licet: falso existimans duas esse chartas, adeoque alterutram esse falsam. *Actum anno* M XC. *indictione* XIII. VIII. *kal. Maii, regnantibus principibus istis, in Galliis rege Philippo, Pictavis comite Willelmo, Turonibus Radulfo archiepiscopo, Andegavis Goffrido episcopo, monasterii Fossatensis abbate Wlferio*, cui Glannafoliense subjectum erat, *per Maubertum ejusdem cœnobii priorem*. Ex his porro litteris, aliisque monumentis colligit Menagius, Vigennam fluvium, qui Ligeri apud Candatensem vicum tempore sancti Martini, qui illic obiit, atque hodie quoque Ligeri miscetur, medio illo tempore infra Glannafolium in Ligerim influxisse, adeoque insulam, de qua hic agitur, prope Glannafolium effecisse.

[a] Sablé p. 232.
[b] ibid p. 231.

CVI. Tauniacense monasterium.

Dum Angeriacensi monasterio præesset Odo abbas, Tauniacensis ecclesia, quæ canonicorum erat, Angeriacensi abbatiæ subjecta fuit, sicque monachorum habitatio facta, quibus Odo abbas Fulcherium rectorem præfecit. Hujus conversionis auctor Goffridus, castri Tauniaci * ad Carantonam dominus, id fuse explicat in litteris ea de re ab ipso editis. Illius ecclesiæ primus conditor fuerat ejus atavus, Mascelinus nomine, qui se nobilissimum principem dicit in quibusdam litteris donationis Angeriacensibus ab ipso factæ; ibidemque canonicos posuerat. Ecclesia B. Mariæ dicata sancti Hippolyti reliquias se habere gloriabatur. Processu temporis licentius viventes illi canonici, cum sæpe admoniti mores emendare nollent, Ramnulfo Santonensi episcopo ecclesiam suam resignant, eo pacto, ut illa monachis Angeriacensibus traderetur. Ea res Gaufrido non minus admirationis quam gaudii attulit, quippe id jam dudum cupienti, & facti difficultatem haud ignoranti. Mox ille Angeriacum properat, Odoni abbati rem exponit, precaturque ut suos illic monachos instituat; canonicos quippe id optare. Cum id Odoni incredibile videretur, mox adsunt canonici, qui dictum confirmant, & ecclesiam suam abbati resignant, ut monachorum abbatia fieret. Assensit tandem Odo ea lege, ut abbas illic instituendus, ejusque successores, Angeriacensi subjectus esset, virgamque pastoralem in Angeriacensi capitulo acciperet; removendus ab Angeriacensi, si minus religiose se gereret. His conditionibus acceptis, monachorum Angeriacensium colonia Tauniacum deducitur, quibus Fulcherius abbas præfectus est, ab episcopo Santonensi ordinatus. His ita gestis, Gaufridus Romam profectus, rem Urbano papæ nuntiat, cui id gratissimum fuit, maxime quod Hildebrandus papa jam antea id annuisset. Facta sunt hæc anno M XC. multis præsentibus testibus, in quibus primi recensentur Ramnulfus episcopus, Odo abbas, & Ausculfus prior, qui non multo post Odoni in abbatis officio successit.

* Taunay-Charente.

CVII. Calmeliacense privilegium.

Cum tertium annum in Calmeliacensis seu S. Theotfredi cœnobii regimine ageret Willelmus abbas [c], eo nomine quartus, Romam profectus est, ut novum ab Urbano II. privilegium, novamque bonorum confirmationem monasterio suo obtineret. Annuit pontifex, sed ea lege, ut regularis disciplinæ institutioni sollicitius ac devotius insudarent, & Romanæ ecclesiæ decreta studiose observarent. *Datum Romæ kal. Aprilis per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, anno dominicæ incarnationis* M XC. *indictione* XIII. *pontificatus domni Urbani II. papæ anno tertio.* Reversus ad suos Willelmus totum se monasterii sui rebus, tum spiritualibus, tum temporalibus promovendis, augendisque impendit, quasdam etiam ecclesias ab Ademaro Aniciensi, & Leogerio Vivariensi episcopis impetravit; ab Ademaro autem Ruthenensi Salvatoris monasterium feminarum, situm in castro Severiaco. qua de re privilegium a Paschali II. obtinuit.

[c] V. lib. 67. n. 7.

Lis cum Cluniacensibus.

Eodem abbate gravis contentio Calmeliacenses inter & Cluniacenses orta est super Vigiliensi sancti Laurentii ecclesia, seu cella diœcesis Gratianopolitanæ, quam ecclesiam Humbertus episcopus quondam Guigoni Calmeliacensi abbati contulerat. Hanc tamen postea obtinuerant Cluniacenses: sed eam ipsis abstraxit Hugo epis-

copus, eamdemque suæ ecclesiæ vindicavit, & Calmeliacensibus restituit interventu Hugonis Diensis episcopi, & sedis apostolicæ *vicarii* seu legati, ut in ipsius Hugonis Gratianopolitani litteris legitur: sive quod justiorem Calmeliacensium causam existimaret, sive quod Cluniacenses, privilegii sui obtentu, Gratianopolitanæ ecclesiæ minus obsequentes viderentur. Hinc injuriam sibi factam arbitrati Cluniacenses, ea de re expostulant apud Urbanum II. qui litteras Hugoni Gratianopolitano episcopo direxit per Petrum monachum, ei mandans, ut Cluniacenses de Vigiliensi ecclesia denuo investiret. *Et quidem prudentia tua sollicitudinem*, inquit, *fervore justitiæ eamdem cellam Cluniacensibus extorsisse minime dubitamus: sed ego ipse meum assertionis testimonium fero, quoniam eos quondam in ejusdem cellæ possessione nos vidimus: quæ possessio justa licet aut injusta fuerit, non debuit sine judicio apostolicæ sedis, ad quam eadem causa relata fuerat, extorqueri.* Quapropter jubet pontifex, ut ejusdem loci investitura Cluniacensibus restituatur, & post quadraginta a restitutione dies hæc causa per ipsum Hugonem Gratianopolitanum, & per Magalonensem episcopum discutiatur, monito priore Cluniacensi, absente scilicet Hugone abbate, *qui in longinquam regionem profectus erat*, ut intra dies quadraginta coram ipsis causam suam peroraturi se sistant Cluniacenses. Non tamen statim finita fuit hæc causa, necdum composita pontificatu Callisti II. qui eam eidem Hugoni episcopo, & P. Diensi dijudicandam commisit. Sed tandem Cluniacensibus adjudicata fuit hæc cella, in qua olim tres monachi, priore computato, esse debebant.

CVIII. Crassæ duæ abbatiæ restitutæ, &c.

Habitum est hoc anno apud Narbonam concilium, in quo Rotbertus Crassensis abbas conquestus est, quod Dalmarius archiepiscopus, qui eum in abbatiæ regimine præcesserat, duas monasterio abbatias, unam sancti Polycarpi, alteram sancti Laurentii, super fluvium Nigellæ ad oram maris positam subtraxisset, suasque ecclesias interdicto supposuisset. Contra vero Dalmatius prædictas abbatias ecclesiæ suæ subjectas asserebat, & cum Rotberto expostulabat, quod ipsius interdicto non paruisset. Verum, prolatis Crassæ privilegiis, Dalmatius easdem abbatias sub annuo censu Crassensibus cessit: abbas autem Dalmatio violati interdicti culpam agnovit, & archiepiscopo fecit satis. Acta hæc apud Narbonam XIII. kal. Aprilis, edita [a] primum a Baluzio.

Idem Dalmatius eodem anno sancti Grisanti [b] ecclesiam, haud longe a Narbonæ suburbio distantem, funditus destructam cum ipse instaurare non posset, Massiliensi sancti Victoris monasterio & Richardo abbati restruendam tradit cum suis adjunctis, ea conditione, ut Narbonensi ecclesiæ libram unam incensi quotannis reddat.

[a] *Conc. Narbon. p. 18. & seq.*
[b] *ibid. probat. p. 86.*

CIX. Farfæ novus abbas Beraldus II.

In Italia, Rainaldo Farfæ abbate electo, homine ad id officium, ut superius [c] vidimus parum idoneo, monasterii regimen languere, adeoque regularis disciplina prolabi cœpit. Tum vero ejus loci primores, qui ejus electioni contrarii extiterant, eidem blandiri & assentari, ad se omnia transferre, ac de omnibus pro suo arbitrio statuere. Hinc illi commoda quisque sua sectari, fratrum necessaria nihili pendere, monasterii denique rem familiarem prodigere instituerunt. Hinc assidui gemitus fratrum, & sollicitæ ad Deum & beatissimam Virginem obsecrationes, ut tantæ miseriæ finis quam cito imponeretur. Nec irritæ supplicum preces. nam intra annum ganeones illi, alii subita morte exstincti, alii procul abacti, alii denique ad extremas angustias redacti sunt. Unum post Deum in tam infelici statu opportunum visum est fratribus remedium, imperatorem ut adirent, cujus providentia cuncta emendarentur, & melius ordinarentur. At facultas ad itineris sumtus deerat. Interim quidam, nomine Berardus, cognomento Florentinus, qui Berardi abbatis recens defuncti consanguineus dicebatur, cum in quadam Marchiæ præpositura degeret, a nonnullis Farfensium impulsus, imperatorem convenit, & abbatiæ investituram ab eo accepit: moxque Farfam se conferre maturavit. quo audito, Rainaldus electus a monasterio recessit, seque in quoddam monasterii præsidium recepit. Ubi Berardum accedere fratres intellexerunt, obviam ei profecti sunt *usque Teramnensem urbem*, &, exacto ab eo sacramento de servanda regulari disciplina, bonisque monasterii tuendis & in legitimos usus impendendis, eum abbatem elegerunt, indeque cum multo equitum comitatu ad monasterium deduxerunt die quinta Junii hujus anni. Ille ubi abbatiæ possessione se confirmatum vidit, mox præstiti sacramenti haud quaquam memor, aut certe nil curans, monasterii usus & consuetudines mutare cœpit, vestes exoricas & peregrinas inducere, corradendæ pecuniæ dare ope-

[c] *supra n. 87.*

ANN. CHR. 1090.

a supra n. 88.

ram, monasterii possessiones vel profundere, vel abalienare, cunctos denique sibi adversantes dure tractare. Nec ipse, qui hæc scripsit, Gregorius [a] monachus ab hac communi vexatione immunis fuit. nam, licet in speciem humanius cum eo ageretur, nihilo minus pleraque ipsi necessaria deerant, maxime in componendo insigni illo chartarum volumine, cui perficiendo nihil ab illo tenacissimo homine exprimere poterat. Quæ vero postea consecuta sint, inferius dicturi sumus.

CX. Palumbus monachus Specus Sublacensis.

b lib. 64. n. 3.

Longe melius se gerebat in proximo Sublacensi monasterio Johannes abbas, cujus studio cum res familiaris, tum regularis disciplina non parum incrementi ac splendoris accepit. Hinc factum est, ut illic confluerent multi nobiles, *qui in sancto se proposito optime constringebant*, ut Johannes ejus loci chronographus tradit. Idem quædam Johannis abbatis statuta refert ad divinum officium amplificandum, quorum summam superius [b] retulimus. Hoc ipso anno Palumbus monachus a Johanne abbate petiit, ut ad Specum beatissimi patris Benedicti secessu olim consecratum, sed a centum amplius annis desertum, secedere sibi liceret. Assentiente Johanne, illic se recepit, ubi summa inedia & afflictatione corpus maceravit. Post aliquantum temporis illinc egressus, ad locum postea non revertit. Ejus *legendam* laudat Johannes chronographus, additque ejus corpus in capella palatii abbatialis, sancto Nicolao sacra, requiescere.

CXI. Casinates duo facti episcopi.

c Chron. Casin. lib. 4. c. 7.

d ibid. c. 8.

e ibid.

f ibid. c. 10.

Per id tempus duo Casinensis cœnobii monachi ad episcopatum promoti sunt, nempe Rainaldus [c] ad Caïetanum post mortem Leonis episcopi, & in Sardinia insula Benedictus, cujus nulla alia nobis deinceps memoria occurrit. Ad Rainaldum quod attinet, ipso promotionis suæ anno, dominicæ incarnationis M XC. Casini adfuit jam episcopus dedicationi [d] ecclesiæ sancti Martini, a Desiderio abbate restructæ, cujus præcipuum altare Johannes episcopus Tusculanensis in honorem sancti Martini: dextrum ipse Rainaldus episcopus in honorem sancti Erasmi: sinistrum vero Honestus episcopus Verulanus in honorem sancti Ambrosii consecravit. Tunc etiam Sicelgaïta, conjux ducis Rotberti in atrio [e] basilicæ sancti Petri Casinatis humata fuit. Ibidem quoque Jordanus [f] princeps Capuanus sepultus, cum Piverni decessisset. Ad hæc dux Rogerius prædicti Rotberti donationes sancto Benedicto factas confirmavit, novasque adjecit, diplomate dato anno ab incarnatione M XC. ducatus ejus anno quinto, mense Augusto. Idem præstitit Boamundus ejus frater *per præceptum aureo sigillo bullatum*, in quo Marcus alio nomine & Abbamonte vocatur. *Godescalcus presbyter & monachus, eo tempore legatus apostolicæ sedis*, hoc præceptum scripsit Tarenti eodem anno, XIV. kal. Septembris. Ambo iidem fratres amplissimum Bantino monasterio privilegium, a Baronio relatum, hoc anno concesserunt.

CXII. Herrandus episc. in schismaticos scribit.

In chronico Saxonico Herrandus abbas, qui & Stephanus, Halberstadensis episcopus electus memoratur. Is erat, quo usus est Ludovicus comes ad respondendum epistolæ Waltrani Magdeburgensis episcopi schismatici, Ludovicum a partibus catholicis avertere molientis: quam epistolam Dodechinus ad hunc annum refert. Herrandus ante episcopatum monachus fuerat Reinhardisbornensis apud Turingos, ubi & post mortem, quæ accidit anno M CI. sepultus est. Quod attinet ad Ludovicum comitem, hic *monachus factus* beato fine quievisse dicitur in appendice ad Lambertum Scafnaburgensem ad annum M C XXIII. Heinricus, Corbeiæ-novæ decanus, anno M XC. fit abbas Heresburgi in Saxonia.

CXIII. Laureshami incendium.

Eodem anno Laureshamensis basilica fortuito incendio tota conflagravit. Id infortunii XII. kal. Aprilis sub vesperam accidit occasione cujusdam ludi, quo *discus, in extrema marginis ora* pro more patriæ *accensus*, militari manu per aëra vibratur. Forte a quodam infeliciter intortus, ad summum ecclesiæ fastigium imprudenti jactu evolavit: ubi inter tegulas & cariosos asseres arctius insidens, animante vento fomitem incendio præbuit. Tum ignis *castellum* mira arte fabrefactum, ex quo *signa* seu campanæ ecclesiæ dependebant, funibus exustis, ne quis sonitu excitari posset, corripuit: dehinc totam superiorem fabricam, turres quoque cum porticibus flamma victrix obtinuit, ad extremum fusi plumbi, quo tota ecclesia tecta erat, stillatione ingrediendi, subveniendi, & quidpiam illinc eruendi omnimodam abstulit facultatem. Sic tam præclara tam ecclesiæ, quam totius monasterii ædificia & ornamenta tot annis instructa & collecta, una nocte flammis absumta sunt, paucis admodum cum ingenti labore & periculo subductis.

Post tam grave infortunium primo, ut se habent humana, maximus dolor, de-

hinc ex dolore querelæ & obloquia per totam provinciam sparguntur, asserentibus accolis in cœnobio non haberi S. Nazarii corpus, cujus in tanto periculo patrocinium monachi non sensissent. Hic rumor Anselmi abbatis in primis animum penitus lancinavit, veriti, ne ex hoc falso rumore instaurandi loci omnis spes sibi adimeretur. Ut ergo falsum illum rumorem aboleret, præmisso triduano jejunio, sacri martyris loculum, humo pone altare infossum, eruendum censuit. Egesta altius humo, duo sarcophaga inventa, sed vacua: at ubi altius fossum est, reperta tumba marmorea insignis decoris, sigillis ac nodis ferreis artius obsignata: qua reserata, inventa est arca plumbea, quæ sancti Nazarii pretiosum corpus serico involutum continebat, cum lamina plumbea pectori martyris apposita, cui ipsius nomen inscriptum erat. Tum vero reperti pretiosissimi thesauri rumor circumquaque respersus infinitam populorum multitudinem ad istud spectaculum excivit, quibus Ebbo Wormatiensis episcopus, qui & ipse illuc accurrit, in editiori loco ante S. Martini ecclesiam consistens, caput sancti martyris omnibus spectandum & venerandum exhibuit. Id factum nonis Junii. quo ex tempore tanta fuit fidelium in sanctum martyrem devotio, tanta oblationum affluentia, ut ex iis brevi instaurata fuerit ecclesia, etsi non ea, qua olim erat elegantia, sed ea, quam rei status exigebat, diligentia. Principalis tamen ecclesia nonnisi post annos quadraginta & unum dedicata fuit, sub Diemone abbate, qui quinque episcopos ad id præstandum invitavit anno M CXXX. Resuscitata autem utcumque ex cineribus Laureshamensi ecclesia, Anselmus abbas ibidem sacræ religionis vigorem roborare studuit, quin etiam propagare, nova cella in monte Abrinsbergensi in honorem sanctorum martyrum Stephani & Laurentii exstructa, ubi decem fratres collocavit. Cum vero monasterii possessionibus recuperandis, & de manu præcipue Bertholdi advocati eripiendis insisteret, captus ab eo, retrususque in custodiam est. Ebbo Wormatiensis episcopus ante episcopatum monachus fuerat Laureshamensis, in cujus nomine si non falsus est prædictus chronographus, emendandus esset Bruschii catalogus, in quo episcopus factus dicitur anno M C X. quo tempore Anselmus abbas non amplius in vivis erat.

CXIV. Theotgerus abbas S. Georgii.

Sub idem tempus Theotgerus seu Theogerus monachus Hirsaugiensis a Willelmo abbate ad præfecturam monasterii sancti Georgii in Hercinia silva positi promovetur. Fuerat is in sæculo nobilis genere, Folcmari comitis Mettensis frater, quem adhuc adolescentem Gerungus Marbacensis canonicus regularis ad Willelmum abbatem *sub percipiendæ ab eo pœnitentiæ specie olim destinaverat.* Tum Hirsaugiæ admissus, ab ipso Willelmo habitum monasticum suscepit. Cum humanis, divinisque litteris apprime instructus esset, post prima vitæ monasticæ tirocinia strenue absoluta, id officii ei injunxit abbas, ut cum altero monacho æque docto, Herinone nomine, in toto tam novo quam veteri testamento, quæcumque scriptorum vitio depravata erant, corrigeret. Cum diaconus tantum esset, prioris munus ei commissum est in Reichenbacensi sancti Georgii cella; nec multo post sacerdotio initiatur. quo munere tanta cum reverentia fungebatur, ut cum stolam collo imponeret, præ nimio tremore pæne deficeret. Illic dum versaretur, Herlucam virginem Berndriedensem salutaribus monitis ad vitam spiritualem informavit. Paullo ante id tempus conditum fuerat in Hercinia silva sancti Georgii monasterium, auctore Heziloone, viro nobili & religioso, qui ad id operis consilio & auxilio nobilis æque ac religiosi viri Hessonis usus erat. Illic monasticam disciplinam instituerat Willelmus Hirsaugiensis abbas; jamque duos eidem loco abbates imposuerat. At, cum secundus ad id muneris parum aptus videretur, eum ab officio removit, inconsulto Gebehardo episcopo Constantiensi, ejusque loco Theotgerum substituit. Id gravate tulit episcopus, noluitque Theotgerum ordinare abbatem, nisi prius Willelmus obedientiæ suæ vinculis eum absolveret. quod vix tandem ille assensit. Benedictione accepta, Theotgerus ad construendum templum & claustrum manum admovit, nec minorem de rebus spiritualibus curam habuit, qua in re ceteris exemplo prælucebat. Sacras vigilias anticipare solitus, vix quidquam somni corpori suo indulgebat, tam rigidus in seipsum, ut etiam fratres durissimis plerumque oneribus prægravaret. Sed tandem equo lapsus, cum infirmitatem incurrisset, aliis compati & misereri didicit. Multa passus ab accolis, eos demum patientia & mansuetudine ita flexit, ut plerique ejus disciplinæ in monasterio se subdiderint. Non solum autem virorum, sed

ANN. CHR. 1090.

etiam mulierum curam gessit piissimus abbas, adeo ut septingentæ utriusque sexus personæ se se ejus magisterio commiseriut, quorum in gratiam varia monasteria instituit, ut ex consequentibus patebit.

CXV. §. Felicis eremitæ Hispani translatio.

In Hispania sanctus Æmilianus abbas, de quo in primo volumine egimus, ducem in vita monastica & institutorem habuit Felicem eremitam, virum sanctum, qui in castro Bilibiensi humatus fuit. Ejus reliquias absque debito cultu illic jacere indigne ferentes sancti Æmiliani cœnobii monachi, Blasium abbatem impulerunt, ut eas ad suum transferret monasterium. Verum ille id citra regiam auctoritatem fieri non posse ratus, Aldefonsum regem adiit, ejusque assensum obtinuit. Hic nihilo minus ad rem exsequendam segnior, a suis demum compulsus est, ut eam exsequi ne amplius cunctaretur. Itaque Lupi comitis, in cujus ditione positus erat locus, & Theclæ ejus conjugis consensu impetrato, hæc translatio sollemni ritu peracta est VIII. idus Novembris, æra MCXXVIII. quæ huic anno respondet. Hujus translationis historia prolixius scripta est a Grimaldo monacho, qui tempore factæ translationis posterior esse videtur ex his, quæ in fine scribit de Garsia Alarensi episcopo & Garsia rege; adeoque distinguendus ab eo, qui vitam sancti Dominici Exiliensis in litteras retulit.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.

LIBER SEXAGESIMUS OCTAVUS.

Ab anno Christi 1091. ad annum 1094.

ANN. CHR. 1091.

I. Beneventana synodus.

ANNO post millesimum nonagesimo primo Urbanus papa ab Urbe, quæ Heinrico regi schismatico & Guiberto antipapæ a perfidis prodita erat, in Campaniam discedere cogitur, malens *cum mansuetudine*, inquit Bertholdus, *causam suam agere, quam Romam cum exercitu intrare, & rebellium contumaciam* cum multa sanguinis effusione *domare*. Ubi in Campaniam advenit, ab omnibus catholicis reverenter acceptus, Beneventi synodum habuit, in qua Guibertum, eique adhærentes denuo anathemate multavit. In hac synodo id contigisse putat Baronius, quod de Petro Cavensi abbate in ejus vita legitur, cui in synodo capite nudo assidenti Urbanus pontificalem infulam seu mitram misisse dicitur: quam ille quidem reverenter accepit, sed ea numquam uti voluit, hoc modestiæ exemplo damnans quorumdam abbatum arrogantiam, qui ejusmodi honores ambiebant.

Petri Cavensis modestia.

II. Rainerus abbas Crispinii Urbanum adit cum Alberto.

Cum pontifex Beneventi versaretur, eum convenit Rainerus, Crispiniensis in pago Hainoensi abbas, & ab eo *munimentum monasterii sui, quod petebat, facillime adeptus est*, id est, pontificium diploma, quo monasterii possessiones & jura confirmata sunt. Hoc iter aggressus est Rainerus cum Alberto & Johanne, quorum alter ob virium imbecillitatem, alter ob morbum, Roma lustrata, ulterius progredi non valentes, consilio abbatis ad Vallis-umbrosæ monasterium secesserunt, ejus reditum præstolaturi. Illic monachos miræ continentiæ & eximiæ vitæ invenerunt, regulæ Benedictinæ observantissimos, labore manuum victum comparantes, in peregrinos & pauperes mira caritate affectos, qui ipsos summa humanitate exceperunt. Peracto negotio, Rainerus abbas socios Vallumbrosæ revisit, & cum eis in patriam rediit: Albertus vero cum Johanne ad solitudinem reversus est, sancti Domitiani secessu quondam illustratam, ubi antea multo tempore conversati erant. Hic Domitianus socius quondam fuerat sancti Landelini, qui Crispiniense monasterium sæculo septimo condiderat, ut suo loco vidimus. Hoc monasterium injuria temporum ad sæculares canonicos transierat, sed postliminio monachis restitutum, cujus primus a restitutione abbas erat prædictus Rainerus. Sub eo cum aliquamdiu illic vixisset Johannes monachus, remotioris vitæ desiderio ad prædictam solitudinem secesserat, non longe a monasterio dissitam, ubi durissimam vitam agebat. Huic se adjunxit Albertus,

ANN. CHR. 1091.

honestis parentibus ortus in pago Tornacensi, sed nonnisi post suum ex Italia reditum factus Crispinii monachus: ubi præpositi primum, dein cellerarii officio functus est; iis sane præditus dotibus, quas sanctus Benedictus ad celleraríi munus exigit. Cum in cœnobitica vita per annos viginti-quinque se exercuisset, demum in solitudinem pristinam rediit: ubi reliquum vitæ piissime confecit, asperrimo cilicio, præter ceteras vivendi asperitates, a capite ad pedes indui solitus. Presbyter factus, duas quotidie missas celebrabat, unam pro vivis, alteram pro defunctis; in vigiliis totum psalterium recitabat, centies salutationem angelicam genibus flexis vel prostratus. Pecuniam manu vel tangere abhorrebat: at si quis importune ingereret, Crispiniensi monasterio dari suadebat. Si qui causa confessionis ad eum accedebant, eos primum ad episcopos remittebat: sed ire pertinaciter nolentes tandem audiebat. quod Paschalis II. & post eum Honorius & Innocentius II. litteris suis probaverunt. Paschalis ad eum litteras attulit Odumus abbas sancti Gisleni; at solæ Innocentii litteræ exstant, quarum summam alias referemus.

III. Gervinus episcopus Ambianensis. a V. lib. 64. n. 100.

Eodem fere quo Rainerus abbas tempore Urbanum papam adiit Gervinus abbas Centulensis, eo nomine secundus, de cujus moribus superius [a] actum est. Hic post mortem Roriconis Ambianensis episcopi illam sedem occupare nisus est non sine contradictione æmulorum: sed tandem pars ejus prævaluit, tumque ad Urbanum pontificem proficisci statuit, ut ipsius electio auctoritate apostolica confirmaretur, favente in primis Rainaldo Remorum archiepiscopo, qui per suos nuntios Gervinum electum litteris commendavit. Hinc favorabiliter acceptus ab Urbano, apud quem duobus mensibus demoratus est, litteras ab eo impetravit ad clerum & populum Ambianensem, quibus ejus electionem ab se approbatam, & vitia, si qua in ea intervenerint, condonata significat. Has litteras hoc loco referre juvat.

Urbani de eo epistola.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, clero & populo Ambianensi salutem & apostolicam benedictionem. Reverentissimus frater noster Gervinus, vester episcopus, ad sedem apostolicam veniens, causam suam cum testimonio litterarum reverentissimi confratris nostri Remorum archiepiscopi Rainoldi & legatorum ipsius nobis notificavit. Nos autem electionem ejus canonicam approbantes, & illum, qui ex transverso se injecit, reprobantes, simulque diu nobiscum eum retinendo, & si qui contra eum venire vellent attendendo, postquam in duorum mensium spatium, quo nobiscum deguit, nemo contra eum quicquam attulit; & condescensione misericordiæ rigorem justitiæ temperantes, in loco eum & officio suo confirmatum vobis remittimus. Propter quod fraternitatem vestram auctoritate apostolica commonemus, ut omnem ei obedientiam, velut idoneo pastori, exhibeatis, omnem consilia & auxilio ad retinendum & regendum episcopatum sollicitudinem impendatis: ut cum ipso tam de doctrina sua, quam de obedientia vestra gaudere valeatis. Quod si post hanc commonitionem quisquam ei de episcopatu contradicere præsumserit, eique sicut episcopo suo subdi recusaverit, sententiam, qua ipse pro inobedientia eum multaverit, nos apostolica auctoritate confirmamus. Data XIII. *kal. Januarii.*

His litteris non tamen cessit adversa pars, simoniæ vitium Gervino, tum in abbatia, tum in episcopatu adipiscendo, opponens. Verum cum hæc accusatio idoneo testimonio fulta non esset, Gervinus iterum ad Urbanum profectus, tactis sacrosanctis evangeliis sacramento se purgavit, novasque litteras a pontifice obtinuit ad clerum & populum Ambianensem, quibus eidem Gervino debitam obedientiam impendi præcipiebat, atque a clericis continentiam servari. Data epistola XV. kal. Augustas anni subsequentis. Legati illi, de quibus in superiori epistola fit mentio, videntur esse Burchardus abbas sancti Basoli, & Dudo capellanus, qui tunc Romam profecti, litteras Rainaldi archiepiscopi pontifici detulerunt. Prævaluit demum Gervini causa, qui abbatiam simul cum episcopatu retinuit, dum Urbanus papa eam ipsi abjudicavit.

IV. Serlo abbas Sagii episcopus creatur.

Post mortem Girardi Sagiensis episcopi, quæ X. kal. Februarii hoc anno accidit, Serlo abbas Uticensis, qui Mainerio ante biennium successerat, in ejus locum substitutus est. Nempe Guillelmus archiepiscopus post pentecosten Rotomagi synodum comprovincialium episcoporum & abbatum habuit, in qua de sufficiendo vacanti ecclesiæ episcopo actum est. Communicatis omnium consiliis, tandem Serlonem Uticensem seu sancti Ebrulfi abbatem proclamavit, eique *Salariensem* [b] seu Sagiensem episcopatum *valde renitenti* commisit, quem X. kalendas Julii Rotomagum accitum consecravit. Hanc vero ecclesiam triginta-duobus amplius annis strenue rexit Serlo,

b Orderic. lib. 8. p. 697.

Serlo, multa passus a duris & protervis suis parrochianis, scilicet Rotberto Belismensi, & Rotrone Mauritaniensi, eorumque asseclis, qui atrociter secum dissidentes, pacem illius ecclesiæ turbare non cessarunt.

Rogerius electus abbas Uticensis. a ibid.

Sic vacante Uticensi abbatia de eligendo [a] successore, triduano præmisso jejunio, agi cœptum XII. kal. Augusti. Huic electioni adfuit Serlo jam episcopus, & cum eo abbates, Fulco Divensis, Arnulfus Troarnensis, & Radulfus Sagiensis. Lecto Regulæ capitulo de ordinando abbate, omnium vota in Rogerium de Sappo, ejusdem cœnobii monachum, virum peritia litterarum, multaque honestate & comitate præditum, conspirarunt. Absente Rotberto duce, electus in Angliam, ubi tunc dux versabatur, transfretavit ad obtinendam confirmationem. Dux electo facile assensum præbuit, eique per baculum pastoralem, ut tunc mos ferebat, cœnobii curam in exterioribus commisit, ac litteris suis Lexoviensi episcopo, ut novum abbatem canonice proveheret, mandavit. Quin etiam Willelmus Angliæ rex eidem electo gratificatus est, & omnia, quæ pater suus ejusque proceres Uticensibus contulerant, confirmavit. Reversus ad suos abbas, & a fratribus honorifice susceptus, triginta quatuor annis cœnobium optime rexit: quo tempore centum & quindecim discipulos veste monachos admisit. Ex his sex variis in locis ad abbatialem dignitatem assumti: quorum e numero Guarinus ei successit in regimine Uticensi: Ludovicus vero, expulsis judicio majorum e Balcheri-villa canonicis, decem monachorum coloniam in sancti Georgii martyris basilicam deduxit.

V. Pauliacense monasterium restituitur.

Pauliacense agri Rotomagensis monasterium in Caleris, de cujus origine in primis duobus Annalium tomis egimus, a Danis eversum, ad hoc usque tempus ruinis consepultum jacuerat. Hoc restruere cupiens Thomas miles, ejus loci dominus, Galterium abbatem sanctæ Trinitatis de monte sanctæ Catharinæ prope Rotomagum impulit ad id exsequendum, eoque pacto *ecclesiam & monasterium de Pavilliaco*, quod ab antecessoribus suis pro virginibus Deo sacratis sub regimine sanctæ Austrebertæ primitus constructum fuisse dicit, monachis sanctæ Trinitatis numero quatuor, Deo ibidem famulaturis, tradit, assentiente Willelmo archiepiscopo, qui litteris hac de re confectis subscripsit, testibus Gualeranno Thomæ fratre, Reginaldo de Bello-monte, aliisque. Accessit confirmatio Urbani II. qui in literis Willelmo archiepiscopo inscriptis factum non modo probavit, sed etiam fideles omnes ad ejusdem cœnobii reparationem & augmentum cohortatus est, quarta pœnitentiæ parte iis condonata, qui ad id de rebus suis aliquid collaturi essent. Utræque litteræ hoc anno datæ. Nunc locus in prioratum monachis destitutum redactus est: abbatia vero sanctæ Trinitatis seu sanctæ Catharinæ Cartusianis Rotomagensibus cessit.

VI. Montis-burgi monasterium conditur. * Montebourg.

Sub idem tempus conditum est Montis-burgi * monasterium in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, qui locus est diœcesis Constantiensis, a Valloniis una fere leuca dissitus. Hujus monasterii auctor vir illustris Balduinus de Redvariis, vulgo de *Revers*, qui in Stephanum Angliæ regem armis decertavit. Multas eidem cœnobio possessiones contulit Willelmus tertius Angliæ rex, ob id ejus fundator a posteris habitus, uti & Rogerius primus loci abbas, assumtus e monasterio Crucis sancti Audoëni seu sancti Leufredi, a quo ædificatum fuisse monasterium Montis-burgi Robertus de Monte scribit. Hic est Rogerius vir religiosus, ait idem auctor, & socius Witmundi, postea episcopi Aversani, cui idem Witmundus librum de corpore & sanguine Domini inscripsit. Rogerio abbati successit Ursus Gemetici subprior, qui *ordine* seu disciplina regulari, & ædificiis eumdem locum nobilitasse traditur. Addit Robertus, hanc abbatiam ab Heinrico Angliæ rege commissam & concreditam fuisse Richardo *de Reviers*, ut eam custodiret, augeretque tamquam propriam. quod ille præstare curavit. Is est Richardus de Ridvariis, quem *apud Montisburgum in Normannia* humatum fuisse Ordericus [b] tradit. Plura de hoc monasterio in Neustria-pia.

b Orderic. lib. 11.

VII. Seditio apud Cenomannos. c Analect. to. 3. p. 292. & seqq.

Per idem tempus gravis seditio apud Cenomannos orta est [c] inter Hoëllum episcopum & Gaufridum de Meduana, qui, absente Rotberto Normannorum & Cenomannensium comite, totam regionem perturbavit, effecitque, ut Hugo, filius Attonis quondam comitis, cujus ipse tutor erat, in urbem reciperetur, accepto a proceribus sacramento, qui Rotberto fidem prius obstrinxerant. Cum id sibi non licere arbitraretur Hoëllus, Rotbertum adiit; verum, ut ille totus voluptati deditus erat, nihil responsi ab eo retulit. Interim Hugo communi assensu in urbem receptus,

ANN. CHR. 1091.

in episcopalibus ædibus manebat. unde episcopus e Normannia revertens, divertit ad suburbanum sancti Vincentii monasterium, indeque cum Hugone per internuntios res tractabat. Episcopatum ut de manu sua Hoëllus acciperet, postulabat Hugo: cui cum episcopus acquiescere nollet, sibi insidias parari intelligens, relicta urbe *in castris circumpositis* morabatur. Tum vero comes vicum & annonam, cunctamque episcopi supellectilem invasit, ac res sanctuarii in proprios usus convertere non dubitavit. Horum facinorum incentores erant multi ex clericis episcopo infesti, in primis quidam Hilgotus, ab eo presbyter ordinatus, qui modo clanculum detrahendo, modo apertis contumeliis debacchando, virum mansuetissimum lacessere non cessabat. Ejus porro væsaniæ novam vexandi episcopi occasionem præbuit factum Guicherii, ecclesiæ Cenomannensis decani, viri honestæ conversationis, & litterarum scientia non mediocriter adornati. Hic sæculi vanitates perosus, monasticæ professionis habitum susceperat: cui a nonnullis, qui ejus famæ detractum volebant, amicitiæ specie suggestum est, *ut fraterculum duodennem, qui necdum perfecte litterarum elementa didicerat*, in decani loco substitueret, &, contra ecclesiastica instituta, puerulum senioribus anteferret, episcopo haud reclamante. Hinc, arrepta occasione, Hilgotus in episcopum fremere, clericos in eum commovere, denique nullum non movere lapidem, ut ad injuriam episcopi puerum illum deponerent, & quemdam nobilem juvenem, Gervasium nomine, nepotem scilicet illius nominatissimi Gervasii, ejusdem ecclesiæ quondam episcopi, in loco ejus constituerent. quod facile obtinuit: nec sic tamen episcopum ejusque amicos vexare destitit. Unde quidam eorum, cum jam dictum comitem sacris ecclesiæ vasis inhiare cernerent, iis asportatis ad episcopum, qui ad castrum Sablolium * se receperat, confugerunt. Qua re cum se delusos cernerent Hilgotus, eique adhærentes, furore amplius succensi, familiares episcopi persequi, & tum contumeliis, tum pecuniarum exactionibus gravare instituerunt. Cum vero episcopus se illic tuto consistere non posse intelligeret, ad Anglorum regem se contulit, a quo benigne acceptus est. Interim post menses fere quatuor illinc reversus, cum illos sacrilegos in sua tyrannide contumaciter persistere videret, litteris eos commonet, ut a sua contumacia desistant; alioquin officia divina sibi interdicta esse sciant. Cum vero nec sic a væsania resipiscerent, necdum remedii tempus adesse prudens antistes videret; veritus ne, si rem acrius persequeretur, gravioris discordiæ causa emergeret, divertit ad vicum, quem veteri vocabulo Solemnas * appellant, ubi monachi sancti Petri de Cultura in cella regulari degentes, cum hospitio reverenter acceperunt. Rebus tandem cum comite compositis, episcopus a civibus desideratus ad eos revertit: cui quarto ab urbe milliario innumerabilis utriusque sexus occurrit multitudo, quæ ipsum ad monasterium sancti Petri de Cultura deduxit, ubi festum Apostolorum celebravit; demumque a clericis matris ecclesiæ post legitimam satisfactionem honorifice susceptus est.

* *Sablé.*

* *Solémé.*

VIII. Nobiliaci abbates.

Bertrando Nobiliacensi apud Pictones abbati successit hoc anno [a] Goffridus seu Gaufredus, cujus tempore Petrus Pictavorum episcopus sancto Juniano loci patrono ecclesiam sanctæ Mariæ de Capella, sitam apud Mortuum-mare extra castrum, tradidit *in manu Gaufredi abbatis Nobiliacensis*. cujus rei testes fuere Gaufredus abbas Malliacensis, & Gumbaudus abbas sancti Benedicti de Quinciaco. Actum in camera domni episcopi in festo sanctæ Praxedis virginis, Philippo rege Francorum, Willelmo Aquitanorum duce.

[a] *Labbe bib'. to. 2. p. 213.*

S. Crucis abbatissæ.

Pictavensi sanctæ Crucis nobilissimo parthenoni post Petronillam abbatissam præfuit Adelaïs, quæ ab Urbano II. sedis apostolicæ tuitionem & confirmationem possessionum obtinuit, diplomate dato Beneventi per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, IV. kal. Aprilis, anno dominicæ incarnationis M XCI. pontificatus Urbani
» anno IV. Sub finem diplomatis abbatissam & sorores commonet, ut apostolicæ sedis
» benignitati sanctis actibus respondeant, regularis disciplinæ institutionibus studiosius
» dent operam, & ad æternam gloriam totis viribus anhelent. Eodem diplomate sta-
» tuit pontifex, ut collegiata B. Radegundis ecclesia sanctæ Crucis regimini in perpe-
» tuum, uti antea, subjaceat. quod jam prius definierant Amatus Ellorensis & Hugo Diensis episcopi, apostolicæ sedis legati, in concilio Santonensi; idemque Gregorius VII. litteris suis confirmaverat, Hugoni & ceteris clericis ejusdem ecclesiæ inscriptis. Adelaïdi abbatissæ suffecta Sibylla, domno Rotberto de Arbrisellis & sororibus de Fonte-Ebraudi quædam apud Bornum donavit anno M C IV. ad petitionem

ANN. CHR. 1091.

Herfendis prioris. Sub medium fæculi duodecimi Sarra fanctæ Crucis abbatiffa qnefta est coram Aimerico fedis apoftolicæ legato, de Giffleberto Porretano Pictavorum epifcopo, quod per eum fibi non liceret priorem feu decanum fanctæ Radegundis, ut ipfa loquitur, *inthronizare*. Editæ funt hac de re ab Aimerico litteræ in concilio Pictavenfi, affenfu Gaufridi Burdegalenfis archiepifcopi, Lamberti Engolifmenfis & Bernardi Santonenfis epifcoporum, quibus præiverant litteræ Bernardi Claræ-vallenfis & Macarii Floriacenfis abbatum.

IX. Casæ-Dei donatio facta.

Per idem tempus Petrus Pictavorum epifcopus, mox laudatus, ecclefiam fancti Felicis de Silare B. Rotberto Cafæ-Dei & fratribus ejufdem cœnobii contulit, affenfu canonicorum fancti Petri, ea lege, ut fui femper memoriam habeant, & *in fuo memoriali* nomina defunctorum confcribant. Infuper ratum habet epifcopus, ut quif« quis aliquid in illa ecclefia jufte vel injufte poffidet, eifdem fratribus concedat. Hinc « Aldebertus quidam, forte Dolenfis apud Bituriges abbas, eis cedit *medietatem cerei pafchalis* & oblationum, quas in natali Domini & in feftivitate fancti Felicis ibidem percipere folitus erat. Teftis domnus Adelbertus Dolenfis abbas, *in cujus manu ifta donatio ad opus Cafæ-Dei facta eft*, quippe qui monachus Cafæ-Dei fuerat; anno fequenti promotus ad archiepifcopatum Bituricenfem. Teftes quoque Rainaldus abbas fancti Cypriani, & Gervafius abbas fancti Savini. Hæc donatio facta dicitur in dedicatione ecclefiæ Salgiacenfis.

X. Fontis-Gombaudi abbatia conditur.

Hoc anno cœnobium fanctæ Mariæ, dictum Fons-Gombaudi in confinio Pictonum & Biturigum, ad Crofam * amnem, inceptum fuiffe dicitur *a beato Petro abbate*, cognomento de Stella, qui primus locum rexit, ibidemque anno M C XIV. deceffiffe, *morbo arpeta* feu igne inexftinguibili confumtus. Ejus fucceffor Guillelmus, & poft eum Airaudus. Ita in chronico Malliacenfi feu Maxentiano. Paullo tamen ferius illud monafterium conditum fuiffe colligitur ex vita Bernardi abbatis Tironienfis, qui, veritus ne abbas fancti Savini poft Gervafii abbatis deceffum, qui non ante M XCIII. contigit, a monachis eligeretur, ad Petrum de Stellis, qui non longe a fancti Savini monafterio eremiticam agebat vitam, fe recepit; dein, eodem Petro duce, ad Rotbertum de Arbrifello, Vitalem de Mauritania, & Radulfum de Fufteia, qui in confinio Cenomannicæ & Britannicæ regionis vaftam folitudinem incolebant. quæ omnia contigere, antequam Petrus de Stella feu de Stellis monafterium Fontis-Gombaudi exftrueret, ut in eadem Bernardi vita diferte legitur.

* *la Creuse.*

Angeriaci & Moifiaci abbates.

In prædicto Maxentiano chronico Odo abbas S. Johannis, fcilicet Angeriacenfis, hoc ipfo anno M XCI. obiiffe dicitur, eique Aufculfus, dein Ainricus feu Henricus fucceffiffe. In necrologio Angeriacenfi Odonis obitus XI. kal. Septembris notatur. Ejus epitaphium compofuit Baldricus in hunc modum.

Qui properas tranfis hujus monumenta fepulcri,
Ut relegas titulum, comprime quæfo gradum.
Hic jacet abbatum decus & fpecialis honeftas,
Pauperibus faties, indigus Odo fibi.
Qui pietatis amans, monachorum forma, decenter
Ingeriacenfi profuit ecclefia.
Tandem pace bona fopitus morte quievit,
Ecclefia robur, Ordinis Odo vigor.
Qui legis hac, duo fac: Odoni fac pia vota,
Deque metu mortis follicitare tibi.

De Aufculfo & Henrico ejus fucceffforibus inferius.

Hoc item anno Hunaldus [a] Moifiaci abbas deceffiffe dicitur, & Alairiaci * fepultus fuiffe in monafterio fancti Martini ab fe condito & dotato, ubi cella eft Ordinis Cluniacenfis, hodie quoque conventualis, in diœcefi olim Aginnenfi, nunc Condomienfi. Illic ad ejus tumulum lampas olim ardebat. Ei fucceffit in abbatia Moifiacenfi Afquilinus, qui clauftra monafterii refecit, multaque alia præclare geffit.

a *V. lib. 66. n. 43.*
* *Leyrac.*

XI. S. Eugendi abbates.

S. Augendi feu Eugendi monafterio præfidebat hoc tempore Hunaldus feu Unaldus abbas, quo abbate Wido Genevenfis præful hoc anno fanctæ Mariæ [b] ecclefiam, fitam in villa Seiffiacenfi *, Aimone Genevenfium comite rogante, contulit *cœnobio fancti Eugendi, quod Condatifcenfe vocatur*. Idem comes Aimo [c] eidem cœno-

b *Bibl. Sebuf. p. 129.*
* *Seyffi.*
c *ibid. p. 315.*

ANN. CHR. 1091.

bio, cui venerabilis abbas Unaldus tum præfuisse dicitur, concedit *alodos illos, quos ab ingenuis hominibus in potestate Seissiacensi* monachi sancti Eugendi hactenus obtinuerant, & in posterum obtenturi essent. Has minutias referre cogit penuria monumentorum majoris momenti, ne tam celebris monasterii historia a nobis neglecta videatur. Idem Hunaldus abbas multa alia beneficia ab Hugone Lugdunensi & Widone Viennensi archiepiscopis, necnon a Rotberto Lingonensi & Philippo Catalaunensi episcopis, ejusque fratre Hugone Campaniæ comite accepisse dicitur. Hunaldi successor Humbertus privilegium a Pascbali II. obtinuit anno M C. successorem sortitus post annos quinque Hunaldum secundum, qui anno M CX. complures ecclesias [a] a Widone Genevensi antistite, superius laudato, obtinuit.

a *ibid. p.* 182.

Cluniaco facta donatio.

Hoc ipso anno M CX. Gilbertus comes Clari-montis, ejusque frater Hermannus atque uxor Leutgardis, Cluniacensi monasterio tradunt mediam partem ecclesiæ sancti Symphoriani cum adjunctis, advocatione tantum sibi retenta. Hæc ecclesia sita erat in Leodicensi episcopatu, ut ex sequentibus intelligetur, ubi donatores illi obtinuisse dicuntur apud Leodicensem episcopum *Henricum, ut prædicta ecclesia per se stet, nulli obnoxia servituti, suisque proprium habeat abbas baptismi atque sepulcri*, nullique quidquam solvat, *nisi quatuor tantum denarios episcopo Leodicensi, in cujus parochia sita est*. His litteris subscribit primus inter multos alios nobiles Arnulfus *d'Estrées*. Hanc vero donationem gratam babuit Hermengardis amita Gilberti comitis Clari-montis. quod de Claro-monte diœcesis Leodicensis interpretandum, non de Claro-monte apud Bellovacos, quod Guichenoni visum est. Clarimontis castellum [b] Otbertus Leodicensis episcopus, Heinrici successor, multo pretio acquisivit, forte a Lamberto *comite de Claro-monte in diœcesi Leodiensi*, ut in magno cbronico Belgico legitur, qui Jerosolymitanæ expeditioni interfuit.

b *Gesta Leod. episc. to.* 2. *p.* 52.

XII. Novæ turbæ apud S. Trudonem.

Non diu post hanc donationem superstes fuit Heinricus Leodicensis præsul, mortuus anno M XCI. cujus obitus IV. nonas Novembris notat necrologium Leodicensis ecclesiæ: at præferendus Ægidius Aureæ-vallis monachus, qui eum pridie kal. Junii defunctum fuisse scribit, adstipulante Rodulfo [c] in cbronico sancti Trudonis, auctore æquali, apud quem Heinricus episcopus *in diebus pentecostes* defunctus traditur. Eo mortuo, novæ turbæ [d] in monasterio sancti Trudonis, ubi Heinricus Lovaniensis comes Luiponem in abbatiam restituit, expulso Herimanno, qui deinceps illic privatus absque scandalo vixit in summa rerum ob loci desolationem penuria, qua confectus, *tandem confessus, unctus & communicatus* interiit. Tunc Heinricus rex in Longobardia versabatur, Mantuæ obsidione occupatus: ad quem Luipo statim contendit, ut in abbatia confirmaretur. Eumdem adiit Otbertus [*] præpositus ecclesiæ sanctæ Crucis Leodicensis, ut vacantem episcopatum obtineret: quem & adeptus est, agente apud regem Wolbodone sancti Laurentii in eadem urbe abbate, qui ab Heinrico episcopo depositus, in regis gratiam [e] se se insinuaverat, in abbatiam postmodum restitutus per Otbertum episcopum, Berengero ejus æmulo expulso, sed denuo postea revocato a monachis, Wolbodonis prodigalitatem rursus expertis. Non tam facile regis gratiam Luipo sibi conciliavit, sed gravissimæ pecuniæ pretio infamis simoniacus eam mercatus, apud regem tandem effecit, ut Otbertus factus episcopus ipsum abbatem consecraret, immo, ut Bernardi verbis utar, exsecraretur. Tam abnormi principio successus respondit. nam, re familiari in malos usus profligata, neglecta regulari disciplina, cum ex agro sub vesperam reversus multo vino cum suis familiaribus se ingurgitasset, lætusque strato compositus, sub mediam noctem pæne exanimis inventus est; vixque usque ad Primam spirans, prima luce tandem exspiravit kalendis Augusti, *neque confessus, neque unctus, neque communicatus*, inquit Rodulfus, cum vix post consecrationem annis duobus abbatiam tenuisset.

c *Spicil. to* 7. *p.* 390.

d *V. lib.* 67. *n.* 48.

* *al.* Olbertus.

e *Gesta Leod. episc. to.* 2. *p.* 41.

XIII. Heribrandi & aliorum conversio.

Longe meliori loco erat monastica res in Affligemiensi monasterio, quo nobilis vir Heribrandus, viso divini judicii territus, hoc anno ad conversionem venisse dicitur apud Albericum in chronico, tricesimo statim die a Deo in cælum vocatus. Hunc secuti sunt quinque ejus filii, ipsiusque frater, vir magni nominis & potentiæ, nomine Ingelbertus, qui omnes tonsura monastica insigniti, ad cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Rem fusius explicat chronograpbus [f] Affligemiensis, cujus summam bic referemus. Degebat haud procul Affligemio princeps quidam vicini castelli, nomine Heribrandus, vir genere opibusque inclytus. Is nocte quadam tale divini judicii visum habuit, ut ad supremi judicis tribunal raptus,

f *Spicil. to.* 10. *p.* 598.

atque damnatus sibi videretur, sed beati Petri interventu liberatus. Tum expergefactus, conversusque ad conjugem, gravi se somnio, cujus species alte animo insederat, territum vix spirans affirmabat, seque deinceps vitam ita velle instituere, ut terribilem illam sententiam evitaret; & ne quid eam celaret, sibi propositum esse, ut sæculo nuntium remitteret, si ipsa consentiret. Adela vero, (id conjugi nomen) ut pientissima erat, non modo non contradixit, immo facile assensum præbuit, & ipsa virum subsecutura. Lætus tam facili conjugis assensu Heribrandus, sub militaris habitus pompa, erecto vexillo, contra spirituales inimicos pugnaturus, cum magno amicorum & cognatorum comitatu, Affligemium properat; ingressusque beati Petri ecclesiam, cum Adela, non jam uxore, sed sorore, deposita veste militari, se se omnipotenti Deo & beato Petro apostolo æternum servum mancipat. Verum, quia filii eorum needum adultæ erant ætatis, sed adhuc parentum consilio, auxilioque indigebant; mater subinde permissu abbatis ad eis consulendum descendebat; pater vero in Dei obsequio immotus Affligemii persistebat, sed non diu victurus. nam intra vicesimum a conversione diem febre correptus, celerem pietatis suæ mercedem consecutus est. Eo mortuo conjux in proposito confirmata, reliquum vitæ in Dei cultu sub sanctæ religionis habitu peregit.

Parentum exemplum secuti sunt quinque filii: quorum duo primi, Ingelbertus videlicet ac Sigerus, spretis sæculi oblectamentis, conjugii expertes, Affligemium convolarunt. Hos secutus est Folcardus, fratrum maximus natu: cujus conversioni frater ejus Onulfus, cum plurimum restitisset, affirmans se numquam monachum fore; gravissimo correptus morbo, eorum numero demum accessit, seque cum uxore sua Gertrude, duobusque filiis, Godefrido & Waltero, Deo ibidem consecravit. Restabat quintus frater, Arnulfus nomine: qui & ipse divini timoris salubri jaculo perculsus, cum binis itidem filiis, totidemque filiabus, istuc se recepit. Tam illustribus athletis socium se adjunxit Ingelbertus de Calsfterto, Heribrandi mox laudati germanus, qui tantæ humilitatis fuisse traditur, ut asinos annona onustos ad moletrinam ducere, fratrum calceamenta tergere, omnia denique humilia officia exsequi amaret.

XIV. Antonius fit abbas Senoniensis.

Post mortem Bercheri Senoniensis abbatis, cum per triennium abbatia vacasset ob turbas Mettensis ecclesiæ, cui hoc monasterium in temporalibus subjectum erat, electo post Herimanni episcopi obitum Poppone, ejus jussu Antonius, tunc Laiensis cellæ prior, ut superius [a] diximus, in vacantem locum inductus est, quem recte per annos quadraginta-octo administravit. nam claustrum, refectorium, dormitorium, ceterasque ejus loci regulares ædes refecit; plurima ecclesiæ ornamenta contulit, & complures cellas exstruxit, aut comparavit. In his est cella juxta castrum Danubrii*, quam Stephanus Mettensis episcopus construxit, cujus ecclesia postmodum a Trewino cardinali in honorem sancti Stephani dedicata est. Ad hæc, cella Leonismontis* prope castrum Lunaris-villæ [b], prioratus de Suris, cella sancti Christophori, in clivo collis prope portam Vici* sita, & cella Lorchingæ ejusdem abbatis tempore Senoniensi monasterio accesserunt. Hæc omnia discimus ex Richerii chronico, qui in eo fallitur, quod Antonium abbatem institutum fuisse dicit a Stephano Mettensi episcopo, qui non ante annum MCXX. sedem illam iniit; & tamen triginta regiminis annos Antonio tribuit, quem anno MCXXXVI. obiisse dicit.

[a] lib. 67. num. 49.
* Danevre.
* Leomont.
[b] V. lib. 69. n. 80.
* Vic.

Res Medianenses.

Cum Senoniensi ecclesiæ Antonius præesse cœpit, annus erat sextus-decimus Bertrici Mediani-monasterii abbatis, quo anno ecclesiæ sanctorum Bonifacii, Hildulfi, Spinuli, Johannis & Benigni, necnon sancti Mansueti, variis in locis, testante Bayone, a Pibone Tullensi episcopo, Bertrici abbatis studio consecrantur.

XV. Wolfelmus abbas obit.

Hoc anno tres nostri Ordinis illustres abbates ad superos migrarunt, nimirum Wolphelmus Brunwillarensis, Willelmus Hirsaugiensis, & Benedictus Clusensis. Ex his primus Wolphelmus uno ante obitum anno cælesti monitu finem sibi instare intelligit. Per totum illum annum exhortandis, erudiendisque fratribus sedulam navavit operam: & licet confectæ jam esset ætatis, nihil tamen de propositi sui rigore detraxit. Imminente obitu adfuit Herimannus cœnobii sancti Pantaleonis apud Coloniam venerabilis abbas, a quo sacro se oleo perungi petiit. Paucis post diebus, prima luce ad cælestem patriam migravit x. kalendas Maias hujus anni, ejusque funus Herimannus Coloniensis archiepiscopus, ejus nominis tertius curavit, adstantibus Herimanno S. Pantaleonis abbate mox laudato, & Reginhardo Sigebergensi bonæ

ANN CHR. 1091.

memoriæ abbate. Inter alia miracula, quæ post ejus mortem patrata dicuntur, Heribertus Brunwillarensis monachus, qui in Daciam seu Daniam cum aliis fratribus, religionis monasticæ gratia, missus fuerat, dum reditum pararet, piratis mare per novem dies infestantibus, interventu beati Wolphelmi, liberum transitum obtinuit. Nondum publico cultu honoratur beatus Wolphelmus, cujus acta Conradus monachus ejus discipulus in litteras retulit, librumque suum Everhardo Wolphelmi successori & Herimanno sancti Pantaleonis abbati dicavit. Idem integram retulit ejus epistolam de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, ob quam Wolphelmus inter scriptores Eucharisticos locum habet.

XVI. Willelmus item Hirsaugiensis.

Non multo tempore Wolphelmo supervixit venerabilis Willelmus abbas Hirsaugiensis. Is post novem annos quam novum *monasterium*, seu templum Hirsaugiæ pro fratribus laïcis construxerat, illud per Johannem Spirensem episcopum in honorem sanctorum Petri & Pauli, sanctique Aurelii confessoris XII. kal. Maii consecrari curavit, die vero sequenti B. Mariæ oratorium, quod *retro capitulum* (sic capitulum vocabant) positum erat. Post illam dedicationem novem tantum hebdomadis supervixit, jamque instante natali apostolorum Petri & Pauli languor eum invasit. Nocturnis nihilo minus vigiliis, diurnisque officiis interfuit, ipsoque die festo privatam missam ad majus altare celebravit. Prima luce diei subsequentis, cum gressum vix movere posset, in oratorium se deduci jussit, & ad sacrum faciendum omnia parari, quod inter manus fratrum utroque latere sustentatus ultimum peregit. Quarto die ad capitulum deportatus, quidquid hactenus eis inculcaverat, de ferventi studio regularis disciplinæ, de mutua dilectione, de hospitalitate & eleemosyna facienda, eis in memoriam revocavit, & ad hæc sectanda graviter eos adhortatus est. tum gemebunda voce intulit, unum esse, quo magnopere sauciatus fuerat » ipsius animus, nimirum quod fratres ex eis quidam secundum prudentiam carnis » potius, quam secundum simplicitatem spiritualem se gessissent, quos tandem Deus » a suo consortio præciderat. His dictis adjecit: Amodo, carissimi, nullum capitulum » vobiscum habiturus sum. idcirco ultima patris verba & monita mente infixa retinere satagite. Dehinc tertio die in oratorio B. Mariæ se deferri præcepit: ubi, conventu fratrum pro eo missam celebrante, *unctione olei infirmorum, & perceptione corporis & sanguinis Domini exitum suum munivit*; ab omnibus indulgentiam petens, & ipse omnibus impertiens; singulosque amplexatus, & vale dicto, omnes adhortatur, ut in unitate ecclesiæ & subjectione sedis apostolicæ, uti hactenus fecerant, ad mortem usque inviolabiliter persisterent. Inde ad cellam suam reportatus, cum omnes ad » eum confluentes gemerent, his verbis eos consolatus est: Justi hominis obitus non est » mors dicenda, sed mutatio, quia transit de mortali vita ad immortalem, de terra » ad cælum. Postera die in domum infirmorum deportatus, fratribus illic congregatis, sub meridiem, universis ejulantibus, IV. nonas Julii animam Deo reddidit. Sepultus est post quinque dies, præsentibus cum infinita clericorum & promiscui vulgi multitudine duobus episcopis, Gebehardo scilicet Constantiensi, ejus quondam discipulo, & Johanne Spirensi; necnon quinque abbatibus, quorum duos tantum nominat Trithemius; nempe Theotgerum sancti Georgii in Silva-nigra, & Notkerum Zwifaltensem. Aberat a monasterio Gebehardus tunc prior, ejus in abbatiali dignitate futurus successor, ab eo missus antea Cluniacum, ut reliquias beati Petri apostoli, scilicet de capillis ejus, a venerabili Hugone abbate, quem veluti patrem & institutorem suspiciebat, acciperet, & Hirsaugiam afferret. quod re vera præstitit. Hos vero capillos Cluniacum attulerat Oddo abbas, qui ante conversionem eos ex urbe Roma acceperat. Hic finis fuit eximii abbatis Willelmi, qui monasticæ disciplinæ in Suevia potissimum instaurator censendus est, ubi septem nova monasteria condidit, & totidem saltem vetera ad meliorem frugem revocavit. De his actum in superioribus. Præclara ejus facta primus litteris mandavit Heymo ejus discipulus, monachus Hirsaugiensis, & post eum Trithemius in chronico Hirsaugiensi, ubi quædam Willelmi scripta commemorat, post Bertholdum, qui, enumeratis ejus scriptis, hæc subdit: *Sed ante hac omnia in illo studium monasticæ districtionis prævaluit; in quo totus adeo efferbuit, ac si numquam aliud aliquid studii habuerit. Erat enim miræ sanctitatis, sanctæ simplicitatis, ferventissimæ caritatis, Deo vivus, & sæculo crucifixus.* quo nihil illustrius ab historico extraneo dici potest. Ex iis duo ejus opuscula vidi, scilicet duos libros consuetudinum Hirsaugiensium, quarum prologus exstat in

tomo IV. nostrorum Analectorum, & libellum de Musica, quem in membraneo codice Villingensi legimus.

ANN. CHR. 1091.

Ex ejus discipulis celebriores fuere Gebehardus Constantiensis episcopus & sedis apostolicæ legatus, & Gebehardus alter, Willelmi in Hirsaugiæ regimine successor, ac demum post Johannem episcopus Spirensis: necnon Theotgerus ex abbate sancti Georgii in Silva-nigra episcopus Mettensis. His accenseri potest S. Tiemo archiepiscopus Saltzburgensis & S. Erminoldus abbas Prufeningensis. De Gebehardo Constantiensi actum superius non semel; de altero Gebehardo agendum inferius ad annum MCV. quando ad sedem Spirensem promotus fuit: de Theotgero actum anno superiore, agendumque iterum in consequentibus, maxime cum ad Mettensem episcopatum raptus est. De Erminoldo quoque suus erit dicendi locus: de Thiemone modo scribendum.

Discipuli ejus.

Thiemo, Bertholdo Dimo, monachus primum Altahensis, dein abbas S. Petri apud Saltzburgum, ne Bertholdo in illius urbis sedem intruso, communicare videretur, secessit ad Hirsaugiense monasterium, ut superius [a] diximus, ubi triennio delituit. Inde reversus ad sancti Petri monasterium, mortuo anno MLXXXVIII. Gebehardo beatæ memoriæ archiepiscopo, & sepulto in monasterio Admontensi ab se constructo, in ejus locum suffectus est, obsistente incassum Bertholdo intruso, aliisque nonnullis, qui Adalberonem Frisingensis ecclesiæ decanum præferebant. Verum dum in condictum locum ad finiendam causam navigio pergeret decanus, medio amne submersus periit; sicque omnium vota in Thiemonem concurrerunt. In illa vero sede, quam undecim tantum annis tenuit, ut pote non ante annum MXC. sacratus, multas, ut ipsius antecessor, procellas & persecutiones itidem a schismaticis sustinuit, in hoc forte non probandus, quod partes suas armis tueri tentavit. Verum ab adversariis victus, captusque, & capitali sententia damnatus, ferientis lictoris ictibus cervicem subjecit: at semel, iterumque percussus divinitus servatur. Dehinc ex inimicorum manibus ereptus a quodam religioso fratre Hirsaugiensi, nomine Conrado, ex eorum numero, *qui apud canonicos & monachos exteriores fratres in cappa vocantur*, cum in ecclesia sua pacem habere non posset, in Sueviam se contulit, ubi cum Gebehardo Constantiensi episcopo aliquamdiu commoratus, proximis servorum Dei monasteriis multa beneficia contulit. Sed tandem cum Welfone duce, Gisilberto abbate, multisque aliis ad sacra loca profectus, martyrio affectus est. Is est Gisilbertus abbas, qui assignatam sibi in Turingia Reinesprunensem abbatiam zelo catholicæ communionis olim reliquerat, seque receperat in Hirsaugiense monasterium, unde Thiemo, jam archiepiscopus, qui ibidem cum illo militaverat, eum ad instaurandum Admontense monasterium, tunc religione destitutum, & fere in solitudinem redactum, eduxerat, ibique abbatem constituerat, ut tradit monachus Admontensis anonymus in libro de vita sancti Gebehardi archiepiscopi Saltzburgensis.

XVII. Thiemo archiepiscopus Saltzburgi.

[a] *lib.* 64. *n.* 136.

Hoc tempore in regno Teutonicorum, ut scribit Bertholdus, communis vita multis in locis florere cœpit non modo in clericis & monachis, sed etiam eorum exemplo in laïcis utriusque sexus, qui se suaque omnia in communem usum contulerunt, &, sæculi rebus abdicatis, congregationibus tam clericorum, quam monachorum regulariter viventium sub eorum obedientia se manciparunt. Hæc institutio initium duxisse videtur ab exemplo fratrum laïcorum, quos Willelmus Hirsaugiensis abbas in suis monasteriis admisit, & ad certas leges adstrinxit. Laudabilem hanc apostolicæ vitæ restitutionem cum carperent invidi censores, eorum institutum probavit Urbanus II. litteris ad monasteriorum prælatos scriptis in hunc modum. *Quosdam accepimus*, inquit, *morem vestrorum cœnobiorum corrodentes, quo laïcos sæculo renuntiantes, & se, suaque ad communem vitam transferentes, regendos obedientia suscipitis. Nos autem eamdem conversationem & consuetudinem, sicut oculis nostris inspeximus, laudabilem, & eo perpetua conversatione dignissimam, quæ in primitivæ ecclesiæ formam impressa est, judicantes, approbamus, sanctam & catholicam nominamus, & per præsentes litteras apostolica auctoritate confirmamus.* Pia hæc institutio a summo pontifice approbata sic effloruit, ut etiam ad conjugatas propagata sit mulieres, quæ religiose vivere, & viris religiosis cum summa devotione obedire non cessarunt. Ea vero ejusmodi laïcorum obligatio censebatur, ut, si quis ab illo proposito defecisset, apostata haberetur. Unde, cum quidam eorum, Schafusensi Salvatoris mancipatus monasterio, ab eo recessisset, seque & sua prædicto monasterio abripuisset, Urbanus papa

XVIII. Communis vita laïcorum.

ANN. CHR. 1091.

missis ad Gebehardum Constantiensem episcopum litteris, auctoritate apostolica præcepit, ut eum apostatam declararet, & anathematis vinculo multaret, nisi quantocius resipisceret, ut ex Bertholdo ad annum sequentem discimus. Qui Willelmo in Hirsaugiensi regimine successit Gebehardus, natalium splendore illustris, ex canonico primnm Argentinensi factus Hirsaugiæ monachus sub Willelmo, dein prior, ac postmodum abbas, etiam Laureshamensis, demum Spirensem episcopatum adeptus est.

XIX. Benedictus Clusensis obit.

Medio Wolphelmum inter & Willelmnm Hirsaugiensem intervallo mortuus est venerabilis Benedictus Clusensis abbas, præfecturæ anno vicesimo-quinto, cum annos quinquaginta-octo attigisset. Hunc vitæ suæ terminun cuidam familiari suo ait sibi divinitus innotuisse, cum salutari baptismi lavacro mergeretur trium annorum puer. Jam vero sexagenario paullulum minor, toto fere ante obitum anno gravi & dubia pulsatus infirmitate, aliquantulum quidem medicorum consiliis obsequens, nonnihil de consueta severitate aliquando remittebat: sed mox ut tantisper melius haberet, præ animi fervore quietis impatiens, ad solitum disciplinæ regularis & abstinentiæ rigorem recurrebat, & ad nocturnas etiam vigilias, trium fratrum auxilio subnixus procedebat. Novissime autem *regio morbo* gravius affectus, quod hictericus & atrinus prodebat color, cum hunc morbum delicatis cibis curari posse dicerent nonnulli, instarentque ut carnes ederet, respondebat: „En ego morior, & comedam carnes? „Quid ad hæc nos delicatuli, quibus si tantillus obvenerit morbus, vix ulla fomenta & solatia sufficiunt! Tandem de instante obitu factus certior vir Dei, totum se spiritualibus addixit studiis, multis lacrymis expiate sollicitus peccata sua, quæ Aurasiaco episcopo confessus est. Postremo *sacra unctione* perunctus, *& dominica communitus eucharistia*, cum ter illam beati Andreæ antiphonam, *Domine Jesu, magister bone, suscipe spiritum meum in pace &c.* pro modulo *cantasset*, in vigilia pentecostes spiritum Deo reddidit. Funus ejus cum multo honore a vicinis abbatibus & monachis triduo curatum. Obitus ejus in necrologiis Benigniano & Nemausensi notatur pridie kalendas Junii, & in epitaphio, necnon in versibus vitæ præfixis. & recte quidem, cum obierit in vigilia pentecostes, quod festum anno M XCI. in primam diem Junii incidebat.

XX. Willelmus ejus vitæ scriptor. Ermengaudus successor.

Librum de ejus vita scripsit Willelmus Clusensis cœnobita, ejus discipulus, flagitante Geraldo ejus loci *armario* seu bibliothecario, cui istius libri prologum inscripsit, in quo ait se diu roganti restitisse, hoc prætextu, quod complures ipsius Benedicti alumni in Clusino cœnobio exsisterent, qui scribendi peritia & merito sibi præcellerent. Idem auctor senioris Benedicti, ejusdem loci abbatis, gesta in litteras retulerat, quæ hactenus latuerunt. Mirum est utrumque Benedictum a Francisco Augustino in syllabo abbatum Clusensium prætermissum fuisse. Hymni de Benedicto juniori compositi leguntur: at nulla de eo in ecclesiasticis officiis hactenus memoria. Ejus in abbatiali dignitate successor fuit Ermengaudus a Willelmo laudatus in suo prologo, uti & Geraldus *armarius*, cujus studium in conquirendis libris & amplificanda bibliotheca prædicat, his verbis: *Tuum quoque nihilominus, o Geralde, studium appulit animum meum ad scribendum, qui multos annos, ceu apes prudentissima, circumvolitando loca quæque ac monasteria, non cessas deflorare melleas patrum sententias ac volumina, unde nostra compleas armaria, potioribus videlicet thesauris Crœsi opibus, seu gazis opulentis Arabum, quibus augendis incubas, & sedulo custodis, quasi cellas aromatum.* Claromontensi concilio interfuit Ermengaudus abbas, de quo inferius, eidemque Paschalis II. diploma concessit, quo universæ Clusini monasterii possessiones confirmantur.

XXI. S. Augustini Cantuar. translatio. a lib. 67. num. 47.

In Anglia Wido Cantuariensis S. Petri abbas, de quo jam superius[a] actum est, inchoatam ab antecessore suo basilicam absolvit, & de transferendo seu elevando S. Augustini corpore, quod ad id tempus in tumulo jacuerat, serio cogitavit. Hujus translationis historiam verbosius pro more suo descripsit Gocelinus, Sithiensis primum, tum vero Cantuariæ monachus, ex quo eam in pauca transferemus. Obtenta a Willelmo rege efferendi e tumulo sacri corporis facultate, rem aggressus est Wido abbas, elevationi præsidente Gundulfo Roffensi episcopo, vacante ad id tempus a morte Lanfranci archiepiscopali sede. Rex ipse huic elevationi interesse an[n]o constituerat, at propter Scotiæ expeditionem ad diem condictum adesse non potuit, scilicet ad octavum idus Septembris. quo die facta translatio est. Eodem tempore translata

translata sunt etiam corpora sanctorum Deusdedit, Justi, Honorii archiepiscoporum, aliorumque, & in variis basilicæ locis disposita post Augustinum, qui frontem ecclesiæ obtinebat. De sancto Laurentio archiepiscopo id obiter scribit Gocelinus, erectam ipsi esse in Scotia ecclesiam, cujus aditu muliebris sexus arcebatur: quam cum Margarita regina Scotiæ ingredi tentasset cum oblationibus, subito percussa fuisse dicitur ac repulsa, sed clericorum prece restituta. Willelmus Thornus quædam addit, nempe omnia ossa majora beati Augustini reposita fuisse in quadam saxea tumba, ferro & plumbo valide obsignata. Verum ob timorem tam Danorum, quam Nortmannorum, qui illas Cantiæ oras nonnumquam infestabant, Widonem abbatem in muro ecclesiæ sub orientali fenestra, paucis admodum fratribus consciis, clanculum hæc ossa, paucis exceptis, recondidisse, ibique ea latuisse ad tempus usque Hugonis abbatis, eo nomine tertii, id est ad annum M CC XXI. Fallitur idem Thornus, cum ait Widonem abbatem ipso anno M XC. & quidem VIII. idus Augusti mortuum fuisse; nec rectius in chronologia Augustinensis cœnobii anno M XCIX. differtur Widonis obitus, quem verius Simeon Dunelmensis anno M XCIII. statuit.

ANN. CHR. 1091.

XXII. Crulandiæ incendium.

Hoc ipso anno M XCI. totum Crulandense monasterium in favillas omnino redactum est. Tanti infortunii causa accidit ex imprudentia plumbarii, qui dum sartis-tectis reficiendis in turri ecclesiæ occuparetur, cœnaturus e turri descendit, igne suo non exstincto, sed tantum cineribus operto, quo paratior esset die sequenti ad opus. Omnibus lecto decumbentibus, ventus aquilo subito exortus, cineribus dissipatis, ignem vivum in proxima turris tigna impulit: ubi aridam materiam, tum crassiorem corripiens, ipsas quoque campanas liquefecit. Inde in basilicæ corpus grassatus, dein dormitorium, refectorium, domum infirmorum, ac cameram abbatis eodem involvit incendio, vixque monachi e lectis suis per fenestras evadere potuerunt. Eadem clade tota bibliotheca, quæ septingentis amplius codicibus constabat, consumta: archivum quoque ipsum, licet arcu lapideo munitum, igne per fenestras ligneas illapso, eamdem pertulit sortem, adeoque omnia privilegia & monumenta, quæ in eo continebantur, penitus concremata fuere, restantibus dumtaxat quibusdam chirographicis Saxonicis, quæ Fulmaro cantori abbas conservanda tradiderat ad exercendos juvenes in lectione scripturæ Saxonicæ, quæ ab adventu Nortmannorum jam neglecta ita viluerat, ut a senioribus legi non posset. Tam miserabile infortunium graviter describit Ingulfus abbas, qui instaurando monasterio sedulam operam & industriam impendit, subsidia conferente in primis Remigio Lincolniensi episcopo, multisque aliis, quos Ingulfus sigillatim commemorat, ne omissa quidem quadam Juliana paupercula, quæ de sua penuria multum filum retortum ad consuenda fratrum vestimenta contulit. Mitto varias constitutiones, quæ ab eodem abbate post illud incendium factæ sunt. renovata item statuta Turketuli, ejusdem loci quondam abbatis clarissimi, qui monachis in tres gradus divisis quædam privilegia concesserat. At præterire non possum, quod refert idem auctor de Waldevo comite, a paganis olim interfecto, & in capitulo sepulto, cujus corpus omnino integrum inventum, in ecclesiam translatum est, positumque ad latus sancti Guthlaci, illius monasterii patroni. Priusquam e tumulo efferretur, os ejus osculatus abbas, tantam ex eo fragrantiam se sensisse asserit, quanta nec in ipsis regum palatiis vel ex odoriferis quibusque Syriæ aromatibus sentiri posset.

XXIII. Dira machinatio in Crulandenses.

Ad tantæ calamitatis cumulum illud insuper accessit, quod Ivo *Talbois*, monasterii hostis implacabilis, cum rescisset omnes ejus chartas igne combustas fuisse, monachos ad judicium traxit, ut ostenderent, quo titulo terras in ejus dominio existentes possiderent. Ad diem adfuit Trigus monasterii procurator, & Saxonicas illas chartas, quas ex incendio superfuisse diximus, juris sui testes protulit. Tum Ivo ad cavillationes divertens, inanes prorsus & nullius momenti seu roboris esse dixit, utpote barbare scriptas, & risu potius quam auctoritate dignas. At eas a Willelmo patre & filio confirmatas probavit Trigus, sicque malevolo homini silentium imposuit. Dein easdem chartas convolvens, eas clerico suo consignavit, egressusque de curia, ad monasterium reversus est, receptis prius clam illis chartis, quas omnibus videntibus clerico tradiderat: clericus vero in curiam rediit, observaturus, si quid fraudis Ivo denuo machinaretur. Tandem sub vesperam ad monasterium itinere arrepto, a tribus Ivonis satellitibus, qui in insidiis erant, in via interceptus, cum in ejus mantica illi chartas non reperissent, multis verberibus acceptis, pæne exani-

ANN. CHR. 1091.

mis relictus est, vixque Crulandam ipsa nocte pervenit. quæ res in causa fuit, ut chartas in loco, tam contra incendia, quam contra ejusmodi machinamenta hostilia tutissimo, reposuerit Ingulfus abbas, qui Ivonem post quindecim dies læsæ majestatis reum declaratum, & in exsilium actum fuisse dicit, & adhuc exsulem apud Andecavos versari, cum hæc scriberet.

XXIV. Ingulfi abbatis historia.

Hic definit Ingulfus in continuanda Crulandensi historia, prout ex archivis loci colligere, & ex majorum relatu condiscere potuerat. Ante eum hanc historiam a monasterii constructione ad ejus destructionem a Danis factam scripserant quinque *sempectæ* seu seniores; ab instauratione vero gesta domni Turketuli abbatis, ejus reparatoris, litteris mandaverat Egelricus abbas junior, ipsius Turketuli cognatus; & ab eo ad hunc tantum annum MXCI. res Crulandenses prosecutus est Ingulfus abbas ex monacho Fontanellensi, tametsi superstes fuerit usque ad annum MCIX. Eamdem historiam prosecutus est Petrus Blesensis, rogatu Henrici de Longo-campo abbatis, ad quem annum incertum. nam ejus continuatio in editis mutila est, desinitque in anno MCXVIII. in nova editione Anglicana historiæ Crulandensis.

XXV. Compostellani episcopi. a V. lib. 67. n. 55.

Vix biennium in Compostellanæ ecclesiæ regimine absolverat Petrus[a] episcopus ex abbate Caradinensi, cum Urbanus II. improbata Didaci ejus antecessoris dejectione, Richardum cardinalem & legatum, ejus auctorem, graviter increpavit, Petrique ordinationem, inconsulta sede apostolica factam, rescidit. In ejus locum suffectus Didacus Gelmirides: at, vix elapso unius anni spatio rex Aldefonsus, ejusque gener Raimundus, cum uxore sua Urraca, amoto Didaco & retruso in custodiam, consilio cleri & populi, auctoritate sanctæ Romanæ ecclesiæ, *quemdam monachum Cluniacensis religionis*, Dalmacium nomine, *pudicum & religiosum virum*, ejus abbatis assensu, Compostellanæ ecclesiæ episcopum imponi fategerunt. Hic sedem illam, quasi incultam vineam nactus, ardentissimo studio, quippe qui formam sanctæ doctrinæ probe noverat, ecclesiæ sibi commissæ utilitati se totum impendit, & in concilio Claromontensi ejus jura & prærogativas ab Urbano II. confirmari curavit. Verum, vix anno revoluto naturæ debitum solvit Dalmacius, isque moriens fluctuantem per quatuor annos Compostellanam ecclesiam reliquit, donec tandem Didacus Gelmirides in ea stabilitus est.

XXVI. Ansgerius episcopus Catanæ.

In Sicilia Catanensis ecclesia, quæ per annos CCXLVIII. Sarracenicam tyrannidem perpessa fuerat, in pristinam libertatem & christianam religionem restituta est, opera Nortmannorum principum Rotberti & Rogerii fratrum. In primis Rogerius, Calabriæ, Apuliæ totiusque Siciliæ comes, pro suo in christianam fidem studio, episcopalem in illa urbe thronum restituit, erecto in honorem Deiparæ Virginis & sanctæ Agathæ templo, cui & monasterium adjunxit, eique Ansgerium episcopum & abbatem præficiendum curavit, probante Urbano pontifice, ut ex ejus litteris à Roccho Pirro relatis discimus. Ansgerium vero, ante adeptam episcopalem dignitatem, S. Euphemiæ in Calabria priorem fuisse eædemlitteræ nos docent, in quibus Rogerius ait, se illam ædificasse aeccleslam, *collaudante apostolico viro, & consecrante ad titulum hujus ecclesiæ, in Catanensium civitate exsistentis, quemdam sanctæ Euphemiæ priorem, catholicum & honestissimum, in abbatem & episcopum, vocatum Ansgerium: cui Urbano II. concedente, qui hunc sacravit, donet Cataniam civitatem, ut sedes sit abbatiæ & episcopatus.* Hæ litteræ datæ sunt VI. kal. Maii, indictione XV. anno dominicæ incarnationis MXCI. quibus subscribunt prævio signo crucis Rogerius comes, Adalasia ejus uxor, Jofridus & Jordanes filii comitis, & alii. Eadem scribit Gaufridus Mala-terra tacito Ansgerii nomine, quem *natione Britonem* dicit. Is monachus primum fuisse dicitur monasterii sancti Florentii Salmurensis, cui pretiosa ornamenta dono dedit.

Hanc Catanensis ecclesiæ restitutionem laudavit probavitque Urbanus papa his verbis. *Nos itaque tanti viri devotionem, prout dignum est, approbantes, monasterium quidem illic perpetuo permanere præsentis paginæ auctoritate sancimus. Sed enim quia, ut prædiximus, episcopali quondam prærogativa Catanensium civitas illustris agnoscitur, adjicimus, & præsenti decreto statuimus, ut nostro quoque tempore ad eamdem prærogativam redeat; & quicumque in prædicta ecclesia a monachis electus fuerit in abbatem, idem populo quoque præesse debeat in antistitem, idemque abbas & episcopus & monasterium regulariter, & clerum & populum universum canonice, Domino opitulante, procuret.* Hæc & alia plura pontifex in diplomate, quod Ansgerio episcopo & abbati hoc anno inscriptum est, a Roccho Pirro relatum.

ANN. CHR. 1091.

Neque vero solam Catanensem ecclesiam restituit piissimus comes, sed etiam omnes alias Siciliæ ecclesias, a Sarracenis destructas aut violatas, quibus omnes fere præsules e celebri illo sanctæ Euphemiæ monasterio accersivit, ut notavit Roccbus. Itaque ab hac restitutione sub disciplina regulari Ordinis sancti Benedicti, ait idem auctor, « constituta est Catanensis ecclesia, in qua ad nostra fere tempora perduravit, uti & « Pactensis & Mooteregalensis, de quibus inferius: ne quid de Syracusana, aliisque nonnullis dicam, quas Rocchus Benedictini Ordinis olim fuisse opinatur. Nec minus sollicitus fuit Rogerius de monasteriis, quæ ut *ab omni persona libera* essent, ab Urbano pontifice obtinuit, ut ipse testatur 10 suis litteris pro monasterio Boïcensi diœcesis Panormitanæ.

XXVII. S. Cypriano concessa ecclesia.

Urbanus ioitio Novembris Alatrii in Latio versabatur, ubi Rainaldo, Pictavensis saocti Cypriani monasterii abbati, litteras IV. nonas illius mensis concessit, eidem confirmaos *quidquid juris & canonicæ potestatis* habebat in ecclesia sanctæ Crucis de Engla. Hanc cautionem adhibuit pontifex suggerente Ivooe, qui tunc ab ecclesiæ Carnutensis clericis, rejecto ob scelera Gaufrido, electus episcopus, in comitatu pontificis erat, causam suam acturus in Richerium Senonensem archiepiscopum, qui eum ordinare detrectabat, propterea quod Gaufridus, se prætermisso, a pontifice depositus fuisset. Hanc porro cautionem suggessit Ivo, ne, si omnimodam absque ulla exceptionein illa ecclesia potestatem S. Cypriani monachis tribuisset pontifex, clerici tandem ab eis ex ea expellerentur. Id discimus ex ipsius Ivonis epistola LVI. ad Petrum Pictavensem episcopum, in qua graviter adversus eum queritur, quod monachos in illa ecclesia, rejecto clerico ad eam postulato, instituere vellet præter Urbani papæ meotem ejus litteris expressam, cui eas *dictanti Alatri* (meodose apud Juretum *a latere*) se adfuisse dicit. Ivoois porro ordinationem anno M XCI. non vero sequenti, ut cum Baronio plerique etiam veteres existimant, ab Urbano factam fuisse, id præter cetera demonstrare videtur, quod idem Ivo in epistola LXVII. paullo post natale Domini ad ipsum Urbaoum scribens, quem contra se commotum resciverat, eum rogat, ut, *jam transacto septennio*, ex quo *vineam sibi commissam pro suo posse excoluerat*, liceret tandem ipsi *octavo anno* eam dimittere. quod saoe dici non posset, si anno M XCII. & quidem mense Novembri, ordinatus fuisset; siquidem octavus ejus episcopatus annus pervenisset ad finem saltem anni M XCIX. aut certe insequentis, quo tempore Urbanus e vivis excesserat, mortuus IV. kal. Sextiles anni M XCIX. Quæ vero turbæ Ivonis ordinationem consecutæ sint, apud Baronium aliosque legere licet: mihi ad alia properanti bis immorari non licet. Unum tantum hic observo, Ivooem episcopum, virum sui temporis in rebus canonicis versatissimum, vitæ canonicæ & communis in Gallia veluti parentem, ecclesiasticæ porro disciplinæ studiosissimum assertorem, in Beccensi monasterio sacris litteris, Lanfranco præceptore, operam dedisse, ut in ejus vita legitur.

Ivonis episcopi ordinatio.

ANN. CHR. 1092. XXVIII. Italicæ res turbatæ.

JAm biennium erat, ex quo Heinricus in Longobardia morabatur, cum terras Welfoois Italici ducis, Mathildis comitissæ mariti, devastare pergit, ut eum cum Mathilde ad suas partes pertraheret: ast ambo conjuges constanter perstiterunt in fide pootificis: qui extra Urbem manere coactus est, Wiberto juxta basilicam sancti Petri præsidio vallato. Transacta inde byeme Heinricus, trajecto Pado, infestum exercitum in agrum Mutinensem ioduxit, &, quibusdam castris ex Mathildis ditione receptis, Montem-bellum circumvallavit, & per totam æstatem obsedit. Tum vero, Mathildis, verita ne tandem castrum illud ad deditionem compelleretur, accitis præsulibus, abbatibus, & monachis oon paucis, de pace tractandum censebat, eique Regiensis præsul Heribertus assentiebat, ut ex Domnizone discimus. Verum huic sententiæ restitit Johannes, quem idem auctor modo eremitam, modo abbatem vocat. Sic enim de eo [a] canit.

Johannes abbas pacem dissuadet.

[a] Domnizo lib. 2. c. 7.

Respondit tandem dicens eremita Johannes,
Absit ne fiat, quia pax hæc est inimica
Spiritui-sancto, Patri, proprio quoque nato.
Ergo sudores amittes atque labores
Tantos, pro Christi quos nomine sustinuisti?
Ne titubes, pugna, quoniam victoria multa
De prope de cælo veniet tibi.

ANN. CHR. 1092.

Prævaluit Johannis sententia; pugnatum ex utraque parte acriter, Johanne abbate cum suis monachis preces pro armis fundente: & tandem, offusa hostibus atra caligine, pars Mathildis superior evasit, fusisque adversis copiis, ipsum etiam Heinriciani exercitus vexillum gestanti ereptum est. Audiendus iterum hac de re Domnizo.

Cumque tuba magna reboant, abbasque Johannes
Cum monachis psalmos psallebat, cordeque sanctos
Deposcens omnes, locus ut tueatur ab hoste;
Adstitit atra satis caligo maxima statim.
Abbas orabat, pugnabat plebs memorata:
Vulneribus ferri jaculatur concio regis.
Vexillum regis gestabat natus Oberti:
Ad se qui rectum cum vidit tendere ferrum,
Evitans ictum, lorica nimis trahit ipsum.
Nam cecidit terra. Currit quidamve pedester,
Accipiens hastam, vexillum tollit ad astra.

Tam læto successu ovans pars Mathildis, clamorem cum vexillo ad astra tollit, quod Canosæ seu Canusii in templo sancti Apollonii suspensum est in victoriæ monumentum. Id mense Octobri factum tradit ipsemet Domnizo, unus earum rerum historicus, cujus versus hic denuo adscribere lubet.

Pars Mathildis ovans, Christum veneranter adorans,
Ad fanum defert Appollonii reverenter
Vexillum regis, quod adhuc ibi constat haberi.
Hac dum fiebant, October rura colebat.

XXIX. Canusii monasterium. a *Lubin p. 79.*

Canosa seu Canusium locus est diœcesis & territorii Regiensis, non longe ab ipsa urbe Regio-Lepidi, novem scilicet [a] passuum millibus versus occidentem hiemalem, ubi abbatia nostri Ordinis sub medium sæculi decimi condita fuit ab Attone, ut quidem puto, marchione, cujus filius Gothifredus Brixiensis episcopus, Mathildis comitissæ proavus, complures eidem abbatiæ reliquias contulit, in his partem reliquiarum sancti Apullonii, quinti Brixiensis episcopi, cujus corpus reserata capsula cum secaret, vividum ex eo cruorem effluxisse Domnizo tradit. Hinc sancti Apollonii nomine ejusdem loci basilica insignita, ad cujus vestibulum Atto sepeliri voluit, ibidemque Gothifredus, ejus filius, sepulturam elegit. Illius monasterii rector fuisse videtur abbas Johannes, de quo mox egimus, ejusdemque commendatarius abbas anno MDXIII. Ludovicus Tricaricensis episcopus, testante Ughello.

Padelironenses & Fructuarienses vexati. b *Hist. Padolir. probat. p. 31.*

In his procellis multum agitati & vexati sunt Padolironenses monachi, & ad magnas redacti angustias: quorum abbas Willelmus, ob persecutionem Heinrici regis e monasterio fugere compulsus, in montanis sustentatus est a Mathilde comitissa, quæ commiseratione ducta, palatium castri Ariani & quasdam ecclesias *ad sustentationem fratrum* largita est litteris [b] Carpenetæ datis hoc anno, indictione XV. *die Martis*, & quidem *quinto die intrante mense Septembris*. Non melior conditio fuit Fructuariensis monasterii, cui rex Heinricus multa mala intulit, teste Bertholdo, in odium Friderici comitis Taurinensis piissimi, legitimo pontifici addictissimi, quo mortuo ejus filium paterna hereditate privare constituit Heinricus, adeoque ejus terras hostiliter cum filio suo Conrado invasit.

XXX. Aversano monasterio privilegium conce dit Urbanus. c *lib. 61. n. 75*

Anagniæ versabatur nonis Maii Urbanus papa hoc anno, quo tempore apostolicæ protectionis gratiam impertit Guarino abbati monasterii sancti Laurentii martyris, quod juxta urbem Aversanam situm, juris beati Petri esse dicitur, & iisdem temporibus *de parvo ad magnum excrevisse*. qua de re consule quæ de hoc monasterio superius [c] diximus. Ad hoc vero privilegium indulgendum ideo se inductum ait pontifex, quod illius monasterii *fratres Romanæ ecclesiæ tribulationibus & angustiis fideliter communicaverant*. Inter alias ejus loci prærogativas, Guarino abbati ejusque successoribus concedit *usum mitræ ubilibet in celebrationibus divinorum; anuli vero tantum in celebratione missarum præcipuarum festivitatum, & consessu conciliorum. Datum Anagniæ per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, indictione* XV. *nonis Maii, anno*

dominicæ incarnationis M XCII. *pontificatus anno quinto.* Eodem anno Boamundus princeps, Boamundi Antiocheni principis filius, eidem Guarino abbati ejusque monasterio confert ecclesiam sancti Petri de Babaneo cum flumine, sitam in provincia Hydruntina juxta Casale-novum seu Manturiam. Post annos quinque Richardus II. princeps Capuanus, sancti Laurentii monasterium Capuanum Aversano attribuit.

ANN. CHR. 1092.

Cavensis basilica dedicatur ab Urbano.

Autumni tempore Urbanus papa in provinciam Picentinorum profectus, novam Cavensis monasterii basilicam consecravit nonis Septembris. Aderant in ejus comitatu inter alios Bruno Signiensis, & Rangerius Regitanus, seu Regiensis episcopus, supra laudatus: ex quibus Bruno capellam abbatis, Rangerius vero ecclesiam Casalis, eidem monasterio adjacentem & eminentem, ipso die dedicarunt. Concessæ fidelibus indulgentiæ, qui contriti & confessi has ecclesias certis diebus visitarent. Vocatus ad hanc celebritatem Alfanus Salernitanus archiepiscopus, eo nomine secundus, qui Cavense monasterium sibi subjectum esse contendebat, ut causam suam ageret, adesse noluit. quam ob rem pontifex ab ejus ditione locum absolvit. Eidem dedicationi interfuit dux Rogerius, multaque beneficia Cavensibus indulsit, quibus id singulare concessit, ut quacumque parte sui ducatus Petrus abbas, ejusque successores exstiterint, si forte unus, vel plures homines ad mortem vel ad quoddam supplicium essent damnati, eos ab hac capitali sententia liberare possent. Hæc omnia referuntur, probanturque in amplissimo privilegio, quod Urbanus Petro abbati largitus est, ad id potissimum inductus, tum ob venerationem Gregorii VII. qui locum illum in primis coluerat, eidemque Petrum abbatem, Cluniaco accersitum, præfici curaverat; tum ob laudabilem vitam ejusdem loci monachorum, *qui specialius ac familiarius Romanæ adhæserant ecclesiæ, quique amplioris religionis gratia tunc eminebant.* Hoc privilegium, quod integrum retulit Baronius, datum est Salerni XVIII. kal. Octobris hujus anni, indictione I. a Septembri inchoata.

XXXI. Materæ monasteria.

Salerno digressus Urbanus, adiit Materam [a], quæ urbs tunc episcopalis erat regni Neapolitani in provincia Hydruntina [a]; ibique in monasterio sancti Eustachii nostri Ordinis hospitatus est. Illius monasterii ecclesia a Stephano [a] abbate condita, ab Arnaldo Acheruntino episcopo anno M LXXX. consecrata traditur, cujus solæ ruinæ nunc cernuntur prope ecclesiam cathedralem. Nunc sedes episcopalis in Acheruntinam migravit. Stephanus vero obiit anno M C II. mense Novembri, cui successit Simon, ut habet Lupi Protospathæ chronicon. Materæ quoque jam tunc exstabat puellare monasterium sanctarum Luciæ & Agathæ, cujus loci abbatissa Eugenia hoc ipso anno defuncta est. Hæc discimus ex chronico Lupi Protospathæ, qui id refert ad annum M XCIII. more satis usitato illius regionis auctorum, qui novum annum, uti & indictionem, a Septembri ineunt. Illius auctoris hæc verba sunt. *Anno* MXCIII. *indictione I. Obiit Eugenia abbatissa S. Benedicti monasterii Materiensis mense Octobris; & eodem mense Urbanus pervenit in Materam & applicuit ad cœnobium sancti Eustachii cum grandi plebe hominum.* Hoc modo etiam perseverat. at exstabant in illa urbe tria alia puellarum nostri Ordinis cœnobia, unum Salvatoris, secundum de Armenis, & tertium sanctæ Mariæ de Picciano, nunc destructa [b]. Hoc sanctæ Mariæ asceterium distinguendum est a monasterio itidem puellari sanctæ Mariæ de Matina in Calabria sito, ubi Urbanus papa versabatur, cum litem de controversia Credonensi inter monachos sancti Albini & Vindocinenses eodem anno diremit, ut patet ex litteris [c] a Sirmundo relatis in notis ad Goffridum Vindocinensem.

[a] Matola

[a] Terra d'Otranto.

[a] Ital. sac. to. 7. p. 39.

[b] ibid p. 15.

[c] Sirmund. p. 81.

XXXII. Bruno in Calabria domum condit.

Jam in Calabriam secesserat Bruno, Cartusiæ auctor, cum Urbanus ad illas partes profectus est. Paullo ante vir sanctus e Cartusia in Italiam a pontifice accersitus fuerat: at curiæ turbas non ferens, in Calabriam secessum petierat, ubi novam Cartusiam condidit in loco, qui Turris dicitur, diœcesis Schillacensis seu Squillacensis. Certe jam illic cum sociis morabatur vir Dei pridie idus Octobris hoc anno, quo tempore Urbanus ei privilegium indulsit, inscriptum *dilectis in Christo filiis, Brunoni & Lanuino*, eo tenore, ut locus ille ab omni sæculari & ecclesiastica potestate sit immunis: concesso insuper, ut, si quid episcopalis officii indiguerint, ad quem vicinorum episcoporum voluerint, recurrere valeant. Datum per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis pridie idus Octobris, indictione I. anno dominicæ incarnationis M XCII. Lanuinus iste illius domus primus prior fuit post sanctum Brunonem, distinguendus a Landuino, qui majorem Cartusiam post Brunonis discessum rexit. Præter Lanuinum alios jam tum socios illic habebat Bruno, ut docent nos lit-

ANN. CHR. 1092.

teræ Rogerii ducis, qui locum illum Brunoni concessit. Hæc donatio sine dubio jam hoc anno facta erat, tametsi litteræ donationis anno sequenti datæ sunt, ex archivo Cartusiæ-majoris mihi communicatæ sub hac forma.

Rogerius, divina favente clementia comes Calabriæ & Siciliæ. Notum sit omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quoniam miseratio divina sanctæ religionis viros, Brunonem videlicet ac Lauuinum, cum sociis suis ad nos usque transmisit, sancto suo proposito aptum solitudinis locum quærentes. Quorum nos desiderio congaudentes, meritisque talium ac precibus apud Deum adjuvari confidentes, multis eos exhortati sumus precibus, ut in terra nostra locum sibi habilem eligerent, in quo ad serviendum Deo qualia vellent habitacula præpararent. Elegerunt itaque quemdam solitudinis locum, situm inter locum, qui dicitur Arena, & opidum, quod appellatur Stilum. Hunc ergo locum & omnia undique in circuitu adjacentia in spatium unius leucæ Deo & B. Mariæ, ac ipsis eorumque successoribus, in proprietate, sicut nostra fuerunt, sub omni immunitate atque libertate donavimus.... Rogavimus insuper venerabilem virum Militensem episcopum Gosfredum super hac donatione nostra confirmationis chartam conscribere, quam & sigillavimus... Hanc autem donationem nostram tam domnus apostolicus noster Urbanus, quam Squillatinus episcopus Theodorus, in cujus episcopatu ipse locus situs est, laudaverunt, privilegiis confirmaverunt, atque terribili anathemate munierunt.... Data in pratis Squillacii, ubi tunc collecto morabamur exercitu, anno ab incarnatione Domini M XCIII. *indictione* I. *nonis Maii. Et hi sunt testes, Rogerius comes, Adelaïs comitissa, Gosfredus filius comitis Rogerii, Guillelmus de Alta-villa, Bastardus Josbertus de Luciaco &c.*

Ex his litteris præcise discimus illius Cartusiæ situm, cujus dedicatio anno M XCIV. facta est, ut inferius videbimus.

In eodem loco non multo post conditum fuit monasterium, in qno fratres, qui eremi austeritatem ferre non valerent, cœnobiticam vitam agerent *juxta beati Benedicti regulam*, uti Paschalis II. præscribit suis litteris, quas inferius referemus cum statutis, quæ Lambertus prior utrique loco, id est anachoretis & cœnobitis, imposuit.

XXXIII. Anselmus in Angliam ægre trajicit.

In Anglia jam quartus erat annus, ex quo Cantuariensis ecclesia, a morte scilicet Lanfranci archiepiscopi, pastore orbata remanebat, multæque aliæ Anglicanæ ecclesiæ, quibus Willelmus junior pastores sufficere supersedebat, specie, quasi idoneos ad id muneris viros non inveniret; re, ut vacantium ecclesiarum reditus in suos usus profligaret. Inter ea Hugo Cestrensis comes, Rotberti de Abrincis[a] filius, in quadam ecclesia sua monachos instituere cupiens, missis Beccum nuntiis, Anselmum abbatem rogavit, ut in Angliam trajiceret, locum monasterio destinatum inspecturus, eumque per suos monachos regulari disciplina informaturus. Renuit Anselmus, ne ambitu archiepiscopatus, ad quem quodam veluti præsagio nonnulli eum, si in Angliam iret, promovendum ominabantur, eo profectus videretur. Interim contigit comitem ipsum acri languore pulsari. quod ille Anselmo significare non distulit, magnopere flagitans, ut pro antiqua necessitudine se quantocius inviseret, animæ suæ saluti consulturus. Quod si archiepiscopatus timor eum retinet, quo minus ad se veniat; in sua fide certus sit, vanum esse hunc timorem. Verum, cum nec sic assentiret Anselmus, urget comes usque tertium, animæ suæ periculum, ni veniat, ingerit, ejus rationem ab ipso Anselmo exigendam. Ad hæc anxius hærens vir Dei, malignam de se hominum ex una parte affectatæ dignitatis suspicionem, ex alia caritatis debitum ac leges perpendens, cedendum tandem caritati judicavit, hominum de se opinionem Deo committendam. Ivit itaque quo vocabatur, & concito gressu ad comitem pervenit, quem ab infirmitate jam convaluisse invenit. Detentus est tamen in Anglia mensibus quinque, antequam de substituendo archiepiscopo ageretur, detentus, inquam, tum pro constituendo monasterio, quod comes fundaverat, tum pro cœnobii sui negotiis, quæ illius itineris altera causa erat. Hinc intelligitur, Anselmum in Angliam trajecisse sub finem mensis Julii hujus anni, vel ineunte Augusto, quinto scilicet mense ante nativitatem Domini, quo tempore de creando novo archiepiscopo primum agi cœptum est.

a Orderic. p. 670.

XXXIV. Cestrense monasterium ordinat.

Monasterium illud, quod Anselmus ordinandum suscepit, Cestræ situm erat, sanctæ Walburgis titulo insignitum, olim virginum, tunc paucorum clericorum, qui monachi facti sunt. Primus eis abbas Richardus Beccensis monachus præfectus, monachorum gregem *inter belluinos cœtus*, uti Ordericus[b] loquitur, nutrivit. Ibidem primum hnmatus fuit Rotbertus de Rodelento, Hunfridi filius, cæsus in

b Orderic. p. 671.

prælio contra Guallos; cujus ossa dein post aliquot annos Ernaldus ejus frater, Uticensis monachus, assentiente Rotberto de Limosia Merciorum episcopo, in suum monasterium transtulit, ubi sub arcu honorifice condita sunt. cujus epitaphium Vitalis Angligena, ipsius Ernaldi rogatu, composuit. De Ernaldo id memoriæ prodidit Ordericus[a], eum cum quatuor nobilibus sociis, Widone, Rogerio, Drogone & Odone, relicta sæculari militia, Christo nomen dedisse in Uticensi monasterio, ibique per annos quinquaginta strenue laborasse, variis itineribus in Angliam susceptis, atque in Apuliam, Calabriam, Siciliamque, & a fratre suo Willelmo sanctæ Euphemiæ abbate, aliisque consanguineis suis, qui illis in partibus locupletissimi & potentissimi erant, multa illinc monasterio suo commoda retulisse. Redeo ad Cestrenses monachos, quibus scribens[b] Anselmus, sibi de eorum profectu in primis lætandum dicit, *quoniam per me*, inquit, *Deus congregationis vestræ est dignatus instituere primum abbatem, dominum scilicet Richardum, carissimum filium nostrum.* Tum eos hortatur ad ampliorem profectum, ne, si proficere desinant, omnino deficiant. *Certissimum namque est*, inquit, *quod in nostris ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio, ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor ordinis monachorum inviolabiliter permanet. Ibi pax inter fratres, & in capitulo proclamationes conquiescunt. Ubi vero minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paullatim dissipatur & destruitur.* Dein obedientiæ necessitatem inculcat, in qua *totus vigor bene vivendi constituitur*; denique otiositatem maxime vitandam monet. Ad eosdem scripta est epistola sequens, in qua probat, majoris esse meriti, cum monachus in capitulo ex præcepto prælati vapulat, quam « cum se ipse verberat, aut ab aliis verberari postulat: quorum alterum *monachicum*, « alterum *regale* vocat, quippe quod reges & superbi divites sibi fieri præcipiunt. In « Monastico Anglicano[c] habentur variæ donationes tum Hugonis comitis ejusque conjugis, tum etiam baronum eidem monasterio factæ, quod sub finem sæculi sequentis in episcopalem sedem conversum est.

a ibid.

b Anselm. lib. 3. ep. 49.

c Monast. Anglic. to. 1. p. 200.

Hoc item anno ecclesia beatæ Mariæ de Prato, vulgo B. Mariæ de Bono-nuntio, juxta Ermentrudis villam prope Rotomagum, Sequana interfluente sita, Beccensi monasterio, in cujus prædio erat, attributa est a Rotberto principe, ut cella monachorum Beccensium esset, ex voto ejus parentum, qui eam ædificare cœperant. Non tamen statim in hanc ecclesiam inducti sunt Beccenses monachi, sed ab Heinrico rege Normannorum, prædicti Rotberti ducis fratre, qui illam ecclesiam absolvit, eique nonnulla in usum Deo servientium monachorum assignavit, ut Willelmus Gemeticensis testatur. Nonnulli ex Orderico[d] male intellecto colligunt, Molismenses monachos locum illum incoluisse ante Beccenses, propterea quod Rotbertus dux Normannorum anno M XC. orta Rotomagensium seditione, trajecto Sequanæ fluvio, ad Ermentrudis villam se recepisse dicitur, ubi a Guillelmo de Archis Molismensi monacho susceptus sit, ibique in basilica sanctæ Mariæ de Prato finem seditionis exspectaverit. Verum Guillelmus ille Molismensis unus e Rotberti ducis consiliariis[e] erat, & forte tantum ex occasione illic erat, aut certe solus illic absque sociis residere consueverat. Ceterum hanc cellam B. Mariæ de Prato, uti & Mellentensem, monachis destitutam, nostro tempore instauravit Nicolaus *Davanne*, vir avitæ religionis & pietatis studiosissimus, atque observantissimus, eamque nostræ Congregationi addixit, cujus vivendi rationem absque monachi voto, dum vixit, servare studuit, Mellenti mortuus, in sancti Nicasii cella, ibidemque humatus in habitu monastico, quo ante mortem indui voluit.

B. Mariæ de Bono-nuntio cella.

d Orderic. lib. 8. p. 690.

e ibid. p. 651.

Apud Rotomagum in sancti Petri seu Audoëni monasterio pie decessit Nicolaus abbas quinquagesimo suæ præfecturæ anno, postquam e Jerosolymitana peregrinatione reversus esset. Ordericus sex supra quinquaginta regiminis annos ei tribuit: at præferendum ejus epitaphium, plumbeæ insculptum laminæ in ejus loculo inventæ, quod ita habet: *Hic jacet Nicolaus abbas hujus cœnobii, filius Richardi Normannorum junioris, & fratris Rotberti comitis, qui rediens e Jerosolymis apud Nicaam urbem mortuus est. Hic autem Nicolaus cœnobium istud L. annis rexit, pater monachorum eximius. Obiit autem anno incarnationis dominicæ M XCII. IV. kal. Martii.* Eumdem assignat diem Ordericus[f], aitque eum, *adorato in Jerusalem sepulcro Domini* reversum, obiisse, & in ecclesia sancti Petri apostoli, quam ipse a fundamentis inceperat, ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultum fuisse, erecta super ipsius tumulum lignea umbella,

XXXV. Nicolao S. Audoëni abbati succedit Helgotus.

f Orderic. lib. 8. p. 710.

ANN. CHR. 1092.

cujus in culmine Mauricius monachus hos versus aureis litteris scripserat:

> *Hic amor & pietas, monachorum flos & honestas,*
> *Deponens artus, Domino vivit Nicolaus.*
> *Rexit amore gregem, quam cernis condidit ædem.*
> *Hac lux occubuit, dum Pisces phœbus adurit.*

Idem vitam sancti Audoëni metrice scribi curavit per Theodericum monachum, qui opus suum ei dedicavit. Quo tempore Nicolaus huic loco præerat, Odo Bajocensis antistes, iteratis litibus contendit ecclesiam Ros in sua diœcesi sitam, sed a jure episcopali liberam, sibi subjici debere. Verum, cum postea animadvertisset hanc immunitatem ab ipso sancto Audoëno olim assertam fuisse, non modo ob tanti pontificis reverentiam a cœptis destitit, sed etiam successores suos adjuravit, ne quid umquam contra hoc privilegium molirentur. Chartam ea de re ab eo editam ex authentico descripsimus, quam in Appendice invenies, at sine chronicis notis. non tamen ultra hunc annum differri potest, ob Nicolai abbatis hoc ipso anno defuncti mentionem. Eam vero novo diplomate confirmavit Hugo archiepiscopus anno M C LVIII. cui cum eo subscripsere Galterius abbas sancti Wandregesili, Hugo abbas sancti Victoris, cum decano & aliis primoribus ecclesiæ Rotomagensis. Et quidem hæc Rosensis immunitas hodieque illæsa subsistit.

a id. ibid.

Subrogatus in Nicolai locum Helgotus Cadomensis prior, eruditione[a] ac pietate insignis, monasterium sancti Audoëni viginti annis rexit. cujus tempore religio ibidem multum incrementi accepit, & basilica admirandæ magnitudinis, cujus fabrica diu intermissa fuerat, multum promota fuit, suppetias in primis conferente quodam Gisleberto laïco, ibidem monacho facto, ex pecunia dominæ suæ Alberadæ Grossæ, quæ in Jerosolymitano itinere moriens, thesaurum ei suum commendaverat.

Fulco Divensis abbas exsul. b V. lib. 65. n. 16.

Hoc tempore Fulco Divensis abbas, cum viginti[b] annis monasterium optime, sed rigide rexisset, orto dissensionis vehementi turbine calumniam passus, ob idque solum vertere coactus, Urbanum pontificem adiit, &, causa necdum finita, in monte Casino diu resedit. quo temporis intervallo ejus locum tenuit Benedictus prior sancti Audoëni, eoque mortuo Galterius Gemeticensis monachus: qui Fulconi post septem exsilii annos cum pontificis litteris reverso, magistratum sponte cessit, & ad conversionis suæ locum rediit, ubi ad decrepitam usque ætatem vitam produxit. Fulco vero Divensem deinceps septem annis prospere administravit.

XXXVI. Bertoldi-curtis monasterium.

Per id tempus Galterius Pontisarensis abbas Deiparæ Virginis monitu ad pagum Ambianensem profectus est, ut locum sacris virginibus aptum in vico, qui Bertoldi-curtis dicitur, quinque leucis infra urbem Ambianorum posito, construeret. Verum, ubi id exsequi parat, quædam prædives matrona ejus loci, verita ne quid detrimenti ex hoc caperet, virum Dei e suis finibus, infecto opere, exire coëgit. At, morte illius matronæ brevi subsecuta, mulieres duæ, piæ ac nobiles, Godelindis & Helwidis, se Domino devoventes, ad eumdem locum cum magnis opibus & possessionibus convenerunt: ubi arbusta propriis manibus exstirpantes, monasterium & ecclesiam in honorem beatissimæ Virginis Mariæ construxerunt, & amplissime dotarunt. Illuc brevi multæ confluxere virgines, sub regula sancti Benedicti Deo servientes, quibus tertio post beati Galterii obitum anno Godelindis abbatissa præfecta est.

XXXVII. Albedertus archiepiscopus Bituricensis. c Labbe to. 1. bibl. p. 316.

Post mortem Richardi secundi, archiepiscopi Bituricensis, quæ accidit v. kalendas Maïas hujus anni, cooptatus est in ejus locum Aldebertus Dolensis apud Bituriges monasterii abbas, sed non integro quinquennio illam sedem occupavit, mortuus anno M XCVII. ut legitur in chronico[c] Dolensi, non anno sequenti, ut in Patriarchio Bituricensi, in quo ejus obitus pridie nonas Septembris notatur. Fuerat is Casæ-Dei monachus, ut alias diximus, antequam ad abbatiam Dolensem promoveretur.

S. Gundulfi monasterium Virzioni subjicitur.

Hoc ipso anno Stephanus Bituricensis vicecomes monasterium S. Gundulfi, assensu sororis suæ Hildeburgis, Geilonis, castri Soliacensis domini, uxoris, Virzionensi abbatiæ contulit. At reclamavere Salmurenses monachi, quibus hoc monasterium jam dudum a Francorum regibus concessum fuerat. Sed tandem triennio post Willelmus sancti Florentii Salmurensis abbas & Humbaudus Virzionensis pactum hoc modo inierunt, ut Virzionenses illud monasterium retinerent, & quotannis duas auri legitimi uncias Salmurensibus ad festum S. Florentii VI. nonas Maii persolverent. Sed, cum forte

forte pactum non servassent Virzionenses, sancti Gundulfi monasterium Salmurensibus demum restitutum est. — ANN. CHR. 1091.

Exstat in confinio pagi Blesensis & Bituricensis cella Corneliacensis, quam a venerabili Andrea, priore olim Vallumbrosano, ante quatuor annos [a] erectam diximus apud Silvaniacum, in luco, qui Corneliacus vocatur. Hujus luci dominus Rainaudus-Paganus, annuente uxore sua Hodierna cum filiis Dadone & Rainaudo, prædictæ cellæ monachis necessaria quæque ex ipso luco ad domos faciendas, aliosque domesticos usus tribuit in manu Andreæ illorum prioris hoc anno, bis-sexto kalendas Martii. Paullo post idem Andreas duos ex suis fratribus ad Urbanum papam misit, ut ab eo privilegium apostolicæ tutelæ & confirmationem possessionum sibi collatarum impetraret. Annuit pontifex rogantibus, tametsi necdum sibi notis, ut ipse testatur suis litteris, quarum hæc inscriptio & tenor. *Dilectis filiis in loco, qui Silvaniacum dicitur, ad omnipotentis Dei servitium & monasticæ disciplinæ militiam congregatis, salutem & apostolicam benedictionem. Duo ad nos ex vestris fratribus venientes, apostolicæ sedis suppliciter expetivere suffragium, ut videlicet loco vestro apostolicæ tuitionis privilegium mererentur. Nos, licet congregatio vestra & locus adhuc nobis incognitus sit, quia tamen magnis ad nos laboribus pervenerunt, pro solita apostolicæ sedis misericordia petitioni eorum & vestræ omnino deesse noluimus. Per præsentis igitur decreti paginam concedimus & confirmamus quidquid vobis & loco vestro usque in hanc horam juste & rationabiliter concessum est, & quicquid in futurum juste & legaliter concedetur. Quin etiam, ut annuente Domino monastica religionis vigor, qui illic jam triennio inolevit, & promoveatur & crescat, vicinos & longe positos adhortamur, ut locum ipsum, ad salutem animarum suarum, bonorum suorum collationibus honorare, ditare & exaltare procurent,* &c. *Datum per manum Johannis diaconi cardinalis* III. *idus Aprilis, indictione* XV. *Anagniæ.* Hæc cella hactenus subjecta est abbatiæ Casalis-Benedicti, cujus primordia anno sequente referemus.

XXXVIII. Corneliacensis cella aucta. [a] V. lib. 67. n. 61.

Sub hunc annum scripta est ab Ivone epistola [b] *Virginibus in Dunensi monasterio sancti Aviti Deo devotis*, quod virginum Benedictinarum monasterium est diœcesis Carnutensis in suburbio Castridunensi, cujus origo mihi incomperta. In hac epistola Ivo ait, gloriosum esse nomen virginitatis, sed gloriosiorem fructum, cujus « quanto superior gradus, tanto gravior est casus. Tum monet eas sæcularium ho- « minum colloquia devitare. *Ad hoc enim*, inquit, *vobis septa monasterii facta sunt, ne mundi amatores intra castra mundum fugientium recipiatis; ne ad publicum prodeatis, ac de corporali mundi visione tractis introrsum fœdis imaginibus atque expugnata intus virginitate, corpus quoque corruptioni subjici permittatis. Quomodo ergo pudicitiam servare valebitis, quæ cum impudicis hominibus miscere colloquia publica, vel privata quotidiano usu laboratis?* Ex quibus patet, tunc solutiorem illic fuisse disciplinam. Dein eas hortatur ad humilitatem, mortificationem, silentium, orationem, lectionem, & opus manuum, non tam propter necessitatem, quam propter vitandam otiositatem. « Neque dixerint, *Non potest talia pati nostra ætas, non potest ferre nostra ingenuitas.* « Neque enim eas nobiliores esse beata Cæcilia, quæ cilicio membra domabat: neque « beata Agnete, multisque aliis religiosis personis, quæ similia fecerunt. Nec est quod « opponant, si sæcularium colloquia devitent, fore ut sæculares solita ipsis obsequia « & subsidia subtrahant. Ad quod respondet Ivo, si id fecerint, pro sæcularibus ama- « toribus Deum eis procuraturum *spirituales amatores*, per quos eis necessaria mini- « stret, & res monasterii tutas & incolumes conservet. In fine *in summa obedientia* eis « præcipit, ut qualibet hebdomada semel in earum conventu hæc epistola legatur. Perstat etiam nunc hoc monasterium sub regula sancti Benedicti.

S. Aviti parthenium. [b] Ivo ep. 10.

Haud semel actum est in superioribus tomis de monasterio Bonæ-vallis apud Carnutes, ejusque abbatibus, sed nusquam mentio occurrit Godonis abbatis, quem tamen huic loco circa sæculi decimi finem præfuisse colligimus ex codice manuscripto ejus monasterii, nuper a nobis viso, qui modo in bibliotheca Colbertina adservatur. Hic codex, in quo vetusta collectio canonum continetur, oblatus dicitur fuisse sanctis Petro & Marcellino a Godone abbate Bonæ-vallis, quod versus sequentes ad ejus marginem litteris uncialibus exarati indicant.

XXXIX. Bonæ-vallis abbates.

Godo Bonæ-vallis humilisque monasticus abbas,
Codicis hujus opus sanctorum canone factum,

ANN. CHR. 1092.

Donat habere Petro Marcellinoque beatis.
Ejus & ablator pœna plectatur acerba,
Cum reprobis pariter baratri retrusus in imo,
Ni prius ablatum digna emendatio reddat.

Ex his certum est, Godonem Bonæ-vallis abbatem fuisse, & quidem Bonæ-vallis Carnutensis; nam alia ejus nominis monasteria in aliis regionibus condita nondum erant sæculo decimo labente, aut sæculi undecimi initio, quo tempore hunc codicem scriptum fuisse certum videtur. Deinde sancti Petrus & Marcellinus martyres Bonævallis Carnutensis, non aliorum istorum patroni fuere. Ar quo loco inter ejus monasterii abbates Godo sit recensendus, haud ita facile est definire, cum anonymus, qui chronicum Bonæ-vallis sæculo decimo labente conscripsisse dicitur, memoratis aliis abbatibus nusquam istius meminerit. quod sane mirum videretur, si reipsa Godo istis temporibus huic monasterio præfuisset. Quid igitur? rejiciendusne est Godo ad sæculi undecimi initia post anonymi illius ætatem; id sane faciendum est, aut certe fateri oportet ipsum anonymum parum accurate monasterii hujus historiam descripsisse. neque id verisimilitudine caret; nam aut ipse falsus est, aut aliquis post eum chronicum ab illo scriptum vitiavit, in iis saltem, quæ de translatione reliquiarum sanctorum Hilarii & Florentini ibi referuntur. Etenim in chronico illo vulgato horum martyrum reliquiæ traditæ dicuntur a sancto Aureliano tunc Athanacensi abbate, ad Bonam-vallem transferendæ per monachos, quos Ingelarius Bonæ-vallis abbas Athanacum transmiserat. quod fieri nequit: siquidem Aurelianus dimissa Athanacensi abbatia jam throno Lugdunensi impositus fuerat sub Caroli-Calvi principatu, cum Ingelarius Bonæ-valli præfectus fuit, qui nonnisi Ludovico-Balbo Caroli filio regnante factus est abbas. Sit itaque penes lectorem, ut Godo sæculo decimo, vel initio sequentis Bonæ-valli præfuisse credatur, siquidem hoc unum ex codice Colbertino certum est, eum circa illa tempora exstitisse. Ceterum hæc de Godone abbate, quæ suo loco referre non licuit, hic inserere visum est occasione Bonævallensium abbatum, qui hoc sæculo undecimo labente & sequentis initio floruerunt. Ineunte autem anno M XCII. in quo versamur, Gualterius seu Gauterius ejusdem loci abbas, abdicata præfectura, se receperat ad Majus-monasterium, ex quo ad regendum Bonævallense monasterium assumtus fuerat. Tempus dimissæ ab eo præfecturæ colligimus tum ex placito Stephani Blesensis comitis, hoc anno habito contra quemdam præpositum Blesensem, qui jura quædam indebita in possessione Majoris-monasterii apud Rosdonium sibi arrogabat, cui placito Stephanus comes, Adela comitissa, Bernardus Majoris-monasterii abbas, Robertus Bonæ-vallis Gualterii successor, & Bernardus sancti Launomari Blesensis abbates, necnon Hilgodus Suessionensis episcopus, ejusque frater Andreas subscripsere: tum ex epistola Ivonis [a] episcopi Carnutensis ad Bernardum abbatem Majoris-monasterii, in qua conqueritur, quod quosdam fratres semel ad custodiam animarum dimissos apud se retineat; petitque, ut, omni occasione remota, domnum Gauterium, quondam monasterii Bonæ-vallis abbatem, ad caput jejunii transmittat, *quatenus, audita ab eo sua discessionis causa, solutio ejus a nobis*, inquit, *approbetur: vel, si approbanda non est, consilio & auxilio cooperatorum nostrorum in officio & loco suo plenissime reformetur.* Hæc epistola scribi non potuit ante hunc annum, siquidem Ivo sub finem anni præcedentis ad episcopatum promotus fuit: nec serius hoc anno, quo prædictum placitum habitum est.

a Ivo ep. 4.

X L. Dolensium dissensio.

Quænam causa Gualterium impulerit ad abdicandam præfecturam, discimus ex alia ejusdem Ivonis [b] epistola ad Dolenses monachos, nimirum perturbatio illius monasterii, quam ille nec sedare, nec ferre valens, *ad Majus-monasterium, in quo ad conversionem venerat, compulsus rediit.* Eadem ratio Bernerium Bonæ-vallis monachum adegit, ut ad Dolense agri Bituricensis monasterium secederet: ubi is postea ad abbatialem dignitatem postulatus est. Ejus electionis occasione dissensio ibidem, nonnullis adversantibus, exorta est. Illi mox Ivonem adeunt, qui, convocatis quibusdam de melioribus ecclesiæ suæ fratribus, de Bernerii moribus quæstionem habuit, cui omnes favorabile testimonium perhibuere. Hoc solum abbas Bonæ-vallis & monachi objiciebant, quod sine permissu fratrum e monasterio discessisset. At veniabilem discedendi causam Ivoni habere visus est, nempe sui monasterii perturbationem, ob quam etiam Gualterius abbas illinc discesserat. *Quapropter illa discessio*, ait Ivo,

b ibid. ep. 78.

quæ illi fratri & multis aliis pie sentientibus visa est in melius mutatio, nullum nobis videtur ei facere præjudicium, si vota omnium, vel meliorum in eo conveniant, & mores monastico regimini non congruentes non impediant: maxime cum summus pontifex, cujus est de omni persona & de omni ecclesia judicare, eum ab hoc vinculo absolverit, missas etiam ab eo audierit, & in omnibus sacramentis ecclesiasticis coram religiosis personis sæpe communicaverit. Tum profert quædam religiosorum exempla virorum, qui, relictis probabili causa monasteriis suis, ad Cluniacense monasterium, vel ad alia « monasteria secesserant: qui tamen ad ecclesiasticas dignitates vel monasteriorum « præfecturas promoti sunt: *ex quibus*, inquit, *duo de monasterio Crucis* seu S. Leutfredi, *litterati & religiosi, Guimundus & Robertus, alter ad episcopatum Aversensem, alter ad gubernationem monasterii Aversensis auctoritate apostolica assumti sunt. Arnulfus, Belvacensis monasterii sancti Symphoriani monachus, vir prudens & religiosus, simili de causa relicto monasterio, nunc Cantuariense monasterium regit.* Hæc Bernerii electio facta videtur anno M XCVII. post mortem scilicet Aldeberti Bituricensis archiepiscopi, qui cum archiepiscopatu Dolensem abbatiam retinuit. Per id tempus floruit in Dolensi monasterio Petrus prior seu decanus, cujus epitaphia Baldricus composuit, in quibus ait, eum disciplinæ regularis studiosissimum exactorem fuisse, & strenue restitisse Richardo archiepiscopo, qui Dolenses magnopere infestabat.

ANN. CHR. 1098.

XLI. Blesenses abbates.

Ex præmisso placito pro Majori-monasterio intelligimus, Bernardum abbatem Blesensi monasterio sancti Launomari hoc anno jam præfuisse, post Isembardum scilicet atque Guidonem, qui de magistratu sub Gregorii VII. pontificatu disceptaverant. Bernardus, primum *evangelius domini abbatis*, ut in veteri chronico legitur, id est, si bene conjicio, capellanus, jam abbas factus, abbatiam plurimis *honoribus* seu possessionibus auxisse traditur. Exstat Goffridi [a] Vindocinensis abbatis ad eum epistola, qua ei remittere se dicit quemdam monachum, qui diu apud Vindocinenses moratus, mores suos corrigere noluerat. Ad quam epistolam Sirmundus notat, Bernardum Mauricii sibi videri successorem, quem antecessorem fuisse constat, & quidem intermedio Goffrido seu Gaufrido, qui Bernardo proxime successit ineunte sæculo sequenti. Idem Bernardus interfuit synodo Augustodunensi, in qua controversia de monasterio sancti Dionysii de Nogento, Cluniacenses inter & Carnutenses monachos agitata fuit.

[a] Goffrid. lib. 4. ep. 10.

Philippi regis copula cum Berta.

Nolim omittere hoc loco, tametsi res in speciem parvi momenti est, donationem Majori monasterio factam a Radulfo, filio Lancelini de Balgentiaco, qui Radulfus sancto Martino, ejusque monachis contulit ecclesiam sancti Johannis de Camarciaco cum suis adjunctis, traditione facta *per cavillam Caisninam domno abbati Bernardo in domo monachorum apud Chilziacum mense Maii, ipso anno, quo Philippus rex Francorum accepit uxorem Bertream nomine, uxorem Fulconis Andegavensium comitis, anno videlicet ab incarnatione Domini* M XCII. quæ res multorum motuum occasio & causa fuit. Testes recensentur ex monachis domnus abbas Bernardus, Hilgodus episcopus & Andreas frater ejus, Martinus abbas de Ribomonte, & alii.

XLII. Odo Aurelianensis celebris magister.

Multi hoc tempore florebant apud Gallos viri litterati, quorum plerosque versibus suis celebravit Baldericus abbas Burguliensis, in his præceptorem suum Hubertum, qui Magduni litteras docebat, Frodonem Andegavensem, Audebertum Cenomannensem, & Godefridum Remensem: at mirum est ab eo prætermissum fuisse Odonem popularem suum, utpote domo Aurelianensem, qui publice litteras in urbe Tullensi, dein Tornaci per quinquennium magna cum fama & discipulorum frequentia docuit. Hujus viri commemoratio non strictim facienda est, quippe qui Tornacense sancti Martini monasterium, monachus & abbas illic factus, instauravit. Erat is clericus, oriundus ex urbe, ut modo dicebam, Aurelianensi, patre Gerardo, matreque Cæcilia progenitus, Odoardus vulgo vocatus, a pueritia ita instructus litteris, ut nulli secundus inter Francorum sui temporis magistros haberetur. Hic primo Tulli-Leucorum scholas tenuit, inde a canonicis ecclesiæ Tornacensis adscitus, quinque annis tanta cum existimatione litteras docuit, ut non modo e Flandria, proximisque regionibus, sed etiam ex remotissimis provinciis, Burgundia, Italia & Saxonia discipuli certatim ad eum confluxerint, ad numerum usque ducentorum clericorum. Cum vero liberales artes omnes maxime calleret, præcipue tamen in dialectica excellebat, veteri sectæ eorum, qui Reales vocantur, adhærens præ nova secta Nominalium, quam Raimbertus quidam, famosus magister, tunc in opido

ANN. CHR. 1092.

Insulensi discipulis suis prælegebat. Cum rixæ hac de re fierent, unus e Tornacensis ecclesiæ canonicis, nomine Gualbertus, qui postea Tornaci monachus, ac demum in Catalaunensi sancti Petri monasterio abbas exstitit, quemdam pythonicum, surdum & mutum, nutibus super hac re consuluit, atque ex eo præferendum Odonem intellexit.

Augustini libri de libero arbitrio lectione conversus.

Cum Odo scholæ Tornacensi fere per quinquennium præfuisset, oblatus est ei a quodam clerico liber sancti Augustini *de libero arbitrio*, quem magister comparavit quidem in suæ bibliothecæ supplementum, sed in scrinium cum ceteris libris projecit, quippe qui profanæ litteraturæ totus addictus, magis delectabatur lectione Platonis, quam Augustini. Forte accidit, ut post duos fere menses Boëthii libros *de consolatione philosophiæ* discipulis prælegeret: ubi vero ad quartum librum, in quo de libero arbitrio agitur, pervenisset, recordatus emti libri, eum sibi afferri jussit, si quid forte in eo hac de re observatione dignum reperiret. Tum, lectis duabus tribusve ejus pagellis, sic ea lectione affectus est, ut protinus convocatis discipulis, » inventi thesauri volens eos esse participes: Vere, inquit, hactenus ignoravi, quantæ » facundiæ & doctrinæ esset Augustinus. moxque librum ipsum a capite exorsus, ipso ac sequenti die discipulis legit, & explanavit. Cum vero ad librum tertium pervenisset, in quo sanctus Doctor miseram exponit peccatorum conditionem, qui mundum, fœtidæ cloacæ similem, cælesti gloriæ anteponunt; præ intimo dolore alta suspiria » ex imo pectoris trahens: Heu, inquit, quam stricte ista nos tangit premitque sen» tentia: qui omnia studia nostra in vanæ scientiæ acquisitionem conferimus, divini » cultus omnino immemores & cælestis gloriæ, ea post mortem indigni futuri: quibus » dictis surrexit, totusque lacrymis perfusus ecclesiam ingressus est. Ad hæc tota tur» batur schola, & canonicorum cœtus admiratione percellitur. Deinceps Odo paullatim scholæ se subtraxit, ecclesiam solito amplius frequentavit, nummos congregatos in egenres, maxime clericos, erogavit, jejuniis denique ita carnem attrivit, ut brevi præ macie a multis vix agnosceretur. Non multo post quatuor clerici ei se adjungunt, scilicet Odo abbas, Gerbertus, Rodulfus & Willelmus, præter Lanfridum, qui fuga lapsus misere periit. Verum dubii hærebant, quem statum amplecterentur, canonicorum an monachorum. Utrorumque variis locis exploratis, interim in suburbana sancti Martini ecclesiola, ubi quondam abbaria monachorum fuerat, sed a paganis destructa, & fere in solitudinem redacta, simul habitare cœperunt. Tali exemplo recreati cives Tornacenses Rabodum episcopum rogant, ut ne Odonem, ejusque socios alio migrare permittat. Ea res grata episcopo, qui ea de re Odonem interpellat: sed, cum ille nullo certo responso reddito ab episcopali domo recessisset, religiosum [a] presbyterum, nomine Gislebertum, qui in illis partibus tunc temporis velut propheta habebatur, in Elnonensi sancti Petri ecclesia postea humatus, adhibet piissimus præsul, ut ad suum, civiumque assensum Odonem flectat. Gisleberti sermone victus Odo, se illic remansurum pollicetur, si modo liberum sibi locum præstaret episcopus. Hinc ille magnopere exhilaratus, canonicorum assensum expetit: illi quasi futurorum conjectores, negant ac pernegant. Tum vero episcopus ea, qua pollebat, auctoritate, prædictam sancti Martini ecclesiolam, quæ sui juris erat, Odoni ejusque sociis absolute tradit, eosque sollemni processione in eam deducit VI. nonas Maii, quæ dies dominica erat, anno dominicæ incarnationis M XCII. eosque ibidem sub regula sancti Augustini in habitu clericali Deo servituros dimisit. Hæc omnia fuse commemorat Herimannus abbas [b] in libro de restauratione abbatiæ sancti Martini Tornacensis. Quomodo autem Odo, ejusque socii monasticam vitam professi sint, inferius exponemus. Tunc temporis sacro igne tota fere provincia contacta est, in primis urbs Tornacensis, ubi non solum ex urbe, sed etiam e remotis regionibus plurimi igne illo adusti, ad ecclesiam B. Mariæ gregatim deferebantur. Tunc episcopus ex illa principe ecclesia ad sancti Martini ecclesiolam in die exaltationis sanctæ Crucis sollemnem indixit processionem, quæ nudis pedibus facta est, deinceps ad nostrum usque tempus, inquit Herimannus, ipsa die continuata. Ceterum præter ea, quæ ille auctor de Odone habet, nonnulla etiam discimus ex Godefridi Remensis magistri, ejus amici, versibus in quibus Odonis natalium nobilitas, & excellentia ejus ingenii ac doctrinæ summopere prædicantur. Inter alia vero ejus opuscula laudat libellum de bello Trojano, quem ab eo editum esse scribit. Hoc Godefridi opus, *somnium de Odone Aurelianensi* inscriptum, hactenus, ut reor, ineditum invenimus in

[a] V. lib. 69. n. 17.

[b] Spicil. to. 12. p. 358. & seqq. V. lib. 12. n. 21.

codice collegii societatis Jesu Parisiensis ante annos quingentos scripto. Ex quo, cum libellum integrum referre supervacaneum forte videretur, aliquot versus excerpsimus, in Appendice exhibendos. In eodem codice vidimus aliud carmen haud exiguum de primis Geneseos versibus, seu opere sex dierum, quod etsi *Odonis episcopi Aurelianensis* nomen præferat, nostri Odonis esse suspicamur, quod nullus ejus nominis antistes in toto Aurelianensium episcoporum catalogo occurrat, aliundeque Odo & Aurelianensis, & episcopus fuerit. De aliis ejus operibus [a] inferius agemus, istud vero sic incipit.

[a] *V. lib.* 71. *num.* 57.

Omnipotens in principio cælumque solumque.

XLIII. Wolbodo in sancti Laurentii abbatiam denuo intrusus.

Jam ab aliquot annis Leodicense sancti Laurentii monasterium recte administrabat Beringerus seu Berengerus abbas, & damna a Wolbodone dilapidatore illata sarciebat, cum in locum demortui Heinrici episcopi Obertus ab Heinrico rege subintroductus, in mandatis accepit, ut, ejecto Berengero, quem sibi haud assentari noverat, Wolbodonem abbatem restitueret. Citatus ad novi episcopi audientiam Berengerus, innocentiam suam in cassum exposuit. Rex jubet, ait Obertus, ut abscedas. Nempe id unum crimen quod ei non faveret. Ubi nec innocentia, nec æquitas apud Obertum valere vidit Berengerus, in optatam Andaginensis monasterii, unde primum prodierat, solitudinem se retulit. Illic eum excepit humanissime Theodericus abbas, ejus nominis secundus, eique cellam Everni-curtis in diœcesi Remensi incolendam assignavit. Restitutus in pristinum locum Wolbodo susque deque vertit pro suo more omnia, dum tandem ejus pravitatem diutius ferre non valentes monachi, nobilium virorum, in primis Godefridi Bullionii, qui forte Leodii tum ad sacrum bellum se comparabat, auctoritate implorata, lupum illum denno removeri curarunt, & ab episcopo revocari Berengerum, qui regularem disciplinam in pristinum nitorem, & rem familiarem brevi restituit ad annum usque M C XIII. superstes.

Gemblacenses abbates.

In additionibus ad Sigeberti chronicon Thietmarus Gemmelacensis abbas hoc anno obiisse traditur, & Lietardus ei successisse. Hic a pueritia sub disciplina Olberti abbatis, cujus superius meminimus, probe [b] institutus, regularis vitæ studio excelluit. Cum sibi ipse nihil indulgeret, fratribus pia discretione condescendebat. Erat tunc jam a multo tempore illic consuetudo, ut quarta & sexta feria, maxime diebus adventus Domini, & quadragesimæ, jejunium usque ad vesperam protraheretur. Hunc morem ille servare instituit: at fratribus *congruam tempori refectionem* exhiberi jubebat; malens eos voluntarie proposito quiddam superaddere, quam præcepto suo coactos abstinere. Raro, aut numquam in camera sua prandebat aut cænabat, nisi alicujus præcipui hospitis ad id eum cogeret necessitas.

[b] *Spicil. to.* 10. p. 537.

XLIV. Ruperti primordia & institutio.

Illud maxime cedit in laudem Berengeri abbatis, quod sub ejus disciplina Rupertus, ille quondam piissimus & pro suo tempore doctissimus Tuitiensis abbas, prima vitæ monasticæ & litterarum studia posuerit. De ejus patria nihildum compertum. Eum tamen ex Leodicensi urbe vel pago ortum fuisse suadet ejus institutio a puero in monasterio sancti Laurentii in monte Leodii exacta, ubi Berengerum abbatem in religione monastica, Heribrandum, qui Berengero postmodum successit, in litteris præceptorem habuit, ut ipse testatur in epistola ad Cunonem Sigebergensem abbatem, libris de Trinitate præmissa. Cum tardioris esset ingenii, & improbo labore parum in studiis proficeret, ad Sapientiæ increatæ matrem confugit, atque ad ejus marmoream imaginem, quæ hodie quoque apud sanctum Laurentium visitur, in genua profusus, se divinarum litterarum scientia donandum cælitus intellexit. Ubi multum cum in pietate, tum in litteris progressum fecit, eum sacerdotio insigniri voluit Berengerus. Varias ille causas opponebat, sed tandem cælesti ostento victus jubenti paruit. Factum ipse narrat libro XII. in Matthæum, ubi ait, sibi in lectulo dies antiquos & æternos meditanti, & postea dormienti, visum fuisse Christum Dominum, qui ipsi osculum impresserit. quo viso expergefactus intellexit, se divinorum sacramentorum profunda deinceps clarius intellecturum. *Inter ea*, inquit, *paullatim amor illius sacerdotalis officii menti se se infudit, tantumque excrevit, ut mox die facto dicerem patri meo spirituali*, scilicet Berengero, *me non velle amplius reniti, immo velle ire cum primum juberet, & suscipere jugum Domini, causa tamen tacita, quæ acciderat. Gratulatus est, & ut primum adfuit tempus ordinationis, hunc sacrum, licet indignus, ordinem suscepi.* Quibus verbis ipse nesciens satis declarat, quanta jam tum fuerit ipsius

ANN. CHR. 1092.

sanctimonia. Præter conscientiam indignitatis suæ, quæ eum a sacerdotio deterrebat, idem ipse aliam ibidem affert causam, nempe quod eatenus ecclesiam vexaverat discordia propter sedis apostolicæ conturbationem, *qua tamen mortuis auctoribus paullulum conquieverat*. Hinc est quod schismaticos episcopos devitabat, & ab illis sacerdotium suscipere nolebat. tametsi *quislibet*, ait ille, *ecclesiæ sacramentorum Christi minister, quamdiu in concione universitatis manet, quidquid administrat ratum est.* Ex quibus colligi potest, Rupertum nonnisi postmortem Wiberti antipapæ, quæ anno M C. accidit, sacerdotio initiatum fuisse.

XLV. S. Vincentii abbatia Vesontionensis.

Exstat apud Vesontionem insignis sancti Vincentii abbatia, quam Hugo archiepiscopus, ejus nominis secundus, ædificare cœpit, sed morte præventus omnino perficere non potuit. Piis ejus cœptis insistens Hugo tertins ejus successor supremam operi manum imposuit, & monachis jam ab antecessore institutis primum abbatem, nomine Achardum, *venerabilis vitæ virum* præfecit, ut ipse in suis litteris [a] loquitur, *benignissima illud adimplens affectione, ad quod ejus antecessor bonæ memoriæ secundus Hugo archiepiscopus omni adspiraverat studio*. Idem multa eidem abbatiæ beneficia confert, & quia matri ecclesiæ vicinius adhæret, eam honore & dignitate insigniri volens, ipsius abbatem in ecclesia sancti Johannis-Evangelistæ inter ejus canonicos *dignitate & numero* censeri constituit. Ad hæc districte vetat, ne prædicta sancti Vincentii ecclesia in prioratum umquam redigatur, alterive ecclesiæ subjiciatur, sed tantum Bisontino pontifici subjaceat; statuitque, ut in synodo & in aliis, quæ ad suum ipsius officium pertinent, abbas in ecclesia Bisontinensi vicarius suus exsistat, & in consessu præ omnibus abbatibus primum post Bisontinum pontificem locum obtineat. *Acta* v. *kal. Novembris, anno quarto ordinationis domni tertii Hugonis Chrysopolitani archiepiscopi, regnante Heinrico tertio Romanorum imperatore Augusto, anno ab incarnatione Domini* M XCII. *indictione* XV. Perstat etiam nunc sub Benedictina sancti Vitoni congregatione hoc monasterium, cujus abbates Chiffletius in sua Vesontione exhibet.

[a] *Vesontio part. 2. p. 230.*

Laïensis cellæ dedicatio.

Jam actum est non semel de cella sancti Chlodulfi apud Laïum, cujus *monasterium*, id est ecclesiam, Antonius, tunc ejus cellæ præpositus, postmodum abbas [a] Senoniensis, multum amplificavit. Ea perfecta, placuit sancti Chlodulfi corpus e veteri in novam transferre ecclesiam. quod dum fieret, tres lapides ex novo ædificio in medium turbæ, quæ illuc multa confluxerat, deciderunt, nec quemquam læserunt, ut ex veteri sancti Arnulfi codice discimus. Id sine dubio contigit post novi templi dedicationem, quam hoc anno a Pibone Tullensi episcopo factam fuisse constat ex litteris cujusdam nobilis viri Matfridi, & uxoris ejus Cunegundis, qui hoc ipso anno Deo & B. Chlodulfo ecclesiam, quæ in alodio suo Wissa exstabat, contulerunt, pro animabus Evononis & Marthæ antecessorum suorum, sed in primis pro anima domnæ Marthæ, prædictæ Cunegundis matris, cujus corpus in medio chori sepultum esse dicitur, *& ex cujus parte ipsa cella venit. Hoc totum factum est Laio publice & legitime* XV. *kal. Novembris, ipso die consecrationis monasterii, præsente domno episcopo Tullensi Pibone*. Idem episcopus paullo post Beatricem, sororem Friderici marchionis, & uxorem quondam Bertholdi ducis, quæ post diuturnam infirmitatem VII. kal. Novembris hoc anno decesserat, *in civitate Leucorum*, sepelivit, ut Bertholdus tradit.

[a] *supra n. 14.*

XLVI. Res Germanicæ.

Eodem anno, ex eodem auctore, Cuno comes *de Wlfelingem strenuissimus miles sancti Petri* diem clausit extremum idibus Octobris, & in monasterio, quod ipse cum fratre suo Liutolfo in proprio alodio fundaverat, scilicet Zwifaltensi, honorifice sepultus est. Ad ipsum tempus idem auctor refert quod superius diximus, nimirum quod Udalricus, qui abbatiam sancti Galli & Aquileiensem episcopatum non legitime obtinebat, per quemdam [b] sui monasterii monachum, scilicet Arnoldum, expellere conatus sit, Heinrico rege favente, Gebehardum Constantiensem episcopum; sed quod invasor ille a civibus repulsus sit.

[b] *V. lib. 67. n. 22.*

Marcwardus episcopus Corbeiam repetit.

Vix annum quartum Osnabrugensi in episcopatu exegerat Marcwardus, Corbeiæ-novæ quondam abbas, cum *ad matrem suam*, id est Corbeiam, rediit, cui denuo præfuit. Ejus discessus causa, uti nos docent Annales Corbeïenses, fuit odium regis Heinrici, cui minus addictus erat quam papæ. Hinc factum est quod ait Bertholdus ad hunc annum, ut post sublatum anno sequenre Wernherum Merseburgensem episcopum, vix ullus in tota Saxonia repertus sit catholicæ communionis episcopus. Ille Corbeiam optime rexit, sollicitus cum de regulari disciplina, tum de studiis ac de libris. unde legem edidit, ut quivis novitius die professionis suæ librum utilem & ali-

quanti pretii bibliothecæ conferret. Ad hæc constituit, ut quilibet cellarum præpositus, aut quivis alius historiarum peritus, monasterii sui chronicon colligeret, ipsique mitteret ad futuram posterorum memoriam. Denique eo in abbatiam restituto, colonia e nova Corbeia deducta est in Bursfeldense monasterium, ut inferius dicturi sumus. In prædictis Annalibus ad hunc annum Waramundus, Corbeiæ monachus, dicitur factus abbas, & anno sequenti Thiatmarus; sed ubi, non dicitur. Forte alteruter Bursfeldensis monasterii primus fuit abbas. Tunc Becelinus bibliothecæ custos erat, cui sub meridiem in eam ingresso quidam Ansgarii archiepiscopi speciè ad mensam sedens, & psalmos Davidicos legens visus est, qui bono animo eum esse jussit.

ANN CHR. 1092.

INsequente anno MXCIII. res Heinrici regis in Italia & in Germania pessum abire cœperunt. In primis quippe Conradus ejus filius in patrem rebellavit, ob eam, si Dodechino credimus, causam, quod matris honori, ut pater suadebat, vim inferre detrectantem, ira odioque accensus pater spurium dixisset. Hinc regina, quam Dodechinus Adelhaidem, nonnulli Praxedem, chronographus Saxonicus nondum editus Bertam vocat, e custodia elapsa, ad Mathildem comitissam confugit. Mathildis vero benigne exceptam pontifici commendavit, qui ei ut in monasterium secederet auctor fuit. Conradus & ipse a patre captus, sed mox fuga elapsus, ad Urbanum itidem se contulit, cujus auctoritate regnum adversus patrem in Lombardia suscepit, idque summa cum omnium gratia per novem annos administravit, ac Rogerii Siciliæ ducis filiam sibi matrimonio copulavit. Nec meliori loco erant Heinrici partes in Germania. Gebehardus quippe Constantiensis episcopus e nostris & apostolicæ sedis legatus, conventu apud Ulmam * habito, cum Welfone duce Bajoariæ & cum proprio fratre Bertholdo Alemanniæ duce, ceterisque ejusdem regionis principibus compactum in duos annos contra Heinricum sub jurejurando iniri curavit, uno excepto Arnoldo Constantiensis ecclesiæ invasore. Inter hæc rex Heinricus Veronam se recepit: Urbanus vero sub finem hujus anni Romam adiit, ubi nativitatem Domini sollemniter celebravit, permissis in Urbe Wiberti asseclis non paucis, malens eorum injuriam ad tempus tolerare, quam Romanos cives armorum tumultu perturbare.

ANN. CHR. 1093. XLVII. Qualis rerum civilium status.

* Ulma.

In Gallia quoque res turbatissimæ fuerunt ob divortium Philippi regis, qui, Berta uxore legitima repudiata, Bertradam, Fulconis Andecavorum comitis uxorem, Turonis [a] in vigilia pentecostes abstraxit, thoroque sociavit; ob idque Francia interdicto supposita, & Philippus ipse sacris abstentus. Nullus Francorum præsulum, testante Orderico [b], hanc exsecrandam desponsationem celebrare voluit, uno excepto Odone Bajocensi episcopo, qui pro mercede infaustæ copulationis ecclesias Medanti opidi aliquamdiu habuisse dicitur. Non defuit officio hac in re Urbanus papa, etsi gravibus implicatus negotiis; sed, missis in Galliam legatis, regem redarguit, obsecravit, increpavit; at nihil profecit: attamen toto illo tempore nec diadema, nec purpuram portavit, nec ullam sollemnitatem regio more celebravit. Permissu tamen præsulum privatam missam a capellano suo audiebat. Hæc aliaque plura Ordericus, qui Bertradam regi usque ad ejus mortem adhæsisse scribit.

a Chron. Turon.

b Orderic. lib. 8. p. 699.

In Anglia necdum res bene composita erant, plerisque ecclesiis & abbatiis pastore destitutis, cum necdum Cantuariensis ecclesia rectorem haberet: sed tandem diutina illa quatuor annorum vacatio hoc anno finita est.

Actum est superius [c] de itinere Anselmi Beccensis abbatis in Angliam, ubi quinque menses, tum ordinandi Cestrensis monasterii causa, tum pro abbatiæ suæ negotiis moratus est, priusquam de sufficiendo Cantuariensi ecclesiæ, quæ jam a quadriennio vacabat, archiepiscopo ageretur. Jam vero fere securus a timore, qui eum ab illo itinere diu revocaverat, ne scilicet vel ad hanc dignitatem promoveretur, vel saltem adspirare videretur, reditum in Neustriam parabat, cum ei regrediendi facultas a rege negata est. Interim regni primores, Cantuariensis ecclesiæ desolationem diuturnam gravate ferentes, cum gratia *dominicæ nativitatis ad curiam regis pro more venissent*, communi consilio regem interpellant, ut saltem publicas preces fieri sinat, quo Deus ecclesiæ jam dudum orbatæ dignum regi pastorem suggereret. Id nonnisi ægre permisit rex: tumque rogatus ab episcopis Anselmus, modum ac formam publicarum precationum ordinavit, quæ per omnes Anglorum ecclesias factæ sunt. Interim die

XLVIII. Anselmus Cantuariæ archiepiscopus invitus eligitur.

c V. supra n. 33.

ANN. CHR. 1093.

quadam unus e regni principibus regi suggessit, nullum tantæ sanctitatis hominem sibi notum esse quam Anselmum, quippe qui nihil præter Deum amaret, nihil transitorium cuperet. Ad quod rex cachinnans: Nec archiepiscopatum Cantuariensem scilicet, inquit. Nec illum quidem, ait aulicus, uti mea multorumque opinio est. Et ego, rex infit, in amplexus ejus ruam, si eum a me extorquere poterit. nam, me invito, nec illi, nec ulli alteri dabitur. Hæc ubi dicta, gravissimus e vestigio morbus regem corripuit, & crescens in dies ita vexavit, ut jam de ejus vita desperaretur. Tum vero de ejus animæ salute cura adstantes sollicitat, ob idque ægro suggeritur, ut carceres aperiat, captivos solvat, debita relaxet, sed in primis ecclesiis desolatis, maxime Cantuariensi pastores præfici ne diutius differat. Tunc Anselmus horum inscius, in quadam villa morabatur haud longe a Glocestria, ubi rex infirmabatur. Mandatum ergo illi, ut quantocius ad regem veniat, morienti adfuturus. Mox ipse adest, ingressusque ad regem suadet, ut peccata confessione expiet, satisfactionem & emendationem promittat, ceteraque exsequatur, quæ prius ei suggesta fuerant. Rex omnia spondet, vades offert episcopos, atque hac de re diploma scribi jubet, regioque sigillo munitum super altare poni in promissorum fidem.

Primum omnium communi totius regni matri ecclesiæ pastorem præponendum suadetur: Anselmum tali honore dignissimum omnes concordi voce acclamant. rex ipse annuit. Ad hoc nuntium vir modestissimus expavit, expalluit, reclamavit, seque ad regis præsentiam trahi non sustinnit. Ad quem episcopi: Quid agis, quid Deo restitas? Vides quo in statu sint res Anglicanæ. Omnia in confusionem versa; licentiæ & sceleribus omnibus fræna laxata. Ecclesia Cantuariensis, cujus oppressione omnes oppressi sumus, fere destructa & pessum data, te vocat, te liberatorem, te sospitatorem quærit, exoptatque. Rex ipse, cujus ferocia in has miserias devenimus, dat manus: tune solus » matri ecclesiæ subvenire renuis? Ad hæc reponebat vir Dei: Multas quidem & magnas » esse Anglicanæ ecclesiæ miserias ac labes: at se jam senem, utpote sexagenarium, tantis » malis medendis, tanto oneri imparem esse; se, ex quo monachus factus sit, rebus » sæcularibus nuntium remisisse, quibus, ea saltem ætate, denuo implicari nolit. Nos vero, inquiunt illi, rerum sæcularium curam in nos suscipiemus: tantum spirituali» bus intendas. Atqui impossibile est ait, quod dicitis. Unum spectat duplex hæc sol» licitudo. Deinde abbas sum monasterii, cui me ipsum sub archiepiscopo, cui obe» dientiam; & sub terreno principe, cui subjectionem, debeo. Illi vero se facile om» nium assensum impetraturos regerunt. Nec mora, hominem ad regem lecto decumbentem vi pertrahunt. Visa ejus in negando pervicacia, rex pæne ad lacrymas tristitia affectus, obtestatur, ut ne se pœnis æternis cruciandum exponat. recordetur constantis amicitiæ, quam ipsius parentes ipsi, suisque Beccensibus semper exhibuerant. ne patiatur eorum filium corpore simul & anima perire. *Certus sum enim*, inquit, *quod peribo, si archiepiscopatum in meo dominio retinens vitam finiero.* His verbis commoti omnes præter Anselmum, cui mortem regis, Angliæ perturbationes, omnia denique crimina, quæ deinceps consecutura essent, imputatum iri affirmant, ni archiepiscopatum subeat. In his angustiis conversus ad duos, qui se comitabantur monachos, Balduinum & Eustachium; Eccur, inquit, mihi non subvenitis? professus se, si Deus sinat, mori malle, quam talem subire sarcinam. Ad quod Balduinus: Si Dei voluntas est, ut id ita fiat, quales sumus nos, ut ei contradicamus? Ad hæc verba lacrymæ ex oculis, sanguis e naribus, veri doloris certa indicia, Anselmo ubertim eruperunt. Tanta demum obstinatione fatigatus rex, fatigati omnes, virgam pastoralem afferri jubent, eamque, velit, nolit, ejus digitis, quos volæ infixos tenebat, rege porrigente, vi aptant; moxque *Vivat* acclamantibus omnibus, canticum *Te Deum* inchoatur. &, dum continuatur, Anselmus ad ecclesiam portatur potius quam ducitur. Ritibus solitis in ecclesia peractis, ille ad regem redit; prædicitque eum ex hac infirmitate non moriturum. tantum ut infectum esse jubeat, quod de se mox factum est. His dictis, ab eo discessit, multaque ad eos, qui se comitabantur, de sua ad tantæ dignitatis molem sustinendam impotentia, præsertim sub eo rege, lacrymans peroravit. quod perinde esset, atque taurum indomitum, & vetulam debilemque ovem in aratro sub eodem jugo conjungere. Acta sunt hæc, teste Eadmero, anno incarnationis dominicæ M XCIII. pridie nonas Martii, prima dominica quadragesimæ. Mox præcepit rex, ut Anselmus de omnibus ad archiepiscopatum pertinentibus incunctanter investiretur, speciatim de abbatia sancti Albani, quam

Lanfrancus

Lanfrancus, ejusque antecessores jam habuerant. quod exsecutioni statim demandatum est, Gundulfo Roffensi episcopo Anselmum per omnes villas deducente, & amico necessaria procurante.

XLIX. Consentientibus omnibus consecratur.

Inter ea missi a rege in Neustriam nuntii, comitis, archiepiscopi, & Beccensium super hac electione consensum eliciunt. Assensit in primis Willelmus archiepiscopus, scriptis tum ad regem, tum ad Anselmum litteris. Quæ ad Anselmum missæ sunt, hanc præferunt inscriptionem: *Frater Guillelmus archiepiscopus domino & amico Anselmo, Dei benedictionem & nostram.* Epistolæ hæc summa est, ut divinæ voluntati hac in re se subjiciat. Ejusdem argumenti epistolæ a comite & Beccensibus datæ. quibus acceptis, rex Anselmum per se suosque convenit, petitque, ut Cantuariensis ecclesiæ prædia, quæ post mortem Lanfranci suis pro eorum obsequiis dederat, sui causa cederet. At nullo pacto rex ejus consensum extorquere potuit. quæ res prima discidii fuit occasio, Anselmo gaudente, quod hac occasione prælationis onere se exonerandum speraret, non modo archiepiscopalis, sed etiam abbatialis. Jam enim virgam abbatialem ad Beccenses remiserat. Verum contra accidit. Rex enim, auditis omnium hac de re querimoniis, adunato Wintoniæ conventu, Anselmum eo accersivit, multisque promissionibus illecto, ut primatum Anglorum ecclesiæ susciperet, tandem persuasit. Post hæc Cantuariam adiit Anselmus VII. kal. Octobris summa omnium, monachorum, clericorum, totiusque plebis jubilatione acceptus; ibique tandem a Thoma Eboracensi archiepiscopo, præsentibus præter duos omnibus Anglorum episcopis, pridie nonas Decembris consecratus est. quæ omnia fuse ac distincte commemorat Eadmerus. Nec illud omittendum, quod ipsa die, qua decessit Anselmus alter Mediolanensis archipræsul, Urbani partibus tunc addictissimus, eadem etiam consecratus est Anselmus Cantuariæ archiepiscopus & Angliæ primas, qui Urbano quoque ab initio se obsequi palam professus est, cum rex ipse & episcopi plerique Anglicani necdum Wiberto Urbanum absolute prætulissent. Dein octavo a consecratione die peracto, ad curiam regis instante nativitate Domini profectus, festive ab eo, cunctisque aulicis exceptus est. Verum hæc lætitia non diu tenuit. nam ubi rex, ut vir sanctus prædixerat, convaluit, ecclesias, totumque regnum malis artibus exactionibusque vexare ac turbare instirit. quod multas viro Dei molestias facessivit.

L. Anselmi hac de re epistolæ.

De hac electione complures exstant tum Anselmi, tum aliorum epistolæ initio libri tertii ejus epistolarum. Prima est ipsius Anselmi ad suos Beccenses, quibus significat factam de se invito electionem, cui ut consentiant suadet, quando id aliter fieri nequit. Secunda est Osberni Cantuariensis monachi, Anselmum hortantis ad suscipiendum archiepiscopatum, ad quem tot divinis indiciis vocatus sit. *Quid namque insignius*, inquit, *ad te eligendum ostenderet Deus, quam, ut tu promovereris, regem triumphis nobilem, severitate cunctis formidabilem, lecto decubuisse, ad mortem usque agrotavisse; te autem provecto statim eumdem respiravisse, convaluisse, atque ex fero & immani mitissimum pariter ac mansuetissimum redditum fuisse? Quid, inquam, aut ad effectum dulcius, aut ad innocentiam præstantius, quam te ante lectum ægrotantis violenter pertractum, dextram aliorum dextris impudenter de sinu extractam; sinistram, ne sororem juvaret, fortiter retentam; virgam, ceteris digitulis pertinaciter occlusis, pollici atque indici crudeliter impactam; post hac toto corpore e terra te elevatum, episcopalibus brachiis ad ecclesiam deportatum, ibique, adhuc te reclamante, & importunis minis obsistente,* TE DEUM LAUDAMUS *esse cantatum? Quid, inquam, vel ad divinas laudes magnificentius, vel ad humana spectacula gaudentius, quam quod in tua electione, exclusis omnibus transacta tempestatis afflictionibus, omnia ad proprii juris possessionem, veluti jubileo termino cucurrerunt: dum vincti ad expeditionem, carcerati ad lucem, captivi ad libertatem, oppressi diris nimis exactorum furoribus, redierint ad erectionem? Omnia hac te loquuntur, tibi famulantur, tuis meritis adscribuntur.* Hæc, pluraque alia Osbernus, omnino conformia his, quæ de hac electione tradit Eadmerus, æqualis, ut ille, auctor. Tertia ejusdem libri tertii epistola est Gundulfi Roffensis episcopi ad Beccenses, ut ne tristentur de erepto sibi abbate. Quarta Anselmus ipse Beccenses monet, ut sibi, regique consensum suum litteris testentur. Quinta est prædicti Osberni, Anselmum hortantis ad accelerandam suam consecrarionem. *Recuperemus in te*, inquit, *quod in mortuo sanctissimo patre Lanfranco perdidimus: quem mortuum semper dolebimus, quoadusque illum in te viderimus.* Sexta est ipsorum Beccensium ad Anselmum, qua ei significant, quosdam e suis ejus electioni, tametsi gravate, consen-

ANN. CHR. 1093.

sisse; quosdam se numquam consensuros testatos fuisse.

Septimam scripsit Anselmus ipse ad eosdem Beccenses, a quibus se abstractum ægerrime ferre asserit, nec ficta humilitate, quæ quorumdam malevolorum calumnia erat, recusasse diu archiepiscopatum. *Quibus nescio*, inquit, *quomodo possim persuadere, qua sit in hac re conscientia mea, si illis non satisfacit vita & conversatio mea. Sic enim vixi jam per trigiuta tres annos in habitu monachico, tribus scilicet sine prælatione, quindecim in prioratu, totidem in abbatia annis, ut omnes boni me diligerent, qui me noverunt, non mea industria, sed gratia Dei faciente; & magis illi, qui me interius & familiarius noverunt: nec aliquis in me videret aliquod opus, unde me prælatione delectari cognosceret.* Ideo autem vir sanctus ab illa calumnia se purgat, ne amicis & » fratribus suis hæc scandalum & offendiculum ingeneraret; Deumque testem invo» cat, se, si salva obedientia & caritate ipsi liceret, malle sub prælato monachum » vivere & obedire, atque ab eo necessaria accipere, quam aliis hominibus præesse ac » dominari, terrenisque opibus affluere. Tum subdit: *Domine, si fallit me conscientia mea, ostende mihi me ipsum, & corrige me, & dirige in conspectu tuo viam meam; & , sive mihi placeat, ut quod inceptum est ab hominibus de mea electione fiat, sive potius ut non fiat; dirige me in via tua, & ingrediar in veritate tua. Domine, tu vides, sicut dixi, conscientiam meam: tu esto mihi testis ad eos, qui aliter de me suspicantur, & ostende illis eam, ne lædant suas aut aliorum animas, male eam judicantes.* Dein Beccensibus facit satis, quod, cum se ipsis tradidisset in servum *in nomine Domini*, electioni tamen suæ in archiepiscopum consensisset. quæ omnia ideo a se scripta dicit, ne falsi calumniatores sui alios veneno suæ calumniæ inficiant. In fine Beccenses consolatur, quod ab eis avulsus sit, rogatque ut hanc epistolam amicis suis episcopis & abbatibus ostendant ad diluendam, si quæ in ipsis esset, sinistram de se opinionem. qua de re peculiares litteras Gisleberto Ebroicensi, & Fulconi Belvacensi episcopis scribit.

LI. Willelmus in abbatia ei sufficitus.

Hac eadem epistola Beccenses insuper hortatur, ut abbatem quantocius eligant. Antequam fieret electio, Anselmo scripserat Rotbertus dux Nortmannorum, ejusque hac de re consilium expetierat, uti Anselmus ipse in litteris [a] ad suos Beccenses testatur, eosdem monens, ut, cum ad ipsum epistolam sibi soli legendam scripturi essent, *non nimis sit gracilis scriptura. Postquam enim*, inquit, *illud, quod de me inceptum esse mecum doletis, contigit; multa diurna & nocturna lacrymæ visui meo nimis nocuerunt. Non enim celsitudo, aut opulentia archiepiscopatus eas tantum valuerunt sua consolatione reprimere, quantum timor & tædium ejus eas potuerunt sua perturbatione exprimere.* Quemnam sibi in abbatia successorem Rotberto duci suggesserit, discimus ex alia ejus epistola [b] ad Baldricum priorem aliosque Beccenses, quibus eligendum proponit Willelmum, *qui prior fuit apud Pexeium*; præcipitque Baldrico priori, ut ipse, quicumque sit abbas, locum suum ne deserat, nisi ejus ipsiusque Anselmi consensu. Eumdem rursus Willelmum eligendum suggerit in epistola XIV. ad amicum suum Eudonem, Nortmanniæ ducis dapiferum, *quamvis plures alii sint inter eos*, inquit, scilicet Beccenses, *hac prælatione non indigni*. Willelmus iste ex nobili Nortmannorum prosapia originem ducebat, in castro Montis-fortis super Rillam natus clarissimis parentibus, Turstino & Albereta, quæ Rogerii de Bello-monte, patris Rotberti comitis, neptis erat. Post litterarum studia in Beccense monasterium anno ætatis vicesimo-quinto admissus est ab Anselmo abbate, quo magistro insignem in virtutibus progressum fecit, ab eodem institutus prior apud Pexeium * in diœcesi Carnutensi, de quo infra. Anselmi litteris a Girardo monacho Beccum allatis, quibus Willelmum sui in abbatiali dignitate successorem designabat, lectisque in Beccensi capitulo die festo assumtionis B. Mariæ, in sequentem Octobrem dilata electio est. Adfuit ad condictum diem Anselmi rogatu Rogerius ex monacho Beccensi primus abbas Exaquensis. Assensere omnes, aut fere omnes Anselmi sententiæ, & Willelmum abbatem dixerunt. Probata a Rotberto duce electio, electusque ab eo gratiose acceptus; moxque Beccum reductus a Rotberto filio Anschitilli, ejusdem Willelmi consobrini, agente Rotberto comite Mellentensi, qui omnibus ministris suis mandavit, ne quis suorum novo abbati, ejusque hominibus ullam molestiam inferret. Rediit itaque Beccum Willelmus pridie festi dedicationis illius ecclesiæ, quod x. kal. Novembris celebratur, totumque ipsius festi officium complevit: at vero sedem abbatialem non insedit ante acceptam benedictionem ab archiepiscopo Rotomagensi, quæ in pro-

[a] Anselm. lib. 3. ep. 15.

[b] ibid. ep. 8.

* Poissy.

ximum mensem Augustum dilata est. Hic tertius est abbas percelebris Beccensis monasterii, ubi sub Anselmo abbate monachi octoginta supra centum in veteri scheda recensentur.

LII. Cantuariæ abbates S Petri.

In suburbano sancti Augustini apud Cantuariam monasterio e vita migravit Wido abbas hoc anno, ut tradit Simeon Dunelmensis, Willelmo Thorno præferendus, qui ejus obitum triennio prævertit. Eo mortuo, Augustinenses monachi regem Willelmum adeunt, eligendi successoris facultatem impetraturi. Ille vero abnuit dicens, se velle omnes baculos [a] pastorales per totam Angliam in potestate sua habere, & de eis pro libito agere. Tunc enim ecclesiæ in toto regno sub licitatione venales erant. Itaque spe sua frustrati monachi, domum tristes & anxii redeunt. Erat tunc temporis in illo cœnobio quidam novitius monachus, sed ætate jam & moribus gravis, natione Nortmannus, regisque Willelmi consanguineus, nomine Hugo de Floriaco, qui Willelmo Conquæstori ejusque filio æquivoco strenue militaverat. Is quondam cum Willelmo Ruso Cantuariam profectus, sancti Augustini monasterium adiit, ubi monacborum conversatione mirifice delectatus, se in eorum consortium admitti postulavit, rege non tantum annuente, sed etiam flagitante. Postulati compos, in patriam rediit, rebusque in consanguineos & egenos distractis, prædictum monasterium repetiit, ibique a Widone abbate monastica veste indutus est. Vix annum probationis tunc expleverat, cum fratres ut regem emollirent, de eo eligendo consilium iniere, rati Willelmum regem ejus electioni haud ægre assensurum. Et quidem ut ille consanguineum suum vidit, olim sibi, tunc Christo militantem, animo consternatus in has voces cum lacrymis erupit: Hunc meum consanguineum vobis abbatem concedo, quem nisi susceperitis, monasterium vestrum in favillas redigam. Tum vero monachi baud gravate regis voluntati paruerunt, unusque obsistebat Hugo, suam cum in litteris, tum in religione monastica imperitiam obtendens. At regi & monachis obtemperare coactus est, sicque in præfectura se gessit, ut neminem ejus electionis pœnituerit. Diu ejus ordinatio dilata fuit, propterea quod nondum sacros ordines haberet, teste Eadmero [b], qui eum Beccensem vocat.

a *Thorn. p. 1794.*

b *Eadm. hist. nov. lib. 4.*

Ernulfus prior in ecclesia Christi.

Ubi primum in sede Cantuariensi constitutus est Anselmus, Ernulfum in ecclesia Cbristi priorem instituit, ut scribit Willelmus Malmesburiensis, ex quo quis, qualisve fuerit Ernulfus discimus. Sic enim ille in libro primo de pontificibus Anglorum, ubi de Roffensibus episcopis agit. *Ernulfus natione Gallus, apud cænobium sancti Luciani in Bellovaco non paucum tempus monachus egit. Sed, cum nonnulla plena insolentiæ videret, quæ nec emendare posset, nec pati vellet; discessum intendit, quæsito prius a Lanfranco consilio; incunctanter facturus quidquid ille jubendum putasset. Ille qui hominis industriam calleret, (nam & apud eum diu Becci studuerat) persuasit ut ad se veniret, quia ibi animam suam salvare non posset. Venit ergo, & toto tempore Lanfranci monachus apud Cantuariam, ab Anselmo prior ibidem, mox apud Burgum abbas, a Radulfo episcopus apud Rofam constitutus est*, ut inserius videbimus. Prior factus, *dejectam priorem partem ecclesiæ, quam Lanfrancus ædificaverat, adeo splendide erexit, ut nihil tale in Anglia possit videri in vitrearum fenestrarum luce, in marmorei pavimenti nitore, in diversicoloribus picturis, quæ mirantes oculos trahunt ad fastigia lacunaris.* Complures ad eum epistolas scripsit Anselmus, quas interius data occasione commemorabimus. Virum non modo pium ac religiosum, sed etiam doctum fuisse probant Lanfranci, Anselmi, aliorumque de eo judicia, & relicta ab eo, pauca licet, ingenii monumenta. Dum Cantuariæ maneret, eum consuluit Walchelmus, Wentanæ ecclesiæ episcopus, de incestis conjugiis: cui scripta epistola respondit Ernulfus, *sub veste religiosa*, ut de se ipse dicit, *viventium minimus*: in cujus fine epistolæ arguit quoddam factum Lanfranci circa matrem quamdam, quæ filiæ maritum sibi usurpaverat: qua in re Lanfrancus fecisse dicitur quod debuit, sed non perfecisse. Altera est ejusdem Ernulfi epistola ad quemdam Lambertum, qui ipsum consuluerat de variis dubiis circa sanctissimum eucharistiæ sacramentum. Prima quæstio est, cur tunc alio ritu porrigeretur corpus dominicum, quam a Christo in cæna fuerat institutum? Ad quod respondet Ernulfus, necdum episcopus, modum conferendi sacramenta in potestate ecclesiæ a Christo relictum fuisse. Hinc morem tunc receptum porrigendi corpus Domini intinctum approbat, idque factum dicit, ne sanguis Domini effunderetur. *Quo pacto*, inquit, *evenit. ut, secundum Salvatoris præceptum, ejus carnem edat fidelis, sanguinem bibat, periculum evadat, quem in tanta re offendere oppido formidat.* Mitto alias de hoc

ANN. CHR. 1093.

ſacramento quæſtiones Ernulfo propoſitas, qui ſuam de euchariſtia fidem ſub finem epiſtolæ ſic exponit: *Credimus, & certum tenemus, ſubſtantiam panis verborum virtute eſſe mutatam in ſubſtantiam dominicæ carnis. Certiſſime tamen ſcimus, & ſenſibus corporeis comprobamus, qualitates panis immobiliter permanere, cujus ſubſtantiam, quia caro facta eſt, credimus non manere.* Nihil ad catholicam fidem expreſſius. Hæc Ernulfi epiſtola cum altera edita eſt in Spicilegii tomo ſecundo, ubi auctor inutiles circa fidei myſteria quæſtiones non probat: *Quoniam de ſua*, inquit, *ſalute dubitare videtur, qui de myſteriis ſalutis quæſtiones facere cognoſcitur.*

S. Albani & Elienſes abbates.

Hoc ipſo anno Paulus ex Beccenſi monacho ſancti Albani abbas mortuus eſt in reditu e Tinemuthenſi eccleſia, quam Dunelmenſibus abſtulerat, ut Simeon Dunelmenſis tradit. De eo plura ſuperius[a]. Succeſſor ejus *de Albineio* cognominatur a Radulfo de Diceto. Hic ab egregia Normannorum ſtirpe trahens originem, ut Matthæus Pariſius de eo tradit, Willelmi ſecundi & Heinrici primi regum amicitia uſus, multos ab eis honores & cenſus adeptus eſt. Ejus tempore, id eſt anno MCXV. nova baſilica, quam Paulus ædificaverat, dedicatur v. kal. Januarii, quæ feſtivitas tam in ſollemniis, quam in conviviis, uſque ad epiphaniam protracta eſt.

a *V. lib.* 65. *n.* 13.

Eodem quoque anno Simeon Elienſis abbas, multis licet[b] conſtrictus anguſtiis, centum nihilominus ætatis annos ſupergreſſus, naturæ debitum ſolvit, regiminis ſui anno tertio-decimo: poſt cujus obitum abbatialis ſedes per ſeptem annos vacavit, nimirum uſque ad obitum Willelmi Rufi, qui vacantium eccleſiarum reditus in ſuos uſus expendere conſueverat. Hæc ex Thoma Elienſi.

b *Angl. ſac. to.* 1. *p.* 612.

LIII. Anſelmi epiſtola de cantoris Pariſienſis ſeceſſu.

Necdum conſecratus erat archiepiſcopus Anſelmus, cum ad eum nuntius pervenit, Walerannum, Pariſienſis eccleſiæ cantorem, amicum ſuum, ad monaſterium S. Martini de Campis ſeceſſiſſe, & monaſticum habitum ſtudioſiſſime & intentiſſime petere: aſt a Goffrido epiſcopo illinc vi abſtractum eſſe. Id indigne ferens, Goffrido epiſtolam[c] ſcripſit *frater Anſelmus*, ut de ſe ipſe inſcribit, *Dei diſponentis omnia diſpoſitione electus archiepiſcopus Cantuaria.* In hac epiſtola Goffridum amice & modeſte monet, ut ne Walerannum a propoſito abducat. *Mi pater*, inquit, *ſi omnia facienda ſunt cum conſilio; cujus magis conſilio, quam ejus, qui admirabilis conſiliarius, Deus fortis dicitur? Ipſe quippe conſulit ad perfectionem nitentibus, ut omnia relinquant, & ſe ſequantur.... Hoc conſilium magis in monachico, quam alio vitæ propoſito impleri ſancti patres intellexerunt.* Tum prolatis Gregorii Magni ad Deſiderium Viennenſem epiſcopum & concilii IV. Toletani, quæ alias[d] retulimus, teſtimoniis, hæc ſubdit: *Horrendum eſt etiam auditu, ut, quos Chriſtus elegit de mundo, epiſcopus religet in mundo: ut, quos Chriſtus trahit ad portum de procellis & tempeſtatibus mundi, hos epiſcopus retrahat a portu in naufragoſos turbines mundi: &, quos abſcondit in ovili a multitudine inſidiantium luporum, hos epiſcopus rapiat de ovili, & exponat multitudini luporum.* In fine excuſat quod ſigillum hæc epiſtola non habeat: *quia & abbas*, inquit, *jam non ſum, nec me delectat pingi quod non ſum.* Epiſtola ſequens directa eſt ipſi Waleranno, ut eum in propoſito confirmet. Sub finem ſuperioris ad Goffridum epiſtolæ, ejus precibus commendat *conſecrationem* ſuam, quæ facienda erat in dominica, qua cantatur *Populus Sion*, hoc eſt dominica ſecunda adventus, quæ eo anno incidebat[e] *in dominicam poſt feſtivitatem S. Andreæ, pridie videlicet nonas Decembris*, ut ipſe ad Baldricum priorem & fratres Beccenſes ſcribit. Walerannum in propoſito non perſtitiſſe indubitanter aſſerit Gerardus[f] a Boſco, factumque Goffridi epiſcopi multis argumentis „ probare conatur. Goffridum quippe potuiſſe repoſcere clericum, qui ſine licentia „ in monaſterium fugerat, cum præſertim id eccleſiæ neceſſitas poſtularet. Neque „ modo, cum res exigit, fas eſſe retinere clericum, ſed etiam monachos accerſere, „ qui munera clericorum gerant. De clericis quidem id verum eſſe poteſt, cum dubia eſt eorum ad monaſticam vitam vocatio: at ſi certa ſit, nec clericus ille in clericali ſtatu facile ſalutem ſuam operari poſſit, quis Deo vocanti reſiſtere audeat? Ad monachos quod attinet, eos e monaſteriis abſtrahere non licet, abſque permiſſu abbatis, ut Gregorius VII. in epiſtola docet.

c *Anſelm. lib.* 3. *ep.* 12.

d *lib.* 10. *n.* 21. & *lib.* 35. *n.* 62.

e *Anſelm. lib* 3. *ep.* 15.

f *Hiſt. Pariſ. p.* 701.

LIV. Concilium Sueſſionenſe in Roſcelinum.

Convocatum hoc anno apud Sueſſionas concilium epiſcoporum a Rainaldo Remorum archiepiſcopo adverſus Roſcelinum, qui ut ſuperius[g] vidimus, tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas, non unam tantum, ſed tres eſſe res contendebat. Ubi primum hunc errorem in vulgus ſpargi intellexit Anſelmus tunc Becci abbas, epiſtolam hac de re ſcripſit ad Fulconem Belvacenſem epiſcopum, tum ut catholicam fidem aſſereret,

g *V. lib.* 67. *n.* 78.

tum ut Lanfrancum vindicaret, quem Roscelinus in hac sententia fuisse calumniabatur, suamque hac de re epistolam ad proximum Suessionense concilium per Fulconem perferri postulavit. Citatus ad concilium Roscelinus, errorem abjurare simulavit: at, ut est hæreticorum genius, post concilium pristinam sententiam clandestinis disputationibus studiosissime defendere perseveravit, uti Ivo Carnutensis episcopus nos docet in epistola, quam eidem Roscelino scripsit, eum monens, ut palinodiam scribat, & recantatis opprobriis vestem Domini a se publice conscissam « publice resarciat. Hinc Beccenses Anselmum jam Cantuariensem episcopum impu- « lere, ut, quod jam brevi epistola inchoaverat, accurata disputatione perficeret. quod vir sanctus statim aggressus est, edito insigni libro de fide Trinitatis & de incarnatione, quem Urbano summo pontifici examinandum obtulit. Initio hujus libri exponit, quo pacto a fratribus suis ad eum scribendum adductus sit, ad solvendam scilicet quæstionem illam, qua Roscelinus ita irretitus erat, *ut nullo modo se expediri ab ea posse crederet, nisi aut incarnatione Dei Patris aut Spiritus-sancti, aut deorum multitudine se impediret.* Porro prædictæ novitatis auctorem in sua perseverantem sententia dicere, *se non ob aliud abjurasse quod dicebat, nisi quia a populo interfici timebat.* quæ Berengarii, aliorumque ejusdem farinæ novatorum frivola excusatio est. In capite secundo sanctus Doctor graviter redarguit temerarios ejusmodi homines, qui contra « catholica dogmata disputare audent, quod ea intellectu & ratione assequi non va- « leant; id esse non posse rati, quod nequeunt intelligere: unde contingit eos in mul- « timodos errores ite præcipites. nec mirum, quippe qui antequam per soliditatem fidei « habeant spirituales alas, in altissimas de fide quæstiones assurgere præsumunt. Fide « itaque assurgendum esse ad intellectum rerum divinarum, non intellectu ad earum « cognitionem. Cum errori pertinaciter hæreret Roscelinus, exsilio deportatus est in Angliam, ubi novas concivit turbas, in academia scilicet Oxoniensi, asserens sacerdotum filios ad sacros ordines promoveri non posse. qua de re Thomas Stampensis, qui illa in academia theologiam docebat, contra eum scripsit. Cum vero temerarius ille novator calumnias nescio quas in venerabilem Cantuariæ archiepiscopum Anselmum spargeret, pulsus ex Anglia est. Alias itidem rixas habuit Roscelinus cum quodam theologo, nomine Petro, cujus hoc de argumento epistolam Petro Abaëlardo nonnulli perperam tribuere, ut suo loco videbimus.

LV. S. Theobaldi de Basilicis monasterium.

Hic primus erat annus episcopatus Hugonis de Petra-fonte episcopi Suessionensis, qui sine dubio prædicto Suessionensi concilio cum Rainaldo Remorum archipræsule interfuit: sed aliorum, qui interfuere, nomina, quæ ignorantur, legere mihi videor in litteris, quibus idem Hugo res omnes, quæ ad monasterium sancti Theobaldi de Basilicis pertinebant, ratas habet. Situm erat hoc monasterium prope Basilicas* ad Vidulam* fluvium supra Branam opidum. quod monasterium Gervasius Basilicarum dominus condidisse traditur: Manasses vero de Basilica Majori-monasterio contulisse, probante & laudante Rainaldo tunc temporis Remorum archiepiscopo, & Hilgodo Suessionensium episcopo, adeoque non ante annum M XC. quo Hilgodus, abdicato episcopatu, ad Majus-monasterium secessit. Sub ejus successore Heinrico, cum prædictus Manasses quædam illius cellæ bona invasisset, postmodum facti pœnitens, apud Suessionas hæc relaxavit. Post Heinricum, qui dimisso episcopatu Cluniacum secessit, ubi & monachus factus est, ut postea[a] videbimus, ejus successor Hugo episcopus, ut mox dicebam, ea omnia, quæ sui antecessores monachis illius cellæ concesserant, sua quoque auctoritate roboravit, facta insuper donatione cujusdam prædii, quod ad ditionem Suessionensis episcopi spectare dicebatur. His litteris apposita sunt signa primo quidem ipsius *Hugonis episcopi, tunc temporis decaniam & cancellariam in manu sua tenentis*; deinde Suessionensium canonicorum; tum Rainaldi Remorum archiepiscopi, Elinandi Laudunensium episcopi, Gervini Ambianensium, Ratbodi Noviomensium, & Gerardi Morinensis episcoporum; postremo abbatum, scilicet Heinrici sancti Remigii, Odonis sancti Medardi, Johannis sancti Nicasii, Nocherii sanctæ Helenæ seu Altivillarensis, Burchardi sancti Basoli, & Baldrici Burgolii. quos omnes prædicto concilio interfuisse conjicio ex chronicis notis eidem chartæ subjunctis, quæ sic habent: *Actum anno incarnationis dominicæ* M XCIII. *indictione* I. *regnante Philippo anno* XXXIV. *episcopante domno Hugone anno* I. *Ego Hugo episcopus tunc temporis, & cancellarius scripsi, & subscripsi. Confirmatum in concilio Remis celebrato hebdomada tertia quadragesimæ; &, ut irrevocabile permaneat, anathematis est*

* *Basoches.* * *La Vesle.*

a infra n.71.

ANN. CHR. 1093.

apposita sententia. Hinc discimus præcise tempus coocilii Remensis, quod anno sequeoti, præsente Richerio Senonensi archiepiscopo, in causa Philippi regis & Bertradæ habitum est. Postmodum eidem Theobaldi monasterio unita fuit collegiata ecclesia sanctorum martyrum Rufini & Valerii, qui apud Basilicas sanguinem pro Christi fide profuderunt.

LVI. Gervino episcopo Ambianensi scriptæ litteræ.

Jam fere biennium erat, ex quo Ambianeosem episcopatum [a] obtinebat Gervinus, qui præmissis litteris subscripsit. Exstat ad eum Anselmi [b] Cantuarieosis archiepiscopi epistola de quodam fratre Normanno, ipsius Anselmi ecclesiæ professo, qui in quodam Ambianensis diœcesis monasterio abbas electus fuerat; cujus ordinationi ut assensum præberet Anselmus, a Gervino rogabatur. quod ille renuit, propterea quod se inconsulto in Galliam trajecisset. Forte agebatur de eligendo abbate in monasterio sancti Fusciani martyris, ad cujus reliquiarum transpositionem in novum feretrum, quod cujusdam fratris labore & sumtu auro, argento, gemmisque paratum erat, idem Gervinus seu Gerewinus litteris [c] invitavit Lambertum episcopum, Atrebatensi proprium ecclesiæ hoc aono datum, quam a multis aonis Cameracenses episcopi hucusque rexerant. Coosecratus fuit Romæ Lambertus ab Urbano papa, qui varias pro eo epistolas scripsit tum ad Rainaldum Remorum archiepiscopum, tum ad Cameracenses, qui Lamberto adversabantur, tum ad abbates diœcesis Atrebateosis, Aloldum sancti Vedasti, Richardum Marcianensem, Albertum Hasnonensem & Hamericum Aquicioensem seu Aquicinctensem, necnon ad abbatissas sanctæ Ragenfredis atque Strumensem. quæ omnes epistolæ, ceteraque, quæ ad Lamberti electionem pertinent, in tomo quioto Miscellaneorum Baluzianorum edita sunt.

a *V. supra n.* 3.

b *Anselm. lib.* 3. *ep.* 32.

c *Baluz. Miscell. to.* 5. *p.* 283.

LVII. S. Theoderico altaria data.

Inter præcipuos monasterii sancti Theoderici Remensis benefactores censendi suot Laudunenses episcopi, in his Elinandus, qui hoc anno tria eidem loco altaria absque personis tenenda coocessit. Hujus rei litteris adscripta sunt signa cum ipsius Elinandi tum Rainaldi archiepiscopi, Hugonis Suessionensis, Fulconis Belvacensis, Ratbodi Noviomensis, & Girardi Morinensis episcoporum; dein Henrici abbatis sancti Remigii, Nocberi Altivillarensis, Rodulfi sancti Theoderici, Burchardi sancti Basoli, Johannis sancti Nicasii abbatum. Actum XI. kal. Aprilis hoc anno, indictione I.

Verum insignis est in primis charta Rainaldi Remorum archiepiscopi, qui eodem tempore altare Hermundi-villæ * sancto Theoderico donavit his verbis memoratu dignis. *Cum ad Remensis ecclesiæ curas, oneraque portanda infirmitatis nostræ imbecillitatem divina vocationis dignatio accersivit, circa hoc potissimum nostræ desudavit intentionis efficacia, ut ecclesias, fideliumque cœnobia altaribus, quæ in jura nostra manciparentur, augeremus: ne penuria afflicta, in divinis cultibus tepidiores redderentur. Verum, quia sancti Theoderici ecclesia hactenus munificentiæ nostræ una inter ceteras inexperta remanserat; cum primum nobis altare, quod eidem ecclesiæ contiguum, finitimumque adjaceret, accessit, oppido gavisi sumus, opportunum habentes, ut impensa ceteris liberalitatis nostræ ecclesiam hanc alienam diutius minime relinqueremus.* His præmissis, Rainaldus prædictum Hermundi-villæ altare *impersonaliter* sancto Theoderico tradit, eo pacto, ut suum patrisque ac matris anniversarium ibidem peragatur. *Actum Remis in archivo pontificali, anno incarnationis dominicæ* M XCIII. *indictione* II. *(forte a Septembri inchoata) regnante gloriosissimo Francorum rege anno* XXXIII. *archiepiscopatus autem domni Rainoldi anno* X. Subscribunt iidem, qui supra, abbates, Henricus sancti Remigii, Nocherus Altivillarensis, Burchardus sancti Basoli; & Seguinus [d] sancti Nicasii, idemque Casæ-Dei abbas, cujus vice Johannes superius laudatus, sancti Nicasii abbatiam regebat.

* *Hermonville.*

d *V. lib.* 67. *num.* 93.

LVIII. S. Maglorii monasterium reformatum.

Duo in Galliis celeberrima in primis erant monasteria, Cluniacense nimirum & Majus-monasterium, ad quorum normam pleraque Galliarum monasteria vel informabantur, vel reformabantur. Hinc est, quod rex Philippus, cognito Parisiense sancti Maglorii monasterium ad tantam cum in spiritualibus, tum in temporalibus desolatiooem devenisse, ut ad paucos fratres redactum esset, qui omnino sæculariter viverent; eumdem locum Bernardo Majoris-monasterii abbati commisit in meliorem statum restituendum. Hanc vero depravationem incuria & culpa Haimonis ac superiorum abbatum accidisse testatur Philippus, litteris hoc anno datis, quarum hæc verba. *Notum sit omnibus habere nos capellam dominicam, in honore beati Bartholomæi apostoli, & beati Maglorii confessoris constructam, sitam in Parisiorum civitate juxta aulam regiam, quæ hactenus a propriis abbatibus non tam gubernata, quam desolata vide-*

batur, maxime tempore Haimonis abbatis per cujus incuriam in tantum adnihilata erat primo monastici ordinis religione, dein vero exteriorum depopulatione, ut pauci fratres, qui adhuc ibi remanserant, de rebus ecclesiæ, prout monachos decet, sustentari non valerent, & jam pæne ad sæcularitatem redacti, unusquisque de proprio suo, prout poterat, cum magna necessitate & ordinis trasgressione sibi procurabat. De hac ergo desolatione cum supra dicto abbate Haimone rationem ponentes, cum se excusare non posset, & per negligentiam suam omnia hæc accidisse cognosceret, assensione ejusdem & supplicatione fratrum loci ipsius habitatorum, admonitione quoque optimatum nostrorum, & suggestione quorumdam religiosorum virorum, hoc consilium salubre reperimus, ut ecclesiam ipsam in manus ordinate & monastice viventium, abbatis videlicet Bernardi & monachorum sancti Martini Majoris-monasterii, ad restaurandum traderemus. quod & fecimus pro redemtione animæ nostra &c. *Actum est hoc Parisius publice in aula regia, coram subscriptis testibus, anno ab inc. Domini* MXCIII. *indict.* I. *epacta* XXVI. X. *kal Martii, regnante Philippo rege, anno ordinationis suæ* XXXVI. His litteris apposita sunt signa ipsius Philippi regis, Ursionis Silvanectensis episcopi, Hugonis fratris Philippi regis, Widonis dapiferi regis, Adelelmi constabularii regis, Simonis de Nielfo, Goislini regis camberlarii, Gauterii camberlarii regis, Willelmi camberlarii reginæ, & Harduini camberlarii reginæ, & aliorum. Ex monachis huic sanctioni præsentes fuerunt *Hilgodus, qui fuit Suessionum episcopus, & Andreas frater ejus, Rotbertus Parisiensis prior supra dicti cœnobii, & Rotbertus de Castella, qui fuit dapifer supra scripti regis Philippi. Hubertus cancellarius scripsit & subscripsit.* In Pratensi necrologio Haimo abbas sancti Maglorii Parisiensis v. kal. Junii obiisse dicitur.

ANN. CHR. 1093.

LIX. S. Faræ monasterii infelix status.

Mirum est Philippum regem pristinæ disciplinæ in monasteriis restitutionem eo tempore, quo licentius & solutius vivebat, tanto studio curasse. Id vero non tantum superiori exemplo, sed etiam aliis constat. In his alterum suppeditat ipsius Philippi epistola ad prædictum Bernardum Majoris-monasterii abbatem, quem hortatur ad reformandos perditissimos Farensis parthenonis mores. quod etsi referre quodammodo vetat celeberrimi ac religiosissimi modo cœnobii reverentia, tamen reticere non sinunt historiæ leges. Hæc epistola sic habet, ex autographo desumta.

Philippus Dei gratia Francorum rex, Bernardo venerabili Majoris-monasterii abbati, omnique congregationi sibi commissæ, salutem. Quamvis sanctitatem vestram in multis me exasperasse cognoverim; tamen volo vobis manifestum esse, ecclesiam vestram super omnes alias monastici ordinis ecclesias dilexisse, & propter humilitatem & patientiam vestram amodo diligendam disposuisse. Verum quia multis & magnis præpeditus negotiis, peccatis meis, fateor, exigentibus, vestræ sanctitati satisfacere neglexi; nunc obnixe deprecor, ut me, licet immeritum, deinceps in orationibus vestris suscipiatis: quatinus per eas in præsenti & in futuro merear adjuvari. Confido enim quod magnam apud Deum habent fiduciam. Nunc igitur sequendo vestigia prædecessorum nostrorum, monasterium sanctæ Mariæ semper virginis sanctæque Faræ, in quo ex infirmitate & incuria inhabitantium omnis religio & monasticus ordo penitus est adnullatus, &, (quod miserabilius est) prostibulum factum esse condolemus; pro salute animæ meæ per præsentem cartam in cellam vobis jure perpetuo possidendam tradimus, concedimus, & auctoritate regia confirmamus. quatinus per sanctitatis vestræ prudentiam, & orationum vestrarum instantiam ordo monasticus ibidem reformetur: & ecclesia Dei, quæ actenus (prô dolor!) adulterinis fœdata est complexibus, & tanto tempore a servitio Dei privata est, cum ecclesiæ vestræ filiis de valle lacrimarum ascendere, & canticum graduum se cantare congratuletur. Confortamini itaque in Domino nihil hæsitantes, scientesque auxilium meum vobis in nullo defuturum. Valete.

Tam enormis probri rumor aures & animum perculit Ivonis episcopi Carnutensis, ex relatu Turonensium monachorum & Adeleidis comitissæ, eumque permovit ad scribendum [a] Galterio Meldensi episcopo, ut aut prædictas mulieres in loco suo & ordine corrigeret, aut, si id fieri non posset, ut religiosis monachis locum illum cum « suis possessionibus committeret, accepta prius ab eis cautione, ut illas mulieres sub « arta disciplina coercerent, eisdemque necessaria ex rebus monasterii, quamdiu « vixissent, providerent. Perstitit eo in loco muliebris sexus, &, salutari conversione « jamdudum facta, illic floret etiam nunc regularis disciplinæ stricta observatio, virgineo fragrans odore.

[a] Ivo. ep. 70.

LX. S. Martini de Valle cella.

Eodem tempore Ivo Adelæ Trecensi & Carnutensi comitissæ scripsit, eamque

AN. CHR. 1093.

a Diplom. p. 369.

» landat, quod ecclesiam [a] sancti Martini de Valle apud Carnutas, quæ olim monasterium fuerat, in antiquum statum reformare vellet. quod celeri effectu exsequendum » suadet, ne antiquus hostis bonum ejus consilium præpediat. Hæc suburbana S. Martini ecclesia tunc tradita fuit Majoris-monasterii monachis, nostro tempore Capucinis data, prædiis monasterio beatæ Mariæ de Bono-nuntio Aurelianensi attributis.

LXI. Goffridus Vindocinensis abbas electus.

Hoc anno Berno Vindocinensis abbas, ætate & ægritudine confectus, baculum pastoralem fratribus in capitulo resignavit, & in ipso capitulo domnus Goffridus, juvenis ætate, moribus maturus, forma modesta, litteris maxime instructus, ceterisque bonis adornatus, ut in chronico Andegavensi legitur, cum diaconus tantum esset, electus est abbas XII. kal. Septembris, & ab Ivone episcopo IX. kal. ejusdem mensis honorifice consecratus abbas ejus loci quintus. Hac in consecratione Ivo professionem a Goffrido exegit. quæ res discidioli inter illos seminarium fuit, ut postea dicturi sumus. Goffridus claro in primis & nobili apud Andecavos genere natus, Rainaldum [b] Credonis dominum, ejusque filium Mauricium, [c] consanguineos suos vocat. Rainaldus iste Rotberti Burgundionis filius erat, isque amore Goffridi abbatis cognati sui quasdam consuetudines apud Credonem Vindocinensibus relaxavit. Garnerium [d] archidiaconum Andecavensem *nutritorem* [e] habuit Goffridus & Guillelmum [f] magistrum, ut ejus ad eos epistolæ testantur.

b Goffrid. lib. 3. ep. 27.
c ibid. ep. 16.
d ibid. ep. 12.
e ibid. ep. 16.
f id. lib. 1.

Primo suæ ordinationis anno Romam adiit, ibidemque sacerdotio initiatus est ab Urbano summo pontifice, cui quanta præstiterit, quantumque honoris ab eo acceperit, explicat ipse non semel, maxime in epistola ad Paschalem II. his verbis. *Inter cetera, quæ mea humilitas Romanæ ecclesiæ in sua necessitate fecit servitia, unum, quia celeberrimum fuit, nec possum, nec debeo silere. quo audito, qui catholicam fidem diligit, me numquam poterit non amare. Primo anno, quo, Deo volente vel permittente, nomen abbatis suscepi, audivi piæ recordationis dominum papam Urbanum in domo Johannis Frica-panem latitare, & contra Guitbertistam hæresim viriliter laborare. Licet locus noster pauper esset, Romam tamen veni, illius persecutionum & laborum volens particeps fieri, & suam pro posse meo desiderans supplere inopiam, quod & Dei gratia feci. Mala, quæ in itinere & in civitate passus sum, nostrorum per omnia, ne agnoscerer, factus famulus famulorum, longum est enarrare. Quasi alter Nicodemus ad dominum papam in domum prædicti Johannis nocte veni: ubi eum pæne omnibus temporalibus bonis nudatum, & alieno ære nimis oppressum inveni. Ibi per quadragesimam mansi cum illo; &, si fas est profiteri veritatem, ejus onera, in quantum potui, caritatis humeris supportavi. Quindecim vero diebus ante pascha Ferrucius, quem Lateranensis palatii custodem Guitbertus fecerat, per internuntios locutus est cum domino papa, quærens ab eo pecuniam, & ipse redderet illi turrim & domum illam. Unde dominus papa cum episcopis & cardinalibus, qui secum erant, locutus, ab ipsis pecuniam quæsivit. Sed modicum quid apud ipsos, quoniam persecutione & paupertate simul premebantur, invenire potuit. Quem ego, cum non solum tristem, verum etiam præ nimia angustia lacrymantem conspexissem; cœpi & ipse flere, & flens ad eum accessi, dicens, ut secure cum Ferrucio iniret pactum. Ibi aurum & argentum, nummos, mulas & equos expendi; & sic Lateranense habuimus & intravimus palatium: ubi ego primus osculatus sum domini papæ pedem, in sede videlicet apostolica, in qua longe ante catholicus non sederat papa.* In his mirari licet hinc moderationem Urbani pontificis, qui in tantis angustiis armorum vim non adhibet: inde Goffridi generosum pectus, omnia in usus papæ expendentis. Idem in eadem epistola ad Paschalem scribit, *tredecim millia solidorum* suæ *monetæ in Romanæ ecclesiæ servitium expendisse*. Ne- » que porro tanta munificentia sine fructu. nam Romæ presbyter ordinatus, investi- » turam ecclesiæ beatæ Priscæ per manum domini papæ Urbani recepit, quam præ- » decessores sui longe ante possederant; sed inde ejecti, quia Guitberto obedire noluerant, ut ipse in epistola 8 ad Honorium papam fatetur. Hæc fuere initia præfecturæ Goffridi abbatis, de quo sæpe recurret in consequentibus dicendi occasio. Ad Bernonem ejus antecessorem quod attinet, superstes fuit usque ad annum M XCIX. quo is obiisse traditur [h], *vir magnæ integritatis & innocentiæ, pater omnibus dulcissimus*, & in monachatu annis sexaginta vixisse.

g ibid. ep. 16.

h Labbe to. 2. bibl. p. 289.

LXII. Collectæ pro Urbano factæ.

In tantis angustiis Urbanus Rainoldo sancti Cypriani apud Pictavos abbati, qui Romam tunc profectus erat, litteris scriptis mandavit, ut, adjuncto sibi Gervasio sancti Savini abbate, collectas in Gallia, maxime in Aquitania faceret ad sublevandam Romanæ ecclesiæ inopiam. Scriptæ quoque a pontifice litteræ episcopis & abbatibus

batibus per Aquitaniam, Wasconiam, & inferiorem Burgundiam constitutis, quos omnes hortatur, ut ecclesiæ Romanæ in illis angustiis succurrant, & per Rainaldum abbatem erogationes suas, *adscripto nominis sui titulo*, submittere non cunctentur.

Gervasii abbatis & Bernardi altercatio.

Ex his intelligitur, magna in existimatione apud pontificem fuisse Rainaldum abbatem, de quo superius actum est non semel. Gervasius quoque magnopere laudatur in libro de vita Bernardi Tironiensis, in quo *vir summæ abstinentiæ, omniumque virtutum ornamentis præclarus* dicitur: sed tamen haud absque nævo fuit. Is ex monacho sancti Cypriani ad sancti Savini præfecturam postulatus, non prius acquiescere voluit, quam Bernardus, ejusdem loci monachus, ipsi [a] in socium & præpositum concederetur. Sed inter eos non multo post dissensio exorta, occasione cujusdam ecclesiæ, quam cœnobii sui amplificandi ac locupletandi gratia Gervasius acquirere percupiebat: Bernardus contra resistebat, id citra simoniæ crimen fieri non posse ratus. Unde factum est, ut idem Gervasius, ubi se minime prævalere vidit, illamque ecclesiam sancti Cypriani abbati cedere; in Bernardum vehementer indignatione commotus, dimissa præfectura, ad sancti Cypriani monasterium se receperit, ibique sumtibus S. Savini domum sibi construxerit, ubi deinceps multo tempore habitavit. Interim sancti Savini procuratio in Bernardum devoluta est, qui locum prudenter ac religiose, tam in temporalibus, quam in spiritualibus administravit.

[a] V. lib. 67. n. 61.

LXIII. Bernardi Tiron. secessus in eremum.

Ast ubi monachos id moliri intellexit, ut ipsum sibi abbatem eligerent, e monasterio clam recessit, & ad virum venerabilem Petrum de Stellis, qui non procul a monasterio eremiticam vitam agebat, se recepit, ab eo multa cum caritate susceptus. Verum, cum non satis tutus a sancti Savini monachorum interpellationibus sibi videretur, eodem Petro duce ad quosdam eremitas, qui in confinio Cenomannicæ & Britannicæ regionis perquam religiose vivebant, secessit: quos inter principes ac magistri erant Rotbertus de Arbrisello, Vitalis de Mauritania, & Radulfus de Fusteia. Novo socio applaudunt omnes, eique certatim cellas suas offerunt. Vitali primum se adjunxit Bernardus: qui, ut melius apud eos incognitus lateret, proprio dissimulato nomine, Guillelmi nomen assumsit. Ubi aliquamdiu illic mansit, *ex synodi auctoritate* ei auctor fuit Vitalis, ut perlustratis illius eremi silvis, singulorum eremitarum cellas exploraret, & quæ ipsi amplius placuerit, præferret. Omnibus exploratis, cellam & contubernium prætulit Petri eremitæ, qui in cujusdam sancti Medardi ecclesiæ parietinis degebat, ibique tornandi arte & arbustorum cultura vitam sustentabat. Guillelmi optione multum exhilaratus Petrus, Guillelmo ejusque sociis refectionem parat. At in cellario suo tam tenuem invenit annonam, ut ea vix uni reficiendo sufficeret. Hinc ille festinato silvam ingressus, spineta rubetaque convellicat, corylos ceterasque silvestres arbores excutit, suisque exspoliat fructibus; ad hoc apum examen in trunci arboris concavitate invenit, & ex eo mel exprimit. Reversus domum, his mensam dapibus onerat, suisque hospitibus opulentum, nisi panis, pars epularum potior, defuisset, convivium exhibet. quo peracto, reversis ad suas cellas ceteris, Guillelmus cum Petro remanet, a quo tornandi artem didicit. Dum Petrus ex silvestrium arborum fructibus & suæ artis commercio victualia quæritat, Guillelmus domi remanens, agrestes herbas in pulmentum conficiebat, quas ut delicatiores redderet, festivis diebus sale condiebat: post vesperas semel in die reficiebant. Petro recumbenti Guillelmus ministrabat. De cetero precibus & contemplationi adeo indefesse insistebat, ut in corpore degens, angelicam vitam agere videretur. Sic per triennium cum Petro eremita vixit.

LXIV. Gervasii S. Savini abbatis varia fortuna.

Interim Gervasius sancti Savini abbas, dimissa præfectura, Pictavis apud sanctum Cyprianum, in domo ab se constructa degebat: ubi non ita religiose se gessit, ut simoniæ labem non incurreret. De eo enim intelligenda videtur Amati Ellorensium episcopi & sedis apostolicæ legati epistola ad Radulfum Turonensem archiepiscopum, qua eum invitat, ut veniat ad concilium Burdegalæ in octavis sancti Michaëlis celebrandum. tum subdit. *Ceterum fraternitati tuæ notum fieri volumus, nos in ecclesia sancti Savini, quæ sita est in pago Pictavensi, nuper fuisse, & ejusdem ecclesiæ abbatem in capitulo monachorum simoniacum comprobasse. cui apostolica auctoritate præcepimus, ut Pictavum iret, quatenus in præsentia nostra illius hæresis Pictavensi episcopo manifesta fieret. qui reatus sui terrore percussus, Pictavum ire renuit, & reverentia sui ordinis atque officii postposita, arreptis quibusdam ecclesiæ suæ reliquiis & ornamentis*

ANN. CHR. 1093.

more furis aufugit. Proinde tibi præcipiendo mandamus, ut si hujusmodi hominem in diœcesi tua invenire poteris, capi facias, & Pictavensi episcopo cum prædictis ecclesiæ suæ spoliis reddas. Si vero illum cum spoliis non poteris reddere, saltem, si poteris, spolia redde. Hæc vero non de alio, quam de Gervasio abbare intelligi posse videntur, qui dimissa præfectura, sancti Savini sumtibus apud Pictavos sibi domum construxisse dicitur in vita Bernardi Tironiensis, a quo excogitatæ simoniæ, ut mox vidimus, insimulatus fuerat. Denique anno MCXVI. Jerosolymam proficiscens, in itinere a leone cum asino cui insidebat, cæsus, membratimque discerptus fuisse traditur in libro de vita Bernardi Tironiensis. Addit in illa epistola Amatus, Gausridum de Prulliaco, cognomento Jordanum, comitem Vindocinensem, a se commonitum fuisse, nt intra
» festivitatem sancti Petri in kalendis Augusti se coram ipso Amato sisteret, de uxore
» sua, quam contra Deum tenebat, rationem redditurus; sed venire noluisse. qua pro-
» pter Radulfo mandat, ut illum ad præsenriam suam citet, quod si uxorem dimittere
» noluerit, eum excommunicatum esse sciat,

LXV. Prulliaci monasterium. * Prully. * la Claye.

Prulliacum * locus est pagi Turonensis ad Clayam * fluviolum, ubi conditum fuit ineunte sæculo XI. monasterium ab Ecfrido Prulliaci & Rupepozææ domino in honorem Salvatoris & sancti Petri principis apostolorum, cujus loci primus fuit abbas Amblardus. Illic sepultus Ecfridus seu Effredus, ex cujus stirpe Vindocinensium comitum secunda series originem traxit. In epitaphio, a Sancta-Marthanis, aliisque relato, Effredus genere & probitate inter nobiles Gallos insignis, tutor patriæ, duxque militiæ fuisse dicitur. Ex ejus genere prodiit prædictus Gaufridus seu Goffridus de Prulliaco, cujus conjux Euphrosia erat ex stirpe comitum Andecavensium, quibus antea Vindocinum parebat. Goffridus iste multas Vindocinensibus monachis intulit molestias, ut inferius videbimus. Pater ejus Goffridus vocatur in libro de gestis [a] consulum Andegavensium; mater Amelina, uxor Euphrosia dicta erat. Ejus tempore Prulliaci abbas erat Otho, cui Gosbertus quidam ecclesiam S. Martini de Bociaco, *scilicet omnem offerendam & exitum ipsius ecclesiæ*, donavit *cum consilio Gaufridi comitis Vindocinensis.* quæ donatio facta dicitur III. *kal. Decembris vivente Urbano papa Romano, Philippo Francorum rege, & Radulfo Turonica civitatis archiepiscopo secundo, super fluvium Wartimpa.* Idem Gosbertus eidem Othoni abbari, quem fidelem amicum suum vocat, *burgum Bociaci* donat; pro quo Otho abbas & monachi dederunt illi *caritatem, id est centum solidos.*

a Spicil. to. 10. p. 488.

LXVI. Eremitæ Credonenses. * de Craon.

Non leviter prætereunda est recordatio prædictorum eremitarum, quos in confinio Andecavensis & Britannicæ regionis, id est in saltu Credonensi *, religiose vixisse mox dicebam. In his præcipui erant Rotbertus de Arbrisello, Vitalis de Mauritania, & Radulfus de Fusteïa, necnon Petrus ille eremita, cui Bernardus Tironiensis se adjunxit. Hi omnes quo pacto ad nostram historiam spectent, inferius videbimus.

Rotbertus de Arbrisello. * vulgo Arbresec.

Rotbertus ortus est in Britanniæ pago Redonensi, in quadam villa, quam Arbrisellum * vocant. Pater ejus Damaliocbus, mater Orguendis, mediæ conditionis. Post prima litterarum elementa Parisios adüt studiorum causa, Gregorio summo pontifice. Illinc a Silvestro Redonensi episcopo revocatus, quatuor annis ei adhæsit, archipresbyter ab eo factus, incestas sacerdotum & laïcorum copulas, simoniam, aliaque ejusmodi vitia persequi non cessans. Clericis obid exosus, Silvestro mortuo, Andecavos venit, scholaribus studiis operam daturus; ibique duobus annis moratus est, lorica ad cutem indutus, ut carnem domaret. Verum, cum in turba saluti suæ non satis consulere sibi videretur, in silvam Credonensem, tunc temporis vastissimam, cum alrero presbytero secessit, ubi rigidissimam vitam duxit. Cibo agresti urebatur, a vino perinde atque a sagimine abstinens. Lectisternium humus, juge ad cutem cilicium. Hinc multi ad eum confluere cœperunt, quibus ille salutaria monita dabat. Ex his porro nonnulli se ejus magisterio subdiderunt, quos ad præscriptum regulæ sancti Augustini informavit, exstructa ecclesia beatæ Mariæ de Rota in loco, quem ei Reginaldus seu Rainaldus, Rotberti Burgundi filius, in illo saltu Credonensi concessit. Id factum anno MXCVI. quo anno Rotbertus de Arbrisellis, Andecavos ab Urbano II. accersitus, prædicandi ubique verbi divini facultatem ab eo accepit.

LXVII. Vitalis & Radulfus. * Mortain.

Eodem tempore in eadem silva degebant alii etiam eremitæ, suos quoque habentes socios & discipulos. Ex his unus erat Vitalis nomine, in villa Tigerii apud Bajocasses oriundus, & quidem in pago Moritonii *, aliis mendose Mauritaniæ, ex quo cognomen de Mauritania habuit. Parentes ejus Reigfridus & Rohardis eum studiis

adhibuere. Reversum e studiis Moritoniensis comes capellanum suum statuit. Post hæc Vitalis in solitudinem Credonensem se recepit: sed tandem regressus in patriam, Saviniacense monasterium ædificavit, ut suo loco dicturi sumus. Locus ille, ubi eremiticam vitam duxit, Domni-Petra vocatur in ejus vita, ibique septemdecim fere annis degisse dicitur.

ANN. CHR. 1093.

Tunc etiam in eodem saltu florebat Radulfus de Fusteïa, qui post legitimam cœnobiticæ vitæ in monasterio sancti Jovini de Marnis exercitationem, ad anachoreticam vitam, uti sancti Benedicti regula permittit, se transtulerat. Hic auctor fuit parthenonis sancti Sulpicii apud Redones, ut in consequentibus videbimus. Sic duo illi non modo virorum, sed etiam mulierum saluti consuluere, maxime Rotbertus de Arbrisello, quod etiam de Vitali probat Marbodi episcopi Redonensis epistola ad eum scripta.

LXVIII. Herveus inclusus.

Idem quoque studium fuit Hervei & Salomonis, qui in iisdem partibus solitariam vitam duxere, & muliebris sexus curam gessere, quorum alter nempe Salomon Nidi-avis parthenium exstruendum curavit, ut suo loco exponemus. Ad Herveum quod attinet, Vindocinensis primum cœnobii monachus fuisse traditur, unde Herveus de Trinitate dictus; inde permissu abbatis, an Bernonis, in Andegavensis pagi locum, Calonnam vocabulo, quatuor leucis ab urbe distantem, se recepit, ubi inclusi vitam egit. Saneeo nomine Goffridus Vindocinensis abbas tres ad eum scripsit epistolas, quæ postremæ sunt libri quarti. In penultima *Herveo incluso amico suo* inscripta, de duobus clericis agit, qui, referente Herveo, monachi esse volebant. Hos ut ad se mittat Herveus, & quoscumque honestæ vitæ clericos invenerit, Goffridus rogat, « professus, se in ejusmodi candidatis honestam paupertatem præferre superbis divitiis; « nihilque pro faciendis monachis quærere; sed, si quid oblatum fuerit, quia regula « id permittit, se accipere. *Ordo siquidem noster*, inquit, *exigit ut tales simus, qui non* « *lucris temporalibus, sed lucrandis animabus operam demus.* quod nostrorum animis alte infixum esse pervelim. Turpissimum quippe est homines, qui semel omnia reliquerint, & quidem satis dotatos, exigere dotem ab eis, quos Christus ad se vocaverit. Sequenti epistola, *dilecto suo Herveo* inscripta, eum hortatur, ut ne curet cujusdam Vindocinensis monachi querimoniam, qui dixisse ferebatur, Vindocinensem congregationem ab eis, quos de Britonibus *monachandos* Herveus miserat, dedecoratam fuisse. Tertia denique epistola, quæ has duas antecedit, *servo & ancillæ Dei, Herveo & Evæ inclusis* directa est, quos ut semper in melius proficiant, & assidue vigilent, « graviter hortatur, certi de mercede, incerti de mortis die. Tanto quippe graviora « apud Deum esse delicta, quanto majora erga nos ejus beneficia. Frustra quosdam « sibi blandiri de promissionibus misericordiæ, si contemnant vires justitiæ. Sicut « certum est quod Deus promittit, ita certum esse quod ipse minatur. «

LXIX. Eva reclusa & Benedicta.

Quænam sit illa Eva inclusa, docet nos poëta quidam Anglus, Hilarius nomine, qui ex Anglia in Galliam accesserat audiendi Petri Abaëlardi gratia, in cujus æmulos, qui eum a docendo compescere fecerant, vehementer invehitur. Idem prolixum rythmum edidit de sanctimoniali Eva, nobilibus Anglis nata, cujus genitrix, Oliva nomine, illi auctor fuit, ut filia ab infantia sub monastico habitu Deo consecraretur in celebri quodam beatæ Mariæ monasterio, cui vocabulum Clintonia erat. Cum diu in illo parthenone piissime vixisset, mare trajecit, venitque Andecavos, ubi locum solitarium quæsivit, ut soli Deo absque turbis serviret. tum subdit Hilarius:

> *Tandem legit sibi locum ad sanctum Eutropium,*
> *Quem prævidit sibi boni totius initium.*
> *Ibi quodam in reclusu mansit Christo dedita,*
> *Et placebat ei multum hæc vivendi semita,*
> *In qua cuncta Dei dono vitabat illicita.*

Hæc sancti Eutropii ecclesia sita erat Calonnæ, ubi Eva illa degebat cum Herveo. ita enim subdit Hilarius.

> *Ibi vixit Eva diu cum Herveo socio.*
> *Qui hæc audis, ad hanc vocem te turbari sentio.*
> *Fuge, frater, suspicari, non sit hic suspicio.*
> *Non in mundo, sed in Christo fuit hæc dilectio.*

ANN. CHR. 1093

Certe si quid suspicionis in illos fuisset, non reticuisset Goffridus Vindocinensis abbas, qui non semel ad Herveum scripsit. Herveus Evæ supervixit, quæ morti proxima, psalmos decantare cœpit.

Et hos duos Augustini versus de Sequentia :
» *Beata illa patria, quæ nescit nisi gaudia.*
» *Nam cives hujus patriæ non cessant Deo canere.*

Omnes circumstantes, sed in primis Herveum contristasse dicitur Evæ obitus, cujus

Corpus terræ juxta morem mandaverunt clerici :
Moniales adfuerunt, monachi canonici.

In fine Hilarius preces poscit pro Herveo, qui sanctus habetur Calonnæ, ubi sacra ejus ædicula cernitur, in cujus altari habetur icon sancti Eutropii episcopi, ut videtur, Andecavensis, qui Glannafoliensem basilicam primus dedicavit. Hæc etsi forte paullo serius acciderint, tamen hoc loco referenda visa sunt. Eodem fere tempore florebat, & quidem, ut puto, apud Andecavos, Benedicta reclusa, cujus epitaphium scripsit Baldricus, qui ait, eam modico carcere per multos annos reclusam fuisse, & vitæ contemplativæ operam dedisse.

LXX. Casale-benedictum conditur.

a V. lib. 67. n. 61. & lib. 68. n. 38.

* Issoudun.

Hactenus apud Silvaniacum in cella Corneliacensi [a] substiterat Andreas Vallumbrosanus: sed tandem hoc anno novum in pago Bituricensi monasterium exstruere cœpit in loco, qui tunc Casale-malanum, a posteris Casale-benedictum appellatum est. Positus est hic locus septem leucis ab urbe Biturigum, tribus ab Issolduno * seu Exolduno. Hujus castri dominus, Gausridus nomine, fundum illum sui juris, in densissima silva, ædificando monasterio donavit VIII. kalendas Sextiles hujus anni venerabili Andreæ Corneliacensi priori, cui Petrus præpositus & canonici sancti Cyrici Issoldunensis, ad quos parochialia jura pertinebant, probante Aldeberto e nostris Bituricensi archiepiscopo, ecclesiæ cum cœmeterio in honorem sancti Petri construendæ potestatem fecerunt. Ex parvis initiis paullatim crevit res familiaris ex donationibus Issoldunensium in primis dominorum, & Lineriensium, multorumque deinceps fidelium. Insuper Radulfus princeps Dolensis cum fratre suo Ebone quosdam
» servos Andreæ priori concessit in castro Radulfi, & in unoquoque castro suo unum ex
» suis hominibus, ut singuli cum tota sua progenie serviant monasterio, *quod vocatur Casalis sancti Petri. Hoc donum factum est in capitulo sanctæ Mariæ Dolensis in præsentia Johannis abbatis Dolensis, domni Erberti abbatis Virzionensis, domni Umbaudi abbatis sancti Sigiranni, & domni Andreæ abbatis Casalis sancti Petri.* Hoc monasterium nulla alia re illustrius est, quam congregatione Casalis-benedicti, cui sub initia sæculi sexti-decimi originem dedit. ob idque abbate regulari hactenus cum quatuor sibi adjunctis monasteriis gaudere meruit, cum suis membris modo subjectum congregationi sancti Mauri.

LXXI. Alfonsus rex Cluniaco munificus.

Jam annus quintus erat, ex quo Cluniacensis basilica a venerabili Hugone inchoata erat, cum Aldesonsus seu Alfonsus Hispaniæ rex, *in conservatione Cluniacensis abbatis obedientiarius*, ut loquitur Bertholdus, *Cluniaci majorem ecclesiam a fundamentis ædificavisse* perhibetur, & ad istius *ecclesiæ dedicationem infinitam pecuniam Cluniacum direxisse. qui etiam jam dudum se ibidem monachum fecisset, si dominus abbas eum sub seculari habitu retinere non satius judicaret.* Ita Bertholdus ad hunc annum. Ea porro erat principum Hispanorum in Hugonem reverentia, ut Raimundus Galliciæ & Heinricus Portugalliæ comites exemplar [b] fœderis & pacti inter se se initi, cujus ille sequester & veluti arbiter fuerat, ad eum miserint.

b Spicil. to. 3. p. 122.

Hugo quoque vir nobilis, Cluniaci monachus.

Tunc temporis Hugo vir nobilis, Luperciaci in pago Nivernensi dominus, cellam & ecclesiam sanctorum Gervasii & Protasii, castro suo subjunctam, & a suis fundatam majoribus, post mortem conjugis & unicæ filiæ suæ omnium bonorum suorum ex asse heredem fieri voluit. idemque hoc anno monastica veste indutus est. *Actum in Luperciaco-veteri* anno incarnationis M XCIII. indictione I. anno XXXIV. Philippi regis. His litteris adscripta sunt signa ipsius *Hugonis Luperciacensis, qui hoc donum fecit; Ivonis prioris Cluniacensis, Heinrici, olim Suessionensis episcopi, tunc Cluniensis monachi, & Joceranni Grossi monachi.* Notandus hic locus de Heinrico Suessionum episcopo, quem dimisso episcopatu, Cluniaci monachum factum esse, exemplo scilicet Helgodi antecessoris sui, qui ad Majus-monasterium secesserat, ex hoc loco discimus.

ANN. CHR. 1093.

LXXII. Ramirus Deo apud S Pontium oblatus. a Catel. & Blanca.

Insigne tunc pietatis exemplum præbuit Sancius Aragonensium rex, cum Ramirum seu Ranimirum filium suum impuberem, in Tomeriensi sancti Pontii monasterio, cui tunc Frotardus abbas præerat, Deo obtulit. Exstat præclarum ejus facti monumentum, regium scilicet ipsius Sancii [a] diploma, quo testatur, se Spiritus-sancti « instinctu, ob immensa sibi a Deo collata beneficia, amabile pignus, Raimirum filium « suum, in perpetuum offerre Deo & gloriosæ semper Virgini Mariæ, necnon glorioso « martyri Pontio atque abbati Frotardo & monachis ibidem degentibus, ea lege, ut « monachus fiat secundum regulam sancti Benedicti, & imploret Dei bonitatem pro se « ejusque genitrice, cunctisque propinquis suis. Præter hanc oblationem, amplissimas « eidem loco donationes facit una cum dilecto filio suo Petro, regnante in Suprarbio, « Riparcurcia, & Montesono, pro remedio animæ suæ, parentumque ac filiorum suorum, necnon avi sui Sancii, omniumque propinquorum suorum : ut ipsi monachi « sancti Ponrii, quos speciali amore se præ ceteris diligere ait, Domini pietatem pro « se deprecentur, ut ipsi det victoriam contra inimicos nominis christiani, & ipse ex « hoc regno ad regni cælestis gaudia transire valeat. Tum subdit : *Vos igitur, confratres* « *mei de sancto Pontio, misereminì amantissimo filio meo Raimiro, quem dono & offero Deo & prædicto cœnobio, ea videlicet devotione & fide, qua obtulit Abraham filium suum Isaac Deo, & Anna Samuel filium suum sacerdoti Heli in conspectu Dei : quatenus in templo Dei semper deserviat; atque ejus exemplo & vita & doctrina provocatus, necnon precibus prædicti filii mei ac vestris adjutus, valeam pervenire ad virentis paradisi gaudia* &c. *Facta ista charta vel scriptura* V. *nonas Maii, æra* M C XXXI. *in anno dominicæ incarnationis* M XCIII. *regnante me Saucio rege in Aragone & in Pampilona; Petro autem filio meo prælibato regnante in Suprarbio, & in Riparcurcia, & in Montesono.* Vixit in illo monasterio annis amplius quadraginta Raimirus seu Ramirus, indeque postmodum eductus jam sacerdos ad capessendum Aragonum regnum, ut suo loco, Deo dante, dicturi sumus. Non diu post hanc filii oblationem superstes fuit rex Sancius. Cum enim urbis Oscæ, quam Abderames rex Maurorum obtinebat, situm & mœnia exploraret, sagitta latus confixus interiit anno sequenti, in Montaragonis cœnobio, quod ipse construi curaverat, tumulo illatus; sed ob Maurorum incursiones in Pinnatensi conditus. Petrum filium habuit successorem.

LXXIII. Berengarii monachi obitus.

Hoc anno excessit e vivis Berengarius, sancti Papuli in Septimania monachus sanctus, nobilis Tolosanus, cujus pater Bernardus, mater Hilloardis vocabatur. Is, relictis omnibus, quæ in sæculo habere poterat, divino cultui se mancipavit: ubi varia monasterii officia religiosissime obivit. Completis in sancta conversatione vitæ suæ diebus, ipso die sacræ Cœnæ dominicæ, cum in quodam castello, quod Lauticum vocatur, pro sui monasterii negotiis versaretur, morbo correptus, ad monasterium defertur: ubi diu cum morbo luctatus, tandem ipsa nocte dominicæ ascensionis, quæ illo anno in septimum kalendas Junii incidebat, ecclesiæ sacramenris munitus, piissime decessit, miraculis ante & post obitum celebratus, adeoque pro sancto habitus. Libellum de ejus vita scripsit quidam Beccensis monachus, Anselmus nomine, alius sine dubio a sancto Anselmo, rogatus a Raimundo sancti Papuli abbate, cum apud illum diversaretur.

LXXIV. Rainaudus abbas S Stephani de Vallibus. a V. lib. 64. n. 106.

Jam anni fere octodecim [a] erant, ex quo sancti Stephani de Vallibus abbatia condita fuerat, cum ejus loci monachi, orbati pastore, memores sanctæ memoriæ Goderanni Malliacensis abbatis & Santonensis episcopi, qui primum ipsis abbatem concesserat, Gaufridum abbatem fratresque Malliacenses convenerunt, rogaturi, ut unum ex eis abbatem sibi concederent, *cujus doctrina & magisterio secundum instituta sancti patris Benedicti regulariter vivere possent;* se seque domni Gaufridi abbatis, ejusque successorum ordinationi submiserunt, eo pacto ut, quotiescumque pastore destituti essent, abbatem e Malliacensi monasterio pro nutu abbatis acciperent. Si quis tamen in suo Vallensi monasterio ad illud munus idoneus haberetur, ductus ad Malliacense monasterium, factaque inibi abbati & monachis obedientiæ promissione, Vallensis abbas constitueretur. quibus conditionibus acceptis, Gaufridus abbas rogatu monachorum & Ramnulfi episcopi Santonensis, necnon Heliæ de Didona nobilis viri, fratrem quemdam, Rainaudum nomine, Vallensibus abbatem dedit. Hoc monasterium sancti Stephani de Vallibus hactenus exsistit.

LXXV. S. Michaelis cella Burguliensis.

Hoc ipso anno vir nobilis Aimericus, Machelli Santonensis filius, sancti Michaelis ecclesiam ad Ligerim a majoribus suis fundatam ac dotatam pro quatuor canonicis,

ANN. CHR. 1093.

negligentius cultam animadvertens, quod avus suus Ingelgerius jam facere voluerat, Burguliensibus monachis commisit, uti pater postulaverat ipsius Machellus qui Burgulii monachus factus erat, & Richeldem Ingelgerii filiam, quæ & ipsa id flagitabat, in matrimonium duxerat. Hæc donatio facta est in capitulo Burguliensi, ubi Aimericus suffragiorum beneficium obtinuit, eique ac fratri ipsius Carbonello concessum, ut ambo mortui ibidem humarentur; aut, si vellent, viventes illic monachi admitterentur. Hæc ipsa donatio a Radulfo Turonum archiepiscopo & a Fulcone Andecavorum comite, Goffredi Martelli nepote, confirmata fuit. Perstat etiam nunc hæc cella, sed exigui census, Burguliensi abbatiæ subjecta. qui locus, vulgo sancti Michaëlis absolute appellatus, medio fere itinere Burgulium inter & urbem Turonum ad Ligerim positus est.

Burdegalense concilium.

In chronico Malliacensi legimus, habitum fuisse hoc anno Burdegalæ concilium, sed quid in eo actum sit, quive episcopi illi interfuerint, nusquam legitur. Tantum ex chartario monasterii Regulæ in Wasconia discimus & nomina episcoporum, & restitutionem Floriacensibus in illo concilio factam cellæ sancti Caprasii de Pontonis, in pago Ausciensi super Adurcium * sitæ, quæ a quibusdam invasoribus occupata erat. Hanc invasionem graviter ferens Otgerius de Landorrone, Regulæ prior, adiit Burdegalense concilium coram domno Amato, legato sedis apostolicæ & Burdegalensi archiepiscopo, necnon archiepiscopo Ausciensi Willelmo-Bernardo, ceterisque concilii episcopis & abbatibus, in his Beroardo Aquensi episcopo, qui tunc prædictam cellam injuste retinebat. Proclamatione in eum ab Otgerio facta, cum rem negare non posset, eamdem cellam Benedicto in ipso concilio restituit. Huic restitutioni subscripsere concilii patres, videlicet Amatus Burdegalensis & Willelmus-Bernardus Ausciensis, archiepiscopi; tum episcopi Simon Aginnensis, Rainaldus Petragoricensis, Ademarus Engolismensis, Hodo Bigorræ, Bertrandus Convenarum, Petrus Adurensis, Stephanus Vasatensis, & Bernardus Aquensis, qui hanc restitutionem fecit, uti fusius in Appendice leges. Hujus cellæ meminit Tortarius [a] in libro de miraculis sancti Benedicti.

* l'Adour.

a Tortar. capp 22. & 23.

LXXVI. S. Trudonis abbatiæ infelix status.

Apud Belgas in monasterio sancti Trudonis pristinis procellis novæ succedunt. Mortuo quippe Luipone, per quem [b] abbatia in gravissimas calamitates redacta fuerat, dux Godefridus, qui non multo post Jerosolymitanam expeditionem aggressus est, totam abbatiam [c] sibi vindicavit. Necdum reparata erant templi & monasterii ædificia, sed fratres veluti in tuguriis, ad ambustos parietes habitabant, disciplinæ fere ac consilii expertes. Hos inter unus erat, Herimannus nomine, illius Herimanni quondam abbatis nepos, nobili genere natus, & a puero illic educatus, homo sine litteris, sed multæ audaciæ, tacitus & patiens ad dissimulandas injurias, sed promtus ad eas ulciscendas: qui laïcorum quorumdam pravis corruptus consiliis, a duce Godefrido abbatiam centum marcarum pretio nundinatus est. Sic, exhaustis penitus monasterii facultatibus, pauci, qui reliqui erant, fratres in summa vivebant inopia, a propinquis, vel etiam a quibusvis illuc intrantibus stipem emendicare coacti. Interim Herimannus nunc apud Otbertum Leodicensem episcopum ejusque familiares, nunc apud Popponem Mettensem, a quo abbatia in temporalibus pendebat, nihil non tentabat, quo abbatiam sibi assereret; idque tandem, prævalente pecunia, reclamantibus nequicquam monachis, a Poppone extorsit. Hinc monachorum graves querelæ apud Otbertum episcopum. Citatus Herimannus, cum non adfuisset, excommunicatur; metuensque ne ab episcopo militari manu ejiceretur, ad comitem Lemburgensem Henricum, qui monasterii major advocatus erat, confugit. Aliunde, durante inter Heinricum regem & Mettensem episcopum veteri dissidio, rex partem illam dominicalem, quam episcopus in sancti Trudonis monasterio habere debebat, Arnulfo *de Los* comiti in beneficium dedit. quod indigne ferens Henricus comes, loci advocatus, cum aliquot equitibus eo se contulit, adducto secum Herimanno, ut eum in abbatia vi restitueret: at fratres nec minis, nec blanditiis ad eum recipiendum adduci potuerunt, immo nec divinum officium celebrare voluerunt, quamdiu ille intra septa monasterii versatus est. Dum hæc agerentur, Arnulfus comes, collecta suorum ingenti multitudine, illuc advolat, eum occisurus, nisi comes Godefridus de Lovanio, qui postea dux exstitit, eum ab ejus manibus eripuisset. Hac itaque repulsa Henricus gravissime efferatus, quæcumque de rebus sancti Trudonis surripere & invadere potuit, vastat, consumit, profligat, susque ut

b supra n. 12.
c Spicil. to. 7. p. 392. & seqq.

idem faciant præcipit. Ex alia parte dux Godefridus Bullionius, quidquid sanctus Trudo in Hasbania & Testrebanto possidebat, in suos usus convertit, dum Henricus comes, quæ citra & ultra Mosam, & in Ripuaria & circa Rhenum erant, depopulabatur. Quin etiam ipsi villici pro libito res sibi creditas impune usurpabant. Inter hæc, aliaque innumerabilia mala, cum pæne ad nihilum redacta esset nobilissima isthæc abbatia, tandem corda Leodicensium tetigit miseratio divina, eosque movit ad quærendum tantis malis opportunum remedium, scilicet idoneum pastorem, qui afflictæ ecclesiæ subvenire posset. Nullus ad id aptior repertus est, quam Theodericus ejus loci monachus, qui illinc ad Gandense monasterium sub contentione abbatum Lanzonis & Luiponis se receperat. qua de re inferius suo loco.

LXXVII. Lacense monasterium inchoatur.

In diœcesi Trevirensi condi cœptum hoc anno monasterium ad Lacum, uno ab Antonnaco seu Andrenaco, tribus a Confluentia milliaribus. Ejus conditores fuere Henricus comes Palatinus & Adelheida ejus conjux, liberorum expertes, qui ex patrimonio suo monasterium in honorem beatæ Dei-genitricis Mariæ, sanctique Nicolai, probante Egilberto seu Hilberto Trevirensi archiepiscopo construere cœperunt, quod Sifridus Henrici privignus, Adelheidæ scilicet ex priori marito filius, perfecit. Tempus incboati monasterii discimus ex litteris Henrici comitis a Miræo[a] relatis. Trithemius banc constructionem triennio prævertit in chronico Hirsaugiensi, ubi ait, Henricum morte instante Sifridum privignum, Brabantiæ comitem, bonorum suorum heredem instituisse, ea lege, ut Lacense monasterium quantocius perficeret. At ille promissi tardus exsecutor, Jerosolymitanæ expeditioni prius nomen dedit. Verum in mari periclitatus, voto facto liberatus, ubi primum domum revertit, monasterium a vitrico incœptum perfecit, eique abbatem Giselbertum, e grege Affligemiensium cum colonia monachorum assumtum, præfecit, cum eo, ut Lacense monasterium Affligemiensi subjectum esset. Henricus Lemburgius comes, de quo mox agebamus, subscripsit primariis litteris comitis Palatini, qui non multo post in schismate decessit, scilicet anno M XCV. teste Bertholdo, sepultus in monasterio Lacensi, primo ante capitulum, ubi etiam nunc visitur ingens lapis ejus sepulcro olim impositus, licet corpus ejus, monasterio absoluto, in navim ecclesiæ postea translatum fuerit. Hoc tandem sub organis in mausoleo affabre pro tempore exstructo conditum est, addito epitaphio, ex quo discimus banc ultimam translationem curante Thirrico seu Theoderico abbate, ptimo hujus nominis aut secundo, qui sæculo duodecimo vixerat, factam fuisse. Carolus Ludovicus Tolnerus hæc omnia refert in bistoria Palatina, Francofurti edita anno M DCCIX. in cujus capite undecimo figura ejusdem mausolæi æri incisa repræsentatur. Idem auctor in codice diplomatico Palatino, ibidem vulgato, duo diplomata de Lacensis monasterii fundatione integra exhibet, quorum initia solummodo Miræus in notitia ecclesiarum Belgii retulerat. In priori, quod est Henrici comitis Palatini loci conditoris, anno, ut jam dictum est, M XCIII. dato, multæ conditiones præscribuntur, quibus monasterii advocatos obligari imperat comes, statuitque ut ubicumque se mori contigerit, corpus ejus in Lacensi monasterio sepeliatur, quod idem de sua ipsius uxore & successoribus suis loci advocatis constituit. tum recenset prædia a se in dotem novi monasterii data, & ne quis ea temerare aggrediatur, præter *Heilbertum* Treverensem archiepiscopum, in cujus diœcesi monasterium situm est, alii quoque plurimi viri nobiles, e quibus nonnulli ipsi consanguinitate conjuncti erant, subscripserunt. In altero diplomate Sigefridus, Adheleidis tum uxoris Henrici, ex altero Henrico, scilicet hujus nominis secundo, Brabantiæ comite filius, testamento ipsius Henrici comitis Palatini ejus in comitatu heres & successor factus, Lacense monasterium, quod a privigno suo incœptum fuerat, se absolvisse dicit, pænitentia ductus, quod juvenili animo opus illud, a suo decessore sibi commendatum, aliquamdiu distulisset. tum bona ab eodem Henrico jam collata confirmat, eisque nova superaddit, advocatis etiam præscribit leges, aliaque fere omnia, quæ in superiori diplomate habentur repetit, hoc addito, ut Lacense monasterium cum suis omnibus appendiciis sub cura Affligemiensis abbatis & ejus successorum ita constitutum sit, ut his duobus monasteriis unicus præsit abbas, *quia*, inquit, *uterque locus in allodio meo situs erat.* ad hæc vult, ut defuncto abbate aliquot fratres idonei e Lacu Affligemium mittantur, qui electioni successoris intersint, eumque in proprium pastorem suscipiant. Plurimi viri nobiles huic chartæ subscripserunt, sed sine notis chronicis. Trithemius

[a] a Mir. notit. p. 136.

ANN. CHR. 1093.

monasterii ædificia anno M CXII. absoluta fuisse tradit. Henricus IV. imperator multa prædia recenset in privilegio a se concesso, quæ a Sigefrido huic monasterio tradita fuerant. An vero hæc duorum monasteriorum unio diu perstiterit, baud liquet. negat Trithemius, & quidem si abbatum Lacensium catalogo, quem Bucelinus refert, fidem adhibeamus, post duos aut tres abbates ignotos, qui præcessisse creduntur, Gisslebertus seu Gilbertus præfuisse dicitur, qui obiit anno M C III. duodecimo regiminis sui anno; Trithemius vero in chronico Hirsaugiensi [a] novæ editionis Gisslebertum ex monasterio Affligemiensi adductum primum abbatem absolute appellat, procul dubio quod ante eum Affligemii abbates, quos anonymos laudavit Bucelinus, Lacui quoque præfuissent. Fulbertus Gissleberti successor *suo antecessori & magistro simillimus & claris illustris actibus, moribus ornatus, sapiens* &c. ab eodem Bucelino dicitur, qui bibliothecam multum adauxit, uterque *ob relicta ingenii monimenta* commendatus. Perseverat etiam nunc hoc monasterium, quod ob reliquias sanctorum multas, quæ ibi asservantur, & viros plurimos doctrina & pietate insignes celeberrimum evasit.

a Trith. to. 1. p. 293.

LXXVIII. Satanaci cella Gorziæ restituta.

Ex variis cellis, quæ Gorziensi quondam celebri abbatiæ parebant, duæ baud ignobiles erant: una Satanaci ad Mosam infra Virdunum, sancti Dagoberti regis ac martyris reliquiis & nomine illustrata: altera in Lotharingia in Warengisi-villa ad Mortam fluvium supra Nanceium. Priorem cellam Gorziensibus contulit [b] Godefridus Barbatus, dux utriusque Lotharingiæ, ejectis solutioris vitæ clericis, qui illi ecclesiæ negligentius inserviebant. Is fuit parens Godefridi Gibbosi, qui ei in ducatu successit, & Idæ, quæ Eustachiô Boloniensi comiti nupta, peperit Godefridum Bullionium, cujus paullo ante facta mentio est. Hic Godefridi Gibbosi avunculi sui, absque liberis mortui, honores adeptus, Satanacensem sancti Dagoberti ecclesiam, quam Arnulfus comes occupaverat, Gorziensibus restitui curavit. Exstant hac de re litteræ, hoc ipso anno Bullionii datæ, anno decimo pontificatus Eilberti seu Egilberti Trevirorum archiepiscopi, in cujus diœcesi Satanacum situm est. Præfuit ad hunc usque annum Gorziensi monasterio Henricus abbas, qui obiit hoc ipso anno kalendis Maii, ut in ejus epitaphio legitur, in quo *pia memoriæ abbas & sacerdos* dicitur. Successit Warnerus, cujus rogatu Poppo episcopus altare sanctæ Crucis & martyris Gorgonii sacravit.

b V. lib. 63. n. 38.

LXXIX. S. Nicolai monasterium in Lotharingia.

Altera Waringisi-villæ cella in pago Calvomontensi posita, ad dextram Mortæ [*] ripam, duabus supra Nanceium leucis, ab Angilramno Mettensi [c] episcopo Gorziensi monasterio, novissime constructo, attributa fuerat. Huic intermedio fluvio adjacebat locus, Portus vocabulo, ubi antiquitus sacra beatissimæ virginis Mariæ ædicula erat, Warengisi-villæ subjecta. Percelebris hic locus evasit ex depositione reliquiarum sancti Nicolai, quas ex Bari urbe miles quidam, Albertus nomine, hoc circiter anno istuc attulit. Ab eo tempore tanta fuit eo in loco peregrinorum ac miraculorum frequentia, ut ex tenui villa insigne opidum accreverit, sancti Nicolai nomine nuncupatum. Hanc sancti Nicolai reliquiarum, id est unius ejus articuli translationem *eodem fere tempore*, quo ejus corpus e Myrrhea urbe Barim illatum est, factam fuisse tradit Richerius in chronico [d] Senoniensi, ubi quidam miles ex illis Lotharingiæ partibus, Barim adiisse dicitur, indeque ejusdem sancti *articulum digiti* retulisse, quem in loco, qui Portus dicitur, reposuerit, ad villulam tunc admodum parvam, *quæ nunc*, inquit, *ad instar magni opidi per merita beati Nicolai aucta cernitur: ubi idem sanctus tantis claret miraculis, ut captivorum, febricitantium, aliarumque infirmitatum laborantium frequentatione adeo repleatur, ut, si quis boiarum & catenarum velit considerare in ea pondus innumerabile, miraculis potius fidem dare poterit, quam narrationi.* Addit idem auctor hunc locum frequentari a Burgundionibus, Francis, Alemannis, & ab universis circumquaque regionibus, quod hodie quoque fieri videmus. Scribebat hic auctor principatu sancti Ludovici, qui ex imminente naufragio, dum ad expeditionem sacram mare trajiceret, ereptus est, voto a Margarita regina ejus conjuge facto sancto Nicolao de Waringisi-villa, admonitu Joinvillæi, qui naviculam ex argento fabrefactam ad illam sancti Nicolai ecclesiam, uti regina voverat, reversus detulit. Eadem fuit multorum Galliæ regum ac principum in sacrum illum locum pietas, quem Waringisi-villæ monachi a principio excoluere. Verum, cum tantæ peregrinorum multitudini vetus templum non sufficeret, Simon Monceïus Warengisi-villæ prior, aliud amplissimum, quo nullum in tota illa provincia augustius, construere aggressus est anno M CCCC XCV. quod ex Lotharingiæ principum munificentia

* la Meurte.

c V. lib. 24. num. 26.

d Chron. Senon. lib. 2. c. 23.

nificentia & fidelium oblationibus intra quadraginta & novem annos absolutum est. Ad Warengisi-villæ cellam quod attinet, Gorziensi abbatia in sæcularem statum mutata, illius cellæ omnes possessiones Nanceïanæ primatiali ecclesiæ Pauli V. auctoritate attributæ sunt, ne minimo quidem censu sancti Nicolai ecclesiæ relicto, quæ a patribus congregationis sancti Vitoni tanto studio exculta est, ut non solum ecclesia, quæ igne Suecico violata fuerat, penitus instaurata sit; sed etiam insigne eidem adjunctum monasterium, cujus fabrica reverendi patris Caroli Georgii, multoties illic prioris, curis & industriæ potissimum tribuenda est.

LXXX. Bursfeldense monasterium conditur.

Ad hunc annum revocanda sunt initia monasterii Bursfeldensis in Saxonia positi, quod percelebri ejusdem nominis congregationi originem dedit. Ejus conditores exstitere Heinricus filius Ottonis ducis, & inclyta ejus conjux Gertrudis, filia Ekkeberti marchionis, qui a quodam nobili viro Alberto locum construendo in honorem sancti Thomæ apostoli & sancti Nicolai monasterio compararunt, illudque amplissime dotarunt. Locus Miminde appellatur in antiquis monasterii tabulis, regia olim villa, ubi nobile illud cœnobium conditum est, intra Wernæ & Fuldæ confluentes in finibus Patherbrunnensis diœcesis, ubi archiepiscopi Moguntini jurisdictio desinit. Istuc nova monachorum colonia deducta ex Corbeia-nova, cui tunc Marcwardus abbas, olim episcopus, præerat. Hæc omnia discimus ex litteris Ruothardi Moguntini archiepiscopi, a Nicolao Schateno [a] ad hunc annum relatis, quibus monasterii constructionem, dotationemque ratam habuit. Ex hoc monasterio sub finem sæculi quinti-decimi orta est insignis congregatio Bursfeldensis, cujus primordia vidit, illustravitque Johannes Trithemius, ejusdem præcipuum ornamentum: cujus tempore jam ultra centum monasteria eidem congregationi aggregata erant. Centum & quindecim numerat Bucelinus.

[a] Annal. Paderborn. p. 634.

LXXXI. Pegaviense item aliaque Germaniæ monasteria.

Hoc etiam anno dedicatum est Pegaviense in Saxonia monasterium VII. kal. Augusti, cujus fundamenta biennio ante jacta fuerant, testante Siffredo presbytero Misnensi, qui ejus auctorem Wipertum marchionem laudat. Ejus loci abbas jus ferendi suffragii in comitiis imperialibus habebat.

Bertboldus auctor est, Sigefridum abbatem Scafusensem eodem anno cellam Nobiliacum dictam a Richardo Massiliensi abbate impetravisse, locumque sibi, suisque fratribus præparavisse, quo ad tempus secedere posset, si forte in suo monasterio propter excommunicationem persistere non posset. nam veternosa illa excommunicatio, quam Gregorius VII. in Wibertum eique adhærentes tulerat, jam adeo majores & minores in Alemannia contaminaverat, ut religiosi quique inter eos, salva catholica communione, se perdurare posse desperarent.

Nonnihil etiam contulit idem Sigefridus abbas ad sancti Petri in Nigra-silva monasterii ornatum, quod hoc quoque anno dux Bertholdus a fundamentis exstruxit, multisque prædiis dotavit, collatis eidem cœnobio rebus omnibus alterius monasterii, quod ejus pater alio in loco ædificaverat. Novum hoc monasterium ejusdem ducis frater Gebehardus, Constantiensis episcopus & apostolicæ sedis legatus consecravit, kalendis Augusti, die festo sancti Petri ad Vincula, *quorum magnam partem venerandus abbas Sigefridus de cella Salvatoris*, inquit Bertholdus, id est Scafusensis, eidem loco cum multis aliis reliquiis contulit. Eidem committitur regimen & ordinatio ejusdem loci, qui sedi apostolicæ peculiari jure subjicitur.

Tunc etiam Hartmannus comes, ejusque frater Otto novum monasterium in proprio prædio, haud procul ab Ulma Sueviæ præcipua urbe, in loco, ubi Danubius Ilaris fluvii aquas haurit, in honorem sancti Martini construxerunt, Wiblingense seu Biblingense nuncupatum, quod prædictus Constantiensis episcopus consecravit. Otto vero, sancti Blasii abbas, regularem illic vitam instituit, Wernbero abbate ex suis eidem loco præfecto. Quin etiam idem Otto aliud monasterium, non multum illinc dissitum, informavit, quod in honorem sancti Georgii quidam Cuonradus cum suo fratre excitaverat, idemque episcopus dedicaverat. Hæc ex Bertholdo.

LXXXII. Udalrici Cluniacensis obitus.

Eodem anno Udalricus in cella, quam in Nigra-silva erexerat, cum a duobus annis utroque oculo orbatus fuisset, ad æternam lucem migravit. Per biennium illud, cum nulla alia re occupari posset, psalmorum cantu & auditu sacrarum lectionum, ablati luminis tædium relevare consueverat. Ejus orationi compatiens venerabilis Hugo abbas, eum per venerabilem virum Cunonem, Cluniacum revocare curavit, ut ei congrua & opportuna solatia impenderentur. at ille in sua soli-

tudine perfistere maluit. Quam ob rem Hugo coram Cunone prostratus veniam errarorum, si qua in re Udalricum offendisset, humiliter petiit, vicissimque Udalrico, si quid in se deliquisset, ex animo remisit. Post duos cæcitatis annos, cum in morbum incidisset vir Dei, virum vitæ venerabilis Widonem, qui ad recitandas regulares horas sibi deputatus erat, rogavit, ut sibi in extremis posito hanc Apostoli lectionem, *Sancti per fidem vicerunt regna*, recitari curaret. Eo in agone posito, vir multæ religionis Eberhardus, qui tunc eidem congregationi invigilabat, ad eum accessit, petiitque an se audiret. tum ille: Audio, inquit, & audiris. Postera die prædictus Wido, qui sancto patri per tres dies assidue adstiterat, ad illum post primæ horæ celebrationem ingressus, eum in extremis agentem reperit, eique mox dictam Apostoli sententiam recitavit: cujus inter verba vir sanctus, qui fide regnum mundi vicerat, & justitiam, dum viveret, operatus erat, fratribus in lacrymis, precesque effusis, sanctitate non minus quam ætate provectus, spiritum Deo reddidit pridie idus Julii, sicque æternæ beatitudinis repromissionem est adeptus, uti ejus & apparitio Cunoni facta, & miracula subsecuta testantur. Libellum de ejus vita composuit anonymus ejusdem cellæ in Sylva-nigra monachus subæqualis. Sancti Udalrici festum Cluniacenses nostri celebrant VI. idus Julii, quo die in monasticis martyrologiis & in catalogo Ferrarii colitur: tametsi ejus obitus pridie idus ejusdem mensis acciderit. De ejus scriptis actum superius*.

a lib. 66. n. 103

LXXXIII. Gigniaco & Novalisiæ factæ donationes.

Per idem tempus quidam vir illustrissimus, Nantelmus nomine, laudantibus Humberto Sabaudiæ comite & Widone Genevensi episcopo, ecclesiam in honorem beatissimæ Dei-genitricis Mariæ ædificavit in quodam prædio, ab eodem Humberto sibi concesso, in loco, qui tum Bellæ-valles* dictus est, sito supra villam Boggarum, quæ Schola nuncupatur; eumdemque locum Gigniacensibus monachis ad cellam exstruendam contulit. Actum est hoc in eadem ecclesia, dum a Bosone Tarentasiensi archiepiscopo, Bosone Augustensi & Conone Maurianensi episcopis consecraretur.

** Bellevaux.*

Prædictus Humbertus, Maurianensis comes atque Italiæ marchio, ejus nominis secundus, præsente Conone Maurianensi episcopo mox laudato, & domno Eraudo Bremensi abbate, donat, offertque beato Petro apostolorum principi de Novalesia, in superiori Lanceo incensum, quod dicitur Sabainum, cum suis adjunctis. Insuper confirmat omnes donationes, quæ eidem dilecto monasterio ab avia sua Adelaïde collatæ fuerant. Hæc ex Guichenone in historia Sabaudiæ.

LXXXIV. Pomposiæ abbas Hieronymus & insignis bibliotheca.

Florebat tunc temporis in Pomposiano agri Ravennatis monasterio illustris abbas, Hieronymus nomine, qui inter ceteras animi dotes, miro litterarum amore flagrabat. Testis hac de re bibliotheca locupletissima ab eo instructa, de qua audiendus Henricus clericus ejus temporis in epistola ad quemdam Stephanum, quam noster Bernardus *de Montfaucon* in Diarii sui Italici capite VI. retulit. Præmissis nonnullis, Stephanus de Guidone Pomposiani monasterii primo abbate, tum de Hieronymo, ejusque bibliotheca ita disserit.

Pomposiana ergo basilica, sicuti ego accepi, ex tempore Guidonis, mira sanctitatis primi ejusdem colendi loci patris, mirifice honestari ac augeri cœpit. Cujus sanctitate viri gens afflata atque exhilarata, quam plures undique ad hoc venerabile, tutumque properabant certatim effugium, cupientes tam sancti magistri instrui disciplinis, vitamque sub monastica castigare trutina: inter quos etiam quidam marchionum, comitum, procerumque filii deliciis omissis pompaque sæculari posthabita, convenerunt, Deoque operante usque hodie non desistunt. Quo in tempore iste dominus meus, de quo nobis sermo, Hieronymus abbas a puero advectus, sufficienter didicit monachicam normam: deinde in grammatica studuit fundamento; sed & dialectica aliquando libavit acumina, in brevique, Deo magistrante, multum profecit tempore. Tunc ex priore abbas a fratribus gratanter ordinatus est. qui quoniam erat ingenio promptus, animo placidus, fratrum amator, morum longe politus honestate, mente providus, cernens tantam se gentem sine vomere ac marra divini cultus minime fructificare posse; ilico data opera curiose ubique quærere cœpit diversorum volumina doctorum, quæ præsentibus posterisque documenta relinqueret, ut, sicut genere studioque diversi erant, sic in his unusquisque specularetur quid imitandum, quidve aspernandum sibi foret. Difficile mihi videtur, quempiam virtutes ac vitia discernere libere posse ignorantem ænigmata & sententias Scripturarum. Quis enim agroto antidotum dare novit, nisi qui didicit? quisve remigii ignarus ratem committere fragilem

savo audeat ponto? Sed quoniam bonos lividorum aculei stimulare acriter solent; nonnulli, quibus mens insana fuerat, diffidere, dissentire, ac objurgare ex hoc praeclarum coeperunt abbatem. Alii eum frustra in nugis bona monasterii dissipare; alii autem illum hoc ob id agere, ut aliquando cum totis libris fugiens, aliquem acquireret episcopatum sibi instanter asserebant. a quibus mens mea longe aliena fuit, semperque quod bonum & aequum sub hoc credidit negotio. Cui operi ex abbatis jussu Bonus nomine & exemplo monachus ex eremita praerat, omnium dogmate artium peritus. qui etiam aestuans ut tantum librorum exempla colligeret, non curabat distinctas & decoras litteras, sed quoquomodo formatas. Decreverat enim praedictus abbas eosdem rescribere & in unum bibliotheca corpus colligere. unde quosdam ex fratribus adversos habeo ob nimiam titulationem non valentes legere libros a me scriptos. Nulla autem ecclesia, nec urbs, neque provincia, tandem nec ipsa Roma orbis caput, certet laudibus Pomposiae copia sanctorum fortunatae librorum. Quis igitur tam ferreus, quis tam immitis, tamve bestius & excors, qui non optet quiescere in Pomposiano claustro a strepitu mundanae pestis, ubi jugiter aedificationis & salvationis meretur intelligere verba? Sicut enim probos mores colloquia corrumpunt prava: sic e converso bona colloquia malos destruunt mores, immittuntque bonos. Sed ne tibi parum sufficere videatur quod de libris memoravi, libet etiam titulum uniuscujusque libri scribere: ut quod puris non credis verbis, saltem fidelibus subjectum credas oculis. Nec enim hoc in vanum conati sumus. quoniam accidere potest, ut errore aliquis ex his subtractus latenter liber oblivioni tradatur: sed perlecta hac pagina, fidelis librorum custos eum diligenter inquirat, si forte vel ex fratribus, vel advena sustulit, armario restituatur continuo.

ANN. CHR. 1093.

Post haec Henricus ponit amplissimum catalogum librorum, qui tunc in bibliotheca Pomposiana asservabantur; & in fine subdit, sagax Hieronymi abbatis ingenium numquam quiescere, sedulo rogitando & percunctando sicubi alii latitent libri, quos suo armario addere valeat: *ut inter Italicas, Pomposiana mire fulgeat ecclesia.* Denique idem auctor sibi objicit quosdam superstitiosos & malevolos, qui ut sancto loco detrahant & optimo abbati, forte arguent, cur idem venerabilis abbas Hieronymus gentilium codices fabulasque erroris, sacris divinisque inserat codicibus. *Quibus respondendum est*, inquit, *apostolicis verbis, quia in domo potentis non solum vasa aurea & argentea, sed & fictilia sunt.* quippe hoc egit piissimus abbas, *ut pro studio & merito suo habeat unusquisque in quibus oblectetur, & proprie exerceat ingenium.* Haec forte paullo longius persecutus sum: ast haec, si qua est, digressio mihi necessaria visa est ad reparandam quodammodo vastati & deserti nobilissimi quondam coenobii memoriam.

ANN. CHR. 1094.

LXXXV. Rerum status anni sequentis.

POstero anno M XCIV. Heinrico rege in Germaniam reverso, res in Italia & in Urbe quietiores esse coeperunt: sed tamen Guibertini, turrim Crescentii adhuc obtinentes, liberum per pontem Tiberis non permittebant transitum ad Papam, qui prope sanctam Mariam-novam demorabatur. Unde factiosi illi *abbatem quemdam de cella sancti Petri in Alemannia*, id est Petroburgensi (si bene conjicio) prope Constantiam, a Gebehardo Constantiensium episcopo, ejusque fratre duce Bertholdo ad papam missum, cum per illum pontem transiret, comprehensum retinuerunt. Haec Bertholdus, qui addit, Gebehardum episcopum Constantiae magnam synodum episcoporum, abbatum, & clericorum hebdomada majore ante pascha habuisse, & in ea multa correctione digna emendasse. In illa synodo Sigefridus abbas cellae Salvatoris, scilicet Scafusensis, de Dudone *obedientiario* suo conquestus est, quod, cum se suaque bona alteri monasterio tradidisset, non multo post sacrilege se cum rebus suis illinc subtraxerat. Unde sancta synodus juxta statuta canonum praecepit, ut Dudo ille ad obedientiam abbatis sui rediret, suique errati meritam poenam subiret. quod & factum est. Ejusmodi obedientarii laici erant, qui se suaque monasteriis devovebant, ut superius observatum. Per id tempus pestilentia ingens in Germania, Gallia, Italiaque grassata est, quae plerosque mortales ad poenitentiam commovit, & animos ad expeditionem sacram disposuit.

LXXXVI. Petrus eremita Urbanum excitat ad sacram expeditionem.

Interim nuntius Jerosolymis Romam advenit, Simonis patriarchae litteras afferens ad Urbanum papam, quibus eum ad subveniendum locis sacris, eaque e manibus Saracenorum, qui jam dudum ea occupabant, & christianos illuc proficiscentes dire vexabant, eripienda excitaret. His litteris lectis, simulque Petri eremitae, qui eas attulerat, sermone eadem in majus orante commotus pontifex, statuit pro virili rem

ANN. CHR. 1094.

exsequi, uti rogabatur. quod sequenti anno in concilio Claromontano ad effectum perductum est. Sed quia de Petro eremita sæpius in consequentibus dicendi erit occasio, quis ille, qualisve fuerit, hoc loco præmittendum est.

Guibertus, illius temporis gravis auctor, in libro secundo de bello sacro, de eo agit, *quem ex urbe, ni fallor*, inquit, *Ambianensi ortum, in superiore nescio qua Galliarum parte solitariam sub habitu monachico vitam duxisse comperimus.* Tum ejusdem Petri vestes describit, aitque, eum *tunica ad purum cucullo super, utrisque talaribus, birroque desuper indutum fuisse.* Quod Guibertus de loco ejus nativitatis dubitanter scribere videtur, id tantum de ipsa urbe Ambianorum intelligendum est. Petrum enim in territorio saltem Ambianensi ortum fuisse omnes consentiunt, præter quosdam recentiores, qui nullo fundamento eum Hispanum dicunt. Albertus Aquensis canonicus eum ex ipsa civitate Ambianorum ortum dicit. Eremitæ appellatio non professionem tantum, sed etiam cognomen ejus notat. Unde a Willelmo Tyrio, qui de eo accuratissime scripsit, *re & nomine Eremita* vocatur. Idem cognomen erat per id tempus, uti & nomen, Petro Eremitæ priori sancti Quintini de Monte prope Peronam, de quo notatum legitur initio necrologi Corbeiensis: *Concessimus domno Petro, cognomine Heremita, priori sancti Quintini de Monte, plenariam societatem in vita & in morte, tamquam uni ex fratribus nostris professis.* Non desunt, qui putent hunc esse famosum illum Petrum Eremitam, quod ex nomine & loco probare conantur. Sed, mea quidem sententia, absque idoneo fundamento. Petro, de quo hic agimus, aliud cognomen *de Acheris* ab Orderico tribuitur, forte a loco nativitatis, quo nomine locus quidam habetur in pago Laudunensi: ast id veri similius esset, si quis ejus nominis locus in territorio Ambianensi exstaret. quod aliis inquirendum permitto. Erat is statura pusillus, exteriori forma contemtibilis, ut Willelmus Tyrius tradit, sed vivaci ingenio præditus, oculo perspicaci gratoque, & sponte fluens non deerat ei eloquium. Ceterum omnes eum sacerdotem fuisse tradunt.

De monastica quoque ejus professione nullus dubitandi locus. Id enim diserte affirmant illius temporis scripores, in primis Guibertus, qui monasticas ejus vestes describens, tunicam talarem ad cutem, cucullam exteriorem ei assignat. Unde ob cucullam Κουκου-πέτρος ab Anna Comnena in Alexiadis libro x. vocatur, id est *Petrus cucullatus*, quo nomine Petrus Abaëlardus a Fulcone priore Diogili appellatur in epistola, quæ inscribitur *Petro cucullato*, ut vir eximius Cangius in hunc Annæ locum observavit, ubi de Petro Eremita pluribus differit. Quo in loco monasticam vitam Petrus professus sit, non dilucide exprimit Guibertus, cum ait se comperisse, eum *in superiore nescio qua Galliarum parte solitariam sub habitu monachico vitam duxisse.* quod explicatur in chronico canonici Laudunensis apud Cangium laudato, in quo narratur Petrum Eremitam *de territorio Ambianensi, primo monachum apud sanctum Rigaudum in Foresio exstitisse, postea prædicatorem effectum tanta cœpisse populorum multitudine vallari, tot cæli muneribus donari, tantaque sanctitatis præconiis acclamari, ut multa ætatis homines non meminerint honore simili hominem habitum.* De sancti Rigaudi monasterio diœcesis Matisconensis actum est superius. Forte ex hoc loco Petrus Eremita profectus est ad sacra loca, indeque reversus miserabilem eorum statum exposuit Urbano papæ, qui commiseratione tactus, illa e profanorum manibus eripere in animum induxit. Hæc de Petro in antecessum dicta sufficiant.

LXXXVII. Anselmus libros de incarnatione scribit.

Hoc anno Anselmus Cantuariæ archiepiscopus librum de incarnatione Verbi Urbano papæ obtulit, ejus censura castigandum, si quid in eo corrigendum esset, vel ejus auctoritate approbandum, si regulam veritatis teneret. Hujus libri argumentum est de fide Trinitatis & de incarnatione Verbi contra Roscelinum, qui perverse de utroque sentiebat. Ejus errorem jam impugnare cœperat Anselmus, cum adhuc esset Beccensis abbas, scripta ad Fulconem episcopum Belvacensem epistola: sed quia id argumenti leviter tantum delibaverat, illud in præsens dedita opera fusius persequitur. Eodem quoque anno scripsit libros duos, inscriptos *Cur Deus homo, quos in Anglia rogatus incœpit, & in Capuana provincia peregrinus perfecit.* In priori libro infidelium christianam fidem respuentium objectiones exponit, & ad eas respondet, probatque rationibus, impossibile esse ullum hominem salvari sine Christo. In posteriori demonstrat, hominem ad hoc institutum esse, ut aliquando immortalitate beata totus homo, id est in corpore & anima frueretur.

LXXXVIII. Regis indignationem incurrit.

Eadem tempestate rex Anglorum Willelmus, fratri suo Rotberto Nortmanniæ

ANN. CHR. 1094.

duci, ob pensionem haud solutam bellum illaturus multam undequaque pecuniam ad hanc expeditionem colligebat. Amicis suadentibus Anselmus quingentas regi libras sponte offerre constituit, ut eum in rebus Dei fautorem sibi conciliaret. Hoc comperto, rex id gratum habuit, sed, malignis hominibus suggerentibus, hanc summam, quasi leviorem, postea respuit. *Tu*, inquiebant illi regi, *eum præ ceteris Angliæ principibus honorasti, ditasti, exaltasti: & nunc, cum tua necessitate considerata, duo millia, vel certe, ut levissime dicatur, mille libras pro agendis munificentia tua gratiis, tibi dare deberet, quingentas prô pudor, offert. Sed paullulum sustine, faciemque tuam super eo commuta; & videbis, quod consueto aliorum ductus terrore, ovans, ad tuam benignitatem recuperandam quingentis quas offert, totidem libras adjiciet.* Id ubi Anselmo nuntiatum fuisset, regem adiit, sciscitaturus an tale mandatum a rege processisset; factusque ea de re certior, regem rogavit, ut oblatam summam acciperet. « Exiguum quidem munus esse, sed non ultimum fore. Porro honestius esse pauca cum libertate, « & sæpe accipere, quam vi plura extorquere. « Ad quæ rex iratus, *Sint*, ait, *cum jurgio tua tibi; sufficient mea mihi. Vade.* Recessit igitur Anselmus, gratias agens Deo, « quod ita res cessisset, ne pro episcopatu hæc pecunia promissa, & sub callida oblatione reddita fuisse a malignis hominibus, qui in aulis principum numquam desunt, « putaretur. « tum rejectam a rege pecuniam pauperibus erogandam vovet.

Post aliquot dies regis mandato episcopi omnes apud Hastingam conveniunt, eidem transfretaturo benedictionem impertituri. Adfuit quoque Anselmus, qui, dum illic rex ob ventum adversum moras ageret, eum rogavit, ut, ad emendanda, quæ in regno grassabantur, flagitia concilium generale episcoporum, quod a multis retro annis factum non fuerat, congregari permitteret. Ad quem rex: *Cum*, inquit, *mihi visum fuerit, de his agam, non ad tuam, sed ad meam voluntatem.* Instanri viro Dei, ut id pro Deo & pro rege fieret; *Sufficiat*, dixit ille, *nolo inde ultra loquaris.* Nec plura de his Anselmus, sed vertit sermonem ad aliud malum, cui remedium a rege adhiberi suadebat. « quippe complures abbatias pastoribus esse destitutas: ex quo « fiebat, ut monachi pro libito impune vagarentur, & quidvis agerent in animarum « suarum perniciem. Unde consulere, rogare, monere, ut quantocius in viduatis mo- « nasteriis idoneos abbates instituat rex, ne monachorum perditio ipsi imputaretur. « Hic animum suum princeps cohibere non potuit, sed supra modum ira inflammatus, dixit: *Quid ad te? nonne mea sunt abbatia? Hem tu quod vis agis de tuis villis; & ego non agam quod volo de abbatiis meis?* Ad quod archiepiscopus: *Tua quidem sunt, ut illas, veluti advocatus, defendas atque custodias; non ut invadas aut devastes. Dei scimus eas esse, ut sui ministri inde vivant, non quo expeditiones & bella tua inde fiant. Denique villas & quam plures redditus habes, unde pleniter administrare tua potes: ecclesiis, si placet, sua dimitte.* Hæc sibi primum displicere testatus est rex, nec ullum Anselmi antecessorum talia patri suo loqui ausurum fuisse; ceterum se nibilo secius deinceps acturum. Hæc ubi in ventum a se proferri intellexit Anselmus, a rege digressus est.

Verum animo reputans pius antistes, rege offenso nec pacem rebus dari posse, nec se bonum ecclesiæ promovere; per interpositos episcopos regis gratiam sibi reddi studuit, paratus ad satisfactionem, si qua in re eum offendisset. At ille nec se culpare Anselmum dixit, nec suam ei gratiam indulgere velle respondit. quod ubi Anselmo episcopi retulissent, mysterium hoc esse dixerunt. Ceterum, si pacem cum rege habere vellet, quingentas ei libras daret, totidemque quam primum se additurum promitteret. sic brevi in regis gratiam restitutum iri. Absit vero, infit Anselmus. « nam eadem arte similes passim exactiones per fictas iras exprimerentur. Exhaustos esse suos homines; « nec decere, ut regis gratiam nummulis emeret. adeoque « nec ipsas, quas ante obtulerat, quingentas libras modo dare velle, quas egenis magna ex parte jam erogasset. His auditis, rex amplius exasperatus, acriori eum odio se habiturum dixit, ejusque benedictione rejecta in Nortmanniam trajecit: sed, eam sibi nequaquam subigere valuit; sicque infecto negotio, in Angliam reversus est.

LXXXIX. Willelmus Becci abbas ordinatur.

Electus jam erat ab anno superiore, ut superius [a] vidimus, Willelmus de Bellomonte, ut Becci abbatiam post Anselmum regeret: sed ejus ordinatio in hunc annum dilata fuerat. Ubi tempus instabat, rogatus ab Anselmo Willelmus Rotomagensis archiepiscopus, ut novum abbatem benediceret, libenter annuit, diemque passionis sancti Laurentii futuræ benedictioni designavit. Tum die condicta, Rotomagum accessit novus abbas: submonitusque a clericis, archiepiscopum velle ab eo

[a] Supra n. 52.

ANN. CHR. 1094.

professionem exigere; consternatus est animo, incertus quid ageret. Ad quem Baldricus prior: Ne turberis, inquit, tantum sine nos agere quod consultius videbitur. Statim prior cum aliquot monachis ducem Rotbertum convenit. quos dux ut vidit, benigne percontatur: *Quid rei vobis est?* tum causa audita: *Per mirabilia Dei*, inquit, (sic jurare consueverat) *nullo modo volo, ut abbas Becci faciat professionem.* quod mox per Ernulfum cancellarium, Willelmum de Britolio, & Willelmum filium Richardi archiepiscopo denuntiari jussit. Illi vero, ut prudentes & callidi homines, non ante id denuntiarunt, quam archiepiscopus altari adstitisset. Interim Baldricus prior abbatem vestibus Rotomagensis ecclesiæ (is enim mos erat) indui fecit. Cum ante evangelium sequentia, ut vocant, cantaretur, accesserunt ad archiepiscopum qui missi a duce fuerant, eique domini sui mandatum significarunt. Ille vero, videns se interceptum, etsi non modice turbatus, id tamen prudenter dissimulavit, & ducis mandato paruit. Postera die abbas privatim convenit archiepiscopum, qui eum humanissime excepit, nec posthac quidquam simultatis cum eo habuit. Cum vero abbas discessurus eum salutaret, Willelmo Cormeliensi abbati, qui Becci monachus erat, & novissime Rogerio successerat, præcepit archiepiscopus, ut novum abbatem vice sua in sede collocaret. Susceptus cum sollemni processione a Beccensibus abbas, nudis pedibus pro more ecclesiam ingressus est. Finita oratione abbas Cormeliensis canticum *Te Deum laudamus* exorsus est, tuncque in abbatiali sede constituit. Dein eum in cameram deduxit, ejusque pedes a proprio cubiculario lavari præcepit. Denique ipsa die novus abbas cum fratribus cibum sumsit in refectorio. Hæc aliaque ex libello de libertate Beccensis monasterii, quem in Appendice referemus.

a *Anselm. lib. 3. ep. 16.*

Ex variis epistolis, quas Anselmus Willelmo abbati scripsit, una [a] est ad ipsum & Beccenses, qua eum monet, ut in omnibus moderatum se exhibeat: *ut neque justitiam gratia, neque gratiam justitia qualibet umquam privata subreptione excludat.* Tum omnes » hortatur, ut memores sint, qua ratione ipse semper ecclesiæ amicos acquirere stu» duerit, *hospitalitatis bonum sectando, benignitatem omnibus impendendo, &, ubi facultas operis defuisset, affabilis sermonis gratiam porrigendo. Nec umquam satis*, inquit, *vos habere amicos credatis; sed, sive divites, sive pauperes, omnes vobis in amore fraternitatis conglutinate: quatenus hoc, & ad vestræ ecclesiæ utilitatem proficere, & ad eorum, quos diligitis, salutem valeat pertingere.* Præclara sane admonitio, & omnibus monasteriorum rectoribus maxime necessaria, in quam non pauci morositate innata peccant, sicque exterorum animos abalienant, in christianæ caritatis & monasteriorum sæpe detrimentum. In alia epistola eumdem Willelmum ac Beccenses hortatur, ut pro se assidue preces fundant, & in sancto proposito constanter perseverent; in primis vero ut ne facile foras progrediantur, denique ut suam de eleemosyna pauperum constitutionem nullo modo minui permittant, immo potius, si fieri possit, augeant. Observatu digna sunt verba, quibus eos a vagis *discursibus* dehortatur. *Occasiones*, inquit, *equitandi claustrales, nisi cogente obedientia, non solum non exquirant, sed nec occurrentes suscipiant. Qui enim claustra monasterii libenter exeunt, non solum sibi, sed & aliis suo exemplo noxii sunt; quoniam aut murmurationis, aut vagationis illis auctores sunt. Nec domnus abbas ullatenus hoc concedere debet, si rigorem ordinis vult servare.* Quod attinet ad prædictam constitutionem de eroganda pauperibus eleemosyna, ab Anselmo & Beccensibus factam; incertum quænam illa fuerit: at certum est Beccenses nostros in pauperes & egenos semper profusæ caritatis fuisse: cujus rei præclarum monumentum ad annum MCCCVIII. videri poterit.

Monachis vitandi discursus.

XC.

Beccensium lis cum Molismensibus de cella Pexeii.

b *V. supra. n. 52.*

c *Ivo ep. 39.*

Per id tempus orta est controversia Beccenses inter ac Molismenses ascetas de cella Pexiacensi, quæ controversia hoc anno ab Ivone Carnutensi episcopo, in cujus diœcesi hæc cella sita erat, composita est. Nata porro fuisse videtur post electionem Willelmi de Bello-monte, qui ante abbatialem dignitatem, ut [b] superius vidimus, hanc cellam prioris nomine rexerat. De istius litis compositione Anselmo recens archiepiscopo scribit Ivo [c] in hæc verba. *Adfuimus hac anno, pro multa in te benevolentia, monachis Beccensibus contra Molismenses, quantum ratione & auctoritate suffragante potuimus: & jam de Pexiacensi monasteriolo plenam per nos consecuti fuissent justitiam, nisi quod prius affectant regis captare benevolentiam.* Hanc litem principio in favorem Molismensium definierat Ivo. quæ res cum Philippo regi multum displicuisset, eum alia epistola placare [d] conatus est, dicens, mirari se, quod a sua sereni» tate nullum audiat nuntium bonum, nihil audiat nisi verbum asperum. *Quod enim,*

d *Id. ep. 9.*

inquit, *inter Beccenses & Molismenses monachos quantulamcumque pacem pro tempore feci, nullam Beccensibus in hoc violentiam intuli. Sed abbas Beccensis, cognoscens & erubescens inordinatam spoliationem factam Molismensibus a quibusdam neophytis monachis suis, multum me rogavit, ut vel pacem inter eos componerem, vel juste inter eos decernerem. Sed ego propter reverentiam vestram judicium interim distuli, & gratis oblata portione victualium suorum ab ipso abbate, qua Molismenses repetebant, jurgia quæ inter eos erant, pro ipsius abbatis caritate mitigavi.* Parum interest scire, quæ istius litis materia fuerit: sed ex his locis patet, Pixiaci cellam tunc fuisse Beccensium. Porro Pixiacum seu Pexeium (sic enim varie scriptum invenio) non aliud est quam Pisciacum * seu Pinciacum in finibus Carnutum ad Sequanam, ubi modo collegiata ecclesia est, quæ forte olim Beccensium cella erat. Ivo [a] quamdam epistolam scripsit *clericis Mellentinis & omnibus in Pixiacensi archidiaconatu* de Mellentino comite, qui filiam Hugonis Crispeïeosis comitis uxorem contra fas ducere volebat. Tunc temporis idem Ivo Mellentensem [b] sancti Nigasii ecclesiam Beccensibus confirmavit.

* *Poissy. V. Valesii notit. p. 450.*
a *id. ep. 45.*
b *id ep. 287.*

XCI. Boso & Edmerus Anselmi discipuli.

Ad hunc aonum referenda videtur Anselmi [c] epistola ad Bosonem Beccensem monachum, qui post Willelmum de Bello-monte Beccensis abbas factus est. In hac epistola Bosoni gratias agit sanctus præsul pro ejus litteris ad se missis, adeoque pro consilio, consolatione, & pro desiderio ipsius Anselmi videodi, qui non minori se ejus desiderio teneri testatur. tum excusat, quod littetas ei rarius scribat, ne scilicet offendiculum regi pariat, qui se, suosque odio habeat; idque in causa esse, quod domno abbati Beccensi non scribat. Non multo post eumdem Bosonem in Angliam advocavit, eumque vice sua misit ad concilium Claromontense.

c *Anselm. lib. 3. ep. 25.*

Tunc vero librum, *Cur Deus-homo*, absolverat Anselmus, cum hæc scriberet, ut patet ex his ejusem epistolæ verbis. *Librum, quem edidi, cujus titulus est,* CUR DEUS-HOMO, *domnus Edmerus, carissimus filius meus & baculus senectutis meæ, monachus Becci, cui tantum debent amici mei, quantum me diligunt, libenter ecclesiæ Beccensi, ut filius ejus, tronscribit.* Nihil expressius ad commendandam Anselmi erga Edmerum seu Eadmerum benevolentiam & familiaritatem. Huoc Aoselmus secum in Angliam duxerat, quem in suo retiouit obsequio omoiumque coosiliorum participem fecit, variæ quoque fortunæ suæ socium futurum. Tanta porro Anselmi de eo confidentia erat, ut eum spiritualem sibi patrem, cui in omnibus etiam archiepiscopus obediret, ab Urbano dari petierit. Post mortem Anselmi, non minor fuit Eadmeri cum Radulfo archiepiscopo ejus successore familiaritas & necessitudo, a quo Alexandet rex Scottorum postulavit, ut Eadmerum viduatæ sancti Andreæ ecclesiæ episcopum præficeret: at ille oblatam sibi dignitatem recusavit. Plura de eo in coosequentibus.

XCII. Beccensium vestis alba.

Antequam a Beccensi monasterio discedamus, juvat disquirere hoc loco, quo tempore Becceuses nigrum habitum in album commutaveriot. nam principio eos nigro usos fuisse, nec vivente Herluino hanc mutationem factam fuisse ex eo intelligitur, quod Cadomenses sancti Stephani monachi, quorum primi institutores exstitere Lanfrancus aliique monachi ex Becco assumti tempore venerabilis Herluioi, numquam alium, quam atri coloris habitum gestaverint. Sunt qui hanc mutationem sancto Anselmo, dom Becci abbas esset, tribuunt, idque ab eo factum aiuot ob eximiam ejus pietatem in beatissimam Virginem, cujus singularem integritatem albi coloris veste honorare voluerit. Ejus rei argumentum est, quod in monasteriom sancti Neoti in Anglia, ubi primitus mooachi nigri fuerant, Anselmus archiepiscopus iotroduxit ex Beccensi cœnobio *monachos albos*, ut in Lelandi collectaneis [d] legitur. Addunt Radulfum Beccensem monachum in Lyrense monasterium circiter annum M C XXX iotulisse candidam vestem; cum ad illius cœnobii præfecturam assumtus est. Neque id absque fundamento dicitur. Et quidem Astorgius Lyrensis abbas a Clemente VII. obtinuit, ut sibi liceret nigrum habitum resumere & abjicere album, quem Radulfus abbas ex Becco-Helluini assumtus, in Lyrense monasterium induxerat. Hæc mutatio albi coloris in nigrum a Lyrensibus facta est anno Domini M CCC XCIII. die XXIII. Novembris.

d *Monast. Anglic. to. I. p. 368.*

Verum vix mihi persuadeam, hanc mutatiooem sive auctore Anselmo, sive ejus tempore Becci factam fuisse. Illud in primis me movet, quod Ordericus Vitalis agens de novis Cistercieosium institutis, qui decennio ante Anselmi obitum exorti suot, eos maxime sugillat, qood nigro vestium colori, quem ad id tempus Benedictinæ regulæ sectatores gestaverant, album novo exemplo prætulissent. quod eis etiam


ANN. CHR. 1094.

Cluniacenses exprobrabaot, ut ex Petri Venerabilis [a] ad Bernardum epistola discimus. Orderici verba [b] refero. *Albedine in habitu suo præcipue utuntur* Cistercienses, *quæ singulares ab aliis notabilesque videantur. Nigredo in plerisque locis sacra scripturæ humilitatem designat: quem idcirco colorem religiosorum fervor* HACTENUS *gratanter gestat. Nunc autem nigredinem, qua prisci patres, tam regulares clerici in cappis, quam monachi in cucullis, ob humilitatis specimen usi sunt; moderni tamquam ob majoris justitiæ ostentationem, abjiciunt: inusitata quoque pannorum sectione suorum, ab aliis discrepare appetunt.* quæ verba sane in Cistercieoses nequaquam prolaturus fuisse videtur Ordericus, si hunc colorem jam tum admisissent Beccenses, qui ei omnino vicini erant, (nam Uticensis monachus erat) adeoque notissimi erant. In his Orderici verbis obiter observa, eum loqui de veste tantum exteriori, scilicet cuculla, non de interiori, id est tunica vel toga, quam albi coloris primitus apud majores nostros fuisse alias non semel observavimus. Si conjecturis in re obscura uti licet, crediderim hanc mutationem a Beccensibus factam post natam cootroversiam de festo conceptionis beatissimæ Virginis, id est post medium sæculum duodecimum, cum scilicet sancto Anselmo, ex supposititio libro de conceptione B. Virginis tributa est illius festi institutio: in cujus rei monumentum atro colori album prætulerint.

a Pet. Ven. lib. 4. ep. 837. & seqq.
b Orderic. lib. 8. p. 712

XCIII. Pratellenses benefactores.

Ad huoc annum Ordericus refert conversionem Rogerii de Bello-monte, qui a Longa-barba cogoomen accepit. Hic sapiens & modestus heros, cum Nortmanniæ ducibus semper fidelis exstitisset, post emeritæ militiæ tempus, monasticæ professioni colla submisit in Pratelleosi mooasterio, quod Humfredus de Vetulis ipsius pater prope Pontem-Audomari in proprio fundo exstruxerat, & ipse Rogerius post patris obitum multis possessionibus & ornamentis ditaverat. Illic Robertus de Bello-monte, Humfredi quoque filius, quem Rogerius de Clara occiderat, humatus est; uti & Rogerius ejus frater, qui jam senex post aliquot conversionis suæ annos bono fine quievit, mortuus III. kal. Decembris, filiis suis Rotberto & Henrico honoris sui heredibus relictis. Ex his duobus Robertus comitatum Mellentensem hereditario jure, post Hugonem Adelinæ matris suæ fratrem possedit, & in Anglia comitatum Legestrensem. Henricus vero, ejus frater, strenuitate sua Warwicensem comitatum ab Heinrico Angliæ rege promeruit. Uxorem duxit magnæ religionis & nobilitatis feminam, scilicet Margaritam, Goifredi Moritoniæ comitis filiam. Hi omnes in Pratellense monasterium munificentissimi fuerunt. *Ibi monachi*, ioquit Ordericus, *ad laudem & cultum omnipotentis Dei divinitus convocati sunt, & a religiosis ac sapientibus pædagogis regulari disciplina pie instituti sunt.* Ex his Rogerus Longobarbus medius inter fratrem Rotbertum ad dextram, & Henricum filium suum ad sinistram, in capitulo Pratellensi humati jacent; & ad eorum pedes Rotbertus filius Rogeri cum filio suo Gunderanno comite Mellentensi, qui & ipse, post variam fortunam, sumto monastico habitu pie decessit. Horum omnium effigies lapide sculptæ sunt in hunc modum.



1.
Rogerus filius Hunfredi de Vetulis, factus monachus.

2.
Robertus frater ejusdem Rogeri, major Normanniæ senescallus.

3.
Henricus filius Rogeri, Warvicensis comes.

4.
Robertus primogenitus Rogeri, comes Mellenti.

5.
Galerannus, filius hujus Roberti. comes Mellenti moritur monachus anno 1165.

ANN. CHR. 1094

a V. lib. 64. n. 82.

Ex his tres ensem, non ad latus, ut eorum pater, [a] sed manu gestant in signum equestris dignitatis & recte factorum. qua ratione duo armigeri, qui Carolo Calvo in picturis tum Appendicis capitularium, tum Itineris nostri Italici assistunt, ensem manu gestant. Ad hæc observa in his statuis nulla exstare symbola gentilitia: & Rogerium a Longa-barba, ejusque ex fratre nepotem Robertum, etsi monachi decesserint, non tamen habitu monastico indutos repræsentari.

XCIV. Galteri abbatis Pontisarensis pœnitentia & obitus.

In Pontisarensi sancti Martini monasterio Galterus abbas sanctus ex hac mortali vita ad immortalem vitam migravit. Paullo ante obitum singulari humilitatis ac pœnitentiæ exemplo convocatos discipulos magnopere hortatus est, ut ipsum singuli virgis cæderent in expiationem erratorum suorum, maxime quod eos durius subinde » tractasset: ut ira æternas pœnas sibi debitas posset evadere. Nullus, inquit, prælationi » meæ hoc in facto a vobis servetur honor, sed potius in me vitia feriantur. Seniores » primi, tum singuli ex ordine usque ad juniores me cædant. omnes ad nutum præsi» dentis. Qui durius me flagellaverit, is mihi carior fuerit: qui vero mollius, hic me » minus amare convincetur. Ad hæc stupefacti ad rem inauditam exhorruere omnes, sed tamen ejus precibus superati, ægre demum assensere. Ventum est itaque in capitulum; tum ille nudis pedibus, prostratus humi, vigiliarum jejuniorumque maceratione, non tantum senio confectus, nudatos humeros flagellis exponit, omnibus in lacrymas & ejulatus effusis, (ecquis enim tam durus & excors, qui ad tale spectaculum temperasset a lacrymis?) Postquam diu lacrymatum est, venerabilis senis, molles effeminatosque increpantis, tandem voluntati obtemperatum est; cæsusque est ille ab omnibus & singulis, (erant autem numero triginta) idque passus est ea constantia, ut languidas eorum manus incusaret. Post hæc omnibus gratias egit, eaque die gratulabundus omnibus convivium exhibuit. In quadragesima, quamdiu vixit, durissimam vitam agebat: at in ultima, quæ ejus obitum præcessit, solis fabis & aqua, & quidem parcissime usus est. Dominica palmarum ad fratres sermonem habuit teneris adeo verbis, ut eis vale dicere videretur. Postridie, dum missam cantaret, gravi febre correptus, cuidam fratri, qui ejus jussu membranas ad conficiendum ipsi breviarium inciderat, præcipit ut opus omitteret, quippe haud sibi profuturum. Morbo ingravescente, *more ecclesiastico oleo sancto petivit se injungi*. Inunctus absolvit omnes, & absolvitur. Dein omnes osculatur; tum *sacramentorum nostræ redemtionis particeps efficitur*. Postremo fratribus denuo congregatis, caritatem, concordiam, & in sancto proposito constantiam commendavit, acceptoque baculo pastorali omnes absolvit. Feria quinta in cœna Domini se postera die moriturum prædixit. Et quidem ipsa die parasceves, *percepto vivifico corpore & sanguine Domini nostri Jesu-Christi, incumbente nocte*, spiritum Deo reddidit.

Annus ejus obitus non omnino exploratus, cujus definitio ex die obitus maxime pendet, & ex pontificatu Urbani II. quo pontifice decessisse perhibetur. Ad diem quod attinet, ejus obitus in plerisque codicibus VI. idus Aprilis, quo die festum ejus celebratur; in quibusdam VII. easdem idus notatur. Hoc discrimen ex eo natum est, quod vir sanctus obiit die sancto parasceves, jam *incumbente nocte*, quæ sabbatum sanctum antecedit, adeoque nocte inter feriam sextam & sabbatum media. Qui sabbatum prætulere, ejus obitum VI. idus Aprilis assignarunt; qui feriam sextam, VII. idus, quo die parasceve anno MXCIV. recolebatur. Sane ante annum MXCIX. quo anno parasceve in sextum idus Aprilis incidebat, Galterium obiisse inferre licet ex donatione ecclesiæ beati Jacobi prope Beri-ecclesiam, Theobaldo abbati ejus successori facta forte ante illum annum, ut mox videbimus. Sancti Galterii res gestas litteris mandavit anonymus ejus discipulus cum miraculis, quæ post mortem patravit. Sepultus fuit in ipsa sancti Martini ecclesia, quam ipse construxerat: ubi hactenus ejus cenotaphium visitur. Inde ejus corpus levatum est ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo anno M C LIII.

XCV. Theobaldus ejus successor.

Galterium in præfectura excepit Theobaldus seu Theobaudus, *sanctæ memoriæ abbas* dictus in libello de vita venerabilis Hildeburgis matronæ, quæ ejus tempore ad illud monasterium secessit. De Theobaldo nihil peculiare nobis relictum præter varias donationes, quæ ejus tempore sancto Martino & sancto Germano loci patronis factæ sunt. Ex his tamen intelligimus, virum fuisse magnæ existimationis, quippe qui a multis, qui morti proximi erant, accitus memoratur, ut morientibus succurreret, eisque *officium christianitatis* (sic loquebantur) exhiberet. Ex eorum numero fuit Bal-

duinus de Lisfula, qui extremo morbo decumbens, domnum Theobaldum rogavit, ut ad se veniret ad Insulam * castrum, in quo jacebat. Cum vero eum adiisset Theobaldus abbas, multis precibus ab eo flagiravit, ut se deferri faceret ad monasterium, « quo monachus fieret. quo facto, censum duodecim denariorum sibi debitum mona- « chis relaxavit, quod ejus gener Robertus & Maria filia, Roberti uxor, ratum ha- « buerunt. Ex aliis donationibus unam tantum refero in præsens, nempe cujusdam Le- « celini, qui Theobaldo abbati ejusque monachis contulit ecclesiam beati Jacobi « apostoli ab se ædificatam *in confinio Beri-ecclesia* *, & alia nonnulla. Quando autem ecclesia illa dedicata fuit ab Anselmo seu Ansello Belvacensi episcopo, ea omnia, quæ a Lecelino collata fuerant, coram se recitari præcepit. Hoc instrumentum caret chronicis notis, sed datum est saltem anno M XCIX. quo exeunte Anselmus episcopus decessit.

* *l'Isle-Adam.*

* *Bellesglise.*

Hildeburgis istuc secedit.

Theobaldo abbate, Hildeburgis, nobilis matrona, ex castro pagi Carnutensis Galardone * oriunda, filia Hervei ejusdem castri domini & Beatricis, ad Pontisarense monasterium, ut mox dicebam, secessit. Hæc Roberto Ibriacensi seu Ibriensi nupta, tres ei filios peperit, Ascelinum scilicet, cognomento Goëllum, Wiltinum nobiles milites, & Robertum clericali ordine insignitum. Cum Robertus ejus maritus senesceret, ea consentienre monachus in Beccensi monasterio factus est. Eo mortuo, cum ipsa adhuc juvenis esset, suadentibus filiis & amicis ut alteri viro nuberet, in procinctu nuptiarum e gradu ligneo lapsa, toto pæne corpore debilitata, nuptiis nuntium remisit. Tum vero virorum ac puellarum monasteria frequentare cœpit, & in eis aliquamdiu mansit, præsertim in Carnutensi sancti Petri, in Columbensi, Beccensi, Ebroïcensi sancti Taurini, & in Ibriacensi, ex quo recedere coacta est ob bella, quæ inter filium suum Goëllum & Guillelmum Brirolienſem comitem exardebant, ut Ordericus [a] tradit. His omnibus monasteriis plurima beneficia contulit, & ab eis suffragiorum communionem accepit. Postremo ad Pontisarense sancti Martini cœnobium se recepit: ubi sanctimonialis habitu suscepto a Theobaldo abbate, exiguam sibi domunculam ad septentrionalem ecclesiæ partem fabricari curavit, ibique reliquum vitæ in magna districtione exegit, ornamenta ecclesiæ, fratribusque vestimenra conficere solita. Infirmorum quoque domum suis impensis, necnon pauperum xenodochium ædificavit. Denique ejus rogatu filius Goëllus prædium suum apud Gaudiacum *, qui locus a monasterio non multum abest, Pontisarensi monasterio largitus est. Ibidem piissima illa matrona, plena dierum & operum bonorum, decessit III. nonas Junii sub annum M C XV. sepulta in sancti Martini ecclesia, ad murum cellulæ suæ adhærentem: ad cujus tumulum miracula patrara fuisse tradit ejus vitæ scripror anonymus. Nullo tamen cultu hactenus honorata fuit, nec ejus reliquiæ e tumulo levatæ.

* *Galardon.*

a *Orderic. lib. 8. ad an. 1090.*

* *Jouy.*

XCVI. Ivoni S. Dionysii abbati succedit Adam.

In brevi chronico sancti Dionysii domnus Ivo [b] abbas hoc anno obiisse dicitur, ejus nominis primus. Non dubito quin is sit Ivo abbas, qui ab inimicis occisus est, cujus duo epitaphia exstant in quodam codice sancti Remigii apud Remos. Primum sic habet.

b *V. lib. 64. n. 96.*

Quid genus & forma valeat, quid gloria rerum,
Clarus in hac vita, nunc cinis, Ivo docet.
Moribus & factis exemplar agens pietatis,
Occubuit telo, passus ab hoste necem.
Lampade bis sena radiat dum phœbus in urna,
Corporis occidui pondere liber abit.

In altero epitaphio dies mortis clarins exprimitur, at in neutro causa ejus necis, quæ tamen injusta fuit, affertur.

Ivo gravis forte, crudeliter obrute morte,
Quem tegit hac petra, felix habearis in æthra.
Heu! dum vixisti, quam recta columna fuisti,
Plenus honestate, præpollens strenuitate,
Nec scelus egisti quod acerba morte luisti.
Vita fuit clara, sed mors vehementer amara,
Hostis agens dirus rabido sub pectore virus,
Ferreus extinxit dum telum corpore fixit.

ANN. CHR. 1094.

O decus abbatum, sic te patet esse necatum,
Octo dies bisque denos Jano faciente.

Cum hæc jam typis parata essent, mihi aliud in ms. codice collegii Societatis Jesu Parisiensis quærenti occurrerunt nonnulli versus in Ivonem Dionysianum abbatem exarati, quem hujus opusculi auctor non modo simoniæ, sed aliorum etiam multorum criminum accusat. Et quidem primum animus erat ejusmodi versus non referre, cum ob styli duritiem, tum maxime quod in illis viro, quem alii ob pietatem & religionis studium commendant, multa & gravia exprobrentur, quæ vera non esse certum videtur. at cum illustrandis illius abbatis gestis, ac potissimum ejus necis causæ detegendæ conferre possint, visum est illos, nonnullis prætermissis, in appendicem rejicere. Ex his enim constat Ivonem ad finem usque vitæ æmulos passum fuisse, a quibus tandem, ut ex duplici epitaphio patet, impacto ei falso crimine crudeliter est occisus. Versus crimen exprimunt, & mortis minitationes; quin & cum in illis Algisi mentio occurrat, quem ab Ivone primo Romam esse missum ex Gregorii VII. epistola constat, nemo inficiari potest eos, sicut & ambo epitaphia, quæ eis maxime concordant, ad Ivonem primum, non vero ad secundum, ut de epitaphiis quidam suspicabantur, esse revocanda. Certe duo hæc epitaphia Ivoni secundo tribui non possunt, quippe quem naturali morte decessisse constat, ut suo loco videbimus. Porro in eodem codice referuntur Nicolai cujusdam poetæ satyræ duæ, quarum prima est in abbates, uti ait, in ovile Christi aliunde adscendentes, in eaque summopere laudat Hugonem Diensem episcopum, quod eos auctoritate apostolica vehementer insequeretur; secunda vero inscribitur adversus abbatem Cadumensem, in quem multa impudenter deblaterat; quod sane argumentum est, poëtam hominem fuisse sui impotem, adeoque nullius ponderis; forte eumdem cum illo anonymo, qui Ivoni maledixit. Ceterum in necrologio Dionysiano, circiter medium sæculum duodecimum scribi cœpto, notatur prima manu *domnus Ivo abbas & monachus beati Dionysii*, cum anniversario; & secunda manu XVI. kal. Martii *domnus Yvo piæ memoriæ abbas beati Dionysii*, itidem cum anniversario. quod intelligendum de Ivone secundo, cujus obitus in brevi chronico ad annum M C LXXII. refertur. Notatur quidem in eodem necrologio nonis Novembris & alius Ivo abbas, sed absque designatione loci. Ivonis primi tempore sancti Goberti prioratus in diœcesi Laudunensi, annuente Elinando episcopo, subjectus fuit monasterio Dionysiano, ut ibi monachi canonicis substituti officium divinum peragerent. Eumdem abbatem laudat Fulcoïus subdiaconus Meldensis, eique versus suos *in titulis* seu epitaphiis, ab se compositis, dicavit. Ivoni primo successit Adam abbas, de cujus genere nihil, pauca de ejus factis scimus, tametsi sancti Dionysii monasterium viginti annis rexit. Ad ejus elogium referri potest, quod a puero finxerit, aut certe fingi curaverit Sugerii animum & mores, de quo nobis multa erit dicendi materia sæculo sequenti. Eum vix e cunis egressum in monasterium admiserat Ivo, uti colligimus ex fragmento apud Chesnium [a] relato, in quo Sugerius obiisse dicitur ineunte anno M C LII. ætatis suæ septuagesimo, *a susceptione monastici habitus fere sexagesimo.* quod proinde ad annum M XCII. referendum est. Plura de ejus ortu & natalibus initio sæculi sequentis.

Sugerius monachus.

a Chesn. to. 4. p. 280.

Hic annus erat Arnulfi Latiniacensis abbatis vicesimus-octavus, uti discimus ex historia translationis sancti Florentini martyris in illud monasterium, in cujus fine hæc leguntur: *Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo quarto, regnante Philippo rege, anno imperii sui tricesimo-tertio *, præsidente quoque in urbe Parisiorum Gaufrido episcopo, Arnulfo abbate regente ecclesiam Latiniacensis cœnobii, anno siquidem introitus ejus vigesimo-octavo.* Gaufridus episcopus anno sequente decessit kalendis Maii, successorem sortitus Guillelmum. Arnulfus vero abbas superstes fuit ad annum M C VI. quo anno confectus senio exstinctus est pridie kalendas Martias. Is vitam sancti Fursei ad Peronenses scripsisse traditur. Huic suffectus Gaufridus nulla re gesta memorandus: quo mortuo Theobaldus Campaniæ comes, *consilio domni Norberti*, ut loquitur Herimannus, *quemdam* monasterii sancti Nicolai in silva Vedogia *monachum, nomine Radulfum, ab abbate Simone susceptum, Latiniacensi ditissimo monasterio præfecit abbatem, anno scilicet* M C XXIV. quo anno de illo agendum.

Latiniacenses abbates.

* quarto.

XCVII. S. Remigio satisfacit Hugo comes.

Dum Remigiano apud Remos cœnobio præesset Heinricus abbas, multa ejus villis gravamina intulit Hugo Registestensis comes, ob idque ecclesiæ communione privatus est. Sed tandem malefactorum pœnitens, ad Rainaldum archiepiscopum ac-

cessit, a quo supplex ab excommunicationis vinculo se absolvi flagitavit, exactionibus, quas a sancti Remigii hominibus extorquebat, coram Heinrico abbate remissis & abdicatis, Manasse ejus filio laudante. Tum idem comes Remigianam basilicam nudis pedibus adiit, & ad sacrum beati Remigii tumulum prostratus, capite intromisso hujus pactionis instrumentum super ipsum sacratissimum corpus imposuit. Exstant apud Marlotum ᵃ Rainaldi archiepiscopi hac de re litteræ, datæ Remis anno incarnati Verbi M XCIV. indictione secunda, ipsius Rainaldi anno decimo. Hujus loci occasione Marlotus fuse differit de urbe & pago Regitestensi; tum exhibet Regitestensium comitum seriem, quorum primum esse existimat Hugonem illum, de quo mox egimus. In tumulo Rainaldi archiepiscopi, apud sanctum Remigium sepulti, repræsentata cernitur ipsius Hugonis pœnitentis effigies, ut inferius videbimus.

a Marlot to. 2. p. 185.

XCVIII. Majoris-monasterii libertas asserta.

Habitum est hoc anno concilium Augustodunense, quod Bertholdus ex vulgari vocabulo *Ostionense* ᵃ vocat. In eo actum est inter alia de causa discidii, quod inter Rodulfum Turonensem archiepiscopum & Majoris-monasterii monachos vertebatur. Hujus discidii originem fuse describit monachus anonymus libello singulari, cujus hæc summa est. Cum sacri illius asceterii monachi libertatis prærogativam a prima sua per sanctum Martinum institutione accepissent, eamque pro virili tueri ac conservare studerent; ex adverso Turonenses archiepiscopi & clerici in id maxime intenti erant, ut illud monasterium redigerent *ad mensuram ceterorum diœcesis suæ cœnobiorum*, ubi pasci & convivari consueverant. Id tamen ex quadam consuetudine, forte pro loci religione & quadam societatis communione, archiepiscopis concessum erat, ut in illo monasterio paschalem stationem celebrarent. Hoc prætextu archiepiscopus Rodulfus insueta exigere cœpit. Cum super his gravaminibus monachi archiepiscopum in jus vocarent, nec ei pro voto res succederet; excommunicationis in monachos & interdicti sententiam protulit, eamque diversarum provinciarum episcopis probandam direxit. Hinc monachi ludibrio habiti; possessiones eorum a quibusvis impune direptæ, qui auctoritate pontificali & clericorum instinctu animati, majus se Deo, ipsisque obsequium præstare non posse arbitrabantur. Quin etiam in monachos insurrexere falsi fratres, in religione ceteroquin & in habitu similes, qui nec eis communicare, nec mensa vel colloquio participare volebant. His accedebat, quod monachis illis sic vexatis, sic afflictis, necesse erat frequentare concilia, curias principum adire cum maximo damno religionis, reique familiaris, denique in peregrinis regionibus vagari absque fraterna consolatione, ex quo fiebat, ut sæpe in illis discursibus deficerent. Denique in tantum ludibrium venerat monasterium, alias cunctis venerabile, ut quisquis se ejus loci monachum profiteretur, non secus exciperetur, quam si Judaïsmum professus esset. In his angustiis unum erat ad Deum perfugium; tandemque adfuit auxilium Amati apostolicæ sedis legati, qui eumdem Rodulfum archiepiscopum certis ex culpis antea excommunicaverat, monachisque id merito accidisse aiebat, quod excommunicato communicassent. Sed tandem venia monachis data, injunctaque ob id pœnitentia, eis quam primum opem laturum pollicitus est. Id factum in Brivatensi concilio, quod tunc temporis convocatum est. Illuc missi e fratribus Bernardus prior, Hilgodus Suessionum episcopus & Andreas ejus frater cum Jacobo medico. Tum causa eorum ventilata & accurate discussa, reprehensionis expers ab universis judicata fuit, præsente ipso Rodulfo archiepiscopo, cujus factum ab omnibus improbarum. Huic synodo cum Amato adfuere Hugo Lugdunensis archiepiscopus, idemque S. R. E. legatus, necnon Auscienfis & Narbonensis archiepiscopi, multique diversarum provinciarum episcopi & abbates. Verum nec sic emolliri aut reprimi potuit adversariorum in monachos inveterata & obstinata conjuratio.

ᵃ Autun.

Non multo post aliud habitum est Augustoduni, de quo dicere incœperam, concilium, cui Hugo Lugdunensis primas mox laudatus præsedit. Adfuit Rodulfus Turonensis archipræsul cum Hoëllo Cenomannorum episcopo, ejus fautore; adfuere quoque iidem qui supra monachi. Horum causa denuo discussa, quanto diligentius examinata, tanto justior & probabilior visa; tandemque interventu patrum, qui aderant, compositæ lites & querelæ, & concordia inter partes inita est, ast, ut ex eventu patuit, minime sincere ex parte adversariorum. nam ubi a concilio discessum est, illi, quasi accepto ictu lacessiti, acerbius in monachos insurrexerunt. Unde factum est, ut in colloquio Dolensi tunc temporis habito coram prædictis legatis,

ANN. CHR. 1094.

Amato & Hugone, multis præsentibus episcopis, assistente etiam Bernardo Majoris-monasterii abbate, cum suis, causa utrimque denuo retractata, iterum in gratiam monachorum definita fit.

Interim mortuus est in sua excommunicatione Rodulfus archiepiscopus: cui alius cognominis successit, monachis non minus infensus, licet initio favorabilem se simulaverit, forte ne monachi ejus ordinationi obsisterent. at, ubi primum in sede confirmatus fuit, antecessoris sui infestationes persequi cœpit. quare monachi ad Urbanum pontificem confugere, qui eorum privilegia novo diplomate asseruit, eademque paullo post in Claromontensi concilio confirmavit, postquam Rodulfus archie- » piscopus nihil solidi opponere potuisset. Privilegii hæc summa erat, quod nullus epis- » coporum *in domo Majoris-monasterii* publicam stationem celebraret, nullus professio- » nem ab ejus abbate exigeret, nec excommunicationem in abbatem, monachosve » proferret; cetera vero ecclesiasticæ disciplinæ sacramenta illi a Turonensi archiepis- » copo, si catholicus esset; sin alias, a quocumque episcopo acciperent. Sic tandem diutina illa quievit altercatio, quam anonymus ejus loci monachus stilo concitato descripsit.

XCIX. S. Dionysii de Nogento cella Cluniaco vindicata. a Bibl. Clun. pag. 546.

In eodem Æduensi concilio abbas sancti Petri Carnutensis (Eustachius is erat) questus est a de Cluniacensibus monachis, quod monasterium sancti Dionysii de Nogiomo seu Nogento ipsi abstulissent, ejusque restitutionem sibi fieri postulavit, affirmans hanc cellam sibi a comite Rotroco datam fuisse. Aderat huic concilio legatus Gaufridi comitis, Rotroci filii, falsumque esse probavit, quod Eustachius asserebat, » eamdemque causam coram Gaufrido Carnutum episcopo, ejusque avunculo Pari- » siorum episcopo jam pridem discussam fuisse, & abbatem convictum a lite destitisse. » Verum quidem esse, Rotrocum sub finem vitæ suæ, facta cellæ dedicatione, a Car- » nutensi abbate petiisse quemdam e suis monachum, quem in illo sancti Dionysii » monasterio abbatem constitueret: sed ea lege, ut nihil subjectionis in illo loco exi- » geret; & re quidem vera illi monasterio præfuisse Hubertum, qui antea sancti Petri » abbas fuerat, sed synodali auctoritate exauctoratus. Porro mortuo Rotroco, rebus » illic in deteriora labentibus, Gaufridum ejus filium Huberto auctorem fuisse, ut, si » abbas fieri non posset, loco cederet. Post ejus vero discessum, eumdem Gaufridum, » misso Cluniacum Ascelino monacho, hanc cellam Deo & sancto Petro Cluniacensi » tradidisse in manus domni abbatis Cluniacensis, scilicet Hugonis; duosque illuc ab » eo missos monachos, Robertum & Hubertum, qui prior ejusdem loci factus sit, con- » firmatusque in concilio Meldensi ante quindecim annos, quam Æduense istud con- » cilium celebraretur. His auditis, Hugo cardinalis, qui synodo præsidebat, idemque Meldensi concilio præfuerat, rem sibi bene compertam dixit, & prædictam cellam Cluniacensibus confirmavit: cujus judicio demum abbas Carnutensis melius consultus acquievit coram Hugone Cluniacensi, Lamberto Atrebatensi episcopo, Bernardo abbate sancti Launomari Blesensis, & Roberto abbate sancti Florentini Bonævallis, qui concilio præsentes aderant. Biennio ante duo isti abbates, Bernardus Blesensis & Robertus Bonæ-vallensis interfuerant placito, quod in curia Stephani comitis Blesensis habitum fuerat super Rosdonii prædio, quod Radulfus de Balgenciaco Majori-monasterio contulerat. Verum, nec sic tamen sopita fuit Carnutensium de cella Nogentensi altercatio, etsi Urbani II. decreto compressa videretur: sed excitata denuo a Guillelmo abbate Carnutensi pontificatu Paschalis II. qui eam demum auctoritate b sua penitus exstinxit.

b ibid. p 548.

S. Sergii abbates. c V. lib. 66. n. 29.

Non prætergressus est hunc annum Achardus c sancti Sergii apud Andecavos abbas, cujus depositio in necrologio notatur VI. kal. Aprilis. Bernardus, ex priore illi successit, cujus tempore Fulco-Rechinus Vitreariam seu Vitreacam sylvam, modo Boscum-abbatis dictam, sancto Sergio donavit, eam maxime ob causam, *quod major pars parentum*, id est propinquorum, *& procerum ejus* in Sergiano cœmeterio humati essent. Hæ litteræ datæ sunt anno sequenti, indictione III. *Francia ex adulterio Philippi indigni*, ut Fulco ait, *regis fœdata.* Exstat Goffridi d abbatis Vindocinensis ad Guillelmum sancti Florentii, & Bernardum sancti Sergii abbates epistola, in qua eos excitat ad insurgendum contra Rainaldi episcopi electionem, quam simoniacam esse existimabat. Obiit Bernardus VIII. idus Aprilis ineunte sæculo sequenti, cui Walterius seu Gauterius ex priore subrogatus. Hic Guillelmum de Vernecia, virum nobilem, qui Torinniacensis cellæ monachos divexabat, eo adegit, ut tum judicum

d Goffrid. lib. 4. ep. 8.

decreto, tum animi pœnitentia ductus, virgarum fasciculum præferens, Torinniacensis ecclesiæ altari accederet, sicque a sancti Sergii abbate & monachis veniam impetraret. Vivere desiit Bernardus abbas v. idus Januarias M C XIII. quem Petrus ejus nominis primus excepit. His temporibus monastica disciplina in Sergiano monasterio magnopere florebat.

ANN. CHR. 1094.

Hoc ipso anno duo nobilissimi milites Arverni, Warinus scilicet ejusque frater Heldinus de Monte-Pancerio *, monasticam vestem ac professionem militari prætulerunt, seseque venerabili Hugoni Cluniacensi abbati regulari disciplina informandos subdiderunt, & domum suam apud Thiernum, aliaque prædia Cluniacensibus contulerunt. Ex his unus conjugii expers, nimirum Heldinus; Warinus conjugatus erat, cujus uxor Marciniaci sanctimonialem habitum induit. Hæc discimus ex illorum fratrum duabus litteris, quarum unas, utpote breviores, ex chartario Cluniacensi hic referre juvat.

C. Nobiles viri Cluniaci monachi.
* de Montpensier.

Notum sit amantibus veritatem & pacem, & præcipue Arvernensibus fidelibus, quod ego Warinus & Heldinus frater meus, homines ingenui & milites, nominati de Monte-Pancerio, miseratione divina visitati, & admoniti sæculum relinquere, sanctumque monachicum habitum induere, hoc in Cluniaco proposuimus facere, & auctore Deo fecimus sub reverendo domno Hugone abbate. Ego siquidem Warinus uxorem habebam, sed liberos habere non potui: & uxor mea similiter apud Marciniacum sanctimonialem suscepit habitum: Heldinus frater meus nec uxorem habebat, nec liberos. Igitur communi consensu dedimus loco Cluniaco domum nostram in Thierno, & quidquid in Thiernensi territorio habebamus; quidquid in Salviniaco, quidquid apud Gelsam, apud Busserulas &c. *Actum anno domini* M XCIV.

In aliis litteris, quæ prolixiores sunt, aiunt se has donationes Cluniacensibus facere, *ut qui conversionis* suæ *primordia* sustinerent, *aliquid emolumenti* ex ipsis perciperent. Id porro se facere pro salute cum sua, tum propinquorum, tam vivorum quam defunctorum, utiliores sibi & illis fore censentes, *fratres & filios spiritualiter adoptatos, quam perverse viventes & carnaliter propagatos* &c. *Facta donatio hac anno ab incarnatione Domini* M XCIIII. *indictione* II. *regnante in Francia Philippo rege.* Hinc origo abbatiæ Thiernensis diœcesis Claromontensis, ubi debent esse cum abbate viginti monachi secundum definitionem capituli generalis anni M CCCXXIV.

Thiernensis abbatia.

Eodem tempore Girardus miles de Turre, quod castrum *situm est in valle Taleves, in episcopatu Arvernensi, habitum sacræ religionis* apud Cluniacum sub Hugone abbate induturus, quartam partem ecclesiæ sancti Pardulfi, aliaque multa sancto Petro contulit, subscribentibus cum eo Stephano, Bertrando monacho fratribus suis, necnon Durando episcopo Arvernensi, aliisque. De hoc Girardo intelligenda videtur *convenientia, quam fecit Hugo prior & ceteri seniores loci Celsiniensis Alterio militi cuidam de castro, quod Turris dicitur, ut quemdam filium ejus, nomine Gerardum, faciant erudire in loco de Talvis a senioribus in ipso loco habitantibus, usquequo de cœnobio Celsiniensi duo pueri e scholis emittantur.* quibus egressis e scholis, eorum loco parvulus iste in scholis reciperetur; aut, si ipse ante id tempus moriatur, Alterius ipse, vel aliquis ex ejus filiis aut propinquis reciperetur. Pro hac vero convenientia donat Alterius centum solidos Lemovicenses & quædam prædia. Ex quibus intelligitur, in illo monasterio scholas fuisse, in quibus nobilium filii pro more nostri Ordinis erudiebantur.

Per id tempus res admiratione digna contigit in Marciniacensi parthenone, de cujus primordiis in superioribus [a] actum est. Ibi tunc nobilium mulierum multitudo, & regii sanguinis puellæ confluebant, teste Petro [b] Venerabili, quæ omnes muliebrem mollitiem supergressæ, corpus animo, animum Deo penitus subigebant, opere manuum, psalmorum cantu, oratione assidua, fletuque continuo, aut præteritæ vitæ nævos abluentes, aut meritorum cumulos augere certantes. Illud autem apud eas singulare erat, quod perpetua & inviolabili se clausura constringerent, interdicta sibi ex præcepto Hugonis abbatis & fundatoris sui foras progrediendi licentia: ne quavis occasione vel mundus in eis videat quod concupiscat, vel ipsas aliquid noxium vel in excursu videre contingat. Eadem ratione, ut numquam a quoquam conspici possent, ab ipso in religionem ingressu oculos velo penitus obvelatos & facies circumtectas habebant. Sic mundo mortuæ, & vitali, ut ita dicam, inclusæ sepultura, prius mori, quam limen suæ reclusionis transgredi malebant. quod sequenti exemplo manifeste paruit. Forte incendium in proximis illius villæ domibus subortum est, quod venti impulsu monasterii habitacula corripere cœpit. Fit ab omnibus concursus

CI. Marciniacensium sanctimonialium mira fides & constantia.
a lib. 61. n. 89.
b Pet. Ven. lib. 1. de mirac. c. 22.

ANN. CHR. 1094.

ad repellendum vel restinguendum ignem: at, cum irriti essent conatus, una omnium vox & sententia erat, ancillas Dei simul cum monasterio perituras, nisi e claustris egrederentur. Forte Marciniaci tunc aderat venerabilis Hugo Lugdunensis archiepiscopus & apostolicæ sedis legatus, ad quem omnes accurrunt, rogantque, ut inclusis sanctis mulieribus exitum persuadeat. Mox ille claustrum ingreditur, omnesque hortatur, ut imminenti periculo cedant. At illæ potius se mori velle, quam propositum suum & abbatis sui præceptum infringere constanter affirmant. Legatus vero auctoritate beati Petri & domini papæ, cujus vice fungebatur, earumque abbatis eis præcipit, ut egrediantur, nec se cum suis habitaculis incendio concremari sinant. Ad hæc quædam magnæ nobilitatis & sanctæ conversationis soror, Gisla nomine, quam Petrus Venerabilis se multoties vidisse asserit, fide succensa respondisse traditur, se ex timore Dei & præcepto abbatis sui, ut ignem æternum evaderent, in hæc claustra in perpetuum reclusisse, nec ullo pacto præfixos sibi pœnitentiæ limites saltem vel uno pedis passu transgredi velle, nisi ab eo, qui ipsas recluserat, solverentur. Noli ergo, domine, inquit, si placet, hoc injungere, quod nobis agere non licet: sed potius igni, ut a nobis fugiat, virtute Christi domini nostri armatus præcipe. Miratus legatus fidem mulieris, & ipse mox fide repletus, lacrymis ora perfusus, ad flammas conversus dixit: *In nomine Domini & per virtutem fidei hujus, quæ nunc locuta est, mulieris, recede ignis pestifer ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua ultra inferre præsumas.* His prolatis, mirum dictu: flammarum globi, velut ferreo muro obstante, ultra progredi non valuerunt, & absque ullo humano subsidio, absque vel modica pluviæ aqua, incredibili celeritate ignis penitus exstinctus est, obediente igne voci hominis. quod Petrus ab iis ipsis, qui viderant, se accepisse testatur. tum rem concludit: *Sic magnifico atque insperato miraculo sanctarum propositum mulierum sibi bene acceptum esse divina pietas comprobavit; & veræ fidei merito omnia esse possibilia credenti, sicut in evangelio promiserat, demonstravit.* Attendant insigne hoc exemplum non solum Marciniacenses, sed etiam omnes aliæ nostri Ordinis sanctimoniales, discantque quanta cum severitate intra monasterii sui claustra se continere debeant.

CII. Biliomi monasterium sancti Lupi. * Billom.

Biliomum * oppidum est apud Arvernos in comitatu Tolornensi, ubi collegiata est ecclesia, atque sancti Lupi monasterium suburbanum, quod vir nobilis Hugo de Mercuriolo, seu de Palerios, Petroni filius condidit, & Odiloni Cluniacensi abbati informandum commisit. Cum autem hæc sancti Lupi ecclesia sita esset in alodo Mauricii de Monte-buxerio *, ab ipso ejusque consortibus sancto Petro Celsiniensi & sancto Odiloni sollemniter tradita est, concedente domno Rencone episcopo Arvernorum; eademque ab ipsis Celsiniensibus a fundamento restructa, & ab omni dominio exemta. Hanc ecclesiam sic liberam diu possederunt Celsinienses: at processu temporis Biliomenses canonici, invidiæ livore instigati, eam vi invaserunt, & sacra quæque diripuerunt, nequidem sacrosanctæ Eucharistiæ, quod dictu horrendum est, parcentes. quod cum Urbano papæ innotuisset, Durando Arvernorum episcopo litteras dedit in hunc modum.

* Mont-boissier.

Direptum a Biliomensibus canonicis.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, Duranno carissimo fratri Arvernorum episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Adversus fraternitatem tuam pro Biliomensibus canonicis, qui tua ditionis habentur, non exigua querela provenit. Hi nimirum beati Lupi cœnobium, quod sub Cluniacensis cœnobii jure multis jam ultra nostram memoriam temporibus est retentum, invasione horrenda, & catholicis auribus non ferenda, contra omne jus & fas usurpantes, altare ipsius cœnobii diruerunt, reliquias in eo latentes diripuerunt, quodque dictu & auditu nefas est, ipsum quod super altare ad infirmorum usus repositum fuerat corpus dominicum, ipsis supercælestibus virtutibus reverendum, humo dispergere minime timuerunt; & cetera ornamenta, omnemque monasterii supellectilem in usus proprios asportaverunt. Hæc quam gravia, quam horrenda, quam catholicis auribus importabilia videantur, fraternitatis tuæ non credimus latere prudentiam. Quomodo igitur inulta hæc pati sollicitudo tua poterat, non minimum, si ita se rei veritas habeat, admiramur. Præsentibus ergo litteris officii tui debitum admonemus, ut prædictum locum, & ex eo direpta utensilia universa, Celsiniacensibus restitui facias: quibus reinvestitis, si quam in loco illo justitiam se habuisse canonici Biliomenses confitentur, tempore congruo cum Celsiniacensibus monachis nostro se conspectui repræsentent. Si autem nostræ huic jussioni Biliomenses canonici obedire contempserint, divinum iis officium interdicito, quoadusque resipiscentes,

piscentes, Celsiniacensi praeposito & fratribus qua diripuerunt, restituant. Quod si episcopalis auctoritatis judicium neglexerint, nostra se a divinis officiis auctoritate noverint interdictos, ut nec ipsi usquam, nec alii in eorum ecclesia id exhibere praesumant, quoadusque hac a nobis praecepta perficiant.

His litteris non statim a Duranno praesule obtemperatum est, qui dum moras trahit, tempore concilii Claromontensis anno sequenti e medio sublatus est. Hunc excepit Guillelmus Basiensis, isque demum, auditis partibus, praedictam ecclesiam Celsiniacensibus liberam adjudicavit; at Biliomenses canonici ablata restituere non potuerunt. Sed tandem hanc ecclesiam Aimerico Claromontensi episcopo Petrus Venerabilis cessit cum aliis ecclesiis.

CIII. Seguino Casae-Dei abbati succedit Pontius.

Cum venerabilis Seguinus Casae-Dei abbatiam annis fere quindecim religiosissime administrasset, vitae privatae studio praefecturam abdicavit, & ad Avenionensem prioratum secessit, ubi idibus Junii mortuus sepultusque est. Ejus tempore Casa-Dei religionis fama inclaruit, & amplis possessionibus excrevit. Tantae religionis fama permotus Hugo Gratianopolitanus episcopus, abdicato episcopatu, Seguini disciplinae & magisterio se subjecit, ut superius [a] diximus: at dignitatem resumere coactus est. In Seguini locum suffectus Pontius de Turnone, non de Monte-Buxerio [b], ut quidam volunt, Casae-Dei abbas quintus, primusque ejus nominis & stirpis abbas, qui nequaquam ab antecessorum suorum religione degeneravit. Ejus rei fidem facit Urbanus II. in bulla anno sequenti data post dedicationem ab ipso factam ecclesiae Casae-Dei. Haec bulla sic incipit. *Urbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Pontio abbati monasterii, quod Casa-Dei dicitur, & universae congregationi salutem & apostolicam benedictionem. Cum omnipotentis Dei gratia vestrum monasterium per nos visitari, & in honore ac nomine sanctorum martyrum Vitalis & Agricola ipsius coenobii basilicam dedicare disposuit; dignum duximus, ut tam pro beati Roberti meritis, qui coenobium sua quondam opera fundavit, & nunc suis meritis protegit, quam pro religionis vestrae reverentia, vobis vestrisque successoribus in regularis disciplina observatione mansuris spiritualia sedis apostolica dona largiremur. Vos igitur in speciales Romana ecclesia filios suscipientes* &c. *Datum apud burgum sancti Ægidii per manus Johannis S. R. E. diaconi cardinalis* VIII. *idus septembris, anno dominicae incarnationis* M XCV. *pontificatus autem domni Urbani II. papa anno* VIII. Idem Pontius Casae-Dei abbas quartus, non quintus dicitur, expuncto scilicet Adelelmo, in charta Guillelmi comitis Forensis, qua ecclesiam sancti Juliani de Mondonio, quam *comites Forenses per multa tempora in fevo* ab ecclesia sancti Stephani Lugdunensis tenuerant, anno M XCVI. resignat in manus Hugonis archiepiscopi Lugdunensis: Hugo vero *dedit eam in manu Pontii abbatis quarti Casa-Dei*, hocque donum confirmavit Lugduni in conventu canonicorum, praesente « abbate Pontio cum quatuor monachis, Calixto, Guidone, Otone & Garnerio; idemque « confirmarunt Willelmus Arvernensis episcopus & abbas sancti Irenaei, Bernardus « Matisconensis episcopus & archidiaconus Lugdunensis, Armandus camerarius, « aliique, teste Guigone abbate Insulae-barbarae. «

[a] lib. 66. n. 34.
[b] V. lib. 70. num. 19.

Viennensis S. Andreae abbatia Casae-Dei subjecta.

Non multo post Guido Viennensis archiepiscopus, is qui post Paschalem summus pontifex creatus est, dictus Callistus II. Viennensem sancti Andreae abbatiam, multa olim dignitate praeditam, sed tunc *omni penitus monastica disciplina inhabitantium pravitate desolatam, & temporalibus beneficiis prorsus attenuatam* animadvertens, ne id sibi in negligentiae crimen verteret, habito cum suis canonicis consilio, eam Pontio Casae-Dei in pristinum statum restituendam commisit, ab ejus successoribus deinceps ordinandam, sic tamen ut abbatiae dignitate non excidat, ut fusius legitur in ipsius Guidonis litteris in Appendice referendis: in quibus *Guido, Brullelmi comitis Burgundiae filius*, sigilli sui impressione hanc donationem obsignasse dicitur.

Moisiacenses turbae.

Moisiacense monasterium per id tempus perturbatum est factione Hunaldi, qui abbatiam usurpaverat & inde expulerat Ansquilinum abbatem, ab Urbano papa ordinatum. Hanc injuriam haud impune passus est pontifex, scriptisque ad Guillelmum Tolosanum comitem litteris, ei congratulatus est *super religione & eleemosyna*, quas erga Deum ejusque famulos exhibere dicebatur, maxime quod Moisiacensis & « Lezatensis coenobiorum abbates injuste expelli & in eorum locis inique alios subrogari nullo modo pateretur. Dein eidem significat, se Ansquilinum in Moisiacensem « abbatem consecrasse; Hunaldum autem invasorem ex eodem coenobio recedere « jussisse; idque Cadurcensi episcopo, in cujus dioecesi situm monasterium, signifi- «

ANN. CHR. 1094.

casse. In fine, quia petierat Guillelmus comes, ut ad ecclesiam beatæ Mariæ beatique Petri apostoli, quam veteres Fabricatam, recentiores Deauratam vocant, cœmeterium exstruere sibi liceret; annuit pontifex, ejusque consecrandi facultatem episcopo Tolosano concedit.

CIV. Silvæ-majoris cellæ in Hispania.

Ea erat Geraldi Silvæ-majoris abbatis, ejusque discipulorum fama religionis, ut in Hispaniam quoque penetraverit, regemque Aragonum Sancium, Ranimiri filium, permoverit, ut eis ecclesias & monasteria illis in partibus attribuerit. Is, adjecta regno suo Navarra, ecclesias non paucas in illis regionibus exstruxit, dotavitque, & Geraldi nostri discipulos in opido Rosta seu Arosta instituit: ubi cum magnam penuriam paterentur, varias ei possessiones in subsidium assignavit. Ejus verba, quia in Geraldi ejusque discipulorum decus multum faciunt, ex chartario Silvæ-majoris proferre juvat. *Hactenus*, inquit, *in Hispania raro fuit christiana religio servata: sed postquam lex Romana, a sanctis patribus constituta, nostris temporibus introducitur, ac nebulosus error veniente luce propellitur, advenientibus a partibus diversis clericis & monachis ecclesia Christi dilatatur. Itaque quidam monachi ad me venerunt, qui se missos a domno Geraldo Silva-majoris abbate dixerunt. Erat autem iste abbas, ejusque discipuli diffamati late per Hispaniam, qui de patria progressi, in Silva-majori dignam Deo exercebant militiam. His igitur monachis prius ecclesiam in villa, nomine Rosta, donavi, quam illis omnium dominatione liberavi: sed ex ea minus necessario capiebant, quo tamen contenti, satis artam ducebant vitam. Sed, cum postea ad eos gratia visendi venissem, eorumque nimiam cognovissem paupertatem; aliam non longe dedi eis ecclesiam, sancto Jacobo dedicatam, illorum suffragio vel precibus sperans meam apud Deum adjuvari animam.* Dein recenset varias donationes a se, & ab Hugone quodam eremita illis monachis factas, quas rex ipse cum filio suo Petro confirmasse dicitur. Idem Meschitas * de Essoya, Sarracenis ereptas, Silvensibus quoque monachis contulit, Felicia regina cum filio Petro probante. Insuper multa alia adjecit paullo ante suum obitum, qui hoc anno contigit in Aucæ obsidione, ubi occisus fuit. Tot beneficiis Geraldus ut se gratum exhiberet, statuit, ut pro rege Sancio unus pauper gratis monachus fieret in Silva-majori, qui pro rege oraret; eoque mortuo alter in ejus locum subrogaretur. quod ubi Sancius accepit, litteris suis Geraldo gratias egit, seque in posterum plura collaturum promisit. Et quidem Arostæ domum eleemosynariam condidit, eamque illius loci monachis regendam commisit, litteris æra M XXXI. datis. His subscripsit primus post regem ejusque filium Petrum episcopus Pampilonensis nomine Petrus, ex-Tomeriensi monasterio, ut vult Tamayus, assumtus, qui Argilalensem beatæ Mariæ ecclesiam, aliasque Geraldo abbati *ad serviendum Deo* concessit.

* Mosquées.

CV. S. Michaëlis ad Mosam abbates. a V. lib. 67. n. 66.

Pervenit ad id tempus Sigefridus abbas monasterii sancti Michaëlis ad Mosam, cui hoc anno Richerus Virdunensis præsul, jam superius [a] a nobis laudatus, Theoderici antecessoris sui tam benefactorum, quam dignitatis successor & imitator esse cupiens, altaria duo, ab eo sancto Michaëli data, litteris suis confirmavit, unum scilicet S. Cyrici in ipso S. Michaëlis *burgo*, ut vocat, alterum in villa Troniaco. Actum Virduni publice pridie nonas Februarii anno M XCIV. indictione II. quibus litteris apposita sunt signa Rodulfi abbatis sancti Vitoni, & Folcradi abbatis, sancti Pauli scilicet in ipsa urbe Virduno. Sigefrido non multo post successit Odelricus seu Udalricus, antea prior, cui idem Richerus capellam sancti Petri in suburbio Virdunensi, quam Ludovicus comes abstraxerat, ac militibus in beneficium dederat, restitui curavit, ejusdemque capellæ altare concessit. *Actum Virduni in majori ecclesia anno ab incarnatione* M XCVIII. *indictione* VI. XIII. *kal. Novembris, anno episcopatus domni Richeri* X. *ordinationis* IV. & quidem *in præsentia domni Odelrici, tunc ejusdem cœnobii abbatis, Rodulfi abbatis* mox laudati, *Lanzonis abbatis, Rofredi abbatis, & Albersi monachi & prioris ejusdem loci.* Eodem anno Udalricus abbas litteris ad Urbanum II. scriptis obtinuit, ut monachorum cœmeterium, quod ad id tempus in veteri monasterio fuerat, ad novum transferretur, ut inferius videbimus. Superstes fuit Udalricus ad annum M C XV. ex charta Riquini episcopi Tullensis.

CVI. Laubiensis abbas Fulcardus. b lib. 64. n. 133.

Jam ab octodecim annis [b] gemebant Lanbienses sub jugo durissimo Arnulfi abbatis, & Oibaldi pseudopræpositi, qui monasterii rem familiarem in profanos usus prodigebant: sed tandem fratres hoc anno respirare cœperunt. Mortuo quippe Arnulfo abbate, electus Fulcardus, vir singularis modestiæ & pietatis, loci damna resarcire pro virili conatus est. Huic opitularem manum præbuit Otbertus Leodicensis episcopus,

eique auctor fuit, ut ad recuperanda bona, quæ in alienas manus Arnulfus & Oibaldus distraxerant, cum sancti Ursmari corpore ad Heinricum imperatorem pergeret, ejus patrocinium imploraturus ad recuperandam cum possessionibus pristinam libertatem. Exstat [a] hac de re libellus supplex Fulcardi abbatis, imperatori porrectus, in quo miserabilem sui monasterii statum describit. *Ecclesia nostra*, inquit, *in angulo regni tui paenultimo fundata, sub titulo apostolorum beatorum Petri & Pauli dedicata, jam quingentis annis optima libertate potita est, priorum regum auctoritate firmiter concessa, necnon amplissima prædiorum ac possessionum munificentia: pro quibus omnibus sibi subtractis clamat ad te, utpote vidua: quoniam alias, si non coram te, ô Cæsar, non obviant sibi veritas & misericordia; neque ullatenus justitia & pax ruunt in oscula.* Deinde subdit Fulcardus, tales fuisse in abbatia Laubiensi leges majorum, quæ usque ad « Theoduinum episcopum inviolatæ perseveraverant, ut castellanus vicini-castri Tudiniensis [*] præfecturam abbatiæ solus reneret. Nunc multiplicatos pro numero villarum advocatos, qui omnes fere illarum reditus consumant; immo plures aliquando « in una eademque villa exsistere, qui, præter tria generalia placita consueta, alia pro « suo arbitrio indicant, suisque exactionibus subditos opprimant. Jam ab annis triginta « hæc infortunia grassari. quibus ut subveniat imperator, abbas supplex cum suis obsecrat. Ille vero supplicantibus fecit satis, dato diplomate, quo ambitum monasterii, *quem procinctum vocant*, secundum antecessorum imperatorum privilegia confirmat, insuper eligendi advocati facultatem, & decimas indominicatas, ceterasque loci possessiones. Id concessum interventu Otberti episcopi, qui non solum temporalia Laubiensibus restitui curavit, sed etiam regularem disciplinam: adeo ut, si quis contra eam delinqueret, id quantocius vel per se ipse, vel per alios emendaret.

a *Spicil. to. 6. p. 601.*

[*] *de Tuin.*

Bulonii cella.

Nonnihil tamen detrimenti ab Otberto passa est Laubiensis abbatia. Cum enim castrum Bulonium seu Bulionem a Godefrido duce ecclesiæ suæ comparare vellet, & pretio conficiendo impar esset; tabulam argenteam altaris Laubiensis, quæ sola ex tot pressuris intacta remanserat, abstulit, ut argentum ad summam perficiendam ex ea exprimeret. Hic est Godefridus, Bulonius dictus, qui ad Jerosolymitanam expeditionem profecturus, hoc castrum Otberto vendidit. Idem sancti Petri ecclesiam, in eodem municipio sitam, quam Godefridus Barbatus, ipsius avus, Andaginensibus sancti Hucberti monachis contulerat, eisdem hoc anno confirmavit, dato diplomate [b] Bulonii, præsente Theoderico Andaginensi abbate, ejus nominis secundo.

b *Miræi cod. donat. p. 210.*

CVII. Weingartense monasterium ditatur.

Bertholdus auctor est, hoc anno Juditham, uxorem Welfonis Bajoariæ ducis, longa infirmitate expurgatam & meliorem factam, diem extremum clausisse IV. nonas Martii, & in monasterio quod ejus maritus in honorem sancti Martini in proprio allodio construxerat, a Gebehardo Constantiensi episcopo honorifice sepultam fuisse: cui monasterio capellam ipsius, quæ auro, argento, pretiosissimisque ornamentis constabat, mille fere libras valentem, contulerit. Quin etiam idem monasterium plurimis possessionibus, scilicet *centum pane mansis* seu prædiis auxisse traditur ab eodem auctore; sicque locupletatum, & de sua potestate emancipatum, sancto Petro vectigale fecisse, sedique apostolicæ subjecisse. Hoc est sancti Martini monasterium diœcesis Constantiensis, in Suevia positum, & a vineis Weingartense appellatum, cujus originem in tomo secundo [c] paucis præstrinximus. Ibi dictum est, sanctum Altonem, nobilem Scottum, monasterium in pago Frisingensi condidisse, ex ipsius nomine Alto-monasterium nuncupatum, quod non multo post a quodam Sueviæ comite seu duce direptum sit: dein Altorfium sæculo decimo translatum, ubi Benedictinarum virginum cœnobium erat, quod illæ Altomonasteriensibus monachis cesserunt. Hi vero, Altorfio in parœcialem ecclesiam mutato, in novum Weingartense monasterium translati fuere, quod a Welfone Bajoariæ duce constructum, & magnifice dotatum fuisse mox ex Bertholdo retulimus. Quo præcise anno hæc translatio facta sit, non ita exploratum. Bucelinus [d] eam refert ad annum M LV. primumque in monte Vinearum abbatem ait fuisse Beringerum, illustris generis virum, qui ultimus Altorfii abbas fuerit. Verum paullo serius hæc transmigratio facta videtur, quando quidem Welfo, novi monasterii conditor, anno tantum M LXXI. dux Bajoariæ factus est, teste Bertholdo. In veteri kalendario, quod libro evangeliorum Weingartensi præmissum est, memoratur IIII. *nonas Augusti Judita dux.* quod forte intelligendum de Juditha conjuge Welfonis ducis, tametsi hæc IV. nonas Martii obiisse a Bertholdo

c *V. lib. 18 n. 77.*

d *Bucel. to. 1. Germ. p. 92.*

ANN. CHR. 1094.

dicitur. In alio codice prior illa Judita regina Angliæ dicitur, ibidemque sepulta, quæ eidem ecclesiæ dederit *pretiosissimum thesaurum*, id est, *sanguinem Domini, cum reliquiis sanctorum, palliis & plenariis* missalibus libris. quæ videtur esse ipsamet Juditæ *capella*, quam Welfo sancti Martini monasterio donavit, testante Bertholdo. Ex quo intelligitur, unam eamdemque esse Juditham, quæ *dux* in prædicto kalendario recte dicitur, in alio codice perperam regina Angliæ. Perstat etiam nunc floretque hactenus insigne illud Weingartense monasterium, a nobis aliquando lustratum, cujus abbatum seriem exhibet Bucelinus, ejusdem loci cœnobita, multis editis libris notissimus. Ex ejus loci bibliotheca antiquissimas formulas Andecavenses descripsimus.

CVIII. Campidonensis abbatis Eberhardi obitus.

Aliud percelebre visitur in Suevia monasterium princeps, Campidona, cujus abbas Eberhardus, qui in syllabo abbatum apud Bucelinum desideratur, non contentus abbatia sua, tametsi satis opulenta; Augustensem episcopatum, adhuc vivente Sigefrido episcopo, invadere voluisse dicitur in chronico Augustensi, ob idque Italiam ingressus, morbo Italico hoc anno consumtus fuisse.

Uttemburæ casus.

Inter alia prodigia, quæ Bertholdus in Teutonicis partibus hoc anno facta commemorat, unum accidisse tradit in monasterio *apud Utenburzon*, ubi crucifixi statua & sedilia monachorum, utpote non regulariter viventium, fulmine dissipata fuere. quod forte de Uttemburano seu Ottemburano Sueviæ monasterio intelligendum.

CIX. Formbacensis cella in abbatiam erigitur.

In Bajoaria exstabat ante id tempus cella apud Formbacum in diœcesi Pataviensi, beatæ Mariæ sacra, quam pia matrona Hilmedrudis [a] dotaverat, eique Thiemonem comitem in advocatum, ejusque posteros dederat. Processu temporis Eckpertus comes, ad quem quarto loco ab avo suo Thiemone hæc procuratio provenerat, hanc cellam, multis prædiis attributis, in abbatiam erexit, eique primum abbatem Berngerum seu Perngerum præficiendum curavit, quem Udalricus episcopus Pataviensis sub finem hujus anni, id est XVI. kal. Januarii abbatem consecravit, concessa ejus loci monachis libera eligendi abbatis facultate, eo pacto, ut electus baculum ex altari sui monasterii sumat. Si vero monachi in eligendo abbate non concordarent, tunc Pataviensis episcopus cum advocato illuc conveniat, & sanioris partis sententiam prævalere curet. quæ omnia susius ipse Berngerus abbas litteris mandavit. Eidem etiam abbatiæ multa bona contulere comites Udalricus & Hermannus ejus frater, Eckberti cognati, eaque Lotharius imperator litteris suis confirmavit. Alios benefactores apud Hundium videre licet, uti & seriem abbatum, in qua Perngerus primum locum tenet, secundum Wirnto, mendose Brinto dictus, cujus vitam Gerohus præpositus Reicherspergensis composuit. Ex hac autem vita discimus, Perngerum novemdecim annis locum rexisse; adeoque pervenisse ad annum tertium-decimum sæculi sequentis. In illa vita Perngerus factis & exemplo monstrasse dicitur, quod verbis docuit, viduarum & orphanorum consolator, pauperumque recreator appellatus.

a *Metrop. Salisb. to. 2. p. 317.*

Abrinsbergense monasterium, seu Mons-sanctus.

Jam non semel dictum est de Abrahæ-monte, seu, ut vocant, Abrinsbergensi monasterio prope Hildebergam, quod ex parvis initiis sub Laureshamensium abbatum cura & subjectione in locum celeberrimum accrevit. Prima monasterii fundamenta posuisse dicitur [b] Tiodrochns Laureshami abbas post noni sæculi medium. Ludovicos III. Germaniæ rex paullo post locum cum suis appendiciis Walthero abbati concessit; ac deinde Herigerus qoidam Gerharto abbati totique congregationi Laureshamensi nonnulla adjecit, *ea ratione, ut ad basilica, quæ structa est in monte nominato Abraha-mons, in honore sancti Michaëlis archangeli, servitium constet.* Charta data est VI. idus Januarii anno IV. regis Arnulfi, quo item anno Ruotswindis eidem loco contulit aliquot *terra jurnales*. Anno CMXII. hunc montem incolebat Sigolfus monachus, cui tunc Couradus primo regni sui anno multa cum illius abbatis licentia concessit *ad locum sanctum Aberinesburg, constructum in honore sancti Michaëlis*. quæ omnia post Sigolfi mortem ad Laureshamensis monasterii potestatem devenire jubet. Ejus, medio Henrico Aucupe, successor Otto Magnus permisit Gerbodoni Laurishamensi abbati anno CMLXV. ut mercatus apud Wezenloch institueretur *ad servitium S. Michaëlis in Aberinesburg*. At eo loci monachorum cœtum saltem numerosum non exstitisse putaverim ante Regimbaldum abbatem, qui, ut ex chronico Laurishamensi [c] jam observatum est, *monasterium a fundamentis inceptum ædificavit, & monasticis mansionibus congrue circumaptatis, fratribus ibidem Deomilitantibus necessaria affatim procuravit* &c. Ne vero quis, vel etiam abbas, ea quæ constituerat violare possit, possessiones a se & ab aliis

b *Chron. Lauresh.*

c *V. lib. 54. num. 28.*

collatas auctoritate imperiali eidem loco asserere curavit, uti patet ex beati Henrici diplomate, quod anno M XXIII. Triburiæ datum est. Ugo abbas anno M XXVI. nonnulla *suo servitio* pertinentia eidem loco dimisit *in præsentia primatum* suorum *ad servitium sancti Michaëlis, quatenus inibi regularem disciplinam juxta fratrum sancti Nazarii consuetudines ejusque loci constitutiones ad plenum firmaret.* Hic erat montis illius status, cum anno M XCIV. Anselmus abbas post resarcita, ut suo loco dictum est [a], damna, quæ incendium in basilicam & totum monasterium Laurishamense intulerat, cellam novam in excelsiori montis Abrinsbergensis cacumine construxit juxta ecclesiam sancti Stephani, quæ ab Arnoldo præposito jam antea ædificata fuerat; assignavitque sufficientes reditus, ad sustentationem fratrum, qui ibi divina officia persolverent. quæ omnia Henrici augusti auctoritate firmari impetravit. Charta Anselmi abbatis ea de re data est hoc anno in ipso monte Abrinsbergensi; in altera vero, quæ chronicis notis destituta est, recenset omnia, quæ huic cellæ a se collata sunt. Verum Henrici diploma nonnisi post ejus abbatis obitum, qui in ecclesia sancti Stephani cellæ sepultus est, Geroldo ejus successore rogante, datum fuit ad petitionem *regni principum, videlicet Brunonis Trevirensis, Friderici Coloniensis* & aliorum episcoporum, *ac Stephani Wizeburgensis abbatis, Friderici, Sigefridi palatinorum comitum* & aliorum, Spiræ anno M CIII. Exinde licet abbas utrique loco præesset, sua tamen bona separata habebant, uti ex commutatione bonorum patet, quæ facta est inter fratres Laurishamenses & fratres sancti Stephani anno M CXXX. sub Diemone abbate. Laurishamensis autem sancti Nazarii dicebatur major ecclesia, sancti vero Stephani minor; Mons vero ipse Abrinsbergensis seu Heiligenbergensis, vulgo Mons-sanctus, aut sanctorum appellatus est. quæ omnia ex instrumentis patent, quæ tum a Tolnero in codice diplomatico Palatino, tum a Marquardo Frehero in appendice ad Origines Palatinas referuntur. At mirum est Freherum [b], recensitis tot principum & virorum piorum benefactis, adeo religioni avitæ insultasse, ut principibus suis gratularetur ob disjecta eorum tempore, pulvere pyrio, tam insignia sanctuaria, ex quibus nihil superesse ait nisi ruinas & ædificiorum cadavera, quæ fidem historiæ facere possint.

a lib. 67. n. 113.

b Orig. Palat. cap. 8.

CX. S. Blasii monasterium augetur.

Jam dudum conditum fuerat, ut alias vidimus, sancti Blasii in Nigra-silva monasterium, quod cum angustius esset, quam ut plurimis hominibus ad conversionem concurrentibus capiendis par esset, hoc anno a fundamentis amplificari cœptum est III. idus Septembris, ut ex Bertholdo discimus. Ipso die Odo, ejus loci venerabilis abbas, Hartmannum priorem suum *in orientale regnum*, ut Bertholdus loquitur, id est *in marcham Ungaris collimitaneam*, cum aliis fratribus direxit, *ad novam abbatiam in episcopatu Pataviensi in loco, qui Cotewich dicitur, instruendam: ubi cœnobium erat clericorum regulariter viventium, qui tamen hoc a domino papa, & per papam a proprio eorum episcopo impetrarunt, ut, deposito habitu clericali, fierent monachi.* Quapropter sancti Blasii abbas jussu papæ & postulatione episcopi, fratres illos ad instituendam illic monachorum abbatiam misit. Hoc est Gotwicense monasterium, quod a beato Altmanno Pataviensi antistite conditum fuisse superius [c] diximus. Stengelius scribit, Gotwicenses clericos, qui, vivente Altmanno, sub duobus primis præpositis religiose vixerant, eo mortuo solutiori vitæ laxasse habenas; ob idque a Johanne, insigni pietate Scotto, admonitu beati Altmanni, graviter increpitos fuisse; sed tandem, licet ægre, hortante Johanne, vitæ ex præscripto sancti Benedicti instituendæ consilium cepisse. Hinc e sancti Blasii monasterio accitum Hartmannum, qui novum jus, novosque mores istuc invexit; eumque auctoritate Urbani II. & assensu Udalrici Pataviensis episcopi primum illic abbatem institutum fuisse. Ibidem in cella disparata sub sanctimonialis habitu vixisse traditur Wilwirga, alio nomine Heltopirgis, Leopoldi Austriæ marchionis piissimi soror, & Borivoii Boëmorum ducis quondam uxor, eoque loci sepulta. Gotwicense monasterium post varios casus, cum tempore belli Turcici sæculo, sexto-decimo procedente, fere in solitudinem redactum esset, a Michaële abbate strenuissimo instaurari cœptum est anno M D LXIV. ab ejus successore Georgio Falbio, tum Ordinis, tum catholicæ religionis studiosissimo, promotum, ac demum absolutum a Davide-Gregorio-Cornero, quem Stengelius in reformatione Austriæ superioris commissarium, & concionatorem egregium, denique virum vere apostolicum fuisse dicit, & aliquot libris in publicum editis clarum.

Gotwicum colonia deducta.

c lib. 64. n. 9.

CXI. Liparensis & Pactensis ecclesiæ Benedictinis datæ.

Redeo ad Siciliam, ubi dux Rogerius, ejectis Sarracenis, rem christianam instaurare pergit, erigendo monasteria & ecclesias etiam cathedrales, quarum plerasque

ANN CHR. 1094.

monachis nostris regendas tradit. Ex his Catanensem Ansgerio & monachis instituti nostri assignavit, ut superius vidimus. Idem factum paullo ante de Liparensi, idem de Pactensi ecclesia, quam Rogerius hoc anno exædificavit. Ejectis e Lipara Siciliæ insula Sarracenis, dux Rogerius templum & monasterium sancto Bartbolomæo erexit, præfecto Ambrosio abbate, cui hoc anno *terragia*, ut vocat, illius insulæ concessit. Ante triennium Urbanus II. idem monasterium toti insulæ præfecerat, ut vicem teneret antiquæ cathedralis ecclesiæ, quæ a Sarracenis destructa fuerat. In eadem tamen insula remanserant Benedictini monachi, eremitarum more illic viventes, ubi christianorum reliquias servaverant. Hæc discimus ex diplomate Urbani papæ, quod *dilecto fratri Ambrosio abbati* inscriptum est, a Roccho Pirro [a] relatum, » in quo Liparis insula, beati Bartholomæi corpore quondam insignita, eremi instar » a Sarracenis redacta fuisse dicitur: *quam multis annorum curriculis evolutis, cum Sarracenorum vires divinæ misericordiæ potentia repressisset, religiosi fratres eamdem ingressi insulam, monastica illic domicilia construere curaverunt, & plurimos in eamdem insulam colonos sua industria constituerunt. Nos itaque*, ait pontifex, *quibus ex divina arbitrio voluntatis, per apostolica sedis culmen, cunctarum sollicitudo imminet ecclesiarum, licet in eadem insula episcopatum quondam fuisse in sancta Gregoriana pagina registris agnoscamus: quia tamen episcopi dignitatem nunc ipsius loci exiguitas, & accolarum raritas non meretur, monasterium tamen illic haberi, & totius insula ambitum possidere, præsentis pagina auctoritate sancimus* &c. Datum Militi III. nonas Junii, indictione XIV. anno ab incarnatione M XCI.

a Sicil. sac. lib. 3. p. 665.

Hoc autem anno M XCIV. apud Pactas*, urbem Siciliæ maritimam, prædictus Rogerius aliud ejusdem nominis & instituti cœnobium exædificavit, dotavitque liberalissime, & eidem Ambrosio Liparensi abbati commisit. Horum omnium acta authentica a Rocco [b] referuntur. Ambrosio abbati in regimine Pactensi successit Johannes, qui Liparensis episcopus dictus est. Post eum erecta est Pactensis abbatia in episcopatum sub archiepiscopo Messanensi, sed avulsa demum ab Ordine Benedictino. In illa Pactensi ecclesia sepulta fuit Adalasia, Rogerii comitis uxor.

* Patti.

b ibid. p. 386. & seqq.

CXII. Cartusiæ Squillacensis dedicatio.

Cum Bruno, Cartusiæ-majoris parens, ecclesiam in eremo Squillacensi [c], quæ Turris dicta, ædificasset, eam hoc anno dedicari curavit in honorem beatæ Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ per venerabilem patrem Alcherium Panormitanum archiepiscopum, in præsentia Militensis, Tropiensis, Catanensis, atque Squillacensis episcoporum, necnon Rogerii comitis, magistro Brunone, Lanuino, ceterisque fratribus eremitis assistentibus, ut legitur in litteris a Rocco [d] Pirro editis, in quibus idem Rogerius *beato patri Brunoni magistro*, ejusque successoribus monasterium beatæ Mariæ de Arsafia cum suis adjunctis se concessisse testatur, dato diplomate anno M XCIV. mense Augusti, in festo beatæ Mariæ assumtæ. Fallitur Roccus, qui Lanuinum cum Brunone confundit in notis ad prædictum diploma; nec minus errarent, qui hunc Lanuinum Squillacensis eremi priorem post Brunonem, eumdem esse putarent cum Lanuino priore Cartusiæ-majoris, jam a nobis laudato, de quo iterum mox acturi sumus. Ejusdem Brunonis ac Lanuini Squillacensis consilio, uti & multorum in illis partibus episcoporum, Rogerius comes dolens [e] & ingemiscens, quod in tam » nobili civitate, scilicet Squillacensi, ubi tot christicolæ, tanta Nortmannorum copia » erat, nullam esse Latinam pontificalem ecclesiam, Latinum illic episcopatum funda» vit ac dotavit, eique Johannem de Nicephoro, canonicum & decanum Militensis » ecclesiæ, Latinum episcopum præficiendum curavit. Johannes vero eidem Brunoni, socioque ejus Landuino multa beneficia [f] contulit ab Urbano II. confirmata.

c V. supra n. 32.

d Rocc. ubi supra p. 17.

e Ital. sac. to. 9. p. 591.

f ibid. p. 593.

Ex illa solitudine vir Dei epistolam scripsit ad Radulfum Viridem, tunc præpositum ecclesiæ Remensis, postmodum archiepiscopum, qua in epistola ei in memoriam reducit colloquium, quod ante suam conversionem simul habuerant Remis de relinquendo sæculo, deque arripiendo monastico instituto: tum solitudinis suæ situm & delicias describit in hunc modum. *In finibus Calabriæ cum fratribus religiosis & aliquot bene eruditis, qui in excubiis persistentes divinis, exspectant reditum Domini sui, ut, cum pulsaverit, confestim aperiant ei, eremum incolo, ab hominum habitatione satis remotam: de cujus amœnitate, aerisque temperie & sospitate, vel planitie ampla & grata inter montes in longum porrecta, ubi sunt virentia prata & florida pascua, quid dicam? aut collium undique leniter se erigentium prospectum, opacarumque vallium recessum, cum amabili fluminum, rivorum, fontiumque copia, quis sufficienter explicet?*

Nec irrigui desunt horti, diversarumque arborum fertilitas. Verum quid his diutius immoror? Alia quippe sunt oblectamenta viri prudentis, gratiora & utiliora valde, quia divina. Verumtamen artiori disciplina, studiisque spiritualibus animus infirmior fatigatus, sapius his relevatur ac respirat. Arcus enim, si assidue sit tensus, remissior est, & minus ad officium aptus. Quid vero solitudo, eremique silentium amatoribus ejus utilitatis jucunditatisque conferat, norunt hi solum qui experti sunt. Hic namque viris strenuis tam in se redire licet, quam libet; & habitare secum, virtutumque germina instanter excolere, atque de paradisi feliciter fructibus uti. Hic oculus ille conquiritur, cujus sereno intuitu vulneratur sponsus amore, quo mundo & puro conspicitur Deus. Hic otium celebratur negotiosum, & in quieta pausatur actione. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam, pacem videlicet, quam ignorat mundus, & gaudium in Spiritu-sancto. Hæc fusius retuli, tum ut ex iis appareat, non austeram & agrestem viri Dei fuisse mentem, ut qui grata solitudinis suæ imagine solitariorum animos aliquando recreari posse concedit: tum ut ex hac religiosæ solitudinis descriptione accendantur animi nostri ad experiundas sacras illas delicias, quæ veris solitariis reservantur. quibus ii frustrantur, qui sub monasticæ tonsuræ fallaci imagine, mentem sæculo implicatam retinent.

urbem venienti Conradus, filius Heinrici, jam ante pro rege habitus, obviam progressus est, *eique stratoris officium exhibuit*, & sacramento fidem suam obstrinxit. Idem Mathildi comitissæ se adjunxit, sibique totum fere paterni exercitus robur attraxit. Ita Heinricus omni fere regia dignitate privatus est. Inde, lustratis Lombardiæ & Liguriæ variis locis, transcensis alpibus pontifex Galliam ingressus, Valentiæ a Gontardo episcopo exceptus est. Hic est Gootardus episcopus, qui ecclesiam [a] sancti Madriani, aliasque Divionensi sancti Benigni monasterio contulit rogatu Jarentonis abbatis, ob id maxime quod hic quondam in sæculo Valentinæ ecclesiæ canonicus fuerit. Gontardi hac de re litteris primus subscribit Ademarus Aniciensis episcopus, Valentinæ ecclesiæ præpositus, & post eum alii ejusdem ecclesiæ canonici. Inde digressus pontifex, Anicii festum assumtionis celebravit; ibique concilium in proximum Novembrem apud Claromontem indixit, de quo inferius.

a *Perard. p. 107.*

Albertus abbas Pontidæ obit.

Interim Albertus seu Adelbertus Bergomas, vir sanctus, monasterii Pontidensis in diœcesi olim Mediolanensi, nunc Bergomensi, conditor & abbas moritur kalendis Septembris bujus anni; eique beatus Henricus Cremonensis subrogatus. Sancti Alberti vita a Cælestino scripta dicitur in historia Bergomensi, eumque sancti Hugonis abbatis Cluniacensis discipulum fuisse tradunt. Falluntur itaque qui eum sæculo nono vixisse putant. Rectius Ferrarius & Sigonius ejus obitum hoc anno reponunt. Attamen ejus loci ecclesiam sæculo nono jam exstitisse fatendum esset, si constaret id quod asserit Ughellus [b], Theutbergam, Lotharii regis uxorem, illic humatam esse. Huic abbatiæ multa bona contulit Gregorius Bergomensis ex Ordine Vallumbrosano; ibidemque vitam monasticam professus erat Lanfrancus ejusdem sedis episcopus. Unita fuit aliquamdiu hæc abbatia Congregationi sanctæ Justinæ, sed tandem exstincta.

b *Ital. sac. to. 4. p. 591.*

II. Anselmus pallium accipit.

Hactenus Anglia nec Urbanum, nec Wibertum pro pontifice agnoverat, eoque in statu res Anglicanæ fuerant a pontificatu Gregorii VII. ut nec legitimus pontifex, nec antipapa ab Anglis reciperetur. Non tulit hanc fluctuationem Anselmus: sed mox ut electioni suæ acquievit, professus est, se Urbanum pro legitimo pontifice semper habuisse, ac porro deinceps habiturum. Quam ob rem statim post suam consecrationem, a Willelmo rege facultatem petiit adeundi Urbanum, ut ab eo pallium acciperet. Audito Urbani nomine infremuit rex, jam in Anselmum male affectus, aitque, se nondum Urbanum pro apostolico agnovisse, nec sui nec paterni moris esse, ut quisquam in suo regno pro pontifice haberet, quem ipse prius non approbasset. Urgente nihilominus Anselmo, ut adeundi pontificis sibi venia daretur, nec regi subjectionem, nisi salva sedis apostolicæ obedientia, præstare acquiescente, res ad sollemnem episcoporum & magnatum conventum delata; at infecta. sicque post triduum solutus conventus est. Tum vero laïci & episcopi plerique, cum regem Anselmo infensum viderent, & ipsi obedientiam Anselmo denegare cœperunt. In his angustiis vir sanctus Hugonem Lugdunensem archiepiscopum sibi consulendum [c] existimavit, num inter tot turbas archiepiscopatum abdicare satius non esset, quam sine fructu retinere. Interim duo clerici, Romam a rege missi ad exploranda legitimi pontificis jura, in Angliam reversi sunt, regique Urbanum papam approbandum censuerunt. Hos comitatus erat Walterus cardinalis Albanensis, qui pallium Anselmo attulit, sperans nonnihil lucelli pro tali munere ab eo acceptnrum, aut saltem a rege, cui suasit, ut ipse pallium Anselmo imponeret. Verum nec unum quidem legato nummulum Anselmus dare, nec a rege pallium accipere voluit. Unde, post multas ultro citroque altercationes, in id demum conventum est, ut pallium super altare poneretur & ex altari Anselmus acciperet, sibique ipse imponeret. quod IV. idus Junii, die dominica factum esse Willelmus Malmesburiensis tradit. His peractis, vir Dei pro accepto pallio [d] gratias egit Urbano papæ, qui deinceps ab universis Anglis agnitus fuit.

c *Anselm. lib. 3. ep. 24.*

d *ibid. ep. 37.*

Herbertus episcopus Norwicensis.

Hinc in regis gratiam rediit Herbertus, ex monacho Fiscamnensi abbas Ramesiensis, dein ad episcopatum Thetfordensem promotus, non sine simoniæ labe, cujus purgandæ causa Urbanum adierat, in ejus manus dignitatem resignaturus, ob idque a rege increpitus, & pastorali baculo, quem ei pontifex restituerat, a rege privatus. Itaque in ejus gratiam restitutus, sedem suam Norwicum transtulit, & ecclesiam deinceps tranquille rexit. De eo plura initio sæculi sequentis.

III. Anselmi variæ epistolæ.

Haud scio an propter negatam sibi mercedulam Walterus Anselmo nonnihil

ANN. CHR. 1095.

offensus fuit, & varias de eo querelas composuit, quasi res Anglicanæ ecclesiæ non satis curaret, favissetque schismaticis, qui Urbanum pontificem non agnoscebant. His querelis Anselmus litteris [a] ad ipsum Walterum scriptis fecit satis. Tunc etiam Osbernum Exoniensem episcopum [b] monuit, ut Exonienses clericos ab infestatione monachorum *de Batailla*, ut tum vulgus loquebatur, seu de Bello, compesceret. quibus hoc tempore Urbanus concessit facultatem sepeliendi monachos suos, qui Exoniæ morabantur, in suo ipsorum monasterio. qua de re haud dubie clerici Exonienses contra eos litigabant. Tunc Wintuniensi parthenoni præerat Mathildis abbatissa, quam „ ejusque sorores [c] sanctus præsul hortatur, ut semper ad meliora contendant; non mi„ nima ulla ordinis sui negligant. *Tanto enim vigilantius*, inquit, *a minimis excessibus debemus cavere, quanto eos frequentius cognoscimus se nobis ingerere; & quanto callidius deceptor noster nullam in eis esse culpam; aut contemnendam, si qua est, nititur nobis persuadere.* quod non solum de exterioribus operibus, sed de intimis etiam cogita„ tionibus servandum monet. Atque ut id fiat, consilium dat, ut cor earum semper „ & ubique, dum vigilant, *aut lectione, aut oratione, aut psalmis, aut aliqua utili cogitatione sive intentione sit occupatum.* Nec omittenda ejusdem sancti præsulis epistola [d] ad suos Beccenses, sic inscripta, *Dominis & fratribus in Beccensi cœnobio commorantibus, frater Anselmus, voluntate Beccensis monachus, necessitate vocatus Cantuariensis archiepiscopus, præsentis vitæ continuam sanctitatem, & futuræ æternam felicitatem.* His congratulatur, quod in studio bene vivendi ferveant, & in paupertatis pressura rigorem sui ordinis inflexibiliter teneant. quo in studio ut perseverent, eos hortatur: atque ut id efficacius adimplere valeant, & corde, & voluntate prælato suo obediant, nec facta ejus aut dicta dijudicent; sed quasi divinitus inspirata suspiciant. Id intelligendum videtur de hoc anno, quo fames validissima terris incubuisse apud Albericum dicitur. Fiscamnensi monasterio tunc præerat Willelmus de Ros, qui Ivoni Carnutensi episcopo congratulatus est, quod Johannis-Baptistæ & Eliæ exemplo, persecutiones pateretur ob improbatum Philippi regis cum Bertrada contubernium. qua de re Ivu [e] ei gratias agit, ejusque ac suorum preces ab eo exposcit.

a ibid. ep. 36. V. ep. 35.
b ibid. ep. 20.
c ibid. ep. 30.
d ibid. ep. 39.
e Ivo ep. 19.

IV. Wolstanus episcopus obit.

Priusquam Anglia discedamus, hic agendum de Wolstanu episcopo, qui ineunte hoc anno, id est XIV. kal. Februarii, mortalis vitæ cursum explevit. Mira fuit ejus caritas in pauperes & egenos, quibus sæpissime, maxime in quadragesima, pedes abluebat, cibosque ac vestes subministrabat. Extrema, quam celebravit, pentecostes sollemnitate, gravi morbo per omnes artus tentari cœpit. Mox accito Roberto episcopo Heresordensi, conscientiæ suæ arcana patefecit, & in piaculum, ætate licet ac viribus confectus, disciplinæ, ut vocant, flagellis nudum corpus cædendum exposuit. Ab eo tempore usque ad circumcisionem Domini lente processit morbus, aliquando gravior, aliquando remissior. Post illud festum Robertus episcopus mox laudatus, & venerabiles Wigorniensis diœcesis abbates, Serlo Glocestriæ & Geraldus Theokesberiæ, eum decumbentem visitarunt: quibus ipse benedictionem extremamque salutem impertiit. Interim morbus ingravescebat in dies, virumque sanctum urgebat in mortem: at ille, veterum non oblitus studiorum, orabat passim verbo, semper animo. Octavo ante obitum die a Thoma loci priore sacro se oleo inungi fecit, quotidiano post hæc sacræ eucharistiæ viatico exitum suum munire sollicitus. Denique supremum efflavit spiritum quarto-decimo kal. Februarii paullo post mediam noctem, quæ sabbatum antecedebat. Postera die & nocte insequente ad ejus corpus oratum est, quod die dominica honorifice humatum est in nova, quam construxerat, ecclesia ab eodem Roberto episcopo, cui in regis curia posito vir sanctus in somnis apparuisse traditur, eumque monuisse, ut exsequiarum honorem ipsi impenderet. Res ab eo gestas Willelmus Malmesburiensis monacbus scripsit tribus libris, quos venerabili Guarino priori, totique conventui Wigorniensi dicavit. Eum inscientiæ aliquando insimulaverat Lanfrancus: at vir fuit, teste Eadmero, *in omni religione conspicuus, & antiquarum ecclesiæ Anglicanæ consuetudinum scientia apprime eruditus.* Unde Anselmus archiepiscopus, Lanfranci successor, eum de suæ ecclesiæ juribus [f] consulere non erubuit. Exstat ejusmodi Wolstani [g] ad Anselmum epistola, inter ipsius Anselmi epistolas. Ejus festum olim percelebre erat in Anglicana ecclesia. Hactenus de rebus Anglicanis.

f Anselm. lib. 3. ep. 19.
g id. lib. 4. ep. 3.

V. S. Dionysio ecclesia S. Goberti data.

In Gallia Dionysiano prope Parisios monasterio tum præerat Ivo abbas, cum Elinandus episcopus Laudunensis quamdam suæ diœcesis ecclesiam sancto Dionysio

ANN. CHR. 1095.

cootulit. Hæc erat ecclesia sancti Goberti coofessoris, sita in silva Vedogicosi, quæ a prioribus Laudunensibus episcopis olim canonicis attributa fuerat. Verum, cum "eorum incuria & divioum obsequium, & exteriora quæque fere ad oibilum redacta essent; Elinandus episcopus hanc ecclesiam sancti Dionysii mooasterio conferre statuit, ut amotis canonicis abbas quosdam e fratribus suis illic subrogaret, qui Deo "& tanto coofessori digne & laudabiliter deservire, & exteriora fideliter atque prudenter ordinare possent. Id factum assensu Christiani militis, qui ejus loci advocatiooem habebat. *Recitatum est hoc & confirmatum in capitulo beati Dionysii in audientia domni Ivonis abbatis & fratrum.* Huic instrumento subscripsere Lauduoeoses caoonici post Elinaodum, qui pro se vivente preces a Dionysianis fieri, & mortuo anniversarium persolvi petit, ecclesiæ vero suæ solidos duos annui census. Actum Lauduni hoc anno, III. idus Martii.

a Doublet p. 41.

Eodem anno idem omnino factum est in Altimontensi ecclesia diœcesis Remeosis, a canonicis itidem male administrata, quam Rainaldus archiepiscopus Lauduoensi sancti Vincentii monasterio, rogatu Adalberonis abbatis, in melius restituendam concessit, assentiente Hugone Regitestensi comite, in cujus ditione hæc ecclesia posita erat, & Milesinde ejus uxore. Id autem factum est ea lege, ut domnus [b] sancti "Viocentii abbas eum monachum, quem eidem ecclesiæ priorem deputaret, in Remensis archiepiscopi adduceret præsentiam, Remensi ecclesiæ sibique ac successoribus archiepiscopis subjectionem & obedientiam promissurum; & ut in eadem ecclesia presbyter substitueretur, qui & synodis ioteresset, & archidiacono ac decano solitas pensiooes redderet. His litteris adscripta sunt signa post Rainaldum Elinandi Lauduneosis episcopi, Henrici abbatis sancti Remigii, Nocberi Altovillarensis, Burchardi sancti Basoli, & Radulfi sancti Theoderici; & post eos Rogeri archidiaconi, Manassis præpositi, qui Rainaldo archiepiscopo successit anno sequeoti, & aliorum canonicorum. Actum Remis anno incarnationis M XCV. absque die & mense.

S. Vincentio data ecclesia Altimontensis.

b Marlot to. 2. p. 210.

Marlotus id factum dicit post Rainaldi reditum e concilio Claromontano: at factum oportuit ante illud concilium, cui interfuit Robertus sancti Remigii abbas post mortem Henrici abbatis, qui prædictis Rainaldi litteris subscriptus invenitur. Obiit Henricus ætate confectus XVII. kal. Aprilis, ut in necrologio notatur, isque annis XXIII. ac tribus mensibus sancti Remigii arcbimooasterio præfuisse dicitur, ducto scilicet calculo a morte Herimari abbatis ejus antecessoris, qui anno M LXXI. decessit, septima die Decembris; & expuncto Willelmo sancti Arnulfi abbate, quem Remigianis aliquamdiu præfuisse ex dictis [c] constat. Neque accuratior est iodex abbatum, in quo numerus monachorum, qui sub uno quoque abbate vixerunt, recensetur. In illo enim non modo expunctus est Willelmus abbas, sed etiam Azenarius præmittitur Roberto, quem Heorico successisse certa nos argumenta docent. Henrico quippe mortuo, e Majori-monasterio postulatus est Robertus monachus, ut vacanti abbatiæ præesset. Ejus vero postulatiooi ea conditione consensit Bernardus Majoris-monasterii abbas, ut, si aliquando secus quam par esset se gereret, ipsius correctioni subjiceretur. Post coocilium Claromontanum, cui Robertus abbas ioterfuit, apud Bernardum abbatem insimulatur, quasi *inordinata & irregularia ab eo multa* fierent. Quam ob rem ab eo citatus, ut ad Majus-mooasterium sub excommunicationis pœna veniret, gestionis suæ rationem redditurus, ad diem præfixum adesse renuit; ob idque excommunicatus a Bernardo, cujus sententia in concilio Remensi tunc habito coofirmata. Ab boc judicio Robertus ad sedem apostolicam appellavit, cui totius negotii & judicii ratiooem reddidit Lambertus episcopus Atrebatensis, scripta epistola ad Urbaoum papam, qui Bernardi abbatis & concilii sententiam iofirmavit, ea scilicet ratione, quod monachus, ad alterius monasterii regimen legitime assumtus, prioris loci abbatis jurisdictioni non amplius obooxius esset. Hæc omnia, quæ sub uno conspectu referre visum est, manifesta fient ex iis, quæ suis locis proferemus. Non tamen io abbatiæ possessionem restitutus fuisse videtur Robertus, qui io cella Senucensi libros novem de expeditione Jerosolymitana, cui adfuerat, composuit. Veri simile est, Robertum Maoassæ archiepiscopo iovisum fuisse, ob idque infamatum apud Bernardum abbatem, cujus sententiam excommunicationis in synodo Remensi confirmari curavit. Marlotus exauctoratum Robertum ob eam causam dicit, quod pro sumtibus itineris ad bellum sacrum bona monasterii dilapidasset. "Verum ad loca sacra profectus est nonnisi post suam exauctoratiooem, quippe qui "

VI. Henrico abbati S. Remigii succedit Robertus.

c V. lib. 63. n. 19.

ANN. CHR. 1095. VII

S. Petri Remensis abbatissæ.

a V. lib. 57. n. 55.

Jerosolymorum adfuit expugnationi, quæ anno M XCIX. contigit.

Tunc temporis puellari sancti Petri apud Remos nobili monasterio præsidebat Fredesindis [a] abbatissa, cujus interventu Elinandus episcopus Laudunensis altare Gundelani-curtis monasterio contulit, eo pacto, ut aniversarius ejus dies illic celebraretur. Actum Lauduni VI. idus Novembris anno M XCV. Elinandi hac de re litteris subscribit post Elinandum episcopum & Odonem cantorem Adalbero abbas S. Vincentii Laudunensis. Eadem Fredesindis ante annos quinque altare Vallis-monstuosæ a Rainaldo archiepiscopo obtinuerat. quo anno id est M XC. Sibyllæ abbatissæ eo nomine primæ, quæ eam præcessit, obitus ponitur. Hæc videtur esse, cujus epitaphium & effigies ad sedem abbatialem hodie quoque cernitur, at nobis legere non licuit epitaphium integrum, cujus pars sub abbatissæ sedili latet. hæc sunt, quæ expiscari potuimus.

Hic pia, magnifica, matrum matrona pudica,
Singula per gesta prudens, patiens .....
. . . . abbatissa Sibylla
Domna Merigaude, de qua dignissima laude
Orta fuit domna morum, virtutis
. . . . hanc salvet ab ore leonis.

Super tumulum exstat ipsius Sibyllæ effigies cum exiguo velo & cucullæ manicis valde strictis, baculum pastoralem manu gerens. Fredesindis epitaphium in choro sanctimonialium prope cancellos legitur in hunc modum.

Gloria, laus perpes, decus ecclesiæ Fredesindis,
Martha, Maria, Rachel, Lia sepulta jacet.
Nobilitate vigens, quam sanguinis ornat origo,
Pauperiem dives, pauper amavit opes.
Pauper amavit opes, sed non qua summa putantur
Rebus in humanis, pauper amavit opes.
Desinit esse quod est homo, fitque cinis Fridesindis,
Cum sol frisea signa reliquit ovis.

id est cum sol signum arietis egrederetur. In necrologio Odelardi præpositi Remensis, qui tunc vivebat, & in Remigiano Fredesindis abbatissa sancti Petri XVII. kalendas Maii obiisse traditur. Præmissum epitaphium Marlotus Fredesindæ, ejus nominis primæ abbatissæ tribuit, quod potius secundæ (si qua prima fuit) tribuendum esse characteres lapidi inscripti probare mihi videntur. Fredesindæ abbatissæ successit Elisabeth, eo nomine secunda, de qua suo loco.

Novigenti res in synodo confirmatæ.

* Fimes.

b V. lib. 61. n. 42.

Hoc anno in Monte-sanctæ-Mariæ prope Fines * Remorum habitus est episcoporum ac procerum conventus, cui rex Philippus interfuit. Id nos docent ipsius regis litteræ pro abbatia sanctæ Dei-genitricis Mariæ de Novigento, cujus libertatem, quam pater [b] ejus Henricus probaverat, Philippus in illo conventu confirmavit. *Est quædam abbatia*, inquit, *sanctæ Dei-genitricis & Virginis Mariæ nomine insignita apud Noujandi villam sub monte Cociaci castri, quam pater meus bonæ memoriæ Heinricus rex anno ætatis meæ X°. liberam faciens, etiam sigillo regiæ imaginis confirmaverat, & privilegiis quibusdam munierat. Loco igitur, Dei gratia & bonorum virorum adjutorio, in melius cotidianis incrementis proficiente, rogatu domni Ingelranni & optimatum prædicti castri decrevimus, ut quidquid idem Ingelrannus, aut ipsius castri milites eidem abbatiæ de beneficiis ejusdem castri, quod regio fisco adtinet, dare voluerint, liberam habeant facultatem concessione nostra*, ea lege, ut post ipsius obitum ejus anniversarium a fratribus illius loci fieret. *Actum est decretum hoc in Monte-sanctæ-Mariæ, anno dominicæ incarnationis* M XCV. *indictione* III. *regni autem ejusdem regis* XXXIIII. *& corroboratum sigillo regiæ imaginis* XVIII. *kal. Julii*. His litteris apposita sunt signa Rainaldi archiepiscopi Remensis, Elinandi episcopi Laudunensis, Radbodi episcopi Noviomensis, Hugonis Suessionensis, Hugonis item Silvanectensis episcoporum; Adalberonis abbatis, scilicet sancti Vincentii Laudunensis, Godefridi abbatis ejusdem loci, nempe Novigenti; Ingeranni militis, Hugonis de Brenna, Nivelonis de Petræ-fonte, Frogerii de Catbalaunis, Widonis filii Godefridi, Stephani vicecomitis, & Rainaldi de Cociaco, qui hanc confirmationem obtinuit. Hic conventus ideo habitus fuisse videtur ante concilium Claromontanum, ut regi adversus sententiam, quam Urbanus in eum ob adulterinum cum Bertrada connubium meditabatur, a Belgicæ secundæ

providerctur episcopis, quorum nonnulli regis connubium probaverant, ut ex Ivonis Carnutensis episcopi litteris discimus.

ANN. CHR. 1095.

Hoc ipso anno, quem præ manibus habemus, Philippus, Stephani comitis palatini frater, in Catalaunensem episcopum Remis a Rainaldo seu Raginaldo archiepiscopo consecratur, præsentibus Remensis metropolis suffraganeis, Hugone Suessionensi, Gitardo Morinorum, & Gervino Ambianensi episcopis. Adfuit quoque cum aliis Nochertus Altivillarensis abbas, rogavitque archiepiscopum, ut sanctæ Helenæ capsa reseraretur, ad afferendam ejus corporis in suo monasterio possessionem & veritatem, de qua nonnulli Francigenæ dubitabant. Assensit archipræsul communi episcoporum consilio, diemque huic celebritati indixit ad festum sanctorum Simonis & Judæ apostolorum, si modo annueret Philippus rex, qui ad Montem-sanctæ-Mariæ, diœcesis Suessionensis, propediem cum proceribus venturus erat, de urgentibus regni negotiis tractaturus. Re ad regem, ejusque proceres relata, in eam consenserunt omnes, quos inter, præter Rainaldum Remensem, duo alii metropolitæ cum aliquot suis coëpiscopis & abbatibus aderant, Rodulfus scilicet Turonensis, & Richerius Senonensis. Interim Urbanus papa in Galliam ingressus, concilium in urbe Claromontana celebrandum indixerat, & ad illud metropolitas omnes cum suis suffraganeis convocaverat. Præter hanc causam alia insuper ratio Rainaldum archiepiscopum ab indicta sanctæ Helenæ reliquiarum assertione abesse coëgit, nimirum quod Philippo regi apud Cabilonem ipso die apostolorum Simonis & Judæ occurrere jussus erat. Quapropter vices suas Hugoni Suessionensi & Philippo Catalaunensi delegavit, qui rem condicta die exsecuti sunt. Convenere ad hanc celebritatem Burchardus abbas sancti Basoli, Petrus Orbacensis, Rodulfus sancti Theoderici, Humbertus sancti Petri Catalaunensis, Philippus Resbacensis abbates; ex laïcis Stephanus comes palatii, & uxor ejus Adelaïdis seu Adela, filia Willelmi regis Anglorum, & Constantia filia Philippi regis Francorum, uxor Hugonis comitis Tricassensis, prædicti Stephani fratris, & Dudo vicecomes Matogiensis, & multæ aliæ personæ spectabiles. Celebratis ab Hugone episcopo sacris mysteriis, sacra theca in locum, qui Montiscola dicitur, deportata, depositaque est super eminentius tabulatum; apertaque urna argenteæ arcæ, reperta cum sacris ossibus hæc scriptura: Corpus sanctæ Helenæ reginæ, matris Constantini, sine capite. tum sacra pignora in alio vase reposita. Post hæc Stephanus comes, assentiente Constantia fratris sui Hugonis conjuge cum Philippo episcopo & Dudone vicecomite, mercatum illic qualibet feria sexta instituit. Hæc omnia, & consecuta inde miracula Nocberus abbas litteris mandavit.

VIII. S Helenæ probatæ reliquiæ.

Qui huic celebritati interfuit Philippus Resbacensis abbas, Roberto abbati x. kal. Februarii mortuo paullo ante successerat: cujus tempore Adela comitissa, mox laudata, cum febrium diutino ardore vexata fuisset, nec medicorum arte sanari potuisset, Resbacum se deferri jussit: ubi, cum sub capsa beati Agili abbatis duabus noctibus pernoctasset, optatam sanitatem recuperasse traditur. cujus beneficii causa pallium preriosissimum super altare obtulit, quod suo tempore servatum, & in præcipuis festis *retro lignum dominicæ crucis* apponi solitum fuisse testatur anonymus monachus, qui librum primum de miraculis sancti Agili prosecutus est. Liber secundus continet miracula patrata tempore Briccii, tertii post Philippum Resbacensis abbatis. Philippo quippe successit Garnerius, eo nomine primus, qui societatem iniit cum Odone abbate Remigiano. Is videtur esse Guarnerius Resbacensis abbas, qui carmen de sancto Vincentio Cæsaraugustano martyre haud inelegans composuit, hactenus ineditum, cujus aliquot versus alias retulimus [a] ex codice Gemblacensi. Garnerio successit Natalis abbas, de quo alias.

IX. Resbaci abbates.

a *Sæc. 4. Bened. parte. 1. p. 644.*

Hoc anno Rotbertus, dictus Perronæ princeps, una cum Adeleide conjuge, abbatiæ sancti Quintini de Monte villam Alaniam *, monasterio proximam, cum suis appendicibus confert, testibus Odone castellano Perronensi, Gerardo ejus filio, Drogone milite, aliisque; confirmante Ratbodo episcopo Noviomensi coram altari basilicæ Montis-sancti-Quintini, *principatus Rotberti uxorisque suæ anno* I. Godefridi abbatis anno XXXVII. Post annos septem Ada Viromandensis comitissa, filiorum suorum Radulfi & Hugonis assensu, hanc donationem confirmavit, & post eos Ludovicus Crassus. Adeleidis mox laudata, marito mortuo, sancti Quintini basilicam complevit.

S. Quintino de Monte facta donatio.
* *Alamt.*

ANN. CHR. 1095.

X.

S. Martini Tornacense monasterium instauratur.

a *lib. 68. n. 42.*
b *Spicil. to. 12. p. 394. & seq.*

Jam tertius annus erat, ex quo famosus ille magister Tornacensis Odo una cum quatuor sociis [a] in exigua sancti Martini ecclesia conversabatur in habitu canonico, cum monasticum propositum arripere constituerunt. quod hac occasione factum est. Post suum istuc secessum, domo quadam lignea [b] a provisore sancti Amandi comparata, & ecclesiola ibidem ab eis constructa, eorum numerus paullatim crescere cœpit, ita ut altero anno ab eorum adventu jam octodecim omnino ibi essent, in magna paupertate degentes, quibus religiosi laïci necessaria vicatim emendicabant. Interim adolescens quidam, Alulfus nomine, Sigeri sanctæ Mariæ præcentoris filius, rebus omnibus abdicatis, se illis adjunxit. quod ubi rescivit pater, ad locum furibundus accessit, & filium capillis apprehensum graviterque cæsum domum reduxit. Postridie, cum ad sanctæ Mariæ ecclesiam ire putaretur, ad sanctum Martinum denuo confugit, iterumque domum a patre reverti cogitur, & compedibus retinetur. Sed tamen ex his se extricans, tertio ad sanctum Martinum recurrit. Cum id sæpius factum esset, forte contigit, Haimericum Aquicinctensem abbatem Tornacum adire, & novos illos Dei servos invisere. Consultus ab Odone venerabilis abbas, quid super illo adolescente sibi agendum ipsi videretur, ei auctor fuit, ut non modo iste adolescens, sed ejus socii omnes monachi fierent. Cum enim unus vestrum, inquit, & canonicorum sit habitus, si quis ex eis ad vos se receperit, facile a sæcularibus clericis abducetur. si vero semel indutus fuerit habitu monastico, quem horrori habent, numquam eum deinceps socium habere volent. Dictis fidem habuit Odo, omnesque uno consensu postera die, finito capitulo, ad altare sancti Martini pergunt, numero duodecim: ubi, veste clericali deposita, *monasticam cum benedictione & triduano silentio* per manum Haimerici abbatis suscipiunt, ac deinceps canonicas horas monastico ritu decantaverunt. Non fefellit magistrum abbatis consilium. Ubi enim filium suum monachum factum rescivit Sigerus, non modo eum ultra retrahere non tentavit, immo ad perseverandum magnopere hortatus est; & ipsemet non multo post, una cum fratre suo Hermanno majoris ecclesiæ præposito, monachus factus est. Post triduanum silentium, Haimericus novis monachis suasit, ut abbatem sibi eligerent: cumque magister Odo unum e suis designaret, omnes in eum irruunt, & abbatem eligunt, electumque Radbodo episcopo confirmandum & consecrandum offerunt. Nec mora sequenti die dominica Tornaci consecratus est in ecclesia sanctæ Mariæ quarto nonas Martii, anno a conversione sua tertio, id est hoc ipso anno M XCV. quo hæc dies in dominicam incidebat. qui proinde annus instaurati sancti Martini primus censendus est. Porro Alulfus ille junior monachus, cujus modo facta mentio est, postea in eodem cœnobio *Armarii seu cantoris officium* quadraginta-septem annis exercuit, idemque ex beati Gregorii libris, quos sæpe lectitabat, quatuor collectionum libros sub Gregorialis titulo composuit, ut in consequentibus videbimus. Odo itaque abbas institutus, munus suum strenue exsequi cœpit, instituta & collationes patrum, vitasque eorum assidue legere, suisque legenda præscribere, & lecta opere adimplere.

Alulfi monachi conversio.

XI.

Alio fugere volentes retinentur.

Postmodum brevi auctus est eorum numerus, adeo ut ad triginta jam excrevisset *tertio adventus sui anno.* quo tempore nova eos tentatio exagitavit. Tunc enim, cum locum, in quo degebant, clamoribus circumstrepentium juvenum, cantilenisque puellarum, aliisque incommodis obturbari ægre ferrent; in alium quietiorem secedere constituunt, moxque post nocturnas vigilias, libris ac vestibus suis plaustro impositis, omnes Noviomum, ubi tunc Radbodus episcopus morabatur, se conferunt, veniam alio migrandi ab eo petituri. Eorum discessu consternati Tornacenses, non secus ac si urbis interitus immineret, Everardo castellano, cunctisque majoribus urbis convocatis, communi consilio decernunt, festinato mittendum Noviomum legatum, quo monachos abiisse didicerant ex sanctimonialibus, quæ prope S. Martini ecclesiam commorabantur; obsecrandumque episcopum, ut ne urbem suam talium Dei servorum patrocinio privari pateretur. Legatus itaque citato equo Noviomum monachos prævenit, episcopo rem & civium vota exponit. Ad hæc episcopus reponit se non passurum, ut servi Dei alio se reciperent; statimque præmissis clericis, qui eos pedibus venientes equos conscendere facerent, ipse obviam progressus est. Illi vero, equos conscendere nolentes, pedites usque ad portam Noviomi perveniunt, ibique ad episcopi pedes prostrati, abeundi facultatem exposcunt. Tum præsul & ipse in genua non sine lacrymis procumbit, sancte affirmans, se numquam id passurum. Mox eos ad domum suam adduxit, & triduo recreatos sub obedientiæ vinculo

Tornacum redire, ibique remanere jussit. Parent illi imperanti, quibus urbi appropinquatibus canonici cum sacris pignoribus, turba hominum fere sexaginta millium comitante occurrunt, eosque cum ingenti gaudio ad sancti Martini ecclesiam reducunt. Tunc primum Tornacenses de eorum stabilitate certiores facti, terras, quæ ad antiquam sancti Martini abbatiam olim pertinebant, eis ab episcopo restitui deposcunt. Harum magnam partem in beneficium acceperat Radulfus advocatus Tornacensis post fratrem suum Balduinum, qui Becci monachus sub Anselmo abbate factus fuerat, easque episcopo libenter resignavit: episcopus vero sancto Martino liberas reddidit. Hæc fusius retulit Herimannus, ejus loci monachus, dein abbas, qui in consequentibus scribit, qua diligentia veteres chartas recuperare studuerint primi illi Martiniani cœnobitæ. His ita constitutis, Radbodus episcopus Odoni suasit, ut alicujus monasterii consuetudines sibi sectandas eligerent, ne incerti de suo statu fluctuarent. Ille vero prætulit instituta Aquicinctensium, qui Cluniacenses consuetudines observabant. Unde maxima semper inter Aquicinctenses & Tornacenses illos monachos necessitudo & societas deinceps intercessit.

XII. Sanctimoniales apud S. Martinum. a Spicil. to. 12. p. 413. & seqq.

Non solum autem viri, sed etiam nobiles matronæ ad eumdem locum se receperunt, & in disparatis ædibus in sanctimonialis habitu vitam duxerunt. Prima earum fuit Ida, illustris matrona, olim conjux Fastradi de Oisiaco advocati, qui illius monasterii instaurationem videre vehementer cupiebat, sed morte præventus videre non potuit. Hæc, cum esset nobilissima, inter illas tamen sanctimoniales oti omnium ancilla semper haberi, & ancillæ officio fungi voluit. Hæc fuit germana nobilis illius principis Theoderici de Avesniis, qui Lætiense monasterium a fundamentis cum Ada uxore sua construxit, ibidemque in capitulo sepultus est. Idem avunculus erat Gosceguini, prædictæ Idæ filii, qui extremo se morbo gravari sentiens, in eodem Lætiensi cœnobio monachus fieri expetiit, ibidemque humatus fuit prope avunculum, in cujus honores successerat. Ejus vero uxor Agnes, Anselmi de Ribodimonte filia, post mortem mariti, relicta sæculari pompa ad idem cœnobium, scilicet Lætiense secessit, & ex suo censu vivens, calices aureos, candelabra, multaque ornamenta illi ecclesiæ contulit. Porro ejus maritus, cum nullam ex ea prolem suscepisset, dignitatis suæ successorem instituit Walterum, filium germani sui Fastradi, qui filius erat Idæ mox laudatæ, & Tornacensis per multos annos advocatus, ac demum in extremis factus monachus apud sanctum Martinum, ubi & mortuus est. Richeldis vero ejus conjux, Idam mariti sui matrem imitata, relicto sæculo sanctimonialis habitum illic induit, ibidemque per viginti annos in magna humilitate perseveravit.

XIII. Viri quidam illustres. b ibid. p. 369. & 417. & seqq.

Ex eorum numero, qui sancti Martini monasterium & vitæ sanctitate & censu illustrarunt, duo præ ceteris insignes fuere milites [b], quorum unus, Walterus nomine, filius Huberti, in potentioribus provinciæ habebatur: alter vero Radulfus *de Osmont*, nulli civium Tornacensium inferior: qui ambo apud sanctum Martinum monachi facti, plurimum ad ejus profectum & incrementa contulerunt. Walterus una cum uxore sua veniens ad conversionem, se suaque monasterio donavit. Jam vero monachus factus, vilia quæque officia exercere vir nobilis non erubuit, aquam scilicet ad coquinam deferre, scutellas ollasque abluere, farinam cribrare, equorum stabula mundare; multosque exemplo suo convertit. Denique hic ex donis fidelium novam ecclesiam ædificare cœpit, quæ centum monachis sufficeret.

Ad Radulfum quod attinet, conjugem habebat Mainsendem ex militibus provinciæ progenitam, filiam scilicet Hermanni præpositi sancti Amandi Elnonensis; genuitque ex ea tres filios, Theodericum videlicet, Walterum, & Hermannum, qui hanc historiam scripsit. Primum ex his Theodericum quinquennem litteris erudiendum tradidit, & in ecclesia beatæ Mariæ præbendam ei unam a Radbodo episcopo impetravit, promissis ei triginta marcis argenti. quod ubi puero in schola renuntiatum est, ille domum reversus, tristis admodum cœnare noluit. Patri vero tristitiæ causam sciscitanti: Nonne merito, inquit, contrister, cum te sciam hodie propter me inferno « esse obnoxium? Audivi quippe, excommunicatos esse omnes, qui præbendas emunt, « vel vendunt. Vide quid de te statuas: ad me quod attinet, ex hac provincia migrare « malim, quam quidvis attingere ex ista præbenda. Ad hæc admiratus pater, puerum « bono animo esse jussit, moxque episcopo præbendam resignavit. Simile quid de Guiberto puero superius [c] retulimus.

c V. lib. 60. n. 37.

ANN. CHR. 1095 XIV.

Radulfi aliorumque conversio.

Eodem anno Radulfus gravissima febre pæne ad mortem usque vexatus, ubi convaluit, Walterum Elnonensem monachum ac præpositum, conjugis suæ germanum, de sua salute consulere cœpit, eum in Dei nomine obtestans, ut salutare animæ suæ consilium daret. Nuper enim, inquit, ægrotans & mori timens, a canonicis sanctæ » Mariæ quæsivi, quid mihi ad salutem agendum esset: illi vero id consilii mihi attu- » lerunt, ut sincere peccata mea sacerdoti aperirem, corpus Domini sumerem, & » oleo sancto ungerer. quo facto, me certo salutem consecuturum. Feci quod illi sua- » serunt: sed, ubi convalui, in eadem peccata mea relapsus sum. Ex quo intellexi, non » bonam esse confessionem, quam non subsecuta esset vitæ emendatio.. Rogo itaque » propter Deum, ut mibi quid agere debeam sincere aperias. Ad hæc monachus: Si » sic, infit, in sæculo vivere pergas, quo pacto salvari possis non video. quod si saluti » tuæ consulere cupis, superest ut sæculum relinquas, & monacbus fias. Et quomodo, » ait miles, id exsequi possim absque consensu sororis tuæ, conjugis meæ? Absit, in- » quit monachus, ut causa sororis meæ animam tuam perdas. tantum ab ea pete ve- » niam: quam si deneget, ea relicta, parteque substantiæ tuæ ei concessa, ad Deum » confuge. His auditis, gratiis Waltero actis, miles domum revertit, & lectulo assidens in lacrymas erupit. Mainsendis adveniens, fletuum causam obnixe rogat. Tum ille ægre quid consilii ipsi dederit ejus germanus exponit. Ad quod pia mulier: Ne fleveris, inquit, ego idem pro animæ meæ salute facere pervelim. Tunc miles exhilaratus: Et quid faciemus de tribus filiis nostris? Ad quod illa: Nobiscum eos cum nostris opibus Deo offeramus. Tum ambo de loco statuunt: mulier eligit sancti Amandi monasterium, ubi pater ipsius præpositus fuerat, & tunc frater ejus idem officium gerebat: sed tamen postea consilium mutavit. Radulfus vero, audito Odonem ejusque socios Noviomum consulendi episcopi causa pergere, eis se adjunxit: cum prius Theodericus ejus primogenitus, vix septennis, se ipse loco constanter addixisset, &, cum clericis ab Haimerico Aquicinctensi abbate monasticum habitum suscepisset. Noviomo reversus cum Odone sociisque Radulfus non prius in eorum societatem admissus est, quam vilia quæque exercitia etiam publice gessisset. Ille, omni rubore postposito, omnia lætus exsequitur. quo viso, Mainsendis ad sanctum Martinum pergit, filios suos Deo cum suis omnibus offert, quorum minimum, qui adhuc in cunis erat, super altare ponit; sicque omnibus rebus spoliata, ad pedes abbatis prostrata, rogat, ut & ipsa suscipiatur. Negat ille id fieri licere, nisi prius illa per urbem, nendo, texendo, lanam pectendo, frustula panis ostiatim petat. quod illa incunctanter explevit. Talis fuit piorum illorum conjugum conversio, quos plurimi imitati sunt. Sic ex unius Odonis conversione universa Tornacensium civitas, immo & provincia, in moribus renovata est. Videres, inquit Hermannus, mirum in modum juvenes & virgines, senes cum junioribus, de tota provincia, sæculo relicto, ad conversionem venientes; ita ut, sicut in Actibus apostolorum legitur, venditis omnibus quæ habebant, redactam ex eis pecuniam domno Odoni abbati deferrent: quam ille in egenorum necessitates expendebat, ratus id longe Deo gratius esse, quam ex eis cruces aureas & vasa pretiosa ad usum rei sacræ conficere.

Ex illis conversis fuit quidam Henricus Tornacensis, vir ditissimus, qui una cum uxore sua, Berta nomine, & filio Johanne adhuc lactente, duabusque filiabus, eodem fore modo quo Radulfus, ad conversionem venit, probatusque est ac demum admissus: qui post viginti duos a sua conversione annos, cum multis annis cellerarii officio functus esset, paschali tempore XVII. kal. Maii Deo spiritum reddidit. Berta vero, ejus conjux, cum duabus filiabus in sanctimonialium numerum recepta. Ex canonicis quoque sanctæ Mariæ conversi sunt non pauci: in his Amandus, qui multis annis apud Aquicinctenses prior exstitit, dein abbas Marcianensis, cujus loci monasterium tam in regulari disciplina, quam in ædificiis renovavit; Walbertus, apud sanctum Martinum prior, & postmodum abbas in Monte-sancti-Martini, in Cameracensi episcopatu; Gonstardus denique & Bernuinus, quorum ille prioris officio multis annis apud sanctum Martinum functus est. quos omnes Odo non ante admisit, quam in vilissimis quibusque officiis eos probasset. cujusmodi probationes jam suo tempore neglectas fuisse Hermannus queritur. Ad sustentandos porro tot monachos Odo nihil de rebus ecclesiasticis accipiebat; sed præter donationes eorum, qui ad conversionem veniebant, solummodo de labore manuum suarum, de agricultura quadrigarum,

quadrigarum, nutrimentisque pecorum eos vivere volebat. Unde factum est, ut magnam aliquando penuriam sustinuerint, solo pane avenaceo refecti.

ANN. CHR. 1095.

XV. Conversarum duo domicilia.

Ad mulieres quod attinet, cum earum numerum supra modum crescere videret, eis monasterium in urbe construi curavit, in domo scilicet Mainsendis Radulfi conjugis, ubi mulieres conversas ad sexaginta constituit, sorore sua Ermengarde eis præfecta, totidemque in alia urbis parte collocavit. In priori illa domo cum maneret Mainsendis jam sanctimonialis, morbo correpta, petiit viaticum sibi dari, quod, Odone permittente, quia locus a sancto Martino nimium distabat, a parochiano presbytero ei datum est, eo pacto, ut illa ne verbum quidem, nisi de peccatis suis loqueretur. *Confessa est igitur Mainsendis presbytero, & corpus dominicum suscepit, adstante magistra, & quidquid dicebatur, audiente.* Recedentem presbyterum tantum rogat, ut sui memor esset, & Deum pro se precaretur. Cujus dicti causa mater ut inobedientiæ ream, pro excommunicata haberi jussit, & sub gradu ligneo jacere, ubi ad triduum mansit, in Domino gaudens, quod in domo quondam sua, velut sordes, ut sanctus Alexius quondam, haberetur. Post triduum, cum Henricus modo laudatus, jam monachus factus, jussu abbatis magnam lini fascem ad nendum illuc deferret, factum rescivit, retulitque abbati, qui statim Mainsendem in pristinum locum reportari præcepit.

XVI. Alii viri insignes & scriptores.

Hic est Henricus, quem Odo cellerarium instituit, Radulfo commissa præpositura, cui Walterum filium Huberti socium adjunxit. His tribus exteriorum curam commisit Odo: ceteris, ut secum regulari disciplinæ & silentio vacarent, indixit. Fuit & Radulfus alter, gente Normannus, qui præ corporis infirmitate laborem conventus sustinere non valens, missus est ab Odone in pagum Noviomensem, & quamdam sancti Amandi ecclesiam prope castrum Torotam a Balderico episcopo impetravit, ubi monasteriolum ædificavit: ibidemque canonici quidam Noviomenses solitarie Deo servire cupientes, monachi facti sunt, emissa tamen apud sanctum Martinum professione. Ex his præ ceteris eminuit Petrus, aliorum canonicorum velut pater habitus, qui, relicto sæculo, tantæ religionis fuisse traditur, ut ejus consilia, velut divina oracula, a multis quærerentur; tantæ vero humilitatis, ut ad presbyteratus ordinem suscipiendum numquam adduci potuerit; tantæ denique caritatis, ut tempore grassantis famis etiam sibi necessaria in egenos erogaverit: quod Deus aucti in arca panis miraculo comprobavit. Porro prædictus Radulfus Normannus tres apud sanctum Martinum germanos habebat, Guillelmum scilicet, Godefridum & Rogerum, qui cum domno Odone abbate a primo tempore conversi fuerant, paupertatisque onus cum eo sustinuerant. Ex his Godefridus scriptor peritissimus erat, multosque libros manu sua descripsit. Hic adhuc juvenis, cum Odonem abbatem ægrotantem invisisset, subito ipse morbo correptus, post triduum oleo sancto unctus est; tum ab Hermanno, qui hæc narrat, super cilicium exemplo sancti Martini se deponi petiit, & symbolum Athanasio adscriptum sibi recitari; moxque convocatis ad tabulæ sonitum fratribus, dum litaniæ recitarentur, cum magno omnium desiderio exspiravit. Hujus in scribendis libris socius fuit Gislebertus, ab Odone abbate cum Theoderico Radulfi Tornacensis filio in schola nutritus & eruditus, qui in purificatione beatæ Mariæ obiit cum maximo luctu totius fratrum conventus. Alii quoque tunc temporis scriptores ibidem erant, non minus quam duodecim, qui in claustro sedentes in cathedris, *super tabulas diligenter & artificiose cum silentio scribentes* cernebantur: qui sancti Martini bibliothecam sacris & sanctorum patrum libris locupletarunt. Hinc magni nominis tunc erat sancti Martini cœnobium, in quo accurate servabantur ritus Cluniacenses, uti & in Affligemiensi & Aquicinctensi. *Cluniacense siquidem cœnobium*, inquit Hermannus, *tunc in toto regno Francorum erat excellentissimæ religionis: quoniam nondum germinaverat rigor Cisterciensis, nec de domno Northerto aliqua mentio erat.*

XVII. Hugo abbas Elnonensis S. Martini fratribus succurrit.

Tot illustrium virorum exemplis permotus venerabilis Hugo abbas Elnonensis, maxime Radulfi Tornacensis & Mainsendis ejus conjugis, qui Elnonensium opibus paupertatem sancti Martini prætulerant, convocatis in capitulum fratribus eorum exemplum proposuit, & ad sublevandam sancti Martini fratrum inopiam eis dari suasit mediam partem molendini, quod Radulfus Elnonensi monasterio donaverat. Consensere ad unum omnes; moxque Hugo abbas ad sanctum Martinum profectus, hanc donationem fecit, atque humi prostratus in capitulo *fraternitatem*, ut tum

ANN. CHR. 1095.

vocabant, obnixe petiit, accepitque; ac deinceps in eos paternam semper caritatem exhibuit. Is est Hugo abbas, qui sancti Amandi ecclesiam, ante paucos annos casu combustam, quam præpositus inchoaverat, abbas absolvit cum claustro, turribus & officinis, eamque a Radbodo Tornacensi & Gerardo Cameracensi episcopis consecrari curavit. Erat is Fulchardi nepos, antecessoris Bovonis primi, cui Hugo ante annos novem successerat. De hoc ita canit anonymus poëta in elogio abbatum.

Hugo tuus, Fulcharde, nepos sibi nominis amplum
Splendorem eximia religione parat.
Erigit ingenti qui tecta jacentia sumtu,
Antiquum templo restituitque decus.
Præsulis Andreæ, Elnoni qui præfuit, ossa
Inventa ad valvas condit, humatque chori.
His ita confectis, metuens ne alienus ovile
Intret, & evertat post sua facta gregem;
Expetit insignes Trecas, summique sigillo
Communita patris scripta verenda refert.

Ex his versibus discimus, Hugonem non solum sancti Amandi monasterium restruxisse, sed etiam beati Andreæ ossa e tumulo levasse, & privilegium a summo pontifice apud Trecas obtinuisse, nimirum a Paschali II. datum anno M C VII. qui Hugonis abbatis extremus fuit. Andreas iste præpositus Barisiaci fuerat, sancti Amandi discipulus, & post eum Elnonensis abbas, de cujus elevatione hos versus lego.

Hunc tumulum quique non irreverenter adite,
Andreæ sancti loculum quia condidit artus,
Qui pius & prudens, humilis fuit, & venerandi
Discipulus patris, simul & successor Amandi
Hunc pastor caulæ, præsentis conditor aulæ,
Hugo levans, lymphaque luens, thecaque recondens,
Mundato tumulo sollemniter hic relocavit.
Febre fatiscentes ibi convaluere frequenter.

Gisleberti monachi obitus.

Hugonis abbatis tempore obiit venerabilis Gislebertus, primo sancti Andreæ apud Elnonem decanus, postea monachus, qui de incendio & miraculis sancti Amandi quatuor libellos composuit. Mortuus est VII. idus Decembris; ab Hugone abbate humatus in medio ecclesiæ apostolorum, cujus tumulus cum epitaphio in crypta ante martyrum sacellum postea repositus est. Hic in illis partibus *velut propheta* suo tempore habitus est, ut tradit Hermannus, & contra vitia pro virili dimicavit, in clero & populo concionator eximius: cujus suasu Odo magister apud Tornacenses perstitit, ut superius [a] vidimus.

a lib. 68. n. 42.

XVIII. Johanni abbati Sithiensi succedit Lambertus.

Hic annus extremus quoque fuit Johannis abbatis Sithiensis, qui ad augendam sui monasterii bibliothecam multos codices describi curavit. Is quodam die, cum *sanguine minutus fuisset*, Flandriæ comitem apud Bergas convenire compulsus fuit. In reditu brachio intumescente, mortem sibi imminere intellexit, statimque dominicis sacramentis se munivit. Interrogatus an quid peculii haberet; respondit, ne obolum quidem penes se restare. Tum crucem afferri jussit, moxque humi prostratus ante crucem devotissimas fudit preces. Cum vero advertisset, quemdam e fratribus alteri offensum esse, ambos reconciliavit; sicque pacis auctori animam reddidit IV. nonas Martii, postquam annis quatuordecim Sithiensibus præfuisset, sepultus in septentrionali parte claustri ad ingressum capituli cum epitaphio, quod Iperius refert.

Lambertus ejus successor, a puero illic regulariter educatus, ad varia Galliarum auditoria studiorum causa missus, post reditum puerorum factus magister, eos in grammatica, philosophia & theologia, necnon in musica erudivit. Dein prioris officio aliquamdiu perfunctus, cum honori cessisset, demum in locum Johannis abbatis subrogatur, & a Gerardo Morinensium præsule consecratur ejus loci abbas quadragesimus-primus. Tanta ejus fuit industria, tanta in rebus agendis sollertia & sagacitas, ut nihil esset tam intricatum, quod suo judicio non expediret. Hinc factum est, ut eo abbate Sithiense monasterium in spiritualibus & temporalibus magnopere

floruerit, maxime postquam Cluniacenses monachos istuc introduxit. qua de re postea dicturi sumus, & de turbis inde consecutis ob illius loci subjectionem, quam Cluniacenses sibi debitam esse contendebant.

XIX. Verano Floriaci abbati Joscerandus. a V. lib. 65. num. 83.

Vix ad hoc tempus pervenit Veranus [a] Floriacensis abbas, cujus successor Josceerandus hoc ipso anno abbas ponitur. In necrologio Floriacensi Veranus abbas VIII. idus Septembris obiisse dicitur. Jam decesserat cum Floriacense opidum, & tantum non monasterium, incendio conflagravit. quod hoc anno M XCV. Tortarius accidisse tradit, & quidem ipsa *nocte, qua sacratissimum diem dominicum paschæ subsecuta est*. Casuale an furtivum incendium fuerit, incertum. Primo vehemens ignis unam corripuit domorum, quæ a parte septentrionali extra opidum erant, paleis & feno refertam; dein ceteras, quæ proximæ erant, domos absumsit. Inde flatibus aquilonis ad opidi domos impulsus, ecclesiam sancti Dionysii attigit, ex qua, tamquam ex eminentiori loco, circumquaque diffusus est. Jamque monasterio imminebat, quod innovari cœptum, palea tantum opertum erat. Vociferantibus ad focum opidanis, excitati fratres, ornamenta ecclesiæ ad festum diem apposita, bibliothecæ codices, chartasque & vetera instrumenta, & diplomata, (quæ in turricula, alias bene tuta ac munita, sed ex priori incendio rimarum plena erat) &, quod his omnibus pretiosius erat, sancti Benedicti corpus in gazophylacium, fornice lapideo tectum, comportant. Dein toti ad preces conversi, quidam sancti Mauri martyris reliquias, aureamque dextram, in qua dominici sudarii pars inclusa erat, foras efferentes, incendio opponunt. Joscerandus vero, *beatæ memoriæ vir*, qui tunc abbatis officium *strenue exsequebatur*, cum pueris, qui adhuc sub artiori disciplina tenebantur, monasterium circumeundo litanias decantabat. Tandem divino nutu conversus ad austrum ventus, incendii flammas & scintillas a monasterio avertit. quod gloriosæ Dei-genitricis & sancti Benedicti meritis, necnon *pii patris* Joscerandi precibus tribuit Tortarius. Duravit illud incendium ab hora tertia noctis usque ad primam sequentis diei horam, cunctaque a porta septentrionali versus orientem usque ad portam australem consumsit, paucis domibus ad solis ortum extra opidum relictis. Aurea illa dextra, qua sudarii dominici portio inclusa erat, occasionem dedit pro Floriacensis monasterii insignibus pingendi dextram manum instar benedicentis cum hac inscriptione, DEXTERA DOMINI, ut Johannes a Bosco notavit. Quamdiu post hoc incendium superstes fuerit Joscerandus, incertum. Jam anno M C III. ei successerat Simon, ut suo loco videbimus.

S. Sergio facta donatio.

Tunc temporis Andecavensi sancti Sergii monasterio præsidente Bernardo abbate, Fulco Andium comes, in memoriam Gaufridi comitis avunculi sui, ejusque procerum, quorum nonnulli in cœmeterio monasterii humati erant, quamdam partem nemoris [b] sui de Verreria Sergianis monachis dedit, eo pacto, ut unum pauperem pascerent, & missam unam qualibet hebdomada pro venia peccatorum suorum, necnon Gaufridi & Fulconis comitum persolverent. Hoc autem donum coram Gaufrido tunc temporis electo Andecavorum episcopo, multisque aliis hoc anno fecit in manu domni Bernardi abbatis. Prædictus Gaufridus episcopus, Hugonis de Meduana [*] filius, post septem annos, dimisso episcopatu, factus est monachus Cluniacensis, excessitque e vivis, non XXI. Januarii, ut in Galliæ christianæ tomo II. legitur, sed XI. kal. Martii, quo die in necrologio Sergiano laudatur his verbis. *Obiit Gaufridus Cluniensis monachus & Andecavensis episcopus.*

b Gall. christ. to. 2. p. 129. & seq.

* de Mayene.

XX. Geraldus abbas Silvæ majoris obit.

Postquam Geraldus Silvæ-majoris abbas religionis suæ fama totam Aquitaniam & finitimas regiones impleverat, & institutum suum ad Hispanias usque propagaverat, tandem laborum suorum præmium recepturus, in morbum incidit. Tum, fratribus convocatis salutaria dedit monita, ut videlicet post suum decessum contentiones & schismata caverent, solliciti servare unitatem in vinculo pacis; tum ut ne institutiones eis ab se traditas ulla superstitione inquinari finerent. Mox sibi *adhiberi fecit remedium unctionis extremæ*, & *sacrosanctis dominici corporis & sanguinis sacramentis* se munivit. Dein, dato omnibus osculo cum benedictione, eos tantisper abscedere jussit, ut sanctorum sibi assistentium præsentia frueretur. Post paullum Dei miles emeritus, in senectute bona, ad sanctorum consortium migravit hoc anno, nonis Aprilis. Ejus obitus maximum non tantum monachis, sed & clericis & laïcis luctum & mœrorem attulit, qui eum velut patriæ lumen exstinctum summopere dolebant. Ejus corpus in septentrionali basilicæ parte sepultum, processu temporis, crebres-

ANN. CHR. 1095.

centibus miraculis, a Petro septimo abbate, ejus quondam capellano, alio translatum fuit, ubi secretius & tutius servaretur, donec vir Dei in sanctorum numerum a Cælestino III. relatus est. Vitam ejus litteris mandaverunt duo Silvæ-majoris monachi, unus fere æqualis, Christianus nomine, alter subæqualis: sed neuter res ab eo in Silvæ-majoris monasterio gestas accurate scripsit. Quinque ejus epitaphia composuit Baldricus tum Burguliensis abbas, ipsius amicus, in cujus primo ait, non preces pro eo fieri, sed ab eo peti oportere. Ecclesiasticum de eo officium composuit Stephanus Tornacensis episcopus.

XXI. Urbani papæ gesta ante concilium Claromontanum.

Jam tandem revertendum est ad Urbanum papam, quem Anicii substitisse superius [a] diximus. Anicio digressus, adiit Casæ-Dei monasterium, cujus basilicam a sancto Roberto inchoatam, & a Pontio, tertio post eum abbate, absolutam, XV. kal. Septembris dedicavit [b] sub titulo sanctorum Vitalis & Agricolæ, quorum reliquias olim Renco episcopus illic collocaverat, amplissimumque eidem monasterio privilegium indulsit, datum in monasterio sancti Ægidii in valle Flaviana VII. idus Septembris, ubi pontifex jam versabatur kalendis ejusdem mensis, quo die sancti Ægidii sollemnitatem ibidem celebravit. Ejus loci tunc abbas erat Odilo, cui privilegium concessit, in quo se beati Ægidii amore Nemausensem episcopum, qui monachis illis infensus erat, auctoritate sua eis reconciliasse testatur.

a *supra n. 1.*
b *V. lib. 68. n. 103.*

Dum apud Casam-Dei moraretur, privilegia Blasiliensis parthenonis, ab Ermengarde comitissa conditrice sancto Petro subjecti, rogatu Florentiæ abbatissæ confirmavit. quo tempore eadem abbatissa, ejusque sanctimoniales adversus Casæ-Dei monachos graviter conquestæ sunt apud pontificem, quod sancti Stephani protomartyris & sancti Leonis papæ ecclesiam, *violentia cujusdam potentis Stephani Mercoriensis*, sibi abstulissent, *& auxilio domni Durandi Claromontensis episcopi* tenuissent, *quamdiu vixit prædictus Stephanus.* quo mortuo, *judicio præpositi & abbatis Claromontensis*, post septem presbyterorum suorum juramenta, cum hanc ecclesiam sui juris esse
» definitum esset, monachi nihilo minus eam præfracte retinuerant. Quapropter pon-
» tifici supplicant, ut suorum antecessorum exemplo monasterium suum ab invasione
» prædictorum monachorum eripiat, & a servitute omnium protegat & defendat. Hæc epistola, quam in Appendice referemus, hanc inscriptionem præfert: *Summo domino papa Romanæ ecclesiæ Urbano, humilis grex monialium seu clericorum monasterii Blasiliæ.* qui clerici, uti hodie quoque, sanctimonialibus illis sacra ministrabant.

A sancti Ægidii monasterio Tarasconem, qui locus est infra Avenionem ad sinistram Rhodani ripam, profectus Urbanus, prædium quoddam monasterio sancti Vi-
» ctoris a Stephania comitissa donatum, in ecclesiam convertit; atque adeo aqua lu-
» strali adspersit, manu propria benedixit, ibique crucem erexit, collata iis indulgen-
» tia, qui aliquid ad illius ecclesiæ constructionem conferrent, edixitque, ut hæc ec-
» clesia cum adjuncto monasterio in honorem sancti Nicolai consecraretur. Id factum III. idus Septembris.

Die sequenti, cum esset Avenione, privilegium illud, de quo superius mentio facta est, concessit Odiloni abbati & monachis sancti Ægidii, apud quos hospitatus fuerat, eosque, *tamquam oculi sui pupillam*, vult haberi. Dein, lustrata obiter Viennensi provincia, variisque actis in itinere editis, Matisconem accessit, indeque Cluniacum, ac novæ basilicæ, ab Hugone abbate inchoatæ, sed nondum perfectæ, majus altare & matutinale, ut vocant, tria vero alia altaria ab Hugone Lugdunensi, Daiberto Pisano & Brunone Signiensi præsulibus consecrata sunt. Tunc etiam sacri illius monasterii libertatem novo diplomate [c] sancivit, quod VIII. kalendas Novembris hujus anni datum est. quo die consecrata sunt prædicta altaria novæ basilicæ, quam Innocentius eodem die anno MCXXX. dedicavit.

c *Bibl. Clun. p. 518.*

Cluniaco egressus pontifex, Silviniacense adiit monasterium, ubi sancti Majoli corpus in decentiorem locum transtulit, & Archimbaldum super tumulum patris sui jurare fecit, se omnes malas consuetudines, quas ipsius pater monasterio imposuerat, relaxaturum. quod tamen non omnino exsecutus est, qua de re multæ citationes & actiones in eum factæ sunt, ut in Appendice videre licet. Dein pontifex apud Monticulum eidem monasterio apostolicæ sedis protectionem suis litteris impertiit. Demum subsequenti aut altera die Clarum-montem advenit.

XXII. Claromontanum concilium.

Convenere ad illam urbem ex omnibus christiani orbis partibus episcopi & abbates, innumerique laïci. Ordericus [d] auctor est, archiepiscopos tredecim, episcopos

d *Orderic. init. lib. 9.*

ducentos ac viginti-quinque eo convenisse cum magna multitudine abbatum (nonaginta numerat scriptor gestorum Lamberti episcopi Atrebatensis,) aliorumque virorum ecclesiasticorum. Huic concilio interfuerunt e nostris, ex Italia quidem Johannes Cajetanus, papæ cancellarius, Johannes Portuensis episcopus, Adalbertus[a] monachus & cardinalis, Bruno Signiensis, Milo ex monacho sancti Albini, ab Urbano ex urbe Placentia in Galliam missus cum Henrico Siculo ad præparanda concilio necessaria; ex Sicilia Rangerus archiepiscopus Rhegiensis; ex Hispania Bernardus Toletanus, & Petrus Pampilonensis episcopus ex monacho sancti Pontii Tomeriarum. Ex Gallia Adelbertus archiepiscopus Bituricensis, & Durandus Claromontensis, qui tempore concilii obiit. Ex Remensi provincia Gervinus episcopus Ambianensis, Hilgodus Suessionensis, qui, abdicato episcopatu ad Majus-monasterium secesserat. Eidem quoque synodo adfuit Rogerius Belvacensis, successor Fulconis e nostris, qui paullo ante obierat. Ex Rotomagensi metropoli, Serlo Sagiensis; Ex Viennensi Hugo Gratianopolitanus, aliique ex aliis locis nobis ignoti.

[a] *Tournus p. 334.*

Ex abbatibus qui nobis noti sunt, hi fuere: Richardus abbas sancti Victoris Massiliensis & cardinalis, Hugo Cluniacensis, Bernardus Majoris-monasterii, Jarento sancti Benigni, Rotbertus S. Remigii Remensis, Lambertus Sithiensis, Guntardus Gemeticensis, Guibertus S. Germani Autisiodorensis, Goffridus Vindocinensis, Baldricus Burguliensis, Guillelmus S. Florentii Salmurensis, Natalis S. Nicolai apud Andecavos, Stephanus Nucariensis, Rainaldus S. Cypriani apud Pictavos, Gervasius S. Savini, Petrus Carrofensis, Ademarus S. Martialis Lemovicensis, Gerardus Usercensis, Petrus Auriliacensis, Petrus S. Illidii Claromontensis, Pontius Casæ-Dei, Petrus Anianensis, Gausmarus Cellensis, & Lanzo S. Vincentii Mettensis. His adjungendi Aloldus abbas S. Vedasti Atrebatensis, & Haimericus Aquicinctensis, qui cum Lamberto episcopo Atrebatensi ad concilium profecti sunt. Addendus quoque Ermengaudus abbas Clusinus, cui Ramnulfus Santonum episcopus pollicitus est, se controversiam de ecclesia Vallis, quam Clusinenses contra Angeriacenses habebant, compositurum.

Ex episcopis Durandus Claromontensis, dum omnia ad concilium necessaria pararet, in letalem morbum incidit ipso die quo concilium inchoatum est; tumque a pontifice *visitatus & absolutus cum jam extremum spiritum traheret, nocte sequenti spiritum Creatori reddidit*, ut scribit Hugo Flaviniacensis. Funus ejus curarunt Hugo Gratianopolitanus episcopus, Jarento abbas S. Benigni Divionensis, & Pontius abbas Casæ-Dei, qui omnes eo abbate apud Casam-Dei monachi fuerant. Nullæ umquam celebriores fuere exsequiæ, quibus pontifex ipse cum universis episcopis, abbatibus, & clericis interfuit, præter innumeram laïcorum multitudinem. adeo ut funus illud instar triumphi fuerit, ut loquitur Baldricus Burguliensis abbas, qui & ipse adfuit, & Durandi epitaphia duo composuit. Primum sic habet.

Durandi episcopi obitus.

Nomine Durandus jacet hic præsul venerandus,
Quem commendavit vita benigna Deo.
Exsequias celebres, qua forma fuere triumphi,
Dispensavit ei gratia summa Dei.
Urbanus synodo generali papa vocata,
Patres bis-centum movit ad obsequium.
Tertia qua decimam lucem prait ante Decembrem
Vita præsentis lumen ademit ei.
Arvernis sanctos cineres reverenter habeto,
Atque patrocinio tutior esto suo.

In altero epitaphio Durandus *temporibus luteis aurea sæcula restituisse* dicitur, & *digna Deo fecisse* homo religiosus, ac tertia-decima die ante Decembrem obiisse, cujus anniversaria dies e luctu in festam conversa sit.

In reditu luctus est modo festa dies.

Quidam alii e nostris tempore concilii, vel statim post concilium mortui sunt. Paullo ante quam e vita migraret Durandus, id est die duodecima mensis Septembris ejusdem anni, ecclesiam Bredonii * dedicavit in honorem sancti Timothei martyris & sanctæ Crucis, præsentibus Raimundo Lectorensi episcopo & Hugone abbate Clu-

* *Bredon.*

ANN. CHR. 1095. niacensi, Roberto comite Arvernensi, aliisque. Idem quoque Durannus seu Durandus Mauziacense monasterium Cluniacensi monasterio [a] subjecit, ut deinceps esset in potestate & ordinatione domni Hugonis abbatis, ejusque successorum. quod Philippus Roberti Arvernorum comitis rogatu, filiique ejus Willelmi regio diplomate [b] confirmavit, dato Mauziaci, hoc anno, incerto die, præsente & confirmante sedis apostolicæ legato Hugone archiepiscopo Lugdunensi, cum aliis episcopis, multisque nobilibus, quorum adscripta sunt signa post Hugonem, nimirum Ademari episcopi Aniciensis, Willermi de Basia, Aganonis episcopi Æduensis, Ademari abbatis Lemovicensis, & aliorum. Qui post episcopum Aniciensem, sed ante Æduensem subscriptus est Willelmus de Basia, ipse est qui Durando successit in sede Claromontensi. Ex quo conjicere licet, hanc confirmationem factam fuisse post Durandi obitum, Willermo de Basia jam episcopo saltem designato, tametsi absque episcopi titulo subscriptus est in editis.

a Bibl. Clun. pag. 534.
b Ibid. p. 535.

XXIII. Concilii acta.

In concilio Claromontano vetera decreta in clericos incontinentes & simoniacos, in concubinarios & incestuosos laïcos renovata; complurium ecclesiarum & monasteriorum jura discussa, in primis Lugdunensis primatus in quatuor Lugdunenses, causa Turonensis ecclesiæ de subjectione ecclesiæ Dolensis, Atrebatensis episcopatus restitutio; & quod res nostras spectat, Majoris-monasterii & Vindocinensis libertas asserta; & variæ controversiæ compositæ, qualis fuit controversia Hugonis abbatis Cluniacensis & Pontii abbatis Casæ-Dei, quæ auctoritate Urbani papæ, Hugonis Lugdunensis, & Aldeberti Bituricensis archiepiscoporum composita fuit: qualis etiam contentio Bertrandi episcopi Magalonensis adversus Petrum Anianæ abbatem, qui, prætermisso diœcesano episcopo, extraneos præsules ad consecrandas suæ ditionis ecclesias accersebat. Denique unio Conchensis & Figiacensis monasteriorum ibidem facta est, quæ tamen non diu duravit.

Majoris-monasterii & Vindocinensis libertas denuo asserta.

Jam ante concilium Majoris-monasterii libertas novo diplomate confirmata fuerat ab Urbano pontifice contra infestationes Rodulfi archiepiscopi, eo nomine secundi, qui concordiam ab antecessore [c] suo cognomini initam infringere tentabat. Novum hoc privilegium pontifex in concilio coram omnibus legi præcepit, concessa Rodulfo archiepiscopo, ejusque asseclis facultate opponendi ea, quæ e re sua esse viderentur. Cum vero ex his alii obstinate oblatrarent, alii qui sanioris consilii erant, acquiescerent, erectus in pedes pontifex, imperato silentio, ex apostolica auctoritate & pontificalibus decretis sibi competere dixit, ut ex uno episcopatu duos, & ex duobus unum faciat; abbatias, ceterasque congregationes, ubi æquitas & ratio postularet, aut coadunare, aut disjungere; & quidquid in patrocinium sanctæ Romanæ ecclesiæ suscipere vellet, nullus suæ auctoritati repugnare posset. quibus præmissis, Majoris-monasterii privilegium nodo indissolubili firmavit. Aderant illic e nostris Bernardus Majoris-monasterii abbas, & ex ejus monachis Rangerius cardinalis, idemque Rhegiensis archiepiscopus, Hilgodus, qui Suessionensis episcopus fuerat, & Andreas ejus frater; insuper Gausmarus abbas sancti Petri Insulæ-Germanicæ apud Trecas, & Stephanus abbas Nucariensis in pago Turonensi. Mitto alios episcopos & abbates, qui omnes communi acclamatione privilegio assensi sunt, ut tradit illius temporis scriptor anonymus, qui libellum hac de re scripsit.

c V. lib. 63. n. 98.

In eadem quoque synodo definitum, ut nullus episcoporum quidquam attentaret in Vindocinense monasterium, ejusque monachos, quod suis litteris Urbanus postea roboravit, a Goffrido [d] abbate relatis.

d Goffrid. lib. 2. ep. 27.

XXIV. Gervino abbatia S. Richarii ablata.

Eidem concilio interfuit Gervinus Ambianorum episcopus, qui abbatiam Centulensem factus ex abbate episcopus retinuerat. Graves in eum querelæ Centulensium per interpositos amicos delatæ fuere, quod ejus abbatiæ bona dilapidaret. Rei veritate comperta Urbanus abbatiam ei abstulit, prolata in hunc modum sententia. *Tu abbatiam sancti Richarii, quæ nobilis & dives fuerat, tam pessime tractasti, ut suis ecclesiam ornamentis spoliaveris, & monachos multos, tuis vitiis resistentes, exsules feceris. Unde dignus eras, ut omnem gratiam ecclesiasticâ dignitatis ex toto perderes, velutî ovium Christi mactator, & sanctæ ecclesiæ dissipator. Sed, ne bina te ultione ferire videamur, esto contentus Ambianensi episcopatu, quem tam dure acquisisti; monachis autem sancti Richarii sit copia eligendi abbatis, cui tu contraire nulla ratione præsumas. quod in virtute Spiritus-sancti te observare jubemus.* Id occasionem præbuisse videtur condendi decreti, ab Orderico & Willelmo Malmesburiensi laudati, ut ne quis episcopus

ſimul & abbas eſſet. Non tamen ſtatim abbatiam abdicavit Gervinus, immo ex concilio reverſus, efficere conatus eſt, ut pontificis de ipſo ſententia ad Centulenſium notitiam non veniret. & quidem per unum annum eis incognita fuit, ſicque Gervinus abbatiæ rebus potitus eſt. at, ubi a Remenſis eccleſiæ clericis pontificis decretum reſcierunt Centulenſes, eum ad capitulum valde renitentem adeſſe compulerunt, ejuſque auctoritatem & ſubjectionem refutarunt, profeſſi, ſe ad papam denuo reclamaturos, niſi loco prorſus cederet. Tum ille baculum depoſuit, humi proſtratus veniam petiit, ſibique errata indulgeri obſecravit. Verum monachi, præteritorum ac præſentium malorum exceſſibus irritati, nullam ejus pœnitentiæ fidem habuerunt, immo conviciis inſectati ſunt, donec loco egreſſus, Abbatis-villam adiret. Suffectus poſt annos tres ejus in locum, repugnante quantumvis Gervino, Anſcherus ejuſdem monaſterii cœnobita, nobili genere ortus, patre ſcilicet Waltero, cognomento Seniorato ſeu Senioratore, vicini prædii domino, quod poſtea, ob caſtellum illic conſtructum, Firmitatis ſeu Feritatis vocabulum accepit. Ad Gervinum quod attinet, deficiente ſumtuum materia, omnibus clericis in ejus contumeliam effuſis, ſedem Ambianenſem relinquere compulſus eſt; ſicque clam ſeceſſit ad Majus-monaſterium: ubi ab Helgaudo abbate perhumane acceptus, & ad expurganda excitatus errata, paucis ſupervixit menſibus, & IV. idus Januarii ex hac vita receſſit, ſucceſſorem in ſede Ambianenſi ſortitus Godefridum Novigenti abbatem, ut ſuo loco videbimus. Hic deſinit Centulenſe chronicon a Saxowalo ante multos annos inchoatum, quod abſolvit Hariulfus ejuſdem loci monachus, dein Aldenborgenſis in Belgio abbas, de quo jam ſuperius actum eſt.

XXV. Statuta de redemtione altarium & vicariis perpetuis.

Jam ad duos canones, tertium nimirum & quartum, qui monachos ſpectant, veniendum eſt. In illo concilio querela facta eſt de epiſcopis Gallicanis, qui altaria eccleſiarum parochialium, monachis data, redimi pecunia compellebant, mortuis nimirum aut mutatis clericis ſeu vicariis earum rectoribus, quos perſonas vocabant. Id vero, ut pote ſimoniacum, ulterius fieri canone tertio prohibetur. tum ſubditur: *Porro quæcumque altaria vel decimas, ab annis triginta & ſupra, hujuſmodi redemtione monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quiete deinceps & ſine moleſtia qualibet eis poſſidenda firmamus, ſalvo utique epiſcoporum cenſu annuo, quem ex eiſdem altaribus habere ſoliti ſunt*, ſcilicet epiſcopi. Hujus clauſulæ occaſione quidam epiſcopi pecunias illas, quas ad ſingularum perſonarum mutationes antea exigere ſolebant, ad hunc cenſum annuum revocare, ſicque veterem annuum cenſum augere tentarunt. cui exactioni obſtitere abbates & monachi, qui hujus annui cenſus nomine ſynodicum tantum & jus procurationis intelligendum merito contendebant. Huc ſpectat Goffridi Vindocinenſis abbatis epiſtola [a] ad Ulgerium Andecavenſem epiſcopum, qui annuam ejuſmodi penſionem a Vindocinenſibus exigere moliebatur pro eccleſiis, quas in ipſius diœceſi poſſidebant, & ſolvere detrectantes rebus ſuis ſpoliaverat. qua de re modeſte queritur Goffridus, aſſerens id eſſe contra mentem Arvernenſis concilii, cui ipſe, non Ulgerius interfuerat. Plura hac de re qui volet, legat caput triceſimum libri ſexti de concordia ſacerdotii & imperii.

[a] Goffr. l. lib. 3. ep. 11. V. Annal. lib. 75. n. 13.

Quarto canone concilii Claromontenſis ſtatuitur, ut ne monachi in parochialibus eccleſiis, quas tenent, abſque epiſcoporum conſilio preſbyteros collocent: « ſed epiſcopi parochiæ curam cum abbatis conſenſu ſacerdoti committant. « qui ſacerdos de plebis quidem cura epiſcopo rationem reddat: « abbati vero pro rebus temporalibus ad monaſterium ſpectantibus debitam ſubjectionem reddat. « Huc revocari poteſt Urbani II. epiſtola ad Ingelrannum Laudunenſem epiſcopum, qui altare Corbiniaci ſancti Remigii monachis abſtulerat, quibus illud reſtitui præcipit ad mentem ſynodi Claromontenſis. *Idcirco*, inquit, *ab infeſtatione fratrum beati Remigii fraternitas tua ceſſet, & altare, quod in villa, quæ Corbiniacus dicitur, iidem fratres habuiſſe noſcuntur, eis reſtituas.*

XXVI. Expeditio ſacra.

Abſolutis concilii variis negotiis, Urbanus infelicem Terræ-ſanctæ ſtatum expoſuit, & gravi oratione, in patenti loco facta, adſtantes ad ſacram expeditionem excitavit, tam efficaciter, ut ſtatim omnes una voce ſæpius iterata conclamaverint: *Deus illud vult.* quæ verba vernacule reddita, *Deu lo volt,* in teſſeram cruce-ſignatorum deinceps accepta ſunt. Robertus abbas Remigianus auctor eſt, Gregorium cardinalem, qui poſtea ſummus pontifex Innocentii II. nomine creatus eſt, poſt Urbani orationem, pro omnibus terræ proſtratis confeſſionem dixiſſe, & abſolutionem

ANN. CHR. 1095.

de commissis peccatis a pontifice petiisse & accepisse; moxque omnes ad sua rediisse, ut necessaria ad illud iter præpararent, aliosque ad illam expeditionem adhortarentur. Mirum est tanta facilitate, ad unius pontificis orationem, rem tam arduam & difficilem, & antea inexpertam, tantaque celeritate susceptam fuisse, quasi tuba quadam cælesti ad hoc iter universi excitati fuissent. Delectus in synodo Claromontana dux sacræ expeditionis Ademarus episcopus Podiensis. Qui nomen dabant, crucis signum e purpureo panno vestibus super dextram scapulam affixum gerebant. Multi etiam, teste Baldrico, ferrum calidum instar crucis sibi adhibuerunt, vel jactantiæ animo, vel bonæ suæ voluntatis ostentatione. Omnes Cruce-signati appellati, quibus pœnitentia de peccatis relaxata, & rebus eorum, dum absentes essent, publica securitas indulta. Factæ ex omnibus, qui ad trecenta millia convenerant, tres turmæ: una duce Godefrido Bulonio & fratre ejus Balduino, ac Balduino comite Montensi, cum Petro eremita superius [a] laudato, qui præcipuus illius expeditionis incentor fuerat, per Hungariam in urbem Constantinopolim iter instituit: altera cum Raimundo comite sancti Ægidii & Podiensi episcopo, per Sclavoniam: tertia pars cum Roberto comite Flandriæ & altero Roberto Nortmanniæ comite, necnon Hugone Magno, Philippi regis fratre, per Italiam: cujus turmæ omnes Casinense [b] monasterium, ubi se sancto Benedicto ac fratribus plurimum commendarunt; indeque Barium adiisse memorantur. Hujus porro belli rumore excitus Boamundus comes, Rotberti Guiscardi filius, cum patruo suo Rogerio, aliisque militibus Nortmannis, qui in Apulia & Sicilia erant, & ipsi Cruce-signatis se adjunxere. Tanti belli apparatus quis exitus fuerit, docent varii auctores, qui de hac expeditione scripserunt: omnes fere editi in volumine, quod *Gesta Dei per Francos* inscribitur. Ex his auctoribus tres sunt e nostris, videlicet Robertus abbas sancti Remigii apud Remos, qui expeditioni interfuit; Baldricus ex Burguliensi abbate tunc Dolensis archiepiscopus, quem Ordericus [c] secutus est; & Guibertus abbas beatæ Mariæ de Novigento. De hujus expeditionis successu nonnulla, quæ in rem nostram facient, referemus. Sic Urbano » agente, teste Fulcherio, refloruit orbis. nam pacem renovans, ecclesiæ jura sua re- » stituit, & paganos de terris christianorum expelli fecit. Et quoniam res Dei curavit, » effecit vicissim Deus, ut omnes ultro ei se subjecerint.

a lib. 68. n. 86.

b Chron. Casin. lib. 14. c. 11.

c Orderic. lib. 9. p. 723.

XXVII. Jarento abbas in Angliam legatus.

Tempore concilii, ut scribit Hugo Flaviniacensis, in Angliam missus est Jarento abbas sancti Benigni Divionensis, ut Willelmum regem fratri ejus Rotberto Nortmannorum duci reconciliaret, & apud eumdem regem efficeret, ut vacantibus ecclesiis & abbatiis pastores sufficerentur, multaque alia emendarentur. Paullo ante rex ipse cum Albanensi episcopo, qui primus ad ipsum legatus missus fuerat, pactus erat, ut nullus injussu regis legatus in Angliam mitteretur, nullusque cujusvis status & ordinis ex parte papæ litteras accipere auderet. At Jarento tanta libertate & constantia regem convenit, ut ejus monitis & consiliis acquiescere videretur: sed tamen, nuntio ad pontificem clam misso inducias impetravit, ut ad nativitatem Domini anni insequentis nihil novaretur, Jarentone interim usque ad pascha apud se retento & honorifice accepto, dum nuntius a pontifice rediret. Si Hugoni credimus, nuntius ille non vacua manu papam adiit, a quo missus ad regem dicitur sororis suæ filius, homo laïcus, ut per eum *debita beato Petro caritas*, id est, si bene capio, annuus census, saltem ex parte mitteretur. Id factum putat Hugo in injuriam Jarentonis, qui re infecta, sed magna sui opinione in regno relicta, in Nortmanniam trajecit: ubi pro componenda inter fratres concordia substitit, donec pace facta, Nortmannorum dux Jerosolymam profecturus, fratri suo, decem millium marcharum pensione accepta, terram suam ad trium annorum spatium custodiendam traderet; isque ab eodem abbate usque ad vicum, qui Pons-Arliæ dicitur, Stephano comite Franciæ & comite Flandriæ Rotberto comitantibus, deductus est.

XXVIII. Guntardo Gemetici abbati suffectus Tancardus.

Tempore quoque concilii mortuus est apud Clarum-montem Guntardus Gemeticensis abbas VI. kal. Decembris, cum monasterium annis circiter tribus ac viginti optime rexisset. Cum aliquamdiu abbatia vacasset, in ejus locum Tancardus prior Fiscamnensis, qui & ipse concilio interfuerat, subrogatus est, agente Willelmo rege, qui tunc, absente, ut modo diximus, fratre, Nortmanniam moderabatur. Tancardus *ferus ut leo* [d] fuisse dicitur ab Orderico; adeoque non diu Gemeticensibus præfuit. Non enim diu tolerari potest nulla humanitate temperata severitas. Unde orto inter ipsum Tancardum & monachos *probroso tumultu* [e], cum infamia recessit; eique Ursus,

d Orderic. lib. 4. p. 519.

e id. lib. 10. p. 765.

Ursus, ab infantia ejusdem cœnobii monachus, ad annos viginti successit.

Soluto Claromonrensi concilio IV. kal. Decembris, ibidem nihilo minus remansit Urbanus per aliquot dies. quo temporis intervallo quædam diplomata variis ecclesiis concessit. In his monasterium sancti Dionysii de Nogento Cluniacensibus confirmavit III. kal. Decembris; eademque die Molismense in sedis apostolicæ tutelam suscepit, salvo Lingonensis episcopi jure, cujus interventu hoc privilegium indulsit.

ANN. CHR. 1095. XXIX. Urbani acta post concilium.

Claromonte digressus secunda die Decembris, sequenti Celsinianensis monasterii ecclesiam sollemni ritu dedicavit. Inde Brivate profectus, Cluniacensium ecclesias & altaria venerabili Hugoni abbati pridie nonas Decembris confirmavit. Post aliquot dies, cum apud sanctum Florum versaretur, ecclesiam sancti Martini de Calidis-aquis, rogatu Stephani prioris, monachis sancti Flori asseruit, ejusdemque monasterii basilicam dedicavit VII. idus Decembris. quo die duo privilegia, unum Marciniacensi parthenoni, alterum Celsinianensibus monachis, concessit. Ex eo loco Urbanus Auriliacum adiit, ubi a Petro Soliacensi abbate, qui concilio Claromontano interfuerat, honorifice exceptus est.

Inde Lemovicensem pagum ingressus, die festo sancti Thomæ Userchiæ hospitatus est, invitante Geraldo abbate, ejus loci ecclesiam consecraturus, ni Humbaldus Lemovicum episcopus eum ab hoc proposito avertisset. Usercæ tunc degebat Mauricius-Burdinus: quem cum Bernardus Toletanus archiepiscopus, qui in pontificis comitatu erat, pertentasset, eumque litteris & industria præditum, atque ad magna gerenda idoneum agnovisset, secum in Hispaniam perduxit: ubi primum Conimbricensis episcopus, dein Bracarensis archipræsul factus est, ac demum in sedem Romanam, ut omnes norunt, intrusus. Ejus vitam eleganter scripsit [a] eruditissimus Baluzius, ipsius conterraneus, in qua eum Usercæ monachum fuisse probabilibus argumentis suadet, & a probris ejus famæ inustis vindicat. Argumenta pro Benedictina ejus apud Usercam professione hæc sunt: unum quod ab ipsis ejus in sede Romana initiis, cum nondum ea fama pervenire potuisset ad Lemovicas, proprio motu ejusdem monasterii privilegia confirmavit: alterum, quod postea quam a Callisto II. captus est apud Sutrium, inde in Cavense monasterium ad agendam pœnitentiam conjectus, monasticum habitum coactus est suscipere, id est ad eum statum redire, in quo fuerat, antequam in Hispaniam proficisceretur. Adde quod jam Conimbricensis episcopus cum esset, ubi Jerosolymis reversus est, pretiosissimam quamdam thecam misit ad Cluniacense monasterium, memor videlicet veteris conversationis suæ. Certe Prudentius Sandovallius, vir doctus & accuratus, eum fuisse monachum Ordinis sancti Benedicti diserte scribit.

XXX. Mauricius-Burdinus an Usercæ monachus.

a V. Miscell. to. 3. p. 471. & seqq.

Lemovicas dein adiit pontifex X. kal. Januarii, ubi primam dominicæ nativitatis missam, quam *de Galli cantu* vocant, in ecclesia puellarum sanctæ Mariæ de Regula, quod nobile Benedictinarum virginum cœnobium est, celebravit; missam vero de luce seu de aurora, *in basilica regali* [b] apud sanctum Martialem. Inde sollemni pompa coronatus, *ad sedem apostolicam* seu *episcopalem* redit, ubi reliqua sollemnitatis officia peregit. Tum ipsa die, quæ festum Innocentium sequitur, cathedralem ecclesiam in honorem beati Stephani consecravit: denique pridie kal. Januarii *basilicam regalem* sancti Martialis, ab Ademaro abbate renovatam, in honorem Salvatoris mundi dedicavit, ejusque antiquam libertatem & prærogativam novis privilegiis roboravit, multis præsentibus episcopis, qui aqua a pontifice benedicta basilicam lustrarunt: ipse vero propriis manibus majus altare aqua benedicta lavit, chrismate & oleo sancto perunxit, & in eo pignora sanctorum reposuit, ac demum super ipsum altare missam sollemniter celebravit, quem diem deinceps sollemnem & celebrem esse præcepit. In eodem monasterio perstitit pontifex octiduo; quo tempore Ausculfo abbati Angeriacensi scripsit, eique Baziacense monasterium, quod juris erat sanctæ Romanæ ecclesiæ, ubi monastici ordinis religio deperierat, ordinandum ac regendum committit, prout jam ante eidem ab Amato Burdegalensi episcopo commissum fuerat. Datum hoc ipso anno apud Lemovicas IV. kal. Januarii, indictione III.

XXXI. Urbani acta apud Lemovicas.

b Gaufrid. Vosiens. c. 27.

Dum apud Lemovicas moraretur, in ordinem redactus est Humbaldus ejus urbis episcopus. quod qua ratione factum sit, paucis explicandum. Guidone episcopo mortuo, electus fuerat [c] Humbaldus, non vocato ad electionem Ademaro sancti Martialis abbate, contra quam ab antiquo fieri consueverat. Questus est hac de re abbas apud Urbanum, qui absque abbatis voluntate Humbaldum non esse decla-

XXXII. Humbaldo episcopo successus Gulielmus.

c id. c. 26.

ANN. CHR. 1095.

randum pontificem edixit. Reversus Lemovicas abbas, in quadam sollemni processione publice significavit, si Humbaldum susciperet, se reum fore sanguinis omnium civium, qui in charta, quam mox ostendit, descripti erant. Hinc ortum prælium inter burgenses castri, in quo situm erat sancti Martialis monasterium, ac cives Lemovicenses; multique in illo conflictu occubuere. Interim papam adiit Humbaldus, at ipsum prævenit abbas, quem Lemovicis reliquerat, cum iter aggressus est. Tum stupenti & attonito de ejus adventu Humbaldo abbas infit: Pulverem, qui super hanc cappam apud Lemovicas in tua electione cecidit, veni excussurus Romæ. Regresso abbate, remansit præsul, at nihil a pontifice obtinere potuit præter litteras deprecatorias, quibus significabatur, Humbaldum, si abbatem propitium habere posset, in sedem episcopalem sollemniter recipiendum. Verum in itinere apostolicas litteras vitiavit Humbaldus consilio Heliæ *de Gimel* archidiaconi, arte Matthæi-Vitalis aurificis Lemovicensis, corruptasque litteras exhibuit abbati. Hic fraudis ignarus miratur mutatum a pontifice consilium, retentisque litteris, præsulem sollemni processione, prout in litteris continebatur, suscepit. Id vero gravate admodum tulit populus, &, nisi abbatis prudentia ei comperta fuisset, in episcopum & abbatem irruisset. Ubi rescivit Urbanus receptum episcopum, graviter abbatem increpuit, quod se inconsulto id fecisset. Ille continuo protulit litteras. His visis obstupuit pontifex, & veritate comperta, fraudis ministros anathemate perculit, ac lege perpetua inhibuit, ne quis umquam, qui nomine Heliæ *de Gimel* censeretur, ullum honorem, ullamve dignitatem in illa urbe obtineret. Ad episcopum quod attinet, is apud sanctum Martialem, præsente Ademaro abbate, quo contradicente electus fuerat, ab Urbano exauctoratus fuit; tumque ad S. Severam in pago Biturico secessit apud fratrem suum ejusdem castri dominum, ibique inter laicos laicaliter multo tempore vixit.

Usercenses abbates.

Eo deposito, non statim suffectus est in ejus locum Guillermus prior S. Martialis, ex stirpe nobilium virorum de Ureico apud Bituriges ortus: qui basilicam Usercensem XI. kal. Februarii biennio post consecravit tempore Gauberti abbatis, qui Geraldo superius laudato successerat. Geraldus quippe, peractis in capella sua missarum sollemniis, ipsa die natalis Domini, quorumdam negotiorum causa Lemovicas adiit; nec multo post ex morbo decubuit, & in festo S. Mauri apud S. Martialem, cujus loci monachus fuerat, animam exhalavit, postquam viginti-octo annis abbatiam recte administrasset, sepultus in sacrario beati Petri. Ejus successor Gauzbertus, cognomento Malafaida, Vosiensis monachus ac sacrista, oriundus ex genere militum de vico S. Vincentiani ad Viseram fluvium, abbatiam per annos duodecim rexit, & pro virili augere studuit. Quod spectat Guillermum episcopum, cum zelo Dei animatus, pravorum mores emendare conaretur, ab iisdem veneno per manus cujusdam Martini interimitur, humatus in basilica Salvatoris apud sanctum Martialem. Lemovicis relictis, Urbanus post epiphaniam anni sequentis in pagum Pictavensem ingressus est.

XXXIII. Neresheimense monasterium conditur.

De rebus Germanicis hujus anni, nobis commemoranda venit constructio monasterii Neresheimensis, quæ ad hunc annum ab omnibus refertur. Positum est in diœcesi Augustana, in peramœno colle, tribus a Nordlingiaco milliaribus, in illo Sueviæ tractu, quem ob soli admodum arenosi sterilitatem Hartfeldensem vocant. Monasterii conditores censentur Hartmannus comes Kiburgensis & Dillingensis, necnon Adelheidis ejus conjux. Illuc primum acciti ex monasterio Zwifaltensi duodecim monachi: quibus præfectus Ernestus, ex Dillingensium comitum prosapia ortus, qui uno tantum anno præfuit, successorem sortitus Hugonem ad annum Christi MCI. quo anno novi illius monasterii ædificia perfecta & absoluta fuere. Ecclesiæ tamen dedicatio in annum MCXIX. dilata est, ut suo loco videbimus, sub quarto loci abbate Henrico, Theodorici successore. Hoc ipso anno, in quo sistimus, Adelmannus abbas S. Albani apud Moguntiam obiisse a Dodechino traditur.

ANN. CHR. 1096.

XXXIV. Urbani acta Pictavis, Andecavis, & Vindocini.

Anno proximo nonagesimo-sexto supra millesimum, Urbanus papa Lemovicis adhuc versabatur IV. nonas Januarii, quo die Willelmo abbati Tutelensis monasterii privilegium apostolicæ tutelæ indulsit, bona eidem ablata restitui præcepit, & libertatem eligendi abbatis asseruit, prohibuitque, *ne pro malefactis militum, in Tutelensi castro habitantium, monasterium ipsum excommunicetur, ea tamen conditione, ut iidem milites, si excommunicati fuerint, ad divina illic officia non admittantur.*

ANN. CHR. 1096.

Cum octiduo apud S. Martialem hospitatus esset pontifex, Lemovicis egressus, in pagum Pictavensem, ut diximus, ingreditur: rum a Petro Carrofensi abbate rogatus, majus altare illius monasterii dedicat IV. idus Januarii. Post triduum Pictavis festum sancti Hilarii ab eo celebratum, ubi Monasterium-novum a tribus archiepiscopis in honorem beatæ Dei-genitricis Mariæ, & beatorum apostolorum Johannis & Andreæ dedicatur XI. kal. Februarii, quo die pontifex majus altare in honorem sanctorum martyrum Stephani & Laurentii, aliorumque consecravit.

Inde Andecavorum urbem petiit, agente Milone S. Albini monacho, ipsius legato, quem postmodum ad Prænestinum episcopatum promovit. Milonis consilium erat, ut pontifex S. Albini ecclesiam dedicaret: at monachi, nescio quo instinctu, id fieri noluerunt. Hac occasione usi Natalis abbas & monachi S. Nicolai papam ad suam ecclesiam consecrandam invitarunt. quod præstitit IV. idus Februarii; rogatusque a Fulcone comite, ossa Gaufridi Martelli, qui in habitu monastico defunctus, in capitulo humatus fuerat, in navim ecclesiæ transtulit. Non diu post hanc dedicationem supervixit Natalis abbas, cui Baldricus non uno funebri carmine parentavit. In secundo sic de eo canit.

> *Abbas Natalis has ades amplificarat,*
> *Et noviter factas Urbanus papa sacrarat,*
> *Cum, Nicolaë, tuum Deus accersivit alumnum,*
> *Cui dedit æternum sollemni funere somnum.*

Natali S. Nicolai abbati succedit Lambertus.

Natali successit eodem anno Lambertus, S. Nicolai abbas septimus, cui Fulco Andecavorum comes eodem anno silvam Catiam donavit.

Dum apud Andecavos moraretur papa, nuntium accepit de morte Rainaldi archiepiscopi Remensis, qui XII. kal. Februarii decesserat, & de Manassæ, eo nomine secundi, electione, quam approbavit. Electum Urbano plurimum commendavit Ivo Carnutensis episcopus epistola XLVIII. in qua Remensis ecclesiæ, quam olim ejus *matrem*, nunc *filiam* esse dicit, prærogativas laudat, nimirum quod habeat *regni diadema*, & ceteris ecclesiis in *ruina* vel *resurrectionis* exemplum esse consueverit. Manassæ consecratio IV. kal. Aprilis facta est in basilica Remigiana.

Andecavorum urbe egressus pontifex divertit ad Glannafoliense sancti Mauri monasterium, quod tunc Fossatensi subjectum erat. Ea de re conquesti sunt non modo ejus loci abbas & monachi, sed etiam provinciæ illius proceres & incolæ: at rem ad proximum Turonense concilium differendam censuit pontifex, atque audiris partibus definiendam. Tunc illic abbas erat Girardus, qui hoc anno cum Girardo abbate S. Albini, & Ebrardo S. Carilefi subscriptus invenitur in placito, quod Ramnulfus sancti Vincentii habuit in curia Hoëlli episcopi Cenomannensis super ecclesia de Laboratorio *, contra canonicos S. Zilmii.

* *Mange du Louroir.*

Inde, lustratis Cenomannis, Vindocinum adiit, ubi a Goffrido abbate perhonorifice acceptus, monasterii privilegia confirmavit, ipsumque Goffridum redarguit, quod in sua benedictione Ivoni [a] episcopo, contra sui monasterii privilegia, professionem fecisset. quam irritam & nullam esse decreto sancivit, relato [b] ab ipso Goffrido. tunc etiam Urbanus *Crucifixum sanctæ Trinitatis*, id est altare sanctæ Crucis, IV. kal. Martias consecrasse dicitur, cunctisque, qui ad anniversariam ejusdem consecrationis diem illuc convenirent, septimam injunctæ sibi pœnitentiæ partem relaxasse.

a *Goffrid. lib. 2. ep. 7. & 11.*
b *ibid. ep. 17.*

XXXV. Turonis acta ab Urbano.

Exactis Vindocini octo diebus, Cæsarodunum Turonum accessit, primum hospitatus, ut videtur, apud Majus-monasterium, cujus ecclesiam VI. idus Martii, & die sequenti cœmeterium dedicavit. Inde ad urbem processit, identidem invisens sancti Martini basilicam, cui modum præscripsit recipiendi apostolici legati, ob turbas, quæ olim ejus occasione illic exortæ fuerant, & suppresso proprii episcopi privilegio, Romano pontifici peculiari jure hanc ecclesiam reservavit. Habitum est tunc temporis in eadem ecclesia concilium tertia quadragesimæ hebdomada, in quo varia negotia pertractata. In his discussa & examinata Glannafoliensium causa in Fossatenses, a quibus illi suam sibi libertatem ereptam causabantur. Auditis utrimque partibus, Fossatensium jugo exemti sunt Glannafolienses, scriptis hac de re pontificiis duabus litteris, unis Gerardo novo abbati Glannafoliensis, alteris Oderisio abbati Casinensis monasterii, cui Glannafoliense restitutum. Actum est etiam de Cormaricensi monasterio, quod a S. Martini subjectione avulsum fuerat, eidemque

ANN. CHR. 1096.

assertum; statutumque, ut ejus loci abbate defuncto, ejus baculus super S. Martini tumulum deferatur, ex quo illum novus abbas accepturus esset. Mitto varia diplomata ibidem edita, quorum unum est pro monasterio Trenorchiensi, cui quasdam adjudicat ecclesias, quas Salmurenses S. Florentii monachi sui juris esse contendebant. Hoc Turonense concilium terminatum fuisse videtur celebri illa processione, in qua pontifex coronatus a cathedrali S. Mauricii ecclesia ad basilicam S. Martini processit, ubi florem aureum, quem manu gerebat, Fulconi comiti donavit.

Majoris-monasterii dedicatio.

Quo ritu facta sit Majoris-monasterii basilicæ dedicatio, discimus ex libello, qui hac de re ab anonymo illius temporis monacho scriptus est. Hæc dedicatio facta fuit, ut dixi, hoc anno, VI. idus Martii, octavo die, quam illic hospitatus erat pontifex. Pridie ejus diei, conscenso gradu ligneo, in littore Ligeris sibi ad loquendum præparato, ad populum, qui illuc frequens cum Fulcone comite ejusque proceribus convenerat, sermonem habuit, in quo multa præclare de sacri ejus loci monachorum religione, innocentia & immunitate peroravit, omnibusque, qui se eis favorabiles præstarent, benedictionem; adversantibus maledictionem imprecatus est. quo facto, ipsa die in communi refectorio cum duobus archiepiscopis, & uno episcopo, suisque cardinalibus cibum sumsit. Eadem die capella infirmorum a Brunone Signiensi episcopo jussu papæ dedicata: in qua reliquiæ sanctorum ad diem subsequentem repositæ sunt, postera die in majorem basilicam deportatæ, & a Rodulfo Turonum archiepiscopo *sub dominico altari*, jubente papa, collocatæ. qua die idem cum Rangerio archiepiscopo Rhegiensi duplex alphabetum, græcum & latinum, in basilica descripsit, & ipsius basilicæ parietibus crucis signum ex oleo imposuit, atque altare Crucifixi sacravit. Denique pontifex ipse *dominicum altare*, in quo *ineffabile corporis Christi sacramentum* cum multis sanctorum reliquiis collocatum est, ipsamque basilicam consecravit in honorem sanctæ Crucis, ac beatissimæ Dei genitricis Mariæ, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, necnon beati Martini, præsentibus Fulcone comite, Roberto de Rupibus atque Hugone de Calvo-monte, multisque aliis proceribus, qui auxilio, tuitione, & consilio suo locum *dotaverunt*. Huic sollemnitati adfuerunt plerique pontifices & cardinales, qui concilio Claromontano interfuerant, excepto Amato archiepiscopo Burdegalensi & legato, qui ibidem *in camera* ægrotabat. Ex abbatibus, præter Bernardum Majoris-monasterii abbatem, Otho Prulliacensis (sic legendum puto) adfuisse memoratur. Ipsa die sacratum fuit cœmeterium extra murum cœmeterii monachorum a Rangerio archiepiscopo & Brunone episcopo Signiensi: postera die pontifex ipse cœmeterium sancti Nicolai, sparsa aqua benedicta, sacravit: Hugo vero primas & Rangerus undique per marginem Ligeris sacraverunt. Tunc Bernardus, cognomento Pontius, ortu Remensis, prior erat Majoris-monasterii. Sed de his satis.

XXXVI. Cruce signati iter aggressi.

* Senzavehor.

a Orderic. lib. 9 p. 723.

* de Poissy.

Inter ea Cruce-signatorum exercitus mense Martio movere cœpit, cum vix quatuor mensium spatium ad contrahendas copias habuissent. Primus iter aggressus est Walterus, cognomento *Sine-habere**, id est census expers, hortante Petro Eremita, qui se ei adjunxit. Petrus de Acberis, testante Orderico [a], *monachus & doctrina & largitate insignis*, cum Galterio de Pexeio*, ejusque nepotibus Galterio, cognomento *Sine-habere*, Guillelmo, Simone, & Matthæo, aliisque Francigenis quam plurimis, peditibus fere quindecim millibus, sed equitibus tantum octo, ut tradit Petrus Aquensis, sabbato paschæ Coloniam adiit, totaque paschali hebdomada ibi substitit: ubi cum sæpe sermonem ad populum faceret, duodecim millia ad sacram expeditionem pertraxit: Franci vero, moræ impatientes, cum in Hungariam præcessere, usque ad Cappadociam, ubi Petrum cum Alemannis subsequentem præstolati sunt. His adjunctus erat Godefridus Bulionius dictus, cum fratribus suis Eustachio & Balduino & magna militum manu: qui Godefridus in procinctu itineris Affligemium adiit invitatu Godefridi Nigri, tunc ejusdem loci monachi: ubi honorificentissime exceptus, quinque prædia Affligemiensibus, assentientibus fratribus suis, contulit.

* de Sologne.

* Freteval.

* le Loir.

* Colomier.

Mense Septembri Rotbertus Nortmanniæ comes idem iter aggressus est: cui se se adjunxere Stephanus Blesensis & Rotbertus Flandriæ comes. In procinctu itineris Stephanus Blesensis comes, silvam Logniam seu Lonniam*, quæ inter castrum Fractæ-vallis* & Frigidum-mantellum juxta fluvium Ledam seu Lidum* sita est, Majori-monasterio contulit, ubi Odo ipsius avus, & frater ejusdem Odonis cum eorum matre humati jacent. Id factum in castro Columbario* in Briegio, ubi necessaria

itineri suo parabat; ejusque rei causa duos Majoris-monasterii monachos sibi familiares illuc accersivit, Bernardum scilicet cognomenro Flagellum, & Gausbertum-Ludovici, in quorum manibus hæc donatio, probante Adela comitissa ejusdem Stephani conjuge, facta est *post annos circiter sex* a morte patris sui Tetbaldi, ut ex noritia in Appendice referenda colligitur, quæ mots proinde anno M XC. accidisse dicenda est.

Baldricus auctor est, mulros eremitas, reclusos & monachos, *domiciliis suis non sapienter relictis*, idem iter arripuisse; quosdam orationis gratia, facultate a suis abbatibus concessa; sed plures non accepta profectos fuisse. Quin etiam abbates nonnulli, monasteriis relictis, eamdem viam aggressi sunt: quos inter Robertus S. Remigii apud Remos abbas, quod ipsi male vertit, ut in consequentibus videbimus. De Godefrido id memoriæ prodidit Willelmus [a] Tyrius, quod adduxerit vir Deo amabilis, peregrinationem ingressurus, *de claustris bene disciplinatos monachos, viros religiosos & sancta conversatione insignes, qui toto itinere, horis diurnis & nocturnis, ecclesiastico more divina ibi ministrabant officia: quos, postquam regnum adeptus est, juxta eorum postulationem, in valle Josaphat locavit, amplissimumque loco, eorum gratia, contulit patrimonium.* Plura de his inferius. In chartario Cluniacensi laudatur Acbardus miles castri de Monte-merulo, Wichardi filius, qui profecturus ad bellum sacrum, Bernardo camerario & Gaufrido priori Montis-Bertaldi donat in convadium seu pignus quidquid possidebat in villa Luerciaco pro quatuor mulis & duobus millibus solidorum Lugdunensium. Actum Cluniaci anno M XCVI. indictione IV. *Frater Hugo medicus magni Hugonis scripsit.* Ex illis principibus insignis in primis fuit Raimundus S. Ægidii comes, qui Jerosolymam profecturus, ob amorem S. Ægidii, cujus « monasterium multis injuriis [b] affecerat, ejus festum in Aniciensi ecclesia, ceterisque « ecclesiis ei subjectis, quotannis celebrari curavir; statuitque, ut *candela*, quamdiu « victurus esset, incessanter die ac nocte pro se *ante Dei genitricis venerandam imaginem* « super altare arderet; & ut post ipsius obitum defunctorum officium in eadem eccle- « sia, ceterisque aliis, annuatim celebraretur. Quam ob rem eidem ecclesiæ prædia quæ- « dam assignavit. Idem in procinctu illius itineris ad Casam-Dei [c] accessit, S. Rotbertum veneraturus, cui panllo ante Tolosæ comiratum, si per eum adipisci posset, vectigalem fecerat; ejusque scypbum ad illud iter pro reliquiis accepit, adducto secum in terram sanctam Arberto Privazacensis* apud Ruthenos cellæ priore, qui postmodum Tripolitanæ urbis episcopus factus est; idemque scyphum illum, Raimundo prope Tripolim mortuo, cum multis donariis ad Casam-Dei remisit.

a Vuillel. Tyr. lib. 9. c. 9.

b Catel. Comtes. p. 131.

c V. sæc. 6. Bened. part. 2. p. 243.

* Privazat.

XXXVII. Urbani acta in Aquitania.

Ex urbe Turonum egressus Urbanus, Pictavos denno adit, inde profectus ad sancti Maxentii monasterium, ubi Glannafoliensi monasterio amplissimum privilegium concessit. Hinc ad Angeriacense divertit monasterium, ubi in Eblonem, qui sancti Georgii in insula Oleronensi ecclesiam Vindocinensibus abstulerat, renovata excommunicatio est. Postea Santonas perrexit, ibique sanctum pascha celebravit. Illic varia diplomata variis ecclesiis & monasteriis indulta: in his Ademaro sancti Martialis abbati, quo privilegio id sancitum, ut, absenre Lemovicum episcopo, abbas cum « majoribus Lemovicensis ecclesiæ canonicis totius diœcesis curam gerat, ac præcipua, « etiam eo præsente, illius ecclesiæ negotia ejus consilio peragantur; utque episcopi « electio ad ejus potissimum arbirrium disponatur. In eadem urbe pontifex denuo « diras in Eblonem protulit; injunxitque Amato Burdegalensi episcopo, ut Willelmum Aquitanorum ducem compelleret ad illius ecclesiæ restitutionem. quod exsecutioni mandatum est, ut mox dicturi sumus. Exstat in illa urbe sancti Eutropii nomine titulo insignitum monasterium, cujus cryptam cum renovassent Cluniacenses, a pontifice impetrarunt, ut unum ex duobus ejus altaribus consecraret, quorum alterum Rainnulfus Santonum episcopus sacravit. Burdegalam inde profectus Urbanus, majorem S. Stephani ecclesiam kalendis Maii dedicavit; itidemque Neraci ecclesiam in honorem S. Thomæ & S. Nicolai, ubi Arsinus de Albione collocavit monachos Condomiensis monasterii, cui frater ipsius Raimundus abbas præerat. Nonis Maii Leiraci in cella Cluniacensi versabatur pontifex, cum cellam S. Michaëlis de Monte, Cluniacensibus datam a Willelmo, cum monachus factus est, postmodum Auscienſi archiepiscopo, confirmavit, moxque Tolosam se contulit.

XXXVIII. S. Georgii Oleronensis ecclesia Vindocino restituta.

Dum Tolosæ moratur, paullulum reflectenda est oratio ad ea, quæ superius vel omissa, vel leviter delibata sunt. Cum Santonis versaretur pontifex, Amato Burde-

ANN. CHR. 1096.

galensi archiepiscopo injunxerat, ut Willelmum Aquitaniæ ducem compelleret ad restituendam Vindocinensibus sancti Georgii Oleronensem ecclesiam, quam cum suis adjunctis Ebloni de Castro Allionis olim tradiderat. Excommunicatus hac de re Eblo a pontifice non semel, nec sic tamen ad restitutionem adigi potuit. Tandem » ad Willelmum ducem scripsit [a] Urbanus, se eamdem in eum sententiam laturum, » ni quam primum hanc restitutionem fieri curaret. Nec mora, agente Amato, id præ- » stitit Willelmus, litteris [b] hac de re hoc anno datis, in quibus ait, se, cum puer in » paternos honores successisset, hanc ecclesiam Ebloni dedisse, ut eum sibi devinciret » contra suos barones, qui ab ipso defecerant. Tunc itaque culpam agnovit Willel- » mus, & ab Amato conventus, animæ suæ periculum metuens, monachis prædictam » ecclesiam reddidit, ita liberam, sicut Goffridus Andecavorum comes & Agnes co- » mitissa quondam illis contulerant. Actum IV. idus Decembris hoc anno indictione IV. His litteris subscribunt post Willelmum uxor ejus Mathildis, ejusdemque comitis mater Hildegardis, Gosfridus de Prulliaco Vindocinensis comes, Petrus episcopus Pictavensis, aliique optimates; tum abbates Gosfridus Malliacensis, Guarnerius sancti Maxentii, & Goffridus abbas Vindocinensis. Hanc autem restitutionem litteris suis confirmavit Amatus ad Goffridum abbatem datis, quas hic in Appendice videre » licet. Exstant duæ de illo Eblone epistolæ, una ad Urbanum [c], qua eum rogat, ut » Ramnulfo Santonensi episcopo præcipiat, ne Eblonem absolvat; altera [d] ad ipsum » Ramnulfum, qua eum commonefacit concordiæ cum Eblone ejus opera initæ, ea lege, » ut, si Eblo a promissione desciceret, a sancta ecclesia alienus haberetur. Verum ab hoc » pacto resiliisse Ivetam, Eblonis uxorem filiumque Isembertum, ob idque a Ram- » nulfo divinum eis officium merito interdictum; sed tandem Ivetam, quæ totius mali » causa erat, ab ipso absolutam, ut ex fama inaudierat. quod de ipsius constantia vix » credat; rogatque suppleri ab eo, quod in causa sua minus pro justitia fecerat.

a *V. Sirm. not. in Goffrid. p. 91.*
b *Besly Comites. p. 412.*
c *Goffrid. lib 1 ep. 1.*
d *id. lib. 3. ep. 31.*

XXXIX
Ausculfus Angeriaci abbas ab Urbano honoratus.

Jam fere quinquennium erat, ex quo Ausculfus Odoni abbati [e] in regimine Angeriacensis monasterii successerat, cum Urbanum papam illic hospitio excepit. Hujus rei memor pontifex, Buriacensem [f] ecclesiam, quam Wido Belvacensis episcopus cum Alberto canonico Angeriacensibus contulerat, eisdem pontificio diplomate confirmavit; idque a se idcirco factum dicit in litteris ad Ausculfum abbatem, *quia locum vestrum*, inquit, *per nosmetipsos visitare meruimus; ideoque dignum duximus quieti vestræ nostræ auctoritatis litteris providere.*

e *V. lib. 67. num. 106.*
f *lib. 63. n. 62.*

Ejus lis cum Clusensibus.

Litem habebat Ausculfus abbas cum Ermengaudo Clusensi abbate super ecclesia Aureæ-vallis diœcesis Santonensis, quam Clusenses ad se pertinere contendebant, sibique ab Angeriacensibus subtractam querebantur jam inde a tempore Benedicti Clusensis abbatis, cui Ermengaudus [g] successerat. Hic ea de re in superiori concilio Claromontensi expostulaverat, ejusque causam post concilium examinandam Ramnulfus episcopus receperat. Id ut exsequeretur antistes, postulat Ermengaudus litteris ad eum scriptis in hunc modum, nominibus propriis primis dumtaxat litteris pro more temporis expressis.

g *V. lib. 68. n. 19.*

Venerabili patri R. Santonensi episcopo frater Er. sancti Michaëlis Clusensis abbas, cunctaque congregatio sibi commissa, salutem. Meminit sanctitas vestra, quotiens beatæ memoriæ antecessor noster Benedictus abbas de ecclesia Aureæ-vallis apud pietatem vestram querimoniam habuit, quam frequenter quoque multi fratrum nostrorum, tam in conciliis quam in synodis, super hac re clamaverint. Nos quoque, quoniam Angeriacensis abbas adhuc in injuria perseverat, & placitum a vobis inde datum audivimus, vestræ pietatis januam pulsamus: ut hujus ecclesiæ causam, sicut olim nobis in Clarimontensi concilio promisistis, diligenter & canonice examinetis, justo & irretractabili judicio diffiniatis. Quidquid enim paternitas vestra & synodi majestas juxta jura canonum in hoc placito decreverit; nos quoque fratresque nostri diffiniendum judicamus, & harum litterarum auctoritate comprobamus. Vale.

Aureæ-vallis cellæ origo.

Ad hanc controversiam illustrandam observare juvat, monachum quemdam Clusensis abbatiæ, Willelmum nomine, magna religione & optimis moribus præditum, vitæ solitariæ causa secessisse in locum diœcesis Santonensis juxta castrum Talomonis *, tunc omnino incultum ac desertum, ibique cellula exstructa, vitam anachoreticam duxisse. Cum illic septem annos religiose vixisset, Wibertus Talomonis dominus, in cujus ditione locus ille positus erat, assentiente Bernardo fratre suo, locum illum Willelmo donatione facta contulit, & quamdiu vixit, honoravit ac ditavit.

* *Talemont.*

Erant & Wiberto duo alii fratres, Elias & Ramnulfus, qui a quodam Bernardo de Partella seu Pardeilla, aut saltem ejus nutu occisi fuere. Postea pacem cum fratribus, Wiberto & Bernardo, fecit homicida, datis in piaculum possessionibus, quas fratres illi Willelmo *pro uno caballo* dare constituerant; ille vero *altari sancto quod est Karrof, senioribusque inibi Deo servientibus*, pro animabus occisorum dati volebat. Assensit demum Wibertus, idque domni Arnulfi Santonensis episcopi auctoritate roboratum est, teste ipso Willelmo monacho, qui subscripsit. Locus, in quo hic cellam exstruxerat, dictus est Aurea-vallis*, quem postea Willelmus, Bernardus, Raimundus, *fratres* cognominati, forte ejus loci post Willelmi obitum monachi, Angeriacensibus monachis concesserunt assensu Willelmi vicecomitis Oniaci, cujus dominio tunc locus ille obnoxius erat. Testes Goderannus Santonensis episcopus, Gofredus de Mauritania, Witbertus de Talamone. Acta sub annum M LXXIV. Philippo rege, Widone duce Aquitaniæ, Goscelino Burdegalensi episcopo, & domno Odone Angeriacensi abbate, antecessore Ausculfi abbatis, sub quo hæc controversia ventilata est. sed in cujus gratiam definita sit, non lego. Ex his, & ex præmissis libris intelligitur, quatuor minimum esse locos in Gallia, olim Aureæ-vallis nomine prædictos, unum in pago Aurelianensi, ubi situm est Floriacense sancti Benedicti monasterium: alterum in Carolensi*, ubi cella Patriciacensis, eidem monasterio subjecta: tertium in Luciliburgensi seu Luxemburgensi, in quo Aureæ-vallis monasterium, redivivo primitivi Cisterciensis instituti fervore celeberrimum: quartum denique in pago Santonico, de quo modo actum est.

* Orlac.

* le Charolois.

XL. B. Mariæ de Solaeo ecclesia S. Cruci oblata.

Antequam Burdegalam adiret Urbanus, conventus nobilium in illa urbe, præsidente Willelmo Aquitaniæ duce, habitus est. Hac occasione usus Fulco sanctæ Crucis abbas, ducem interpellavit, ut donationem altaris beatæ Mariæ de Solaco, a Willelmo-Gaufrido ejus patre sanctæ Crucis monasterio [a] factam, sua auctoritate confirmaret, suumque monasterium cum loco sancti Macarii in suam tutelam acciperet. quod dux consilio suorum procerum benigne annuit. *Actum & concessum anno* M XCVI. *incarnationis dominicæ*, VIII. *kal. Aprilis, indictione* IV. *Data per manum domni Willelmi comitis ante altare sancti Andreæ Fulconi abbati* VIII. *kal. Aprilis: prima concessio in turri castellari* XI. *kal. Aprilis*. Subscribit *Mathildis uxor domni Guillelmi ducis Aquitaniæ, & comitis Guasconiæ, Hugo frater comitis Guillemi*, multique alii.

[a] lib. 65. n. 68.

Generensis ecclesia dicatur.

Eodem anno Odo Generensis abbas tertius, ejus nominis secundus, idemque episcopus Oleronensis, sui monasterii ecclesiam dedicari [b] curavit. Ejus rei gratia illuc convenerunt Willelmus Ausciorum episcopus cum prædicto Odone, Bernardus præsul Bigorrensis, Sancius Lascurrensis & Bernardus Aquensis, qui ecclesiam in honorem sanctorum Petri & Pauli consecrarunt. Eorum quoque hortatu totius Wasconiæ principes *salvitatem* seu immunitatem monasterii, a Sancio comite ejus constructore firmatam, quæ pæne in oblivionem venerat, facto juramento renovarunt, in primis Beatrix comitissa Bigorrensis, Gasto vicecomes Miramontis, multique alii. Iste Odo cum Amato Burdegalensi archiepiscopo Romam adiit. Petrus de Angulis, ejus successor, multa monasterio acquisivit.

[b] Hist. Bearn. p. 356.

XLI. Urgellense B. Mariæ cœnobium instauratur.

Tunc temporis nobile & antiquum cœnobium, beatæ Mariæ Dei-genitrici, & sanctis Michaëli, Johanni-Baptistæ & Vincentio ad Nocbariam fluvium, in Urgellitana diœcesi, dicatum, a regulari ordine ad sæcularem conditionem omnino devolutum erat. Id ubi adverterunt Artaldus Palliarensis comes & Eilsonsia ejus conjux, non minus pietate, quam dignitate opibusque insignes, qui sacra delubra, sicubi interissent, instaurare studebant, prædictum cœnobium in pristinum statum restituunt, & Richardi S. Victoris Massiliensis abbatis consilio ad pristinam vivendi formam regulamque revocant; atque ab eo, ejusque successoribus informandum committunt. Ita legitur in Indiculo rerum Aragonensium. Zurita scribit, universim datam fuisse Richardo potestatem redigendi monasteria comitatus Urgellitani ad regularem normam, ex qua longe prolapsa erant; adeoque abbates & monachos in illis pro arbitrio instituendi, ejiciendique rebelles & contumaces.

Tarasconensis cella.

Eidem sancti Victoris monasterio Urbanus II. hoc anno, III. idus Septembris Tarascone transiens, quoddam prædiolum confirmavit, ante portas ejusdem castri positum, quod comitissa Stephania, cognomento Dulcis, pro anima filii sui Bertranni comitis, sancto Victori martyri & Richardo abbati, ejusque successoribus ad construendam ecclesiam & cœmeterium concesserat. quem locum Urbanus ipse, assisten-

ANN. CHR. 1096.

tibus sibi tribus cardinalibus, & abbatibus sancti Victoris & Montis-majoris, aqua lustrali adspersit, manu propria benedixit, atque in eo crucem erexit, multas eis gratias concedens, qui aliquid subsidii ad illius ecclesiæ constructionem promovendam conferrent.

XLII. Urbani acta Tolosæ & Nemausi.

Dum Tolosæ moraretur pontifex, Moissiacense obiter lustravit cœnobium, ubi venerabili Hugoni abbati Cluniacensi litteras III. idus Maii dedit in gratiam sancti Orientii prope Ausciam monachorum, quibus jus cœmeterii confirmavit. Inde Tolosam reversus, Bellilocense apud Lemovices monasterium, ubi disciplina regularis penitus defecerat, eidem Hugoni reformandum commisit. Tunc etiam sancti Saturnini ecclesia consecrata fuit ab ipso pontifice IX. kal. Junii, assistentibus Bernardo Toletano, Amato Burdegalensi archiepiscopis, aliisque præsulibus. Ibidem agitata fuit controversia de ecclesia sanctæ Gavellæ [a] opidi, quam Clusenses monachi tunc possidebant. Reclamarunt præsente Urbano canonici sancti Stephani majoris ecclesiæ canonici, opponentes donationem illius ecclesiæ sibi factam ab Hugone episcopo & Lupone præposito: quibus mortuis per incuriam canonicorum ecclesia illa devenisset in manus laïcorum, qui eam Clusensibus monachis contulerant. Hinc canonici monachis litem intentarunt, quæ res Benedictum abbatem Tolosam venire coëgit: sed nihil tunc definitum. Postmodum vero, cum Urbanus Tolosæ versaretur, proclamationem hac de re fecerunt canonici; tandemque consilio Bernardi Tolosani archiepiscopi *in manu Isarni Tolosæ episcopi* statutum, ut monachi viginti solidos annui census canonicis redderent: at monachis detrectantibus, in id demum ventum est, ut, si censum denegare pergerent, ecclesia canonicis cederet.

[a] Catel. Occit. lib. 5. p. 873.

Tolosa egressus pontifex, variis Septimaniæ locis perlustratis, Nemausum venit, ubi concilium habuit, in quo statuta Claromontensis, aliorumque confirmata. In eo quoque actum de variis monasteriorum causis. In his VII. idus Julii composita controversia Figiacensium [b] & Conchensium monachorum, statutumque, ut suus utrique loco abbas concederetur. Triduo post Raimundus comes coram pontifice ac frequenti concilio, vallem Flavianam cum omnibus honoribus & consuetudinibus, a se quoquomodo ablatis, Odiloni S. Ægidii abbati restituit. Ad hæc Berengarius Tarraconensis præsul Bernardo Ripulleosi abbati satisfecit pro violatis illius monasterii privilegiis, quæ in posterum se observaturum promisit. In eodem concilio Guibertus sancti Germani Antissiodorensis abbas ab Humbaldo ejusdem urbis episcopo variorum criminum insimulatus est, & convictus; ideoque dignitate privatus: cujus pastoralem baculum Urbanus episcopo dedit, tradendum futuro abbati, quem ex Cluniacensi vel ex Casæ-Dei vel Majori-monasterio assumi præcipit ad restituendam eo in loco regularem disciplinam, ea lege, ut electus superiorum ditioni eximeretur. cui conditioni cum refragarentur Cluniacenses, triennio vacavit abbatialis sedes, dum tandem sanctus Hugo se exorari permisit, ut inferius videbimus. Pridie idus Julii pontifex monasterium sancti Martini a Campis Cluniacensi monasterio asseruit; eodemque die ad proximum sancti Ægidii cœnobium divertit, ubi Ripullensium & Baloeolensium monachorum privilegia confirmavit.

[b] Sæc. 3. Bened. parte 2. p. 448.

Juviniaco datum privilegium.

Ex urbe Nemauso pontifex ad monasterium sancti Ægidii in valle Flaviana se contulit. Illic versabatur XIV. kal. Augusti, cum apostolicæ protectionis privilegium concessit Galburgi abbatissæ monasterii sanctæ Scholasticæ Juviniacensis: de cujus origine in secundo tomo egimus. Privilegii hæc verba sunt. *Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum ecclesiarum statu satagere, & earum maxime, quæ ejus sedi specialius adhærent, & tamquam proprio jure subjectæ sunt, quieti auxiliante Domino providere. Quapropter, filia in Christo carissima Galburgis, devotionis tuæ precibus clementer annuimus, & beatæ Scholasticæ virginis monasterium, cui Domino auctore præsides, apud villam, quæ Juviniacum dicitur, constitutum sub apostolicæ sedis protectionem specialiter confovendum præsentis decreti auctoritate suscipimus. Quod videlicet monasterium egregiæ memoriæ Bonifacius marchio & ejus uxor Beatrix cum insigni filia sua domna Mathilde, beato Petro & ejus sanctæ Romanæ ecclesiæ obtulerunt.* Deinde enumeratis & confirmatis illius parthenonis possessionibus, liberam concedit eligendæ abbatissæ facultatem *secundum Deum & beati Benedicti regulam.* Ad hæc canonicos regulares vicinæ sancti Montani ecclesiæ, ut ejusdem loci sanctimonialibus in rebus sacris ministrent, idem pontifex deputat. Integrum privilegium in Appendice referendum. *Datum in monasterio sancti Ægidii apud vallem Flavianam per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis*

ANN. CHR. 1096.

cardinalis XIIII. *kal. Augusti, indictione* IV. *incarnationis dominicæ anno* M XCVI. *pontificatus autem domni Urbani secundi papæ* IX. Galburgis abbatissa, quæ hoc privilegium obtinuit, superstes fuit usque ad annum M CVI. post cujus obitum abbatia octodecim annis vacavit, quibus elapsis Hadvidis abbatissa electa est, ut videbimus ad annum M C XXVIII. quu Hadvidis jam ab annis quatuor litem babuerat cum abbate sancti Michaëlis ad Mosam de villa Spiregio. Galburgis abbatissa sine dubio ipsa est, cujus obitus in necrologio sancti Agerici Virdunensis ita notatur: VIII. *idus Martii Walburgis abbatissa sanctæ Scholasticæ, quæ quondam exstitit inclusa sancti Agerici.* quo ex loco promota fuerat ad abbatiam Juviniacensem.

XLIII. S. Antonii Ordinis Viennensis origo.

Variis dein Provinciæ locis transcursis Cabellicum venit Urbanus, ubi Guillelmi Montis-majoris prope Arelate abbatis rogatu privilegia illius monasterii & possessiones diplomate roboravit, in quo inter alia monasterium sancti Martini de Alamonte & monasterium Stabloni; necnon ecclesiam sancti Antonii exprimit. Hæc est sancti Antonii ecclesia de Mota prope Viennam, ad quam magni illius S. Antonii corpus sæculo XI. translatum tradunt: ubi erecta a Montis-majoris monachis cella cum adjuncto xenodochio, recipiendis Antoniano igne laborantibus infirmis deputato. Huic addicti primum laïci ad ministrandum infirmis, qui, cum nullis principio votis adstricti essent, & a monacbis Montis-majoris penderent, sensim religiosam societatem conflaverunt, & tandem, excusso Montis-majoris jugo, Ordinem sancti Antonii Viennensem constituerunt post multas lites, quibus referendis supersedemus. Nec etiam immoror exponendis narratiunculis, quibus S. Antonii reliquiarum translationem ex urbe Constantinopoli in Galliam factam tradunt tum Antoniani, tum Lezatenses monacbi, qui magnam earum partem se habere gloriantur.

Urbani reditus Romam.

Ex urbe Cabellico Urbanus Aptam-Juliam profectus, S. Eusebii monasterii suburbani ecclesiam nonis Augusti consecravit, Guilafredi abbatis tempore a fundamentis renovatam. Tum, Philippo rege ecclesiæ reconciliato, rebusque in Gallia bene ordinatis, alpibus transscensis, Italiam repetiit, & sub finem anni Romam rediit, ubi natalitia Domini celebravit.

XLIV. S. Vigoris cella S. Benigno data.

Hunc pontificem cum aliquando adiret Odo Bajocensis episcopus, forte ad Claromontanum concilium profecturus, Divionem accessit, ibique in sancti Benigni cœnobio a Jarentone abbate [a] honorifice acceptus est. Huic beneficio ut aliquam rependeret vicem, adhortante insuper Willelmo Bajocensis ecclesiæ decano, pariterque Richardo Rotomagensi archidiacono, *monasterium sancti Vigoris* in monte Chrismatis prope Bajocas situm, cum suis adjunctis S. Benigno donavit, secutus exemplum majorum suorum Normanniæ comitum, qui in eumdem sanctum semper impense affecti fuerant. In eadem quoque sancti Vigoris ecclesia statuit fieri suam, & omnium post ipsum Bajocensium præsulum, canonicorumque Bajocensium sepulturam. Ad hæc, si quando bic locus adeo crevisset, ut abbas ibi esset instituendus, ejus electionem a sancti Benigni abbate in ipsius capitulo fieri, & electum eidem subesse voluit. Hæc omnia Odo ad sua reversus scripto roboravit, ejusque donum confirmavit Rotbertus Normanniæ comes, Odonis ex fratre nepos, *anno* M XCVI. *indictione* IV. *anno principatus* XIX. *Rotberti ducis. Actum apud Bajocas die* XXIV. *Maii*. Eamdem donationem Urbanus papa biennio post litteris suis apud Lateranum comprobavit, & post eum Paschalis II. Non multo post idem Odo cum Rotberto duce ad sacram expeditionem profectus est.

a *Spicil. t. I. p. 474.*

Robertus de Tumbalenia abbas.

Hujus sancti Vigoris monasterii originem Ordericus [b] tribnit Odoni episcopo, qui monachos ibidem posuit, eisque religiosum & sapientem virum, Robertum de Tumbalenia, abbatem præposuit. Verum, cum Odo in carcerem a fratre suo Willelmo conjectus fuisset; prædictus abbas Romam profectus, a Gregorio papa ibidem honorifice detentus est usque ad mortem ipsius pontificis: quo mortuo, ad Montis-sancti-Michaëlis monasterium, unde assumtus fuerat, reversus est. Fundatore itaque vinculis mancipato, & abbate ad Latias partes profecto, novellus grex monachorum bac illac dispersus est, nec ullus ex eis ad idem monasterium reversus. quod fuit in causa, ut Odo Jarentoni abbati committeret bunc locum, qui deinceps cella fuit Divionensium monachorum, nunc monasterium nostræ Congregationis.

b *Orderic. lib. 8. p. 665.*

Quod attinet ad Robertum de Tumbalenia, sic dictum a quodam monte, qui Montis-sancti-Michaëlis adjacet, is est qui brevem & luculentam in Cantica canticorum

ANN. CHR. 1096.

expositionem rogatu Anastasii monachi, ut in superioribus diximus, composuit, cujus prologus, a me[a] olim editus, *Ansfrido servo Dei dilectissimo*, Pratellensi, ut quidem puto, abbati inscriptus est. Certe Richardus de Furnellis, qui Pratellense monasterium post Goisfridum rexit, e schola prodierat Roberti Tumbaleniensis, qui eum ad monachatum [b] in monasterio sancti Vigoris admiserat. Idem Robertus prolixam epistolam fratribus Montem-sancti-Michaëlis habitantibus de quodam monacho epileptico scripsit, quam epistolam in Appendice referre visum est. Tunc in monasterio sancti Vigoris quinque monachi erant ex Monte-sancti-Michaëlis, quos epilepticus ille, quasi ex cælesti oraculo serio monuit, ut ne ad suum monasterium redirent, quamdiu abbas ille, qui tunc erat, viveret. quod de Rogerio Montis abbate intelligendum puto, qui rixas cum monachis suis habuit, ac demum abbatia cedere compulsus est.

a Analect. to. 1. p. 125.

b Orderic. lib. 8. p. 709.

Goisfredus abbas Pratellensis.

Eodem tempore Pratellensi monasterio post Willelmum præpositus erat Goisfredus mox laudatus, abbas ejus loci tertius. Eo abbate, *regnante* scilicet *Willelmo magni regis Willelmi in Anglia filio, & fratre ejus Rotberto ducatum Normanniæ obtinente, quidam baro, nomine Durandus, cognomento Lepusculus, agnitione & amore venerabilis Goisfredi abbatis, venit Pratellum cum uxore sua, nomine Gurblat; fecitque inibi filium suum monachum, nomine Bosonem; deditque unam salinam & ecclesiam sancti Michaëlis de Catburgo* &c.

XLV. Episcopi ab Anselmo ordinati.

Tunc temporis, defuncto bonæ memoriæ Donato Dublinæ civitatis episcopo, a rege Hiberniæ, Murchertacbo nomine, necnon a clero & populo electus est in ejus locum Samuël sancti Albani monachus; isque *cum communi decreto* electionis ad Anselmum accessit, ut ab eo episcopus ordinaretur. Electioni & petitioni annuit Anselmus: at electum apud se aliquamdiu detinuit, ut eum diligenter ad episcopalis officii munus institueret; sicque eruditum, accepta ab eo pro more antiquæ canonicæ subjectionis professione, Wintoniæ octava die paschæ ad episcopatum promovit. Idem Hiberniæ rex cum Dosnaldo episcopo, aliisque episcopis & nobilibus viris, litteras misit ad Anselmum, quibus eum rogabat, ut episcopum institueret in urbe Watafordia, quæ jam dudum providentia & cura pastorali destituta erat; simulque ad id muneris ad eum dirigebat Malchum presbyterum, Walchelini Wintoniensis episcopi monachum, quem ab eo ordinari flagitabat. Annuit Anselmus, electumque v. kalendas Januarii Cantuariæ sacravit. Eadmerus in libro secundo historiæ novorum has litteras retulit, quibus rex & dux Dermethus ejus frater, quatuorque episcopi subscripti sunt, multis aliis omissis.

Willelmi episcopi Dunelmensis obitus.

Horum episcoporum postremus est Samuël Dunelmensis episcopus, quem prætermissum invenio in historia Dunelmensi, in qua Willelmus, illius sedis piissimus episcopus, ineunte hoc anno decessisse traditur. Hic sub finem anni præcedentis ipso die nativitatis dominicæ Windeleforæ letali morbo correptus, per octo dies gravi dolore vexatus est. Interim multi ad eum veniebant, alii ut consilium ab eo quærerent; erat enim vir magni consilii: alii ut solatium aliquod impenderent. Ex his unus fuit Anselmus, qui cum de animæ suæ salute secretum colloquium habuit. In illa morbi gravissimi conflictatione totum se divinæ permittebat voluntati, nec longiorem vitam, nec mortem petens, sed id solum, quod animæ suæ saluti conduceret. Ast, ubi se ad mortem urgeri sensit, ecclesiæ sacramentis se muniri postulavit, eaque a Thoma venerandæ memoriæ Eboracensi archiepiscopo, Walchelino Wintoniensi & Johanne Bathoniensi episcopis percepit: quibus Dunelmensis ecclesiæ monachos, quos semper tenero amore dilexerat, quam maxime commendavit. Eo in extremis posito, cum de ejus sepultura ageretur, eumque in Dunelmensi ecclesia humandum episcopi censerent; ea re audita, ille id fieri vehementer prohibuit, nolens antiquam mutari consuetudinem, ad id tempus religiose observatam, ut in illa ecclesia, in qua sancti Cuthberti corpus incorruptum requiescebat, ullius defuncti hominis corpus sepeliretur. Mutata itaque sententia, placuit illis, ut in capitulo fratrum sepeliretur. Mortuus est IV. nonas Januarii, feria quarta. Ejus corpus monachi, qui cum eo erant, Dunelmum transtulerunt, & in capitulo, uti statutum fuerat, congruo cum honore sepulturæ tradiderunt. Obiit anno MXCVI. exactis in episcopatu quindecim annis & duobus fere mensibus, anno vero tertio-decimo, ex quo Dunelmi instituti fuerant monachi. Post ejus obitum hæc sedes triennio vacasse dicitur, tumque Ramnulfus electus; eoque mortuo eadem sedes quinquennio pastore

caruisse usque ad annum MCXXXIII. quo Gaufridus regis cancellarius electus est, & post eum ecclesia ab invasore occupata & misere vexata tempore Willelmi episcopi, eo nomine secundi, quem Hugo Eboracensis thesaurarius excepit. Insigne de nostrorum Dunelmensium religione testimonium exhibet Hildebertus episcopus Cenomannensis in epistola XI. inscripta *toti conventui fratrum monasterii S. Cuthberti*: qua in epistola innuit, se apud eos olim hospitatum fuisse; adeoque optare rursus eos videre. Interim Jesu-Christo gratias agere, quod sanctæ eorum conversationis odor ex adventantium relatu ad se pervenerit. eoque confidentius ab eis orationum suffragia exposcere, quo eos supernæ Jerusalem propiores esse noverat.

XLVI. Benedicto Selebiensi abbati succedit Hugo.

Selebiense agri Eboracensis monasterium rexit ad hoc usque tempus Benedictus, ejus loci primus [a] abbas, qui, orta inter fratres simultate, illinc recessit. quod qua occasione factum sit, ex anonymo [b] Selebiensis historiæ scriptore hic exponendum. Ad communes monasterii usus octoginta ferme libras argenti congregaverat Benedictus: quo cognito, duo monachi, cupiditate impulsi, hanc argenti summam furto sustulerunt. Ex hoc facinore tantum iracundiæ concepit abbas, ut eos cum valida manu insecutus sit, & comprehensos infami supplicio multaverit. qua ex re adeo indignati sunt plerique fratres, ut eum, ut crudelem tyrannum, apud omnes infamaverint, ac demum ad regem ipsum Willelmum ejus crimen detulerint. Hinc merito commotus rex, Stephano Eboracensi abbati districte præcepit, ut Benedictum comprehenderet, comprehensumque custodiret, donec rex ipse aliud statuisset. Hac lege constrictus Stephanus, eum domum reverteretur, Benedictum obvium habuit, eoque salutato: Mallem, inquit, domine Benedicte, te alibi quam hic invenisse. Urget quippe regis imperium ut te capiam, & ad ejus nutum custodiam. quo ille audito resilit, & baculo pastorali de manu famuli ocius arrepto, neminem ad se impune accessurum minatus est. Ad hæc Stephanus, ut erat vir prudens & gravis, subridens pedem retulit, & alia via ad sua rediit. Verum Benedictus plurimorum animos in se commotos, nec facile sedandos intelligens, e monasterio discessit, reclamantibus e fratribus non paucis, & Rovecestriam, ut quidam dicunt, se recepit: ubi usque ad obitum honestissime conversatus, ibidem honorifice, sicut abbatem decebat, humatus est. Præfuit Selebiensi monasterio, quod exstruxerat, annis viginti septem.

a V. lib. 63. n. 40.

b Labbe to. 1. p. 605. & seq.

Post ejus discessum suffectus est *piæ recordationis* Hugo, monasterii præpositus, favente rege & Girardo archiepiscopo approbante, vir pius, Deum timens, multa caritate & humilitate præditus. Hic regularia ædificia, quæ prius nonnisi lignea erant, ex lapidibus refecit: quibus ædificandis ipse, *cucullo indutus operario*, lapides, calcem, & alia necessaria propriis humeris cum ceteris operariis ad murum advehere solebat. De caritate ejus & pietate id refert anonymus, quod aliorum infortunium suum esse reputabat, & penuriam sæpe passus sit, ut aliorum inopiam sublevaret. Si quando fratrem veste minus idonea indutum videret, seorsim eum advocabat, suamque ei tradebat. Sic de cibo & potu, sic de ceteris facere solitus. Ad hæc ei moris erat, ut ante prandium ingressus refectorium, primum pulmentum per omnes mensas circumferret & apponeret. Insuper singulis diebus duorum pauperum cibum de coquina acceptum ad suam ipsius mensam afferebat, ut facta cum suo cibo comparatione, districtiorem sibi cibum indiceret. Denique, matutinis officiis expletis, domum infirmorum lustrare solebat cum uno clerico infirmorum famulo, ibique psalmos & litanias recitare. quod etiam in itinere facere consueverat.

XLVII. Forestense parthenium conditur.

Actum est superius non semel de Affligemiensi apud Belgas monasterio, deque Fulgentio primo ejus abbate, cujus loci monachorum ea erat apud populares existimatio, ut non modo viros, sed etiam mulieres ad eorum imitationem accenderit. Ex earum numero fuit Oda, nobilis matrona, quæ cum filia sua Lutgarde condendo prope Bruxellas parthenoni, & ad normam Affligemiensium instituendo occasionem dedit. Giselbertus quippe seu Gillebertus miles, Odæ & Balduini Alostani filius, Jerosolymam profecturus, Fulgentio [c] abbati prædium suum prope Alostum, Merchten vocabulo, concessit, ut eo loci monasteriom in honorem beatissimæ Virginis Mariæ sub regula sancti Benedicti & Affligemiensium regimine construeretur, ubi mater ejus Oda cum filia sua Lutgarde religiosam vitam duceret. Actum hoc ipso anno, quo ad sacram expeditionem profecti sunt occidentales, & cum ipsis Giselbertus. Exstant hac de re litteræ [d] Fulgentii abbatis, in quibus ait, prædictum Giselbertum ab Hasnoniensi abbate comparasse alodium illud, & Affligemiensi ecclesiæ tradidisse, eo pacto,

c Mir. orig. Bened. p. 163.

d id. cod. donat. c. 69.

ANN. CHR. 1096.

» ut illic ecclesia & claustrum in honorem beatæ Mariæ Virginis construeretur pro ma-
» tre sua Oda & filia Lutgarde; & ut fratres ætate & moribus maturi ex Affligemio ibi-
» dem collocarentur, ut ea quæ ad divina officia & res temporales pertinent, sancti-
» monialibus illis procurarent. His ita dispositis, statuta eidem loco præscripsit Fulgentius, in his, ut sanctimoniales illæ ordinem Marciniacensium, ab Hugone Cluniacensi abbate institutarum, observarent, ita ut ibidem reclusæ degerent sub clave, quam abbas servaret, vel monachus maturus, cui eam crederet; & illæ numquam e claustro [a] exirent; professiones suas coram abbate facerent, nullique mortalium absque permissu loquerentur. Post discessum Giselberti ad loca sancta, cum Fulgentius abbas locum illum sanctimonialibus non satis aptum & commodum advertisset, eas in locum Bruxellis proximum, Forestum * nomine transtulit, sibi traditum a Francone castellano Bruxellensi & ab Odone Cameracensi episcopo, primamque ejus loci præfectam instituit domnam Bertildam, quæ annis amplius triginta ei præfuit. Processu temporis a Guidone Cameracensi episcopo avulsum est hoc monasterium ab Affligemiensi, sed tamen permissum abbati, ut quovis anno bis illud visitaret; &, si quid illic emendandum esset, episcopo suggererer.

[a] *V. lib.* 68. *n.* 101

* *Vorst.*

XLVIII. Fulconi Corbeiæ abbati succedit Nicolaus.

Sub finem anni M XCV. e vivis excessit Fulco abbas Corbeïensis in Gallia, qui rebus strenue & præclare gestis Magni cognomen consecutus est. Mortuus est nonis Decembris sepultusque in sancti Andreæ sacello, qnod ad construendam novam ecclesiam jam eversum est. Eo moriente Corbeïense monasterium ab avita nobilitate non parum decidisse testatur in martyrologio Nevelo monachus illius temporis hoc distticho:

Ut Corbeïa bono caruit Fulcone patrono,
Cœpit destitui nobilitate sui.

Non tamen impigre vices suas explevit Nicolaus ejus successor, ex præposito creatus abbas. Is quippe ab Urbano II. confirmationem privilegiorum sui monasterii obtinuit, dato diplomate Turonis VIII. kal. Aprilis, anno M XCVI. & post a Paschali II. ejusque jura contra Rotbertum Flandriæ comitem super præpositura Walnensi * propugnavit. Ejus quoque caritas enituit erga leprosos, quibus domum exstruxit, reditusque assignavit

* *Vualnoi.*

Odelricus an Corbeiæ abbas.

Hariulfus in actis sancti Gervini abbatis Centulensis mentionem facit de quodam adolescente castri Augensis in Neustriæ limine, nomine Odelrico, qui litteris discendis cum daret operam, gravi febrium morbo vexabatur eo tempore, quo Gervinus illuc accessit. Hoc comperto, petiit adolescens ab ejus familiaribus, ut aqua, ex qua sanctus abbas lavisset manus, sibi ad bibendnm concederetur. qua infirmus percepta & bibita, statim convaluit. tum subdit Hariulfus: *Sane hic Odelricus hodieque vivit, & apud Corbeïam monachi & abbatis habitu vel honore potitur.* Hæc scribebat Hariulfus tempore Fulconis abbatis Corbeïensis, vel Nicolai ejus successoris; nec ullus invenitur per id tempus Corbeïæ-veteris aut novæ abbas Odelricus. Hic proinde alterius cujusdam loci abbas fuisse dicendus est, sed, abdicata forte præfectura, Corbeïam se recepisse, ubi monachi & abbatis habitu & honore potitus sit, cum Hariulfus hæc scriberet.

XLIX. S. Martino a Campis data S. Gemmæ ecclesia.

Apud Parisios sancti Martini a Campis monasterio præerat ad hoc tempus Ursio seu Ursus, primus ejus loci prior, sub quo regularis discipliua apprime florebat. Ejus odore incitatus Hugo Suessionum [b] episcopus, toto illius ecclesiæ canonicorum capitulo deposcente, mutuam confederationem cum sancti Martini monachis pepigit. Ejus rei gratia eis concessit Hugo *in personatum* duo altaria, unum sanctæ Gemmæ sine ulla exactione, quæ vulgo *sonniata* dicitur; alterum *cum sonniate!* Quam ob rem Martiniani eis promisere, se canonicos vivos, ubique suis in locis, tamquam suos suscepturos, & pro mortuis eadem, atque pro suis officia persoluturos. *Sed & ipsi*, inquit episcopus, *quo sublimiores sunt, eo humilius nostræ fraternitatis participationem poposcerunt. quod nos quoque eis contulimus, ejus rei utilitatem non de nostris meritis, sed de eorum fide & Dei misericordia præsumentes. Actum in urbe Suessionica, in basilica sanctorum martyrum Gervasii & Protasii. Datum anno dominicæ incarnationis* M XCVI. *indictione* IV. In illa sanctæ Gemmæ ecclesia erecta est cella, cujus cellæ fratres & Simon prior sancti Martini de Campis [c] cum Guerrico abbate & monachis Igniacensibus concordiam inierunt super quibusdam decimis, agente Josleno episcopo Suessionensi

[b] *Hist. S. Martini p.* 398.

[c] *ibid p.* 401.

fionensi. Urbanus II. Hugoni [a] Cluniacensi abbati, postulante Ursione priore, confirmat omnes sancti Martini possessiones, diplomate dato Nemausi pridie idus Julii, indictione IV. quæ anno M XCVI. respondet. tametsi diploma præfert annum sequentem. quod etiam in aliis Urbani II. bullis observatur. Certe anno M XCVI. mense Julio, Urbanus Nemausi versabatur, non anno sequente.

ANN. CHR. 1096. a ibid. p. 148.

Eodem anno Pibo Tullensis episcopus renovavit donationem Molismensi abbatiæ ab se paullo ante factam altaris, *quod situm est in Commarceio* seu Commerciaco, *ad utilitatem monachorum inibi*, id est Molismi, *Deo famulantium*. Quia vero cœnobium illud sui juris non erat, præter solitum censum Pibo Tullensi ecclesiæ sex denarios persolvi jubet. Hoc donum renovatum dicitur anno M XCVI. indictione IV. duce Theoderico, comite Reinardo. Eamdem donationem post annos viginti confirmavit Riquinus Guidoni abbati Molismensi, ea lege ut *prior de Commarceio sex nummos* Tullensi ecclesiæ quotannis solvat. Itaque eo in loco a tempore Pibonis episcopi creata est cella, quam nunc possident patres Congregationis sancti Vitoni.

Commerciacensis cella.

In Suevia hoc item anno conditum legitur apud Bruschium Isnense monasterium intra muros Isnæ imperialis opidi ad ejusdem nominis fluviolum, in honorem sanctorum Jacobi ac Georgii. Monasterii conditores censentur Mangoldus pater, Walcherus & Wolfradus ejus filii, comites Weringenses, quorum genus exhibet Bruschius. Primus ejus loci abbas fundator ipse Mangoldus post annos quatuor a diacono suo trucidatus dicitur. Wernerum ejus successorem excepit Marquardus, qui bellum contra Fridelocum Campidonensem abbatem gessisse traditur, & cœnobium sanctæ Hildegardis (sic Bruschius Campidonense vocat, ab Hildegarde regina fundatum) in ditionem ac potestatem redegisse, sed post sex horas ab eodem abbate cum dedecore inde ejectum fuisse. Hæc parum religiosa illius cœnobii initia, quod adhuc exsistit. Et tamen idem Marquardus primum Ursinensi monasterio abbatem dedisse perhibetur.

L. Isnense monasterium conditur.

Hoc etiam anno duo nostri Ordinis abbates pietate insignes obiisse memorantur a Bertholdo; Sigefridus scilicet Scafusensis abbas, vir *magnæ prudentiæ & admirabilis benevolentiæ*, qui ad Dominum migravit V. kal. Novembris, magno sui omnibus relicto desiderio: cui venerabilis Gerhardus successit, Bertholdo alias Gebehardus dictus, haud scio an typographi errore. Hic anno sequenti, Urbani papæ permissu, præfecturam abdicavit, ut cum Cruce-signatis ad loca sancta proficisceretur: cui demum sepulcri dominici custodia commissa. Is est Gerhardus abbas, cui Beraldus presbyter librum de vitandis excommunicatis & lapsis reconciliandis, deque conciliorum & pontificum auctore, a Tegnagello editum, inscripsit. Paullo ante Sigefridum decesserat *Liutfridus sanctæ recordationis abbas de monasterio sancti Martini*, an Weingartensi, *jam pene triginta annis mundo crucifixus, & Deo vivus*, qui plenus dierum pridie kal. Maii diem clausit extremum.

Sigefridi & Liutfridi abbatum obitus.

Trithemius in fusiori historia Hirsaugiensi refert ad hunc annum originem monasterii Reinhausensis *, quod in Saxoniæ partibus, non longe ab opido cognomini, in diœcesi Moguntina constructum fuisse scribit, ubi multi deinceps monachi religiosissimi claruerint: sed monasterii conditores reticet. Primus ejus abbas Reinhardus in divinis scripturis versatissimus fuisse dicitur ab eodem Trithemio, qui quosdam ejus commentarios in Isaïam, in Ezechielem, in Job & in omnes beati Pauli epistolas se vidisse testatur. Insuper addit, eum non solum in omni scientiarum genere eruditum fuisse, sed etiam sanctitate coruscasse & miraculis, quæ usque ad Trithemii tempus in illius monasterii ecclesia fiebant, maxime in eos, qui caduco morbo laborabant.

LI. Reinhausense monasterium. * Reinhausen.

SUb finem hujus anni, id est VI. kal. Januarii obiit Richerius episcopus Senonensis, cum annis fere triginta quinque illam ecclesiam rexisset. Paullo ante obitum fratribus suburbani sancti Petri monasterii, cujus abbas Hermuinus eodem anno apud Mauriacum [b] V. idus Julii decesserat, significari curavit, ut se vivente abbatem eligerent. Electus ab eis Arnaldus omnium minimus, humili ortus genere, quem Richerius admonuit, ut sibi commissos bene regeret, quorum unus ipse esse volebat; eique corpus suum in eadem abbatia humandum commendavit. quod tamen aliter, quam ipse jusserat, evenit. nam prævalente, inquit Clarius, ecclesiæ sancti Petri æmulorum invidia, in ecclesia sancti Stephani humatus est, postquam sua omnia clericis & monachis atque egenis distribuisset. Eo mortuo post dies octo electus est Daimber-

ANN. CHR. 1097. LII. S. Petri Vivi abbates. b Spicil. to. 2. p. 748. & seq.

ANN. CHR 1097.

tus, ipsius ecclesiæ vicedominus, nobilis & clarus: at pastorali benedictione anno uno & duobus mensibus caruit, Romæ demum ab Urbano pontifice consecratus: cujus anno undecimo hæc scribebat Clarius sancti Petri monachus, qui Deum testatur, numquam abbatiam sancti Petri quietiorem & tranquilliorem fuisse. Cur tam diu Daimberti consecratio dilata sit, docet nos Ivonis epistola LXV. ad Urbanum papam: nimirum quod impediretur ab Hugone Lugdunensi archiepiscopo, *quia ei jure primatus sui*, qui in concilio Claromontano assertus fuerat, *ante consecrationem suam, obedientiam profiteri* recusaret.

LIII. Latiniacensium lis cum episcopo Parisiensi.

In hac epistola Ivo Guillelmum Parisiensem episcopum, Simonis de Monte-forti filium, & Bertradæ fratrem, qui recens Gaufrido successerat, pontifici commendat; » eumque rogat, ut Guillelmum episcopum apostolicis litteris muniat contra Latinia» censem abbatem, ejusque monachos, *qui nescio qua*, inquit, *libertate suos excessus* » *tuentur, & subjectionem Parisiensi ecclesiæ debitam, & hactenus exhibitam, contra ca*» *nonicam institutionem de cervice sua excutere moliuntur.* Tum subdit, monachos illos hujusmodi esse, quibus magis necessaria sit subjectio quam libertas: *quibus si decem millia pædagogorum in Christo ad custodiam deputarentur, vix tamen sic regularis continentiæ legibus ligarentur.* Ex quibus intelligitur, Latiniacenses monachos (si rem non auget Ivo, ut non raro solet agendo de monachis) vitæ solutioris tum fuisse. Sic tamen pontificis moderandam, temperandamque cupit sententiam Ivo, *ut nec Parisiensis ecclesia suo jure minuatur, nec Latiniacense monasterium aliquod gravamen a Parisiensi ecclesia indebite patiatur.* Qua in re sita esset hæc controversia, nobis incompertum. Latiniacensi monasterio adhuc præerat Arnulfus abbas, de quo non semel in superioribus actum est.

LIV. Fossatenses vitæ laxioris.

Melioris conditionis non erat Fossatense agri Parisiensis monasterium, cujus abbas Walterius cum pravos monachorum suorum mores emendare frustra conaretur, præfecturam abdicare animo constituerat. Huic frater erat Raimbertus monachus, qui Ivoni episcopo fratris sui propositum, quod forte non probabat, aperuit, ipsique, ut fratri hac de re scriberet, persuasit. Huc spectat Ivonis epistola XXVI. qua Walterium admonet, ut ne quid agat imprudentius, neu pietatis ac religionis specie *facile præfecturam abjiciat*, immo verbis & exemplis bonos ad meliora provocet; improbos corripiat, ac patienter toleret, omnesque amet. Quod si omnes penitus disciplinam non recipiant; tunc demum exemplo sancti patris sui Benedicti gregem indocilem deserat. *Audivi*, inquit, *a fratre tuo, monasterii nostri monacho, quod exteriorum tribulationum crebra infestatione vexatus, & propter indisciplinatam monasterii tibi commissi conversationem quodam tædio tabefactus, onus tibi impositum disponas deponere, & in otium te conferre, magis eligens in imo salvari, quam in summo periclitari. Et hac forsitan bona intentio est, sed summa & frequenti deliberatione pensanda: ne angelus satanæ, transfigurans se in angelum lucis, sub hoc pallio piæ intentionis te a rectitudinis tuæ statu dejiciat, & sic paullatim ad perpetranda aliqua inordinata latenter inducat. Nam si aliquibus ibi prodesse potes, non est sanum consilium, ut fratres tibi ordinate commissos inordinate relinquas: sed omnem sollicitudinem tuam intus & foris illis impendens, bonos verbo & exemplo ad meliora provoces, malos corrigendo toleres; omnes communiter ames. Sicut* » *enim ait beatus papa Gregorius*: IBI *æquanimiter portandi sunt mali, ubi aliqui reperiun*» *tur boni. Si autem apud te omnes ita sunt suæ salutis inimici, ut penitus sit inutilis labor tuus; consulo fraternitati tuæ, ut, relicta terra maledicta, ad terram benedictam te conferas, ubi etsi non alterius, tuæ saltem saluti provideas.* Raimbertum illum, Walterii fratrem, Souchetus aliique canonicum regularem fuisse putant Belvacensis sancti Quintini abbatiæ, cui præfectus fuerat Ivo, antequam ad episcopatum promoveretur; propterea quod Raimbertum monasterii sui monachum fuisse dicit. At si ita esset, vereor ut monachum appellaturus fuisset; crediderimque potius eum sancti Petri apud Carnutas monachum exstitisse. Sed id parum interest.

LV. Vindocinensium concordia cum comite.

Hoc ipso anno idem Ivo episcopus controversiam composuit, ortam inter Goffridum Vindocinensem abbatem, & Gaufridum de Pruliaco comitem Vindocinensem, qui quasdam indebitas exactiones a Vindocinensibus extorquebat. Cum eo res devenisset, ut in apertam discordiam verteretur, Ivonem diœcesanum episcopum ad eam componendam invitavit Goffridus abbas, quod ille feliciter executus est, ut ejus litteræ testantur, quæ sic habent.

Ivonis hac de re epistola.

Ivo Dei gratia Carnotensium episcopus, universis sanctæ Dei ecclesiæ filiis pacem & quietem.

ANN. CHR. 1097.

Quotiens ecclesiarum causæ a quibuslibet terminantur, aportet & necesse est uc episcopus in cujus diœcesi ecclesia sunt de quibus agitur, testis advocetur, quatinus ejus judicio & testimonio causa ipsa finiantur, & finita prorsus sopiantur. Hujus rei Goffridus Vindocinensis abbas non immemor, in quibusdam causis, quas aduersus Gaufredum de Pruliaco, comitem scilicet Vindocinensem, habebat, præsentiam nostram, prout decebat, advocavit, ut videlicet concessione ac voluntate nostra causis suis finem imponeret. Gaufredus siquidem comes a terris monasterio Vindocinensi pertinentibus contra apostolica privilegia consuetudines exigens, & in eisdem terris contra fas exactiones imprimens, quas prædecessores suos tenuisse asserebat, multis modis abbatem & monachos infestabat. Goffridus igitur abba non solum mala facientes, sed & mala facientibus consentientes qualiter Scriptura exterreat non ignorans, sibique animæ periculum imminere non dubitans, si temporibus suis ecclesiam sibi commissam servitute deprimi sub silentio pateretur; multorum etiam apostolicorum privilegiarum, quæ nihil omnino subjectionis ecclesiam Vindocinensem potestati sæculari debere prohibent, auctoritate securus, contra comitem placitari disposuit. Sed nos, ne per placitum ad aliquod malum devenirent, metuentes; ipsius, ut superius dictum est, vocatione abbatis Vindocinum venimus cum quibusdam clericis nostris, aliis etiam prudentibus viris; comitem super hoc ad rationem misimus, monentes scilicet ne ecclesiam, quam prædecessores sui, viri prudentes, ab omni prorsus consuetudine liberam exstruxerant, & B. Petro apostolorum principi in proprium alodium obtulerant, in servitutem vellet redigere, nec in ea Deo servientes inquietare; sed potius de bonis suis studeret ampliare. His itaque monitionibus nostris comes cum diu obstitisset, tandem adquiescens, & libertatem ecclesiæ, sicuti continetur in privilegiis quæ coram ostensabantur, recognoscens, quidquid consuetudinis vel exactionis antea in terris sanctæ Trinitatis reclamaverat, nobis præsentibus nihil omnino retinens, in manu nostra totum dimisit. Hoc enim quod injuste exigebat, justitia prævalente obtinere non poterat. Huic consuetudinum vel exactionum dimissioni & privilegiorum concessioni hi quorum nomina subscripta videntur, affuere. Ipse Ivo episcopus, ipse comes Gaufredus, Robertus archidiaconus &c. *De monachis S. Trinitatis domnus Goffridus abbas, domnus Cartaldus monachus* &c. *De monachis S. Launomari Bernardus abbas, Haimericus de Aquile monachus* &c. *De militibus Bartholomæus de Insula, Petrus Chotardus* &c.

LVI. Ebrardus ex canonico monachus; an denuo possit esse canonicus. a Ivo ep. 52.

Tunc temporis decanus Carnutensis ecclesiæ erat Gaufridus, ad quem prædictus Ivo scripsit de quodam Ebrardo, ejusdem ecclesiæ canonico, qui factus Majoris-monasterii monachus, denuo ad canonicalem statum reverti volebat. Interrogatus hac de re Ivo [a] respondit in hunc modum. *De Ebrardo hoc tibi respondeo, quia cum morum acerbitate, & tam actuum suorum, quam verborum importabili præsumtione confratres suas frequenter offenderet, hoc modo licentiam ab eis promeruit, & hoc tantum, ut monachus Majoris-monasterii maneret, obtinuit. Qui ergo contemto clericatu ad monasterium confugit, & e converso contemto monasterio iterum ad clericatum adspirare contendit, non mihi facile suscipiendus videtur ab his, quibus vita & doctrina & moribus nondum fuit manifestus. Si ergo hujusmodi persona intrusione te sentiris prægravari, libera est tibi facultas refutandi.... Hoc tamen consulo tibi, ut abbatem Majoris-monasterii, cujus adhuc monachus est, commonefaciatis: quatinus prædictum Ebrardum a tali ambitione compescat, ac regulari severitate, si sit necesse, coerceat. Licet enim eum abbatem fieri consenserit, non tamen eum a jugo monasticæ disciplinæ liberavit.*

Quinciacensium lis cum Majori-monasterio. * de Puisoaux.

Erat tunc temporis Ebrardus prior de Castro-Ledi, sub Bernardo Majoris-monasterii abbate; erat quoque Ebrardus de Puteolis * monachus Majoris-monasterii, uti discimus ex quadam controversia, quæ tempore Bernardi abbatis agitata fuit inter Majoris-monasterii & Quinciaci in pago Pictavensi monachos de cella sancti Benedicti de Asenaïo diœcesis Lucionensis, tempore Alberti abbatis ab Arnulfo & Techilde conjugibus constructa, eique tradita, quam Quinciacenses sui juris esse contendebant; seque eam possedisse tempore abbatum suorum Gualterii, dein Johannis viri sanctissimi, qui tunc eremiticam agebat vitam; & in ea posuisse particulam corporis sancti Benedicti confessoris, cujus corpus apud se quiescebat. Hæc controversia primum ventilata est in curia episcopi Pictavensis, agentibus pro Majori-monasterio Hilgodo ex episcopo Suessionensi, Guillelmo ex archidiacono Namnetensi, Ebrardo de Puteolis olim domino, Majoris-monasterii monachis, & Radulfo priore. Hæc disceptatio dilata fuit ad proximam synodum circa pentecosten, quæ, absente Petro episcopo, & necdum reverso a concilio Romano, quod Urbanus papa cele-

ANN. CHR 1097.

bravit, coram Amato Burdegalensi episcopo habita est in festo sancti Petri: sed nihil in ea definiri voluerunt canonici, donec episcopus rediisset. Hic demum reversus, Bernardum abbatem citavit ad causam dicendam ad festum sancti Lucæ. Adfuit abbatis vice Bernardus prior cum Hilgodo mox laudato, & Radulfo antea priore; adfuere quoque Stephanus abbas Nucariensis & Garnerius abbas, forte Quinciacensis. Hilgodo facta potestas perorandi pro Majori-monasterio, cujus in gratiam episcopus sententiam dixit. Goffridus Vindocinensis abbas in quadam ad Ivonem epistola [a] mentionem facit de domno Ernaldo, *quem decanum*, inquit, *vestrum dicitis*, apud Vindocinenses itidem facto monacho, sed ad priorem statum reverso, *qui si sibi secundum justitiam placuisset*, teste floccello *de capite suo, potius in nostra forte, » quam in vestra manere debuisset.* Nimirum qui ex canonicis facti fuerant monachi, uti » observat hunc in locum Sirmundus, hi, si ad canonicos redibant, cucullam dein» ceps ad memoriam ex Urbani II. decreto deferebant. unde cucullam illam *memorialem* appellabant, notante Cangio.

a *Goffrid. lib. 2. ep. 7.*

LVII. Sablolio & Burgulio factæ donationes. * *Sablé.*

Hoc ipso anno Rotbertus Burgundus, Sablolii * castri apud Cenomannos dominus, Jerusalem ad sacram expeditionem profecturus, ad Majus-monasterium divertit: ubi honorifice a monachis exceptus est. Postera die in capitulum ingressus, ut se fratrum precibus commendaret, domno Rodulfo Carnutensi, tunc Majoris-monasterii priore, loco Bernardi abbatis absentis præsidente, in memoriam revocavit quasdam donationes, quas nuper Sablolii monachis, partim per manus Bernardi abbatis, partim per manum domni Alfredi prioris Sabloliensis, annuente filio suo Rotberto & Berta conjuge sua fecerat; easdemque confirmavit per anulum quemdam aureum, quem in manu Rodulfi prioris posuit, & sequenti die idem donum super altare iteravit. His assensit Rainaldus de castro Credonio, ejusdem Rotberti filius.

Tunc etiam Ademarus Ecolisinensis episcopus ecclesias Graciaci, & beatæ Mariæ de Bello-loco monasterio sancti Petri Burguliensi tradidit per manum Baldrici abbatis, eo pacto ut monachi die ordinationis suæ, quæ est idibus Maii, dum ipse viveret, annuum censum quinque solidorum Engolismensis monetæ persolverent; & post ipsius mortem eamdem summam singulis annis redderent anniversario ejus obitus die. *Actum Engolismæ in capitulo sancti Petri, anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi* M XCVII. *indictione* V. *eodem videlicet anno, quo pene universa christianitas in Turcos commota, pars ejus innumera ad expugnandum paganismum Jerusalem cucurrit, regnante Domino nostro Jesu-Christo sine fine & sine principio.* Nulla hic mentio facta Philippi regis, qui tunc excommunicatus censebatur.

LVIII. Aldebertus archiepiscopus Bituricensis obit.

In chronico Dolensi obiisse traditur Aldebertus decimus-sextus abbas Dolensis & archiepiscopus Bituricensis, cum annis quinque Bituricensem ecclesiam rexisset, Dolensis abbatiæ regimine retento. Dies ejus obitus non omnino exploratus in Patriarchio Bituricensi, ubi pridie nonas Septembres, alias v. idus ejusdem mensis vivendi finem fecisse dicitur. Varia ejus epitaphia composuit Baldricus, qui eum virum sanctum dicit, & utrique loco, Bituricensi & Dolensi, regendo sufficientem; ac demum juvenilibus annis obiisse. Eo mortuo in monasterio Dolensi orta dissensio de successore deligendo. Tunc enim id accidisse videtur, quod superius ex Ivone retulimus de Bernerio Bonæ-vallis monacho, quo ad Dolensem abbatiam electo turbæ illic excitatæ. Verum ejus electio non tenuit, sed prælatus Geraldus [b] decimus-septimus abbas Dolensis: cui post biennium suffectus Hugo tantum ad tres annos, quem Johannes excepit, eo nomine primus: cujus tempore Dolensis ecclesia a Paschali II. consecrata est.

Dolenses abbates.

b *Labbe bibl. to. 1. p. 476 & to. 2. p. 741.*

Hoëlli episcopi & Johelli abbatis obitus.

Multos alios eodem fere tempore mors sustulit, quos funebri carmine idem Baldricus commendavit. In his commemorandi nobis sunt Hoëllus Cenomannensis episcopus, & Johellus seu Joëllus abbas sancti Petri de Cultura-Dei apud Cenomannos, qui hoc anno e vivis excesserunt. Primus obiit Johellus abbas, cujus memoria VI. nonas Julii in necrologio ponitur. Eodem mense, eodemque anno decessit Hoëllus episcopus, qui in extremis agens, post unctionem in lecto decumbens, encaustum ad crucem faciendam postulasse dicitur, quo Johanni abbati sancti Juliani Turonensis villam Boanam, quæ ecclesiæ suæ feudum erat, confirmavit. Obiit IV. kal. Augusti, ut in actis [c] episcoporum Cenomannensium legitur, sepultus in capitulo monasterii sancti Vincentii ad lævam Wlgrini episcopi. Ambos simul versibus in rotulo Cenomannensi celebrat Baldricus in hunc modum.

c *Analect. to. 3. p. 302.*

Singultus

ANN. CHR. 1097.

Singultus duplices rotularis pagina profert:
Primum namque Johel, denique flevit Hoël.
Abbas alter erat, alter fuit ordine præsul:
Hi Cenomannis sol scilicet exstiterant.
Hos quoque morte pari medico Deus attigit ambos,
Ut sint translati sidera magna poli.
Amborum pariter nobis exempla refulgent:
Ambo nunc nostras irradient tenebras.

Alia quæ sequuntur prætereo, atque duo Hoëlli epitaphia eodem auctore. Bernardus Majoris-monasterii abbas societatem ante triennium inierat cum Johello abbate, cujus successor ignotus.

LIX. Hildebertus fit episcopus Cenomannensis.

Longe illustrior fuit Hoëlli successor in sede Cenomannensi, scilicet Hildebertus, alii scribunt Ildebertus, eruditione & scriptis non minus quam dignitate insignis. Hic ex Lavarzinensi castro, mediocribus quidem, sed honestis ortus parentibus, ab Hoëlo episcopo Cenomannensis ecclesiæ scholarum magister & archidiaconus factus, communi cleri populique assensu in ejus locum substitutus est, vir utique moribus placidus, verbo & actione modestus, qui in episcopali munere nihil de studio litterarum detraxit, immo sacrarum litterarum lectioni propensius incubuit. Ita fere de eo auctor, qui de gestis episcoporum Cenomannensium scripsit. Minus favorabile de eo præjudicium habuit Ivo episcopus in epistola a Baronio ex veteri [a] editione relata, *Hildeberto Cenomannensis ecclesiæ electo* inscripta, in qua accepisse dicit ab eis, qui anteactam ejus vitam noverant, quod ultra modum luxuriæ fræna laxasset etiam post acceptum archidiaconatum. quæ si vera essent, periculosa hæc esse & infinitum laborem paritura. Consulat itaque sibi secundum testimonium conscientiæ suæ, ut vel honeste & caute cœpta perficiat, vel saluti suæ consulens, sponte ipse deficiat, id est electionem de se factam refutet. Ut Hildebertum ab hac calumnia purget Souchetus, observat hanc epistolam in codice Victorino, non Hildeberto, sed Aldeberto inscriptam esse; aliasque Ivonis epistolas ad Hildebertum in quibusdam codicibus præcedere, quæ subindicant hanc posteriorem vix posse eidem recte inscribi. Verum, ut ingenue fatear, hæc epistola non alii quam Hildeberto inscribenda mihi videtur; idque persuadet ratio temporis, & archidiaconi dignitas, quæ Hildeberto competebat. Certe qui de Hildeberto scriptam epistolam pertinacius neget, is, Sirmundi [b] judicio, clausis oculis sibi credi velle censendus est. At nihilominus falsam esse hanc criminationem credere par est, utpote ab eis allatam, quorum *nec consilio fuerat electus, nec consensu*, ut ipsemet Ivo testatur. Horum antesignanus fuit Helias comes, qui Goisfredum Britonem, decanum ejusdem ecclesiæ ad episcopatum promovere volebat, ex Orderico [c]. Nondum quadraginta ætatis annos excesserat Hildebertus, cum ad honorem episcopatus promotus est. Unde metuens, inquit vetus ejus gestorum scriptor [d], ne caro, more suo semper adversus spiritum concupiscens, vigorem spiritus sui blanditiis emolliret; cœpit corpus suum cibi & potus parsimonia, stratus duritia, ac cilicii asperitate domare, vigiliis & orationibus insistere, &, secundum Prophetam, per singulas noctes lectum suum lacrymis rigare; &, si quæ fuerant juventutis delicta, eleemosynarum largitione redimere. Cum vero ad altare sacrosancta mysteria celebraturus accederet, totus compungebatur in lacrymis; sicque in spiritu humilitatis & in animo contrito salutarem hostiam divinis conspectibus offerebat. Mensæ quoque ejus pauperes & peregrini semper fuere participes: quibus quolibet sabbato, Salvatoris nostri exemplo, pedes lavare consueverat. Hunc *beata vita* episcopum prædicat Goffridus Vindocinensis abbas [e] in titulo epistolæ secundæ ad eum scriptæ. tametsi in aliis epistolis de eo queritur. Primo sui pontificatus anno Hildebertus Lamberto sancti Nicolai apud Andecavos abbati confirmavit ecclesias ad suam diœcesim spectantes, & cum ejus loci monachis societatem iniit. Idem etiam obtinuit a Goffrido [f] Vindocinensi abbate, qui eum huic beneficio parum gratum fuisse conqueritur. Hæc dicta sint, ut qualis fuerit in episcopatu Hildebertus, omnes intelligant.

An monachus.

Non desunt qui eum Cluniacensem monachum fuisse existimant; quo in numero chronographus [g] Cluniacensis ait, eum fuisse discipulum & monachum sancti Hugonis, dein promotum ad episcopatum, ac scripsisse vitam ejusdem S. Hugonis magistri

[a] Ivo. ep. 179. al. 177.
[b] Sirm. in Goffrid. lib. 3. ep. 11.
[c] Orderic. lib. 10. p. 77.
[d] Analect. to. 3. p. 104.
[e] Goffrid. lib. 3. ep. 14.
[f] ibid. ep. 17.
[g] Bibl. Clun. p. 1641.

ANN. CHR. 1097.

& abbatis sui. Verum vix mihi persuadeam eum fuisse monachum sive ante, sive post episcopatum. nam ante episcopatum Cenomannensis ecclesiæ scholarum magister, dein archidiaconus tantum fuisse dicitur, non monachus; & in Turonensi archiepiscopatu vitam finivit. Illud certum & exploratum, eum habuisse in votis, ut, abdicato episcopatu, fieret Cluniacensis monachus sub sancto Hugone, si per summum pontificem ipsi licuisset. quod ipse diserte testatur in epistola XXIV. ad eumdem Hugonem: *cujus sinum*, inquit, *quasi reus jamdudum complexus essem, si consultus papa pontificis onus amoliri permisisset*. Verum id nec permisit papa, nec Hildebertus executus est. Certe in prologo ad vitam sancti Hugonis, quam Pontio Cluniacensi abbati ejus successori dicavit, ne verbum quidem de monastica sua professione dicit; neque in ipsa vita, ubi agit de congressu & colloquio Hoëlli antecessoris sui apud Cluniacum, ubi sanctus Hugo Hoëlli archidiaconum episcopum fore prædixit. *Nos hoc audivimus*, inquit Hildebertus, *nos præsentes vidimus, nos beati illius viri orationum participes in illo fuimus colloquio*: nusquam vero se ejus monachum fuisse dicit.

LX. Abbates Belli-locenses.

Sub id tempus in Belli-locensi apud Loccas pagi Turonensis monasterio electus est abbas, Petrus nomine, cujus electioni, haud scio quo jure, interfuit Goffridus de Maduana episcopus Andecavensis. Hic etiam eum consecraturus erat, cum ad eum scripsit [a] Goffridus Vindocinensis abbas, qui Petri electionem minime probabat: propterea quod Guillelmo cuidam, ab se ob bona monasterii sui abstracta excommunicato, communicaverat. Petri itaque ordinationem tantisper suspendi postulabat Goffridus abbas, dum cum episcopo hac de re colloquium habuisset. Quid exinde consecutum sit, ignoramus, nec quidquam aliud de illo electo habetur in tabulis monasterii Belli-locensis, cui Bertrannus præerat initio pontificatus Paschalis II. a quo privilegium obtinuit, uti & Fulco ejus successor.

a Goffrid. lib. 3. ep. 1.

LXI. Bernardus Tiron. a S. Savini monachis quæsitus fugit.

Cum Bernardus Tironiensis sub Guillelmi nomine apud sanctum Medardum in pago [b] Andecavensi cum Petro eremita latuisset; missi a sancti Savini monachis exploratores, qui eum per silvarum latibula & montium recessus perquirerent, tandem locum, ubi latebat, comperiunt, idque sodalibus suis renuntiant. Tum vero a Pictavensi episcopo & sancti Cypriani abbate mandata sigillis munita exposcunt, ut Bernardum ab illa eremo abstraherent, sibique abbatem præficerent. quod ubi per Hugonem monachum Bernardo innotuit, mox ille ad marinas insulas fugere constituit, ut saltem pelagus occultaret, quem terra celare & abscondere non poterat. Fugit itaque cum nonnullis sociis, quorum uni quidam eremita, eorum inopiæ compatiens, decem & octo nummos ad viaticum dedit. quo cognito, vir Dei non mediocriter idignatus: Aut meus, inquit, socius non eris, aut hos nummos ferre desines.
» An vero pauperiem sub divite Christo metuas? Certus sis, nihil tibi ex necessariis
» defuturum, si regnum Dei primum ex animo quæsieris. His dictis, nummos illos pauperi, qui obvius factus est, dari præcepit, ex hoc lætior, quod pauper pauperem Christum sequeretur. Tum vir Dei cœptum iter persequitur, & ad quamdam Britannici maris insulam, quam veteres Causeum * vocant, Constantiæ urbi ad decem fere milliaria objacentem, trajicit: ibique ab hominum penitus consortio remotus, absque foco, sine socio, tribus annis in summa rerum mortalium oblivione degit, solis herbarum crudis radicibus vitam sustentans. Forte quidam piratæ ex Aremorica Britannica cum tribus armatis ratibus duas Anglicanas naves, mercibus onustas, navali prælio expugnaverant, & mercatoribus captivis abductis, in prædictam insulam ventorum procella deportati erant. Captivis compassus Bernardus, eos a prædonibus relaxari rogat: at nihil obtinet. Illis discedentibus ardentes pro captivis preces ad Deum & ad beatissimam virginem fundit Bernardus. Jam fere ad portum appulerant, cum, reflante ventorum tempestate, horrendis jactati procellis, quæ instantem mortem intentabant, tandem votis Deo factis ad Causeum insulam reportantur, & ad nutum Bernardi captivos liberos dimittunt, ejusque precibus vento secundo ad propria redeunt. Inter ea sancti Savini monachi, dum Bernardum nusquam reperiunt, alium sibi rectorem præponunt: sed tandem Petrus de Stellis, comperto loco, ubi Bernardus lateret, eum ab illa insula abstrahit, ut inferius dicturi sumus.

b lib. 68. n. 63

* Chausey.

LXII. Navenses abbates.

Post Evrardum abbatem, cujus superius [c] facta mentio est, Navensi sancti Sulpicii monasterio præfuit Theduinus seu Tuinus abbas, cujus tempore, & quidem anno MXCVII. quidam vir nobilis ac dives, nomine Sarlo, filiique ejus Achardus & Sarlo, ac filia Maria S. Sulpicio ecclesiam Monestelli, quam idem Sarlo ejusque frater Eumenus

c V. lib. 64. num. 71.

ANN. CHR. 1097.

clericus jam donaverant, denuo contulerunt, ut spiritualium illius monasterii beneficiorum essent parricipes, & in claustro fratrum honorifice humarentur. Idem Sarlo paullo post, Jerosolymam profecturus, quasdam vineas & alia prædia *Deo & S. Sulpicio ac dulcissimis*, ut ipse loquitur, *monachis*, in eleemosynam dedit. Hoc ipso anno Constantinus quidam, ejusque frater Salvaticus eidem loco quasdam res tribuunt, accepto pretio quadraginta solidorum, ea tamen lege, ut *mille missas* pro anima fratris sui Aimerici celebrent monachi, & unum e filiis suis & heredibus in perpetuum ibidem monachum pro ejusdem animæ salute admittant. Adscriptum est inter alia signum *nobilissimæ & prudentissimæ dominæ Nantildæ, uxoris Arpini*, quæ hanc donationem confirmavit. Arpinus seu Harpinus iste princeps erat urbis Bituricæ, quam rex Philippus ab eo redemisse dicitur. Eidem instrumento subscribit etiam Stephanus Maidunensis, qui sub Eudone Theduini successore monachus factus, se suaque omnia S. Sulpicio dedit, ut suo loco videbimus. Eodem quoque Theduino abbate Arnulfus S. Sulpicii monachus eremiticam vitam in ecclesia sancti Johannis de Calmis duxit cum Ebrardo eremita, qui locum illum ab Odone abbate incolendum acceperat, Jerosolymam profectus non semel, relicto in illa ecclesia Anselmo.

LXIII. Adelelmus abbas Burgis obit.

Actum est superius [a] de Adelelmo Casæ-Dei monacho & ad breve tempus abbate, qui in Hispaniam a Constantia Alfonsi VI. conjuge evocatus, Burgis [*] in suburbana ædicula sancti Johannis Evangelistæ consedit, ibique extremos vitæ dies absolvit. Morti proximus, Petro Pampilonensi episcopo, qui ex monacho sancti Pontii Tomeriarum ad illam sedem promotus fuerat, conscientiam aperuit suam, ceterisque sanctæ ecclesiæ munitus sacramentis, ad oratorium S. Johannis se deferri præcepit: ad cujus ingressum, hunc Psalmistæ versum protulisse dicitur: *Deus, in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me.* tum vili ad corpus exomide seu cilicio cinctus, & in cinerem provolutus, osculo cruci impresso, animam Deo commendavit, sicque obdormivit in Domino; post triduum sollemni ritu sepultus in sancti Johannis oratorio, ubi miracula ad ejus tumulum patrata referuntur. Eum ut patronum colunt Burgenses III. kal. Februarii, eodemque die nostri in monasterio Casæ-Dei. Ejus corpus usque ad annum MCCCCLXXX. jacuit in prædicto sancti Johannis oratorio, quo anno translatum est in novam ecclesiam, quam Burgenses extra urbis muros sub ejus nomine construxerunt. Illud autem oratorium conversum est in parochialem ecclesiam, subjectam S. Johannis [*] monasterio, quod a monachis Casæ-Dei possessum fuit ad annum usque MCCCCXXXVI. quo tempore Congregationi Vallisoletanæ ab Eugenio IV. unitum est; ejusque loci prior abbatis demum titulo insignitus. Libellum de vita S. Adelelmi [*] scripsit Rodulfus Casæ-Dei monachus ejus æqualis.

[a] *lib. 65. n. 36.*

[*] *Burgos.*

[*] *S. Juan de la Vega.*

[*] Vulgo *S. Elême.*

LXIV. Santonensis concilii decretum pro Vindocino.

Apud Santonas habitum est hoc anno concilium, præsidente Amato Burdegalensi episcopo & sedis apostolicæ legato, in quo Oleronensis S. Georgii ecclesiæ restiturio, Vindocinensibus anno superiori [b] facta, synodali decreto confirmata est. Hæc autem confirmatio facta dicitur *in concilio apud Santonas anno ab incarnatione Domini* MXCVI. secundum veterem calculum, *indictione* IIII. (lege V.) VI. *nonas Martii*. Subscribit Amatus in hunc modum: *Ego Amatus Burdegalensis archiepiscopus, sanctæ Romanæ sedis legatus, subscripsi, & per præsentis crucis signum hoc privilegium monasterio Vindocinensi confirmavi in concilio apud Santonas, & ibi omnes hujus sancti privilegii violatores excommunicavi; & mecum pariter abbates, qui affuerunt quadam nomina* 

archiepiscopi, episcopi, numero XLIII. *quorum subscribi voluimus.*

[b] *V. supra n. 38.*

Subscribunt post ipsum Raimundus Ausciensis archiepiscopus, Rotlandus Dolensis archiepiscopus, Ramnulfus Santonensis episcopus, Hildebertus Cenomannensis, Goffridus Andecavensis, Marbodus Redonensis, Simon Aginnensis, & Petrus Pictavensis: ex quibus Raimundus Ausciensis & Marbodus Redonensis anno superiore post mensem Marrium ad pontificatum promoti sunt. Unde recte inferas, hoc concilium ab editoribus conciliorum male referri ad annum MXCVI. Certe prædicta restitutio, quæ hoc decreto ante pascha confirmatur, eo anno [c] post pascha sancita fuerat ab Urbano apud Santonas.

[c] *supra n. 39.*

ANN CHR. 1097.

Lis de monasterio S. Æmiliani.

In eodem concilio ventilata est controversia inter canonicos S. Æmiliani prope Burdegalam, & Nantoniacenses monachos, uti discimus ex canonicorum litteris ad Urbanum papam datis, conquerentium, Nantoniacenses, qua vi, qua pretio, monasterium suum invadere moliri. Hoc monasterium, olim monachorum, temporum lapsu in laïcorum manus devenerat; sed anno M LXXX. Goscelino archiepiscopo ab eis restitutum, sæcularibus canonicis commissum fuerat. Paullo post quidam Nantoniacensis monachus, ut prædicti canonici in litteris ad pontificem narrant, Petri vicecomitis consanguinei sui auctoritate fretus, locum pecuniæ pretio comparare tentavit; sed, re infecta, abbas sancti Benedicti Nantoniacensis, adhibito sancti Florentii monacho, cujus germanus frater proconsulatum tenebat, multo pretio prædictum monasterium acquisivit, pulsisque canonicis, monachos suos illuc induxit. Hoc comperto, Burdegalensis archiepiscopus, monachos & Petrum proconsulem, simoniæ reos, anathemate multavit; præcepitque ibidem restitui canonicos, qui Fronciacum, asportato sancti Æmiliani corpore, se receperant. Restitutis eo loci canonicis, forte contigit, ut unus eorum ad monasterium sancti Dionysii orationis causa tenderet. qui a Nantoniacensibus in itinere comprehensus, & in carcerem conjectus est, tam diu detentus, quoad illi sexcentos solidos ab eo extorserunt. Cum hac de re præsenti synodo Santonensi proclamassent canonici, a patribus constitutum est, ut canonicis Nantuacenses facerent satis. Inducias ad sequentem diem petiit Nantoniacensis abbas, obtinuitque. Verum postera die fuga evasit. Tunc, judicante Auscienſi archiepiscopo, omnis cujusvis placiti locus ab episcopis ei interdictus est. Rem ita narrant canonici in litteris ad Urbanum, penes quos sit fides. Demum Arnaldus-Guiraudus, Burdegalensis post Amatum archiepiscopus, canonicos regulares sancti Augustini ex Stirpensi abbatia in eum locum induxit, quibus Aimonem abbatem præfecit. Nunc locum occupant canonici sæculares. Ex his emendanda sunt nonnulla, quæ de illo sancti Æmiliani monasterio in secundo tomo [a] dicta sunt.

[a] lib. 14. n. 16.

LXV.

Rotberti abbatis S. Remigii causa examinata.

Ad hunc annum M XCVII. revocanda est causa Rotberti abbatis sancti Remigii apud Remos, in synodo Remensi a Manasse archiepiscopo agitata. Quæstio erat an Bernardo Majoris-monasterii abbati, cujus antea monachus fuerat, subjectus esse deberet nunc abbas, ejusque correctioni obnoxius, uti contendebat Bernardus, qui multa ab eo inordinate gesta fuisse causabatur. Re ad synodum Remensem delata, secundum Bernardum sententia dicta est a Manasse archiepiscopo, qui Bernardo favere, & in Rotbertum non bene affectus esse videbatur. Ab hac sententia Rotbertus provocavit ad Urbanum papam: cui Lambertus Atrebatensis præsul latæ in synodo sententiæ rationem reddidit, scripta [b] ad eum epistola, qua pontifici significat, convenisse Remis provinciæ coëpiscopos & abbates a metropolitano convocatos, ubi » inter cetera negotia reclamaverit domnus Bernardus Majoris-monasterii abbas ad- » versus Rotbertum sancti Remigii abbatem, contestans se eum nec per se, nec per » alium, Remensi ecclesiæ liberum, nisi salva professione & subjectione Majoris-mo- » nasterii contradidisse. quod ita constare domnus archiepiscopus asseruerit. Adjecisse » insuper Bernardum abbatem, quod cum multa de prædicto Rotberto abbate per- » peram fieri comperisset, eum primo per epistolam, postmodum per idoneos homines » submonuisset, ut condicto die ac tempore in capitulo Majoris-monasterii se sisteret; » alias Bernardus ipse sententiam in eum proferret, tamquam violatæ professionis » reum, & sanctæ Regulæ contemtorem. Ipsum autem Rotbertum, consulto archie- » piscopo, hoc ab eo responsum accepisse, Bernardo ut obtemperaret: sin minus, qua- » lem in eum sententiam ferret, eamdem ab se confirmandam. Cum vero ad præfi- » xum diem in Majori-monasterio non adfuisset Rotbertus, excommunicationis sen- » tentiam in eum fuisse prolatam. quibus in synodo expositis, *judicatum est ab episco-* » *pis & abbatibus, alterius monachum ab archiepiscopo non esse retinendum, sed prorsus in* » *potestatem abbatis sui redigendum.* In fine rogat Lambertus, ut, si forte inobediens & » excommunicatus ille, qui apostolicam sedem appellavit, pontificem adierit, ne au- » diatur *contra judicium episcoporum, contra religionem abbatum*: sed ut synodalis sen- » tentia pontificali auctoritate confirmetur.

[b] Baluz. Miscell. to. 5. p. 304.

LXVI.

Remensis synodi sententia rescissa.

Post episcoporum judicium Rotbertus ad Urbanum profectus est, sine dubio commendatitiis amicorum litteris munitus. Supplicantis preces & rationes benigne audiit pontifex, synodique Remensis sententiam cassam & irritam declaravit, scriptis ad Manassem archiepiscopum litteris, quibus hoc decretum pronuntiat, emanci-

patum semel a suo abbate monachum, ut ad abbatiam promoveatur, ejus deinceps dominationi & correctioni non esse obnoxium. Hoc autem pontificis judicium Lamberto Atrebatensi episcopo significavit [a] Rotbertus *S. Remigii abbas*, ut se ipse dicit, *expulsus*; contestaturque, se absolute a Majoris-monasterii abbatis dominationis jugo absolutum fuisse. Cum vero nec sic Rotbertum restituere vellet Manasses, Baldricus Burguliensis abbas, quem forte præceptorem habuerat, eum Odoni Ostiensi episcopo & cardinali, cujus magna erat apud papam auctoritas, versibus commendavit. Is, præmissis Odonis laudibus, magnopere eum rogat, ut Rotbertum sancto Remigio reddat, perperam vexatum ab archiepiscopo Remensi, qui Philippo regi, adulterii reo, contra fas die festo coronam imposuit. Sic enim Baldricus Odonem compellat.

a ibid. 15

Rotbertus Odoni cardinali commendatus a Baldrico.

Unicus est, Odo, mihi filius, immo coabbas,
Pro quo devotus adsto tuis pedibus.
Namque manum super hunc nimis aggravat ille Remensis,
Iram qui papæ funditus emeruit.
Imposuit siquidem regi diadema [b] Philippo:
Nunc & in hoc papa negligit imperium.
Propterea fundo mea viscera, funditus, Odo,
Ut mihi perficias hanc tibi rem facilem.
Abbatis partem sustentes ordine recto,
Ut restauretur filius ille meus.
Quod confirmavit in eo Romana potestas,
Inconvulsum sit, permaneatque ratum.
Et potes, & debes, nisi me contemseris, Odo,
Abbatem sancto reddere Remigio.

b V. Ivon. ep. 84.

Hæc scripsisse videtur Baldricus post Urbani judicium, quod Romæ hoc anno latum fuisse discimus ex tabulario Remigiano in hæc verba: *Anno ab incarnatione* M XCVII. *postquam de Galliis Urbanus papa Romam redierat, misit litteras Manassi Remensi episcopo, non priori simoniaco deposito, sed successori* (post Rainaldum) *Manassi catholico, pro Roberto abbate S. Remigii, qui monachus fuerat S. Martini Majoris monasterii, in quem diœcesani episcopi Remensis ecclesiæ præjudicium fecerant, dicentes eum de judicio & justitia abbatis sui pendere, & ejus obedientiæ & disciplinæ subesse debere, & de eo in capitulo suo, sicut de monacho suo tractare. quod his verbis cassavit Romana ecclesia, & Romanæ sedis apostolicus.* URBANUS *episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri M. Remensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Abbatis sancti Remigii causa in præsentia nostra & confratrum nostrorum episcoporum & cardinalium diligentiori discussa est inquisitione, & ad hunc tandem finem perducta. Judicium episcoporum prolatum super eum cum hac ratione reprobatum noveris: quia postquam filius a patre emancipatus est, sub curam & dominationem patris redire districtione legum non cogitur, nisi sponte ipse rogaverit. Promotionem* [c] *enim abbatis emancipationem accipimus; & ideo sub potestatem abbatis redire non debere judicamus.* Hinc est, quod monachus ad episcopalem & abbatialem dignitatem promoveri non potest nisi cum sui abbatis consensu & emancipatione (quam emancipationem non ad capitulum, sed ad solum abbatem pertinere docet Bernardus in epistola CCLII.) qui *emancipatorias litteras* electo concedere debet, quarum formulam in probationibus [d] ad Pœnitentiale Theodori videre licet. Cum vero abbas ipse ad episcopatum assumebatur, totius conventus requirebatur consensus, qualem Anselmo Cantuariensi electo concesserunt [e] Beccenses. Plura hac de re apud eruditissimum Cangium in Glossario, ubi de emancipatione. Tanta licet auctoritate munitus, in abbatiam non fuit restitutus Rotbertus, obsistente indubie Manasse archiepiscopo; cujus aversum animum reformidans Rotbertus, Jerosolymam profectus est, ejusque expugnationi se interfuisse testatur in libris, quos de expeditione Jerosolymitana composuit in cella Senucensi, ubi privatus degebat, eosque B. abbati, an Burchardo, qui in ejus locum in abbatia Remigiana suffectus est, dicavit. De ejus nihilominus restitutione & destitutione Burchardi abbatis actum est anno MC. in concilio Pictavensi: ast, utroque rejecto, abbatialis dignitas Azenario meritissimo pastori cessit.

LXVII. Monachi emancipatio penes abbatem.

c V. S. Bern. ep. 87.

d Pœnit. Theod. to. 1. p. 143.

e Anselm. lib. 3. ep. 6.

Quod attinet ad Odonem episcopum Ostiensem & cardinalem, is ad illam dignitatem promotus fuerat post Urbani electionem, qui eam tenebat. Monachus fuerat,

LXVIII. Odo episcopus Ostiensis ex monacho.

ANN. CHR. 1097.

ut iste, Cluniacensis, teste Baldrico, a quo multis elogiis oneratur, dictus ab eo *pontificum decus*, *regula morum*, *consilium papæ*, *regula justitiæ*, *ecclesiæ robur*, *& columna*, cujus notitiam se accepisse dicit Baldricus per amicum suum Widonem, per quem hos versus ad Odonem mittit. Hunc Odonis seu Urbani in summo pontificatu, ut in episcopatu, successorem futurum falso vaticinatus est poëta, uti ambo Cluniaci monachi fuerant. Sic enim canit falsus vates.

> *Odoni factus heres in pontificatum,*
> *Mox in papatum substituendus eris.*
> *Hoc locus, hoc nomen, hoc signat copia linguæ.*
> *Hoc alti sensus præcinit integritas.*
> *Innuit hoc habitus tunicatæ religionis:*
> *Vos ambos idem Cluniacus genuit.*
> *Ambos vos fovit, vos Ostia sustulit ambos:*
> *Alter papa fuit, nec minus alter erit.*

Exstant ipsius Odonis versus ad Baldricum abbatem, ex quibus intelligitur, eum poësi delectatum & pro tempore instructum fuisse. Nec plura de Odone, quem ejusdem cum Urbano generis fuisse nonnulli opinantur, sed nullo fundamento. Certe id non omissurus fuisset Baldricus, qui eum in ceteris cum Urbano data opera comparat.

LXIX. Noveii cella conditur.

Ea erat Silvæ-majoris monachorum fama religionis, ut non modo ad vicinas, sed etiam ad longius positas regiones, Hispaniam & Angliam pertingeret. Non mirum proinde si pervenerit ad Belgicam secundam, ex qua sanctus Geraldus Silvæ-majoris institutor & primus abbas ortus erat. Hac fama incitatus Hugo Regitestis comes cum Milesinde uxore & filiis suis alodium Noveii *, duabus leucis ab urbe Regiteste * situm, aliaque prædia Silvæ-majoris monachis contulit, ubi cella ejusdem instituti constructa est. Hujus donationis litteras refert Marlotus [a] datas *Regiteste castello*, anno ab incarnatione Domini M XCVII. indictione V. quibus apposita sunt signa *Godefridi comitis castelli Porcensis* *, ut in sinceris exemplaribus legitur, *Othonis comitis de Warch*, *Didonis de Setona* *, *Alberici filii Haeri*, *Manassedis filii comitis Hugonis testis & auctoris hujus donationis*, *& Walteri præpositi de Balbe*, quem locum Hugo iisdem quoque monachis largitur. Huic cellæ præerat anno M CXLVI. Arnaldus prior, quo tempore Guiterius seu Witerius Regitestis comes Braquensis ecclesiæ ad Mosam præbendas cum ipsa ecclesia per manum Samsonis archiepiscopi eidem Arnaldo priori & cellæ ejusdem loci tradit, assentiente Beatrice ipsius conjuge, suisque filiis. qua de re cum orta esset controversia pontificatu Alexandri III. eam pontifex Hugoni Suessionensium episcopo & Petro abbati sancti Remigii dirimendam commisit: qui, auditis utrimque partibus, Braquensem ecclesiam monachis adjudicaverunt, restituentes eis præposituram & præbendam, quas Gossedus de Maceriis & Johannes filius ejus occupaverant. Hanc cellam modo possident Patres Congregationis sancti Vitoni, qui novum loco splendorem, novaque ædificia reddiderunt.

* *Novy.*
* *Retel.*
[a] *Marlot. to. 2. p. 219.*
* *de Chateau-Porcien.*
* *Stonne.*

LXX. Petri Abaelardi prima facta.

Hoc tempore Guillelmus de Campellis *, sic dictus a cognomine Briegensis pagi opido, ex quo ortus erat, dialecticam in urbe Parisiorum docebat, multosque habebat auditores, in his Petrum Abaëlardum, de cujus vitæ primordiis hic quædam præmittenda sunt ad res subsequentes illustrandas. Is se ipse depingit in historia, ut ipse vocat, calamitatum suarum, ex qua sequentia depromemus. Natus est Petrus Abaëlardus in opido Palatio *, quod in aditu minoris Britanniæ octo ab urbe Namnetica milliariis orientem versus remotum est. Patrem habuit Berengarium, militaris seu nobilis generis, litteris utcumque imbutum, antequam militari cingulo insigniretur, qui demum sub finem vitæ monachus factus est; Luciam matrem, quæ & ipsa secuta est mariti exemplum. Hi Petrum primogenitum suum litteris priusquam armis instrui curarunt: ille vero litterarum studia militari prætulit gloriæ, quam cum hereditate & primogenitorum prærogativa fratribus suis reliquit. Dialecticæ in primis studiosus, varias perambulavit provincias, ubicumque illius artis studia vigere intellexit; sed tandem Parisios pervenit, ubi Guillelmum de Campellis, qui tunc in hac urbe excellebat, magistrum habuit. Ut erat acris ingenii & in arguendo petulantis, cum magistro primum acceptissimus fuisset, brevi ejus indignationem & condiscipulorum æmulationem & invidiam in se concitavit. Tum ingenio suo nimium confi-

* *de Champeaux.*
* *Palais.*

Discidium cum Guilelmo de Campellis.

sus, scholarum magisterium adhuc *adolescentulus*, obnitente incassum Guillelmo, apud Melidunum * oppidum obtinuit; nec multo post scholas transtulit ad castrum Corbolium *, quo Parisiacæ urbi vicinior esset. Illic cum frequentes haberet discipulos, ex immoderato studiorum labore infirmitate contracta, in patriam regressus est: at ubi convaluit, Parisios reversus, dialecticæ discendæ causa, iterum se contulit ad scholas Guillelmi, qui, regularium clericorum habitu suscepto, in suburbio sancti Victoris Martyris scholas tenebat. Inter disputandum frequens cum eo Petri conflictus erat de Universalibus, de quibus Guillelmus ita sentiebat, *ut eamdem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse adstrueret individuis.* quæ sententia Petro haud probabatur, qui Nominalium sectam præferebat. unde Otto Frisingensis eum Roscelini fuisse discipulum scripsit, rametsi Petrus nusquam id diserte dixit. Si ei credimus, ex his conflictibus sententiam suam Guillelmus correxit. quæ res adeo ejus existimationem imminuerit, ut illius discipuli, eo relicto, ad Petri scholas convolaverint. Hinc nova in Petrum invidia, qui Melidunum denuo scholas transferre coactus est: at, cum Guillelmus ad villam suburbanam se contulisset, reversus ille Parisios, in monte S. Genovefæ docere cœpit. quo audito, Guillelmus in urbem regressus est: sed a discipulis relictus, non post multum tempus, *quasi jam ulterius de mundana desperans gloria, ipse quoque ad monasticam conversus est vitam:* sive id intelligendum sit de monachorum instituto, ita ut istud Willelmus canonicali, quod jam professus erat, prætulerit: sive de regularibus S. Victoris exercitiis, quibus se totum, relicto scholarum magistratu, mancipaverit. Hildeberti prima epistola *Willelmo de Campellis* in libris manu exaratis inscripta est, cui gratulatur quod, ecclesiasticis dignitatibus omissis, elegerit abjectus esse in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum: at non probat, quod ipsi a quibusdam persuasum fuisse dicit, *ut ab omni lectione*, id est docendi munere, *penitus abstineat.* Quod tamen resumsisse non videtur, paullo post promotus ad episcopatum Catalaunensem, id est anno M C XIII. ut scribit Albericus, & forte paullo citius.

ANN. CHR. 1097.
* Melun.
* Corbeil.

Hic non levis occurrit difficultas, quo pacto Willelmus, qui episcopus anno saltem M C XIII. factus est, canonici regularis babitum in suburbano sancti Victoris monasterio induisse dici possit, cum illud monasterium ipso tantum anno a Ludovico VI. conditum fuerit. Certe id diserte attestantur versus ab ipsis canonicis regularibus antiquitus editi, & vulgati apud Chesnium [a]: ubi hoc monasterium a Ludovico VI. conditum fuisse dicitur.

S. Victoris abbatiæ origo.
a Chesn. to. 4. p. 317.

In cella veteri trans flumen Parisiorum.

quod veterem traditionem confirmat, scilicet hic ante id tempus extitisse cellam sancti Victoris Massiliensis. Annus porro diserte exprimitur hoc disticho.

Christi centeno cum mille decem & tribus annis,
Templum hoc Victoris struxit regalis honoris.

Certe Sugerius in libro de ejusdem regis vita, sancti Victoris *monasterium a fundamentis* [b] ab eo constructum fuisse asserit, sed annum non exprimit, quem tum ex præmissis versibus, tum ex illius loci vetustis documentis certo discimus. Quo igitur pacto, inquam, Willelmus illic habitum canonicalem induere potuerit longe ante illum annum, quo jam Catalaunensis episcopus erat? Sed hæc forte ita conciliari possunt, ut Rex Ludovicus eo loci monasterium anno M C XIII. a fundamentis construxerit, ubi ante id tempus canonici regulares illa *in veteri cella* degebant; eumdemque locum in abbatiam erexerit, præposito illic primo abbate Gilduino, cui, teste Sugerio, *familiarius confitebantur.* Huc spectare possunt prædicti versus, qui sic incipiunt:

b ibid. p. 310.

Illustris genitor Ludovici rex Ludovicus,
Vir clemens, Christi servorum semper amator,
Institui fecit pastorem canonicorum
In cella veteri trans flumen Parisiorum.

De his hactenus.

Interea Berengario Petri Abaëlardi parente facto monacho, mater ejus Lucia, quæ monasticum quoque institutum amplecti volebat, eum in patriam reverti compulit. quo facto, ille in Franciam, ut theologicam doctrinam addisceret, iterum

ANN. CHR. 1097.

rediit. quo tempore Guillelmus Catalaunensem episcopatum adeptus est, scilicet anno M C XIII. quo loco cetera Petri facta persequemur, ubi eum ad Anselmi Laudunensis auditorium profectum ostendemus.

LXXI. An auctor epistolæ contra Roscelinum.

Ex his dubitare licet, an Petrus Abaëlardus auctor sit vulgatæ inter ejus opera epistolæ cum bac inscriptione: *G. Dei gratia Parisiacæ sedis episcopo, unaque venerabili ejusdem ecclesiæ clero, P. debita reverentia subjectionem sempiternam.* In illa epistola » auctor, quisquis sit, sibi relatum fuisse ait a quibusdam suorum discipulorum, catbo» licæ fidei bostem illum antiquum, cujus hæresis in concilio Suessionensi damnata » fuerat & exsilio punita, multas in se contumelias & minas evomuisse viso quodam » opusculo suo *de fide sanctæ Trinitatis*, quod auctor ipse contra ejus bæresim compo» suerat; eumque ipsius Parisiensis episcopi reditum exspectare, ut hoc opusculo la» tentes hæreses demonstraret. qnod si ita sit, rogat epistolæ auctor, ut statuto loco » & tempore, se præsente, coram episcopo res dijudicetur. Interim addit Deo se gra» tias agere, quod summum Dei inimicum & fidei labefactatorem, in fide contrarium » perferat; & quod in numero bonorum hominum babeatur ex ejus infestatione, » quem solis bonis semper infestum esse constat. Quippe qui *contra egregium illum præconem Christi Robertum de Arbrisello contumacem ausus est epistolam confingere, & contra illum magnificum ecclesiæ doctorem Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum adeo per contumelias exarsit, ut ad regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia sit ejecta, & vix cum vita evaserit.* Hæc epistola Petro Abaëlardo tributa est, tum quia ejus nomen a littera P. incipiat, tum maxime quia nullus ejus nominis ac temporis auctor inveniatur, qui de sancta Trinitate scripserit præter Petrum Abaëlardum, cujus Introductio ad Tbeologiam ab ipso inscribitur, [a] *Tractatus de Unitate & Trinitate divina.* Verum hæc epistola scripta videtur longe antequam Abaëlardus tbeologiæ studuisset, nedum antequam prædictam introductionem composuisset. Hæc quippe inscripta est Parisiensi episcopo, cujus nomen a littera G. incipiebat, adeoque, vel Goscelino, qui anno M XCV. decessit, vel Guillelmo, qui non ultra annum M CI. superstes fuit, & Fulconem successorem habuit ad tres annos. Saltem ex bis argumentis patet, falsum fuisse Cbesnium, qui in notis ad banc epistolam ait, eam ad Gosfridum episcopum scriptam esse: certumque est eam Guillelmo inscribi non posse, qui anno M CI. mortuus est, cum necdum rebus tbeologicis dedisset operam Abaëlardus. Verum dubitare licet, num Galoni episcopo, qui Fulconi episcopo anno M C IV. successit; an Gerrico, qui anno M C XVI Galonem excepit, inscribi possit. Quocirca observandum est, Abaëlardum non ante annum M C XVIII. suum illum de Trinitate tractatum composuisse, cum jam monacbus esset Dionysiani monasterii, ad quod anno circiter M C XVI. se recepit. Hinc locus Galoni præcluditur, qui ipso anno e vivis excessit, eodemque anno Rotbertus de Arbrisello. Superest ut hæc epistola Gerberto inscripta dicatur. Verum cum superstite Rotberto de Arbrisellis edita sit, & forte vivente Anselmo archiepiscopo, ut ex textu mox relato colligi potest, qui anno M C IX decessit, hæc epistola vix Abaëlardo ac ne vix quidem tribni posse videtur. Accedit quod Abaëlardi opusculum de Trinitate nequaquam scriptum videatur contra Roscelinnm, quem nusquam nominat, & cujus sectam, id est Nominalium doctrinam videtur adoptasse. Hanc epistolam Abaëlardo affirmate adjudicant Bulæus in tomo I. bistoriæ Universitatis Parisiensis, & Gerardus a Bosco in historia Parisiensis ecclesiæ.

a *Abaël. bist. calam. c. 9.*

LXXII. Hugo fit abbas Flaviniacensis

In Burgundia Flaviniacense monasterium jam septem annis pastore destitutum erat post mortem Rainaldi, Burgundiæ ducis Fratris, qui ultimus illam abbatiam obtinuerat. Tunc contigit, Jarentone Divionensi abbate in reditu ex Anglia [b] adbuc in Nortmannia morante, in cujus comitatu Hugo monacbus erat, ut Berardus archidiaconus Lugdunensis consecraretur in episcopum Matisconensem ab Hugone Lugdunensi archiepiscopo, assistentibus Haganone Æduensi & Walterio Cabilonensi episcopis, qui ad exsequias Landrici Matisconensis episcopi convenerant. Illic conquestus est Hagano de Flaviniacensis ecclesiæ desolatione, petiitque ab Hugone archiepiscopo, nt prædictus Hugo monachus, qui ipsi familiarissimus erat, illic abbas institueretur. quod vix obtinuisset, nisi canonicorum & laïcorum preces accessissent. Ubi archiepiscopus assensit, missus est Cabilonensis episcopus ad Jarentonem abbatem, qui jam Divionem redierat, ut apostolica auctoritate ejus consensum & Hugonis obeditionem eliceret. Confirmata electione, & condicto ad consecrationem

b *V. supra n. 27.*

crationem die, electus adiit archiepiscopum, qui ejus anxietatem plurimum consolatus, eum ad Haganonem episcopum, consecrandum remisit, scriptis ad eum litteris, quas ipse Hugo refert, in quibus hæc verba. *Quæsistis a nobis multa sedulitate & instantia carissimum fratrem nostrum, Divionensis ecclesiæ monachum Hugonem, quem nobis assumseramus, cujus nos sedulitati credebamus, immo cujus lingua vox nostra erat; & quod quæsistis, ab invito & nolente quasi extorsistis. Electionem igitur ejus a vobis factam apostolica auctoritate confirmantes, consecrationem ipsius pro debito vestro vobis imponimus; certum habentes, quia, & si corpore absentes sumus, spiritu præsentes ad honorem Dei per Christum in Spiritu-sancto consecrationi eidem intererimus, & fideles vobis cooperatores erimus.* His litteris Haganoni redditis, Hugo electus Flaviniacum profectus est hoc ipso anno, x. kal. Decembris, die festo sanctæ Cæciliæ, & postera die abbas consecratus anno ætatis tricesimo-secundo. Hic est Hugo monachus, qui cum Rodulfo sancti Vitoni abbate, ceterisque ejusdem loci fratribus, a Theoderico Virdunensi episcopo pulsus, Divionem [a] cum illis se recepit ad Jarentonem abbatem, cujus hortatu stabilitatem suam ibidem firmavit. Is statim a sua ordinatione monasterii rebus sarciendis ac recuperandis animum adjecit, quæ omnia fuse in chronico suo commemorat: in his Brutinus dominus castri, *quod olim Sedunum*, rectius Pseudunum, *nunc Blismurus* [*] *dicitur*, reddidit ecclesiam ejusdem castri cum suis adjunctis, quo de loco alias egimus.

a lib. 66. n. 96.

* Bremur.

LXXIII. Alsense monasterium & Balernense conduntur.

Inter varias donationes, quæ Molismensi ecclesiæ tempore sancti Rotberti ejusdem loci abbatis primi factæ sunt, censendus est fundus Alsensis seu Alpensis, cujus donatio in veteri instrumento Molismensi ecclesiæ facta fuisse dicitur ab Humberto comite, Giraldo de Alingia, & Gislone milite, ut ibidem cella fieret. Tum ejus loci religiosi fratres, *sancti patris nostri Benedicti præceptis artius inhærere volentes*, a Molismensibus postulasse abbatem sibi ex eorum cœtu præponi, qui eos secundum regulæ præscripta regeret, & Molismensis abbatis correctioni obnoxius esset. Si quando vero ejus loci monachi a regula defecissent, hic locus denuo in cellam converteretur. Id porro definitum legitur *a domno Roberto Molismensium abbate primo in præsentia subscriptorum, domni scilicet Widonis, in eodem loco primitus in abbatem constituti, Alberici Molismensis prioris, Walteri monachi, Liescelini monachi, Stephani quoque monachi*, cujus manu id scriptum est; confirmatum a domno Roberto Lingonensi episcopo, & a Guidone Genevensi episcopo; eidemque pacto assenserunt *Humbertus comes & Girardus de Alingia, & Gislo miles, a quibus nobis*, inquiunt Molismenses, *est ille locus attributus. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini millesimo* XCVII. *indictione* IV. (lege V.) *pontificatus domni Urbani secundi papæ anno nono.* His litteris apposita sunt signa Roberti Lingonensis episcopi, & Guidonis Lingonensis. Hoc est Alpense monasterium, diœcesis Genevensis, ad cujus monachos Alpenses exstat sancti Bernardi epistola CXLII. qui tum recens ab ordine nigrorum monachorum ad Cistercienses transierant.

Eodem fere tempore conditum fuit Balernense Vesontionensis diœcesis cœnobium, ad Cistercienses quoque processu temporis translatum: cujus loci monachi cum Alpensibus anno MCX. controversiam habuerunt, quam Rotbertus Molismensis abbas eodem anno composuit, ut suo loco videbimus. In libro de vita ejusdem sancti Roberti vir Dei ad locum *Hauz* profectus dicitur, ut quosdam eremitas, qui illic degebant, inviseret, & consiliis suis instrueret. Dubitavi aliquando an id intelligendum sit de Alpensi loco; an potius de alio loco, dissito a Molismo quinque tantum leucis, *Hauz* etiam nunc dicto, ubi tres solitarii, Boso, Johannes & Milo, habitasse perhibentur; quod prædium est hactenus cœnobii Molismensis. Porro ex prædicto instrumento manifestum est, qood alias [b] observavi, Albericum priorem & Stephanum monachum adhuc Molismi hoc anno resedisse, cum idem instrumentum in præsentia Alberici prioris Molismensis factum sit, & a Stephano monacho scriptum: ac proinde illi nondum Cistercium hoc anno migraverant.

b V. lib. 66. n. 99.

LXXIV. Cluniacensium lites cum Trenorchio.

Duplex fuit hoc tempore controversia Cluniacensium cum Trenorchiensibus: una de Arboniaco, quam venerabilis Hugo Cluniacensis abbas cum Petro abbate Trenorchiensi hoc anno composuit: altera de piscatione *in fluvio Segonæ* seu Araris, *& in borario fluminis, quod vocatur Sallia*, quam a Trenorchiensibus temere usurpatam fuisse Cluniacenses contendebant. Rem ad curiam comitis Matisconensis detulit Hugo Cluniaci cellerarius, ubi, arbitro cum aliis proceribus Humberto de Bello-

ANN. CHR. 1097. * de Beaujeu.

joco *, sententia secundum Cluniacenses lata est. Verum, cum ei nollent acquiescere Trenorchienses, interpellatus ab Hugone cellerario Urbanus papa, Hugoni Lugdunensi archiepiscopo mandavit, ut Trenorchienses ad justitiam compelleret, abbatemque sede sua interdiceret, dum Cluniacensibus fecisset satis. Paruit tandem sententiæ Petrus abbas, pacto inito cum domno Gauceranno, cognomento Grosso, domno Ilio Cluniacensis villæ decano, domno Hugone cellerario, & domno Adelardo decano de Perrona. Hic est Petrus Trenorchii abbas, cui Gaufredus Andecavorum præsul anno superiore contulit ecclesias [a] Doadi * castelli cum jure monachos in eis substituendi in locum canonicorum: cujus rei litteris appositum est inter alia signum Marbodi archidiaconi & episcopi Redonensis, qui tunc primum ad illam sedem promotus fuerat.

a Tournus, p. 337. * Doay.

LXXV. Saviniacensium judicium de vicariis.

Humbertus seu Umbertus de Bello-joco, mox laudatus, arbiter quoque fuit alterius controversiæ, quæ orta est *inter obedientiales monachos* cœnobii Saviniacensis, diœcesis Lugdunensis, *eorumque vicarios*, qui vicarii stipendium suum augeri volebant ex terris, quas de novo illi obedientiales in suis cellis acquisierant. Querela hac de re ad Iterium Saviniaci abbatem relata, placitum indixit abbas in aula Saviniacensi, cui Umbertus de Bello-joco, aliique viri nobiles convocati interfuerunt. Causa utrimque discussa, a domino Umberto definitum est, cassam & irritam esse vicariorum postulationem; obedientiales vero monachos rebus acquisitis pacifice frui debere.

Niorti ecclesia eisdem data.

Hoc ipso anno Ramnulfus Santonum episcopus prædicto Saviniacensi monasterio & Iterio abbati contulit *ecclesiam S. Martini, sitam prope castrum Mirebelli, in vico, qui* » *vocatur Niortus*, ea conditione, ut nulli alii ecclesiæ sive cellæ subdita esset, præter- » quam abbatiæ S. Martini de Saviniaco: propterea quod illa ecclesia parochialis » principatum obtineret super alias parochiales ecclesias.

LXXVI Nivernense S. Stephani monasterium instauratur. b V. lib. 62. n. 34. c Bibl. Clun. append. p. 175.

Apud Nivernum vetus erat quondam puellare monasterium, beatæ Mariæ & S. Stephano sacrum, cujus primus auctor S. Columbanus exstitisse traditur, in suburbio positum, quod vetustate collapsum Willelmus Nivernensis comes ante annos viginti quatuor [b] instaurare aggressus erat, & canonicis quibusdam regularibus, qui *S. Silvestri regulam* sectarentur, tradere constituerat. Ast hoc consilium effectu caruisse videtur. siquidem subsequenti tempore ejus animo [c] insedit, *instigante & exhortante domno Hugone, prius quidem decano, postea vero Nivernensi episcopo, jam dictum beatæ Dei genitricis, necnon & gloriosi protomartyris Stephani monasterium jam-jam dirutum & omnino pessumdatum, funditus reædificare, & religiosos monastici ordinis viros inibi constituere, quos inter* ipsum *& Deum haberet mediatores, & apud supremum Judicem pro peccatis suis indefessos intercessores.* Atque ut id opere compleret, primum qui- » dem locum ipsum valido murorum ambitu cinxit, ac tribus turribus *nobile monaste-* » *rium* instruxit. Hinc claustra, aliaque regularia ædificia cum capella infirmorum ab » eo ædificata; ecclesia vero congruis ornamentis decorata. Ad victum vero aliosque » usus necessarios servorum Dei ibidem commorantium, suorum in cœlesti curia *ad-* » *vocatorum*, totum *burgum*, quod S. Stephani appellari voluit, eisdem contulit, nihil » omnino sibi reservans. Ad hæc ejusdem suburbii homines liberos esse statuit à » quavis exactione & ab expeditione militari, ira ut semper in pace remaneant. *Sufficit enim mihi*, inquit, *ut domini eorum monachi fortiter pro me ad Dominum intercedant.* Mitto alias donationes à munifico illo comite eidem loco factas, quem » *domno Hugoni sanctissimo Cluniacensi abbati*, *domnoque Petro priori*, & ceteris fratribus » Cluniacensibus, eorumque successoribus, laudante Willelmo nepote suo, concessit. » Acta sunt hæc idibus Decembris hujus anni, quo die ejusdem loci ecclesia ab Ivone » Carnutensi episcopo consecrata est, præsentibus venerabilibus episcopis, *Guidone* » Nivernensi, Galterio Cabilonensi, & Humbaldo Altissiodorensi.

LXXVII. Nivernensium episcoporum index emendatur.

Ex hoc loco Galliæ christianæ fusioris auctores Guidonem hoc anno Nivernensem episcopum statuunt loco Hugonis, qui in vulgatis indicibus notatus erat: cujus obitum anno M LXXXV. reponunt, ejusque successorem Robertum, Willelmi comitis Nivernensis filium, quem in aliis catalogis deesse fatentur. Verum Hugonem istum ad annum saltem M LXXXIX. vixisse, ac sedem tenuisse constat: nec Robertus Nivernensis post eum episcopus fuit, sed Autissiodorensis; & ipse Hugo successorem habuit Guidonem, successeratque Hugoni episcopo patruo suo, ejus nominis secundo, qui Willelmo comiti primus auctor fuerat instaurandi S. Stephani monasterii,

in quo Hugo ejus nepos monachos instituit. Hoc postremum patet, tum ex primis Hugonis eo nomine secundi litteris, a me superius [a] laudatis, in quibus ait, *quod quidam clericus nomine Hugo, nepos*, inquit, *meus, nostræque ecclesiæ decanus*, mediam partem illius ecclesiæ habuisse dicitur: tum ex præmisso diplomate Willelmi comitis, asserentis, se hoc monasterium restruxisse, *exhortante domno Hugone, prius quidem decano, postea vero Nivernensi episcopo*, qui in chartario Nivernensi anno M LXXIV. *inthronisatus* dicitur, *in kal. Novembris*, feria VII. quo die *testamentum de bonis quæ sibi de episcopatu proventura sunt, instituens, quartam eorum partem monachis in monasterio sanctæ Mariæ sanctique proto-Stephani in suburbio suæ civitatis servientibus erogari præcipit. In quo scilicet monasterio sibi sepulturæ locum elegit, si quidem in hoc vel Autissiodorensi episcopatu* sibi *obitus contigerit*. Idem porro adhuc episcopus erat anno M LXXXIX. ut testantur ejus litteræ, in chartario Nivernensi a nobis lectæ, quibus prædium quoddam in villa territorii Augustodunensis Poliaco situm, Patriciacensibus S. Benedicti monachis sub annuo censu quinque solidorum impertitur: cujus concessionis litteræ hoc modo incipiunt: *Notum fieri volumus ego tertius Hugo Nivernensis episcopus, & cuncta congregatio nostra omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam eorum posteris, quod Petrus prior & monachi de Patriciaco cum quibusdam laicis venerunt ante præsentiam nostram in capitulo S. Cyrici, humo-tenus postulantes, ut ego & canonici nostri quamdam terram, in Augustodunensi territorio sitam, in villa scilicet, quæ dicitur Poliacus, quæ de beneficio canonicorum esse videtur, Deo & sanctæ genitrici ejus Mariæ & S. Benedicto, & fratribus ibidem Deo servientibus ad censum concederemus.* quod Hugo episcopus cum canonicis annuit, modo ut mutua inter utrosque fraternitas & hospitalitas servaretur. Actum Nivernis publice anno M LXXXIX. Jam anno M LXXXV. subscripserat Hugo tertius chartæ, qua Willelmus Nivernensium comes abbatiam sancti Victoris martyris, in suburbio Nivernensi sitam, subjicit monasterio beatæ Mariæ de Caritate ad Ligerim. "Eam quidem abbatiam Henricus Francorum rex penitus fecerat liberam, & ab omni requisitione de se & de suis successoribus reddiderat absolutam, vidente & audiente Odone milite de Albiniaco, in loco qui capella Hugonis appellatur [*], dum ad Podium sanctæ Mariæ [*] exercitum duceret. At cum eam Willelmus Nivernensium comes de prædicto rege teneret; *laudante atque volente tertio Hugone* Nivernensis *civitatis præsule*, tradidit & concessit Deo & ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ de Caritate, quatenus monachi ejusdem loci eam in perpetuum teneant & possideant, & monachos, quos & quot voluerint, inibi absque ulla inquietudine Domino servire faciant. *Acta est Nivernis publice anno Domini* M LXXXV." *indictione* VIII. *regnante Philippo*. Rainerius cancellarius dictavit, & Fulcherius Levita vice ejus scripsit, VII. kal. Julii, feria IIII. subscripta sunt nomina Willelmi comitis, & Hugonis præsulis. Idem Hugo anno M LXXXIII. monasterio S. Stephani terram sancti Agricolæ [*], in burgo S. Stephani sitam, concesserat, permutatione facta cum Willelmo comite, *qui prædictum locum sancti Stephani, destructum atque pauperrimum readificare nititur*. cujus rei litteris subscribit *Willelmus comes cum filiis suis, Raginaldo, Willelmo, & Roberto Autissiodorensi episcopo*, quem Sancta-Marthani falso Nivernensem episcopum dicunt, & Hugoni substituunt ex male intellectis ejus litteris, ab eis in sententiæ suæ fundamentum allatis, quæ enim quidem episcopum fuisse probant, sed non Nivernensem. Itaque Hugo tertius proximum habuit successorem Guidonem seu Widonem jam inde ab anno saltem M XCVII. ut ex præmissis litteris constat; idque confirmant litteræ canonicorum Nivernensium, anno M C. datæ, quibus ecclesiam sanctorum confessorum Lupi & Geldardi, quam *domnus tertius Hugo* episcopus ipsis dederat; illi postmodum, *existente Widone præsule prædicti Hugonis successore*, conferunt *ecclesiæ S. Laurentii de abbatia per manum domini Dongionis primi abbatis ejusdem loci*, ut regulares inibi clericos instituat. quæ S. Martini abbatia est, hactenus canonicorum regularium. Denique idem Hugo tertius quintum se a Rocleno episcopum in quadam charta dicit. Hæc digressio haud inutilis visa est ad restituendam seriem episcoporum Nivernensium.

In synodo Atrebatensi hoc anno habita, cui diœcesani abbates interfuere, Lambertus episcopus S. Amandi Elnonensi monasterio confert duo altaria, Scaldinii scilicet ac Lurcii, "quæ ad id tempus *personaliter*, id est ad singularum personarum seu pastorum mutationem, cum certo censu tenuerant monachi, deinceps *impersonaliter* obtinerent: ea conditione, ut defunctis presbyteris alii eorum loco idonei ab abbate ad episco-"

ANN. CHR. 1097.

[a] V. lib. 61. n. 33.

Abbatia suburbana S. Victoris Nivernensis monasterio Caritatis subjecta.

[*] la Chapelle-Hugon.

[*] Notre-Dame du Puy.

[*] S. Arigle.

LXXVIII. S. Amando altaria data.

ANN. CHR. 1097.

a V. supra n. 17.

„ pum deducantur, eisque animarum cura ab episcopo gratis concedatur. Id factum ro„ gatu Hugonis a abbatis Elnonensis, qui Hugo, ejusque successores, si ad synodum Atre„ batensem ab episcopo invitati fuerint, per se ipsi aderunt, aut per quemdam mona„ chum se excusabunt: *obedientiarius vero altarium supra dictorum monachus synodis semper intererit.* Subscribunt his litteris Aloldus abbas S. Vedasti, Johannes de Monte-S. Eligii, Albertus Hasnoniensis, Richardus Marciensis, Hamericus Aquicinctensis, Reinerus Cameracensis abbas de S. Sepulchro, Goiffridus sancti Andreæ de Novocastello Cameracensi, Geroldus Hamensis de territorio Taruanensi abbates. *Actum Atrebati in synodo, in basilica beatæ Mariæ, anno Christi* M XCVII. *indictione* V. XII. kal. Novembris, anno pontificatus Lamberti episcopi IV.

LXXIX. S Jacobi cella in Lotharingia.

In Lotharingia prope Novum-castrum exstat cella S. Jacobi in monte Sionna, quæ hac occasione condita perhibetur. Ursus quidam, ortu Beneventanus, post varias peregrinationes, in Lotharingiam accessit, substititque prope Novum-castrum diœcesis Tullensis, ubi oratorium ex tempore construxit in honorem S. Jacobi apostoli, cujus reliquias, quas secum habebat, ibidem reposuit. Dein prædictum oratorium a Pibone Tullensi episcopo, interventu Grimaldi abbatis, cui Ursus se suaque commendaverat, consecratum: ad quod locorum illorum accolæ, loci ac reliquiarum novitate, ut fit, incitati, gregatim confluxerunt. Demum cella eidem oratorio adjuncta, quam Pibo episcopus, prædicti Ursi rogatu, S. Mansueti monasterio contulit, ut monachi in ea collocarentur: eisque altare S. Germani de Sionna, consentiente Riquino archidiacono & Hugone ejus loci presbytero, concessit; statuitque, ut omnes montem illum inhabitaturi, ad cellam illam convenirent pro baptismo & sepultura, cæterisque animæ & corporis subsidiis. Acta hæc anno M XCVII. indictione V. IV. kal. Martii, in majore S. Stephani ecclesia. His Pibonis litteris adscripta sunt, præter alia, signa domni Thiemari abbatis S. Mansueti & Widrici abbatis S. Apri, eo nomine secundi. Post multum tempus, id est anno M CC XXIII. Odo Tullensis episcopus Olrico priori S. Jacobi in monte, ejusque successoribus, curam animarum confirmavit.

LXXX. Bellæ-vallis cella, & aliæ Medianenses.

Tunc temporis in Mediano-monasterio religiosissime vivebat Hugo monachus, qui solitudinis amore ad locum, qui-Bella-vallis dicitur, secessit, ibique cellam hoc anno ædificavit, à Gerardo comite Vaudanimontis, Gerardi Lotharingiæ ducis filio & Theodorici ducis fratre, ejusque posteris liberaliter dotatam, quorum plerique ibidem humati sunt; Gerardus scilicet ipse cum uxore sua Helvide; Hugo filius ejus, qui patris donationes ratas habuit; hujus quoque filius æquivocus. Hic ejusdem nominis filium habuit tertium Hugonem, qui cum uxore sua Margareta Mediani-monasterii societatem obtinuit. Henricus vero tertii Hugonis filius, cum Helvide conjuge & filiis suis Hugone & Olderico, itidem Bellæ-valli se munificum præbuit, ejusque possessiones novis litteris asseruit anno M CC LII. Locum hunc celebrem reddidere S. Spinuli miracula, cujus corpus anno M C IV. eo translatum est.

Vaudanimontis comites.

Porro prædictus Hugo monachus non tantum Bellæ-vallis cellam, sed alias quoque condidit, nimirum Romonensem cellam seu Leonis-montem * juxta castrum a Lunaris-villæ *, cellam de Suris, & cellam Clari-montis super S. Deodatum. quæ omnia ex historia Johannis Bayonis discimus. Plura de prædicto Henrico, tertii Hugonis filio, tradit idem auctor. nempe eum post varia in Lotharingia bella, demum cogente inopia, in Siciliam se recepisse: ubi Caroli regis stipendiarius factus, multisque possessionibus acquisitis, filiam Atheniensium ducis in conjugium duxerit, ex qua tres genuit filios, Henricum, Jacobum & Guidonem: ex quibus Henricus natu-maximus, recepto Vaudanimontis comitatu, ducta in uxorem domini Vergiacensis sorore, æquivocum filium, comitatus hæredem, ex ea suscepit, tresque filias: quarum primo-genita Johanni de Johannis-villa nupta fuit; duæ aliæ sanctimoniales factæ. secunda quidem, ut Bayonis verbis utar, *in Romarico monte velo sanctimonialis insignitur*, quæ postmodum ejusdem loci abbatissa exstitit: tertia in Suessionensi beatæ Mariæ parthenone sacrum itidem velamen suscepit. Harum nomina haud exprimit auctor: at Johanna vocabatur secunda, quæ abbatissa Romaricensis erat anno M CCC XXXIII. Eo tempore, quo nunc sistimus, Mediano-monasterio præerat Bertricus abbas, jam superius b laudatus, a quo Thietbertus quidam, bonæ spei juvenis, ipso die parasceves, *sub balmam* seu rupem Altæ-petræ, monasterio incumbentem, XIV. kal. Maii, cum sanctimoniali, cui nomen Gisebors, divisis

* Leomont. a V. lib. 68. n. 14. * Luneville.

b ibid.

parietum cellis reclusus fuit subter sancti Mansueti cancellum, uti prædictus Bayon testatur.

ANN. CHR. 1097

Sub finem hujus sæculi, Ægidiâ Romarici-montis abbatissâ, cum ad laxiorem vitam declinarent ejus loci sanctimoniales, nec ad pristinam vivendi normam revocari se paterentur; ab eis recessere monachi, qui earum curam ab origine sacri illius monasterii habuerant, & ad sacrum Montem se receperunt, unde illi cum sanctimonialibus superiori sæculo ad transmosellanam planitiem transmigraverant. Id suis litteris vicarii apostolici testantur, anno MDCXIII. ad Paulum V. summum pontificem datis, in quibus hæc verba. *Hinc post ducentos fere annos* a condito parthenone, *sive temporum, sive operum injuria, religiosi pertæsi monialium curam relinquentes, ab eis recesserunt. Hæ vero sæculares sacerdotes ad spiritualium curam, & syndici unius loco officiales nobiles ad temporalium regimen acciverunt. unde regularis vivendi norma sensim dilapsa est.* Non diu hanc mutationem impune tulere Romaricenses illæ, quarum monasterium sub initia sæculi subsequentis incendio conflagravit, ut suo loco dicturi sumus.

LXXXI. Romaricensis monasterii status.

Tunc etiam illinc recesserunt quidam clerici, qui in Castelleto (id loco nomen) interposita inter monasterium Mosella, residebant, & ad Calmociacensem ecclesiam, quæ ab anno MXIII. condi cœpit, se receperunt. Non multo post Seherus, qui eorum dux erat, præpositus fuit sancti Leonis Tullensi abbatiæ, quam venerabilis Lutolfus decanus sub finem hujus sæculi ædificavit.

Sub idem tempus in Alamannia Udalricus comes, causæ beati Petri contra schismaticos strenuissimus ac ferventissimus propugnator, monasterium ad lacum Acroniatum prope Brigantium condidit, cui Augia-major seu Brigantina vocabulum: ubi post mortem immaturam, quæ hoc anno accidit, VI. kalendas Novembris honorifice sepultus est, teste Bertholdo. Hactenus persistit hoc monasterium sub instituto Benedictino.

LXXXII. Augia Brigantina.

Circiter hunc quoque annum Anshelmus Laureshamensis abbas, post annos tredecim præfecturæ, cum monasterium incendio deformatum reparasset, VII. kal. Julii ad Dominum migravit miles emeritus, & in Abrinsbergensi oratorio, quod ipse exstruxerat, humatus est. Huic subrogatus Geroldus, incertum an ex ipsa congregatione, an aliunde assumtus, quo post annos sex mortuo, Hugo Gingenbacensis abbas, non electione fratrum, sed imperiali auctoritate institutus, statim destituitur. Tunc Laureshamensem abbatiam adeptus est Gebehardus, Hirsaugiensis post sanctum Willhelmum abbas, tum natalium splendore conspicuus, tum etiam consilii sagacitate in palatio acceptus: cujus in Laureshamensem abbatiam ingressus multas turbas concivit, ut inferius videbimus.

Laureshamenses abbates.

In Anglia Balduinus Gallus, sancti Edmundi ex monacho Dionysiano abbas, hoc anno decessit [a] octogenarius IV. kal. Januarii, anno regiminis sui tricesimo-secundo. Eo mortuo abbatia vacavit usque ad mortem Willelmi regis: cujus frater ac successor Heinricus eam Rotberto S. Ebrulfi in Nortmannia monacho, filio Hugonis comitis Cestrensis, dedit. Verum is tertio post anno in generali concilio per Anselmum archiepiscopum exauctoratur, quod abbatiam illam absque canonica electione usurpare ausus fuisset: ejusque loco Rotbertus prior Westmonasteriensis ad id munus electus est.

S. Edmundi item abbates. [a] *Monast. Anglic. p. 295.*

Eodem anno Anselmus Cantuariensis archiepiscopus Romanum iter, ægre obtenta a Willelmo rege venia, aggressus est feria V. idibus Octobris. Cum ad portum Dosrensem * venisset, Willelmum clericum a rege missum offendit, qui eum veluti fugitivum, vel immanis cujusdam sceleris reum, in litore detinuit per multos dies, donec ejus sarcinulas omnes perscrutatus esset. Rebus omnibus revolutis, cum nihil eorum quæ perquirebat invenisset; Anselmus demum cum suis abire permissus, Oceani fretum trajecit. Ubi in Galliam appulit, ad sancti Bertini divertit cœnubium, ibique per quinque dies cum debita reverentia hospitatus est. quo tempore a canonicis S. Audomari ad eorum ecclesiam invitatus, ibidem altare in honorem sancti Laurentii dedicavit. Inde, Francia pertransita, Burgundiam ingressus, occurrente sibi spe prædæ provinciæ duce, tantam sui venerationem ei concivit, ut, qui archiepiscopum plurimo auro argentoque, ut fama vulgabat, suffarcinatum spoliaturus advenerat, sua omnia ad ejus obsequium præsto esse jusserit. Gratiis duci actis, Cluniacum adiit tertio die ante nativitatem Domini: ubi a tota illa congregatione cum summa reverentia & gratu-

LXXXIII. Anselmus archiepiscopus in Galliam venit. * *de Dovere.*

ANN. CHR. 1097.

latione acceptus est. Inter ea præmissus ab eo nuntius Lugdunum, Hugoni archiepiscopo, jam dudum amiciria sibi devincto, ipsius adventum significavit. Ille vero magno se hujus videndi desiderio teneri per digniores ex suis familiaribus indicavit, & ut quantocius ad se veniret, exoravit; mandavitque Matisconensi episcopo, ut venienti cum debito honore occurreret, & officiosissime deserviret. quod episcopus diligenter exsecutus est. Ubi vero Lugdunum attigit vir Dei, incredibile dictu est quanta cum veneratione acceprus sit. Illic remorari coactus, tum ob corporis infirmiratem, tum ob insidias, quæ ipsi etiam a religiosi ordinis hominibus in via parabantur, litteras ad summum pontificem scripsit, quibus suas in episcopatu angustias, inutilemque in curandis Angliæ malis operam significabar, & abdicandæ curæ pastoralis facultatem postulabar. Interim rex Willelmus in Anglia, post ejus e regno discessum cuncta quæ illius juris erant, in suum transcripsit dominium, & ea omnia, quæ ab eo statuta vel murara fueranr, irrita & cassa declaravit. Aliunde, cum fama vulgata esset, Britanniæ primatem multo auri argentique pondere onustum Romam pergere; Germanici regis & Wibertinæ factionis explorarores insidias in via tendunt ad eum comprehendendum. quod multis aliis, qui idem iter tenebant, exitio fuit. Denique langore tantisper sedato, Anselmus Lugduno discessir, & anno sequenti Romam iter prosecutus est.

LXXXIV. Glannafolium Casinatibus restitutum. a V. lib. 25. n. 61.

Ad Urbanum quod artinet, medio mense Martio Terracinæ versabatur, cnm litem de monasterii Glannafoliensis subjectione, in Turonensi concilio indecisam, tandem in Casinensium gratiam diremit, quibus primum illud nostri Ordinis in Gallia cœnobium, uti a Hadrianus I. & Carolus M. definierant, deinceps subjectum esse voluit. Pontificiarum hac de re lirterarum, quas integras in Apologia Missionis S. Mauri in Galliam, a Ruinarto nostro scripta, pag. 142. & seqq. videre licet, partem huc revocare non pigebit.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, reverentissimo & carissimo fratri Oderiso, nostris per Dei gratiam manibus, & in cardinalem S. R. E. sacerdotem, & in abbatem Casinensis monasterii consecrato, ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum. Pater & princeps monachicæ institutionis, gratia & nomine Benedictus, discipulum suum beatissimum Maurum ob religionis studium docendum & augendum in Gallias destinavit, sicut in eorum gestis luce clarius reperimus. qui ad loca destinata perveniens, monasterium, quod Glannafolium dicitur, in Andecavensium diœcesi, divina gratia prosequente, construxit, quod Casinensi cœnobio unde prodierat, ipse commisit: ubi cum plurimis virtutum insignibus, cooperante Domino, effulsisset, Bertulfum discipulum suum abbatem substituens, monachis Casinensibus qui una secum venerant, super eum sollicitius invigilare præcepit, ne in aliquo a rectitudine regularis tramitis deviaret, sicque temporalis vitæ finem sortitus est, ac sepultus. Post nonnulla igitur annorum curricula, peccatis exigentibus, idem monasterium a Gaidulfo quodam destructum, sed postmodum religiosorum est virorum studio reparatum. Eo itaque tempore venerandæ memoriæ Adrianus papa, simul cum Karolo rege Francorum & Patritio Romanorum, præfatum monasterium Glannafoliense venerabili Theodemario Casinensi abbati super hac re querimoniam facienti, cognita ratione, restituit, atque auctoritate apostolica confirmavit. Verum quia Dei judicia abyssus multa, jam dictum cœnobium barbarorum incursu vastatum iterum & destructum asseritur. Depopulationis ergo illius barbarica solitudine permanente, illustrium principum studio provisum fuit, quatenus Glannafolsensis locus, monachicæ tunc quieti incongruus, per Fossatenses monachos disponeretur. Quæ quidem dispositio usque ad tempora nostra immobiliter perduravit. Ceterum cum Fossatensis etiam locus a religionis observatione desiisset, Glannafoliensis ecclesia per loci illius præpositos, non tam disposita, quam dissipata diutius videbatur. Contigit autem divina dispositione clementiæ, cum pro ecclesiasticis causis in Gallias transissemus, nos locum illum cum confratribus nostris episcopis, & Romanæ ecclesiæ cardinalibus visitasse. Fratrum igitur Deo servientium illic, & circumhabitantium nobilium virorum nos turba circumstetit super dissipatione multimoda conquerentium, quæ ab his inferebatur, quorum eos oportuerat industria gubernari. Adjecta his sunt communis filii nostri Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & vestri Casinensis cœnobii monachi pro parte tua, & venerabilis fratris nostri Goffridi Andecavensis episcopi, & filii nostri Fulconis Andecavensis comitis preces, proprium loco illi abbatem sub ditione Casinensis ecclesiæ auctoritate sedis apostolicæ restitui postulantium: nec parum in brevi profectus loco eventurum sperabant, & de tricesimo, qui tunc inerat, monachorum nu-

ANN. CHR. 1097.

mero repente ampliorem futurum, si quidem a Fossatensium erepti tyrannide, abbatis proprii regimine fruerentur. Proinde Fossatensibus monachis diem certum statuimus, quo se nostra audientia, si haberent privilegia, præsentarent. Confidentibus ergo nobiscum in Turonensi ecclesia archiepiscopis, episcopis & abbatibus, numero quatraginta-quatuor, facta de hoc negotio quæstione, cartam nobis prædicti fratres in communi audientia præsentarunt, quasi Romani pontificis Adriani, quæ omnino falsa manifestis est indiciis comprobata. Placuit itaque cunctis in communi fratribus qui consederant, quandoquidem in Fossatensi monasterio religionis observantia jam per tempora longa defecerat, & Glannafoliensis locus per eos non meliorationi, sed deteriorationi videbatur expositus, cessante causa etiam cessaret effectus, ut Glannafoliensibus monachis abbatis cardinalis solatium redderetur. Ex tunc ergo communi decreto sancivimus, & nunc per præsentis privilegii paginam legitimum sempiternum apostolica auctoritate statuimus, ut in loco illo venerabili, sæpe superius nominato, cardinalis abbas perpetuis temporibus habeatur, salva per omnia reverentia & obedientia matris suæ ecclesiæ Casinensis. Prædecessorum nostrorum ergo Romanorum pontificum Adriani & Nicolai vestigia comitantes, prænominatum Glannafoliense cœnobium cum omibus pertinentiis suis, salva libertate & dignitate ejusdem loci, tibi tuoque Casinensi monasterio præsentis nostri privilegii pagina cum omnibus possessionibus suis confirmamus; in quibus hæc propriis duximus nominibus annotanda, in primis villam Blazon, Longus-campus, Boscus-Mariacus &c.

Post illam bonorum enumerationem decernit pontifex, ut post mortem Giraldi tunc ejus loci abbatis, nullus ibidem abbas instituatur, nisi is, quem fratres unanimi « consensu aut saniori ex parte elegerint, apud Casinum benedicendum: qui deinde, « præpositura Casinensi & vicariatu Casinensis abbatis accepto, ad suum cœnobium « redeat: singulis vero quinquenniis ad Casinense monasterium accedat, nullique al- « teri abbati, præterquam Casinensi subdatur. *Scriptum per manum Petri scriniarii sacri* « *palatii. Datum apud Tarracinam per manus Johannis S. R. E. diaconi cardinalis* XII. *kal. Aprilis indictione* V. *anno dominicæ incarnationis* M XCVII. *anno autem pontificatus domni papæ Urbani secundi decimo.* Idem privilegium subsequentes pontifices non semel confirmarunt. Exstant ea de re bullæ Anastasii IV. anno M C LIII. Innocentii III. anno M CCII. & aliorum.

Casinensis monasterii prærogativæ.

Idem pontifex jam Romam reversus erat VI. kal. Aprilis ejusdem anni, quo tempore Casinense [a] monasterium ab omni subjectione liberum sub Romanæ ecclesiæ protectione confirmat, ceterisque per occidentem monasteriis præferendum esse de- « clarat; ejusque abbates in omni conventu episcoporum seu principum superiori « omnibus abbatibus loco considere, atque in omnibus judiciis priorem ceteris sui « ordinis abbatibus juris sententiam proferre sancit. «

a Bullar. Casin. to. 2. p. 119.

LXXXV. Casæ-aureæ monasterium sedi apostolicæ commendatur & instauratur.

Per id tempus magnas calamitates & angustias passum est Casauriense monasterium, maxime a Nortmannis, qui Aprutianas illas regiones multum infestabant. Hos litteris & dirarum imprecationibus reprimere tentarunt Alexander II. & Gregorius VII. at nihil apud illos nec litteræ, nec minæ valuerunt. Tandem ad summam calamitatem & fere in solitudinem redactum est nobile quondam monasterium, primum quidem per Hugonem [b] Malmazettum, deinde per Willelmum Tassionem, quem puto fuisse ex genere Taxonum Nortmannorum: cujus Malmazetti vexationes ferre non valens Johannes abbas, idemque episcopus Valvensis, abdicavit abbatiam, & ad suum episcopatum se recepit. In ejus locum intrusus Gilebertus a Malmazetto, cujus capellanus erat, ecclesiæ ornamenta & sacra vasa abstulit, atque inde recessit. Denique consultus a Casauriensibus Johannes episcopus, eis auctor fuit, ut Grimoaldum monachum sancti Vincentii ad Vulturnum, qui sancti Petri de Tirte præposituram tenebat, abbatem eligerent, hominem quidem non multum litteratum, sed in rebus temporalibus industrium. Is itaque hoc anno electus, ejus nominis secundus, cum Urbanus Theate [*] moraretur, ad eum accessit, & exposita [c] sui monasterii calamitate & desolatione, sedis apostolicæ protectionem obtinuit, quam ejus antecessores ad id tempus non exquisierant, imperiali contenti. Idem abbas ab ipso pontifice primus consecratus, baculum pastoralem ab eodem accepit loco sceptri imperialis, quod superiores abbates pro ferula pastorali gestaverant, ut patet ex sequenti effigie, quam Johannes chronographus in hunc modum expressit.

b V. lib. 64. num. 30.

* Chiety.

c Spicil. to. 5. p. 470. & seqq.



Ex eo tempore Grimoaldus abbas inſtaurandis eccleſiæ, totiuſque monaſterii pro modulo ædificiis, necnon recuperandis poſſeſſionibus amiſſis animum adjecit. Dum in his occupatur, prædictus Willelmus Taſſio, ad tranſmarinas partes proficiſci volens, Richardo comiti pro mille byzantiis abbatiam illam vendidit. Tum Richardus monaſterium adit cum magno comitatu, & cum magno ſumtu moratur; poſtremo pecuniæ ſummam ab ſe datam cum ſenore a Grimoaldo abbate repoſcit. Abbati vero pecuniam tantam ſe non habere modeſte reſpondenti, & monaſterii ſui ruinas in teſtimonium oſtendenti, ille furibundus comminatus eſt, ſe ruinas illas completurum, niſi ad diem aſſignatam pecuniam illam bene ponderatam ſibi afferret; moxque e loco receſſit. Quid faceret anxius animi abbas, communicato cum fratribus conſilio, cum impoſitam ſibi pecuniæ ſummam non haberet, colligit pecora & animalia omnia, quæcumque in villis ac poſſeſſionibus monaſterii potuerunt inveniri, eaque cum vagientibus infantibus, eorumque matribus, ad ædes tyranni adducit, » offertque in hæc verba: Hæc ſunt unde vivere debent pauperculæ illæ mulieres cum » ſuis liberis: parce illis, ut parcat tibi Deus. noli terram ſancti Clementis in vaſtita» tem redigere depulſis loci habitatoribus. Tibi perſuadeas velim, ſi quod poſtulas ha» beremus, nulla eſſet mora in reddendo, ne in tui offenſam incurreremus. At his nihil motus tyrannus, rapit omnia, nec quidquam relinquit, quo miſeræ matres cum liberis ali poſſent. Verum non diu hanc injuriam Deus inultam ſivit. Reverſus ad ſuos abbas, plus dolens de ſubditorum anguſtiis, quam de proprio damno, coram ſancti Clementis corpore in preces effuſus, divinam opem ſupplex imploravit. Nec caſſæ fuere preces. nam non multo poſt, cum prædictus comes ex præda male parta ſuis baronibus epulas paraſſet, inter ipſa pocula ſe a Clemente percuſſum vociferans,

ſubito

ANN. CHR. 1097.

ſubito interiiſſe traditur. Qua re perterrita ejus conjux, quædam monaſterio reſtituit, filiumque ſerio admonuit, ut ſacro loco nihil nocumenti inferret. Paruit ille conſilio vivente matre: at poſt ejus obitum, ipſius monitis inſuper habitis, patrem ſuum malitia ſuperaſſe fertur.

Farfenſe monaſterium in monte cœptum.

Per id tempus cum Farfenſe monaſterium, in valle poſitum, jam ruinæ proximum eſſet, fratribus & pleriſque Romanorum magnatibus viſum eſt, ut in ipſo monte reſtrueretur. Horum monitis & adbortationibus acquieſcens tandem Berardus [a] abbas, conſtitutum hac de re cum toto conventu edidit, fretus ſubſidiis nobilium Romanorum, aliorumque fidelium, quibus ſi id fecerint, remiſſionem peccatorum & ſuffragiorum communionem pollicetur. Actum in Farfenſi clauſtro, anno Domini MXCVII. indictione V. Subſcribunt poſt Berardum abbatem Romanus prior, aliique monachi fere centum, omnes adjuncto ſui ordinis & monachi titulo. Hujus conſtituti occaſione uſus Berardus, univerſis monaſterii prædiis & hominibus tributum impoſuit: at nulla conſtituti habita ratione, illud in proprios & conſanguineorum uſus prodegit; nec eo contentus, bona monaſterii dilapidare inſtitit. qua re offenſi fratres, plerique a loco receſſerunt, querelas de tot gravaminibus ad imperatorem & ad Romanorum magnates amicos delaturi: ceteri Dei præpotentis opem & ſanctæ Dei-genitricis Mariæ patronæ ſuæ interventum implorabant. His tandem flexus Berardus, conſtitutum exſequi in animum induxit, & magnam eccleſiæ fabricam in monte ædificare cœpit, artificibus inſiſtens, ut opus perficere maturarent. Verum occulto Dei judicio inchoatum opus ejus interitus brevi ſubſecutus abrupit, ut inferius videbimus.

a V. lib. 67. n. 87.

ANN. CHR. 1098. LXXXVI.

Ciſtercienſis monaſterii & ordinis primordia.

INſequentem annum milleſimum nonageſimum-octavum, in primis inſignem, totique non modo ſancti Benedicti Ordini, verum etiam eccleſiæ ſuſpiciendum reddidit origo percelebris monaſterii Ciſtercienſis & Ordinis, ex quo tot fructus & ornamenta in noſtrum Ordinem & in eccleſiam promanarunt. Primus ejus auctor & inſtitutor fuit S. Rotbertus Moliſmenſis abbas cum viginti amplius ſui cœnobii monachis, quorum duo præcipui exſtitere Albericus Moliſmi prior, & Stephanus cognomento Hardingus, Anglus natione, qui paullo [b] ante ad locum, Vivicum nomine, cum aliquot ſociis ſeceſſerant, ſed a Lingonenſi epiſcopo, fratrum flagitatu, Moliſmum revocati fuerant. Illic numeroſus monachorum cœtus erat, quorum alii mediam tenere viam, & regulam cum aliquo temperamento obſervare volebant: alii ferventiores, quorum e numero Albericus & Stephanus cum Rotberto abbate hac mediocritate nequaquam contenti, ad ſublimiora contendebant, & regulam ſanctam abſque ulla mitigatione tenere decreverant. Verum, eorum abſentiam & ſeceſſionem, quaſi quoddam ſuæ inertiæ opprobrium, alii non ferentes, qnos verbis non poterant, hos epiſcopali anctoritate apud ſe retinebant. Hinc eo magis accendebatur ardor in ferventiorum animis, ignis inſtar, qui quo magis concluſus, eo vim facit amplius, ut foras erumpat. Ut ergo ab epiſcopali auctoritate ſe tutos præſtarent, Hugonis archiepiſcopi Lugdunenſis & ſedis apoſtolicæ legati poteſtatem epiſcopali opponere conſtituunt. Hinc Moliſmo profecti hoc anno ſeptem viri, ſcilicet Rotbertus, Albericus, Odo, Johannes, Stephanus, Letaldus, Petruſque, Lugdunum petunt, atque Hugoni archiepiſcopo exponunt, ſe Moliſmi regularem diſciplinam pro modulo inſtituere conatos fuiſſe, nec ſupereſſe quid ulterius illic faciendum ſit, cum nec locus, nec plerorumque mores & ingenia majorem perfectionem patiantur. ſui propoſiti eſſe, locum quærere ſervandæ ad amuſſim regulæ omnino accomodatum, ſine indulgentia & laxamento. Orare tantum, ut pio propoſito, & divinitus ſibi, ut credebant, inſpirato, auctoritatis ſuæ præſidium & favorem impendat. His auditis archipræſul non ſtatim acquievit, ſed aſſenſum tantiſper ſuſpendit, ut illi maturius rem expenderent; ceterum, ſi eos in propoſito conſtantes fore intelligeret, ſuum illis auxilium & robur non defuturum. Tali reſponſo læti ad ſua redeunt ſeptem viri, quibus complures alii brevi ſe adjungunt. quod ubi ex eorum litteris Hugo intellexit, eis reſpondit [c] in hunc modum.

b V. ſupra n. 73.

Hugo Lugdunenſis epiſcopus & apoſtolicæ ſedis legatus, Roberto Moliſmenſi abbati, & fratribus cum eo ſecundum regulam S. Benedicti Deo ſervire cupientibus. Notum ſit omnibus de ſanctæ matris eccleſiæ profectu gaudentibus, vos & quoſdam filios veſtros, Moliſmenſis cœnobii fratres, Lugduni in noſtra præſentia adſtitiſſe, ac regulæ beatiſſimi Bene-

c Exord. mag. Ciſt. c. 12.

ANN. CHR. 1098.

dicti, quam illuc usque tepide ac negligenter in eodem monasterio tenueratis, artius deinceps ac perfectius inhærere velle professos fuisse. Quod quia in loco prædicto pluribus impedientibus causis constat adimpleri non posse; nos utriusque partis saluti, videlicet inde recedentium, ac illic commorantium, providentes, in locum alium, quem vobis divina largitas designaverit, declinare, ibique salubrius ac quietius Domino famulari utile duximus fore. Vobis ergo tunc præsentibus, Roberto abbati, fratribus quoque Alberico, Odoni, Johanni, Stephano, Letoldo & Petro; sed & omnibus, quos regulariter & communi consilio vobis sociare decreveritis, hoc sanctum propositum servare ex tunc consuluimus, & ut in hoc perseveretis præcipimus, & auctoritate apostolica per sigilli nostri impressionem in perpetuum confirmamus.

His acceptis litteris alacres viri piissimi, extemplo ad quærendum opportunum locum se accingunt: sed, antequam Molismo discederent, Rotbertus abbas fratribus remansuris consilium suum approbare conatus est, ostenso legati apostolici rescripto, quo eis alio secedendi facultas concedebatur. Se quidem ægre ab eis avelli & porro permansurum fuisse, si eos ad majora provehi posse speraret: sed quando ad id se impares esse causarentur; non gravate ferrent, si hi, qui se ad districtiora cælitus vocatos crederent, alio secederent, ut vocationi divinæ obsequerentur. His dictis, abbatiæ munus abdicavit, fratribusque alterius abbatis eligendi potestatem fecit. Obstupuere ad hunc sermonem etiam remissiores, levitatem, inconstantiam, imprudentiam recedentium incusantes: alii vero, quibus mens sanior, suam ipsi inertiam ac sortem deplorabant, quod optimi patris regimine, piissimorum fratrum consortio, exemploque privandi essent: omnes denique in lacrymas effusi, recedentes socios amplexi sunt & cum dolore amiserunt, quorum præsentiam atque censuram ferre non poterant.

Sic Molismo discedentes generosi athletæ, omnes viginti & unus, ad locum destinatum pergunt, Cisterciumantiquitus dictum, locum tunc horroris & vastæ solitudinis, nemoribus ac vepribus obsitum, in Cabilonensi positum diœcesi & in Belnensi comitatu. Pertinebat iste locus ad Rainaldum Belnensem vicecomitem, qui „ novorum hospitum pietate commotus, domno Rotberto, ejusque fratribus, qui cum „ eo regulam S. Benedicti artius ac perfectius observare cupiebant, annuente uxore „ sua Hodierna filiisque, contulit de prædio suo, *quod antiquitus Cistercium vocabatur*, „ quantumcumque ipsis & eorum successoribus Dei famulis conducebat ad monaste- „ rium, ejusque officinas construendas, ad arandum quoque & ad omnem usum necessarium. Irriguus est hic locus fluviolo, qui a Fonte-sine-fundo* (sic vulgus appellat) una leuca a Divione profluens, hoc habet instar miraculi, quod sicca anni tempestate intumescit; contra vero decrescit, minuiturque pluviis cælestibus. qualis quoque fons in majori Cartusia non sine admiratione visitur. quasi uterque documento esset, cælestium gratiarum influxum vix ac ne vix quidem obtineri ac conservari posse cum terrenarum rerum copia, nisi hæc in pios, maxime egentium usus profundatur. Hoc itaque in loco servi Dei consistentes, extemporaneas ex virgultis casas construxere una cum oratorio beatissimæ Virgini Mariæ sacro: ad cujus exemplum ceteræ deinceps ejusdem congregationis ecclesiæ in ipsius Deiparæ honorem Deo consecratæ sunt. Rebus itaque utcumque compositis, Rotbertus omnium consensu abbas electus est, Albericus vero præpositus seu prior, & Stephanus subprior; omnesque stabilitatem in loco promiserunt, in quo regula sine ulla mitigatione ad apicem servaretur. Prima hæc Cisterciensis domus institutio hoc anno facta est XII. kal. Aprilis, sollemni die natalis sancti patris Benedicti, quæ tunc in dominicam palmarum incidebat.

* Sans-fond.

Interim Hugo archiepiscopus-legatus illorum solitariorum sanctimoniam commendavit Odoni Burgundiæ duci, qui eam per se ipse expertus, permutatione cum Rainaldo Belnensi vicecomite facta, reliquum fundi Cistercii servis Dei concessit, & ad fabricam novi monasterii amplissimas contulit suppetias, ob id fundator a posteris habitus. Unde fit, ut Cisterciense monasterium pro insignibus gerat parmam bicolorem, distinctam transversis fasciis, in majori parma inclusam coloris cærulei, aureis liliis gallicis sparsis decoratam, quæ Burgundiæ ducum antiqua insignia sunt. De hac Cisterciensis domus & congregationis origine apud Cisterciensis Ordinis scriptores, maxime apud Manriquez plura videre licet: quæ deinceps subsecuta sunt, majoris momenti, pro nata occasione persequemur, ne tam illustri Benedictini Ordinis portioni

& ornamento defuisse videamur. Non diu Rotbertum apud Cistercium remorari passi sunt Molismenses: sed litteris a summo pontifice obtentis eum ad se reverti coëgerunt, ut anno sequenti videbimus. Ex his intelligitur, S. Rotbertum non immerito censeri Cisterciensis non tantum monasterii, verum etiam Ordinis fundatorem, quippe qui tum per se, tum per discipulos suos hunc Ordinem instituit, qui etiam Molismum reversus per totos, quibus superstes fuit, duodecim annos novi illius monasterii incolas consiliis juvit, monitisque ad profectum & perseverantiam animavit.

ANN. CHR. 1098.

LXXXVII. Anselmus archiepiscopus Romam pergit.

Lugduni remanserat sub finem anni MXCVII. Anselmus Cantuariensis archiepiscopus tum ad valetudinem reparandam, tum ad exspectandum reditum nuntiorum, quos Romam miserat ad summum pontificem, ut ab eo abdicandi episcopatus facultatem obtineret. Verum illi ex Urbe reversi papæ mandatum ad eum afferunt, ut, omni excusatione remota, quantocius ad ipsum ire pergat. Unde ex languore tantisper recreatus, viæ periculis nequaquam deterritus vir Dei, ad iter se accingit. Postero itaque anno MXCVIII. Lugduno discessit tertia feria ante dominicam palmarum, pervenitque subsequenti sabbato ad villam quamdam, quæ Aspera dicitur; in qua cum refectus fuisset, visum est illi magis decere, ut inter monachos, qui in illa villa degebant, quam inter rusticos nocte illa versaretur, *tum propter religionem monachici ordinis, tum propter officium imminentis noctis & diei.* Sed, ne hospites suos nimium gravaret, relictis in diversorio asseclis, ipse cum duobus tantum monachis, Balduino scilicet atque Eadmero, qui hæc scripsit, ad monachos illos divertit incognitus, nulla dignitatis nota retenta. Percontantibus illis monachis quo tenderent, responderunt se Romam, si Deus sineret, ire velle. At illi viarum pericula exaggerant, aiuntque Cantuariensem archiepiscopum, quem præsentem non agnoscebant, Urbis adeundæ causa Placentiam usque perrexisse, at, intellectis periculis, iter reflexisse Lugdunum, ubi hactenus remoretur. Prudenter, inquit Baldericus: nos vero patris spiritualis jussu adacti, iter nostrum, quoad nobis licebit, Deo duce prosequemur: si non licuerit, salva obedientia revertemur. Celebrato itaque noctis, ipsiusque diei dominicæ officio, in qua natalis dies S. Benedicti incidebat, viæ se reddunt, ac prospero demum itinere Romam perveniunt: ubi a pontifice benigne & honorifice accepti, decem diebus in palatio Lateranensi remanserunt. Interim pontifex litteras scribit ad Willelmum regem Anglorum, ut res Anselmi in regno integras servet: quibus litteris suas quoque ejusdem argumenti Anselmus ipse adjungit.

Telesiam, deinde Capuam adit.

Præerat tunc temporis Johannes abbas cœnobio Salvatoris, quod prope Telesinam* urbem in Campania-Felice situm est. Is Romanus genere, discendarum litterarum studio jam olim in Franciam accesserat, ibique fama permotus Anselmi, tunc Becci abbatis, monachus illic factus fuerat: sed ab Urbano in Italiam revocatus, prædicti monasterii abbas erat institutus. Hic, audito Anselmum Romæ versari, litteris eum compellavit, ad se ut veniret ad vitandas Romanæ urbis ægritudines, quæ æstatis tempore in Urbe frequentes esse solent. Id placuit summo pontifici, tametsi virum sanctum penes se retinere cuperet; sicque Anselmus locum sibi oblatum petiit, ubi à Johanne abbate summo cum honore nec impari lætitia susceptus est, paullo post ob torridos calores ab eo in villam proximam, monti altissimo impositam, deductus, quæ sano aëre prædita erat. Tunc temporis urbs Capuana obsessa erat a Rogerio Apuliæ duce, qui Anselmi audita fama, missis nuntiis eum rogavit, ut ad ipsum accederet, de his, quæ saluti suæ conducerent, ab eo informandus. Assensit archiepiscopus, quem incredibili reverentia dux excepit, concessis ei territoriis procul a tumultu bellico, ubi cum suis demoratus est, dum Urbanus illo adventavit.

* Telesi.

LXXXVIII. Hugonis abbatis discordia cum episcopo Æduensi.

Apud Æduos mortuus est hoc anno Hagano seu Agano episcopus VII. kal. Julii, eique substitutus Norgaudus, illius ecclesiæ præcentor, cujus electio sine contentione facta non est, adeoque diu protracta, sæpiusque agitata. Ejus causa Æduam sæpe adiit Hugo Flaviniacensis abbas, qui primas partes in illa electione habere debebat; sed tandem ad eam finiendam in sequenti festo ascensionis invitatus, cum externis negotiis esset occupatus, adesse non potuit, unum tamen e suis misit, qui vicem suam suppleret. Facta electione ad sua reversus, electum solus ex abbatibus Lugdunum comitatus est, ut ejus consecrationi interesset. Verum id electi in ipsum rancorem, quem ex ejus absentia conceperat, mitigare non valuit, licet ei apud Colticas*, quæ Flaviniacensium cella erat, in reditu duobus diebus ipsum cum suo comitatu

* Couches.

ANN. CHR. 1098.

XCI. S. Quintini de Monte abbates.

Superstes fuit ad hunc annum Godefridus, Montis-S. Quintini prope Perronam abbas, pietate insignis, quo anno altare *de Bus* a Manasse Cameracensi antistite obtinuit, anno abbatialis sui regiminis quadragesimo, ut ex dictis [a] colligitur. In necrologio monasterii obiisse dicitur VII. kal. Martii hoc ipso anno, haud scio an secundum veterem calculum. Necrologii hæc verba sunt. VII. *kal. Martii obiit domnus abbas Godefridus hujus congregationis*, M XCVIII. *incarnationis Christi anno, vir nobilissimus & litteris peritus, omnique religione adornatus.* & in necrologio S. Agerici Virdumensis, VIII. *kal. Martii Godefridus abbas S. Quintini, monachus S. Agerici.* Henricus ejus successor, ab instaurato monasterio abbas quintus, Henrici nobilissimi viri & Gerbergæ matronæ filius dicitur, qui disciplinam regularem, ab antecessore suo institutam, accurate observari curavit, monasterii prædones acriter insectatus est, multasque a Romanis pontificibus, regibus, & episcopis litteras suo monasterio obtinuit. Inter alios *Baldricus Noviomensis antistes videns in monasterio sancti Quintini de Monte honestam monachorum vitam & Deo dignam conversationem*, eis remisit personatum aliquot altarium, ut ex ejus charta patet, data Noviomi anno M C II. Hanc de eorum honestate morum opinionem in tota Remensi provincia invaluisse discimus ex bulla Paschalis II. data Laterani die XVII. kal. Maii anno M C VI. sic enim pontifex in ea Henricum abbatem alloquitur: *Commendat devotionem tuam suggestio venerabilium fratrum atque coëpiscoporum nostrorum, Manassis Remensis & Baldrici Noviomensis, cui se copulavit petitio etiam filii nostri Roberti Peronensis & uxoris ejus Adelidis, per assensum sive præceptum Viromandensis comitissæ Adilæ, & ejus filiorum Radulfi atque Henrici, quorum dignitati Peronensis honoris possessio attinet, per assensum etiam Philippi Francorum regis & ejus filii Lhudovici, quem Viromandensis comitatus contingit.*

[a] *supra n. 9.*

XCII. Vindocinenses a comite vexati.

Goffridus Vindocinensis eo tempore multas vexationes passus est a Goffrido de Prulliaco Vindocinensi comite, qui plurimas consuetudines ab hominibus opidi Vindocinensis injuste exigebat. Res eo usque processit, ut abbas monasterium deserere coactus sit, & ad Ivonem Carnutensem episcopum refugere, qui *omnem honorem*, id est comitatum Vindocinensem interdicto supposuit. Inter hæc quidam monachus, Daniel nomine, e congregatione Vindocinensi fugiendo discessit, & quidquid *in quadam obedientia*, ad quam missus fuerat, invenire potuit, secum asportavit. Hic, comperta comitis cum abbate discordia, Vindocinum adiit, & quidquid contra domnum abbatem comminisci potuit, comiti & comitissæ, aliisque omnibus, quos illi adversari noverat, temere effutiit. In his seditiosus ille monachus Goffridum abbatem infamavit apud Ivonem episcopum, quasi Danielem, *tam contumeliis verborum, quam injuriis verberum* affecisset; talisque exsisteret in omnes, aut pæne omnes. cui criminationi nimium credulus Ivo, Goffridum [b] admonuit, ut zelum suum ita moderaretur, ut nec tumori parceret, nec in sanas partes ferrum mitteret, & quos corriperet, cum caritate corriperet. Verum brevi patuit, qualis esset illius monachi impudentia; ille quippe comitem cum turba multa secularium in capitulum adduxit, & locum, quem ante diripuerat, sibi vindicavit, seque ita contra suum abbatem armavit, ut, quodam fratre ex illa *obedientia* expulso, per violentiam comitis eam sibi arriperet. Tandem vero, cum Deus tantæ discordiæ finem imponere vellet, comitissam induxit, ut ad urbem Turonum proficisceretur: ubi pacem & concordiam coram Ivone episcopo fecit, fide data, se nullum deinceps damnum abbati illaturam.

[b] *Ivo ep. 82.*

Comitis satisfactio.

Non multo post comes ipse, auctoritate Johannis & Benedicti S. R. E. legatorum « constrictus, *nudis pedibus cum quibusdam suis, qui cum eo capitulum violenter intrave-* » *rant, prostravit se ante altare dominicum, & domni abbatis pedibus*, ibique promisit coram Deo & sanctis ejus, se numquam deinceps personæ domini abbatis, vel cujuslibet monachi sui damnum ullum illaturum. Tum *quatuor denarios super caput suum posuit, quos inde super altare cum quodam cultello misit: quatinus non solum præsentes, verum etiam homines post futuri, quam firmiter hoc actum fuerit, plenius agnoscere possent.* Cum vero prædictus Daniel fugitivus patrocinio sic destitutus esset, a domno abbate indulgentiam petiit, obtinuitque: sed, ne ejus rebellio inulta remaneret, hanc » in eum sententiam in capitulo protulit, ut nulla in posterum obedientia vel cella ei » committeretur, & infamis semper haberetur.

XCIII. Goffridi abbatis egregia monita & facta.

Ex variis cellis, quæ Vindocinensibus subjacebant, una erat beatæ Mariæ de Castello, qui locus est diœcesis Andecavensis in confinio Turonum, Castellum-Andecavorum vulgo appellatus. Illic degebant quidam fratres sub Guillelmo priore,

quorum unus, Bernardus nomine, ob errata nescio quæ a Goffrido abbate Vindocinum cum priore [a] citatus est. Respondit prior, Bernardum venire non posse. Ad hæc Goffridus: *Si venire non potest*, inquit, *deferri potest;* præcepitque priori *auctoritate sanctæ Regulæ*, ut intra quatuor dies post acceptas litteras, ad se veniret, & Bernardum, si equitare non posset, afferri faceret. *Si vero aliter feceris*, ait, *& te perpetuæ infamiæ nota damnamus, & Bernardum ita excommunicamus, ut nec communionem percipiat vivus, nec sepulturam defunctus.*

In alia epistola [b] Goffridus eumdem Guillelmum ejusque fratres admonet se relatu accepisse, quod contra regulam, quam coram Deo & sanctis ejus se observaturos promiserant, *carnes sollemniter & generaliter comedant.* quod si ita sit, eorum intemperantiæ se vehementer condolere dicit, & ne ulterius fiat, regulæ auctoritate eis prohibet. quippe *carnis comestio, sicut monachis pro corporis infirmitate conceditur, ita eis in carnis voluptate negatur. Infirmi, etiamsi a carne penitus abstinerent, non propter hoc regulam violarent. Carnibus namque vesci in regula non est præceptum monachis infirmis, sed permissum. Sed quia paucorum, vel nullorum istam virtutem esse cognoscimus, ut videlicet a carne omnino abstineant; cum alicui carnem comedendam tribuimus, rationabilis est consideranda necessitas, non carne carnis nutrienda cupiditas.*

In sequenti epistola [c] eosdem admonet, ut a sæcularium hominum, & *quod periculosius est*, mulierum frequentia, qua eos delectari ipsi nuntiatum fuerat, omnino caveant, ne forte ordini suo, quod absit, accersant infamiam, & se contra eos ad id puniendum provocent. Huic epistolæ affinis est alia [d] ejusdem auctoris ad Bernerium priorem cellæ Credonensis, quem graviter objurgat, quod infame peccatum præpositi sui ipsi non indicaverit: præcipitque, ut « *camerulam illam*, in qua sordidus ille scelus commiserat, quantocius destruat, eumque « *a claustro & curte* sancti Clementis, qui loci patronus erat, « *extraneum* faciat. quod quamdiu exsequi distulerit, tamdiu ab introitu sanctæ ecclesiæ ipse excludatur. Haud scio cujus cellæ prior fuerit Andreas ille, quem etiam [e] arguit, quod *generalem* seu communem *refectorii panem & vinum* respuat, & alium sibi panem, aliudque vinum a cellerario sibi dari procuret. quod emendari jubet Goffridus, si res ita habeat, ne fratribus sibi commissis scandali, vel murmuris justam occasionem præbeat. Hæc minutiora forte nonnullis videbuntur, sed ab instituto nostro haud aliena, nec leviter a superioribus animadvertenda.

[a] Gaufrid. lib. 4. ep. 41.

[b] ibid. ep. 42.

[c] ibid. ep. 43.

[d] ibid. ep. 44.

[e] ibid. ep. 38.

XCIV. Placitum pro S. Nicolao apud Andecavos.

Cum ante duos annos Urbanus papa basilicam monasterii sancti Nicolai Andecavensis dedicasset, Fulco junior, Andecavorum comes, Rechinus cognomento, silvam Catiam, *sicut Brionellus eam dividit*, sancti Nicolai monachis [f] contulit cum pro se, tum pro animabus propinquorum suorum, in primis Fulconis avunculi & Gaufridi Martelli patrui sui, qui ipsum nutrierat, & a quo comitatum habuerat. In hujus vero donationis memoriam sanctæ crucis signum chartæ hac de re scriptæ apposuit in capitulo sancti Nicolai, coram Lamberto abbate qui recens Natali successerat, & coram ejus monachis ac multis optimatibus; eamdemque chartam super altare sancti Nicolai posuit *cum cultello Roberti monachi*, quem ibidem fregit, ut sic hac possessione se se exuere testaretur. De hac silva litem sancti Nicolai monachis postea intentarunt S. Albini cœnobitæ, quæ hoc anno MXCVIII. composita fuit in placito, pridie idus Martii, indictione VI. celebrato in ædibus episcopalibus: ubi Girardo sancti Albini, & Lamberto sancti Nicolai abbatibus dati sunt judices Gaufridus episcopus Andecavensis, Hildebertus Cenomannensis, & Marbodus Redonensis; necnon Bernardus abbas Majoris-monasterii, Willelmus sancti Florentii, Ebrardus sancti Carilefi, & Bernardus sancti Sergii abbates. Aderant quoque comes Fulco, ejusque filius Gaufridus.

[f] Hist. S. Nicolai p. 30.

XCV. Burdegalense concilium.

Habitum est Burdegalæ hoc anno concilium, præsidente Amato Burdegalensi archiepiscopo & legato, cui adfuerunt Raimundus Ausciensium archiepiscopus, Rollandus episcopus Dolensis, Simon Aginnensis, & Rainaldus Petragoricensis episcopi cum suis abbatibus & canonicis. Hujus concilii notitiam habemus ex synodicis ejus litteris, in quibus Ausculfus abbas sancti Johannis Angeriacensis & Garnerius abbas sancti Maxentii disceptarunt de ecclesia sancti Petri Marestasii *, sita prope Mastacium * castrum in diœcesi Santonensi, quam Ramnulfus Santonum episcopus, ejusque capitulum, cujus erat censualis & propria, Angeriacensi monasterio contulerant. quæ ecclesia, eodem Ramnulfo episcopo ejusque canonicis agentibus, Ange-

* Marestais le Vieux.

* Mastais.

ANN. CHR. 1098.

excepisset. Postea idem episcopus, cum Flaviniacum adiisset, illic honorifice susceptus est ab Hugone abbate: sed cum forum venale ante domum episcopalem de more fieret, ejus famnli mercatorum tabulas partim fregerunt, partim asportarunt. Cum locus censualis esset, tabulas ibidem restituerunt censuales, baculos in promtu habentes, nt se adversus insultus tutarentur. Id per insultationem factum reputans episcopus, etsi nullus e suis percussus esset, supra modum excanduit. quod ubi intellexit abbas, cum suis & loci nobilioribus viris fecit quod in se erat, ut eum placaret. Verum non sic mitigatus præsul, *christianitatem ei abstulit*, id est rebus sacris ipsum interdixit, quasi prædicti, ut putabat, insultus auctor exstitisset, eique diem quo Æduæ se sisteret, præfixit, cum eo, *ut homines illo duceret*. quod se facere non posse respondit, *quia nec usus erat ecclesiæ*. Institit abbas, ut episcopus ipsi *christianitatem* redderet, ac fidejussores obtulit: nec sic eam obtinuit. Ivit Æduam ad placitum: sed favorabile judicium non habuit, per sex dies illic detentus cum multis expensis, *centum equos* absque famulis ibidem retinere coactus. Quin etiam volebat episcopus interdicere omnes Flaviniacensium cellas & ecclesias: sed ei obstitit *integritas capituli Æduensis*. Iterum citatus Æduam abbas, cum illuc proficisci cœpisset, viginti-quinqne hominibus comitatus, consilio monachorum & nobilium vallatus est ne eo pergeret. Perrexit tamen cum tribus tantum famulis, seque ad capitulum stitit, ubi adfuete prætet alios quidam e suis, qui eum accusarent excitatæ seditionis; at rejecti accusatores. Rem componere tentarunt Cabilonensis episcopus & præpositus Æduensis hoc pacto, ut abbas per quemdam e suis hominem sacramento probaret, se illius seditionis conscium non fuisse: fecit abbas, *nec missam*, ut ipse loquitur, obtinuit. Insuper episcopali auctoritate ei præcepit Æduensis, ut fratres Divionenses, qui *ad solatium laboris & ordinis custodiam* Hugoni dati fuerant, Divionem remitteret, aliosque e suis ejectos domum revocaret, alias nullum in ecclesia officium fieret. quo facto, postera die Romam profectus est, *ut nullus esset de missa recipienda, vel fratribus retinendis deprecationis locus*. Utrumque præstitit abbas, quod Jarentonis Divionensis abbatis & Flaviniacensium animos offendit, nec sic tamen episcopi gratiam obtinuit. Tandem, cum res longius, absente episcopo, abiret, absolutionem a Lugdnnensi archiepiscopo recepit. Duravit hæc controversia a festo apostolorum Petri & Pauli bujus anni usque ad festum S. Nicolai anni sequentis. quo temporis intervallo Hugo septies Æduam ire coactus est. Reverso demum Roma episcopo apud Sedelocum occurrit, a quo benigne exceptus, & osculo donatus est atque gratiis. Inter bæc nihilominus multa in monasterii utilitatem fecit Hugo, & tribus annis non integris *solidorum duo millia* pro eo contulit, præter solitas fratrum expensas. Non multo post episcopus novas ei lites intentavit. adeo difficile est exasperatos semel, jure an injuria, potentium animos ad concordiam redire.

In his omnibus qualis fuerit Hugonis abbatis animus, pie & diserte explicat ipse, agnoscens in bis flagellis medicam Dei miserantis manum, quibus ipsum a rerum prosperarnm torpore, quibus indormierat, excitavit. unde sic Deum alloquitur. *Quis enim ego tuus, vel qualis eram? Utique homo, cui omnia ad votum suppetebant, singula pro voto erant: ut mihi ipsi palam daretur intelligi, si tibi adhæsissem, nec vita remissiori frena laxassem, succedentibus utrimque prosperis rex essem, & vere rex.* At *sordes meæ fœtere fecerunt odorem meum, ut fructus pœnitentiæ darent odorem suum, te illuminante tenebras meas, & emundante conscientiam nostram. Unde non in longum prosperitate malorum meorum fruitus sum.* Idem auctor deinde commemorat, sibi, cum choro
» adesset aliquando ad horam tertiam, subrepsisse banc cogitationem, se arborem esse
» infructuosam, quæ succidi digna esset. Non esse filios sanctorum, qui tenent loca
» eorum, sed qui eorum opera exercent. Tum sibi voce interna trium datam fuisse op-
» tionem, aut famem, qua, populo in mortem ruente, tota pessum daretur abbatia:
» aut oppressionem vicinorum, ita ut vix superessent terræ habitatores: aut denique
» persecutionem inimicorum tam gravem, ut nullus ipsum amicum agnosceret. Ad vo-
» cem illam se obstupuisse dicit, sed tandem se divinæ voluntati totum commisisse;
» tantum orasse, reservari sibi aliquos amicorum, quorum consiliis protegeretur. nec
» obtinuisse nisi gratiam patris sui, scilicet Jarentonis abbatis Divionensis, quam etiam
» novissime habiturus non esset: sed tandem fore ut infamia cessaret, gratia rediret,
» tribulatio evanesceret, consolatio succresceret. Ceterum totam hanc persecutionem tribuit calumniæ monacborum suorum, quæ pestis ita generali tabe omnia illius temporis monasteria corrupisse dicitur, ut jam pæne nullus sit in eis filius, qui patris

benedictionem mereatur. Quæ inde consecuta sint, inferius videbimus.

ANN. CHR. 1098 LXXXIX. S. Remigii combustum monasterium.

Ex eodem Hugone, qui hæc omnia in chronico retulit, discimus, expulso ex Remensi S. Remigii abbatia Rotberto suffectum primo fuisse Burchardum abbatem, alium, ut videtur, ab ejusdem nominis S. Basoli abbate, ubi auctor ille agens de concilio Pictavensi post tres annos celebrato, ait, in eo actum esse *de expulsione abbatis S. Remigii injusta, & Burchardi substitutione illicita.* Burchardi tempore, & quidem hoc ipso anno, incendio deformatum fuit S. Remigii monasterium, quod Guido Trimoliensis anno M C. suis impensis instauravit, ut sequens inscriptio docet. *Anno Domini millesimo nonagesimo-octavo, cum incendio consumptum fuisset magna ex parte monasterium nostrum; ob servatam ecclesiam nostram novam, quæ non multo ante dedicata fuerat a domino papa Leone, & restauratum monasterium sumptibus fortissimi ducis Guidonis Trimoliensis, cognati abbatis nostri, & Ordinis S. Benedicti pii defensoris, reducis ab expugnatione sanctæ Jerusalem, quo navigaverat in auxilium Gottofredi regis; dominus abbas noster, ut singulis sabbatis gratiæ Deo redderentur, hanc Deiparæ virginis effigiem in oratorio novitiorum posuit anno millesimo centesimo.* Abbas iste erat Azenarius, qui in locum Burchardi ipso anno suffectus est. Hæc vero beatæ Mariæ lignea effigies, Christum parvulum in gremio gerens, ad nostrum usque tempus servata est cum præmissa inscriptione in membrana scripta longe post annum, ut videtur, millesimum centesimum, quo tempore Guido dux Trimoliensis dictus non fuisset.

Anscherus Centulensis abbas. a supra n. 24. * la Ferté.

Amoto a Centulensi abbatia [a] Gervino Ambianensi episcopo, suffectus est hoc anno in ejus locum Anscherus ejus loci monachus, genere nobilis, cujus pater Walterius, cognomento Senioratus seu Seniorator, vicini prædii dominus erat, quod ob castellum illic constructum Firmitatis * seu Feritatis nomen accepit. Primo suæ præfecturæ anno Anscherus omnes monasterii sui chartas, quæ post varias loci clades superfuerant, recensuit, ut in Appendice videre licet. Idem librum de miraculis S. Angilberti composuit, obtulitque cum ejus vita Radulfo Remorum archiepiscopo, ut ejusdem sancti corpus e tumulo levaretur. Multa alia ab eodem abbate facta, in carmine relata, cujus auctorem esse non dubito Hariulfum S. Ricberii monachum & Aldenborgensem abbatem, cujus chronicon in Anschero desinit. Hoc carmen in Appendice videre licet. Plura de Anschero inferius.

XC. S. Michaëlis ad Mosam cœmeterium. b Baluz. Miscell. to. 4. p. 432. & seqq.

In monasterio S. Michaëlis ad Mosam ad hoc usque tempus is mos obtinuerat, ut defunctorum monachorum corpora ad Vetus-monasterium, una amplius leuca dissitum a novo, humanda deferrentur. quod cum valde onerosum esset, ac disciplinæ regulari contrarium; Udalricus abbas Urbanum litteris interpellavit, ut in novo monasterio sepelirentur. In his litteris [b] Udalricus pontifici testatur, se cum illo in „ Christo diligere quod diligit, respuere quod respuit, denique se cruciari in quocum- „ que pro Christo cruciatur. Unde & pravitatem erroris tyranni Heinrici, ejusque se- „ quacium se respuere: qua in re paucos in sua patria socios habeant. Omnes quippe, „ qui Urbani præceptis hactenus obedire videbantur, metu persecutionis ad tyranni „ communionem defecisse. *Nos autem*, inquit, *quoniam te verba vitæ habere cognovimus, tecum in terra laboriose vivere, vel gloriose mori non abhorremus.* His præmissis exponit, jam a longo tempore consuetudinem apud ipsos inolevisse, quæ valde sibi onerosa, frequenter subvertendæ religionis occasionem generaverit, dum mortuo- „ rum suorum corpora ad quamdam cellulam suam, Vetus-monasterium dictam, a „ cœnobio *longe miliario* disjunctam, humanda efferuntur non sine gravi labore, sive „ per fervorem æstatis, sive in hieme per varias aëris inæqualitates, non sine reli- „ gionis detrimento. Porro sanctitati suæ notum esse, *quam sit utile servis Dei septa* „ *monasterii frequenter exire, sæculares personas obviam habere, locum verbositatis & scurrilitatis invenire.* Quapropter religiosis abbatibus sui ordinis visum esse, ut circa novi „ monasterii ecclesiam fratrum sepultura deinceps constituatur. Licet vero id ab episcopo concedi posse dicatur, se tamen absque pontificis auctoritate facere noluisse. „ quod sibi per apostolicas litteras *vel per sigillum* concedi precatur. Supplicanti annuit „ pontifex apostolico rescripto, VII. kal. Aprilis hujus anni dato, in quo Udalrico „ gratias agit, quod venerabilibus fratribus & coabbatibus, Rodulfo scilicet S. Vitoni „ apud Virdunum, & Lanzoni S. Vincentii Mettensis, fraternæ caritatis sinum ex- „ pandat, & persecutionis æstu laborantes suæ quietis umbraculo protegat, uti ex eo- „ rum relatu acceperat. Itaque ab eo tempore fratrum sepultura fieri desiit in Veteri- „ monasterio, quod modo prædium est novi monasterii.

ANN. CHR. 1098.

XCI.
S. Quintini de Monte abbates.

a supra n. 9.

Superstes fuit ad hunc annum Godefridus, Monris-S. Quintini prope Perronam abbas, pietate insignis, quo anno altare *de Bus* a Manasse Cameracensi antistite obtinuit, anno abbatialis sui regimiois quadragesimo, ut ex dictis [a] colligitur. In necrologio monasterii obiisse dicitur VII. kal. Martii hoc ipso anno, baud scio an secundum veterem calculum. Necrologii hæc verba sune. VII. *kal. Martii obiit domnus abbas Godefridus hujus congregationis*, M XCVIII. *incarnationis Christi anno, vir nobilissimus & litteris peritus, omnique religione adornatus.* & in necrologio S. Agerici Virdumensis, VIII. *kal. Martii Godefridus abbas S. Quintini, monachus S. Agerici.* Henricus ejus successor, ab instaurato monasterio abbas quintus, Henrici nobilissimi viri & Gerbergæ matronæ filius dicitur, qui disciplinam regularem, ab antecessore suo institutam, accurate observari curavit, mooasterii prædones acriter iosectatus est, multasque a Romanis pontificibus, regibus, & episcopis litteras suo mooasterio obtinuit. Inter alios *Baldricus Noviomensis antistes videns in monasterio sancti Quintini de Monte honestam monachorum vitam & Deo dignam conversationem*, eis remisit personatum aliquot altarium, ut ex ejus charta paret, data Noviomi anno M C II. Hanc de eorum honestate morum opinionem io tota Remensi proviocia invaluisse discimus ex bulla Paschalis II. data Laterani die XVII. kal. Maii anno M C VI. sic enim pontifex in ea Henricum abbatem alloquitur: *Commendat devotionem tuam suggestio venerabilium fratrum atque coëpiscoporum nostrorum, Manassis Remensis & Baldrici Noviomensis, cui se copulavit petitio etiam filii nostri Roberti Peronensis & uxoris ejus Adelidis, per assensum sive praceptum Viromandensis comitissa Adila, & ejus filiorum Radulsi atque Henrici, quorum dignitati Peronensis honoris possessio attinet, per assensum etiam Philippi Francorum regis & ejus filii Ludovici, quem Viromandensis comitatus contingit.*

XCII.
Vindocinenses a comite vexati.

Goffridus Vindocinensis eo tempore multas vexationes passus est a Goffrido de Prulliaco Vindocineosi comite, qui plurimas consuetudines ab bominibus opidi Vindocinensis injuste exigebat. Res eo usque processit, ut abbas mooasterium deserere coactus sit, & ad Ivonem Carnutensem episcopum refugere, qui *omnem honorem*, id est comitatum Vindocinensem ioterdicto supposuit. Inter hæc quidam monachus, Daniel nomine, e congregatione Vindocinensi fugieodo discessit, & quidquid *in quadam obedientia*, ad quam missus fuerat, iovenire potuit, secum asportavit. Hic, comperta comitis cum abbate discordia, Vindocinum adiit, & quidquid contra domoum abbatem comminisci potuit, comiri & comitissæ, aliisque omnibus, quos illi adversari noverat, temere effutiit. In his seditiosus ille monachus Goffridum abbatem infamavit apud Ivonem episcopum, quasi Danielem, *tam contumeliis verborum, quam injuriis verberum* affecisset; talisque exsisteret in omnes, aut pæne omnes. cui criminationi nimium credulus Ivo, Goffridum [b] admoouit, ut zelum suum ita moderaretur, ut nec tumori parceret, nec in sanas partes ferrum mitteret, & quos corriperet, cum caritate corriperet. Verum brevi patuit, qualis esset illius monachi impudentia; ille quippe comitem cum turba multa secularium in capitulum adduxit, & locum, quem ante diripuerat, sibi vindicavit, seque ita contra suum abbatem armavit, ut, quodam fratre ex illa *obedientia* expulso, per violentiam comitis eam sibi arriperet. Tandem vero, cum Deus tantæ discordiæ fioem imponere vellet, comitissam induxit, ut ad urbem Turonum proficisceretur: ubi pacem & concordiam coram Ivone episcopo fecit, fide data, se nullum deinceps damnum abbati illaturam.

b Ivo ep. 82.

Comitis satisfactio.

Non multo post comes ipse, auctoritate Johannis & Benedicti S. R. E. legatorum « constrictus, *nudis pedibus cum quibusdam suis, qui cum eo capitulum violenter intrave-* » *rant, prostravit se ante altare dominicum, & domni abbatis pedibus*, ibique promisit coram Deo & sanctis ejus, se numquam deinceps personæ domini abbatis, vel cujuslibet monachi sui damnum ullum illaturum. Tum *quatuor denarios super caput suum posuit, quos inde super altare cum quodam cultello misit: quatinus non solum præsentes, verum etiam homines post futuri, quam firmiter hoc actum fuerit, plenius agnoscere possent.* Cum vero prædictus Daniel fugitivus patrocinio sic destitutus esset, a domoo abbate indulgentiam petiie, obtinuitque: sed, ne ejus rebellio inulta remaneret, hanc » in eum sententiam in capitulo protulit, ut nulla in posterum obedientia vel cella ei » committeretur, & infamis semper haberetur.

XCIII.
Goffridi abbatis egregia monita & facta.

Ex variis cellis, quæ Vindocinensibus subjacebant, una erat beatæ Mariæ de Castello, qui locus est diœcesis Andecavensis in confinio Turonum, Castellum-Andecavorum vulgo appellatus. Illic degebant quidam fratres sub Guillelmo priore,

ANN. CHR. 1098.

quorum unus, Bernardus nomine, ob errata nescio quæ a Goffrido abbate Vindocinum cum priore [a] citatus est. Respondit prior, Bernardum venire non posse. Ad hæc Goffridus: *Si venire non potest*, inquit, *deferri potest:* præcepitque priori *auctoritate sanctæ Regulæ*, ut intra quatuor dies post acceptas litteras, ad se veniret, & Bernardum, si equitare non posset, afferri faceret. *Si vero aliter feceris*, ait, *& te perpetua infamiæ nota damnamus, & Bernardum ita excommunicamus, ut nec communionem percipiat vivus, nec sepulturam defunctus.*

a Gaufrid. lib. 4. ep. 41.

In alia epistola [b] Goffridus eumdem Guillelmum ejusque fratres admonet se relatu accepisse, quod contra regulam, quam coram Deo & sanctis ejus se observaturos promiserant, *carnes sollemniter & generaliter comedant.* quod si ita sit, eorum intemperanriæ se vehementer condolere dicit, & ne ulterius fiat, regulæ auctoritate eis prohibet. quippe *carnis comestio, sicut monachis pro corporis infirmitate conceditur, ita eis in carnis voluptate negatur. Infirmi, etiamsi a carne penitus abstinerent, non propter hoc regulam violarent. Carnibus namque vesci in regula non est præceptum monachis infirmis, sed permissum. Sed quia paucorum, vel nullorum istam virtutem esse cognoscimus, ut videlicet a carne omnino abstineant; cum alicui carnem comedendam tribuimus, rationabilis est consideranda necessitas, non carne carnis nutrienda cupiditas.*

b ibid. ep. 42.

In sequenti epistola [c] eosdem admonet, ut a sæcularium hominum, & *quod periculosius est*, mulierum frequentia, qua eos delectari ipsi nuntiatum fuerat, omnino caveant, ne forte ordini suo, quod absit, accersant infamiam, & se contra eos ad id puniendum provocent. Huic epistolæ affinis est alia [d] ejusdem auctoris ad Bernerium priorem cellæ Credonensis, quem graviter objurgat, quod infame peccatum præpositi sui ipsi non indicaverit: præcipitque, ut « *camerulam illam*, in qua sordidus ille scelus commiserat, quantocius destruat, eumque « *a claustro & curte* sancti Clementis, qui loci patronus erat, « *extraneum* faciat. quod quamdiu exsequi distolerit, tamdiu ab introitu sanctæ ecclesiæ ipse excludatur. Haud scio cujus cellæ prior fuerit Andreas ille, quem etiam [e] arguit, quod *generalem* seu communem *refectorii panem & vinum* respuat, & alium sibi panem, aliudque vinum a cellerario sibi dari procuret. quod emendari jubet Goffridus, si res ita habeat, ne fratribus sibi commissis scandali, vel murmuris justam occasionem præbeat. Hæc minutiora forte nonnullis videbuntur, sed ab instituto nostro haud aliena, nec leviter a superioribus animadvertenda.

c ibid. ep. 43.
d ibid. ep. 44.
e ibid. ep. 38.

XCIV. Placitum pro S. Nicolao apud Andecavos.

Cum ante duos annos Urbanus papa basilicam monasterii sancti Nicolai Andecavensis dedicasset, Fulco junior, Andecavorum comes, Rechinus cognomento, silvam Catiam, *sicut Brionellus eam dividit*, sancti Nicolai monachis [f] contulit cum pro se, tum pro animabus propinquorum suorum, in primis Fulconis avunculi & Gaufridi Martelli patrui sui, qui ipsum nutrierat, & a quo comitatum habuerat. In hujus vero donationis memoriam sanctæ crucis signum chartæ hac de re scriptæ apposuit in capitulo sancti Nicolai, coram Lamberto abbate qui recens Natali successerat, & coram ejus monachis ac multis optimatibus; eamdemque chartam super altare sancti Nicolai posuit *cum cultello Roberti monachi*, quem ibidem fregit, ut sic hac possessione se exuere testaretur. De hac silva litem sancti Nicolai monachis postea intentarunt S. Albini cœnobitæ, quæ hoc anno M XCVIII. composita fuit in placito, pridie idus Martii, indictione VI. celebrato in ædibus episcopalibus: ubi Girardo sancti Albini, & Lamberto sancti Nicolai abbatibus dati sunt judices Gaufridus episcopus Andecavensis, Hildebertus Cenomannensis, & Marbodus Redonensis; necnon Bernardus abbas Majoris-monasterii, Willelmus sancti Florentii, Ebrardus sancti Carilefi, & Bernardus sancti Sergii abbates. Aderant quoque comes Fulco, ejusque filius Gaufridus.

f Hist. S. Nicolai p. 30.

XCV. Burdegalense concilium.

Habitum est Burdegalæ hoc anno concilium, præsidente Amato Burdegalensi archiepiscopo & legato, cui adfuerunt Raimundus Auscienfium archiepiscopus, Rollandus episcopus Dolensis, Simon Aginnensis, & Rainaldus Petragoricensis episcopi cum suis abbatibus & canonicis. Hujus concilii notitiam habemus ex synodicis ejus litteris, in quibus Ausculfus abbas sancti Johannis Angeriacensis & Garnerius abbas sancti Maxentii disceptarunt de ecclesia sancti Petri Marestasii [*], sita prope Mastacium [*] castrum in diœcesi Santonensi, quam Ramnulfus Santonum episcopus, ejusque capitulum, cujus erat censualis & propria, Angeriacensi monasterio contulerant. quæ ecclesia, eodem Ramnulfo episcopo ejusque canonicis agentibus, Ange-

* Marestais le Vieux.
* Mastais.

ANN. CHR. 1098.

riacensibus adjudicata fuit hoc anno, indictione VI. III. nonas Octobris, Urbani papæ anno XI. ex quibus præcise tempus habiti concilii facile intelligitur. Verum nec sic penitus sopita fuit hæc controversia, quæ post annos sex denuo in concilio Pictavensi agitata est.

XCVI. Vaurensis ecclesia Tomeriensi unitur.

Egimus in primo volumine [a] de Vaurensi monasterio, quod a sancto Alano episcopo primitus conditum tradunt. Ejus ecclesia sæculo undecimo fere destructa erat, quam Isarnus Tolosæ episcopus, in cujus diœcesi tunc posita erat, nunc episcopalis sedes, Frotardo abbati sancti Pontii Tomeriarum instaurandam commisit. Exstant hac de re ipsius Isarni litteræ apud Catellum in libro secundo historiæ Occitaniæ » capite II. quibus Isarnus episcopus ejusque fratres ac nepotes testantur, se donare » ecclesiam sancti Elani (ita scribunt) quæ est sita in pago Tolosano secus litus Agoti [*] » fluvii, cum omni jure ecclesiastico, Deo & sanctæ Dei-genitrici Mariæ, sanctoque » martyri Pontio, & domno abbati Frotardo Tomeriensis cœnobii, quod est situm » in pago Narbonensi, ejusque successoribus, necnon monachis ejusdem cœnobii. » Hanc vero donatinnem eo pacto faciunt, ut prædicta sancti Elani ecclesia, quæ olim » a fidelibus constructa fuerat, & tunc per negligentiam destructa, instauretur juxta » castrum, quod est situm in allodio sancti Elani, & in parochia ejusdem ecclesiæ. » Actum anno MXCVIII. feria V. mensis Augusti. Ab eo tempore hæc ecclesia cella » fuit sancti Pontii Tomeriensis. Non diu post hanc donationem superstes fuit Frotardus abbas: cujus successori Petro Bernardus vicecomes sancto Pontio ecclesiam *de Salleyras* anno sequenti dedit; & anno MCIII. Aimericus vicecomes Narbonensis, ejusque conjux Maralda cum filiis suis, donationes ab antecessoribus suis factas confirmarunt, approbantibus Bertrando archiepiscopo, Bernardo vicecomite de Minerba & aliis. Eidem Petro Bertrandus archiepiscopus abbatiam sancti Aniani [*] ad Vernodubrum instaurandam commisit. Haud scio an proximus Petri abbatis successor fuerit Raimundus, qui anno MCLXXVI. concilio apud Vaurum contra Albigenses habito interfuit.

a *lib.* 15. *n.* 13.

* *l'Agout.*

* *S. Chinion sur Vernazoubre.*

XCVII. Anselmus cum Urbano Aversæ.

Dum Rogerius dux Apuliæ Capuam obsideret, essetque cum eo Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, ut superius [b] dictum est, illuc etiam autumno insequente accessit Urbanus papa, cujus una cum Anselmo familia esse videbatur. Interim nullum non movebat lapidem Willelmus Angliæ rex, quo Anselmum non modo pontifici, sed etiam sæculi principibus invisum, qua litteris, qua legationibus, redderet. Verum, nihil ex his Anselmi opinioni detractum: immo Rogerius multis precibus eum apud se retinere conatus est, dignitatibus quibuslibet ei oblatis. Obsidione soluta, vir Dei cum papa profectus est ad urbem Aversanam, ubi in abbatia sancti Laurentii hospitatus, satis egit apud pontificem, ut episcopali munere absolveretur, in quo suam » operam fere infructuosam esse noverat. At preces rejecit pontifex. Nondum cædes, » nondum vulnera eum passum esse, & jam dominici ovilis curam velle abjicere. Non » decere hæc tantum virum, non decere Anselmum. Tantum abesse ut dimissionem » petenti assentiri velit, ut contra ex obedientia vice beati Petri ipsi præcipiat, ne cu- » ram Anglici regni abjiciat. Ad hæc Anselmus: non cædes, non vulnera, non denique » mortem ipsam, si sua se conscientia non fallat, pro Christi ovibus subterfugere. at, ne » quid de rege dicat, quem sibi infestum esse norunt omnes; illi ipsi, quos oves; ipsi » episcopi quos adjutores habere deberet, nihil non agunt, ut justitiæ obtentu inju- » stitiam committant, scilicet obedientiæ beati Petri abrenuntiando, ne fidem regi » terreno violare videantur. Quid inter hæc faceret? Reponit pontifex, ratione niti » ea quæ ille dicebat: sed ne ejus causam non curare videatur, ad concilium se sistat, » quod apud Barium coram sancti Nicolai corpore kalendis Octobris celebrare consti- » tuerat, ut, quid de rege Angliæ ejusque similibus, qui contra ecclesiæ libertatem se erigunt, statuendum sit, præsens discat.

b *num.* 83.

XCVIII. Barensi in concilio Græcos refellit.

Cum tempus instaret concilii, Barium cum pontifice profectus est Anselmus. Adfuere quoque concilio Græci, a quibus quæstio de processione Spiritus-sancti mota est. His satisfacere tentavit pontifex, prolatis testimoniis, maxime ex epistola, quam olim Anselmus hoc de argumento scripserat. Verum urgentibus nihilo minus Græcis, imperato silentio, pontifex alta voce dixit: *Pater & magister Anselme, Anglorum archiepiscope, ubi es?* Mox præsto fuit Anselmus, qui inter primos concilii patres » sedebat, & ad ejus pedes Eadmerus, qui hæc refert. Tum pontifex ad eum: Cur » agis? cur siles? accede huc, & pugna pro matre ecclesia. Ad hoc enim divinitus huc missus

missus es. Illo autem ad respondendum parato, nonnullis satius visum fuit, ut in crastinum concertatio differretur. quod tanto argumentorum pondere, tanta loquendi vi & efficacia præstitit, ut nemo esset, qui adversariorum objectionibus omnino satisfactum esse non fateretur. Ubi finem dicendi fecit, conversus ad eum pontifex, inquit: *Benedictum sit cor & sensus tuus, & os & sermo oris tui sit benedictus.* Totam hanc disputationem litteris mandavit Anselmus in libro de processione Spiritus-sancti.

His finitis, actum est de Willelmo Anglorum rege, deque oppressione ecclesiarum & injuriis Anselmo illatis: de quibus sæpius a pontifice admonitus rex non tamen resipuisset. Omnium sententia fuit, ut anathematis gladio feriretur. Verum Anselmus, flexis coram pontifice genibus, intercessit ne id fieret. quod omnium in se amorem & admirationem auxit. Hujus concilii ordinem & consessum Eadmerus, ut erat a puero rerum ecclesiasticarum studiosissimus, accurate se observasse ait; in his insolitum sibi visum, quod archiepiscopus Beneventanus cappa præ ceteris pretiosiori uteretur, cum papa ipse non cappa, sed casula & pallio amictus concilio præsideret. Tum ipsi in mentem venisse, quod puer a senioribus ecclesiæ suæ, scilicet Cantuariensis, acceperat: scilicet archiepiscopum quemdam Beneventanum, fame in Italiæ partibus grassante, in Angliam venisse cum brachio sancti Bartholomæi, Cnuti regis tempore, & ab Imma regina copiosa eleemosynarum largitate donatum fuisse: cui prædictus archipræsul os illud brachii sancti Bartholomæi in grati animi signum donaverit, præstito prius de ejus veritate sacramento super Christi Domini corpore sacrisque reliquiis; & pretiosam illam cappam accepisse ab ipsa regina, quæ os illud Cantuariensi ecclesiæ concesserit. *Illis quippe diebus*, inquit Eadmerus, *hic mos* Anglis erat *patrocinia* seu reliquias sanctorum omnibus sæculi rebus anteferre.

Finito concilio, ex urbe Bario pontifex Romam revertit, & cum eo Anselmus sub finem mensis Novembris. Tunc illuc advenit Willelmus ille, qui Anselmo ex Anglia discessuro occurrerat, missus a rege ad papam, ut ejus pro Anselmo litteris responderet. Responsionis hæc summa erat, immerito de rege queri archiepiscopum, cum ei de regno discedere volenti a rege intimatum sit, si e regno exiret, archiepiscopatum in regis dominium transiturum. Ergone, inquit pontifex, quia eo tantum animo discessit, ut sanctam matrem omnium ecclesiam Romanam visitaret, suis omnibus spoliari debuit? Quis umquam tale quid audivit? Id vero adeo iniquum & injustum est, ut, nisi ante concilium, quod tertia paschæ hebdomada celebraturus sum, archiepiscopo ablata restituerit, noverit se anathematis sententia, quam meruit, in concilio feriendum. Nec plura legatus, qui secretiora ad privatum colloquium reservavit. Interim aulæ principes tum donis, tum verbis ad fallendum compositis pertentavit, ut per eos Urbanus ad inducias regi dandas saltem ad festum sancti Michaëlis anni insequentis induceretur; idque pro voto successit: certe nec facile recusari poterat, ut sufficiens tempus ad informandum regem, & responsum ab eo recipiendum haberetur. Verum ad id tempus Urbanus non pervenit, sub finem Julii præcedentis exstinctus. Acta sunt hæc in ipsis sollemnüs nativitatis Christi Domini, teste Eadmero.

Romæ pro eo acta.

Gravis & diutina ad id tempus controversia excitata fuit Casinenses inter & abbatissam beatæ Mariæ de Cingla, quam Casinenses ex illa cella, ejusque sanctimoniales expulerant. Hæc cella primitus Casinatibus concessa fuerat, eorumque dein permissu sanctimoniales cum abbatissa illic institutæ: quæ cum forte Casinatium jugum excutere vellent, inde ab eis expulsæ sunt, agente Rotberto comite, qui eamdem cellam Oderisio Casini abbati restituit. Querelas hac de re abbatissa pertulit ad Urbanum, qui ei ante causæ discussionem hanc cellam restituit. Post accuratum rei examen prædictam cellam pontifex Oderisio demum adjudicavit, sed ea lege, ut semper illic ancillarum Dei congregatio remaneret. Datum Romæ VI. idus Decembris hoc anno, indictione VII. Eidem Oderisio tunc quoque asserta subjectio Beneventani sanctæ Sophiæ monasterii, quam ejus loci abbas detrectabat. Utriusque judicii litteras videre licet in Appendice.

Cingla & S. Sophiæ monasteria Casinatibus asserta.

XCIX.

Dum pontifex Romæ versaretur, ipsum adiit Goffridus Vindocinensis abbas, & ab eo monasterii sui privilegiorum confirmationem obtinuit. Ex his unum rescriptum ad Vindocinenses ipse Goffridus refert in epistola * ad Ivonem Carnutensem episcopum, quo in rescripto Urbanus improbat Ivoni episcopo factam a Gof-

Vindocinensium aliorumque privilegia.

* Goffrid. lib. 2. ep. 27.

frido abbate professionem, quam nullam & irritam esse decernit. Huc referenda videtur ejusdem Goffridi epistola [a] ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum, in qua gratis se notari dicit, quasi Gaufridum Andecavorum episcopum apud pontificem, dum Romæ esset, accusasset. Et quidem Gaufridus ille, agente Urbano, postea episcopatu cessit, & Cluniacensis monachus factus est. Tunc temporis Berengarius abbas monasterii sancti Cucuphatis prope Barcinonem, *quod Octaviense* [b] *dicitur*, amplissimum suo monasterio privilegium obtinuit, datum hoc anno, prima die Decembris. Ipso anno Fulco Barcinonensis episcopus & comes Conchensi [c] sanctæ Fidis monasterio, cui tunc Bego abbas præerat, ecclesiam quamdam tribuit; eodemque anno Pontius episcopus Rotensis ecclesiam sancti Justi de Miliare Rodensi sancti Petri monasterio, & Regimundo abbati, ejusque monachis contulit.

a *Goffrid. lib.* 2. *ep.* 27.
b *Marca Hisp. p.* 1203.
c *ibid. p.* 1205.

C. Bernardus abbas Majoris-monasterii exagitatus.

Sub id tempus novas a fratribus procellas sustinuit Bernardus Majoris-monasterii abbas, eo prætextu, quod ab eo, qui excommunicatus esse dicebatur, benedictionem accepisset, & subjectionem metropolitanæ sedi ante benedictionem promisisset. Jam quidem ea de re, jure an injuria, culpatus fuerat; ideoque pastoralem curam deposuisset, nisi Urbani papæ intercessisset auctoritas [d], qui defectus ejusmodi, si qui fuissent, purgavit. Verum, ut sunt irrequieti monachorum animi, præsertim erga prælatos, qui disciplinæ severitatem ab eis exigunt; novas ea de re turbas denuo passus est Bernardus. quod cum rescivisset Ivo episcopus litteris [e] ad eum scriptis significavit, „ fratres illos fortasse habere zelum Dei, sed non secundum scientiam; *putantes quod promotionem abbatis faciat episcapalis benedictio, & non potius fratrum communis electio: cum tamen ipsam benedictionem conferat Dominus, non secundum meritum dantis, sed se-* „ *cundum fidem & puritatem benedictionem accipientis*. Adeoque non disceptandum de „ benedictione abbatis a quocumque episcopo eam fuerit consecutus: *in qua nec fit manus impositio, nec consecratio, sed simplex oratio; in qua accepta vel non accepta salus subditorum nec minuitur, nec augetur*. Legimus tamen complura privilegia summorum pontificum pro monasteriis, quorum abbates a schismaticis ordinari vetant. Nec absolute valet in hac causa, quod subdit Ivo de professione abbatum, quam sedi metropolitanæ deberi contendit. Id enim ad summum habet locum in monasteriis non exemtis; secus in exemtis, quale erat Majus-monasterium, de quo agebatur. Plura hoc de argumento alias [f] diximus. Bernardus abbas altero abhinc anno decessit.

d *V. lib.* 67. *n.* 101.
e *Ivo ep.* 73.
f *lib.* 49. *n.* 111.

CI. Padolironenses abbates.

In Italia hoc tempore ad meliorem vitam transiit Willelmus Padolironensis abbas. Eo mortuo, cœnobium illud Cluniacenses ritus accepit sub Alberico abbate ex ordine Cluniacensi. Is Padolironense monasterium apostolicæ sedis tutelæ ac protectioni submisit sub Urbano II. qui locum ab omni laïca & ecclesiastica potestate exemit. Id testatum facit Urbanus ipse in litteris [g] ad Mathildem comitissam, quibus eam hortatur, ut sancti Floriani ecclesiam, a Bonifacio ejus patre monasterii fundatore, ei concessam, & a monachis regi solitam, per Mantuanum episcopum, qui eam Padolironensibus abstulerat, restitui curet, ut ne monasterium, quod suum vocat, ullam imminutionem sub sua ditione patiatur. Non exstat ullum aliud Urbani diploma, quo Padolironense monasterium Cluniacensi subjiciatur. Id a Gelasio pontifice factum tradit Innocentius II. in litteris [h], quibus litem componit ortam Cluniacenses inter & Padolironenses, qui obedientiam & reverentiam Cluniacensi abbati tunc denegabant, ejusque jurisdictioni se subtrahere moliebantur. quos Innocentius repressit, ut S. Bernardus in epistola CL. testatur.

g *Hist. Padolir. probat. p.* 45.
h *Bibl. Clun. p.* 1405.

Gaufredus Mala-terra monachus & historicus.

Desinit in hoc anno historia Gaufridi Malæ-terræ monachi, qui res a Rotberto Wiscardo & Rogerio ejus fratre in Apulia & Sicilia gestas quatuor libris accurate perscripsit. Hos autem libros Catanensi episcopo inscripsit in hunc modum: *Beatæ memoriæ Georgio Catanensi episcopo frater Gaufredus, ab antecessoribus Mala-terra agnomen* trahens, infelici cursu cum Martha habito, ad felicitatem quietis Maria cum Lazaro fratre resuscitari*. Ubi primo advertas, quod jam sæpe observatum, *beatæ memoriæ* elogium homini viventi tribui. Hunc Georgium Catanensem episcopum hoc tempore non habet Rocchus Pirrus in notitia Catanensium episcoporum, sed Ansgerium, quem hoc loco in editis restituendum puto. Fuit Ansgerius [i] Britannus nostri Ordinis monachus, uti & Mauricios, qui ei anno MCXXIV. in episcopatu successit. Id recte quadrat his verbis, quibus episcopum Catanensem ita compellat Gaufredus. *Quando quidem, sanctissime pater, quadam peculiari familiaritate a ceteris episcopis*,

* *ed. male* egonem.
i *V. lib.* 68. *n.* 26.

qui, quantum ad habitum, alterius institutionis esse præfigurantur, habitu religionis, quo concingimur, quamvis indignus, vobis me uniri cognosco, peculiari etiam spe a ceteris de vobis præsumens fruor, & vos mihi in omnibus negotiis tutorem exposco. Ex quibus manifestum est, episcopum illum & Gaufredum, ejusdem habitus & propositi fuisse. Illius patrocinio se defendi postulat Gaufredus tum adversus æmulos, tum erga principem, scilicet Rotbertum, cujus mandato hanc historiam *plano sermone* scribere aggressus erat. Is se *a transmontanis partibus* in illas partes profectum, *noviter Apulum, vel certe* Siculum esse dicit. Vossius eum Hispanum vocat. Ejus historiam cum alia Alexandri Telesini abbatis Hieronymus Surita anno MDLXXIIX. typis vulgavit, eamque summo viro Antonio Augustino archiepiscopo Tarraconensi dicavit, non offensus impolita illorum historicorum oratione, ratus *verborum jacturam tolerabilem esse; cognitionis vero rerum, causarum & eventorum*, quæ ex illis auctoribus percipitur, *inestimabilem.*

ANN. CHR. 1098.

INsequens annus millesimus nonagesimus-nonus magnum toti orbi christiano gaudium ob expugnatam Jerosolymam attulit; maximum Urbano sacræ expeditionis auctori allaturus, nisi mors tanti gaudii usuram ei præripuisset. Hic ad tertiam post pascha hebdomadam concilium Romæ celebrandum indixerat, ut illam expeditionem denuo confirmaret; statueratque in eo agere de Anselmi causa adversus Willelmum Angliæ regem: at regis legatus inducias ad festum sancti Michaëlis, ut supra diximus, impetravit, ad quod tempus pontifex non pervenit. Cum nihil auxilii ex hoc speraret archiepiscopus, discedendi veniam a pontifice petiit: at eum pontifex Romæ ad tempus concilii remorari jussit. Cum ad illud ventum est, episcopis, qui ex Italia & Gallia venerant, suas de more sedes sibi vindicantibus, cum nemo illic esset, qui archiepiscopum ullum Cantuariensem Romano concilio interfuisse vel vidisset, vel audivisset; adeoque qui sciret, quo in loco Anselmus sedere deberet, papæ jussu *in corona sedes illi posita est*, ut scribit Eadmerus. Statutis in illo concilio editis, tum contra Guibertinos, tum contra laïcas investituras, Reingero Luccensi episcopo, sonoræ vocis homini, a pontifice mandatum est, ut in medio ceteris eminentior staret, alta voce decreta lecturus. Paruit ille jubentis imperio: at, nonnullis lectis capitulis, vultu, voce ac gestu mutatis, oculis ad adstantes conversis, exulcerati animi dolorem premere non valens, lectionis serie interrupta, non ab alio quoquam impulsus, sponte in hæc verba prorupit: Quid facimus? reverendissimi patres. Præceptis subditos oneramus, & iniquis tyrannorum vexationibus non occurrimus? Querelæ de oppressionibus ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum ad hanc sedem referuntur in dies, & ab ea, tamquam ab omnium capite, consilia & auxilia requiruntur: sed quo effectu? heu totus orbis christianus novit & ingemiscit. En vobis ante oculos e remotissimis partibus ejus rei testis unus, modestus ac silens, cujus silentium, quavis voce altius clamat: cujus humilitas & patientia quo magis uppressa, eo sublimior est apud Deum, & in nos efficacior. Iste, inquam, quam atrocissime vexatus, tam injustissime suis omnibus spoliatus huc refugit, sedis apostolicæ opem efflagitans. Jam annus secundus est ex quo huc venit: sed quid huc-usque præsidii invenit? Si virum, de quo loquor, ignoratis, ipse est Anselmus archiepiscopus Cantuariensis. His dictis, virgam pastoralem, quam manu tenebat, ter pavimento illisit, ut rei indignitatem exprimeret. Ad quem pontifex: Frater Reingere, sufficit, sufficit: hac de re bonum consilium erit. Et quidem expedit, ait ille: alias qui justa judicat, id non feret impune. Tum reliqua concilii decreta legere instituit; iisque lectis, iterum, ne parvi penderetur Anselmi injuria, denuo inculcavit. Hæc omnia tacens auscultavit Anselmus: cui permirum visum est, sic de se & pro se locutum fuisse Reingerum, quem nec a se, nec a quoquam e suis ad hæc dicenda impulsum fuisse probe sciebat. Postera die Roma discessit vir Dei, nullo reddito de ejus causa judicio, & per mille pericula Lugdunum tandem incolumis rediit: ubi non sicut hospes aut peregrinus, sed velut loci dominus ab archiepiscopo habitus est, episcopalia munia, ita enim volebat Hugo, non secus ac in propria ecclesia exercens. Huc spectat ipsius Anselmi epistola, quæ nona est in Spicilegii tomo IX. ad Hugonem archidiaconum Cantuariensem, cui testatur, se, ex quo ex Anglia exierat, nullam passum esse rerum temporalium indigentiam; nec ullius mali violentiam tantum ei nocere potuisse, quantum Dei benevolentia eum juvare voluit; tan-

ANN. CHR. 1099. CII Post concilium Romanum Anselmus Lugdunum redit.

AN CHR. 1099.

» tam quippe gratiam se invenisse apud episcopos, abbates, & principes ac divites hujus » sæculi & minoris ordinis homines, a mari Barensi usque ad mare Bononiense, ut » amplius timeret eos offendere præsentiam suam subtrahendo, quam eos frequen- » tando. *Inter quos*, inquit, *venerabilis archiepiscopus Lugdunensis gaudet ad præsens se suam mihi munificentiam copiose & honorifice exhibere, & desiderat me semper secum, quamdiu exsul ero ab ecclesia nostra, manere*. Ita vir sanctus, acceptorum beneficiorum gratiam Deo acceptam referens, ut par erat. In fine salutat abbatissas de Scephtesberia, de Wintonia & de Wintuna cum suis ancillis conversantibus, eisque benedictionem suam impertit.

CIII. Rotbertus Molismum redire cogitur.

Inter ea Molismenses monachi Rotberti abbatis sui absentiam impatienter ferentes, Urbanum adierunt tempore concilii Romani, ejusque auctoritate eum sibi restitui flagitarunt; eo absente religionem apud se pessum ire, seque apud principes & accolas despectui & odio haberi causati. Hæc pontifici, hæc concilii patribus omnibus ac singulis supplices exponebant. Hæsit nonnihil pontifex, an eorum votis assentiret, ne recens plantatæ vineæ cultorem auferret: at contra, veterem illum agrum incultum deseri duriusculum videbatur. Rem itaque propius dispiciendam censuit pontifex, eamque Hugoni Lugdunensi archipræsuli dijudicandam commisit, scriptis ad eum litteris in hunc modum.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri & coëpiscopo Hugoni, apostolicæ sedis vicario, salutem & apostolicam benedictionem. Molismensium fratrum magnum in concilio clamorem accepimus, abbatis sui reditum vehementius postulantium. Dicebant enim religionem in suo loco eversam, seque pro illius abbatis absentia odio apud principes & alios vicinos haberi. Coacti tandem a fratribus nostris, dilectioni tuæ per præsentia scripta mandamus, significantes nobis gratum exsistere, ut, si fieri possit, abbas ille ab eremo ad monasterium reducatur. Quod si implere nequiveris, curæ tibi sit, ut & qui eremum diligunt conquiescant, & qui in cœnobio sunt, regularibus disciplinis inserviant.

His litteris obtentis, missi alacres rediere Molismum: tum, consilio cum suis habito, primo quidem Lingonas ad Rotbertum diœcesanum episcopum, cujus haud dubie instinctu abbatem suum repetebant, profecti sunt, litteras ab eo ad legatum accepturi. His munitus Gaufridus, qui absente Rotberto abbas creatus fuerat, cum aliquot fratribus ad legatum pergit, negotium prosecuturus, locum redeunti Rotberto cedere paratus. Utrisque litteris acceptis, legatus ad Petram-scissam*, quæ modo Lugdunensis urbis arx est, cum aliquot episcopis aliisque religiosis viris colloquium hoc de negotio habuit. Post maturam discussionem visum est ut Rotbertus Molismum rediret, quod legatus Lingonensi episcopo litteris significare curavit. Ve- » nisse scilicet ad se cum ejus litteris Molismenses monachos, loci sui desolationem ac » destructionem, quam ob remotionem Rotberti abbatis incurrebant, vehementer » deplorantes; ipsumque patrem reddi sibi magnopere postulantes. nec enim ullo » alio modo pacem & quietem Molismensi ecclesiæ posse restitui, vel monastici ordi- » nis vigorem in pristinum illic statum revocari. Adfuisse quoque cum eis Gaufridum, » quem eidem loco abbatem episcopus ipse ordinaverat; professum, se libenter Rot- » berto, tanquam patri suo, locum daturum, si Molismum remittendus videretur. » Audita itaque ipsius episcopi, ac Molismensium petitione, relectisque papæ litteris, » tandem multorum virorum religiosorum, tam episcoporum, quam aliorum consilio, » supplicantibus Rotbertum restituere se decrevisse, eo videlicet pacto, ut prius in ma- » num Cabilonensis episcopi, cui more ceterorum abbatum professionem fecerat, vir- » gam & curam abbatiæ reddat, ac monachos Novi-monasterii a professione obedien- » tiæ sibi promissæ liberos & absolutos dimittat. Insuper facultatem cum eo redeundi » Molismum se dare fratribus novi monasterii, quotquot eum sequi voluerint, dum- » modo neutri neutros deinceps sollicitent, vel recipiant, nisi juxta præscriptum regulæ » S. Benedicti de monachis noti monasterii recipiendis. His ita constitutis, licere epis- » copo Rotbertum restituere Molismensi ecclesiæ: sic tamen, ut, si denuo illam deserue- » rit, nullus ei substituatur vivente abbate Gaufredo, citra suum ipsius, ejusdemque Gau- » fredi assensum. quæ omnia apostolica auctoritate confirmat. De *capella* vero, aliisque » rebus, quas prædictus Rotbertos Molismo discedens secum tulerat, omnia Novi-mo- » nasterii fratribus cedant, præter breviarium quoddam, quod usque ad festivitatem » S. Johannis-Baptistæ retinebunt ad transcribendum, assensu Molismensium. Huic definitioni interfuerunt episcopi, Norgaldus seu Norgaudus Æduensis, Gualterus

* Pierre-encise.

Cabilonensis, Berardus Matisconensis, & Pontius Bellicensis; necnon abbates, Petrus Trenorchiensis, Jarento Divionensis, Gaucerannus Atanacensis; Petrus quoque papæ camerarius, multique alii. His litteris paruit Rorbertus, virgam pastoralem Cabilonensi episcopo resignavit, monachos Novi-monasterii (sic principio vocabatur) a promissa sibi obedientia liberos fecit, & cum duobus tribusve, qui ipsum sequi voluere, fratribus ad Lingonensem episcopum profectus est, cui litteras obtulit Cabilonensis episcopi, quibus ipsum obedientia sibi debita, & a Novi-monasterii pastorali cura exemtum declarabat. Inde Molismum reversus, ubi cum summa omnium gratulatione acceptus est, Gaufredo locum cedente, Molismensium denuo curam resumsit, & usque ad obitum demum retinuit.

CIV. Albericus Cisterc. abbas.

Itaque Cisterciensis pusillus grex, optimo pastore destitutus, unum e suis Albericum, qui & apud Molismum, & in Novo-monasterio prioris officio functus fuerat, abbatem sibi elegit, virum divinis humanisque litteris apprime instructum, & regulæ studiosissimum: qui Stephanum priorem instituit, futurum postea ipsius in abbatiæ regimine successorem. Tum vero durissimum vivendi genus illic observatum, ad accuratissimam regulæ praxim compositum: ut nihil minus ab antiquis illis Ægypti patribus, quorum non sine stupore facta legimus, novi illi Cistercienses fecisse videantur. Si Michaëli Bucbingero Colmariensi credimus, nec certe id supra fidem, quatuor tantum horis in nocte dormiebant, quatuor psallebant, & quatuor operabantur. Deinde usque ad nonam lectioni & scindendis palmarum foliis vacabant, tum victum sibi ex herbis parabant: denique palmarum foliis vestiebantur. Hæc ille in vita Urbani II. Sub hæc dedicata in honorem Deiparæ-Virginis ecclesia a Gualtero Cabilonensi episcopo: cui dedicationi Odo dux Burgundiæ cum filio Hugone, Rainardus vicecomes cum Hodierna uxore, multique alii proceres interfuere.

CV. Rotbertus in Cisterciensis congregatione auctor.

Hoc loco Manrique, clarissimus Cisterciensis ordinis annalista, vitæ S. Rotberti scriptorem arguit, quod ipsum sanctum utrique cœnobio post suum in Molismum reditum præfuisse dicat, & primo quidem Albericum præfecisse Cistercio; mox Alberico defuncto Stephanum ab eodem substitutum. quod utrumque falsum vir doctus arbitratur: cum nec Albericus a Rotberto præfectus sit monasterio, cujus curam dimiserat: nec Stephanus, qui anno M CIX. ordinatus est, institui potuerit a Rorberto, qui anno M C. obierat. Verum longe ultra annum millesimum centesimum, immo ultra centesimum nonum vitam produxit Rotbertus, ut in consequentibus demonstrabimus: & quamvis Novi-monasterii præfecturam cessisset, non tamen paternam illius curam omnino abjecisse censendus est, cum monachos illos ut filios baberet, & illi ut patrem semper eum suspicerent. Albericum itaque abbatem, eoque mortuo Stephanum ejus consilio elegisse videntur, & novi instituti formam, quam ipse per unum annum illic excoluerat, stabilisse: adeo ut non tantum Novi-monasterii, sed etiam nascentis Cisterciensis congregationis primus auctor merito babendus sit. Unde Petrus [a] Cellensis ad Molismenses scribens. *Gallina illa Molismensis*, inquit, *plena plumis & bene pennata, quot & quales de utero suo fetum protulit, dum ex se collegium Cisterciense originario germine pullulavit?*

a Pet. Cell. lib. 7. ep. 14.

CVI. Levitatis immerito culpatus.

Rotberti factum maligne interpretatur Willelmus Malmesburiensis [b], cum ait, eum primo *ingenti impetu* hæc apud Cistercium fecisse, & alios ad hæc facienda compulisse: at processu temporis consilii pœnituisse hominem delicate nutritum, ægre ferentem rantam ciborum parsimoniam. cujus voluntatem monachi apud Molismum residui cognoscentes, verbis quibusdam an epistolis, per obedientiam papæ, *astu quodam eum* ad monasterium retulerint, volentem cogentes. Sic de viris piis & sanctis temere judicant, loquunturque homines, qui eorum facta ex suis moribus metiuntur. Sane Rorbertum non sua sponte, sed invitum & apostolica auctoritate inductum rediisse Molismum ex dictis satis superque patet, eumque ad austerum vivendi genus quam maxime propensum fuisse tota ejus vitæ ratio persuadet. Certe si quid vitii Rotberto imputari potest, maxime cujusdam levitatis, quippe qui tam sæpe locum mutaverit, tam sæpe Molismum deseruerit. Verum id majoris perfectionis ac solitudinis causa actitabat, præsertim cum monachos suos non satis ad accuratam regulæ observationem dociles experiebatur, nec nisi majorum auctoritate coactus ad eos revertebatur. Equidem quam parum ad suam voluntatem faciles, etiam post ultimum in Molismum reditum expertus sit vir Dei, vel hoc unum probat exemplum. Die quadam duo clerici præ foribus ecclesiæ alimoniam a Rotberto petunt.

b Malmesb. de gestis reg. lib. 4.

ANN. CHR. 1099.

Vocatus illico frater œconomus, jussusque ut aliquid petentibus impertiret, respondit, panes in monasterio prorsus nullos haberi. Unde igitur, ait vir sanctus, fratres reficies? Nescio, infit ille. Peractis missarum sollemniis, ad cymbali sonitum fratres ad mensam conveniunt: adest cum omnibus Rotbertus, sciscitaturque unde œconomus panes haberet? Paucos, inquit ille, reservavi; ne fratribus hora refectionis cibus deesset. At vir Dei zelo accensus, ingressus refectorium, panes mensis appositos in sportam conjecit, eosque e colliculo ecclesiæ proximo, in subterfluentes aquas per præceps abjecit, ut hoc facto ostenderet, quanta esset hæc inobedientiæ culpa. Verum statim Deus servis suis annonam providit per pias Castellionis feminas, quæ illis tres quadrigas panibus onustas suppeditarunt. Tum convocatis fratribus, diffidentem illum & inobedientem monachum coram omnibus graviter objurgavit, cunctosque ad bene de Dei misericordia in necessitatibus sperandum animavit.

CVII. Urbani bullæ pro variis monasteriis.

Nunc veniendum ad extrema Urbani papæ facta, qui paullo ante obitum quædam nostri Ordinis monasteriis privilegia indulsit. Unum est concessum pro Anianensi monasterio, cui tum præerat Petrus *de Salve* abbas, Emmenonis [a] successor. Ad Petri abbatis preces Urbanus Anianense monasterium, exemplo antecessorum suorum Johannis, Nicolai & Alexandri, sub apostolica tutela confirmat; suaque auctoritate roborat donationes, quas Carolus, Ludovicus, aliique Francorum principes eidem loco fecerant. Datum Laterani XVIII. kal. Maii, indictione VII. hoc anno, Urbani papæ XII. Idem pontifex triduo post, privilegium indulsit Petro [b] abbati monasterii S. Saturnini, siti prope amnem Valeriæ in parochia Urgellensi, quod in eadem libertate manere decernit, *quam egregiæ memoriæ Carolus imperator instituerat, & Leo venerabilis sanctæ sedis apostolicæ pontifex firmaverat*, & provinciales episcopi asse- » ruerant. Ad hæc ejusdem loci bona omnia confirmat, præsertim quæ venerabilis me- » moriæ Erimbaldus Urgellensis, & Arnulphus Riparcociensis episcopi in dedicatione » ejusdem monasterii tradiderant. Datum Romæ in porticu beati Petri XIII. kal. Maii, » indictione VII. hoc anno, Urbani XII. Tertium diploma datum est itidem Romæ V. kal. Maii, inscriptum Fulconi abbati monasterii Sanctæ-Crucis apud Burdegalam, cui omnes ejus possessiones confirmat rogatu Amati Burdegalensis archiepiscopi. Quartum denique concessit pontifex Andreæ abbati monasterii Casalis S. Petri, » quod in episcopatu Bituricensi recens ab Andrea ædificatum erat; statuitque, ut in » loco illo ea semper disciplinæ regularis institutio conservetur, quam juxta Vallumbrosanorum fratrum consuetudinem ab ipsis illic initiis Andreas stabilierat. Datum Romæ apud beatum Petrum VI. kal. Maii, iisdem anno & indictione. Idem privilegium iisdem verbis renovavit Paschalis II.

a V. lib. 64. n. 62.

b Marca Hisp. p. 1208.

CVIII. Urbani II obitus & instituta.

Post hæc tribus tantum mensibus superstes fuit eximius pontifex, qui demum post multos labores pro ecclesia Dei summa cum moderatione toleratos, post domitos patientia potius quam armis adversarios, pace ecclesiæ conciliata, Romæ piissime decessit IV. kal. Augusti, postquam sedi apostolicæ annos XI. menses IV. dies XVIII. præfuisset. Eximia ejus pietas fuit in beatissimam Virginem, cui diem sabbati sacrum esse voluit; eodemque auctore horariæ preces, quod parvum beatæ-Mariæ officium vocant, non modo a clericis, sed etiam a laicis frequentari cœperunt ad opem cælestem adversus infideles impetrandam. Eum in primis laudat Domnizo, in carmine de Mathilde comitissa, ubi non *rector tremulus* ad omnem ventum, sed inflexus pro justitia fuisse dicitur, *aureus antistes*, ac demum *sanctis merito sociatus*: ideoque *Romæ digno conditus honore*, in basilica scilicet Vaticana. Annum & diem ejus obitus notat idem auctor. De ejus sanctitate ac virtutibus insigne testimonium præbet Guibertus [c] abbas, ejus fere æqualis, in hæc verba. *Attestatur status mentis finis ejus splendens miraculis. Defuncto enim & sepulto eo, sicut succedens ei Ostiensis scripsit episcopus, cum plurima signa jam fierent, adstitit quidam sepulchro illius juvenis, & membrorum damnum sibi imprecatus est, si per Urbani merita, qui Odo diceretur, signum umquam factum fuerit, ac fieret. Necdum pedem a loco exsulerat, cum officio sermonis amisso, & altero laterum paralysi intercurrente correpto, postridie Urbani virtutum testimonia mortuus ipse perhibuit.* Hactenus Guibertus.

c Guib. lib. 2. de gestis Franc. init.

Paschalis II. ejus successor.

Sexta decima post ejus obitum die a clero & populo electus est Rainerius seu Raingerius, ex monacho presbyter cardinalis, ac Paschalis secundus appellatus. Id *divina revelatione factum ubique divulgabatur*, teste Bertholdo. Hic origine Tuscus, natus Bledæ *, quæ urbs olim episcopalis, nunc diœcesis Viterbiensis, patre Cres-

* Bieda.

centio, matre Alfatia*, vitæ monasticæ studio ad percelebre Cluniacense monasterium se contulit adolescens. Inde negotiorum causa Romam ab Hugone abbate missus anno ætatis xx. Gregorio VII. notus acceptusque ob egregios mores, ab eodem postmodum presbyter cardinalis tituli S. Clementis creatus est, ac demum factus abbas monasterii sanctorum Laurentii & Stephani extra muros. Hæc fere Pandulfus in libro de pontificibus Romanis, Baronio Anonymus dictus, cujus copiam ex Vallicellana bibliotheca habemus. Pergit idem auctor agere de ejus electione, quæ cum ipsi comperta fuisset, fugit latuitque: sed non diu latere potuit, divino proditus consilio in multorum salutem. Invenitur itaque, trahitur in conventum, & ab omnibus Paschalis secundus acclamatur; ac die altera, Augusti scilicet quarta-decima, ab Oddone Ostiensi episcopo consecratur. Dum hæc Romæ agerentur, Alberto Alatrino episcopo quædam religiosa persona apparuisse dicitur, quæ interroganti, quis domno Urbano successurus esset; respondit, Rainerius, & quidem propter fidem & constantiam. Ad hæc episcopus: Putasne diu vivet? Vivet, ait illa, sedebitque quater quaternos, ternosque annos. Sic enim scriptum erat in schedula, quæ episcopo ostensa est. Urbani obitum, & suam ipsius electionem Paschalis Hugoni Cluniacensi abbati litteris significavit, quas ex codice Moisiacensi accepimus hoc tenore.

* Baron. Alsatia.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo fratri Hugoni Cluniacensi abbati salutem & apostolicam benedictionem. Domini & patris nostri Urbani papæ doctrina & vita quam sancta, quam grata Deo exstiterit, exitus profecto melior, & ipsa [totius ecclesiæ] protestatur tristitia. Unde & nos, & vos omnipotenti Deo communibus votis dignum est gratias agere. Sciatis autem ejus obitum IV. kalendas Augusti completum, totius urbis Romanæ luctu & tristitia celebratum. die vero post ejus transitum XVI. nos, licet indigni, totius cleri & catholici populi assensu in ejus locum suffecti sumus.

Mitto alias Paschalis ad catholicos principes, aliosque de sua electione epistolas, eorumdemque ad ipsum gratulatorias litteras; ex quibus Ivo Carnutensis episcopus ita ad eum scribit. *Paternitatem vestram apostolici culminis gradum ascendisse, & in locum beatæ memoriæ papæ Urbani successisse nostra parvitas gratulatur, & summæ providentiæ gratias inde referens, ut de bonis principiis meliores exitus proveniant, pro modulo suo Dominum quotidianis orationibus deprecatur. Credimus enim religionem vestram zelum Dei hactenus habuisse, & decorem domus Dei non ficte dilexisse*, &c.

CIX. Landuinus Cartusiæ prior Brunonem adit.

Hoc anno Landuinus majoris Cartusiæ prior, ad Brunonem in Calabria degentem profectus est, tum ut eum inviseret, tum ut de variis instituti sui dubiis consuleret. Ejus adventus tam gratus ac jucundus fuit venerabili patri, ut eum secum retinere tentaverit. Verum non tulit Landuinus fratres suos, quos in majori Cartusia reliquerat, & de suo reditu certiores fecerat, ejus præsentia & directione fraudari. Tam justo ejus proposito acquiescens pater sanctus, eum a se discedere passus est, datis ad fratres majoris Cartusiæ litteris, quarum priorem partem huc afferre lubet.

Brunonis epistolæ.

Fratribus suis unice dilectis in Christo, frater Bruno salutem in Domino. Cognito rationabilis & vere laudandæ disciplinæ vestræ inflexibili rigore ex crebra ac dulci relatione beatissimi fratris nostri Landuini, necnon audito sancto amore vestro & incessanti studio erga ea, quæ integritatis & honestatis sunt, exsultat spiritus meus in Domino. Vere enim exsulto & feror in laudem & gratiarum actiones Domino; & tamen amare suspiro. Exsulto quidem, ut justum est, pro incremento frugum virtutum vestrarum; me autem doleo & erubesco, inertem & socordem jacere in sorde peccatorum meorum. Gaudete ergo, fratres mei carissimi, pro sorte beatudinis vestræ, & pro larga manu gratiæ Dei in vos. Gaudete, quia evasistis fluctuantis mundi multimoda pericula & naufragia. Gaudete, quia quietam & tutam stationem portus secretioris obtinuistis, ad quem cum multi venire desiderent, multi quoque nonnullo conatu contendant, non perveniunt tam... multi vero, postquam potiti fuere, exclusi sunt, quoniam nulli eorum desuper concessum est. Ideo, fratres mei, certum ac probatum sit vobis, quod quicumque optabili hoc usus est bono, si quocumque modo id amiserit, usque in finem dolebit, si quis respectus vel cura salutis animæ suæ sibi fuerit.

Hactenus prior pars epistolæ Brunonis, qui in posteriori fratribus laïcis gratulatur, quod, cum scientiæ litterarum expertes sint, Deus eorum cordibus non solum amorem, sed etiam notitiam legis suæ inscripserit. quod opere ostendant, cum obedientiam veram ac sinceram toto studio observent. tum subdit: *Ergo, fratres mei, permanete in eo ad quod pervenistis, & morbidum gregem quorumdam vanissimorum laïcorum ut*

ANN. CHR. 1099.

pestem vitate: qui chartulas suas, forte obedientiales, ut vocant, litteras, *circumferunt, mussitantes quae non intelligunt nec amant, quibus verbis & factis contradicunt. qui otiosi & gyrovagi, quotquot bonis & religiosis detrahunt, & se in hos laudabiles putant, si laudandos infamaverint, quibus obedientia & omnis disciplina odio est.* Addit se voluisse retinere secum fratrem Landwinum propter graves & crebras sui ipsius infirmitates: sed multis » lacrymis postulasse, ut ad eos rediret. Denique eosdem hortatur, ut sedulam cari- » tatem in priorem & patrem suum ostendant, benigne & provide subministrando ea, » quae ipsi pro multimoda valetudine necessaria sunt. quippe qui malit periclitari de » salute & vita sua, quam aliquid de disciplinae corporalis rigore remittere. quod pror- » sus, inquit, improbandum est. quae subsidia si renuerit, licere ipsis reverenter eum » cogere ad ea, quae ipsius saluti commoda & necessaria sunt. In fine testatur vir san- » ctus, unicum sibi post Deum esse desiderium eos revisendi; & primo quoque tem- » pore se id opere exsecuturum, si fieri possit. At neque Brunoni datum est in Galliam reverti, neque Landuino ipsi, qui in reditu a Guiberto antipapa comprehensus, inflexusque ad ejus minas & promissiones, tam diu in carcere detentus est, quoad schismaticus superstes fuit, scilicet usque ad annum sequentem.

CX. Baldricus Aurelianensi episcopatu exclusus.

Post mortem Sanctionis Aurelianensis episcopi, quam anno superiori accidisse constat, de episcopatu contentio fuit inter Johannem, ejusdem ecclesiae archidiaconum & Radulfi Turonensis archiepiscopi nepotem, atque Baldricum Burguliensem abbatem. Johanni rex Philippus favebat, Baldrico regina, haud dubie Bertrada, ambo non sine praemio. Pudet referre quae Ivo Carnutensis episcopus de Johanne scribit, tum in epistola ad Urbanum, tum in alia [a] ad Hugonem archiepiscopum Lugdunensem. In epistola ad Urbanum ait, Johannis electionem factam fuisse in natali Innocentium; adeoque anno M XCVIII. nam Urbanus mortuus est mense Julio anni subsequentis. De utroque contendenre ita scribit Ivo ad Hugonem archiepiscopum. *Sciat vestra sollicitudo, quia cum abbas Burgulensis ore patulo, manibus apertis, cum multa securitate ad curiam in natale venisset ad accipiendum episcopatum, sicut ei illa praedicta regina promiserat; quia animadversi sunt plures & pleniores sacculi nummorum in apothecis amicorum istius, quam apud abbatem, ille est admissus, iste est exclusus. Et cum abbas quereretur apud regem, quare sic eum delusisset, respondit: Sustinete interim, donec de isto faciam proficuum meum. postea quarite ut iste deponatur, & tunc faciam voluntatem vestram.* Itane venalia erant sacra? Pudet quod Baldricus his sordibus inquinatus videatur. Meliori, ut puto, conditione ad Dolensem episcopatum post aliquot annos promotus est.

a Ivo ep. 66. & 67.

CXI. Leotherici monachi obitus.

Non excessit hunc annum Leothericus Cormeriacensis [b] monachus, qui in villa Vedunta [*], quo Guidonis abbatis permissu secesserat, piissime decessit XVIII. kal. Octobris. Ejus corpus Cormeriacum relatum, in sacello beati Nicolai humatum fuit, ejusque sepulcro arcus additus probat, quantum venerationis ei majores nostri detulerint. Libellum de ejus vita scripsit Joachimus Perionius, ejusdem loci asceta, qui eum miraculis claruisse testatur: quod etiam tumulus exesus, ait ille, derasusque declarat.

b V. lib. 65. n. 93.
* Vente.

Res Uticenses.

Jam annus octavus erat, ex quo Rogerius abbas [c] Uticensi monasterio praeerat, sed episcopalis benedictionis expers, quam Gislebertus Lexoviensis [d] episcopus, tametsi saepius rogatus, ei conferre detrectabat, nisi professionem subjectionis ipsi faceret. Sic Serlo, Rogerii antecessor, post Mainarium ad abbatiae regimen electus, Uticensibus duobus annis absque benedictione praefuit, quia ejusmodi professionem, Uticensi ecclesiae insolitam, facere recusavit. Serlone porro ad Sagiensem episcopatum assumto, Rogerius abbas per annos fere octo pastoralem baculum non gestavit, propterea quod benedictionem a Gisleberto episcopo extorquere non potuit. Hac de re Willelmus rex a monachis interpellatus, episcopo mandavit, ut antiquas consuetudines haud novaret, & Rogerium absque ulla novitatis exactione consecraret. Paruit vel invitus episcopus, & Rogerio abbati, a Radulfo Sagiensi abbate Lexovium deducto, benedictionem impertiit die festo decollationis sancti Johannis Baptistae. Postera die Uticum reversus abbas, honorifice susceptus est, moxque de ecclesia dedicanda consilium iniit. Id factum idibus Novembris insequentibus a tribus episcopis, ad eam celebritatem invitatis, Gisleberto scilicet Lexoviensi, Gisleberto Ebroicensi, & Serlone Sagiensi; & septem altaria ab eis dedicata. Ad hanc dedicationem convenere multi Normannorum proceres, necnon abbates, in his Willelmus Beccensis

c V. lib. 68. n. 4.
d Orderic. lib. 10. p. 776

censis, Radulfus Sagiensis, & Arnulfus Troarnensis. quæ omnia fuse narrat Ordericus.

CXII. Buxiensibus Cassanolii ecclesia data.

Hoc anno Petrus Pictavorum episcopus, eo nomine secundus, ecclesiam sancti Clementis villæ, quæ dicitur Cassanolium, sitæ ad fluvium Clennem * seu Clenum, monasterio sancti Amandi de Buxia contulit in manu Rannulfi abbatis: ea lege, ut presbyter, qui hanc ecclesiam a monachis obtinuerit, duodecim denarios Pictavensis monetæ quotannis sanctæ matri Pictavensi ecclesiæ ad pentecosten persolvat. *Actum secundo kal. Aprilis, anna ab incarnatione Domini* M XCVIII. secundum veterem calculum, indictione VII. Processu temporis, id est anno M CC XXVI. Philippus Pictavensis episcopus hanc Cassanolii ecclesiam alia permutavit. Fallitur Belforestius, cum villam Cassanolium * pagi Pictavensis cum Cassanogilo palatio confundit.

* *le Clain.*

* *Jazeneüil.*

Galterius eremita.

Dum Rannulfus abbas Buxiensi monasterio præesset, vir quidam bonæ opinionis, Galterius nomine, nobilis & fortis miles, e Franciæ partibus ad pagum Pictavensem se contulit, & in silva Buxiensi, annuentibus opitulantibusque abbate & monachis, cellulam exstruxit cum oratorio in honorem sanctæ Mariæ, & sancti Saturnini, sanctique Amantii. Cum vero prædictus locus cresceret, idem Galterins, Rannulfo abbate & monachis inconsultis, eum tradidit Carrofensibus monachis, quibuscum amicitiam inierat. quo comperto, Rannulfus abbas in jus vocavit Carrofensem abbatem, qui ejus rationibus convictus, locum cessit. Dein Ademarus Ecolismensis præsul, Rannulfi abbatis rogatu, eamdem ecclesiam consecravit, eamque in illius manu *per chyrothecam plenam avellanis confirmavit.*

CXIII. S. Petri de Esloncia monasterium instauratur.

Exstat in regno Legionensi apud Hispanos insigne sancti Petri de Esloncia monasterium, quod a Garsia, Alfonsi Magni filio, paullo post sæculi decimi initium conditum [a] fuisse diximus. Processu temporis cum illud monasterium fere interiisset, & ad clericorum seu laïcorum manus devenisset; id instaurandum aggressa est Urraca, Fredinandi seu Ferdinandi regis & Sanciæ reginæ filia, in cujus possessionem postremo devolutum erat, illudque monachis nostris restituit, quibus Christophorum abbatem præficiendum curavit. Præclarum est hac de re ejusdem Urracæ diploma, cujus hæc verba [b] eximiam ejus pietatem exprimunt. *Suscipe jam, Domine pie, qui immensus es in minimis, suscipe a me parva, & hæc tam fac placabilia, ut, cum ante te fuero præsentata, in regno tuo reddas gaudia immensa. Offero itaque tibi, bone Deus, cœnobium in honore principis apostolorum Petri & vas electionis Pauli constructum, in valle Elisonça situm, quod cœnobium tritavus meus Garsias rex, in culmine regni positus, construxit, etiam & collegio monachorum, sub regula sancti patris Benedicti Deo militantium, decoravit, cum benedictione abbatis Adjuvandi, qui regio sumtu ecclesiam raro apere ædificavit, quam supra fatus rex in honore prædictorum apostolorum consecrari fecit. sicque, multis annorum curriculis subsistit. Sed, quia in creaturis nihil immutabile, quoniam tu solus es incommutabilis, Domine, hoc cœnobium, nescio qua causa urgente, versum est in clericorum seu laïcorum habitationem, donec ad me est devoluta hæc possessio hereditaria sorte; quam, ut supra facta sunt, a me separo, & tamen ea Deo offero, ac redivivo honore ordino: scilicet monasterio ea redono, abbatemque in ea, nomine Christophorum, concordia fratrum simul & mea, benedictione pontificali consecro, eamque monachis deservientibus semper servituram confirmo; talique tenore eam tibi, Deus meus, offero, ut, postquam ultimum diem vitæ sumpto * mortali clausera, nullus de traduce mea, nullus de extranea, nemo de regali dignitate, nemo de populari universitate, ab hoc loco sancto aliquod obsequium requirat, vel aliquod in eo dominii exerceat, nisi præsens dominus & germanus meus rex gloriasissimus Adefonsus, & qui post eum sceptra ejus ex semine obtinuerit. Mihi autem, quamdiu viva fuero, hanc caritatem abbas & monachi exhibeant, ut, cum eos videndi, vel causa orandi ibi venero Deum, servientibus meis annonam alimentorum præbeant; nullusque post mortem meam exsistat, qui hoc requirere præsumat. Sic sic, dilecte redemptor meus Christe, pro expiandis criminibus nostris tibi hoc cœnobium consecro, & pietatem supplicans adoro, ut me exiguam, quam precioso redemisti cruore regni tui facias participem esse.* Tantæ Urracæ pietatis monumentum non aliis, quam ejus verbis exprimendum erat. Ad hæc offert his sanctis altaribus alia tria monasteria, ut monachis illic « degentibus nulla indigentia foret: monasterium scilicet sancti Johannis *intra muni-* « *tionem muri Legionensis, juxta aulam S. Mariæ, quæ est sedes episcopalis*, sibi à patre Fer- « dinando datum post rebellionem comitis Ferdinandi, cujus olim erat; tum monaste- « rium sancti Adriani in montanis, Balneare dictum; denique monasterium sancti Jo- «

[a] *V. lib. 42. num. 79.*

[b] *Tepes. to. 4. script. 35.*

* *f. consumpto.*

hannis in Asturiis, Vetulum appellatum. Postremo eidem monasterio varia offert ornamenta, *velum ante altare apponendum*, *candelabrum cum septem lucernis argenteum ante altare illuminandum*, *& capsulam argenteam*, *plenam sanctorum reliquiis*; atque undecim codices. tum subdit: *Accipe, Christe, hac munera, a me tibi & apostolis tuis oblata, nomini tuo & eorum consecrata; & concede, ut, cum judex adveneris, & cum eisdem apostolis orbem judicaveris; eorum precibus pulsatus, mihi sis judex mitissimus, eruatque me oratio eorum de flammis erebi ulterioribus, & purgatam ab omni culpa introducat in paradisi cæli gloriam.* Acta sunt hæc pridie idus Martii, æra c xxxvii. post millesimam, regnante Adefonso rege una cum Bertha regina in Toleto & Legione, in Galecia Raimundo comite una cum prædicti principis Adefonsi prole Urraca conjuge. His litteris subscribunt Adefonsus princeps serenissimus, Bertha regina, Urraca donatrix, Ferdinandi regis & Sanciæ reginæ filia, Gelvisa ejus soror, Tharasia Adefonsi regis filia, multique proceres. Has litteras sequitur apud Yepesium pontificium diploma Urbani III. Martino abbati S. Petri de Eslonça confirmantis omnes ejusdem loci possessiones anno M C LXXXVI. Ex eo tempore hoc S. Petri monasterium perstitit sub ordine S. Benedicti, Vallisoletanæ congregationi unitum auctoritate Julii II. anno MDXII.

CXIV. S. Michaelis ad Mosam jus monetæ concessum.

In Lotharingia Richerus Virdunensis episcopus monasterio sancti Michaëlis ad Mosam, precatu domni Udalrici abbatis, jus fabricandæ monetæ concessit, interventu Rodulfi S. Vitoni & Lanzonis S. Vincentii abbatum, aliorumque, ea lege, ut » loci ipsius abbas quemcumque voluerit monetæ præficiat, qui ab ipso vel ejus nun- » tio Virdunum perductus, coram camerario fidelitatem tam de pondere, quam de » exagio, id est de metalli sinceritate, rite faciat; & sic ab eo vestituram & instru- » menta percussuræ, id est cuneos, suscipiat, eique singulis annis in natali Domini » quinque solidos pro eulogiis, & nihil aliud cuiquam pendat. Hic vero monetarius, » si de pondere vel exagio infamatus fuerit, Virduni causam suam coram camera- » rio prosequetur. Quod si monetam mutari, atque renovari contigerit, quod qui- » dem abbatis consilio & assensu faciendum erit, prædictus monetarius Virduni bullas » & cuneos a camerario accipiet. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis M XCVIII. indictione VII. Testes ex canonicis Theodericus primicerius, Richerus decanus, & alii: ex monachis Albertus prior, Wadulfus &c. Idem jus monetæ Heinricus episcopus Lanzoni abbati anno M CXIII. confirmavit.

CXV. Rodulfus abbas S. Vitoni obit.

Non multo post, & quidem hoc ipso anno, ex hac mortali vita ad immortalem transiit Rodulfus, sancti Vitoni apud Virdunum abbas, post multas vexationes & angustias, quas tum a schismaticis, tum ab aliis passus erat. Paullo ante obitum ad cellam monasterii sui Flaviniacum secessit, ut adventantium molestias vitaret, ac rebus spiritualibus attentius vacaret. In quadragesima graviter infirmari cœpit nec tamen a sacris exercitationibus animum relaxabat, pernox in precibus, in divinis officiis assiduus, ad missam semper in oratorio adesse solitus. Ubi ejus morbi fama vulgata est, certatim ad eum confluxere non modo vicini, sed etiam longius remoti, mediocres quique ac primores, comites, duces atque præsules, quos omnes saltem gestu corporis benigne recipiebat, ut nullus ab eo non recreatus, non ad pietatem magis instructus recederet. Instante obitu fratres accersiri jussit, eosque qua poterat voce, ut in recta fide persisterent, admonuit: tum stola collo imposita, prostratos absolvit, & ad osculum admisit, uti & nobiles quosdam qui præsentes erant. Illic etiam aderant nobiles feminæ, & ipsæ a sæculo conversæ, in his soror Richardi Albanensis episcopi, quibus manum osculandam præbuit. Omnibus itaque in commune admonitis, *corpus dominicum sumsit*, & totus ad Deum conversus, se & omnes ejus pietati commisit. Post hæc suis præcepit, ut quem nominaret domnus Godezo, qui sibi assistebat, vir utique boni testimonii & religiosæ conversationis, sibi successorem eligerent. cui omnes assenserunt. Interim passiones Domini ante eum legebantur, & cum recitaret lector, quot & quanta Christo Domino fecissent Judæi, crebro » vox dicentis audiebatur: Ut quid hæc fecerunt Dei inimici? Non agnoscebant Deum » vera dicentem, mira facientem. Ah quales pœnas modo luunt! Venit tandem hora, quam semper optaverat; &, cum paullulum siluisset, oculis clausis, velut dormiens, spiritum efflavit. Corpus ejus lotum, sacrisque indutum vestibus, ad altare sancti Firmini delatum est. Præmissis Virdunum qui mortem ad sanctum Vitonum nuntiarent, & ad ejus sepulturam omnia pararent; corpus ejus primo Tullum delatum est, ab episcopo & abbate sancti Mansueti honorifice exceptum; tum ad monasterium

sancti Michaëlis ad Mosam, cujus abbas Odelricus seu Udalricus, vir vitæ religiosissimæ & innocentis, ejus quondam in monasterio socius & amicus, obviam cum suis venerabundus processit, & postera die navicula impositum terrestri via cum psalmis & canticis Virdunum usque deduxit: ubi a canonicis beatæ Mariæ cum magno honore exceptum, & sacris procuratum, demum ad monasterium sancti Vitoni perductum est: ibique ad altare sancti Benedicti, juxta Dadonem episcopum, & Humbertum, primum ejus loci abbatem, ibidem, ut creditur, sepultum, perquam honorifice humatur. Ejus obitus in necrologio sancti Benigni notatur v. kal. Aprilis his verbis: *Obiit Rodulfus abbas sancti Vitoni, nostræ congregationis monachus.* illic quippe prior aliquamdiu vixerat. Idem iisdem verbis legitur in necrologio sancti Agerici, cujus loci monachus primum fuerat Rodulfus, uti & Laurentius ejus successor.

CXVI. Laurentius ejus successor.

Expleto funeris officio, Richerus episcopus fratres in capitulum convocat, eosque ad dignum successorem eligendum hortatur; moxque e capitulo egressus est, ut liberam eligendi facultatem haberent. Post solitas preces Godezo monachus, cui Rodulfus moriens secretum suum de sublegendo successore commiserat, omnibus significavit, ut Laurentium priorem pro abbate haberent. Acclamaverunt omnes præter electum, qui ægre adduci potuit, ut onus sibi impositum subiret, sequenti dominica ordinatus. Erat is nobilis genere in Leodicensi episcopatu ortus, eodem tempore, quo & Rodulfus, monachus factus in eodem cœnobio; eoque ex priore creato abbate prior institutus; tum apud Divionem claustralis prior, cum sancti Vitoni monachi illuc commigrassent; iisque Virdunum reversis apud S. Vitonum quoque prior. Quantas vero persecutiones, uti & Rodulfus, ab episcopo Virdunensi sustinuerit, in consequentibus videbimus. Hæc omnia fuse prosequitur sub finem sui chronici Hugo abbas Flaviniacensis, qui primo apud sanctum Vitonum monasticen professus erat, antequam stabilitatem suam in Divionensi sancti Benigni monasterio firmaret.

Romam mittitur.

Intereà rex Heinricus, quia Richerus episcopus, ipso abjurato, ad apostolicam sedem se contulerat, indignatus obsides ab eo repetiit, quorum unum Johannem nomine, in vincula conjecit. Mox alii obsides episcopum conveniunt, ut obsidatus jugo ipsos liberaret. Ille quadam necessitate constrictus, curiam adiit, cæsari fecit satis, cum eo communicavit, ac de cetero fidem ei obstrinxit. Id ubi rescivit Paschalis papa, eum divinis interdixit, suspensumque ad triennium habuit. quo temporis spatio sancti Vitoni monachi ab ejus communione abstinuerunt. Ille vero adeo patienter id tulit, ut quibusdam ad invidiam eum provocantibus hoc responsum dederit: Sinite servos Dei, sinite: meliores enim sunt me. Demum Laurentium abbatem & Widonem archidiaconum pro se legatos Romam misit, per quos communionem & gratiam apostolicæ sedis recepit, ac demum absolutionem ab archiepiscopo Lugdunensi. Hæc Laurentius ipse pluribus commemorat in historia episcoporum [a] Virdunensium, quam post Bertharium presbyterum continuavit usque ad pontificatum Alberonis de Gbisneio, cui eam dicavit. Multa passus est, uti ejus antecessor, adversa per quadraginta amplius annos, quibus monasterio præfuit.

a Spicil. to. 12. p. 293. & seqq.

CXVII. Hugo abbas Æduensis.

Non multo post Rodulfum excessit e vivis Hugo abbas sancti Martini Æduensis, eo nomine secundus, qui, teste Hugone Flaviniacensi [b], e Divionensi monasterio raptus, & apud S. Martinum abbas institutus, idem monasterium in pristinum statum ordinis & religionis restituit. Id ut exsequeretur, quosdam e cœnobio sancti Benigni monachos secum illuc adduxit. Verum, idem ipsi contigit atque Hugoni abbati Flaviniacensi, e sancti Benigni abbatia itidem assumto, qui quos secum adduxerat monachos, pii operis futuros adjutores, eos domum remittere coactus est. Ast in pio proposito nihilo minus perstitit generosus pastor, licet securi percussus in capite fuisset: sed demum *noviss.me, ut dicitur, veneno vitam finivit, bravium beata perennitatis adeptus: in cujus obitu omnis illa religiositas cœpta deperiit.* Ita loquitur Hugo ejus æqualis & consodalis, qui de ejus successore dicere supersedit, ne id ad injuriam & notam cederet archiepiscopi Lugdunensis, qui quem ipse, vivente adhuc abbate, rectorem fieri vetuerat, eumdem postmodum abbatem ordinari sciens ac volens passus est. Hic videtur esse Bernardus abbas, ejus nominis primus. In necrologio sancti Benigni IV. idus Junii notatur obitus Hugonis abbatis Æduensis, qui ejusdem congregationis monachus fuisse dicitur.

b Labbe to. 1. p. 264.

CXVIII. Guiberti abbatis elevatio.

Post annos centum & triginta-septem quam Guibertus seu Wibertus, Gemblacensis monasterii conditor, in tumulo jacuerat, Sigibertus ejus loci monachus

ANN. CHR. 1099

a lib. 68. n. 43.

Lietardo [a] abbati persuasit, ut ejus corpus e sepulcro levari curaret. Approbante abbate, missus est Leodicum Sigibertus, ut Olberti episcopi super hac re consilium & consensum exquireret. Non ægre assensit antistes, ejusque jussu ab Heinrico archidiacono causa defertur ad Fredericum archiepiscopum Coloniensem, qui ea io synodo generali discussa, Gemblacensium votis annuit. Rebus ita dispositis, futuræ celebritati indicitur dies ad nonum kal. Octobris, quo die, præmisso jejnnio, sollemni ritu facta elevatio est; atqne ex eo die Guibertus ioter sanctos relatus haberi cœpit.

CXIX. Theodericus S. Trudonis abbas eligitur.

b lib. 68. n. 76.

c Spicil. to. 7. p. 396. & seqq.

Post funestissimas illas procellas, quas sancti Trudonis monasterium sustinuisse superius [b] diximus, tandem Leodicensium animos permovit bonos Deus, ut tantis malis demum finem imponere curarent, instituto illic bono pastore, qui nobilem abbatiam ab interitu vindicaret. Verum, quoniam locus iste in temporalibus [c] pendebat ab ecclesia Metteosi, in spiritualibus a Leodicensi; nonnulli, qui de relevando monasterio minus solliciti erant, aiebant ad ecclesiam Leodicensem pertinere tantum abbatis ordinationem, non electionem, quæ Mettensem ecclesiam spectabat. At cootra religiosiores asserebant, utrumque Leodicensi ecclesiæ tunc incumbere, cum Mettensis, ob episcopi cum Heinrico imperatore discidium, mooasterio subvenire non posset. Erat tunc temporis in Gandavensi sancti Petri monasterio Theodericus Trudonensis quondam monacbus, qui, fervente contentione Lanzonis & Lniponis de abbatia decertantium, illuc se receperat. Nullus eo magis idoneus visus est ad regendam abbatiam, utpote pius & litteris apprime instructus, atque otraque lingua, Teutonica nimirum & *Gualicana* seu Walonica præditus. Placuit ejus electio Olberto episcopo, qui litteris & jussis vix tandem eum a cœnobio sancti Petri abstraxit, abstractum duxit Aquisgranum, nt abbatiam de manu imperatoris pro more illius temporis acciperet. Itaque datus est ei baculus Aquisgrani III. kal. Februarii, idemque abbas simul & sacerdos nonis Martii hoc anno consecratus. Erat tunc miserabilis illius monasterii, cum in temporalibus, tum in spiritualibus status. Illic nihil nisi parietinæ, nibil tectum præter turrim, nihil clausum: omnia omoibus pervia & aperta. Ex tota basilica nihil integrum præter *vilissimam capellam*, superstitem super sanctorum Trudonis & Eucherii sepulcrum. Hinc non mirum si regularis ordo & disciplioa illic omnino defecerant, cum locus utrique sexui pateret. Prima itaque Theoderici cura fuit instaurandi pro modulo sarta tecta templi, ceterorumque ædificiorum. Atque ut suppetias ad tantum opus ab exteris eliceret, diebus paschæ & pentecostes in ecclesia beatæ Mariæ sermooem ad populum habebat, indeque non raro decem aut duodecim marcas argenti referebat. Verum dum hæc ageret, idem illi evenit, atque Israëlitis e Babylonica captivitate reversis, persecotio scilicet in primis comitis Gisleberti *de Duram*, monasterii advocati; tum Henrici Lemburgensis, majoris advocati, qui Herimannum pseudoabbatem, in abbatiam denuo intrusit, cui monachi omnes, Theoderico addicti, strenue adversabantur. Interim tertio citatus Herimannus, cum non paruisset, excommunicatur ab episcopo, frendente Henrico duce, qui privato odio episcopum aversabatur. Henrico restitit Gislebertus comes, Tbeoderico jam recoociliatus, adjuocto sibi Godefrido comite Lovaniensi, qui non multo post dox exstitit. Tunc loco cedere coactus est Herimannus. quod ubi rescivit Henricus, extremam monasterio, ejusque possessiooibus perniciem minitabatur; & vix tandem *argentea malleo* emollita est ejus durities. His omnibus interfuit, qui hæc fusius refert, Radulfus seu Rodulfus, tunc ejus loci prior, postmodum abbas, qui & addit, ritus Cluniacenses, ad restituendam regularem disciplinam, illuc introductos fuisse *kalendis Martii, quæ fuit eo anno sexta feria in capite jejunii;* adeoque anno M C VII. quo pascba in quartum-decimum Aprilis incidebat.

Res Germanicæ.

d V. supra n. 50.

In Alamannia, Gerhardo Scafusensi abbate ad loca sancta, ut superius diximus [d], profecto, post multa pericula, teste Bertboldo, ordinatus est Adalbertus, qui de antecessoris expulsione infamatus, ita se judicio sanctæ ecclesiæ purgavit, ut a Gebehardo Constantiensi episcopo, qui ipsum in nativitate sancti Johannis-Baptistæ ordinavit, per obedientiam, quam sanctæ regulæ debebat, interrogatus, se illius criminis insontem professus sit. Eodem anno Hildiboldus Magdeburgensis abbas ordinatus est, qui *ordinem* seu normam Hirsaugiensem illic instituisse memoratur.

Eodem etiam anno, ex Bertholdo, Liutolfus comes bonæ-memoriæ, causæ S. Petri contra scbismaticos propugnator indefessus, ex sæculari tandem dignitate ad monasticam religionem conversus, ad Dominum migravit XV. kal. Septembris in

ANN. CHR. 1099.

monasterio, quod ipse fundaverat, & in quo monasticen professus erat, ibique sepultus est. Idem tradit prædictus auctor de Adelberto comite piæ recordationis, S. Petri causæ itidem addictissimo, qui ex comite monachus factus, feliciter diem clausit extremum, & in monasterio Hirsaugiensi, quod ipse ex propriis construxerat, & in quo monasticum habitum susceperat, honorifice humatus est, præsidente domno Gebehardo abbate.

CXX. Mediolanensis S. Protasii ecclesia monachis asserta.

Mediolani magna tunc temporis altercatio nata est inter quosdam cives & monachos suburbani S. Simpliciani monasterii super ecclesia [a] S. Protasii intra muros sita, quam monachi sui juris esse contendebant, at illius ecclesiæ vicini denegabant. Hi quippe aiebant, S. Protasii ecclesiam olim monasterium fuisse; basilicam vero sancti Simpliciani canonicorum collegium: sed abbatem & monachos, solitariæ vitæ studio, populi frequentiam, quam canonici nnn recusabant, vitare cupientes, hanc cum eis permutationem fecisse, ut abbas & monachi cum omnibus rebus ad suum monasterium pertinentibus ad S. Simpliciani basilicam; canonici vero ad S. Protasii ecclesiam migrarent. Ob has rationes vicini nullos deinceps monachos apud S. Protasium restare volentes, Gualdonem S. Protasii officialium præpositum elegerunt, abbare huic electioni invito consentiente, ne forte tumultus in populo oriretur. Ad hæc reponebat abbas, monachorum cœnobium dudum fuisse apud S. Protasium: sed, cum propter loci angustiam monachi, quorum numerus succrescebat in dies, illic non possent absque gravi incommodo consistere, translatam fuisse abbatiam ad basilicam S. Simpliciani, relictis tamen quibusdam apud S. Protasium monachis cum aliquot clericis, qui abbati S. Simpliciani subjecti essent. Cum longius ferperet altercatio, jamque civitas ex ea perturbaretur; tandem inter partes convenit, ut litis judicium committerent Anselmo archiepiscopo, e sacris locis nuperrime reverso: qui, auditis utrimque rationibns, favorabilem abbati S. Simpliciani sententiam protulit, assistentibus sibi episcopis & abbatibus, scilicet Armanno Brixiensi & Bono Regiensi episcopis; Guillelmo S. Ambrosii, & Arialdo S. Dionysii abbatibus. Tunc S. Simpliciani abbas erat Johannes. Utrumque porro S. Simpliciani & S. Protasii monasterium etiam nunc sub Casinensi S. Justinæ congregatione persistit.

[a] *Ital. sac. to. 4. p. 168. & seqq.*

CXXI. Berardi Farfensis abbatis successores.

Vix novum monasterium in monte [b] construere cœperat Berardus Farfensis abbas, eo nomine secundus, cum vehementi febre correptus est: qua per dies quinque conflictatus, factorum pœnitens, hoc anno, feria sexta post caput jejunii interiit absque sacro viatico, quod in os immissum retinere non potuit. Ipso die, sepulto ejus corpore, absente Romano loci priore, electus est Oddo, ejusdem cœnobii monachus, genre Langobardus, homo litterarum & scribendi peritus, sed honoris avidus, & prodigus; fuitque abbas Farfæ quadragesimus. Mox a fratribus interpellatus, præstito sacramento promisit, se monasterii consuetudines & res omnes religiose servaturum: sed non diu promissum tenuit. nam non multo post a pravis consiliariis seductus, res monasterii contra fidem datam profundere cœpit; atque ut adversus fratres se tutnm præstaret, virorum præpotentium favorem & patrocinium nundinatus est multæ pecuniæ pretio, pro qua ecclesiæ ornamenta distraxit & oppigneravit. Ea de re a fratribus increpitus, cum facinora emendare differret, in gravem morbum incidit. quo ingravescente, unctionem infirmorum petiit; sed Romanus prior nec unctionem, nec sepulturam in cœmeterio fratrum ei datum iri dixit, nisi factam ecclesiæ beatæ-Mariæ injuriam emendaret. Sed quia id præstare non valuit, sacramentorum expers obiit ipso anno in vigilia dominicæ ascensionis.

[b] *supra n. 85.*

In ejus locum subrogatus est Berlandus, aliis Berardus, eo nomine (si quidem id genuinum sit) tertius, Farfæ a puero monachus & diaconus, nobilis viri Aschari filius, qui tunc in Ophida monasterii cella præpositus erat. Electus est x. kal. Junii hoc ipso anno abbas Farfæ quadragesimus-primus, edito prius sacramento, se nihil muneris cuiquam dedisse, & omnes loci consuetudines ac leges religiose observaturum. Indiculum hujus promissionis edidit sub hac forma.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego frater Berlandus diaconus & exiguus Farfensis monachus, ab annis pueritiæ in hoc sanctæ Dei-genitricis & dominæ nostræ semper virginis Mariæ cœnobio nutritus, quem, omnipotente Domino disponente, communi assensu, rectaque concordia cum omni populo electum ad hujus regimen monasterii habetis, vobis senioribus & dilectissimis confratribus, vestrisque in perpetuum sociis & successoribus, filiisque istius gloriosæ regalisque supra scriptæ ecclesiæ famulis, coram Deo, ejusque genitri-

ANN. CHR. 1099.

cis & perpetua virginis Mariæ dominæ nostræ præsentia, sanctorumque omnium, veraci spondeo promissione, quod deinceps hanc abbatiam cum omnibus membris suis, id est monasteriis, ecclesiis, terris & castellis ubique constitutis, ad honorem Dei omnipotentis, ejusque integerrimæ matris & dominæ nostræ Mariæ semper, salva serenissimi domini nostri Heinrici semper augusti imperatoris fidelitate, ipsique placentis prolis retineam, & ad omnium vestrum hic, & quocumque loco, nostro juri commisso, commorantium monachorum, sive fidelium famulorum, orphanorum etiam, & quam maxime viduarum, totiusque populi utilitatem congruam fidelissime regam & conservabo.

Hactenus Berlandi sponsio, quam pro virili præstare studuit. De eo id memoriæ proditum est, quod *beatus Christi confessor Euticius per bona memoria avum suum Adam* ei mandaverit, *ut idola destrueret, lucos succenderet*; id est vitia *intus & foris resecaret*. quod ille strenue præstitisse dicitur. Sanctus ille Euticius haud alius forte fuerit ab Euticio, in vita beati Odonis Cluniacensis abbatis laudato, quem ipsum esse Benedictum Anianensem abbatem alias diximus. Monasterii bona contra pervasores strenue tutatus est Berlandus, maxime contra Oddonem comitem Sabinensem, qui armata manu castrum, vocabulo Caput-Farfæ, occupavit, indeque multas monasterio, ejusque hominibus injurias intulit, eo scilicet prætextu, quod ab imperatore accepisset comitatum Sabinensem, adeoque Farfense monasterium, quod eo continebatur. Asserebat contra Berlandus abbas, integram monasterio libertatem concessam fuisse a Johanne papa VI. & regibus Langobardis, ab imperatoribus subinde omnibus confirmatam. Multa quoque adversa passus est Berlandus a Morico & Carbone, de quorum gravaminibus apud Guarnerium ducem & marchionem conquestus est. qua de re inferius.

Monasterium S. Michaëlis Montis-Caveosi.

Priusquam Italiam dimittamus, paucis agendum de monasterio sancti Michaëlis in monte Caveoso, congregationis Casinensis, cujus ecclesia hoc anno sollemniter dedicata fuit, uti patet ex Radulfi cognomento Machalei charta, qui hac occasione nonnulla bona monasterio contulit. Illud situm est in Lucania seu Basilicata, provincia regni Neapolitani, haud procul ab urbe Matera, in loco ubi olim Severianam seu Civitatem-veterem, alias Montem-Scabiosum & Petrosum exstitisse putant. Mons hodie Caveosus appellatur, cujus monasterii primordia nonnulli ad sæculum sextum referunt, quamvis tantam antiquitatem nulla afferant proba documenta. Et quidem vix quidquam certi de eo loco occurrit ante Normannorum in Italiam adventum, quo tempore Unfredus vir ex illa gente illustris, Montis-Scabiosi comes, hoc cœnobium dotasse legitur in variis ejusdem loci monumentis. Antiquius annum M LXV. præfert, quo Stephanus Materiensis antistes Stephano abbati & monachis sancti Michaëlis confirmat donationes jam antea a Gualterio vicecomite & Unfredo comite Civitatis-veteris factas. qui idem Unfredus seu Unfreda instrumento dato anno M LXXVIII. terminos præfigit quarumdam possessionum, quas monasterio, cui tunc præerat Simeon abbas, contulerat. Eidem abbati & ejus fratribus item Unfredus anno M LXXXIII. donavit ecclesiam Avenæ cum illius pertinentiis, & plura addidit annis sequentibus, quæ in variis ejus loci instrumentis recensentur. Raho seu Radulfus Unfredi filius, ejusque non modo dignitatis, sed & in sanctum Michaëlem pietatis heres, sicut & Emma illius uxor, soror Rogerii Regis, eumdem locum variis donationibus locupletarunt, cum ibi Crescentius abbas præesset. Hunc abbatem laudat ipsa Emma in charta, haud dubie post mariti mortem, anno M CXV. data. & in altera, quam anno M CXIX. concessit, Guarinus abbas monasterio præesse dicitur, quem ad annum saltem M CXXVII. perseverasse discimus in charta Constantiæ Boamundi principis relictæ, quæ data est anno M CXXIV. & in una Rogerii, tunc Siciliæ comitis seu ducis, anno M CXXVII. indulta. Idem Rogerius assumto Regis nomine variis diplomatibus ea quæ ipse aut ejus soror Emma monasterio sancti Michaëlis contulerat, confirmavit, aliisque concessionibus ampliavit. In his, quæ annum M CXLV. & sequentem præferunt *Rau* seu Radulfus abbas sancti Michaëlis appellatur. Sequenti sæculo ineunte Fridericus imperator & Siciliæ rex, ea quæ a superioribus principibus collata fuerant, ad preces Johannicii abbatis confirmavit duobus diplomatibus anno M CCXII. datis, quorum primum mense Martio Aversæ, alterum vero Neapoli mense sequenti indulsit. In secundo non modo Emmæ, quam suam amitam appellat, donationes, sed etiam ea quæ ab Umberto, Radulfo & Rogerio collata aut confirmata fuerant, rata habuit. Horum principum beneficentiæ accessit pontifi-

calis auctoritas, ut probant præter alias duæ bullæ, ut aiunt consistoriales, in Bullario Casinensi relatæ. prima est Alexandri III. anno M CLXXIV. Ferentini data, in qua pontifex, recensitis monasterii possessionibus, additisque aliis privilegiis, usum mitræ & anuli Alferio abbati ejusque successoribus indulget. Idem in altera præstat, Reate data, Gregorius IX. anno M CCXXXI. quo tempore Johannes abbas monasterio præerat. Hæc in præsenti sufficiant, nonnulla adhuc in posterum, si Deus dederit, de hoc monasterio proferemus, quæ omnia nobis suppeditavit domnus Seraphinus Tansius a Matera, Casinensis monachus, in ejusdem loci historiæ compendio, quod ad nos transmisit cum nonnullis diplomatum exemplis. Ex iis aliquot selecta in appendice integra dabimus, ceteris, quod multum ad rem non faciant, omissis.

ANN. CHR. 1100.

CXXII. Paschalis primæ facta.

ANno centesimo post millesimum Paschalis papa, Gebehardo Constantiensi episcopo e nostris vices suas in Teutonicis partibus, quo munere antecessorum suorum tempore rite perfunctus fuerat, denuo commendavit. Mox Johannem & Benedictum cardinales in Galliam legatos misit, maxime ut Philippum regem, qui post Urbani mortem, quasi ruptis frænis, Bertradam iterum reduxerat, ab illicito commercio pœnis ecclesiasticis revocarent. Ab his primo concilium Valentiæ institutum pridie kal. Octobris: alterum in urbe Pictavorum in octava sancti Martini: in quo anathematis sententia denuo in Philippum prolata, & quædam alia sancita sunt ad reformandos mores.

CXXIII. Cisterciī confirmatio per Paschalem.

Ante Valentinum concilium cardinales Novum-monasterium (id tum Cistercio nomen) adierunt, sive novæ institutionis fama, ut religiosissimi erant, adducti, seu tempus opportunum celebrando concilio præstolaturi. Favorabilem hanc occasionem nancti Albericus abbas sociique, sedis apostolicæ patrocinium per legatos se facile obtenturos in animum inducunt. Piissimorum hominum votis ultro annuentes legati, Alberico auctores fuere, ut ejus rei causa quosdam e suis mittat ad pontificem, cui eos litteris se commendaturos spondent. Electi ex his duo, Johannes & Ildeboldus, quos pertractando negotio aptiores Albericus existimavit, hoc iter aggrediuntur, legatorum litteris muniti, primo Cabilonem, tum Lugdunum, commendatitias ibidem litteras tum a Gualtero Cabilonensi antistite, tum ab Hugone archiepiscopo accepturi. Omnium litterarum, quæ apud Manricum referuntur, idem argumentum erat, nempe ut religiosos illos fratres, qui majoris perfectionis causa Molismo recesserant, jam Urbani papæ auctoritate approbatos, novo protectionis privilegio pontifex dignaretur. Eo confidentius de illis Dei servis testimonium ferebant legati, quod ipsi eos vidissent, ut in fine epistolæ suæ testantur. Hugo archiepiscopus in suis litteris hæc speciatim suggerebat. *Sciatis eos esse de quodam loco, qui Novum-monasterium vocatur, ad quem de Molismensi ecclesia cum abbate suo exeuntes, propter artiorem & secretiorem vitam secundum regulam beati Benedicti, quam promiserant, tenendam, habitandum venerunt, depositis quorumdam monasteriorum consuetudinibus, imbecillitatem suam ad tantum pondus sustinendum imparem judicantium. Unde Molismensis ecclesiæ fratres, & quidam alii adjacentes monachi, eos infestare & inquietare non desinunt: æstimantes se viliores & despectiores haberi apud sæculum, si isti, quasi singulares & novi monachi, inter eos habitare videantur. Quapropter desideratissimam nobis paternitatem vestram humiliter & cum fiducia deprecamur, quatenus fratres istos, totam spem suam in vobis post Deum ponentes, & idcirco ad apostolatus vestri auctoritatem confugientes, benigne pro more vestro recipiatis, & eos, & locum ipsorum ab hac infestatione & inquietudine liberando, auctoritatis vestra privilegio muniatis.*

His omnibus litteris acceptis pontifex, qui Trojæ in Apulia tum versabatur, exoptatum indulsit privilegium Alberico Novi-monasterii abbati, ejusque successoribus inscriptum, in quo ait se eorum religioni paterno congratulari affectu, & locum istum, quem pro quiete monastica inhabitandum elegerant, ab omnium mortalium molestiis quietum & liberum se sancire, apostolicæ sedis tutela deinceps protegendum, quamdiu ipsi ac successores sui in ea, quam tunc observabant, disciplinæ ac frugalitatis observantia permansuri essent. Tum subdit. *Ut ergo hac semper gratia digniores censeamini, Dei semper timorem & amorem in vestris cordibus habere satagite, ut, quanto a sæcularibus deliciis & tumultibus liberiores estis, tanto amplius placere Deo totius mentis & animæ viribus anheletis &c. Datum Trojæ per manum Johannis S. R. E. diaconi*

ANN. CHR. 1100.

cardinalis IV. *kal. Maii indictione* VIII. *incarnationis dominicæ anno* M C. *pontificatus autem domini Paschalis secundi papæ anno secundo.* Ut istud privilegium mense Aprili a pontifice obtinere potuerint missi illi Cistercienses, necesse fuit ut Cistercio discesserint saltem meose Martio, ut in Apuliam ante mensis Aprilis finem pervenire potuerint. Itaque hoc anoo ineunte Cistercium adiere legati, inde Æduam profecti ad celebrandum concilium, quod Valenriæ cogere postea satius visum est.

CXXIV. Hugo abbas Flaviniacensis restituitur.

a num. 88.

Habitum illud concilium Valentinum pridie kal. Octobris, cui archiepiscopi, episcopi & abbates, numero qoatuor & viginti, cum cardinalibus interfuere. Illuc coovenit Hugo Flaviniacensis abbas, quem a Norgaudo Æduensi episcopo, suisque monachis abbatia pulsum fuisse superius [a] diximus. Imminente concilio Hugo Gerardo priori & omnibus, qui se profitebantur filios ecclesiæ Flaviniacensis, monacbis scripserat, ut ad concilium se sisterent, accusationum in se capita allaturi, & si possint, probaturi. Adfuit concilio Æduensis episcopus, sed a canonicis de simonia, & aliis quibusdam accusatus: Flaviniacenses vero unum pro se sceleratum monacbum ad concilium miserunt. Non difficilis fuit Hugonis purgatio, ad quam se paratum esse palam professus est: at deficientibus accusatoribus, ei abbatia judicio concilii reddita est, & a legatis scriptæ pro ejus restitutione litteræ monacbis, clericis, & laïcis ad abbatiam Flaviniacensem pertinentibus, quibos injunctum erat, ut Divionem abbati suo occurrerent, & in manu Divionensis abbatis promitterent, se eum paterne tractaturos, & cum honore debito ad monasterium reducturos; obedientibus benedictionem, inobedientibus iram Dei imprecati. Hæ litteræ missæ quidem sunt, sed non receptæ, tametsi a quibusdam lectæ: sed nihilo minus VIII. idus Novembris duo ex frarribus Flaviniacensibus missi Divionem Hugooi mandarunt ut rediret; se ad ei obsequendum esse paratos. Verum ubi is Flaviniacum advenit, oullus ei honor, nulla reverentia exhibita, immo etiam his, qui cum ipso erant, panis negatus; nec ulla decreto concilii obedientia impensa: vaoo prætextu, quasi Hugo Flaviniacensem abbatiam Diviooensi subjicere voluisset. Hinc ad Pictavense concilium res delara, sed in eo non legitur discussa, in quo Norgaudus depositus, nibilo minus episcopatum retinuit, & in Flaviniacense monasterium Girardum priorem loco Hugonis abbatem intrusit. An Hugo postmodum in abbatiam restitutus fuerit, nec ipse, nec vetera ejus loci moonumenta nos docent.

CXXV. Pictavensis synodi acta.

Non multo post Valeotinum concilium ad urbem Pictavorum convenerunt legati cum episcopis, ægre assentiente Willelmo comite, cui rex Philippus scripserat, ut ne coocilium in illa urbe io suam injuriam haberi sineret. Prævaluit tamen legatorum coostantia, qui nec donis, nec minis a ferenda in regem sententia revocari potuerunt. In illo concilio alia quoque in rem ecclesiasticam opportuna sancita sunt, maxime contra simoniacos & incootinentes clericos; statutumque, ut nullus abbas vel monacbus, vel quilibet alius pœniteotias injungat, nisi quibus proprius episcopus banc curam dederit. Ad hæc, ut abbates & decani, qui presbyteri oon sunt, presbyteri fiant, aut prælationes amittant. Huic concilio inrersuisse dicuntur episcopi centum & quadraginta in libro de vita Bernardi abbatis Tironiensis, qui & ipse adfuit, ut inferius videbimns.

Rotberti abbatis S. Remigii causa retractata.

b V. supra n. 89.

In eodem concilio actum est de expulsione Rotberti sancti Remigii apud Remos abbatis, & de substitutione [b] in ejus locum Burcbardi, quæ illicita visa est, Rotberti vero expulsio injusta, quippe cujus cooversatio sancta, introitus legitimus, promotio & ordinatio anthentica & canonica, litteris insuper Urbani papæ roborata. Et quidem ejus restitutioni non magnopere obsistebant ejus adversarii: sed pro quibusdam litteris dubiis, quasi a sede apostolica directis, *in quibus cardinales nec stilum, nec pergamenum agnoscebant, maxime cum in fine earum subscriptum foret* VALETE, *quod Romana non habet auctoritas*, ut scribit Hugo abbas Flaviniacensis; visum est, ad adversarios confutandos, ad sedem apostolicam causam referre. An Rotbertus ad Pascbalem se contulerit, non ita exploratum: sed tamen certum est eum tunc Odooi Ostiensi episcopo commendatum fuisse a Baldrico abbate Burguliensi; ut superius [c] retulimus. Non tamen restitutus fuit in abbatiam Rotbertus, sed in cella Seoucensi privatam vitam agere coactus est, prioris titulo contentus: ubi historiam Jerosolymitanæ expeditionis composuit. Quio etiam postea Callistus II. eum ab illa cella, quæ saocti Oricoli dicitur, amoveri jussit. Neque etiam perstitit in abbatia Remigiana Burchardus: cujus loco Azenarius suffectus, vir nobilis ex Trimoliensium

c supra n. 66.

molienſium [a] dominorum ſtirpe, qui abbatiam recte & pacifice rexit.

ANN. CHR. 1100.

a *ſupra n. 89.*

CXXVI. Preſbyteri incontinentis infelix exitus.

b *Pet. Ven. lib. 1. mirac. c. 25.*

Occaſione canonis in ſynodo Pictavenſi conditi contra clericos incontinentes, Baronius ex Petro [b] venerabili refert infelicem exitum cujuſdam preſbyteri ex caſtro Liziniaco pagi Pictavenſis, qui libidinis cœno immerſus, nihilo minus ſacra contingere non verebatur. Is tandem territus conſcientiæ ſtimulis, ut aliquando malis ad horam evenire ſolet, familiaritatem bonorum hominum expetiit, in primis abbatis & fratrum Bonæ-vallenſis monaſterii diœceſis Carnutenſis, ut ſcilicet probroſæ vitæ infamiam eorum conſuetudine temperaret. Hi longo tempore de vitæ emendatione eum commonentes, nihil ab eo præter inanem ſpem impetrare potuerunt. In flagitiis itaque perſeverans, in morbum tandem incidit, & ad extrema redactus eſt. Brevi adfuit monaſterii prior, & aliquamdiu cum eo rogatus permanſit. Nocte quadam, cum is lecto ſolus aſſideret, æger ad priorem clamare cœpit, ſibi ut ſuccurreret adverſus duos leones, qui ipſum hianti ore diſcerpere volebant. Tum vero ad preces procumbit prior, diſcedunt leones. Non multo poſt idem vociferatur, ignem de cœlo in ipſum deſcendere, ut ſe conſumat. Iterum orat prior, & ignis non comparet. Denique extra ſe raptus preſbyter, ubi ad ſe rediit, ſe Dei judicio æternis cruciatibus damnatum teſtatus eſt horrendis ululatibus, in quibus flagitioſam animam evomuit.

CXXVII. Wiberti antipapæ obitus & ſucceſſores.

Auctor eſt Hugo Flaviniacenſis, medio illo Valentinum inter ac Pictavenſe concilia intervallo Wibertum antipapam interiiſſe, vigeſimo anno, ex quo ſedem apoſtolicam invaſerat. Viginti-tres annos numerat Domnizo, & quidem poſt annos binos, quam Urbanus obierat. Quam ob cauſam nonnulli Wiberti mortem differunt ad annum ſequentem. Verum ſtandum videtur ſententiæ Hugonis, auctoris æqualis, qualis etiam erat Domnizo, ſed qui de annis binis inchoatis commode explicari poteſt. Certe Wibertus fato functus dicitur mense Septembri, cum Urbanus IV. kal. ſextiles anni ſuperioris obiiſſet. Wiberto exſtincto non ſtatim ſchiſma compreſſum. nam ejus loco ſurrexerunt, ſed ad breve tempus, primo quidem Albertus Attellanus ad quatuor menſes, dein ad S. Laurentii Averſanum monaſterium retruſus; poſt quem Theodoricus Romanus ad tres menſes, mox relegatus in Cavenſe monaſterium, ubi ſponte factus monachus, religioſe vixit; tertius denique Maginulfus, qui Latio fugatus, ex animi mœrore brevi interiit.

CXXVIII. Landuinus Cartuſiæ prior obit.

c *ſupra n. 109.*

d *Labbe bibl. to. 1. p. 639.*

Ejus ſucceſſores.

Septimo a Wiberti obitu die deceſſit Landuinus Cartuſiæ prior, quem ille ex Calabria redeuntem [c] interceperat, & in cuſtodia ad id tempus tenuerat. Ejus obitus quarta-decima die Septembris notatur, ex quo intelligitur, ſeptimo ante die Wibertum interiiſſe. Humatus eſt Landuinus in ſancti Andreæ monaſterio [d] ad pedem montis *Siraptis* ſeu Soractis, cui proximum erat caſtrum, in quo captivus detentus fuerat. Petrus-Franciſcus, ejus in regimine Cartuſiæ ſucceſſor, origine Flandrenſis, uno tantum anno præfuit: qui prælatinnis pondus & ſollicitudinem graviter ferens, amore ſilentii & quietis miſericordiam, ut loquuntur, petiit, obtinuitque. In ejus locum ſuffectus Johannes, natione Tuſcus, ex caſtro Moriana, litteris quidem non multum inſtructus, ſed in his, quæ ad religionem pertinent, nulli anteceſſorum ſecundus, magiſtratu annis octo prudenter adminiſtrato deceſſit. Huic ſucceſſit venerabilis Guigo, quintus Cartuſiæ-majoris prior, de quo in conſequentibus non una dicendi occurret occaſio.

CXXIX. Anſelmus rege mortuo in Angliam revocatur.

Lugduni ad hoc uſque tempus ſubſtiterat Anſelmus Angliæ primas, dum forte Willelmi regis in ſe ira deferveſceret. Dum illic otio frueretur, a Boſone monacho interpellatus, librum de conceptu virginali & de peccato originali compoſuit, aliudque opuſculum, cui titulus, *Meditatio redemptionis humanæ*. Jam tertius agebatur annus, ex quo Anglia egreſſus erat, cum Lugduno ad Marciniacenſe monaſterium, inviſendi cauſa Hugonis abbatis Cluniacenſis, acceſſit, ubi abbas ſanctus factam ſibi de morte regis Willelmi revelationem ei aperuit. Inde reverſus Lugdunum Anſelmus, quarta die Auguſti multis precibus invitatus profectus eſt ad Caſam-Dei. Illic cum verſaretur, ortum ex igne cœleſti ingens incendium ſacto crucis ſigno reſtinxit. Tum duo ex ſuis, Beccenſis alter, alter Cantuarienſis monachi, regem Willelmum inter venandum ex fortuito ſagittæ ictu ſecunda die Auguſti interiiſſe nuntiarunt. Mox Lugdunum reverſo litteræ afferuntur ab eccleſia Cantuarienſi idem aſſerentes, quibus rogabatur, ut reditum ſuum ad matrem Cantuarienſem eccleſiam maturaret. Jamque Cluniacum pervenerat, cum ad ipſum litteræ deferuntur

ANN. CHR. 1100.

novi regis Heinrici, defuncti Willelmi fratris, qui se ab Anglis regem electum, & quamvis invitum propter ipsius absentiam, coronatum fuisse significabat, mandans ut quantocius in Angliam, non per Normanniam, sed per Witsandum Galliæ portum rediret. Iter itaque accelerans archiepiscopus, IX. kal. Octobris Dofras appulit, ubi ingenti omnium gaudio & plausu exceptus est. Paullo post Angliæ regem adiit, qui se excusavit, quod eo non exspectato regiæ dignitatis benedictionem, quam ipsius juris esse sciebat, ab alio accepisset. tum postulavit, ut clientelam sibi profiteretur, & archiepiscopatum ab ipso acciperet. Respondit vir Dei id vetitum fuisse novissimi Romani concilii decreto. quod si rex observare vellet, firma inter ipsos pax foret: alias ab ejus communione sibi abstinendum, ne Romano pontifici non obediens videretur. His auditis, rex magnopere conturbatus est, cui grave admodum videbatur ecclesiarum investituras, veluti regni sui dimidium, cedere: nec minus periculosum, se necdum in regno bene confirmato, Anselmum discedere ex Anglia, ne fratrem suum Rotbertum, qui tunc Jerosolymis in Normanniam reversus erat, adiret, eumque regem Angliæ diceret. Consultius itaque visum est inducias petere usque ad pascha insequentis anni, dum utrimque Romam mitteretur, si forte apostolica decreta in pristinum regni usum reformari possent; & interim prædia Cantuariensis ecclesiæ, quæ rex Willelmus invaserat, Anselmo restituerentur. Hæc tametsi ad fallendum tempus excogitata sciret archiepiscopus, annuit, ne novo regi principibusve ullam de se suspicionem injiceret, quasi de regno ad Rotbertum transferendo aliquid moliretur. Hæ scilicet artes erant novi regis Heinrici, qui tamen se magis Anselmo benevolum præstitit quam Willelmus-Rufus.

CXXX. S. Eadmundi abbates. a Monast. Anglic. to. 1. p. 295. b Anselm. lib. 3. ep. 392. & lib. 4. ep. 20. c ibid. ep. 21.

Priusquam Anselmus reversus esset in Angliam, rex Heinricus, ipso die [a] coronationis suæ, scilicet nonis Augusti, abbatiam sancti Eadmundi, invitis monachis, tradidit Rotberto, filio Hugonis comitis Cestrensis, sancti Ebrulfi monacho. quod Anselmus magnopere improbavit. Exstant tres ejus hac de re epistolæ, duæ [b] quidem ad Guillelmum archiepiscopum Rotomagensem, quibus eum interpellat, ut abbatem sancti Ebrulfi compellat ad revocandum monachum suum ex illa abbatia, quam temere, absque electione canonica, usurpaverat: tertia [c] est ad ipsos sancti Eadmundi monachos, quibus compatitur, quod ab intruso vexationem sustineant, eosque ad constantiam hortatur, quippe qui pro justitia patiantur. *Justitia enim est*, inquit, *quia non est contra ordinem vestrum, nec contra regulam sancti Benedicti, non contra auctoritatem aliorum patrum, nec sine consilio eorum, a quibus religionis regimen & consilium exspectare debetis, [quod] abbatem vultis accipere.* Cum vero nec abbas sancti Ebrulfi Rotbertum intrusum, quem non suum, sed sancti Severi monachum esse dicebat, revocaret, nec Rotbertus ipse abbatia cedere vellet; tandem biennio post Anselmus in concilio Londoniensi eum amovit; ejusque in locum canonice suffectus est Rotbertus alter, Westmonasterii prior: cui post annos quinque reginiminis successit Alboldus prior sancti Nicasii de Mellento, successorem sortitus Anselmum sancti Anselmi nepotem, ut suo loco videbimus. Ex duabus ad Guillelmum archiepiscopum epistolis prior est tempore, quæ in editis posterior est.

Elienses & Abendonienses abbates. d Angl. sac. to. 1. p. 612. & seq.

Eodem quoque die, quo Heinricus coronatus est, id est nonis Augusti, & quidem die dominica, rex abbatiam [d] Eliensem, quæ ab annis septem vacabat, contulit Richardo monacho Beccensi, Gilberti comitis filio, cujus parentes, e regia stirpe procedentes, eum a puero sub veste monastica apud Beccum Deo consecraverant. Eidem abbati multas facessivit molestias Rotbertus Lincolniensis præsul, qui sui juris esse aiebat, ut eum benediceret, uti ejus antecessor Simeon Remigium abbatem benedixerat. At violentam indebitamque fuisse hanc benedictionem Richardus causabatur. Post episcopalem conflictum, regis quoque iram sustinuit Richardus instinctu æmulorum, qui eum de tribus accusabant, nempe quod nimia cum pompa ad regem accessisset; quod regis mandatis parere nollet; & quod quemdam ejus mimum sibi conviciantem turpiter de domo sua ejecisset. Propter quæ rex eum ex abbatia expulit, sibique baculum reddi jussit. Verum abbas Romam appellavit, & a Paschali papa restitutus est. Post hæc ecclesiam, ab antecessore suo inchoatam, perfecit, & in eam reliquias S. Etheldritæ & S. Sexburgæ cum corpore S. Witburgæ, quod integrum repertum est, e veteri ecclesia transtulit. Denique Richardo post annos septem defuncto, Eliensis ecclesia in episcopalem mutata est.

e ibid. p. 168.

Hoc ipso anno rex Heinricus Faricium [e] Malmesburiensem monachum, origine

Italum, litteris & medicinæ arte instructum, Abendoniensi monasterio præficiendum curavit per Rotbertum Lincolniensem episcopum, qui eum, utpote quovisalio utiliorem futurum, monachis approbavit. Et quidem eorum exspectationi ille optime respondit, tantamque sui opinionem excitavit, ut Anselmo archiepiscopo mortuo rex eum substituturus fuisset, nisi obstitissent quidam episcopi, qui ejus inflexibilem æquitatis normam metuebant. Tuscus genere, & domo Aretinus, arte medicus dicitur a Willelmo Malmesburiensi, qui Petri sodalis sui versus in Faricii abbatis laudem compositos refert in libro secundo de pontificibus Anglorum.

CXXXI. Hugo abbas S. Germani Autisiodorensis.

Ante annos fere quatuor Guibertus sancti Germani Autisiodorensis abbas in concilio Nemausensi præfectura [a] motus fuerat ab Urbano papa; mandatumque Humbaldo episcopo, ut selectum e Casa-Dei, vel Cluniaco, vel e majori monasterio virum probum & idoneum in ejus locum substitueret, ea tamen lege, ut qui ad id muneris designatus esset, superiorum jugo eximeretur. Huic conditioni cum refragarentur Cluniacenses, aliique eorum exemplo, per annos amplius tres, frustra nitente Humbaldo, abbatia rectore caruit: sed tandem venerabilis Hugo Cluniacensis abbas Humbaldi episcopi, Stephani Campaniæ, & Guillelmi Aurrici comitum precibus se exorari passus, Hugonem Montacutium, nepotem suum, a puero sub sanctissima avunculi disciplina Cluniaci educatum, vacanti abbatiæ suffecit. quo in munere ita se gessit, rebus rum spiritualibus, tum temporalibus sarciendis & provehendis, ut post annos quindecim regiminis abbatialis ad episcopalem dignitatem Humbaldo mortuo promoveri meruerit. Ejus tempore nihil non tentarunt Cluniacenses, quo sancti Germani monasterium contra Urbani papæ decretum Cluniaco subjicerent. Id potissimum curavit Ivo Cluniaci prior cum quindecim monachis, qui illic ab Hugone missi fuerant, ut novo abbati in restituenda regulari disciplina, quæ omnino neglecta erat, essent adjutores. Verum eorum conatibus restitere sancti Germani monachi, nec monasterii sui libertatem minui passi sunt. Hugonis abbatis anno quarto, Hugo Trecensium comes sancti Germani monasterium adiit, & quasdam donationes fecit, ut ejus loci societatis particeps esset. Ad hæc Paschalis II. anno MCVII. cum Silviniaci versaretur, Hugonis abbatis institutionem confirmavit, quippe qui monasterium illud, regulari disciplina & religione penitus destitutum, & sæcularium injuriis ad summam redactum inopiam, in pristinum splendorem restituisset.

a supra n. 41.

Commodoliaci gesta ab Hugone abbate.

Postquam Willelmi junioris mortem, & oraculum [b] Hugoni abbati de ea factum retulit Hildebertus, mox subjungit, servum Dei, dum esset in Aquitania, ad ecclesiam beati Juniani (sic legendum, non Viviani, ut in editis) sanctorum locorum visitandi studio accessisse. Positus est hic [c] locus in pago Lemovicensi ad Vigennam* fluvium, ubi sæculo sexto conditum diximus Commodoliacense monasterium ab Amando monacho, qui solitariam ibi vitam duxit. Illic cum sancti Juniani confessoris actus & vitam legeret Hugo, ejusdem Amandi factam in ea reperit mentionem: cujus patriam, propositum & locum sepulturæ a clericis ejusdem ecclesiæ, qui jam tunc canonici erant, sciscitatur. Responsum est, beatum Amandum magistrum fuisse sancti Juniani, meritis insignem, doctrina conspicuum, vita clarum; corpus autem, ut fama ferebat, in Gallus habere sepulturam. Postera die, ejus loci decanus xenodochium constructurus, suscepti operis fundamentum ab Hugone designari postulat. Tum ille locum indicat: ubi, humo altius effossa, inventum est mausoleum, beati Amandi nomine insignitum, quæ magnam clero & populo lætitiam, nec minorem de Hugonis sanctitate opinionem excitavit.

b supra n 129.
* la Vienne.
c lib. 4. n. 31.

CXXXII. Monasteria Cluniaco addicta triplicis generis.

Quæ ritus Cluniacenses admittebant monasteria, triplicis generis erant. Alia enim ita Cluniacensi abbati subjecta erant, ut proprii abbatis facultate carerent: alia proprio abbate gaudebant, sed sub disciplina & correctione Cluniacensis abbatis: alia denique consuetudines quidem Cluniacenses, sed citra ullam subjectionem, recipiebant. quale fuit prædictum sancti Germani monasterium, quale etiam fuit, præter alia multa, Sithiense, quod Cluniacenses magno molimine sibi subjicere tentarunt. Duo prioris generis monasteria commemorat Paschalis in diplomate, quod Hugoni abbati [d] hoc anno indulsit, in primis statuens, ut in omnibus prioratibus & « cellis, quæ tunc sine proprio abbate Cluniacensium regimini subjecta erant, nullus « umquam deinceps abbatem ordinare ausit, neque in aliis locis, de quibus tempore « Arvernensis concilii investiti erant. quæ omnia singillatim enumerat; & post ea ab- «

d Bibl. Clun. p. 522.

ANN. CHR. 1100.

batias, quas Cluniacensis abbatis ordinationi Gregorius VII. commiserat: quibus Paschalis addit monasteria sancti Germani Autissiodorensis, & sancti Bertini Taruannensis, quæ Cluniacensis abbatis subjectionem semper detrectarunt. Huic diplomati subscribunt Oddo Ostiensis episcopus & Milo Prænestinus e nostris, aliique, quo ex tempore cardinales pontificis litteris subscribere consueverunt.

CXXXIII. Paschalis privilegium pro Dervo.

Id etiam patet ex aliis ejusdem Paschalis litteris Rogerio Dervensi seu sancti Bercharii abbati concessis, quibus monasterium illud apostolica tuitione munit, ejusque » possessiones confirmat, statuens insuper, ut nullus sæcularium aut ecclesiasticorum » abbatem, ejusve successores ad secularem curiam trahat, neque episcopus ullus ad » synodum, *nisi ob causam fidei*, ire; nec denique monasterii sui sollemnitates relinque- » re, & urbanis interesse cogat. His litteris post Paschalem subscribunt Albertus cardinalis sanctæ Sabinæ, Angustinus cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum, qui ambo se *indignos* cardinales dicunt. *Datum Laterani* III. *idus Aprilis, indictione* VIII. *per manum Lanfranci scriptoris palatii, anno dominicæ incarnationis* M C. *pontificatus autem domni Paschalis secundi papæ anno* I.

Huic privilegio occasionem dedit Philippus Catalaunensis episcopus, qui Dervensem abbatem ad synodum & ad sollemnitates urbis suæ cogere volebat. qua de re litteras ad eum Philippum scripsit pontifex in hæc verba.

Paschalis episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri & coëpiscopo Philippo Kathalaunensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum neminem episcopum liceat canones ignorare, multum miramur quod abbatem sancti Bercharii ad civitatis tuæ festivitates cogendo non dubites invitare. quod quam absurdum sit, quamque officio tuo contrarium, nemo dubitat, qui novit quod sacri canones etiam ad synodum abbates cogi prohibeant. Clericum quoque alterius vel monachum ab aliquo suscipi, quomodo sanctorum patrum sanctiones inhibeant, fraternitati tuæ ignotum esse non credimus. quod te de monachis præfati abbatis facere non sine admiratione audivimus. Præsentium igitur auctoritate dilectioni tuæ præcipimus, ne præfatum abbatem ad festivitates tuas ire cogas, neve monachos ejus contra eum suscipias.

Hoc rescriptum, quod ex chartaceo codice Dervensi eruimus, caret chronicis notis: ast hoc anno datum fuisse intelligitur, tum ex præcedenti diplomate, tum ex eo, quod Philippus episcopus hoc ipso defunctus est, ut discimus ex Hugone [a] Flaviniacensi, & ex chronico sancti Petri Catalaunensis.

[a] Labbe bibl. to. 1. p. 254. & 296.

Humolarienses abbates.

Tunc Humolariensi apud Viromandenses monasterio præerat Matzelinus abbas, uti discimus ex litteris Werrici militis, cognomento Satrapæ, qui se suaque omnia cum filio Gerardo, postposita sæculi pompa, Deo & beatæ Mariæ obtulit, Matzelino tunc temporis ejus loci abbate, Philippi regis anno sexagesimo, Baldrici Noviomensium episcopi octavo. Matzelinum præcesserat Erleboldus, mendose Ercemboldus apud Hemeræum, apud quem Humolariensium abbatum series habetur, sed non omnino accurata. Matzelino successit Aldo, Aldoni Hugo, de quo inferius.

CXXXIV. Bernardus abbas Majoris-monasterii obit.

In Majori-monasterio ex hac turbulenta vita ad cælestem requiem migravit piissimus abbas Bernardus, postquam sacrum hunc locum annis amplius quindecim per varias turbas rexisset, ejusque regularem disciplinam & libertatem strenue conservasset. Encyclicam de ejus obitu epistolam scripsere de more Majoris-monasterii fratres, in Appendice nostra relatam, in qua orbitatis suæ intolerabilem dolorem testantur. *Orbati sumus etenim*, inquiunt, *patre nostro Bernardo, viro admodum venerabili, utpote vere, quod primum est, catholico, dulci, sapienti, pio, &, ut quid de eo sine errore sentire debeatis, breviter pandamus, actu & habitu veræ religionis & sanctitatis reverendo. Unde absque dubitationis hæsitatione confidimus, quod ei sit præclarus quietis locus in sanctorum beatifica mansione præparatus.* Sed, quia nullus in hac fragili vita ita circumspecte se gerit, ut nihil humanæ contagionis ei inhæreat; pro eo preces & so- » lita suffragia postulant, rogantque, ut, qui rotulum suum missuri sunt, abstineant a » ludicris versuum næniis, quæ mortuis potius obsint quam prosint; tantumque sim- » pliciter annotent locorum suorum nomina, & quid pro defuncto fecerint, quidve pro suis fieri velint; tum in fine Bernardi tempus sic notant: *Obiit autem hic piissimus pater noster anno ab incarnatione Domini* M C. *indictione* VIII. *epacta* VII. *concurrente* VII. *idibus Aprilis, in ipsa hebdomada paschæ, sabbato quod est in albis, in ipso diei exortu, tamquam qui de tenebris egrederetur ad lucem.*

Hilgotus succedit.

In ejus locum electus est Hilgotus, episcopus olim Suessionensis, qui ab aliquot annis, dimisso episcopatu, ad Majus-monasterium secesserat. Ut eum abbatem

eligerent ejus loci monachi, hac in primis ratione inducti sunt, ut ne benediceretur a Turonensi archiepiscopo, quippe qui episcopali benedictione, quæ abbatiali major est, jam præditus erat; nec proinde ab eo professio exigeretur. Hinc frustratus spe sua Turonensis archiepiscopus, ejusque clerici, querelas de Hilgoti electione sparserunt in vulgus, quasi ob crimina episcopatu dejectus fuisset; & quasi episcopali dignitati fieret injuria, si ex episcopo fieret archimandrita. Utrumque refellit Ivo in epistola [a] ad Paschalem papam, ad primum asserens Hilgoti mores sibi probe notos esse, nec ob aliam causam episcopatu cessisse, quam ut ejus pericula vitaret. Ad alterum quod ejus adversarii opponebant, nimirum episcopali dignitati indignam « fieri injuriam, si qui episcopus fuit, fiat archimandrita; & quod non possit esse abbas « sine benedictione, ex qua episcopali benedictioni vehemens irrogetur injuria; Ivo ait « exspectari pontificis hac de re censuram & sententiam: qui utrumlibet decreverit, nullam episcopali sacramento facturus sit injuriam: *cum abbatis benedictio nulla sit* « *sacramenti repetitio; vel hujus benedictionis abstinentia non impediat virum ad hoc electum ad procuranda bona spiritualia vel temporalia.* Non repetendam esse benedictionem haud dubie censuit pontifex, siquidem Hilgotus ab archiepiscopo non fuit benedictus, ut constat ex libello de professione abbatum Majoris-monasterii. *Nam quia episcopus fuerat consecratus, nec benedici potuit, nec subscribere debuit*, ut in illo libello legitur. Quid in benedictione Willelmi abbatis, qui Hilgoto post quatuor annos successit, acciderit, suo loco videbimus. Ubi primum abbas renuntiatus est Hilgotus, monasterii sui privilegia a Paschali [b] confirmari curavit, & in Angliam profectus, triginta marcas argenti, quas quotannis ex illo regno percipiebant fratres, a rege & regina accepisse dicitur. Ejus tempore prioratus de Alvertonia a Thoma Leporario, ejusque uxore Emma conditus est in diœcesi Eboracensi, ejusque donum, præsente Hilgoto abbate, super altare positum. Primæ illius donationis testis in primis Hermarus tunc prior sanctæ Mariæ Eboracensis, quæ cella Majori-monasterio subjecta erat.

[a] *Ivo ep. 88.*

[b] *Guibert. p. 188.*

CXXXV. Gervini episcopi donatio.

Hilgoti abbatis anno primo ad Majus-monasterium divertit Gervinus episcopus Ambianensis, *a legatis sanctæ Romanæ ecclesiæ ad Pictavense concilium* [c] *cum ceteris Gallicanis præsulibus convocatus.* Illic *amplissimis caritatis visceribus a fratribus ejusdem loci susceptus*, dedit eis *personatum ecclesiæ sanctæ Mariæ de villa super Alteiam* * *sita, quæ Villeris dicitur.* Testes inter alios Anscherus abbas S. Richarii, Robertus & Galterius ejusdem loci monachi, aliique. *Actum in Majori-monasterio die dominico octavarum sancti Martini, regnante rege Philippo, præsidente eidem loco abbate Hilgodo anno ordinationis ejus primo.* Ad Pictavense itaque concilium profectus est cum Gervino episcopo Anscherus abbas S. Richarii, cui Wido comes Pontivorum, ejusdemque monasterii advocatus, cum multa damna ei intulisset, in extremis positus, urgente conscientia, eidem ablata restituit, testes invocans cælum & terram, proceres quoque Pontivorum, Simonem, Hugonem Senioratum, Godardum Arenicensem, abbatem Anscherum, & priorem Warinum, a quibus in restitutionis infractores prolata excommunicatio.

[c] *supra n. 125.*

* *Authie.*

Widonis comitis restitutio.

CXXXVI. Bernardus Tiron. fit abbas S. Cypriani.

Cum triennium in insula [d] Causeo exegisset Bernardus Tironiensis, tandem sancti Savini monachi alium sibi pastorem constituunt. quod ubi rescivit Petrus de Stellis, superius laudatus, mox ad perquirendum Bernardum se accingit, quem indice Vitali eremita in prædicta insula latere cognovit, ipsisque eremitis pergratum fore, si eum ad suum consortium revocaret. Mox ille, assumto itineris duce miræ simplicitatis & innocentiæ viro, nomine Christiano, ad illam insulam properat. quos ut vidit Bernardus, miro perfusus gaudio, eos humanissime excepit, & quo in statu res ecclesiæ & monasteriorum in Aquitania essent, inquisivit. Petrus ad hæc consistere in pace omnia respondit; ac tandem sancti Savini monachos sibi abbatem elegisse. qua de re gavisus est Bernardus, qui prius metuebat ne eorum abbas esse cogeretur. tum adjecit Petrus, socios suos eremitas magnopere cupere ut ad ipsos rediret, & eorum consortia ne penitus relinqueret. Ille vero, ut caritate totus affluebat, eorum votis non ægre assensit. Erant in illa insula duo eremitæ simul habitantes, quorum unus, Albertus nomine, jam grandævus, abstinentiæ & orationi jugiter insistebat: alter dictus Adelelmus, mansuetudinis & obedientiæ virtute pollebat. Hic Bernardum sequi, ejusque doctrina informari cupiebat: at Bernardus eum seni adhærere jussit. Tum assumta sua supellectile, non multum ambitiosa, transmisso freto,

[d] *supra n. 61.*

ANN. CHR. 1100.

ad silvas eremitarum, sociorum quondam suorum, rediit: a quibus cum gaudio susceptus, in loco, qui Fons-Goyhardi vocatur, sibi cellam exstruxit. Illic eum invisit Reginaldus seu Rainaldus abbas sancti Cypriani, finxitque ideo se ad eum divertisse, ut ille in reditu ad suos per vastas illas silvas se contra prædones tutum præstaret. Fecit ille quod rogabatur: at silvis egressus, abbatem ad sanctum Cyprianum sequi compulsus est. quem monachi gratulantes suscipiunt, hominemque hirsutum & pro more eremi barbatum & incultum, suis vestibus induunt, tondentque, & post paucos dies repugnantem præpositum instituunt. Inter ea, post quatuor admodum menses, Reginaldus ætate & morbo confectus, cum ad extrema pervenisset, Bernardum successorem designavit, quod jam Petro Pictavensi episcopo approbaverat. Sic tandem pastorale munus, quod dudum effugiebat, subire coactus est: quo in munere ita se gessit, ut inculpatis moribus occasiones detrahentibus præcluderet, & doctrina contumaces retunderet. Non illum rerum affluentia, non laudes extollebant. Tanta quippe humilitate præditus erat, ut qui eum vidisset, ultimum omnium esse facile crederet, tanta caritate, ut quotidie sexagenos, vel centenos & eo amplius clericos ad mensam admitteret. Porro rerum temporalium procurationem idoneis fratribus commisit; ipse vero contemplationi, orationi, silentio, & regularis vitæ exercitationibus se totum impendebat. Nolim hoc loco prætermittere Rainaldi ejus antecessoris epitaphium, quod Baldricus Burguliensis scripsit in hunc modum.

In sibi dilecto requievit philosophia
Rainaldo, quem vas fecerat esse suum.
Hic igitur sancti Cypriani floruit abbas,
Ecclesiam ditans ordine, rebus, agris.
Pæne loci quæcumque fuit possessio primum,
Hanc duplicem peperit sollicitudo patris.
Tandem Rainaldi pars promptior astra petivit:
Hic quæ terra fuit portio, terra fuit.

CXXXVII. Pictavensi concilio interest. a supra n. 125.

Hoc ipso anno Bernardus jam abbas cum Rotberto Arbriscellensi interfuit concilio [a] Pictavensi, quod duo cardinales Johannes & Benedictus, apostolicæ sedis legati, in octava sancti Martini convocaverant, in quo centum quadraginta episcopi adfuisse dicuntur. In illo concilio anathema dictum est Philippo regi ob adulterinam copulam cum Bertrada, Fulconis Andecavorum comitis uxore. Si Gaufrido in libro de vita Bernardi abbatis nostri credimus, hac excommunicatione comperta Guillelmus Pictavorum comes, qui ob ejus generis flagitia similem in se ferri sententiam metuebat, furore succensus jussit omnes illos episcopos spoliari, flagellari & occidi. quod ubi fieri cœptum est, pontifices & abbates, ut vitam servarent, diffugerunt, & tuta latibula quæsierunt, præter Bernardum & Rothertum, qui immobiles & constantes in asserenda excommunicationis sententia perstiterunt. At vereor ut id in omnibus verum sit. Rem accuratius narrat Hugo Flaviniacensis, scribens comitem Pictavensem ibi adfuisse, multaque prece depoposcisse, ut ne dominum suum excommunicarent; idem quoque fecisse quosdam episcopos; & cum non impetrarent quod volebant, a consessu concilii cum minis recessisse; solosque remansisse eos, qui zelum Phinees imitari gestiebant, tumultuante turba, pro domini sui regis excommunicatione insaniente: cum quidam e populo e superioribus ecclesiæ locis lapidem jecit, cardinales ferire volens, cujus ictu quidam clericus capite illiso prostratus sit. Interim mansisse columnas immobiles, scilicet cardinales, ad mortem, si Deus sivisset, comparatos, & ad saxa volantia mitris ablatis capita nuda retegentes, sententiam suam sanguine, si necesse esset, confirmare gestientes. Hæc vera & sincera facti narratio, tametsi non dubitem Bernardum & Rothertum cardinalibus constanter adhæsisse. Istius concilii canones, qui ad res nostras spectant, in fine hujus libri referemus. Ceterum quod de Guillelmi comitis stupris scribit prædictus Gaufridus, etsi Willelmum Malmesburiensem suffragantem habet, meliori testimonio adstrui vellem. Certe Guillelmus ipse a Goffrido [b] Vindocinensi abbate *optimus princeps, & dux vitæ laudabilis* appellatur; & anno sequenti ad expeditionem Jerosolymitanam profectus est. Postea cum rex Philippus apud Senonas cum Bertrada per quindecim dies versatus esset, *clausis tota urbe ecclesiis, nulla facta est ei christianitas*, ut scribit Hugo Flaviniacensis: donec effracta ecclesiæ porta, regina sibi missam a suis dici coëgit.

b Goffrid. lib. 5. ep. 19. 20. & 21.

ANN. CHR. 1100.

CXXXVIII. Fontis-Ebraldi monasterii & ordinis origo.

Post quatuor aut quinque annos quam Rotensem abbatiam pro canonicis regularibus condiderat Rotbertus de Arbriscello, cum ex ferventi ejus prædicatione plurimi utriusque sexus ad conversionem commoverentur, & ejus disciplinæ se subjicere vellent; multa pro utroque sexu exstruxit monasteria, quorum princeps & caput est illud, quod Fontis-Ebraldi appellatur. Locus est in confinio Turonum & Andecavorum, diœcesis Pictavensis, tunc quidem incultus & squallidus, spinetis obsitus & dumis, *ab antiquo Fons-Ebraldi* seu Evraudi, aliis Ebraudi nuncupatus, a Condatensi opido duobus millibus distans. Illic paullo post Pictavense concilium duplex monasterium ædificavit Rotbertus, unum mulierum in honorem sanctæ Mariæ Virginis; alterum virorum: quem locum nobilis quædam matrona, Eremburgis nomine, cum filia sua Riveria, eidem Rotberto donavit. Tantus porro fuit conversorum numerus, ut servi & ancillæ Dei ad duo, triave circiter millia, teste Baldrico, ad Rotbertum confluxerint. Ex feminis illustriores fuere Hersendis de Campania seu de Claris-vallibus, quæ mortuo viro suo [a] Guillelmo Seniore de Monte-Sorelli, Rotberto adhæsit, & prima loci magistra exstitit; Petronilla, uxor quondam domini de Camiliaco, prima Fontis-Ebraldi abbatissa; Agnes ejusdem Petronillæ soror, Milesina, utriusque consanguinea, tum alia Agnes, Ursanensis apud Bituriges monasterii præfecta; denique, ut ceteras prætercam, Ermengardis Britanniæ comitissa, ad quam exstant duæ [b] epistolæ Goffridi abbatis Vindocinensis, in quarum priori eam arguit, quod mundo iterum se sociasset, unde semel recesserat.

a *V. lib. 61. n. 6.*

b *Goffrid. lib. 5. ep. 23. & 24.*

CXXXIX. Viri abbatissæ subjecti.

Qui de Fontebraldensis ordinis primordiis scripsere auctores recentiores, illum ita a Rotberto institutum aiunt, ut viros abbatissæ, seque ipse omnino subjecerit, exemplo Christi domini, qui beatum Johannem-Evangelistam sanctissimæ virgini Mariæ commendavit, eique tamquam matri subjectum esse voluit. Verum apud veteres illius temporis auctores unum invenio Petrum Abaëlardum [c] qui id asserat, improbetque. neque hoc mirum, quando quidem nec probet abbatissam præesse feminis, quibus ejus loco præpositum [d] eis præsidere in regula sua statuit. Ad Rutbertum quod attinet, tantum abest ut se ipse abbatissæ subjecerit, ut contra, tam mulieres quam viri, eum *prælatum* & *magistrum* suum vocarent. *Prælatum suum*, inquit Baldericus, *magistrum tantummodo vocabant. nam neque dominus, neque abbas vocitari volebat.* Sane vix mihi persuadere possum, apud Fontem-Ebraldi aliud vivendi genus primitus institutum fuisse ab eo, quod olim in duplicibus nostri ordinis monasteriis receptum erat. Duplicis generis erant duplicia tunc monasteria: una, in quibus binæ justæ congregationes, virorum ac puellarum, sub abbate & sub abbatissa degebant: altera, in quibus sanctimonialium cœtus sub abbatissa vivebat, paucos habens in disparatis ædibus sine abbate monachos, quot scilicet ad sacra eis ministranda sufficiebant. Prioris generis monachi abbati omnino subjecti erant, non abbatissæ: secus in monasteriis posterioris classis, in quibus non erat justa congregatio, nullusque abbas, sed pauci tantum monachi, qui ad nutum abbatissæ & sanctimonialium ad earum arbitrium admittebantur, eisque ministrabant. quales erant in puellaribus monasteriis Gallicanis, sancti Petri apud Remos, sanctæ Mariæ apud Suessionas, sanctæ Crucis apud Pictavos, atque in Farensi & Jotrensi, aliisque. quibus successere canonici sæculares, abbatissæ & sanctimonialibus quodam modo subjecti. Sic apud Sardenacum, qui Palæstinæ locus est sexto milliari a Damasco, ubi quædam sanctimonialis oratorium beatæ Mariæ construxerat, monachi Græci erant, in quadam parte ecclesiæ ministerium divinum agentes: attamen dignitas & magistratus sanctimonialium erat, pro reverentia illius sanctimonialis, quæ prima locum inhabitaverat, ut legi in manuscripto codice Renati Vallini canonici Namnetensis. Ejus generis haud dubie monasteria illa erant, quorum abbatissæ, principatu Caroli Magni, viros benedicebant, aliaque munia exercebant, quæ sexui suo haud conveniebant. quod improbat religiosissimus princeps in Capitulari anni DCCLXXXIX. articulo LXXVI. episcopis & abbatibus directo, qui sic habet. *Auditum est aliquas abbatissas, contra morem sanctæ Dei ecclesiæ, benedictiones cum manus impositione & signaculo sanctæ crucis super capita virorum dare, nec non & velare virgines cum benedictione sacerdotali. quod omnino a vobis, sanctissimi patres, in vestris parrochiis illis interdicendum scitote.* Hic universim agitur de viris, non de presbyteris. quod multo minus Carolus probaturus fuisset. Hæc dixerim absque præjudicio Fontebraldensis instituti, in quo monachi abbatissæ obedientiam, quam voto professi sunt, persolvere debent.

c *Abaël. oper. p. 38.*

d *ibid p. 151. & seqq.*

ANN. CHR. 1100.

CXL.

S. Benedicti regula utrisque præscripta.

Nullam peculiarem regulam Rotbertus suis præscripsit, qui regulam sancti Benedicti hactenus servaverunt, servantque etiam nunc. Hinc Jacobus [a] a Vitriaco Fontebraldenses sanctimoniales monachis nigris seu Benedictinis accenset, uti & Cluniacenses, monachos Cantuarienses, & Affligemienses in Brabantia, quos omnes in religionis districtione, ad suum tempus, id est ad finem sæculi tertii-decimi, perseverasse testatur. Fontebraldensium primos ritus describit Baldericus [b] in vita beati Rotberti, qui mulieres ab hominibus segregavit, easque claustris continuit, & psalmodiæ orationique deputavit; homines vero laboribus mancipavit. Laïci & clerici simul permisti erant: sed clerici psalmodiæ & missis celebrandis vacabant; laïci labore occupati erant. Omnibus certis temporibus silentium indictum. Flexo collo, demisso vultu omnes incedebant, a garrulitate & vaniloquio abstinentes. Hæc fere lex & norma erat, sub qua militabant. In his Rotbertus sibi modicum, fratribus & sororibus multum indulgebat, in vigiliis pernox, in jejuniis assiduus, a vino & cibis exquisitis abstinens, pedibus nudis incedens.

a *Jacob. a Vitr. hist. occid. c.* 10.
b *Bolland. to.* 3. *Febr. p.* 606.

Fontebraldensium quantus numerus.

Ejus tempore adeo crevit Fontebraldensium cœtus, ut numerus pæne fuerit innumerus, & vix tria vel quatuor claustra tantis mulierum collegiis, teste Balderico, sufficerent. In claustro majori sorores amplius trecentæ; in aliis centenæ vel sexagenæ erant: homines quoque in discretos divisi manipulos, seorsim a mulieribus in remotioribus locis. Sororibus præfecta erat seu *magistra* Hersendis, magnæ religionis, magnique consilii femina, eique adjuncta Petronilla, quam Rotbertus post mortem Hersendis primam loci abbatissam instituit. Non multo post Rotberti obitum sic auctus erat illic sanctimonialium numerus, ut ad quatuor aut quinque millia excrevisset, testante Sugerio [c] abbate in epistola ad Eugenium III. relata a Sirmundo in notis ad Goffridi abbatis Vindocinensis epistolam ad Radulfum priorem & fratres Vindocinenses, apud quos se excusat, quod cum eis in paschate non fuerit, aitque in causa fuisse corporis infirmitatem, gibbum scilicet in dorso, quem secari oportuit; idque factum *inter manus & lacrymosas voces dilectarum Deo sanctimonialium de Fonte-Ebraldi*, apud quas tunc versabatur.

c *Suger. in not. ad Goffrid. Vindoc. p.* 79.

CXLI.

Goffridus abbas Vindocin. an auctor epistolæ ad Rotbertum.

Ex hac epistola, aliisque [d] patet, Goffridum illic admodum familiarem fuisse. quod testatum facit societas cum eo inita, relata in chartulario Fontis-Ebraldi, cujus charta XXVII. notum facit, *quod domnus Goffridus abbas Vindocinensis, ante omnes & super omnes abbates*, Fontis-Ebraudi *familiaritatem habeat & beneficium*; & cum ipse » obierit, per singulos annos ejus celebrandum sit anniversarium: de fratribus autem » Vindocinensibus tantum faciendum, quantum pro ipsis Fontebraldensibus. *Facta sunt hac in capitulo Fontis-Ebraldi, præsentibus domno Goffrido abbate Vindocinensi, & domno Roberto magistro nostro, anno* M C XIV. *indictione* VII. id est tertio anno ante Rotberti obitum. Ob has aliasque rationes nonnulli recentiores, vulgatam Goffridi ad Rotbertum epistolam [e], in qua Rotbertus nimiæ cum feminis familiaritatis arguitur, esse ipsius Goffridi negant, eamque tribuendam censent Roscelino, quem contra Rotbertum scripsisse superius diximus. In hac sententia sunt Bollandus & Gerardus a Bosco, hic sub finem tomi I. historiæ Parisiensis, ille in commentario ad vitam beati Rotberti, ubi in suæ sententiæ argumentum affert, quod in codice Vindocinensi, in quo Goffridi epistolæ simul compactæ continentur, vulgata hæc epistola non habetur. Verum qui id Bollando scripsit, optimo & erudito viro fucum fecit, & clarissimo Sirmundo injuriam, qui hoc codice usus est ad imprimendam illam epistolam cum ceteris Goffridi epistolis. Dicam quod res est. Exstabat in illo codice integra hæc epistola, cum eo usus est Sirmundus: sed homo nescio quis folium illud abscidit, in quo hujus epistolæ initium continebatur: sed tamen ad rei fidem restat etiam nunc in illo codice amplius quam media pars, ab his scilicet verbis, *tibi videris, ut asseris, Domini Salvatoris digne bajulare crucem*, & cetera usque ad finem epistolæ. Ex quo evincitur, eam integram ibidem exstitisse, antequam præcedens folium avulsum fuisset. Verum non tantum in illo Vindocinensi codice, qui Goffridi tempore scriptus est, sed etiam in alio ejusdem fere temporis, quem Florentiæ in bibliotheca sanctæ-Crucis asservatum vidimus, eadem epistola habetur cum aliis Goffridi epistolis, quem ejus genuinum auctorem esse constat.

d *Goffrid. lib.* 1. *ep.* 24 & 26.
e *id. lib.* 4. *ep.* 47.

CXLII.

Marbodi ad eumdem epistola.

Ejusdem argumenti est alia epistola ad eumdem Rotbertum, sub nomine Marbodi episcopi Redonensis jam pridem vulgata, quæ in codice Victorinæ apud Parisios bibliothecæ inter Hildeberti epistolas habetur, sed sine nomine ejus ad quem scripta est,

est, sub hoc lemmate, *Reprehendit quemdam, cujus religio suspecta habebatur*, & cum hac inscriptione, *Servo Dei, non solum recte offerre, sed etiam recte dividere*. At vulgata sub nomine Marbodi Redonensis epistola hanc præfert epigraphen in editione Redonensi anni M D XXIV. *Minimus episcoporum Roberto servo Dei, non solum recte offerre &c.* quam inscriptionem, *minimus episcoporum*, omnibus suis epistolis adhibet. In utraque ad Rotbertum epistola, scilicet Marbodi, quem verum hujus epistolæ parentem esse non dubito, & Goffridi abbatis, illud commune, quod ambo Rotbertum arguunt ob liberiorem cum mulieribus conversationem, & quod ex rumore tantum & aliorum relatu id se accepisse dicunt. at in Marbodi epistola Rotbertus etiam ob vestis singularitatem notatur. De primo uterque observat, quam periculosa & noxia sit viris mulierum cohabitatio, & minus cauta cum illis conversatio. unde Marbodus: *Remove, obsecro, a te*, inquit, *hujusmodi tentamenta, quæ etsi animam tuam per consensum non vulnerant, sine dubio famam tuam commaculant, religionem infamant.* Ad secundum quod attinet, idem Marbodus ait, eumdem Rotbertum *de pannosi habitus insolentia* plurimis non immerito redarguendum videri, quippe qui *nec canonicæ professionis, sub qua*, inquit, *militare cœpisti, nec ordini sacerdotali, in quem promotus es, convenire videtur.* & infra. *Quo igitur tibi, abjecto habitu regulari, opertum ad carnem cilicio, cum attrito pertusoque byrro, seminudo crure, barba prolixa, capillis ad frontem circumcisis, nudipedem per vulgus incedere, & novum quasi spectaculum præbere videntibus?* Tertium denique in Rotberto notat Marbodus, quod in omnibus, quibus vulgares turbas & imperitos homines docere solebat sermonibus, non tantum « præsentium, ut decet, vitia reprehenderet; sed etiam absentium quoque ecclesiasticorum non solum ordinum, sed etiam dignitatum crimina non decenter enumeraret, carperetque: cum nulla ex absentium reprehensione possit esse utilitas: immo « potius auditoribus idiotis peccandi quodam modo licentia dari videatur, cum eis « exempla proponit majorum, quorum se possint auctoritate tueri. *Hæc est enim*, inquit, *conditio superiorum, ut quidquid faciant, præcipere videantur: absentes vero indignari magis possunt & conqueri, quam ad emendationem tua provocari detractione.* Sic definit Marbodi epistola, quæ in codice Victorino nihil amplius habet quam editio Redonensis, in qua post primum caput de cohabitatione mulierum, inseritur hæc parenthesis, *& cetera in hunc modum* &c. quæ in codice Victorino deest, in quo continue de pannosi habitus insolentia agitur. Hæc epistola in optimæ notæ codice sancti Taurini Ebroicensis inter Hildeberti epistolas locum non habet.

Superest inquirendum, quo tempore utraque hæc epistola scripta est. Mihi vero perquam veri simile est, utramque scriptam fuisse, antequam Rotbertus Fontis-Ebraldi monasterium exstruxisset, cum scilicet ad ejus conciones, quæ vehementissimæ erant, ad conversionem non modo plurimi homines, sed etiam innumeræ mulieres concurrebant, quæ ipsum, varias plagas prædicationis causa percurrentem, sequebantur. sic enim de eo Marbodus. *Has peregrinationis tuæ loquuntur esse pedisequas, & disputanti tibi jugiter adhærere. sed & diversis in locis & diversis regionibus non parvum te asserunt habere numerum feminarum, per xenodochia & diversoria divisarum, quas maribus non impune permixtas, quasi ad pauperum & peregrinorum obsequia deputasti.* Quamquam Goffridus incboatum fuisse Fontis-Ebraldi monasterium, cum hæc scriberet, non obscure innuit his verbis. *Audivimus enim quoniam circa sexum femineum, quem regendum cepisti, duobus modis, altero alteri prorsus contrario, te ita sollicitum reddis, quod modum in utroque modum discretionis penitus excedis &c.* At sive ante, sive post conditum Fontebraldense monasterium ambo scripserint, id nihil omnino Rotberti famæ & sanctitati obesse debet: tum quia uterque id refert ex incerto vulgi rumore, cujus judicia in ecclesiasticos viros, cum eis ob pias quantumvis causas cum mulieribus conversari incumbit, plerumque iniqua sunt, ut ex sancto Hieronymo, aliisque compertum est: tum quia Rotberti inraminatæ famæ & probitati indubitata testimonia perhibent ejus temporis auctores: tum denique quia Goffridus ipse de Rotberti inculpatis moribus certior factus, favorabilem de ejus vita & conversatione opinionem postmodum habuit, ut ex dictis patet: nec dubito quin Marbodus quoque eidem sententiæ accesserit.

CXLIII. Santonenses abbatissæ. a V. lib. 65. n. 68.

Santonensi beatæ Mariæ parthenoni hoc anno Hersendi [a] abbatissæ successit Florentia, uti nos docet charta Aicardi de Borno militis, eidem monasterio confirmantis quidquid eidem ipsius pater contulerat apud sanctum Julianum. Ejus rei litte-

ANN CHR 1100.

ræ datæ sunt anno M C. ordinationis domnæ abbatissæ Florentiæ primo. Idem Aicardus eidem loco silvam quamdam donavit anno M C VII. *Willelmo comite, filio Guidonis comitis, ducatum Aquitaniæ regente, Petro de Sulbisia* * *episcopante, abbatissa Florentia conventum sanctimonialium administrante.* Eadem Florentia in suam congregationem suscepit Sibyllam, Agnetis Santonensis comitissæ materteram, futuram ejusdem loci abbatissam, post eamdem Florentiam, cui jam successerat anno M C XIX. Sibylla, quo anno Callistus II. monasterii privilegia confirmavit. Sibyllam excepit Agnes abbatissa, amita reginæ Alienordis, quæ tunc conjux erat Ludovici Junioris.

* *de Soubize.*

Casæ Dei subjecta monasteria S. Baudilii & S. Mariæ apud Nemausum.

Apud Nemausum Septimaniæ urbem variæ erant ecclesiæ, de quibus disceptatio erat inter Raymundum episcopum & Pontium Casæ-Dei abbatem: sed tandem inter eos concordia hoc pacto inita est, ut Pontius abbas Raymundo episcopo, ejusque successoribus cederet capellas sancti Martini & sancti Petri, in castello sitas ad Arenas, ecclesiam sancti Thomæ, & sancti Stephani ecclesiam juxta capitolium: episcopus vero Pontio abbati, ejusque successoribus cederet ecclesiam S. Baudilii, quæ Seguino abbati a Raymundo comite & Ermengarde vicecomitissa olim concessa fuerat; & parthenium Salvatoris & sanctæ Mariæ, positum intra muros ejusdem civitatis ad scaturiginem mirabilis fontis juxa templum Dianæ. Hæc definitio laudata est a Pontio Casæ-Dei abbate, confirmantibus Roberto abbate Crassensi & Stephano monacho ejus fratre, Mauricio priore Casæ-Dei, & Petro-Guidonis priore sancti Baudilii, aliisque; laudata itidem a Raymundo episcopo, ejusque canonicis. *Facta est carta ista anno ab incarnatione Domini millesimo* XCVIII. secundum veterem calculum, *anno primo Paschalis papæ*, VIII. *idus Januarii, regnante Philippo rege Francorum, per consilium & diffinitionem Gotafredi Magalonensis episcopi, & Fulconis abbatis Psalmodiensis, & Leberti abbatis sancti Rufi, qui istam cartam firmaverunt & laudaverunt.* Prædictum sanctæ Mariæ monasterium regi consueverat a sancti Baudilii priore sub Casæ-Dei abbatis providentia. quod a Calvinistis solo æquatum, nunc resarcire conantur Benedictinæ sanctimoniales, ut & sancti Baudilii monasterium monachi nostræ Congregationis.

CXLIV. Res Alemanniæ & Germanicæ.

In Allemannia Manegoldus venerabilis abbas sancti Georgii monasterii in Nigrasilva a nefario quodam monacho cæditur XV. kal. Martii, sed tamen supervixit usque ad XII. kal. ejusdem mensis, *cum magna devotione*, inquit Bertholdus, *suum amplectens martyrium.* Eodem quoque anno venerabili Gebehardo, abbati olim Scafusensi, quem jussu Urbani papæ Jerosolymam cum cruce-signatis profectum esse superius [a] diximus, sepulcri dominici custodia commissa fuit, ut scribit Bertholdus presbyter Constantiensis, cujus appendix ad Hermanni chronicon in hoc anno desinit; auctor accuratissimus, qui de rebus nostris, non secus ac si monachus esset, diligenter agit. Eodem anno a Marcwardo Corbeiæ-novæ abbate e tumulis levata sunt corpora Liudolfi & Drutmari abbatum, qui miraculis claruisse dicuntur in annalibus Corbeiensibus. Wintolfus, ejusdem loci monachus, eodem anno factus est abbas in *Bigau*, cujus chronicon laudat Paullinus, quod non vidimus.

a *supra n.* 50.

CXLV. Montis-Gargani xenodochium Casino datum.

In Monte-Gargano exstabat hoc tempore xenodochium extra urbem ad excipiendos pauperes & peregrinos, quod Johannes abbas de Curte construxerat. Huic postea visum est, ut illud Casinatibus administrandum committeretur, probante Heinrico civitatis Montis-sancti-Michaëlis comite, Rotberti comitis filio, qui Johannem abbatem *zianum* seu patruum suum vocat. Heinrici comitis hac de re litteras habemus ex archivo Casinensi, in præsentia Guillelmi uterini germani sui factas, quibus idem comes prædictum xenodochium cum rebus suis ad regendum & gubernandum tradit sancto monasterio Montis-Casini in manibus domni Oderisii venerabilis abbatis, ad remedium animæ suæ & pro redemtione animæ Richardi comitis germani sui, parentumque suorum. Actum anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo, mense Aprili, indictione VIII. Idem comes anno sequenti quamdam sancti Nicolai ecclesiam eidem xenodochio attribuit.

Paulus cæcus, monachus Casinensis, aliique.

Hoc anno Paulus, e Liguria Romanorum provincia ortus, ab ipsa infantia oculorum lumine orbatus, tantum nihilo minus progressum fecerat in sacris maxime litteris, ut ab hominibus sui sæculi alter Didymus [b] appellaretur. Hic, postquam Romanorum & Græcorum, quæ Constantinopoli facta est, altercationem scripsisset, Casinense monasterium adiit, Oderisio abbate, temporibus Paschalis papæ & Alexii imperatoris. Petrus diaconus ejus commentarios in Prophetas & in novum Testamentum recenset, sed hi excidisse videntur. Ad hæc libellum composuit de vita Ge-

b *Petr. diac. de vir. illust. Casin. c.* 36.

bizonis monachi Casinensis, Colonia oriundi. Inter discipulos habuit Berardum, postmodum Marsorum episcopum sanctum, qui Pandulfi episcopi mandato, ut scribit Johannes [a] Signiensis in ejus vita, Casinense monasterium studiorum causa adiit, *ibique per sex annos a quodam prudenti viro, Paulo nomine, corpore tamen caeco, grammaticam discens feliciter mansit.* Obiit Paulus apud Tiburtinam civitatem.

ANN. CHR. 1100.

a Ital. sac. to. 1. p. 967.

Tunc etiam Casini floruit Gregorius monachus, sancto Benedicto a pueritia oblatus, creatus a Paschali II. episcopus Tarracinensis, quo nomine Guastallensi concilio anno M C VI. interfuit. Varia ejus scripta commemorat Petrus [b] diaconus. Alius eodem fere tempore Gregorius, monachus itidem Casinensis, factus est episcopus [c] Suessanus.

b ibid. c. 32.
c ibid. c. 33.

Eo tempore celebris erat in istis partibus sub Johanne abbate monasterium sanctae Mariae de Pastitio seu Pistitio, in dioecesi Acheruntina situm, cui Rau, alias Rodulfus, de quo jam supra actum est, Montis-scabiosi aliarumque urbium dominus, ecclesiam sancti Michaëlis hoc anno contulit. Hanc donationem novis beneficiis auxit idem princeps post quinquennium, uti discimus ex duabus ejus chartis quae apud Ughellum [d] editae sunt. Johanni anno M C XV. Gaudius abbas jam successerat; nam, & quidem primus post episcopos, etiam ante donatores, subscripsit chartae Emmae comitissae pro monasterio sancti Michaëlis Montis-Caveosi, hoc anno datae. Illum vero ad annum saltem M C XXXIII. pervenisse probatur ex Rogerii regis insigni charta, qua hoc ipso anno multa eidem loco concessit, atque inter alia monasterium sanctae Trinitatis de Monte-Finesio. Porro monasterium sanctae Mariae de Pistirio post varias fortunas tandem anno M CCCC LII. unitum est a Nicolao V. summo pontifice Cartusiae sancti Laurentii de Padulo, ubi etiam nunc pleraque ejus possessionum authentica instrumenta asservantur.

Monast. sanctae Mariae de Pistitio.

d Ital. sac. to. 7. p. 41.

Hoc ipso anno Mathildis comitissa insigne pietatis suae testimonium dedit, cum patrocinio suo Vallumbrosanae congregationis monachos munivit adversus eos, qui ipsorum *sanctissima loca* infestabant. Exstant in archivo Vallum-brosano Mathildis hac de re litterae, in quibus ait, dignum esse circa universas Dei ecclesias summae « venerationis studium ab omnibus exhiberi: sed tanto singularius venerationem eis « impendi oportere, in quibus religiosas virorum personas cognoscimus conversari, « quanto credimus eorum patrocinia orationum nobis singularius suffragari. *Unde* « *nostra*, inquit, *potestatis provincias ad Dei honorem, quantum possumus, & ejus ecclesias circumeundo comperimus, venerabiles congregationes Vallimbrosae a quorumdam nostrorum fidelium praesumptione conculcari ac despici, eorumque habitationum sanctissima loca nimiis iniquorum assiduitatibus conveniri: quorum vitam, quia nostro tempore prae ceteris excellentius fulgere cognovimus, eorumque laudabilem sanctitatis famam ubique redolere non surda aure persensimus; aliquod eis, ut decuit, nostrae benivolentiae signum, nostraque devotionis memoriale perpetuum, ad animae nostrae provectum impendere dignum & necessarium duximus.* Hinc piissima comitissa, in Florentino palatio cum suis fidelium residens, suae protectionis litteras praedictis monachis indulsit, cavitque, ne quisquam deinceps ullam eis molestiam facesseret, ullamve exactionem ab eis extorqueret. His litteris subscribit solito suo more *Mathildis Dei gratia si quid est*; & post eam Petrus Pistoriensis episcopus, Paganus Romanae ecclesiae diaconus cardinalis, Guido comes, ejusque filius Guido dictus de Guerra. Hic vero post tres annos totum fluvium Vicanum, aliaque contulit *ad sustentationem fratrum, qui erant in Vallembrosa congregatione, & praecipue eorum, qui in sancto loco illo, a quo eadem congregatio nomen accepit, habitabant*, aut in posterum habitaturi essent, *ad retinendam monasticam religionem & bonam consuetudinem sanctae memoriae domni Johannis abbatis majoris, qui universae sanctae congregationis ipsius bonus inceptor & ordinator fuit: ut secundum dispensationem & ordinationem domni Bernardi abbatis & sanctae Romanae ecclesiae cardinalis, qui universae congregationi modo praeesse videtur, & Teoderici praepositi, qui ab eodem Bernardo & ab universa Vallembrosana congregatione in regimine totius congregationis ordinatus est, administretur.* Actum anno M C III. in monasterio sancti Salvatoris, in comitatu Aretino. Huic instrumento itidem subscribit Mathildis; Guido vero donator, quia scribere nesciebat, signum crucis apposuit; Bernardus abbas, modo laudatus, ab Urbano II. creatus presbyter cardinalis tit. sancti Chrysogoni, ac demum factus episcopus Parmensis. Hic quartus fuit rector Vallumbrosanae congregationis post Rusticum, qui Rodulfum Johannis-Gualberti successorem exceperat.

CXLVI. Mathildis comitissae litterae pro Vallumbrosanis.

ANN. CHR. 1100.

CXLVII. Pictavenſe concilium.

Sub finem hujus anni ex præcepto Paſchalis II. babitum eſt Pictavis concilium, u jam ſuperius[a] diximus, IX. kal. Decembris, per venerabiles Romanæ eccleſiæ cardinales, Johannem & Benedictum; ſancitique in eo canones ſexdecim, quorum primus eſt, ut nullus, præter epiſcopum, *clericis coronas benedicere*, id eſt tonſuram clericalem conferre, *præſumat, exceptis abbatibus, qui illis tantummodo coronas faciant, quos ſub regula beati Benedicti militaturos ſuſceperint.* Quinto cavetur, ut nullus monachorum deinceps manipulis utatur, niſi fuerit ſubdiaconus ordinatus. Sexto, ut nullus abbatum utatur chirotbecis, ſandaliis, anulo, niſi quibus fuerit per privilegium a Romana eccleſia conceſſum. Ubi nulla mentio de mitra, quam in ſuperiorum temporum privilegiis necdum nominatam invenio. Canone XII. ut ſanctorum reliquias cauſa pecuniæ & quæſtus circumferentes, ad prædicationem non admittantur. Huc referri poteſt concilii Londinenſis eodem anno celebrati canon XXVI. de nulla mortuorum corporibus exhibenda reverentia ſanctitatis, abſque epiſcopi auctoritate. quod confirmat Anſelmi epiſcopi Cantuarienſis[b] epiſtola, Stephano diacono mandantis, ut ſe conſerat ad Rumeſcienſe puellarum monaſterium, dominæ abbatiſſæ & ſanctimonialibus ſuo nomine præcepturus, ut ſub pœna interdicti prohibeant, ne ullus honor, alicui ſancto exhiberi ſolitus, impendatur ab illis, aut a quovis alio impendi permittant mortuo cuidam, qui pro ſancto ab illis habebatur; ejuſdem vero mortui filium a villa ſua propellant.

a V. ſupra n. 137.

b Anſelm. lib. 3. ep. 51.

CXLVIII. Cellæ-novæ infeſtatio.

Per id tempus Cellæ-novæ[c] in Gallicia monaſterio præerat Pelagius bonæ memoriæ abbas, cujus tempore inſans Jelvira ſeu Geloïra, aliis Elvira, Ferdinandi regis filia, Alfonſi VI. ſoror, monaſterium illud magnopere infeſtavit & afflixit. Hinc ejus tyrannidem effugere coactus Pelagius, cum paucis e ſuis in inſulas Evigii ſe recepit. Inter ea Jelvira Petrum Gundiſalvi apoſtatam præpoſuit monaſterio; ille vero ſtatim monachos clauſtro expellere, & in cellas, quæ ſancti Micbaëlis eccleſiam attinebant, recludere; Jelviram vero cum militibus & matronis in monaſterii adyta introducere decrevit. Tum ad ſancti Rudeſindi epiſcopi tumulum confugiunt monacbi, flentes & ejulantes: quorum unus decrepitæ ætatis, eo quo ſuſtentabatur baculo monumentum percuſſit, querelas ingeminans, cur ſe, ſi ſanctus eſſet, tantis injuriis expoſitos non eriperet? Nec irritæ fratrum preces. nam proxima nocte Petrus ille pſeudabbas, cum poſt cænam in lecto quieſceret, repente crepuit medius. quo intellecto, Jelvira extemplo illinc diſceſſit ad Villam-novam, Pelagium abbatem revocavit, eumque omnibus redintegratis in monaſterium reduxit. Hæc eſt Geloïra, quæ anno ſequenti mortua, in Legionenſi S. Iſidori monaſterio cum multis aliis regibus, reginis ac principibus ſepulta eſt, quorum epitaphia Yepeſius retulit ad annum D CCCC LXIII. Pelagius Cellæ-novæ abbas, mox laudatus, eo nomine ſecundus, alius eſſe videtur a Pelagio abbate, Ficani abbatis ſobrino, qui Cellæ-novæ bona, bello Luſitanico amiſſa, meritis ſancti Rudeſindi recuperavit, ut in libro de ejus miraculis legitur.

c lib. 43. n. 64.

CXLIX. Ordinis noſtri propagatio in locis ſacris

Ubi primum Jeroſolyma expugnata rex Palæſtinæ dictus eſt Godefridus Bullionius, id in primis curavit, ut in ſacris locis monaſteria conſtruerentur, quæ religioni præſidio eſſent, & exemplo. Huc ſpectat quod ex Guillelmo Tyrio[d] ſuperius de eodem Godefrido obſervavimus, cum ſcilicet multos ſecum abduxiſſe probatos monacbos & religioſa converſatione inſignes, qui diebus ac noctibus per illud iter divina officia celebrarent; eiſque ubi rex creatus eſt, monaſterium ſtatuiſſe in valle Joſapbat, quibus ampliſſimum patrimonium aſſignaverit. Hos vero non alios, quam noſtri inſtituti fuiſſe diſcimus, tum ex eo quod Gelduinus Cluniacenſis abbas in valle Joſaphat ſepultus erat ante annum M C XX. ut inferius[e] dicturi ſumus; tum ex Jacobo a Vitriaco, qui utriuſque ſexus noſtri Ordinis perſonas ſuo tempore illic perſeveraſſe docet[f] his verbis. *In eccleſiis ſeu monaſteriis de Latina & valle Joſaphat, ſunt abbates cum monachis nigris ſecundum regulam beati Benedicti Domino ſervientes. In Bethania vero, quæ eſt caſtellum Mariæ & Marthæ & Lazari fratris earum, & diſtat ab Jeruſalem ſtadiis quindecim, ultra montem Oliveti, in declivi ejuſdem montis eſt abbatia ſancti Lazari, in qua eſt abbatiſſa nigra & moniales, ſancti Benedicti regulam & inſtituta profitentes. Ejuſdem autem Ordinis & profeſſionis eſt abbatia ſanctæ Annæ genitricis matris Domini, juxta portam, quæ dicitur Joſaphat, juxta probaticam piſcinam ſita, in quo loco beata virgo Maria nata fuiſſe perhibetur. in qua eſt abbatiſſa cum monialibus nigris. Abbatia inſuper ſanctæ Mariæ monialium in Jeruſalem cum abbatiſſa & monialibus*

d ſupra n. 36.

e V. lib 73. n. 77.

f Jac. a Vitr. hiſt. occid. c. 38.

ANN. CHR. 1100.

nigris, sub sancti Benedicti regula Deo servientibus, tamquam cella aromatica, sanctis & castis & Deo devotis personis erat referta, quæ religionis districtionem, vitæ honestatem & caritatis fervorem, nulla compellente adversitate vel paupertate, retinuerunt. Denique *in monte Thabor*, addit idem auctor, *est abbatia nigrorum monachorum* sub metropolitano Nazareno. Jacobi de Vitriaco testimonium fidem adstruit Roccho-Pirro [a], asserenti, principes Nortmannos in civitate Jerosolymitana templum & cœnobium Benedictinorum nobilissime construxisse, scilicet beatæ Mariæ de Latina, « quæ prima Latinorum in sacra illa urbe ædes fuerit: cui Rogerius Siciliæ comes « Messanensia duo alia sanctæ Mariæ de Latina subjecit. Certe Buamundus, Antio- « chiæ princeps ex Nortmannis, testante [b] Orderico, quædam monasteria, ex quibus « crudeles Turci religiosos habitatores fugaverant, *monachis seu clericis assignavit*, eisque amplissimas possessiones liberaliter tribuit: *ut secundum latinitatis usum divinæ majestatis servitium persolverent.*

[a] *Sicil. sac. to. 3. p. 108.*

[b] *Orderic. lib. 10. p. 779.*

Quin etiam indigenæ monachi sua sponte ritus Latinos susceperunt, & Cluniacensi congregationi se addixerunt. qua de re Petrus [c] venerabilis gratulatorias eis litteras scripsit, quod *non solum communi fide, non solum monastica professione, sed insuper Cluniacensis ordinis* seu normæ *sollicita observatione* ipsius *corpori* nuper *uniti* fuissent, ut per quemdam illorum resciverat. Eodem fere tempore Amalricus rex Jerosolymorum, ut suo loco dicemus, litteras ad Alexandrum papam tertium misit, postulans, ut Cluniacenses monachos institueret in Palmareæ monasterio, pæne in solitudinem redacto.

[c] *Pet. Ven. lib. 2. ep. 44.*

CL. Monasterii de Latina initia.

Monasterii de Latina originem Willelmus [d] Tyrius tribuit Amalfitanis, qui ex occidentalibus primi cum orientalibus commercium inierunt. Hi, cum subinde loca sancta voti causa frequentarent, petiere a Calypha Ægypti, cui ob ejusmodi commercium acceptissimi erant, ut locus ipsis ad construendum Jerosolymis domicilium concederetur. Assensit Calyphas, scripsitque Jerosolymorum præsidi, ut viris Amalfitanis, amicis & utilium introductoribus, locus Jerosolymis amplissimus pro eorum libito ad construendum ejusmodi domicilium designaretur. Tunc autem civitas in quatuor partes distributa erat: ex quibus sola quarta, in qua sepulcrum Domini situm est, christianis concessa erat ad habitandum; reliquas cum templo Domini occupabant infideles. Amalfitis ergo de mandato principis assignatur locus ante januam ecclesiæ dominicæ resurrectionis, quantum lapidis jactus est: ubi illi monasterium erigunt in honorem sanctæ Dei-genitricis virginis Mariæ, simul cum officinis & ædificiis, quæ ad usus monachorum & hospitum susceptionem sufficerent. quo facto, e patria sua, id est ex Italia, & quidem, ut plerique volunt, e Monte-Casino, monachos cum abbate accersitos illic constituunt. Et quoniam omnes, tam Amalfitani negotiatores, quam monachi, Latini erant, Monasterium de Latina placuit appellari. Verum, quia per illa tempora mulieres ad sacra loca passim confluebant, quibus seorsim hospitium procurari conveniens erat; tandem in earum gratiam conditum est ibidem parvum monasterium sub titulo beatæ Mariæ-Magdalenæ; & sorores certo numero ad earum obsequium illic institutæ.

[d] *Vvillel. Tyr. lib. 18. c. 4. & seqq.*

CLI. Ordinis militaris S. Johannis inde origo.

Quin etiam ibidem xenodochium pro egentibus & miseris peregrinis *procuratum est a beatissimis viris qui monasterium Latinorum incolebant, ut misericorditer proprio victui & tegumento detrahentes*, in eorum gratiam intra spatium sibi designatum *xenodochium erigerent*, ubi ejusmodi peregrini colligerentur, *& de reliquiis fragmentorum utriusque monasterii* sustentarentur. Utrique porro monasterio quotannis Amalfitani collectas afferebant, quibus omnium necessitatibus utcumque provideretur. Hæc facta sunt ante sacram expeditionem, de qua superius actum est. Quis primus monachorum abbas fuerit, Willelmus non dicit: in conventu mulierum abbatissæ fungebatur officio *devota & sancta mulier*, Agnes nomine, nobilis secundum *carnem, natione Romana*, quæ etiam post expugnatam a christianis Jerosolymam aliquot annis vixit: xenodochio præerat quidam Geraldus, *vir probatæ conversationis, qui pauperibus in eodem loco, tempore hostilitatis*, id est antequam Jerusalem christianis restituta esset, *de mandato abbatis & monachorum multo tempore servierat.* In chronico Maxentiano Giraudus hospitalis de Jerusalem anno MCXX. in sancta conversione obiisse traditur. Huic successit Raimundus, cujus tempore & instinctu prædicti xenodochii fratres *primo a jurisdictione se subtraxerunt abbatis* (quemadmodum factum Viennæ [e] in domo sancti Antonii:) *deinde multiplicatis in immensum divitiis per*

[e] *V. supra n. 43.*

ANN. CHR. 1100.

ecclesiam Romanam a manu & potestate domini patriarchæ sunt emancipati : qua perniciosâ, inquit Willelmus, *libertate impetrata, nullam prorsus ecclesiæ prælatis deinceps exhibentes reverentiam, decimas ipsis ex quibuscumque prædiis, quocumque jure devolutis, negant.* Hæc est origo militaris Ordinis sancti Johannis in Jerusalem, quem a monachis nostris, id est a monasterio beatæ Mariæ in Latina, ortum habuisse ex dictis manifestum est. tametsi, excusso abbatis & monachorum jugo, ad regulam sancti Augustini se transtulerint, postmodum cum Melitensibus equitibus confusi.

De prædicti Ordinis sancti Johannis origine diserte agit Johannes Iperius, aitque abbatem & monachos nigros Ordinis sancti Benedicti in limine sui monasterii construxisse hospitale & capellam in honorem sancti Johannis-Eleemosynarii, ad Latinos advenas & peregrinos recipiendos, quibus de bonis sibi collatis & fidelium eleemosynis per certos famulos sæculares necessaria subministrabant. aliud quoque simile hospitale & capellam pro mulieribus. idque ante Godefridi tempus factum esse. Dein Gerardum quemdam, qui in illo sancti Johannis hospitali diu servierat, habitum religionis nigrum ab ejusdem loci abbate suscepisse, multosque alios ad eumdem habitum & professionem admissos, sub abbatis obedientia nigrum mantellum gestantes. Cum vero latrunculi & Sarraceni peregrinis fidelibus insultarent; eos jussu abbatis contra ejusmodi prædones arma gestasse, quibus abbas consilio fratrum *armorum insignia* dederit; id est cruces albas nigris mantellis superassutas, uti & vexillis impressas; dictosque fratres sancti Johannis in Jerusalem. qui quamdiu pauperes fuere, abbati de Latinis ut fratres laïci subjecti fuerint: sed tandem ditati in immensum, excusso obedientiæ jugo, postposito abbate, *soli capitaneo militari sui Ordinis* paruerint; pulsisque per infideles e terra sancta christianis, in insula Rodensi præcipuum sui Ordinis domicilium statuerint. Eorum porro exemplo institutos fuisse alios Ordines, Templariorum scilicet, Teutonicorum, de Calatrava, & sancti Johannis de Spata. Hactenus ex Iperio.

ANNALES
ORDINIS
S. BENEDICTI.
SÆCULUM CHRISTI XII. ORD. VII.

LIBER SEPTUAGESIMUS.
Ab anno Christi 1101. ad annum 1105.

ANN. CHR. 1101.

I. Cisterciensium prima statuta.

NON sine quadam animi voluptate aggredior, atque utinam perficere liceat, Annales sæculi duodecimi, in quo nova Cisterciensis congregatio cum Cluniacensi uberrimam historiæ nostræ materiam suppeditat. Etsi enim accuratam & absolutam de rebus Cisterciensibus narrationem instituere nequaquam sit animus, utpote quæ peculiarem tractationem & singularem historiam postulet, habeatque jam nobile hoc argumentum nobilem in primis historicum [*]; nobis tamen minime licet prætermittere illustriora saltem Cisterciensis familiæ acta & eventa, quæ & ad posterorum exemplum utilissima, & ad totius Benedictini Ordinis decus ac splendorem præclarissima esse constat. Et primo quidem nobis occurrunt hoc anno statuta, quæ Albericus abbas, accepto Novi-monasterii privilegio, condidit, & suis alumnis servanda præscripsit. Principio id infixum animo, ut a se rejicerent quidquid Regulæ [a] vel tantillum refragaretur. Hinc rejecti flocci seu cucullæ illæ amplissimæ & panni pretiosioris; pelliceæ vestes, stamineæ seu interulæ ex panno subtiliori, caputia quoque illa ampla a cucullis separata, quæ humeros ambiebant; ad hæc femoralia saltem ex lino; necnon stramenta lectorum & exquisita coopertoria. Denique varia ciborum in refectorio fercula & condimenta ex sagimine, & cetera omnia resecta, quæ Regulæ sinceræ observationi adversabantur, ut possessio ecclesiarum, altarium, oblationum, decimarum. Quin etiam feminis in monasterium suum, & quidem in ecclesiam interdictus aditus. Tum inter se se deliberare cœperunt, quo exercitio vel artificio ea compararent, quæ ad suos ipsorum usus, ad hospitum susceptionem & pauperum refectionem necessaria erant. Et quoniam monachi, divinis officiis, aliisque occupati exercitiis, ad ea præstanda non sufficiebant; ab eis definitum est, ut conversos laïcos, seu *barbatos*, ut tum vocabant, fratres in suam familiam admitterent ad prædia sua regenda, & terras excolendas, *eosque in vita & morte, excepto monachatu*, id est monastica professione, *ut semetipsos tractarent*. His insuper adjuncti homines mercenarii, quia sine eorum adminiculo se regulæ præcepta noctu & inter-

[*] *Manrique Annales Cist.*

[a] *Exord. parvum c 15.*

diu omnino & ad amussim exsequi non posse intelligebant. Denique, cum beatum Benedictum non in civitatibus aut in villis, sed in locis ab hominum frequentia remotis, monasteria sua exstruxisse scirent; idem se quoque facturos promittebant, si quando nova cœnobia conderent, ejusque exemplo duodenos per singula monachos cum uno patre seu abbate collocaturos. Hæc prima fuit novi illius monasterii informatio, quæ sensim ad eam perfectionem, qualem postea suspeximus, perducta est.

II. Cluniacensium propagatio. a Bullar. Clun. p. 36.

Interim Cluniacenses novos progressus facere pergebant, tametsi paullo quam ante rariores. Ad hoc tempus Paschalis II. jam triginta quinque præcipua monasteria eis subjecta in litteris suis anno superiore datis [a] enumerabat, præter multas alias cellas & ecclesias, præterque undecim alias abbatias, quæ quidem Cluniacensium ritus receperant, sed eis subjici detrectabant. Hujus generis erant monasteria Vizeliacense, sancti Ægidii apud Nemausum, sancti Johannis de Angeriaco, sancti Petri de Moïsiaco, Malliacense, sancti Martialis apud Lemovicas, Novum-monasterium & sancti Cypriani apud Pictavos, Fiacense seu Figiacense, quæ Gregorii VII. pontificatu a Cluniacensibus jam ordinata fuerant: quibus Paschalis tria alia addit, sancti Germani Autisiodorense, sancti Austremonii de Mauziaco, & sancti Bertini Sithiense.

b Spicil. to. 12. p. 443.

c V. lib. 69. n. 18.

Sithiensium reformatio.

De hoc Cluniacensium progressu agens Hermannus in libro [b] de instauratione abbatiæ sancti Martini Tornacensis, testatur, tres tantum tunc temporis in archiepiscopatu Remensi fuisse ecclesias seu abbatias, quæ consuedines Cluniacenses servarent, nimirum Aquicinctensem, Affligemiensem & sancti Martini Tornacensem. tum subdit, ea tempestate domnum Lambertum [c] sancti Bertini abbatem, cum videret ecclesiam suam præ nimia dissolutione sic destitutam, ut vix pauci monachi in ea subsistere possent, adiisse domnum Hugonem, cœnobii Cluniacensis tunc temporis celeberrimum abbatem, ejusque magisterio se ipsum cum abbatia sua commisisse, professionem publice Cluniaci fecisse, & acceptis ab Hugone duodecim monachis domum rediisse, quibus ecclesiam suam regendam commiserit, tantumque brevi eos profecisse, *ut, ubi primus vix duodecim monachos invenisset, postmodum centum-quinquaginta cum omni abundantia reperisset.* Adeo verum est, quærentibus primum regnum Dei & justitiam ejus ex abundanti res quoque temporales accrescere. Id enim advertisset Rotbertus Flandrensis comes, qui Jerosolyma capta in patriam redierat, e monasterio sancti Martini monachos eduxit, eosque in monasteriis sancti Vedasti Atrebatensis & sancti Petri Gandensis posuit, ut ea emendaret. Idem in suo cœnobio præstitit Odo venerabilis abbas sancti Remigii Remensis, acceptis e monasterio sancti Bertini monachis; idemque rex Ludovicus, cognomento Crassus, in Suessionensi sancti Medardi cœnobio fieri curavit. *Sicque per Dei gratiam*, inquit Hermannus, *vix jam invenitur in Francia vel Flandria aliquod cœnobium, in quo non videas Cluniacenses consuetudines servari.*

Rotberti Flandriæ comitis reditum & prædictam sancti Bertini cœnobii reformationem hoc anno collocat Johannes Iperius, Lamberti abbatis tertio, quam hoc modo factam esse tradit. Lambertus graviter infirmatus, nocte quadam seu vigilia Dominici Adventus fratribus in capitulo congregatis sermonem fecit de eorum salute; dixitque se de vita periclitari, suamque conscientiam ex hoc valde gravari, quod eos dissolute vivere permisisset; eisque sub gravi mandato interdixit, ne quis eorum deinceps quidquam peculii haberet, nec quidquam daret aut acciperet absque nutu abbatis: neu proprios famulos haberet, neve illis aut aliis reliquias ciborum, quæ pauperum essent, inconsulto abbate, conferret. Tum Rotberto comiti & Constantiæ comitissæ, consilio Johannis Morinorum episcopi, supplicavit, sibi ut liceret Cluniacenses illuc adducere ad restituendam loci religiosam disciplinam. Facultate obtenta, cum Johanne episcopo, qui Romam proficiscebatur, se quoque in Urbem ire velle simulavit: at Cluniaci se sistens, professione facta ibidem remoratus est usque ad reditum episcopi. quo reverso, monachi usque tertium Lambertum abbatem interpellant ut redeat. Reverso quidam obediunt: at major pars obedire detrectat. Tum ille adductis militibus rebelles cepit, & in diversas ecclesias dispersos reclusit. Mox e diversis Cluniacensium monasteriis monachos accersivit. tumque novo religionis fervore multi, rebus suis venditis, eo confluxerunt, ita ut brevi plures quam centum & viginti fratres exstiterint: ex quibus tamen quosdam

indiscrete

indiscrete receptos fuisse fatetur Iperius, qui postmodum oneri magnopere fuerunt. Quid ex illa reformatione consecutum sit, postea videbimus.

ANN. CHR. 1101.

Idem Lambertus abbas sibi subditum Alchiacense monasterium ad meliorem frugem revocari curavit. Rotberto quippe ejus loci abbate mortuo, Odonem religiosissimum monachum Cluniaco accersivit, eumque Alchiacensibus præfecit. qui multa ibidem a monachis immorigeris perpessus, ipse nihilo minus cum paucis sibi adhærentibus constanter persistens, annis fere viginti monasterium optime rexit.

III. Alchiacensium quoque & Bergensium.

Eodem quoque tempore Ingelberrus abbas sancti Winnoci apud Bergas, postquam abbatiam triginta & uno annis, pulso Ermengero, tenuisset, ad extrema redactus palam confessus est, Ermengerum a se injuste expulsum fuisse. Eo itaque mortuo, restitutus in locum Ermengerus. Verum, cum triennio tantum supervixisset, consultu Johannis episcopi, favente comite, in ejus locum substitutus est Hermes sancti Bertini prior, invitis Bergensibus. quibus eliminatis, Hermes eumdem locum religione & monachorum numero, necnon rebus temporalibus reflorescere fecit.

IV. Anselmus ob regis conjugium immerito culpatus.

E Belgio in Angliam transeundum, ubi Anselmus quorumdam æmulorum censuram passus est, hac scilicet occasione. Heinricus novus Angliæ rex, adhuc conjugii expers, Mathildem, Malcolmi Scottorum regis & Margaretæ reginæ filiam, uxorem expetebat, quæ ab infantia in monasterio, velo non sponte suscepto, inter sanctimoniales educata fuerat. Quæsitum est, an ei matrimonium contrahere liceret. Consultus hac de re Anselmus, non prius sententiam dicere voluit, quam ab ipsa Mathilde rei veritatem sciscitatus fuisset. Hæc vero se velum quidem gestasse confessa est, sed ab amita sua Christiana, cum adolescentula esset, minis & verberibus coactam, servandæ pudicitiæ causa contra furentem tunc Nortmannorum libidinem, suscepisse, & tantum ea præsente gessisse, sed absente rejecisse. Denique patrem suum, cum eam velatam forte vidisset, furore succensum, manu velum arripuisse & dissipasse, male precando ei, qui velum ipsi imposuerat. His auditis, nec sic tamen matrimonio ejus acquievit Anselmus, sed convocatis episcopis, abbatibus & viris doctis, quid hac de re sentirent, quæsivit. Omnium porro sententia fuit, Mathildem non legitime velatam licite matrimonium posse contrahere; atque ita sensisse in simili causa Lanfrancum Anselmi antecessorem, cujus tempore cum multæ matronæ ac virgines, ut se ab eorumdem Nortmannorum furenti libidine tutarentur, in monasterium se recepissent, velumque suscepissent; nulla tamen servandæ continentiæ lege eas teneri in generali concilio sancitum est. Sic Mathildis cum rege connubium probatum & ab Anselmo administratum, quem ob id nonnulli, sed immerito, culparunt. Nonnihil dissimile factum in superiori volumine [a] retulimus de quadam virgine, inter sanctimoniales Wiltonienses educata, quam cum Edgarus rex, ejus specie captus, ad privatum colloquium adduci jussisset, hæc pudicitiæ suæ timens, velum capiti suo imposuit. at rex nihilo minus eam conjugio sibi copulavit. qua de re a Dunstano graviter increpitus fuit, & septenni pœnitentiæ addictus. Conferea, quæ anno sequenti dicturi sumus [b] de quadam domina ad quam Anselmus scripsit.

a lib. 46. n. 53.

b infra n. 42.

V. Ob investituras a rege vexatus.

Verum longe gravior anxietas Anselmum tunc sollicitavit. Jam aderat tempus, quo Paschalis papæ responsio de investituris ecclesiarum, quas rex usurpare volebat, exspectabatur. Afferuntur tandem pontificis litteræ eas interdicentis. Perstitit nihilo minus princeps in sua contumacia; &, cum nec minis, nec blandimentis Anselmum ad suam sententiam flectere posset; in id demum inter eos convenit, ut nova hac de re legatio ad pontificem mitteretur. Delecti ex parte Anselmi monachi duo, Balduinus scilicet Beccensis, & Alexander Cantuariensis: ex parte autem regis tres episcopi, Girardus nimirum Herefordensis, nuper ad Eboracensem archiepiscopatum translatus, Herbertus Tetfordensis, & Rotbertus Cestrensis: ex quibus Herbertum alia etiam causa ad illud iter impellebat, scilicet consilium recuperandi abbatiam sancti Edmundi, cujus libertatem Balduinus abbas paullo ante ab Alexandro II. impetraverat. Eunt itaque Romam utriusque partis legati; sed papa in negandis ecclesiarum investituris constanter perstitit, ut ejus litteræ ad regem & ad Anselmum ab Eadmero relatæ testantur. Verum, cum regi hæ litteræ nequaquam faverent aut placerent, falso ejus legati commenti sunt, papam contrariam litteris sententiam verbo-tenus ipsis suggessisse. quod cum Balduinus acriter refutaret, responderunt aulici episcopi, se testimonium legatorum episcoporum præferre testi-

ANN. CHR. 1101.

monio *monachellorum*. Ad hæc Balduinus: Et de litterarum, inquit, testimonio quid? At illi: Testimonium, inquiunt, monachorum non recipimus, & ovinæ pellis reciperemus? Væ væ, reponunt monachi, nonne & evangelia pellibus ovinis inscribuntur? Sic fere in seditionem concio versa est. Verum, ubi id rescivit pontifex, legatorum calumniam litteris suis refutavit, eosque excommunicavit. Has litteras inter Anselmi epistolas [a] legere licet. Nec sic tamen ab incœpto rex destitit.

a *Anselm. lib. 3. ep. 74.*

V I. Norwicense monasterium conditur.

b *Villelm. lib. 2. c. 2.*

Quis, qualisve fuerit Herbertus ille Tetfordensis episcopus, ex Willelmo [b] Malmesburiensi discimus. Is ex priore Fiscamnensi Ramesiæ abbas, & ex abbate factus episcopus, aut potius episcopatum nundinatus; patrem quoque suum Rotbertum in abbatiam Wintoniensem intrusit, vir non modo simoniæ labe, sed etiam adulandi arte infamis, ob id *Losinga* cognominatus. Verum juvenilium erratorum tandem ipsum pœnituit. nam Romam profectus, baculum & anulum in manus pontificis resignavit: sed tamen *indulgentia clementissimæ sedis*, ut loquitur Willelmus, denuo recepit. Ita domum reversus, sedem episcopalem transtulit ad insignem mercimoniis & populorum frequentia vicum, Norwicum vocabulo: ubi percelebrem monachorum numero & religione congregationem instituit, omnia eis necessaria ex proprio sumtu largitus, non ex episcopatu, ne querelis locum apud successores præberet. qua de re eum laudat Willelmus, „quod tam nobile monasterium homo non multum pecuniosus fecerit, in quo nihil, inquit, frustra desideres, vel in ædificiorum specie sublimium, vel in ornamentorum pulchritudine, tum in monachorum religione, & sedula apud omnes caritate. Sexaginta monachos illic posuisse traditur, multaque eidem loco privilegia tam a rege, quam a summo pontifice impetravisse, in his, ut totius diœceseos princeps esset illud monasterium, cujus primus abbas fuit Ingulfus, quem secuti sunt Elias, Richardus, & alii ab Harpsfeldio [c] recensiti. Ad hæc apud Teotfordum monachos Cluniacenses instituit, quod sint illius cœnobii professores, ubique gentium pæne dispersi, locupletes in sæculo, & splendidissimæ religionis in Deo. Sic Herbertus præteritorum erratorum labem abstersit, illud Hieronymi dictitare solitus: *Erravimus juvenes, emendemus senes*. vir alias disertus & litteris instructus. Ad Norwicensem diœcesim, quæ orientalium Anglorum est, pertinebat sancti Edmundi abbatia, quam suæ sedi vindicare tentavit Herbertus, ut mox diximus, nimirum ut Norwicensis ceteris præsideret.

c *Harpsfeld. p. 248.*

Monachis de Bello cœmeterium assertum.

d *Villel. lib. 2. c. 6.*

Tunc temporis Execestrensi seu Excestrensi apud West-saxones ecclesiæ præerat Osbernus episcopus, successor Lefrici, apud Lotharingos [d] aliti & eruditi, qui sedem episcopalem transtulit in urbem Excestram: ubi, ejectis sanctimonialibus e sancti Petri monasterio, episcopatum statuit & canonicos, *qui, contra mores Anglorum, ad formam Lotharingorum uno triclinio comederent, uno cubiculo cubitarent*, nimirum ex præscripto regulæ Chrodegangi episcopi Mettensis. Lefrici successor Osbernus, genere Nortmannus, frater Willelmi comitis, nescio quo animo, monachos sancti Martini de Bello, quod monasterium a Willelmo rege eo in loco, ubi Angliam debellaverat, conditum alias diximus, apud Excestram conversantes, in claustris suis mortuos suos sepelire non sinebat. Querelis hac de re ad Paschalem papam perlatis, „Osberno episcopo rescripsit pontifex, patrum auctoritate sancitum, & ecclesiæ consuetudine firmatum esse, ut sicut in claustris suis viventes religiosi monachi conversantur, ita & defunctorum corpora infra [*] monasteriorum suorum ambitum requiescant. Quapropter ei præcipit ac prohibet, ne ulterius prædictis monachis cœmeterium ad sepeliendos suos interdicat, immo secundum Urbani papæ mandatum, eis concedat. Hæc epistola refertur ab Eadmero in libro tertio historiæ Novorum, intelligenda, non de ipso sancti Martini monasterio, quod in Selesiensi diœcesi positum erat, sed de quadam ejus cella apud Excestram.

* intra.

V I I. Westmonasterii abbas Gislebertus & alii scriptores.

Per idem tempus Gislebertus, Westmonasteriensis apud Londoniam abbas, disputationem habuit cum quodam Judæo, apud Moguntiam litteris educato, qui ipsum identidem invisebat. Qui disputationi præsentes interfuerant, abbatem rogaverunt, ut eam scriptis mandaret. Fecit ille quod rogabatur, Dialogi in morem, quem Anselmo archiepiscopo inscripsit *frater Gislebertus, Westmonasterii procurator & servus*, ejus censuræ illum subjiciens. In fine epistolæ ait, quemdam ex Judæis, qui Londoniæ erant, ad fidem christianam conversum, & in suo monasterio monachum factum esse. Haud scio an is sit Robertus ille, a Judaismo ad fidem conversus, quem Anselmus [e] Ernulfo priori Cantuariensi & Willelmo archidiacono commen-

e *Anselm. lib. 3. ep. 117.*

dat. Eumdem librum Gisslebertus postea direxit Alexandro Lincolniensi episcopo, qui quarto-decimo ab Anselmi obitu anno eam dignitatem adeptus est: adeoque ad id tempns pervenit Gisslebertus auctor illius Dialogi, qui in nova sancti Anselmi operum editione a nostro Gerberonio vulgatus est. Gissleberti tempore vixit in eodem Westmonasterio Warnerius insignis concionator, qui propter conciones ab ipso habitas Homiliarius dictus est.

ANN. CHR. 1101.

VIII. Johannes cardinalis missus in Angliam.

Hoc ipso anno Johannes Tusculanus episcopus, ut ex Hugonis Flaviniacensis chronico discimus, a Paschali papa missus est in Angliam ad colligendum censum beati Petri. Huc spectat Paschalis epistola ad Anselmum archiepiscopum, edita inter ipsius Anselmi [a] epistolas, in qua pontifex eum monet, ut ecclesiæ Anglicanæ restitutus, de ejus statu secundum Romanæ ecclesiæ sanctiones componendo sollicitus sit, censuque beati Petri restituendo; & de conciliando Heinrico rege cum Rotberto Nortmannorum comite ejus fratre, ad compensandos labores, quos *in Asiana ecclesiæ liberatione* passus erat. tum subdit, se pro his omnibus mittere ab ipso Anselmo *quondam educatum tunc filium, nunc fratrem* ejus *& coëpiscopum Johannem, & Tiberium familiarem* suum, quos Anselmo commendat. Fuerat Johannes primum sancti Quintini Belvacensis canonicus regularis, dein professione violata, ut scribit Hugo, habitu deposito ad sæculum rediit: sed cum facti improperium ferre non posset, Becci monachus factus est. Is, natione Romanus, & jam abbas, cum Urbanus papa in Gallias venisset, defuncto Lavicano episcopo, in ejus locum promotus est. Idem Hugonem Lugdunensem archiepiscopum offendit Jerosolymam euntem cum Norgaudo Æduensi episcopo, quem secum reduxit Æduam, & cum eo apud sanctum Martinum hospitatus est, ejusque patrocinium papæ gratia fretus suscepit, contra judicium cardinalium, qui eum deponendum censuerant. At vero cardinales in sua permanentes sententia, factum improbarunt, quod non esset canonicum, sed ab æquitate Petri alienum, & ob id a familiaritate & consilio papæ se subtraxerunt. Hinc *Johannes, Roma relicta, Papiæ etiam nunc*, inquit Hugo, *remoratur, regulariter degens cum fratribus in ecclesia, de qua ad palatium raptus erat*, nimirum in monasterio, ut quidem puto, sancti Petri in Cælo-aureo.

a Anselm. lib. 3. ep. 13.

IX. Mellentum introducti monachi Beccenses.

Sub idem tempus Rotbertus de Bello-monte, Mellenti comes eo nomine tertius, Rogerii de Bello-monte & Adelaidis de Mellento filius, idemque Leicestrensis in Anglia comes, Beccenses monachos in Mellentensem sancti Nicasii ecclesiam clericis substituit. Mellentum castrum est septem circiter leucis infra Lutetiam-Parisiorum ad Sequanam, comitatus olim titulo insigne: ubi ecclesiam in honorem sancti Nicasii, Rotomagensium apostoli & martyris, erexit Galerannus, seu Walerannus Mellenti comes, sub annum M XXXIII. ibidemque sæculares clericos instituit. Is ex Oda conjuge tres filios, Hugonem, Fulconem & Galerannum, duasque filias, Adelaidem & Odam, procreavit. In paternum honorem successit Hugo filiorum natu-maximus, sed nullis liberis ex Adelaide conjuge susceptis decessit, & ante eum duo ejus fratres, prolis itidem expertes. Itaque ad Adelaidis eorum sororis natu-majoris liberos transiit comitatus, adeoque ad Rotbertum de Bello-monte ejus filium, qui, relicto Bello-montis titulo, Mellentensis comitis nomen prætulit, Leicestrensis comes subinde appellatus. Ejus cognatus erat Willelmus de Bello-monte Beccensis abbas, cujus gratia Beccenses monachos in Mellentensem ecclesiam induxit, non paucis subsidiis ad ecclesiæ & monasterii fabricam collatis. Jam illic collocati erant Beccenses monachi anno M C IV. quo Paschalis II. Willelmo Beccensi abbati ecclesiam sancti Nicasii de Mellento cum ecclesiis sancti Petri de Ponte-Isaræ, & sanctæ Honorinæ de Confluentio confirmavit. Rotbertus comes conjugem habuit Elizabetham Viromandensem, quæ uno partu Gualerannum & Rotbertum peperit, quorum alter, scilicet Gualerannus, Mellenti, alter Leicestriæ comitatum post patrem obtinuere. Gualerannus porro, ejus nominis secundus Mellenti comes, S. Nicasii ecclesiam absolvit, & per Gaufridum Carnutensem episcopum anno M CXX. dedicari curavit, tantaque eidem ecclesiæ contulit, ut a Beccensi chronographo S. Nicasii Mellentensis ecclesiæ fundator appelletur. Plura de eo inferius. Primus ejus loci prior fuisse videtur Albaldus, factus [b] ante Guillelmum anno M CXV. abbas S. Eadmundi in Anglia; cujus successores priores ignoti sunt. Hujus rogatu Guillelmus Senonum archipræsul, & sedis apostolicæ legatus, ecclesias S. Johannis de Greva & S. Gervasii

b Monast. Anglic. to. 1. p. 295.

ANN. CHR 1101.

apud Parisios, S. Petri de Murellis* & S. Martini de Fresnis S. Nicasio confirmavit.

* *Mureaux.*

X. Gemeticenses & Cadomenses abbates.

Vix annos sex Gemeticensem abbatiam tenuerat Tancardus [a], cum illinc non sine infamia discessit, omnibus ob feritatem gravis & intolerabilis. Suffectus in ejus locum Ursus Rotomagensis, ejusdem loci ab infantia monachus, Gemeticenses per annos viginti rexit. Ad eum scripsit Ivo [b] episcopus Carnutensis, hortatusque est, ut monachum fugitivum paterno more in monasterium reciperet.

Hoc ipso anno decessisse dicitur Gislebertus [c] sancti Stephani apud Cadomum abbas, postquam annis circiter viginti-duobus cœnobium rexisset. At pervenisse videtur ad annum sequentem, quo Paschalis papa permutationem quamdam [d] inter Jarentonem abbatem & monachos Divionenses, atque Gilbertum Cadomensem abbatem factam confirmavit diplomate dato pridie idus Martii, indictione x. anno ab incarnatione M C II. pontificatus ejus tertio, nisi dixeris, permutationem anno præcedente factam, mortuo Gilberto a Paschali confirmatam fuisse. Successorem habuit Rotbertum, cujus præfectura brevis, & nulla re gesta memorabilis fuit. Obiit ineunte anno M C VIII. In ejus locum subrogatus Odo longe diutius monasterium rexit, nempe ad annum M C XL. sed nulla ejus facta memorantur, uti nec successorum ejus, quorum seriem in Neustria pia [e] videre licet. nam nuda tantum abbatum nomina referre piget.

a *V. lib. 69. n. 28.*
b *Ivo ep. 160.*
c *V. lib. 65. n. 57.*
d *Perard. p. 205.*
e *Neustria pia p. 652.*

XI. Goisfredo Pratellensi abbati succedit Richardus.

Pratellense monasterium Goisfredus seu Gaufredus abbas, ordine quartus, septem [f] annis administravit, cujus loci ecclesiam dedicari curavit XVI. kal. Novembris, quo die in veteri kalendario notatur *dedicatio ecclesiæ sancti Petri de Pratellis.* In eodem kalendario Gaufredus III. kal. Septembris obiisse dicitur, non Decembris, ut in Neustria-pia, ubi [g] ejus obitus hoc anno consignatur. Ejus successor Richardus, vir eximiæ pietatis & non mediocris pro tempore doctrinæ, de Furnellis nuncupatus, in Bajocensi sancti Vigoris monasterio in monastica disciplina & in litteris primum institutus fuerat sub Roberto Tumbaleniensi, ejus loci ultimo abbate, qui, Odone episcopo monasterii sancti Vigoris conditore [h] in vinculis detento, ad Montem-sancti-Michaëlis, cujus cœnobita erat, reversus est. Post ejus discessum nova illa monachorum congregatio, rectore orbata, brevi dispersa est. In his Richardus, ut erat sciendi avidus, doctos & religiosos viros in aliis monasteriis quæsivit, Anselmum Beccensem, Gerbertum Fontanellensem, & Gontardum Gemeticensem, in quorum contubernio aliquamdiu habitavit. Mortuo demum Gaufredo Pratellensi abbate ad regimen illius abbatiæ cooptatus, sacrarum litterarum studium non intermisit, ut testantur variæ ejus in plerosque divinæ Scripturæ libros commentationes morales necdum editæ, quas composuit inter molestas præfecturæ occupationes, in quibus se his studiis relevari passim testatur. Jam annos viginti-octo in sacris illis studiis insumserat, cum suos in Genesim commentarios dedicavit *Anselmo Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopo quidam*, ut se ipse passim dictitat, *dominicæ crucis servus*, tametsi Ordericus ait, illos commentarios, forte illorum partem, Mauricio S. Launomari Blesensium abbati inscriptos fuisse. In illa ad Anselmum epistola quis fuerit ejus studiorum scopus explicat his verbis. *Ceterum Dominus inopiam meæ scientiæ novit, cui non ficte loquitur testimonium meæ conscientiæ vel intentionis, quia nec præsumo viribus meis, nec ad plausum mortalium, nec ad fructum transitoriæ remunerationis operam impendo, ad explanandum perplexa mysteria Mosaïcæ legis; in cujus si quidem amabili contubernio & contuberniali amore, ferme jam sunt transacti viginti & octo anni, totum me retrusi; in cujus nimirum mandatis prosequendis dum desudo, valde requiesco; cumque ab illius amplexibus importunitate negotiorum mundanorum prævalente frequenter avellor, non modicum laborem incurro.* Eumdem animi sui sensum fusius explicat in prologo commentarii super librum Numerorum, editi post expositionem ab ipso factam Deuteronomii, qui prologus inscriptus est Adelelmo, *eruditissimo presbytero*, ut Ordericus [i] testatur, & *Flaviacensi monacho, qui cum Fiscanensibus sanctæ Trinitatis reverenter militans consenuit.* Patiantur lectores, ut illius prologi initium hic referam ad illustrandum pium auctorem, cujus opera numquam, ut quidem opinor, prodibunt in lucem. *Post sollicitudinem*, inquit, *curæ pastoralis, post strepitualem dispensationem forensium rerum, post importunissimam altercationem rusticanæ multitudinis ferme ratione carentis, vixdum ego revisens penetral meæ mentis, & dispendium vitæ meæ perpendens, nec usquam exitum aliquem reperiens; valde, fili Adelelme, conqueror atque contristor, quoniam ubi prius tranquillitatem animi & claritatem assiduæ lectionis solitus fueram intueri, ibi procul du-*

f *V. lib. 69. n. 44.*
g *Neustria pia p. 109.*
h *Orderic. lib. 8. p. 709.*
i *ibid.*

bio in intimo cordis mei tumultuantem cogitationum turbam & pulverem mundanæ commorationis compellor perpeti. Novit enim ille, qui renes & corda cunctorum rimatur, quia gestare mallem austeritatem prælati, quam virgam pastoralis regiminis &c. Quod attinet ad alios Richardi commentarios, Proverbia Salomonis Pontio Cluniacensi abbati, expositionem in Cantica-canticorum filio suo Mauricio dedicavit. In his porro aliisque commentariis se morosos censores passim esse testatur.

XII. Osbernus abbas Ulterioris-portus & alii.

Tunc temporis monasterium Ulterioris-portus post Aluredum [a] procurabat Osbernus abbas, nobili baronum de Frealvilla genere ortus, cujus parentes Richardus & Gala, necnon ejus fratres eidem monasterio se munificos præbuerunt. Illuc profectus hoc anno Henricus Augensis comes, Willelmi comitis filius, antecessorum suorum donationes eidem loco factas cum additamento confirmavit, teste Rotberto fratre suo, multisque aliis. Eumdem etiam locum adiit Stephanus Albæmarlensis [*] comes cum uxore sua Havisa, rogationum tempore mare trajecturus, rataque omnia habuit, quæ monachis in territorio Albæmarlæ & in comitatu Vimnacensi [*] collata fuerant. Osberno successit Fulcherus, cui Hugo Rotomagensis archiepiscopus ecclesias & decimas, quas monachi in sua diœcesi possidebant, anno M C XLV. confirmavit. Fulcheri successor Guillermus abbas sextus in necrologio dicitur, Recardus septimus. De prædicto Willelmo Augensi comite intelligendus videtur Guibertus [b] Novigenti abbas agens de Helisende Augensi comitissa, sibi ita familiari, ut ipsum *filium* suum diceret, quæ puerum quemdam Judæum neci a quibusdam christianis ei imminenti, subduxerat, instructumque fidei christianæ mysteriis baptizari curaverat, ac Guillelmum de filii sui nomine vocari, & pietate ac litteris imbuendum commendavit Flaviacensi monasterio, ubi postmodum factus monachus, non minimam a cunctis reverentiam consecutus est. Eidem Guibertus ipse libellum quemdam suum, quem contra Suessionum comitem judaïzantem & hæreticum scripserat, legendum direxit, ex cujus lectione ille multum profecisse dicitur.

a *V. lib. 65. n. 49.*

* *d'Aumale.*

* *de Vimeux.*

b *Guiber. lib. 3 vita c. 5.*

XIII. Gaufridus anachoreta ob colloquia cum devota arguitur.

Per id tempus quidam Gaufridus, anachoreticam vitam cum quibusdam fratribus agebat in diœcesi, ut videtur, Carnutensi. Is frequens habebat colloquium cum devota quadam muliere, quæ oculis fratrum, incompetentibus horis & locis, sæpe occurrebat, & cum eis curiose & otiose verba miscebat. quæ res iisdem fratribus offendiculum erat, ejusdemque Gaufridi famæ officiebat. Id cum rescivisset Ivo episcopus Carnutensis, graves ad eum litteras [c] scripsit, cum monens, castæ religionis professorem tam saluti proximorum, quam suæ providere debere; atque adeo duo præcipue appetere, puram conscientiam, & bonam famam: conscientiam propter se, famam propter proximum. *Qui enim negligit famam suam, crudelis est: occidit enim proximum, quantum in se est. Qui ergo vult famam suam conservare, non tantum debet quæ bona sunt facere, sed etiam quæ probabiliter fingi possunt, mala evitare.*

c *Ivo ep. 140.*

Blesensis abbas factus abbatiam Mauricio cedit.

Is est sine dubio Gaufridus seu Guffridus, qui post mortem Bernardi, sancti Launomari monasterii Blesensis abbatis, hoc circiter anno successor electus fuit. Verum non diu hanc abbatiam tenuit. nam non multo post in præsentia Brunonis Romanæ ecclesiæ tunc legati præfecturam abdicavit, & domnum Mauricium ab se electum, & suis manibus in locum, quem ipse tenuerat, deduxit, & in eo collocavit, ut Goffridus abbas Vindocinensis, qui præsens interfuit, testatur in epistola [d] ad Ivonem Carnutensem. Brunonis legatio a Baronio refertur ad annum M C IV. biennio serius a Sirmundo in notis ad prædictam epistolam. Verum, quæ Gaufridi inconstantia erat, vix ad suam solitudinem reversus est, cum acres adversus Mauricium abbatem litteras dedit, in quibus aiebat, se impulsu malorum fuisse ejectum, vilissimumque omnium factum; & prædictum Mauricium ab iniquis in ipsius locum superinductum fuisse. quæ verba Ivo merito arguit in epistola inscripta [e] *Gaufrido sanctæ solitudinis cultori*; aitque ea non congruere ejus proposito & gestis, quippe qui in manu Romani legati, nullo cogente, immo legato dissuadente, abbatiam dimisisset, & in electione ipsius Mauricii primam vocem dedisset. Denique videri hæc verba nonnihil redolere vanitatis, quasi cum amore relictam abbatiam tenuerit, & cum dolore amiserit. Exstat & alia ad eumdem ipsius Ivonis [f] epistola ejusdem argumenti, qua eum arguit, quod monachos vagos & rumigerulos, Mauricio detrahentes, libenter susciperet, audiretque. Perstitit nihilo minus in abbatia Mauricius, qui videtur esse Mauricius ille, quem puerulum Rotbertus de Magentiaco ejus pater, Astorgii viri nobilis ac prærpotentis filius, sancto Launomaro obtulerat, processu temporis a Bernardo abbate

d *Goffrid. lib. 2. ep. 14.*

e *Ivo ep 164.*

f *Id. ep. 208.*

ANN. CHR. 1101.

factus prior in cella Magenciacensi, quam prudenter administravit, ut in chronico Magenciacensi a nobis edito legitur, antequam ad abbatis gradum promoveretur.

XIV. Magnatum familiaritas monachis periculosa.

Qui favorem & familiaritatem principum & magnatum aucupantur monachi, non raro in grande salutis suæ periculum incurrunt. Id exemplo suo in multis nos docet Rainaldus-Quartaldus monachus Vindocinensis. Is, cum ad quamdam sui monasterii *obedientiam* seu cellam a Goffrido abbate missus fuisset, in Guillelmi Aquitanorum ducis, eo nomine octavi, gratiam se insinuavit: sed cum illic non recte se gereret, a Goffrido abbate in monasterium revocatus est. Postulanti deinde duci ut Rainaldus sibi utilis illuc remitteretur; respondit Goffridus [a], " id principis dignitati non " convenire, quod Deo & sanctæ regulæ contrarium esset. Nullum ei profectum ex " missis & orationibus suis proventurum, si regulam, quam ipsi promiserant, violarent. " Profectus temporales animæ fratris sui postponendos. Denique se malle quidvis tem" porale amittere, quam consentire, ut cujuslibet fratris sui anima pereat. Nihilo minus institit dux, evicitque ut monachus illuc reverteretur, & quidem injussu abbatis, ut intelligitur ex alia Goffridi epistola [b] ad Mathildem comitissam, ipsius Guillelmi conjugem, quæ epistola hoc tempore scripta est, cum scilicet Guillelmus in sa" cra expeditione versaretur. Mathildem itaque obtestatur Goffridus, & pro timore " Dei, & pro amore ejus mariti, quo Deus eum sanum & incolumem reverti faciat, " ut ne diutius fratrem illum retineat; alias a domino papa & a se cum omnibus ei " consentientibus excommunicandum. Exstat & alia ejusdem Goffridi epistola ad Jordanum & Rainaldum-Cartaldum, quos ad obedientiam hortatur.

[a] Goffrid. lib. 5. ep. 18.

[b] ibid. ep. 22.

XV. Stephani comitis altera profectio ad loca sancta & obitus.

Hoc anno Stephanus Blesensis comes, qui præ nimia levitate e Terræ-sanctæ expeditione redierat, denuo ad eamdem se retulit, ut præcipitis reditus maculam dilueret. Meminit secundæ hujus profectionis Adela comitissa, *Guillelmi senioris Anglorum regis filia, conjux autem Stephani incliti comitis palatini*, in litteris suis pro monachis Majoris-monasterii, quos inter & sancti Carilefi Blesenses canonicos concordiam fecit super decimis Francæ-villæ, *cum nobilissimus comes Stephanus vir ejus isset secunda vice in Jerusalem, anno videlicet ab incarnatione Domini* M C I. Alia item concordia ipso anno ab eadem facta inter eosdem, Hilgodo tunc Majoris-monasterii abbate, super decima silvæ ab ea concessæ, in qua monachi *obedientiam* construxerant, *quam ipsa Francam-villam appellavit.* Cum vero Stephanus ejus sponsus anno sequenti in obsidione Ramulæ obiisset, eadem comitissa ad augendam eleemosynam, quam vir ejus [c] comes Stephanus in procinctu primæ suæ ad Terram-sanctam profectionis fecerat, partem quamdam silvæ-Lonniæ * seu Longiæ, prædictæ obedientiæ Francæ-villæ contiguam, iisdem monachis donavit assensu filiorum suorum Willelmi & Tetbaldi, pro anima viri sui, *quem jam obiisse in secundo suo itinere Jerusalem contigerat.* In charta hujusce donationis, Adela apud Chamartium posita anno ab incarnatione Domini M C IV. hanc eleemosynam se facere ait *per manus eorumdem spontaneorum pauperum, qui relicto sæculo & rebus propriis Deo inibi famulantur, & quorum religionis opinio percelebris habetur.* Sita est hæc Francæ-villæ obedientia seu cella in diœcesi Carnutensi. Hæc ex chartario Dunensi, scripto ineunte sæculo duodecimo, in quo primum invenio quemdam *Franciscum* absolute nominatum, & Martinum cognomine *Picardum.*

[c] V. lib. 69. n. 36.

* de Sologne.

Adela comitissa monacha Marciniaci.

Non statim post mariti obitum, sed longe serius, Adela sanctimonialis habitum Marciniaci induit, postquam scilicet liberos suos ad ætatem adultam provexisset. Ad eam jam viduam, & sæculo renuntiantem, scripta videtur Hildeberti epistola XXXI. in codice Ebroïcensi ad A. viduam inscripta, in qua eam præcipue ad retundendam superbiam hortatur. Eidem jam Marciniacensi monachæ epistolam LXIII. quæ tantum sexagesima-secunda esse debet, idem auctor direxit. Marciniaci monacha erat Gaufredo ejus loci priore, S. Hugonis fratre, olim Sinemuri domino, de quo mortuo Petrus Venerabilis [d] visionem refert Albereæ sanctimonialis valde religiosæ, *quæ dominam Adelam, regis Anglici* Heinrici *sororem, prius Blesensem comitissam, nunc*, inquit, *humilem Christi ancillam, adiens, ei universa narravit*, nempe mandatum filio suo Gaufredo, Sinemuri domino factum, ut quasdam exactiones vestibus ac telis illic impositas relaxaret.

[d] Pet. Ven. lib. 2. de mirac. c. 26.

XVI. Marciniacenses priores.

Gaufredus ille Sinemuri dominus, postquam in sæculo per multum tempus magnifice conversatus fuerat, tactus divino spiritu mundo nuntium remisit, atque *cum filio & tribus filiabus* [e] apud Cluniacum religionis habitum induit. Cum illic sanctissime & honestissime diu conversatus esset, religionis ac prudentiæ merito Marcinia-

[e] id. ibid.

ANN. CHR. 1101.

censium sororum prior factus est, quarum curam per aliquot annos recte gessit. Eo mortuo, prioris officium ibidem administravit venerabilis Hugo, qui post Pontium Cluniaci abbas ad breve tempus renuntiatus est.

Harpinus monachus Cluniacensis.

Eodem tempore, quo Stephanus comes, ad loca sancta profectus est Harpinus nobilis Bituricensis, qui Bituricam urbem Philippo regi [a] vendidit. Is apud Ascalonem a Sarracenis captus, doctusque Babyloniam, ab Admirali [b] in carcere detentus est. qui per Byzanteos negotiatores infortunium suum Alexio imperatori significavit, eodemque agente in liberratem assertus. Sic Constantinopolim reversus, ut liberatori suo gratias ageret; inde Romam adiit, & laboriosis casibus suis Paschali papæ expositis, vitæ in posterum ineundæ consilium ab eo petiit. Ad quem pontifex: « Summopere cavendum est, inquit, ne quis balneis ablutus, & mundis nitidisque ac sericis vestibus indutus, obscuro noctis tempore per lutulentas incedat vias: ne in cœnum corruat, & maculis respersus a spectantibus rideatur. Id pro exemplo tibi sit, fili; & jam pœnitentia & confessione expurgatus, necnon laboriosa peregrinatione & dura captivitate expiatus, cave ne denuo in tenebrosum & cœnosum vitæ sæcularis iter te inferas, ne rursus polluaris, & repositam tibi coronam perdas. » His dictis alte animo impressis, Harpinus in Galliam, accepta papæ benedictione, rediit, paucisque diebus apud suos moratus, sæculo vale dixit, & Cluniacum profectus, ibidem monachum induit, & in divino usque ad mortem obsequio perseveravit.

a Orderic. lib. 10. p. 789.
b ibid. p. 795.

XVII. Goffridus Andium episcopus fit monachus Cluniacensis.

Hoc etiam anno Goffridus seu Gaufridus de Meduana Andecavensis episcopus, abdicata dignitate Cluniacum secessit, ibique pontificalia ornamenta vestibus monasticis mutavit, postquam septem fere annis illam sedem tenuisset. Ejus secessus causam afferunt querelas de ipsius ordinatione ad Urbanum papam perlatas, scilicet quod junior & illitteratus ordinatus fuisset. Verum, si monitu Urbani factus est monachus, ut in chronico sancti Albini legitur, non coacte sed sponte id fecit, mortuo quippe ante triennium Urbano, qui cum Andecavis anno M XCVI. versaretur, nullum ejus ordinationi vitium opposuisse dicitur.

Goffridus abbas ad successorem eligendum vocatus.

Post ejus abdicationem actum est de successore eligendo. Tunc ad comitia illa vocatus Goffridus abbas Vindocinensis, tametsi alterius parochiæ & provinciæ. Exstant in tabulario Vindocinensi canonicorum Andecavensium bac de re ad ipsum litteræ, hoc anno scriptæ, ut fidem facit earum inscriptio in hæc verba: *Anno incarnationis dominicæ* M C I. *indictione* VIIII. *miserunt has litteras G. abbati Vindocinensi canonici S. Mauricii Andegavis, isti præcipue, Stephanus decanus, H. cantor, W. archidiaconus.*

Dilectissimo patri suo & amico karissimo G. Vindocinensium abbati venerando, S. decanus, H. cantor, & G. archidiaconus, salutem & orationem. Supplicamus paternitati vestræ, ut ecclesiæ Andegavensi succurrere, sicut discretissimus pater, sicut catholicus, sicut Romanæ ecclesiæ filius, & consilium & auxilium vestrum exhibere non differatis. Volumus enim, Deo juvante, de electione pontificali in crastino sancti Petri cum vicinis episcopis & abbatibus & religiosissimis viris colloqui & tractare, &, quantum poterimus, diffinire. Huic ergo colloquio vestram præsentiam interesse exoptamus, & consilium & auxilium vestrum nobis non subtrahi supplicamus, sed exhiberi. Confidimus namque, quod, Deo propitiante, rem ad finem perducemus. Valete. Quod rogamus facite.

Et quidem electioni interfuit Goffridus abbas, sed Rainaldi de Martiniaco electionem non probavit, utpote vulgi conspiratione factam, ut ipse pluribus testatur in epistola [c] ad ipsum Rainaldum, qui de Goffridi abbatis opposirione querebatur: qua in epistola Hildebertum Cenomannensem episcopum eidem electioni restitisse dicit. Rainaldi partes tuebatur Marbodus Redonensis. Causa maximis contentionibus Romæ agitata, tandem Rainaldus cathedram pontificalem obtinuit. Forte ejus rei gratia Romam profectus est Hildebertus, qui in reditu Lirinum adiit, ut inferius videbimus.

c Goffrid. lib. 3. ep. 11.

XVIII. Rothonenses abbates.

Inter eos qui ad Jerosolymitanam expeditionem profecti sunt, censendus est Alanus Fergentius dux Britanniæ, Rotberto Nortmanniæ duci adjunctus cum Rioco milite, Judicaëlis filio, fratre Walterii de Lobeiaco, qui cellam Salvatoris in ipso prædio instituit. In reditu Riocus morte interceptus, quasdam reliquias e locis sanctis acceptas, scilicet vivificæ crucis & sepulcri dominici frusta, Simoni ac Ludroni familiaribus suis credidit, Walterio fratri suo consignanda. Eorum receptioni præsentes adfuere Judicaël Macloviensis episcopus, Willelmus abbas sancti Mevennii, Robertus de Arbrisello, *sanctissimus homo* cum grege fratrum suorum, Justinus ab-

ANN. CHR. 1101.

bas Rothonensis, & alii quamplures. quæ receptio hoc anno contigit III. kal. Julias. Justinus abbas duobus circiter annis supervixit, successorem sortitus Walterium, quem Herveus post quatuor annos excepit. Is Alanum Fergentium Britanniæ ducem, ob damna Rothonensibus illata diris addictum, demum pœnitentem absolvit, & monastica veste lætus donavit.

Terrasonenses abbates.

a Labbe bibl. to. 2. p. 297.

Apud Lemovices hoc ipso anno Ademarus de sancto Riberico post duos Geraldos abbas Terrasonensis monasterii, quod sanctus Aredius sæculo sexto condiderat, & nepoti suo Astidio Vosiensi abbati tradiderat, se suique monasterii [a] ordinationem Ademaro abbati sancti Martialis, ejusque successoribus subjecit, Raimundo de Turenna laudante. Id Terrasonensibus prospere cessit, qui bonis omnibus exinde affluere cœperunt. At, cum id irritum postea fecissent, abundantia illa in magnam inopiam vertit. Per id tempus Ivo prior Cluniacensis, vir scholasticus, Lemovicas profectus, rogatu sancti Martialis monachorum vitam sancti Pardulfi abbatis, inculto stilo antiquitus scriptam, expolivit, hymnumque de eodem sancto, & alterum de S. Martiale composuit. Ivo iste sub sancto Hugone major prior erat anno M LXXXI. cui Hendricus seu Henricus, dein Bernardus in eodem munere successere.

XIX. Petri venerabilis parentes & fratres.

Nunc locus postulare videtur, ut de ortu & primis factis Petri, quem Venerabilem posteri merito dixere, sermonem instituamus. Natus est apud Arvernos nobilissimo genere, Mauricio & Raingarda parentibus, pari nobilitate claris. Unde Petrus Pictavensis monachus in carmine panegyrico eum comparare non dubitat cum sancto Hugone Cluniacensi abbate nobilissimo, ita suos Cluniacenses alloquens.

Plaudite felices, hilarescite Cluniacenses:
Redditus est vobis moribus alter Hugo.
Nobilis ille fuit, magnisque parentibus ortus:
Hunc quoque præclarum reddit origo patrum.
Ille super cunctos, quos excolit ac veneratur
Gallia Lugduni, nobilitate nitet:
Hunc Latia gentes regum de stirpe potentes,
Arverni populi progenuere duces.

b Chesn. nota in Bibl. Clun. p. 101.

Andreas Chesnius [b] non audet asserere, Petrum ortum esse ex stirpe de Monte-Buxerio. quod tamen omnino certum est, idque diserte testatur Gaufredus prior Vosiensis, ejusdem sæculi scriptor, qui agens de Petro nostro, ejusque fratribus: *Hi fuerunt*, inquit, *de viris nobilibus de Montboissier, quod est castrum in Arvernia.* & paullo infra subdit, Pontio abbati Cluniacensi successisse Petrum per triginta-quinque annos, *qui descendit de stirpe illius Hugonis, cognomento Descousut*, id est Dissutus, *qui cœnobium sancti Michaëlis de Clausa condidit primus.* Porro Hugonem istum ex illa stirpe fuisse testantur Clusensis abbatis litteræ, anno M CCCC XIV. datæ Ludovico de Monte-Buxerio, qui *sequens progenitorum vestigia, & præsertim gloriosæ memoriæ domini Hugonis, domini quondam Montis-Buxerii, fundatoris*, inquit abbas, *nostri, a cujus clara progenie per rectam lineam noscitur genus traxisse, donavit nobis octies centum aureos.* Atqui Radulfus monachus, ipsius Petri discipulus, in libello de ejus vita, ait *proavum* ejus fuisse eum, *qui revelatione divina ecclesiam* sancti Michaëlis de Clusa ædificavit. qua de re in tomo tertio [c] egimus. Incertum quo nomine præditus fuerit Mauricii pater, Petri avus.

c lib. 47. n. 4.

d Chesn. ubi supra p. 102.

Octo ex Raingarde mares [d] & duas filias Mauricius suscepit. Horum primus Otto, ante omnes mortuus, qui totus in fratribus vivere dicitur a Petro Pictavensi. Secundus fuit Hugo, qui duas habuit filias, Marciniaci cum avia Raingarde sanctimoniales, nempe Pontiam & Margaretam. Tertius Pontius abbas fuit Vizeliacensis. Quartus & quintus Jordanus & Armannus monachi. Sextus Eraclius seu Heraclius primum canonicus, dein archiepiscopus Lugdunensis. Septimus Eustachius in sæculo remansit. Octavus denique fuit Petrus, de quo in præsens agimus.

XX. Ejus ortus, educatio & prima facta.

Hic sub finem sæculi undecimi natus est, siquidem anno M CXXII. quo Cluniacensis abbas post Hugonem secundum creatus est, annorum erat circiter triginta, ut in chronico legitur, seu, ut alia lectio habet, annorum viginti-octo. Ab ipsis infantiæ cunis a parentibus Deo, sub monastica observatione militaturus, oblatus fuisse traditur, & a sancto Hugone sub extremum ejus vitæ, *monachali benedictione insignitus*, id

ANN. CHR. 1101.

id est ad professionem monasticam admissus. quod ante annum ætatis quintum-decimum [a] fieri non solebat. Radulfus in libello de ejus vita scribit, sanctum Hugonem matri ejus gravidæ prædixisse, masculum eam parituram, quem Deo consecrare deberet. Mox ut litteris discendis habilis fuit, in monasterio Celsiniensi, ubi pater ejus sepultus est, sancto Hugone jubente, nutriendus erudiendusque traditur. Illic brevi magnum in litteris progressum fecit. Vix ferulæ manum subduxerat, cum in Vizeliacensi monasterio *seniorum doctor & custos ordinis* constitutus est: dein cellæ de Domena, diœcesis Gratianopolitanæ, præpositus. In his officiis tam religiose & prudenter se gessit, ut post mortem Hugonis abbatis, eo nomine secundi, Cluniacensis abbas electus sit.

a Consuetud. Clun. lib. 3. c. 8.

XXI. Sugerius apud S. Dionysium floret.

Paullo ante id tempus, id est anno circiter MXCII. in sancti Dionysii monasterium admissus fuerat Sugerius [b] seu Suggerius, Petri nostri in primis amicus, cujus genus magis obscurum, sed vita & facta splendidissima exstitere. Ortus videtur ex ipso sancti Dionysii opido, ubi in Dionysiano monasterio se *a mamilla usque in senectam* dulcissime fotum fuisse ipse testatur initio libri de rebus in administratione sua gestis: in cujus fine se ibidem *sub præceptione sanctæ regulæ a puero* oblatum fuisse dicit. Unde in capite XXVIII. ait, se nihil malle in cælo, *quam prosequi matris ecclesiæ illius honorem, quæ puerum materno affectu lactaverat, juvenem offendentem sustinuerat, ætate integrum potenter roboraverat, ac demum inter ecclesiæ & regni principes sollemniter locaverat.* Pater ejus Elinandus vocabatur, uti discimus ex necrologio Argentogilensi, in quo pridie nonas Septembris notatur *Elinandus pater Sugerii abbatis*, in Dionysiano *Elinandus*, nullo addito. Duos habuit nepotes, Guillelmum scilicet ac Girardum, quem ipse nepotem [c] suum vocat. Guillelmus canonicus fuit ecclesiæ Parisiensis, probante illius ecclesiæ necrologio, in quo ad XVII. kal. Februarii hæc leguntur: *Obiit Sugerius abbas sancti Dionysii, pro cujus anima Guillelmus nepos ejus, concanonicus noster, dedit nobis LX. libras Parisienses.* Tertium quoque nepotem habuit Johannem, qui ab ipso missus ad Eugenium papam pro negotiis suæ ecclesiæ, in itinere mortuus est: de cujus obitu pontifex ipse [d] Sugerium consolatur. Forte is est frater Johannes, de quo sanctus Bernardus in epistola CCCXXX. ad Sugerium, qui eum cum magistro Templi ad Bernardum direxerat. Idem Sugerius [e] modeste de suis parentibus loquitur, agens de fabrica ecclesiæ a se suscepta. *Quis enim ego sum,* inquit, *aut quæ domus patris mei, qui tam nobile, tam gratum ædificium vel inchoasse præsumserim, vel perfecisse speraverim, nisi divinæ misericordiæ & sanctorum auxilio martyrum fretus, totum me eidem operi & mente, & corpore me applicuissem?* Clarius id exprimit in suo ipsius testamento, ubi divina in se beneficia commemorans, *quomodo*, inquit, *valida Domini manus me pauperem de stercore erexerit.* Denique Sugerium *de plebe humili* creatum fuisse legitur in fragmento historico apud Chesnium [f]. Unde Radulfus quidam physicus, qui carmen *de nobilitate domus Sugerii abbatis & operibus ejus* ipso vivente composuit, in codice Gemblacensi a nobis repertum, ita de eo canit:

> *Qui propria gentis decus est, & forma parentis,*
> *Muneribus divis Deus hunc erexit ab imis.*

b V lib. 68. n. 96.

c Chesn. to. 4. p. 332.

d ibid. p. 493.

e ibid. p. 343.

f ibid p. 280.

In Dionysiano monasterio educatus fuit cum Ludovico, Philippi regis filio, cui acceptissimus fuit. Post navatam litteris operam in monasterio, ad confinia Turonum & Pictonum se contulit, forte ad Gaufridum de Loratorio, qui magister eo tempore famosissimus erat, teste Bernardo in epistola CXXV. Huc spectat ipsius Sugerii epistola pro sororibus Fontis-Ebraldi ad Eugenium [g] papam, quem rogat, ut protegat *tantum tantæ religionis locum, quem, cum in partibus illis*, inquit, *in scholis essemus, noviter inceptum esse vidimus.* Adhuc adolescens *antiquas armarii possessionum chartas* [h] revolvere solebat, præsertim quæ monasterii immunitates spectabant, *propter multorum calumniatorum improbitatem.* Unde, cum Paschalis papa in Galliam anno MCVII. venisset, contra Galonem Parisiensem ecclesiæ suæ libertatem coram pontifice strenue propugnavit. Eidem adhuc juveni commissa fuit Tauriaci [*] præpositura, quæ *famosa beati Dionysii villa* est, medio fere itinere Parisios inter & Aurelianos: ubi multum desudavit, ut locum a Puteolensium dominorum infestatione vindicaret.

g ibid. p. 512.

h ibid. p. 333.

* Toury.

XXII. S Marculfi corporis delatio.

Per id tempus cella Corbiniacensis in pago Laudunensi, sancti Remigii archimonasterio subjecta, ad tantas redacta erat angustias, tam communi animalium peste,

ANN CHR. 1101.

quam infestatione & deprædatione Thomæ Montis-acuti tyranno potius quam domino, ut illius cellæ præpositus ad monasterium sancti Remigii reversus, præpositure officium dimiserit. Electus ad id muneris Andreas monachus, qui & Sigebertus, ægre acquievit; &, cum nihil subsidii a monasterio Remigiano, quod nuper incendio consumtum fuerat, sperare posset; sancti Marculfi corpus per diversa loca, ad querendas in tantis angustiis suppetias, deferre statuit, exemplo scilicet sancti Quintini nobilium clericorum, necnon sancti Martini canonicorum Turonensium, qui ante sex annos corpus sancti Briccii hac illac ob similem causam deportaverant. Probato a Remigianis Andreæ consilio, corpus sancti Marculfi primo ad urbem Remorum defertur, honorifice receptum in metropolitana ecclesia, tum in basilica sancti Remigii. Illinc per cœnobium sancti Basoli Catalaunum; indeque Sparnacum, Castellionem, Branum & Suessionas devehitur; postea Noviomum & Perronam, ubi in basilica sancti Fursei, tum in sancti Johannis-Baptistæ ecclesia aliquamdiu substitit. Illic varia miracula edita referuntur, quibus opidani & accolæ circumpositi ad relevandam Corbiniacensium inopiam excitati sunt. In primis Adelidis, Rotberti illius castri principis conjux, erga eos se munificam præbuit occasione miraculi cujusdam puellæ, a nativitate surdæ & mutæ, cui linguæ & auditus officium concessum est.

XXIII. Henricus abbas S. Quintini de Monte.

Non minus erga eosdem liberalis fuit Henricus, proximi sancti Quintini de Monte cœnobii abbas, Remigianorum amicissimus, qui cum suis ad venerandas sancti Marculfi reliquias accessit. Is Godefrido abbati ante triennium [a] successerat, quintus ab instaurato monasterio abbas, cui anno sequenti Baldricus Noviomensis præsul, *videns honestam monachorum* ejus loci *vitam, & Deo dignam conversationem*, septem altaria dedit; & paullo post Ada Viromandensium comitissa, probantibus filiis suis Radulfo & Henrico, Rotberti Perronæ domini & Adalidis ejus conjugis donationem de Alanis [*] factam confirmavit. Post annos octo, id est, anno M C IX. Ludovicus rex Perronam profectus, ad preces Adelidis tum viduæ, *& carissimi patruelis nostri*, inquit rex, *Radulfi, Vermannorum futuri comitis*, eamdem donationem ratam habuit. Ex opido Perrona sancti Marculfi reliquiæ per Humolarias, Ribodi-montem, & Laudunum revectæ sunt in proprium locum.

a V. lib. 69. n. 97.

* Alainis.

XXIV. Bernerus abbas S. Nicolai de Bosco.

Tunc temporis Vedogiensi sancti Nicolai monasterio, de Saltu seu de Bosco nuncupato, præerat Bernerus abbas, Letbaldi [b] primi ab instituto monasterio abbatis successor, cujus rogatu Philippus rex quoddam sui dominii prædium, Wariacum nomine, Deo & sancto Nicolao, & monachis in eodem monasterio, *quod dicitur Vedogium*, servientibus hoc anno contulit. Anno sequenti Ingelrannus Laudunensis episcopus ecclesiam sancti Nicolai liberam declaravit. *Et quia ibidem aliqui laici Deo devoti convenerant, sine quorum exteriori administratione spiritualis quies monachorum non potest consistere; placuit nobis*, inquit, *ibidem parochiam constituere, in qua continetur de territorio parochiæ S. Petri* de Crispeio, *quidquid est ultra rivulum, qui in valle sancti Nicolai fluit, & super rivum, & citra rivum, totam vallem & clivum usque ad verticem montis* &c. Subscripta sunt post Ingelrannum episcopum, ejusque canonicos & Petrum presbyterum de Crispeio, signa Godefridi abbatis de Noujando, Berneri abbatis sancti Nicolai, Stephani abbatis de sancto Michaële in Teorascia, Rainardi abbatis de Ribodimonte, Radulfi abbatis de Fidemiis, & Theoderici monachi. *Actum Lauduni in synodo, nonis Novembris, anno incarnationis dominicæ* M C III. *epacta* XXII. *indictione* XI. *concurrente* III. Ansellus cancellarius sanctæ Mariæ relegit & subscripsit.

b V. lib. 65. num. 11.

XXV. S. Benigno remissæ exactiones.

Divionensi sancti Benigni monasterio multas consuetudines præter jus imposuerat Rotbertus Burgundiæ dux, quas Odo ejus nepos exigere pergebat. Facti reatum tandem agnoscens Odo, cum Jerosolymam ad sacram expeditionem profecturus esset, sancti Benigni capitulum cum multis nobilibus viris adiit, de factis injuriis a Jarentone abbate & monachis veniam & absolutionem petiit, eaque obtenta iniquas illas consuetudines, quas avus ejus Rotbertus extorserat, relaxavit, pollicitus, ea reverentia, qua ipsius frater Hugo terras & homines sancti Benigni tractaverat, se tractaturum. Hujus rei diploma retulit Perardus [c] ex authentico, cui appensum est sigillum Odonis ducis Burgundiæ cataphracto equo insidentis. Hugo ejus filius anno sequenti easdem consuetudines apud Plumbarias cum fratre suo Heinrico remisit pro anima patris sui in itinere Jerosolymitano defuncti.

c Perard. p. 201.

ANN. CHR. 1101

Molismo factæ donationes.

Ea erat tunc Molismensium nostrorum sub Rotberto abbate fama religionis, ut ad eos invisendos hoc anno ipsis paschalibus festis Hugo Campaniæ comes, Theobaldi tertii filius, ejusque conjux Constantia *devotionis simul & orationis causa* [a] cum multis nobilibus viris illuc convenerint. Et ne vacuis manibus eo accessisse viderentur, mediam partem villæ Rumiliaci eidem ecclesiæ contulerunt. Quædam etiam de suo adjecit Constantia, quæ Philippi Francorum regis filia erat. Actum apud Molismum hoc anno, indictione nona, in editis male octava, *tempore Philippi episcopi Trecorum, Roberti episcopi Lingonensis ecclesiæ, & Roberti primi cœnobii Molismensis patris*, ut in ipsis litteris legitur, quibus subscribunt Hugo comes Risnelli, Hugo comes de Rameruco, multique alii nobiles, qui in Hugonis comitatu erant. Post quatuor annos idem comes prædictam donationem approbavit, aliisque rebus auxit, ut inferius videbimus.

[a] Spicil. to. 4. p. 237.

Sub idem tempus Willelmus Tornodorensis comes ecclesiam sancti Aniani, in Tornodorensi opido sitam, sanctæ Mariæ Molismensi, ejusdemque loci abbati Rotberto & fratribus donavit, & cuncta ad eamdem ecclesiam pertinentia, *sicut canonici, quos in eadem ecclesia constituerat, antea obtinebant*, annuente Rotberto Lingonensi pontifice, laudante quoque patre suo Willelmo Nivernensi comite, eo scilicet pacto, ut Molismenses anniversarium fratris sui Rainaldi & matris suæ in perpetuum celebrarent. Post aliquod tempus, cum Willelmus comes, filius Rainaldi comitis, qui Willelmo avo suo in honorem successerat, Jerosolymam adire constituisset; Rotbertus abbas ad ejus curiam perrexit, & in Nivernensi sancti Stephani monasterio hospitatus est, ad quem accessit Willelmus comes, & ejus, fratrumque Molismensium precibus se commendavit. Tum de villæ Molismensis incendio, cujus auctor erat, veniam petiit, & fecit satis; atque donationem ecclesiæ sancti Aniani, ceterasque donationes, Molismensibus a majoribus suis factas, confirmavit. Testis inter alios Walterius vicecomes de Clamiceïo, cui præcepit comes, ut res Molismensis ecclesiæ tueretur.

XXVI. Sancto Pontio, item & Crassæ & Gelloni.

Narbonensi ecclesiæ præsidebat hoc tempore Bertrandus archiepiscopus, isque pro « amore Dei, & ad preces Berengarii monachi sancti Pontii Tomeriensis, *& pro amore pa-* « *tris sui* [*] *domni Aimerici vicecomitis Narbonensis, & uxoris ejus, nomine Matta*, eorumque « filiorum Aimerici, Gisardi & Bernardi, donavit sancto Pontio Tomeriensis monaste- « rii, & abbati Petro, ejusque monachis complures suæ diœcesis ecclesias. quæ dona- « tio hoc anno facta est VII. idus Februarii. Paullo post, scilicet XIV. kal. Aprilis ejusdem « anni, idem Bertrandus archiepiscopus S. Pontio subjicit *monasterium S. Aniani* [*], *quod est juxta fluvium Vernazoubre, a pravis hominibus suis possessionibus privatum, & ab omni honestate seclusum sanctæ Regulæ*, ut illud ad regularem normam reformaret. Tunc sancto Aniano præfectus est Ermengaudus abbas, quem ex Tomeriensi monasterio assumtum fuisse veri simile est, si tamen prædictæ Bertrandi litteræ effectum habuerint.

[*] l. Berengarii.

[*] S. Chignan.

Tunc etiam Ermengardis Biterrensis vicecomitissa & Carcassonæ cum filio suo Bernardo-Attone, qui erat in procinctu itineris ad sepulcrum Domini, contulit Deo & beatæ Mariæ Crassensis monasterii, & domno Roberto abbati ejusque monachis villam *de Castlhag* in comitatu Carcassensi, cum ejusdem loci ecclesia sancto Hilario sacra. Actum XII. kalendas Julias ejusdem anni. Robertum abbatem, eo nomine secundum, post octo circiter annos excepit Leo abbas: cui successit Berengarius de Narbona, vir nobilissimus, de quo inferius. Idem qui supra Bernardus vicecomes Biterrensis, Jerusalem profecturus, sancti Pontii ecclesiam in diœcesi Agathensi concessit Gellonensi monasterio, cui tunc Guillelmus abbas præerat. Ejus successores Ugo, & Petrus, quorum præfectura nulla re gesta insignis. Petro subrogatus Willelmus secundus, cujus tempore, id est anno M C XXIV. Bernardus de Mesua vir nobilis, Guillelmi de Mesua militis filius, morti proximus, & apud Gellonem sepeliendus, Deo & sancto Willelmo filium suum in monachum obtulit, nomine Bernardum, qui variis in Gellone muniis functus, abbas tandem ibidem factus est anno M C LXX. scilicet post Richardum de duabus-Virginibus, qui prædicto Willelmo successit, & post Richardum & Petrum ipsius Bernardi decessorem.

XXVII. Aldebertus abbas Lirinensis obit.

Superstes fuit ad hunc usque annum Aldebertus seu Eldebertus Lirinensis abbas, eo nomine secundus, superius [b] laudatus, qui monasterium & ecclesias reparasse, arcem turris Lirinensis construxisse, aliaque egregia fecisse memoratur. Ejus tem-

[b] V. lib. 66. n. 83.

ANN. CHR. 1101.

pore quidam nobilis [a] Antipolitanus, Petrus cognomento Signarius, se ipsum, filiosque suos Deo & sancto Honorato cum omni honore suo obtulit; idemque præstitit ejus filius Guillelmus. Tandem Aldebertus sub finem hujus anni, ætate & meritis gravis, ad superos migravit, sepultus Lirini, apposito ad ejus sepulcrum epitaphio, quod Baralis refert, ex quo quatuor tantum versus huc affero, qui merita ejus ætatemque probant, & præfecturæ annos sex & triginta.

a Chron. Lirin. parte 2. p. 156.

Ipse fuit norma monachis, via, semita, forma;
Nec quis plus quærat, omnia solus erat.
Ex septem denis quos vixit, ter duodenis
Annis, ut decuit, pastor & abba fuit.

Pontius Fortis succedit.

Eo abbate Lirini florebat Daniel monachus, qui commentarium in Psalmos ad Eldebertum abbatem composuit. Aldeberto successit Pontius cognomento Fortis, qui anno primo susceptæ administrationis privilegium a Paschali II. obtinuit. Ad ejus tempus revocanda est clades Lirinensis, de qua sequenti anno agemus. Eo quoque abbate Augerius Regiensis episcopus ecclesiam sancti Petri sancto Honorato cum suis appendicibus donat, quam donationem Grossolanus Mediolanensis archiepiscopus & Petrus episcopus Venciensis, post Augerium ejusque canonicos firmant; necnon Pontius abbas Lirinensis & Ugolenus prior.

XXVIII. Varia monasteria condita.

Apud Vercellas extra muros civitatis condita est hoc tempore abbatia sancti Petri de Mulegio, quam sæculo sequenti Innocentius IV. monachis Vallumbrosanis attribuit. Processu temporis hoc monasterium, bellorum injuria solo æquatum, Gaspar Astensis [b] episcopus, ejus loci abbas commendatarius, in integrum restituit anno M D XLVII. monachosque illuc revocavit. Abbates ejus loci a sæculo tertio-decimo in chronologia Pedemontana cap. XXXV. recensentur. Hæc abbatia originem habuit Ragenerio Vercellensi episcopo, qui in sua diœcesi, comitatuque Bugellæ [c] aliud nobile ac locuples Benedictinorum cœnobium exstruxisse perhibetur in honorem Salvatoris & sancti Jacobi, haud longe a monte Bexia seu Bessa, a quo vocabulum monasterio inditum est. Innocentius II. monasterii possessiones anno M C XL. confirmavit, cujus diploma *Nicolao abbati monasterii sancti Jacobi de Bexia* inscriptum est. Nobilis hæc abbatia omnino pessumdata est, monachisque exturbatis in prædam abbati commendatario cessit. Hæc in Italia.

b Ital. sac. to. 4. p. 1072.

c ibid.

In Saxonia quoque duo nostro Ordini accessere monasteria, scilicet Flectorpiense, & Rossenveldense. Prioris auctor Erpo seu Erpho Padbergensis [d] comes, qui illud ad *honorem Domini nostri Jesu-Christi & sanctæ Dei-genitricis Virginis Mariæ, super ossa beati Landolini confessoris*, quæ sanctæ memoriæ Baturadus episcopus Paderbornensis, e » diœcesi Cameracensi transtulerat, & in loco, qui dicitur Boka, deposuerat, » *novellam plantationem religionis sancti Benedicti*, favente Henrico episcopo Paderbornensi, » ad Lippiam fluvium primo inchoaverat; sed prohibentibus comitibus, qui locum » illum post mortem Beatricis, Erponis conjugis, ad se reverti debere contendebant, ad » villam suam Fletorpiam transtulit. Litteræ hac de re vulgatæ, tum Erponis comitis, tum Henrici episcopi, non videntur omnino sinceræ. Henrici litteris hoc anno datis testis subscriptus invenitur Erkenbertus Corbeiensis abbas, qui non ante annum M C VII. Marcwardo successit. Primus Fletorpiensis abbas exstitit Fridericus, cujus successores, a Schateno recensiti, locum rexere usque ad Balthasarem, qui exuto habitu monastico, ductaque uxore, ad hæresim transiit, & miseram in ditione Corbeiensi vitam clausit.

d Annal. Paderborn. p. 652.

Ad Rossenveldense monasterium quod attinet, erant illic ante hoc tempus sæculares clerici; quibus expulsis, congregatio monachorum ibidem instituta est, primusque abbas electus Werinherus, libertate concessa ab Udone marchione, ejusque matre & fratre, qui monasterium illud Romanæ ecclesiæ subjecerunt. Hæc ex chronico Saxonico.

XXIX. S. Bruno Cartusianorum auctor obit.

In Calabriæ Cartusia, quæ Turris vocabatur, hoc anno, pridie nonas Octobris, dominica die ad immortalem vitam transiit eximius Cartusiani Ordinis institutor Bruno, anno circiter undecimo ab ipsius egressu e majori Cartusia, quam sex annis rexerat. Instante obitu, convocatis fratribus totius vitæ suæ ab infantia cursum exposuit, seque divina animadversione dignum proclamavit. Tum suam de sanctissima Trinitate fidem exposuit, & de Sacramentis, quæ credit ac veneratur ecclesia; & speciatim se

credere professus est, *panem*[a] *& vinum, quæ consecrantur in altari, post consecrationem verum corpus esse Domini nostri Jesu-Christi, veram carnem & verum sanguinem, quæ & nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, & in spem salutis æternæ.* quæ quidem omnia testantur fratres Turritanæ eremi in encyclica epistola, quam de ejus obitu ad Italicas & Gallicanas atque Anglicanas ecclesias miserunt, ut preces & suffragia pro illius animæ refrigerio de more expeterent.

ANN. CHR. 1101

a V. Analect. to. 4. p. 400.

Exstant in fine ejus vitæ, quæ tempore Leonis X. edita est, variarum ecclesiarum *tituli*, ut vocabant, id est lugubres versus, qui in defuncti memoriam ab eisdem ecclesiis in rotulo ad se misso describebantur. Ex his omnibus quosdam tantum, qui in rem nostram faciunt, seligere lubet. Titulus Clusini cœnobii sic habet. *Clusinum cœnobium satis humile & exiguum, pro Brunone religionis socio, insignisque fidei magistro eximio, ac suis orationibus in vita sanctissimi viri patris nostri Benedicti dedito, mærens se fore destitutum tanti viri solatio, dictum exorabat Dominum*, &c. Post Gratianopolitanæ ecclesiæ titulum sequitur titulus eremi Cartusiæ prope Gratianopolim, in quo gemunt se tanti patris solatio destitutos, incerti quid pro sancta ejus anima facere debeant. *Vincunt enim*, inquiunt, *merita beneficiorum ejus erga nos quidquid possimus & valeamus. Itaque sicut pro unico patre ac domino nostro nunc & sine fine orabimus* &c. Succedit *titulus fratrum Casa-Dei subtus Cornelionem prope Gratianopolim & Cartusiam*, promittentium se pro sanctitate tanti viri, « *cujus doctrina & exemplo stirps tanta in* « *Christo fructificavit*, septem diebus celebraturos officium & missas, & panem ac vi- « num cum ceteris ferculis pro eo pauperibus daturos. In titulo ecclesiæ Lingonensis « Robertus episcopus, qui ejus discipulus Remis fuerat, ait se rogaturum ejusdem ecclesiæ canonicos & sacerdotes, monachos & eremitas, *ut orent pro anima carissimi magistri sui Brunonis, & eleemosynas pauperibus largiantur.* quod fratres Molismensis « ecclesiæ se facturos pollicentur pro suo *familiarissimo* Brunone, & missarum sollemnia diebus triginta persoluturos. Sua item suorumque suffragia promittit Lambertus abbas Pultariensis, qui se hujus eximii magistri Brunonis *a primordio suæ conversionis a sæculo* discipulum fuisse gloriatur. Idem spondet Lambertus abbas sancti Nicolai monasterii Andegavensis; idem quoque fratres sanctæ Mariæ Lucionensis, *domno Reginaldo abbate imperante.* Sed præ ceteris Mainardus Cormaricensis abbas, ortus ex urbe Remorum, se gratum profitetur erga sanctum Brunonem, magistrum quondam suum, ut fidem facit ipsius hac de re epistola, quam in Appendice referemus. Eodem animo in Brunonem affectus fuit Petrus sancti Johannis Suessionensis canonicorum regularium abbas, qui ejus itidem discipulus fuerat. At præ ceteris ejus memoriam celebravit ecclesia Remensis, cujus alumnus ipse fuerat. Sepultus est vir Dei in sancti Sthephani ecclesia, quæ post medium sæculum duodecimum, cum a fervore [b] Ordini insito degenerasset, Cistercienfibus ad trecentos amplius annos tradita, tandem ad legitimos heredes Leonis X. pontificatu rediit.

b V. Manriq. an. 1157. c. 4.

Brunonis scripta.

Quod attinet ad scripta sancti Brunonis, expositionem in Psalmos composuit, & commentarium in Pauli epistolas, in cujus fine hæc subscriptio legitur in veterrimo codice: *Explicit glosarius Brunonis heremitæ super epistolas beati Pauli apostoli.* Cetera opuscula, quæ vulgo ei tribuuntur, sunt Brunonis Astensis episcopi, qui aliam expositionem in Psalmos composuit, dicavitque Hugoni [c] Astensi episcopo, qua ex urbe oriundus erat, falso tributam Brunoni Cartusiensi præposito in codice Silviniacensi, quæ cella est Cluniacensis in pago Burbonensi prope Molinas, quo in codice sic incipit nuncupatoria hujus expositionis epistola: *Domino suo Hugoni Astensi episcopo Bruno ubique suus.* Sic vero incipit expositio: *Beatus vir qui non abiit* &c. *Quid est ambulare in concilio impiorum* &c. quod exordium aliud est ab editis inter opera Brunonis Astensis.

c V. Ital. sac. to. 4. p. 511.

XXX. Dissensio in eligendo successore.

Post mortem sancti Brunonis orta est dissensio super electione successoris in eremo Turris: cui componendæ missus est a Paschali II. Richardus episcopus & cardinalis Albanensis ex decano Mettensi, qui pacem & concordiam illic reformavit, & Lanuinum in Brunonis locum substitui curavit. Hæc discimus ex ipsius Paschalis litteris, quas ab amico quondam nostro domno Leone Vassorio Cartusiano, docto & in primis pio, accepimus. Sic enim habent primæ pontificis litteræ ad ipsum Lanuinum. *Revertente si quidem fratre R.* * *Albano episcopo, pacem & concordiam eremi reformatam, & in locum sanctæ memoriæ magni Brunonis te successisse cognovimus. Sit ergo in te ejusdem viri spiritus, idem sit & eremitica disciplinæ vigor, eadem morum & gravitatis constantia:*

* Richardo.

ANN. CHR. 1101.

quia nos, opitulante Domino, quidquid auctoritatis & potestatis ipsius magistri probabilis sapientia & religio ab apostolica sede promeruit personaliter; hoc tibi, te eodem spiritu comitante, concedimus. Volumus autem, ut in proxima quadragesima nos visitare debeas, quatenus cordis secreta os ad os plenius loquamur &c. *Datum Romæ* VI. *kal. Decembris.* Idem pontifex aliis litteris eidem Lanuioo de sarcita pace gratulatur his verbis. *Repletum est gaudio os nostrum & lingua nostra exultatione: quoniam quod fractum fuerat, consolidatum; & quod dissolutum fuerat, andivimus alligatum. Cavete ergo, ne iterum vos satanas circumveniat, & in idipsum, quod Deus avertat, revertamini. Nolite de jejuniis & orationibus præsumere: Deum, qui caritas est, amplectimini.* &c. *Orate pro nobis.* Alias ejusdem pontificis litteras ad eumdem Lanuioum, Turris priorem, inferius proferemus, quem cave confundas cum Landuino majoris Cartusiæ priore secundo, quem anno superiori obiisse [a] vidimus.

a lib. 69. n. 128.
XXXI. Thiemonis archiepiscopi martyrium.
b lib. 68. n. 17.

Hoc ipso Thiemo Saltzburgensis archiepiscopus, quem cum Welfone duce, Gisilberto Admonteosi abbate, multisque aliis ad loca sacra profectum fuisse superius [b] diximus, a barbaris apud Corozaim interceptus, gloriosum pro Christo agonem, obtruncatione membrorum coosummavit IV. kal. Octobris, cujus martyrium anonymi duo ex aliorum relatu longiori verborum circuitu descripserunt. Humatus fuit in ejus loci ecclesia, ejusque sepulcrum multis miraculis illustratum fuisse traditur. Evasit ex illa persecutione Gisilbertus abbas, quem Bucelinus perperam martyrem dicit, quasi qui Thiemonis in peregrinatione socius erat, ejus quoque martyrii particeps fuisset.

ANN. CHR. 1102.
XXXII. Turbæ apud Cameracenses & Leodicenses.

Postero anno post millesimum centesimo secundo Romæ in quadragesima habitum est concilium, ad quod Heinricus imperator, secus quam pollicitus erat, nec per se, nec per legatos suos adfuit. Hinc est quod pontifex antiqua contra schismaticos decreta ex episcoporum sententia confirmavit, ipsumque Heinricum, eique adhærentes diris exsecrationibus denuo condemnavit. Cum vero Cameracenses & Leodicenses clerici ab Heinrici communione nequaquam desisterent; Rotbertum Flandriæ comitem, qui recens e locis sacris reversus erat, litteris instigavit Paschalis papa, ut in Cameracenses primo, tum in Leodicenses arma converteret, eosque ad officium vi reduceret. qood cum aggressus esset comes, bellumque Cameracensibus intulisset; mox auxilio advolavit imperator, sed comite in tutiora compulso, paullo post in Germaniam recessit. Sic redintegrato bello, Cameracenses nihilo minus Heinrico adhærere perseverarunt, uti & Leodicenses, Otberto episcopo auctore, qui graves in Paschalem litteras, tamquam belli auctorem tum scripserunt, causati novum hoc esse ac minime probandum exemplum. Contra barbarorum quidem, Deique inimicorum assultus concedi clericis per canones arma ad defensionem urbis & ecclesiæ: bella vero indici per ecclesiæ auctoritatem canonicam, in nullis se scripturis legisse. Suum porro episcopum communicare suo regi & imperatori, cui ex regalibus ejus acceptis juraverat fidelitatem: at jam dudum hanc vigere consuetudinem, sub qua sancti & venerabiles episcopi migraverant a sæculo, reddentes cæsari quæ erant cæsaris, & quæ sunt Dei Deo. Non diu protractum est Rotberti comitis bellum. nam anno sequenti, generali conventu apud Leodicum habito, in gratiam imperatoris receptus est.

XXXIII. Andaginenses monachi vexati.

Verum nec sic composita fuit apud Leodicenses dissensio, aliis Heinrico adhærere pergentibus cum Otberto episcopo, aliis ab ejus communione aversis. In priorum numero fuit Sigebertus Gemblacensis monachus, qui aculeatas in Paschalem litteras scripsisse traditur. Contra vero Andaginenses seu sancti Hucberti monachi ab ejus communione recesserunt, ob idque graves a Leodicensi episcopo procellas passi sunt. Id autem discimus ex epistola Jarentonis Divionensis seu sancti Benigni abbatis ad Theodericum sancti Hucberti abbatem, eo nomine secundum, quem gravibus verbis hortatur ad fugiendam schismaticorum communionem, & ad perferendas quascumque pro Christi causa injurias. qua in epistola durius in Otbertum episcopum invehitur. Epistolæ inscriptio sic habet. *Theoderico abbati de sancto Huberto, viro Dei gratia religione venerando, & toti congregationi sub eodem patre Deo militanti, Jerunto Divionis abbas & sancti Benigni tota congregatio, spiritum Moysi in Pharaonem & in omnes servos ejus.* Tum multis in Otbertum præmissis, quem Cherinto hæretico tantum non deteriorem facit, ita prosequitur. *Ergo, quia nunc tempora periculosa, qua præ-*

dixit Apostolus, instant, omnes quod professi sunt esse contendant. Si tuba satanæ graviter intonat, & temporalium bonorum minatur dispendia, carnis etiam quandoque morituræ admovet pœnas; totum libenter excipit Christi caritas, ut neque mors, neque vita, neque aliqua creatura terreat nos a defensione veritatis, & zelo justitiæ a gremio matris ecclesiæ nequeamus avelli, & a semita Romanæ exorbitare sedis. Quapropter vos, ô amici Dei, & usque modo veritatis & sanctitatis amatores, locum vestrum, id est fidem catholicam nolite deserere, in castra Domini lupos irruentes cum furore, in quantum potestis, exturbate: armati fide & spe cælestis gloriæ corroborati, omne pro nomine Jesu improperium maximam dignitatem reputate: rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscipite: contumelias & corporum vestrorum cruciatus certissimum peccatorum vestrorum medicamentum existimate. Gloria & divitiæ Christi sint in corde vestro. Bonum conscientiæ vestræ testimonium sit vobis indeficiens consolatio: & si aliquantulum pro veritate sustinetis, fidelis est Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed veniens veniet, & non tardabit, facietque proventum, ut sustinere possitis. Si vero molas leonum, quas Dominus in ira sua confringet, timetis, ne vos devorent, & simplicitatis vestræ cursum aliquo modo perturbent; sancti Benigni domus fugam filiorum ecclesiæ in Christi gratia benigne suscipiet, & paupertatulam nostram voluntati vestræ non dicam dare, sed quasi vobis reddere, vel ministrare sumus parati. Quapropter, fratres carissimi, virilem animum in causa Dei tenete; & a veritate, quæ Christus est, ne excidatis, omnino satagite, videlicet in exitu Israël de Ægypto, sanctificata est per Dominum vera confessio. Sic desinit Jarentonis epistola in codice sancti Vitoni; veritatis zelo & caritate referta, sed paullo durior in Otbertum episcopum, qui alias non ita malus fuisse videtur episcopus. Quid ex hac Andaginensium persecutione consecutum sit, ignoramus.

XXXIV. Marcwardus abbas exsul.

Eadem tempestate turbata est congregatio Corbeiæ-novæ, expulso ob similem causam Marcwardo abbate per Guntherum Hersfeldensem abbatem, qui forte abbatiam invadere moliebatur. Verum Guntherum altero mox anno ultio divina e medio sustulit, uti & Erponem, qui Holresium [a] Corbeïensibus restituere nolebat. Sic in gradum restitutus est Marcwardus religiosissimus abbas, & catholicarum partium studiosissimus, qui ob eamdem causam ab episcopatu Osnabrugensi dejectus fuerat a schismatico imperatore. Post biennium ab ejus restitutione schola monasterii ruisse dicitur in perniciem omnium, sed causa incerta. certe non Marcwardi culpa, qui in litteras bene affectus erat.

[a] *Annal. Corb.*

Laureshamensium dissensio.

Haud absimilis procella, sed ob dissimilem causam, Laureshamense quoque monasterium afflavit. Destituto quippe Hugone Gingenbacensi abbate, qui in Laureshamensem [b] abbatiam, non fratrum electione, sed regio nutu ingressus fuerat; eadem quoque auctoritate in eamdem se se insinuavit Gebehardus [c] jam Hirsaugiensis abbas, qui tum natalium splendore, tum etiam *consilii vivacitate* in palatio non parum acceptus erat. Ubi primum abbatiam adeptus est, si chronographo Laureshamensi fidem habemus, rebus abbatiæ plurimum profligaris, fratres ejus loci, quorum odia in se conciverat, propulsare statuit, specie religionis, ut Hirsaugiensium novas consuetudines per adventitios monachos, quos barbaros & *larvas* potius quam *personas* seu homines vocat chronographus, introduceret. Verum illius loci alumni pro defensione Gorziensis seu Cluniacensis ordinis, quem ab antiquo traditum hactenus servaverant, acrius obsistentes, Hirsaugiensium factione pæne omnes domo propulsi, hac illacque ad tempus dispersi fuere. Hinc factum est, inquit idem auctor, ut deinceps commissura rudis panni in vestimentum vetus immissa, pejorem scissuram fecerit, & utræque consuetudines, insimul permistæ & confusæ, neutram illic ex integro retinuerint observationem. Sed tandem Lauresbamenses in proprium locum restituti sunt, ut inferius dicturi sumus. Non dubito quin acerbius in Gebehardum & Hirsaugienses invectus sit chronographus, ex insita laxiorum monachorum alienatione in strictiores; idque manifeste probant versus, ab eodem relati auctore, quos Laureshamenses Heinrico V. ad obtinendam suam restitutionem porrexerunt. Sed tamen ex Trithemio constat, Gebehardum quædam Hirsaugiæ perperam egisse, & annonam a beato Willelmo pauperibus statutam ad tempus subtraxisse. qua de re correptus factum postea emendavit. Quin etiam in episcopatu rem ecclesiæ suæ negligentius administrasse dicitur. Hanc vero dignitatem anno MCIV. iniit, retenta, ut videtur, Lauresbamensi abbatia, sed non Hirsaugiensi, quæ Brunoni ejus loci monacho commissa fuit. De correptione Gebehardi cælitus facta per

[b] *lib. 69. n. 82.*
[c] *lib. 68. n. 16. & 17.*

ANN. CHR. 1101.

Burchardum piissimum monachum ob subtractam egenis annonam plura habet Trithemius hoc anno, quo Burchardus Hirsaugiensis monachus abbas monasterii sancti Petri in Erfordia Turingiæ opido creatus dicitur. Perstat etiam nunc hoc monasterium, quod Stengelius delineari curavit.

XXXV. Hirsaugienses schismaticis odiosi.

In Hirsaugienses quoque monachos multis invehitur Walramus in apologia Heinrici IV. imperatoris, ob eam maxime causam, quod Gregorio VII. ejusque legitimis successoribus adhærerent, faverentque contra Heinricum IV. & quod in eum epistolam scripsissent, ad quam apologista respondebat. Eos vero in primis exagitat, quod contra instituti sui rationem rebus se civilibus immiscerent, & regiæ potestati resisterent. Eosdem etiam sugillat, quod pueros vel adolescentes suos in monasterio „ non sinerent habere studium scientiæ salutaris, ut solas consuetudines humanas addis„ cerent; quod se solos regulares monachos esse jactitarent, & quod laxas & amplas „ vestes præferrent. Idem auctor passim laudat sancti Benedicti regulam, vestesque „ monasticas describit, scilicet cucullam, quæ est tunica talaris, cucullata & mani„ cata, habens speciem crucis per quatuor partes extensæ; & scapulare, quod caput „ tantum & scapulas tegit, ut expeditum sit ad opera manuum; idque describit in „ hunc modum. Vidimus nos, inquit, aliquando vestem cucullatam, parvam quidem, „ sed ita moderatam, ut desuper usque ad renes tantum deflueret, & utrimque usque „ ad humerorum confinia pertingeret. qualis certe forma atque mensura proprie dici„ tur scapulare, quod monachis propter opera tantum assignatur ex præcepto regulæ: „ quia ibi exprimitur utrumque, ut & monachus singularitatis suæ custodiam per „ vestem cucullatam attendat, & per brevitatem ejus simul & per brachiorum nudita„ tem magis explicitus & impiger ad opera fiat. Ejusmodi cucullæ formam videre licet in Præfatione ad tomum secundum nostrorum Annalium, qualem gestarunt Fuldenses nostri, uti & Casinenses. Longiora scapularia induxere Cluniacenses, ut argumento est sancti Mayoli scapulare Silviniaci asservatum: cujusmodi scapularia tunc in usu habemus.

Monasticus habitus.

XXXXVI. Variæ monasteriorum consuetudines quatenus probandæ. a Analect. to. 4. p. 462.

Huc spectat Casinensium epistola [a] ad fratres ejusdem Ordinis per Alemanniam & Franciam: in qua consulti a Germanis, quid de variis variorum monasteriorum consuetudinibus sentirent, respondent, varietatem illam non improbandam, si illæ consuetudines a regula non discordent, quales *ex utraque parte maris receptæ sunt. Aliam enim Teutonici monachi, aliam Italici, aliam Franci, aliam alii ex ista parte maris habent complurimi. Similiter ex illa parte aliam jam Constantinopolitani, aliam Antiocheni, aliam Alexandrini, aliam illi & illi: omnes tamen bonæ sunt & utiles.* Ex quibus intelligitur, eo tempore quo hæc epistola scripta est, sancti Benedicti regulam in Orientem jam fuisse propagatam. Porro hæc responsio est ad epistolam Germanorum, ut videtur, monachorum, qui Casinenses consuluerant potissimum de tonsura & habitu Cluniacensium, quos ab ipsis discrepare gravate videbant. Respondent Casinenses, neutrum sibi placere, uti nec illis. quippe contra regulam videri. *Si vero de nostra*, inquiunt, *tonsura & habitu quæritis, nos in utroque vobis concordare sciatis.* Et certe hactenus Germanorum Benedictinorum habitus Casinensi omnino similis est. Ad hæc petierant a Casinensibus illi monachi, ut eorum consuetudines ad se perscriberentur. Respondent Casinenses id longioris fore operæ: consultius videri, ut unum e suis ad se mittant, qui Casini maneat per integrum annum, ut omnibus perspectis ad sua de his instructus redeat. quod a Corbeiæ-novæ monachis superiori sæculo factum est.

XXXVII. Garstense monasterium datum monachis. b V. lib. 66. n. 38.

Cum Garstense [b] Austriæ superioris monasterium per annos viginti a sæcularibus clericis occupatum fuisset, Ottachero Stirensi marchioni ejus fundatori satius visum est, ut eorum loco monachi substituerentur. quod vitæ Bertholdi abbatis scriptor hac occasione factum memorat. Mortuo Eberhardo ejus loci primo præposito, dum clerici in fluvio præterlabente balnearent, quidam eorum aquis submersi sunt. quorum levitate seu infortunio mutatus est fundatoris animus, & in monachos conversus. Hic frequenti clericorum cœtui, qui ad anniversarium Elizabethæ ipsius „ conjugis diem convenerant, ex eminenti suggestu significasse dicitur, se induxisse „ animum, locum in melius transmutare, & per monachos, quorum bona opinio vi„ ralem circumquaque spirabat odorem, huic novellæ plantationi novum providere „ ornamentum. Quam ob rem desinerent boni viri ad hunc anniversarium diem dein„ ceps congregari, propterea quod ejusmodi frequens concursus monachorum solitu-

dini

dim minime conveniret. Itaque Gotwicum [a] profectus marchio, monachorum coloniam cum Wirundo priore illinc adduxit. Ad monachorum adventum recessere clerici, per quos in Garstensi ecclesia divinus cultus initiatus fuerat: at quidam eorum, qui ad marchionem *jure proprietario* pertinebant, ibidem remanere coacti sunt, dicente marchione, se nolle eos dimittere, sed potius velle, ut secum, utpote amici, & permanerent, & monachi fierent. Hi fuere Oudalricus seu Udalricus, postmodum apud sanctum Lambertum abbas, ejusque cognominis apud Clunicum abbas futurus; & Eberhardus, qui, cum sponte remanere nollet, verberibus ad consentiendum compulsus est: sed tam serio demum conversus, ut omnes in profectu religionis superaverit, Bertholdi primi ejus loci abbatis factus capellanus & fidelis in vinea Domini collaborator. His ita gestis, Gotwicenses priore destituti, Bertboldum e sancti Blasii monasterio, ubi tunc *armarii* pariter & prioris fungebatur officio, accersunt, & priorem in locum Wirundi seu Wirntonis sibi constituunt, virum ab omnibus ob morum probitatem honoratum: qui postmodum, Wirundo ad Formbacensem [b] Bajoariæ præfecturam translato, primus Garstensis cœnobii abbas creatus est, ut inferius dicturi sumus. Plura de Wirntone seu Wirundo suo loco.

a *lib.* 65. *n.* 111.

b *lib.* 68. *n.* 109.

XXXVIII. Valciodorenses abbates & viri illustres.

Redeo in Belgium, ubi per id tempus decessit Godescalcus [c] Valciodorensis abbas, in cujus locum communi omnium assensu Widricus subrogatur, vir nobili ortus genere, sed moribus nobilior, qui vix tandem fratribus flagitantibus acquievit. Ejus tempore Valciodori florebat accurata vitæ monasticæ disciplina cum magna rerum copia, quæ monasteriorum Deo placitos mores comitari solet. Ejus loci fama adducti quidam litterati viri, Widrici abbatis magisterio se submiserunt, in bis Wilbaldus & Richerus: quorum prior, scilicet Wilbaldus, primum Valciodorensi scholæ præfuit, dein Stabulensi, ubi postmodum abbas exstitit, simulque Corbeiæ-novæ & Casinensis. Richerus vero Valciodori toto vitæ suæ tempore sub magisterio persistens, magis doceri volens quam docere, ibidem beato fine quievit, relictis quibusdam ingenii sui monumentis, scilicet libello de translatione corporum sanctorum martyrum Candidi & Victoris, & sanctarum virginum Coloniensium, quorum omnium corpora Valciodorum translata sunt tempore Tbeoderici abbatis, eo nomine secundi, qui Widrico successit, successorem sortitus Rotbertum, de quo in consequentibus agemus.

c *Spicil.* *to.* 7. *p.* 568.

XXXIX. Aquicinctenses abbates & Vedastini.

In monasterio Aquicinctensi obiit hoc anno Haimericus abbas, superius [d] laudatus; cui suffectus Gelduinus abbas, de quo nihil dignum memoratu accepimus, præter unam sancti [e] Anselmi ad eum epistulam, *Gelduino reverendo abbati Aquicinensis cœnobii inscriptam*, qui eum de quibusdam dubiis consuluerat. Unum est, utrum ipsi liceret decimas ad ecclesiam suam pertinentes de manu laïcorum redimere. quod licere ait Anselmus. Aliud est de depositis propter simoniacum crimen, quos restituere nulli abbati fas esse respondet, etiamsi illi, qui erant depositi, ad monachicum ordinem conversi fuissent. Postremo, ut alia omittam, non probat excommunicatos fieri monachos, nisi præmissa absolutione sui episcopi. Ita vir sanctus ad Gelduinum abbatem. Ejus tempore tanta inter Aquicinctenses orta est dissensio, ut a fratribus abjectus sit, coactusque se recipere ad Sithiense monasterium, uti ex Iperio [f] discimus, qui eum demum in Angliam transfretasse, illicque obiisse tradit. De ejus successoribus inferius agendum.

d *lib.* 67. *n.* 17.

e *Anselm.* *lib.* 3. *ep.* 163.

f *V lib.* 72. *n.* 48.

Tunc sancti Vedasti monasterio præerat Aloldus abbas. Hic super ecclesiis sibi subjectis cum Lamberto Atrebatensi episcopo controversiam habuit, quæ demum hoc anno composita fuit, & a Paschali II. confirmata Rotberti Flandrensium comitis rogatu, uti nos docent pontificis litteræ *Aloldo abbati Nobiliacensis cœnobii* inscriptæ, quibus omnes monasterii possessiones confirmat, uti & constitutum, episcopum inter & ipsum sancitum, ea conditione, ut in ecclesiis monasterio subjectis, " defunctis presbyteris locorum illorum alii idonei ab abbate deducantur ad episcopum, " eisque animarum cura gratis impendatur, salvo in omnibus jure & censu Atrebatensis " episcopi & archidiaconi, ejusque ministrorum. Datum Laterani per manum Johan- " nis diaconi cardinalis, *indictione* X. *anno dominicæ incarnationis* MCII. *pontificatus autem domini Paschalis papæ secundi tertio*. Aloldo abbati post biennium successit Henricus, qui anno MCVI. subscripsit litteris, quibus Lambertus episcopus Guisendi abbatissæ Malbodiensi altare Hercinii confirmat, eo pacto, ut abbatissa veniat ad synodum Atrebatensem, nisi legitime impedita esset. Remissior fuit Henricus abbas in

ANN. CHR. 1102.

conservanda regulari disciplina, quæ a Lamberto Sithiensi & Alviso Aquicinctensi abbatibus reformata est.

XL. Londoniensis concilii acta.

Interim habitum est hoc ipso anno generale Anglicanorum episcoporum, abbatum & regni primatum concilium ad festum sancti Michaëlis Londoniæ in ecclesia beati Petri, præsidente Anselmo archiepiscopo, quo in concilio multa sarciendæ ecclesiasticæ disciplinæ necessaria sancita sunt, referente Eadmero. Primo simoniaca hæresis, ut vocabant, damnata, propter quam quidam nostri Ordinis abbates depositi sunt, scilicet Guido abbas Perscorensis, Wimundus Tavistokensis, Ealdwinus de Rameseïa, aliique nondum sacrati remoti a sibi designatis abbatiis, nimirum Godricus de Burgo, Haimo Cerneliensis & Egelricus Mideltunensis; alii vero simoniæ expertes ob varias causas exauctorati, videlicet Richardus Eliensis, a Paschali postea restitutus; Robertus [a] de S. Eadmundo, & qui erat Micelenæi. De abbatibus » & monachis statutum insuper, ut ne abbates faciant milites, & ut in eadem domo » cum monachis suis reficiant ac dormiant, nisi necessitate aliqua prohibente. Ad hæc » ne monachi pœnitentiam cuivis injungant absque abbatis sui permissu, & quod ab» bates hanc facultatem eis dare non possint, nisi de eis, quorum animarum curam » gerunt; & quædam alia, quæ apud Eadmerum & in libris conciliorum videre licet. Absoluto concilio, Anselmus episcopos a rege investitos consecrare detrectavit. quæ res novorum cum rege discidiorum materiam præbuit, atque Anselmum e regno rursus exire coëgit. Roberto sancti Eadmundi abbate remoto, suffectus in ejus locum Robertus [b] alter, prior West-monasteriensis, qui ecclesiam quinque tantum annis rexit. quo mortuo, vacavit abbatia septem annis. Post Londinense concilium non » statim presbyteri omnes concubinas dimiserunt, immo non pauci maluerunt dimit» tere quidquid pertinet ad presbyteri officium, quam feminas, ut Herbertus Ter» fordensis episcopus scripsit ad Anselmum, qui nihil relaxandum vult de his quæ » constituta sunt in concilio. Eorum vero munia committi præcipit presbyteris castis, » si qui sint: alias monachis provectioris ætatis, donec ista duritia presbyterorum mollescat. *Non enim diu durabit*, inquit, *si in incœpto perseveraverimus*. quod re vera probavit eventus. Hæc epistola sexta est ex eis, quæ editæ sunt in Spicilegii tomo IX. Heinricus rex visus est favere concilio Londoniensi, cujus violatoribus multas canonicas imponebat. quod Anselmus [c] non probat.

a V. lib. 69. n. 130.

b Monast. Anglic. p. 295.

c Anselm. lib. 3. ep. 109.

XLI. Anselmi varia scripta de variis missæ ritibus.

Ex multis Germaniæ episcopis Heinrico IV. adhærentibus, qui ad catholicam rediere communionem, unus fuit Walerannus Nuemburgensis episcopus; qui antequam ad Paschalis papæ communionem revertisset, Anselmum archiepiscopum consuluit de tribus quæstionibus, nimirum de processione Spiritus-sancti; de usu panis azymi & fermentati in sacro missæ sacrificio; & de connubiis cognatorum. De his quæstionibus librum scripsit Anselmus, inscripsitque *Waleranno Newemburgensi episcopo*, præfatus, se eum *amicissimum & reverendum* appellaturum fuisse, si certus esset, eum non favere *successori Julii-Cæsaris & Neronis & Juliani apostatæ contra successorem & vicarium Petri apostoli*. De prima quæstione, remittit Walerannum ad librum, quem Anselmus ipse de processione Spiritus-sancti olim scripserat. De secunda res» pondet, quod Græci fermentato utantur, multis catholicis rationibus videri id » non esse contra fidem. siquidem non differunt panis azymus & fermentatus substan» tialiter, ut quidam putant, sed tamen convenientius esse, ut in azymo sacrificium fiat. quæ omnia multis probat. De tertio, scilicet de connubiis Latinorum cum cognatis in certis gradibus, quod Græci improbabant, paucis facit satis.

Idem porro Walerannus, ad catholicam reversus communionem, eumdem Anselmum denuo consuluit de sacramentorum, id est sacrificii, diversitate, cur, cum una sit fides & una ecclesia, hæc diversitas permittatur, quæ videtur admodum unitati contraria. Hanc autem diversitatem in tribus arguit, videlicet in usu fermen» tati & azymi; in eo quod alii unicum, alii multiplex crucis signum super oblata fa» ciant; & quod calix a quibusdam velo seu palla operiatur principio, ab aliis non » operiatur. *De sacramentis*, inquit, *ecclesia*, *aliud Palæstina*, *aliud Armenia*, *aliud nostra Romana*, *& tripartita sentit Gallia. Dominici etiam corporis mysterium aliter Romana*, *aliter Gallicana ecclesia*, *ac diversissime nostra tractat Germania.* In fine Anselmum monet, se ad communionem ecclesiæ rediisse, & Paschali papæ acceptissimum cardinalium consecretarium factum esse. Ad hæc respondet Anselmus, librumque inscribit *Domino & amico Waleranno gratia Dei Nwemburgensi episcopo*, de cujus ad eccle-

ANN. CHR. 1102.

ſiæ communionem reditu gratulatur. De hac diverſitate univerſim ita loquitur. *Queritur*, inquit, *veſtra reverentia de ſacramentis eccleſiæ, quoniam non uno modo fiunt ubique, ſed diverſis modis in diverſis locis tractantur. Utique ſi per univerſam eccleſiam uno modo & concorditer celebrarentur, bonum eſſet & laudabile. Quoniam tamen multæ ſunt diverſitates, quæ non in ſubſtantia ſacramenti, neque in virtute ejus aut fide diſcordant, neque omnes in unam conſuetudinem colligi poſſunt: æſtimo eas potius in pace concorditer tolerandas, quam diſcorditer cum ſcandalo damnandas. Habemus enim a ſanctis patribus, quia ſi unitas ſervatur caritatis in fide catholica, nihil officit conſuetudo diverſa. Si autem quæritur, unde iſtæ nata ſunt conſuetudinum varietates; nihil aliud intelligo, quam humanorum ſenſuum diverſitates: qui quamvis in rei veritate & virtute non diſſentiant, in aptitudine tamen & decentia adminiſtrationis non concordant.* Cetera prætereo.

XLII. Anſelmus quam alienus a ſimonia.

Quantum vero a ſimoniæ crimine abhorruerit Anſelmus, præter ſtatutum ab ipſo editum in concilio Londonienſi, unum aperte demonſtrabit exemplum. Vacante Malmeſburienſi abbatia, regina Mathildis [a] eam Edulfo Wintonienſi monacho, olimque ſacriſtæ, commiſerat, Anſelmi favore freta, eique quæ ipſius juris erant reſervans, ut ſcilicet tam virgæ, quam curæ paſtoralis commiſſio ejus diſcretionis arbitrio contraderetur. Hæc in ſuis litteris Mathildis: ad quas præſul integerrimus reſpondit, ſe de abbatia Malmeſburienſi & de fratre illo facturum eſſe quod regina petebat, ſi id ſibi liceret. *Vos enim*, inquit, *quantum ad vos ſpectat, bene & ſecundum Deum feciſtis quod inde feciſtis: ſed fecit ipſe in hoc quiddam valde inſipienter quod non debuit. nam per eoſdem legatos, qui mihi litteras veſtras & aliorum de ſuo negotio attulerunt, miſit mihi ſcyphum unum. quem quidem ſcyphum nullatenus retinere volui, ſed inde dolui, quia non video, quomodo in hoc poſſit a culpa excuſari.* Ea erat ſancti antiſtitis integritas.

a Anſelm. lib. 3. ep. 119.
b ibid. ep. 120.

Malmeſburiæ abbates.

Certe Edulfus ille abbatiam aſſecutus non videtur, ut colligi poteſt ex Willelmo Malmeſburienſi, qui in libro de vita & miraculis ſancti Aldhelmi [c] ſeriem & geſta ſui monaſterii abbatum proſecutus eſt, uti promiſerat in libro ſecundo de geſtis pontificum Anglorum capite LV. Sed ne longius hanc ſeriem repetam, poſt Turoldum Fiſcamnenſem monachum, quem Willelmus, ex comite Normanniæ rex Angliæ factus, Malmeſburiæ abbatem impoſuerat, ſed poſtmodum ad Burgenſem abbatiam tranſtulerat, Malmeſburiæ pedum adeptus eſt Warinus Lyræ monachus, vir ad regulam efficax, ſed ad temporalia parum utilis. Huic defuncto ſucceſſit ſtatim ad quindecim dies (legendum videtur annos) Godefridus monachus Gemeticenſis, cujus tempore & induſtria auctus loci honor, aucta religio, aucta & bibliotheca, cujus laudabili cœpto Willelmus ipſe ſe non defuiſſe gloriatur. In eo deſinit Willelmi liber, qui eum ſe ſcribere ait anno ab incarnatione Domini MCXXV. Quamquam ad eum annum non videtur perveniſſe Godefridus: at ſucceſſores ejus in obſcuro ſunt.

c Angl. ſac. to. 2. p. 25. & ſeqq.

XLIII. Anſelmi egregia monita ad monachas.

Ex multis epiſtolis, quas ſcripſit Anſelmus de rebus moralibus, duæ in præſens commemorandæ ſunt ad informationem ſanctimonialium. Una eſt ad Mabiliam ſanctimonialem, quam vir ſanctus dehortatur a viſitandis propinquis. *Nolo*, inquit, *te amare ſæcularium converſationem, ſed clauſtralem. Nihil tibi & huic mundo. Si vis eſſe monacha & ſponſa Dei, dic cum Paulo apoſtolo: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo... Filia mea, in quo indiges viſitare aliquos propinquos tuos, cum ipſi nullo modo egeant conſilio & auxilio tuo? Nec tu aliquod conſilium aut auxilium accipies ab illis ad propoſitum & profeſſionem tuam, quod non invenies in clauſtro tuo. Diviſum eſt propoſitum ſanctæ vitæ tuæ a converſatione illorum. Nec illi fient propter te monachi, nec tu redibis propter eos ad ſæcularem vitam. Quid ergo, dilecta mea in Deo, tibi & illis, ſi nec tu prodes illis ad vitam quam ſequuntur, nec illi tibi ad hoc quod maxime debes diligere? Si ipſi volunt te videre, aut egent aliquo modo conſilio tuo aut auxilio, veniant ad te: quia illis licet vagari & diſcurrere per diverſa: tu noli ire ad eos, quia tibi non licet exire de clauſtro, niſi ea neceſſitate, quam Deus teſtetur.* Hæc monachos æque ſpectant ac monachas.

d Anſelm. lib. 3. ep. 127.

Præclara eſt in primis ejuſdem Anſelmi epiſtola [e] ad quamdam ſanctimonialem, quæ, abjecto religioſo habitu, quem diu geſtaverat, non tamen ab epiſcopo conſecrata, ad ſæculum redierat. Eam monet vir Dei ut conſideret, quali e ſtatu exciderit, qualem ſponſum dimiſerit. Si de lapſu doleat, ſe ei condolendo gaudere, & de ejus ſalute ſperare: ſi non doleat, actum eſſe de ejus ſalute. Impoſſibile enim eſſe, ut

e Anſelm. lib. 3. ep. 157.

ANN. CHR. 1102.

salutem consequatur, nisi ad habitum & propositum abjectum redierit. *Quamvis enim*, inquit, *ab episcopo sacrata non fueris, nec coram ipso professionem legeris; hoc solo tamen est manifesta professio, quia publice & secrete habitum sancti propositi portasti, per quod omnibus te videntibus Deo dicatam te esse, non minus quam professionem legendo, affirmasti. Nam antequam fieret ista nunc usitata monachici propositi professio & sacratio, multa millia utriusque sexus hominum solo habitu se ipsius esse propositi profitentia, celsitudinem & coronam consecuta sunt: & qui tunc habitum sine ipsa professione & sacratione assumtum rejiciebant, apostatæ judicabantur. Inexcusabilis ergo es, si deseris sanctum propositum, quod diu habitu & conversatione professa es: quamvis professionem nunc usitatam non legeris, & ab episcopo consecrata non fueris.* Hactenus sanctus præsul ad illam virginem lapsam. quæ conferenda cum facto Anselmi superius [a] relato erga Mathildem, quæ post velum, non sponte in monasterio gestatum, regi Heinrico nupserat.

a supra n. 4.

XLIV. Sanctimoniales sacratæ.

Hujus epistolæ occasione, in qua de sacratione seu consecratione sanctimonialium fit mentio, paucis agendum de illa consecratione, prout a religiosa professione distincta est. Olim in ecclesia mos obtinebat, ut puellæ, quæ virginitatem profiteri volebant, non statim velo, quod ejus insigne erat, donarentur, sed postquam multis annis pudicitiam religiose servassent, quæ probatio primum annos ætatis sexaginta, tum quadraginta, denique annos viginti quinque exigebat. In monasteriis, etsi velum in sua professione susciperent sanctimoniales, non omnes tamen follemni illo ritu, qualem describit Pontificale Romanum, consecrabantur, sed illæ tantum, de quarum integritate constabat. Sed quoniam hoc discrimen aliis, quæ hujus prærogativæ expertes erant, molestiam & quamdam opprobrii notam ingerebat, in plerisque monasteriis in desuetudinem abiit hæc consecratio, cujus ritus apud Cartusianas etiam nunc obtinet, & in quibusdam saltem Italiæ locis, cujus exercitium Venetiis in sancti Zachariæ Benedictino parthenone a patriarcha fieri quondam vidimus. Hæc porro consecratio a solo episcopo fit, uti præscribunt canones & Ordo Romanus, & quidem in missa, consimilibus aliquo modo ritibus qui in ordinatione sacrorum ecclesiæ ministrorum observantur. Peculiares ritus addunt Cartusienses. nam præter velum, anulum & coronam, episcopus Cartusianis virginibus manipulum & stolam cum sollemnibus precationibus imponit; ac demum breviarium tradit in hæc verba: *Accipite librum ut incipiatis horas canonicas, & legatis officium in ecclesia in nomine Patris † & Filii † & Spiritus-sancti † amen.* Virgines ita consecratæ toto consecrationis suæ die manipulum, stolam & coronam gestant, & mortuæ cum iisdem ornamentis sepelinntur. Consultus aliquando Rnpertus [b] abbas, an illa possit consecrari, quæ in sancto virginitatis proposito, vel in sæculo corrupta est; duplicem distinguit consecrationem, aitque nonnihil differre consecrationem ejus, quæ virginitatis sigillum custodit, in eo scilicet, quod velamen suscipit nudato capite, signumque primæ fidei anulum accipit, cum voce publica ei dicitur, *Anulo suo subarravit me* &c. at corrupta in sæculo, sacrum velamen accipit operto capite & absque anulo. Sed hoc discrimen nostris temporibus non servatur. Verum ex hoc diverticulo ad ordinem revertor.

b Rupert. to. 2. p. 42.

XLV. Carnutenses & Nivenses abbates.

In Gallia duo nostri Ordinis abbates decessere, nimirum Eustacbius sancti Petri apud Carnutas, & Eudo Abbas Navensis apud Biturigas. Eustachius paullo ante obitum morbis & senio confectus, præfectura cessit, & post menses circiter octodecim VI. nonas Maii exspiravit. Suffectus in ejus locum Guillelmus, nobili toparcharum de Brajaco * stirpe ortus, monachus Majoris-monasterii, qui abbatiam recte administravit per annos triginta. Ejus tempore Guillelmus-Goëtus cessit quidquid in Brajacensi cella sibi deberi contendebat; ejus vero uxor Eustachia Guillelmum abbatem, consanguineum suum, ad eam instaurandam incitavit, assentiente marito ea lege, ut quæcumque in Brajacensi territorio sancti Petri monachi possidebant, eidem cellæ attribuerentur. Cella itaque reparata, monachorum colonia istuc a Guillelmo inducta fuit, eisque præpositus Moyses monachus, qui tunc in cella Gesiaci residebat. Per id tempus Gnalterius quidam cum aliquot sociis eremiticam vitam ducebat apud Revillonem villam, quam Geroldus-Burgundus, Mali-Stabuli dynasta, sancti Petri monasterio contulit, cum illic monachus factus est. Ejus conversione & exemplo permotus Gnalterius, se suaque eidem monasterio subdidit. Mitto bullas pontificias, regiasque litteras, quas idem abbas obtinuit.

* Bron.

Mortuo Theduino Navensis monasterii abbate, Eudo abbas locum regendum suscepit. Eo, ut videtur, abbate, Stephanus Maiduni dominus, Spiritus-sancti

instinctu monasticum illic habitum induturus, convocatis Maidunum propinquis & heredibus suis, videlicet Humbaldo Borboniensi genero suo, Hugone de Mota, Arnulfo Virizionensi, & Umbaldo Maidunensi fratre suo, aliisque, sancto Sulpicio contulit mediam partem nemoris Mariacensis. Actum Maiduni anno ab incarnatione Domini M C II. mense Decembri. Eudonem post annos quindecim excepit Fulco abbas: cujus successor Helias, Savarico pedum cessit.

ANN. CHR. 1102.

Tunc Ponteleviensi beatæ Mariæ cœnobio præerat Drogo abbas, cujus tempore Robertus quidam, Nantoliaci ecclesiæ presbyter, se illius monasterii clericum professus est, eique se mancipavit. Postea ad loca sancta profectus, pro vitæ suæ honestate sic acceptus fuit, ut in Bethleemitica ecclesia præpositus factus sit. Dum illic moraretur, Ponteleviensis nihilo minus ecclesiæ memor, crucem ex auro & argento, lapillisque fabricari curavit, variis sanctorum locorum reliquiis instructam, eamque cuidam presbytero, Petro nomine, Pontelevium deferendam sub sacramento consignavit, scripta ad Drogonem abbatem epistola, quam in Appendice videre licet. At Petrus ad suos reversus, crucem illam Nantolii diu retinuit: sed tandem Drogo abbas, qui donum illud suæ ecclesiæ designatum aliunde rescierat, nonnisi ægre, etiam data mercede, eam ab illo presbytero extorquere potuit. Drogoni sub annum M C X. subrogatus Walterius, post aliquot annos successorem habuit Fulbertum *piæ memoriæ* abbatem, qui præfecturam abdicavit, & locum fecit Fulcherio, qui possessionum confirmationem obtinuit a Lucio II.

XLVI. Pontelevium reliquiæ e locis sanctis allatæ.

Hoc ipso anno, ut diserte tradit Hugo Flaviniacensis abbas, Pontius Casæ-Dei abbas [a] promotus est ad episcopatum Aniciensem, & abbatiam Casæ-Dei Aymericus procurandam suscepit. quo item anno Richardus Albanensis episcopus, qui olim Mettensis ecclesiæ decanus fuerat, legatus in Burgundiam & Franciam directus est. Sic definit chronicon Hugonis abbatis Flaviniacensis. Pontius in episcopatu milites quosdam, qui *monetarii* vocabantur, per provinciam illam grassantes, repressisse memoratur, eorumque turres & munitiones solo æquavisse. Jerosolymam profectus est pro more illorum temporum, indeque reversus obiisse dicitur in castro quodam Arverniæ, & in pago Diensi, quam modo apud Rocam-Baulam Casæ-Dei cellam patres Minimi incolunt, sepultus est. Illic ejus sepulcbrum in honore erat, antequam ab hæreticis violaretur.

XLVII. Pontius abbas Casæ-Dei fit episcopus Aniciensis.
a V lib. 68. n. 103.

Aymericus Pontii successor, in serie abbatum Casæ Dei sextus, duas a Paschali II. bullas obtinuit; unam, qua privilegia Casæ-Dei a Gregorio VII. & Urbano II. indulta renovantur: alteram, qua monasteria quædam eidem subjicit pontifex, laudatque Casæ-Dei monachorum bonum odorem, *quem sentientes per Dei gratiam plurimi in Domino salutem consequebantur.* Quam ob rem Aymerico abbati ejusque successoribus quorumdam monasteriorum, quæ a pontifice longius aberant, ordinationem com- « mittit, scilicet sancti Martini in civitate Papiensi; Fraxinorensis, quod a Mathilde « comitissa, ejusve *parentibus* ædificatum est, in quibus abbates ordinari curet Casæ- « Dei subjectos; ut in Brantolmiensi, Galliacensi, & sancti Theodardi. Ad hæc « sancti Quiriaci ecclesiam in Lucanæ civitatis suburbio sitam, sicut ab Anselmo bonæ « memoriæ Lucano episcopo Casæ-Dei tradita fuerat, eidem confirmat, necnon « prioratum sancti Baudilii apud Nemausum, & prioratum de Valle-transversa *. Da- « tum Laterani nonis Decembris anno ab incarnarione M C VII. uno videlicet anno, an- « tequam Aymericus ad episcopatum Claromontensem eveheretur, vir pius, prudens & pudicus, ac beatissimæ Virginis in primis cultor.

Aymericus post cum abbas.
* *Valtraverse.*

Quod attinet ad Hugonem abbatem Flaviniacensem, cujus chronicon in hoc anno desinere mox dicebam, non videtur in abbatiam restitutus fuisse, ex quo Gerardus [b] factione monachorum in ejus locum intrusus est. Post ultimam expulsionem in Angliam trajecit Hugo, ubi versabatur anno M XCIX. quo tempore quædam illic portentosa [c] se vidisse scribit. Si ejus scripta consulamus, dignus meliori fortuna censeri potest, utpote cui nec pietas, nec eruditio defuisse videntur. Acres tamen habuit adversarios, jure an injuria, Norgaudum scilicet episcopum & proprios monachos: at patronos etiam multos, & quidem omni exceptione majores. Ceterum ejus chronicon, quod duobus libris constat, plurima scitu digna continet, præsertim in libro secundo, ubi res sui temporis scribit. Hugoni archiepiscopo suo, id est Lugdunensi, favet præ Desiderio abbate Casinensi, dein summo pontifice sub nomine Victoris III. in quem paullo iniquior est. Nonnihil moderationis in adversarios præ se

XLVIII. Hugonis Flaviniacensis varia fortuna & successores.
b *V. lib.* 69. *n.* 124.
c *Labbe to.* 1. *bibl. p.* 263.

ANN. CHR. 1102.

a ibid. p. 160.

ferre videtur, præsertim ageodo de Norgaudo episcopo Æduensi, a quo multa passus fuerat. *Nec nostrum est* [a], inquit, *etsi lesi sumus, lesionis maledicto talionem rependere, qui scimus in nos peccantibus nos debere ignoscere. Sed nec congruit veritati & pietati ecclesiastica de his, quibus in se peccautibus ignoverit, falsa pro veris concinnare: quia vera dilectio a fide veri nescit deviare. Tribuat illi dominus, ut, quia cœptis suis omnia adversa respondere videt, non adjiciat ut similem principio finem faciat, sed speret in nomine domini, non in incerto divitiarum, & innitatur super Domino Deo suo.* quæ sane verba eximiam Hugonis pietatem spirant. Sed tamen aliquid humani postea [b] passus est, cum Norgaudo & Gerardo ab eo intruso imprecatur. Adeo difficile est constaotem esse in reprimendis iracundiæ motibus, qui in adversarios iosurgunt in aoimo. Verum ejus memoriam illud in primis infamat, quod Laurentio S. Vitoni abbate a schismaticis pulso, in ejus abbatiam se intrusit, ut in consequentibus videbimus.

b ibid. p. 162.

Post Gerardum, qui in locum Hugonis inductus est, Flaviniacense monasterium rexere Agano, & Rainaldus secuodus, is qui motam ab Heinrico Æduensi episcopo in Flaviniaceoses de jurisdictione controversiam archiepiscopi Lugduneosis, aliorumque episcoporum judicio anno M C LVI. finiendam curavit. De Aimone secundo, & Galterio, qui in locum Godefridi sancti Medardi abbatis anno M C LXXXV. suffectus est, nihil memoria dignum refertur. Herveus Galterii successor multo ære oppressum monasterium liberare sategit.

XLIX.
S. Walburgis ecclesia Molismo data.
c lib. 41. n. 4.
d Marlot to. 2. p. 219.

Io tertio volomine [c] actum est de constructione regiæ capellæ sanctæ Walburgis in villa Dioona seu Diona, quæ Attiniacensis palatii appeodix erat. Postmodum hic locus cessit in dotem Constantiæ Philippi primi Francorum regis filiæ, cum Hugooi Campaniæ comiti nupta est. Hic vero coojugis assensu eamdem capellam [d] cum adjunctis Molismensibus fratribus contulit. Hi autem eam accipere detrectabant citra consensum clericorum, qui locum occupabant. Tum vero clerici *canonicas* suas in manu Maoassæ Remensis archiepiscopi resignarunt, qui eas Molismensibus tradidit. Actum Remis hoc anno, archiepiscopatus Manassæ septimo, qui cum canonicis suis subscripsit, & Ludovicus Philippi regis filius, Hugo comes, & Constantia ejus conjux, aliique. Hanc donationem Rodulfus archiepiscopus, Manassæ successor, ratam habuit, postquam Attiniacum Remensi ecclesiæ contulit Hugo comes, cum necdum a Constaotia divortium fecisset.

L.
Montis-majoris privilegia renovata.

Dum Monti-Majori apnd Arelatem præesset Guillelmus abbas, monasterii sui privilegia renovari curavit, diplomate a Paschali papa obtento. In illo diplomate recensentur ea, quæ concessiooe pootificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium collata fuerant, in his castrum Biduini cum suis appendicibus, quod ju-
» risdictionis sanctæ Romanæ ecclesiæ esse dicitur, ea lege, ut ex hac possessione libræ
» thuris per quinquennium tres, & ex ipso monasterii capite per singulos annos Mer-
» guliensis monetæ solidi quatuor Lateranensi ecclesiæ persolverentur. Ad hæc, mo-
» nasterium sancti Martini de Alamonte; & in comitatu Regensi castrum Crisellum
» & monasterium Stabloni eidem abbatiæ confirmantur. *Scriptum per manum Petri notarii regionarii sacri palatii.* & post papæ subscriptiooem, *Datum per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis* V. *kal. Martii*, *indictione* X. *incarnationis dominicæ anno* M C II. *pontificatus autem domni Papæ* III. Guillelmo abbati post octo circiter anoos successit Petrus, eo nomine primus, de quo alias.

L I.
S. Romani de Aquilia monasterium Psalmodio unitum.
* S. Romain les Beaucaire.

Tunc Arelatensem ecclesiam regebat Gibilinus seu Gibelinus archiepiscopus, qui *chartam definitionis*, ut vocant, assensu ecclesiæ suæ canonicorum fecit cum Fulcone abbate Psalmodiensi, ejusque monachis, & monasterio sancti Romani * de Aquilia, ad Rhodanum prope Bellicadrum sito, consilio ejusdem loci monachorum, quorum tunc prior erat Martinus. Ab his omnibus defioitum est, nt S. Romani mooasterium, quod olim abbatiæ titulo donatum fuisse, & abbates in his Garnerium & Rogerium habuisse dicitur, Psalmodio cum suis adjunctis perpetuo sit unitum, eo
» pacto, ut deinceps oon vocetur abbatia, sed prioratus, & loco Martini prioris alter
» a Fulcone abbate instituatur: prior vero ille in monasterio Psalmodiensi primus in
» choro sinistro ecclesiæ, in capitulo & in refectorio sedeat; & in synodis primus post
» abbatem Montis-majoris. Perstitit hic prioratus conventoalis usque ad sæculum XV. quo Psalmodienses illum cessere toparchis de Aquilia, qui eum in castrum converterunt.

ANN. CHR. 1102.

Per id tempus Didacus Gelmirez Compostellanus archiepiscopus, in sede [a] tandem sua stabilitus, obtinendi pallii causa Romam iter aggressus est. Transcensis Pyrenæis jugis, ab Auscorum archipræsule perquam honorifice exceptus, in nativitate beatæ Mariæ, quæ illic sollemnissime recolitur, missarum sollemnia celebravit. Idem ei bonor Tolosæ exhibitus, & in monasterio Moissiacensi. Inde ad Cadurcorum urbem progressus, ubi ab episcopo omnis ei reverentia delata; dein Lemovicinum pagum ingressus est, digressusque ad Usercense monasterium, cujus loci abbas & monachi nihil prætermisere, quo debito cum bonore exciperetur. Apud Lemovicas non impar ei obsequium impensum. Cum vero Cluniacum pervenisset, quod veluti *caput totius religionis monasticæ* tunc censebatur, tantam ei venerationem sanctissima illa congregatio impendit, quanta nondum ei exhibita fuerat. *Sicut enim qualitate sanctæ religionis*, inquit Munio testis oculatus, qui hæc refert, *claritateve dignitatis Cluniacum ab omnibus monasteriis distare cognoscimus: ita caritatem ipsius omnibus intervenientibus largissimam ac paratissimam constare sentimus.* Tanta humanitate permotus Didacus, itineris sui causam venerabili Hugoni abbati exposuit: ille vero quid in Claromontensi concilio erga Dalmachium Didaci antecessorem gestum fuerat, nimirum occasione pallii, quod ille ab Urbano petebat, in hunc modum explicavit. *Cum dominus Urbanus, in Christo carissime, qui prius Cluniacensis monachus, ac postea sanctæ Romanæ ecclesiæ apostolicus, apud Clarum-montem concilium celebraret; filius noster domnus Dalmachius, ut sua caritas novit, beati Jacobi ecclesiæ religiosus episcopus, ab urbe Compostellana veniens, eidem concilio interfuit: ubi cum multis religiosis episcopis dominum papam pro dignitate palei, ut jam expressius nominem, summis precibus exoraret, quamvis uterque nostræ congregationis consocii fuissent, nihil tamen ejus gratiam impetrans, repulsam passus fuit.* Hujus recusationis eam fuisse causam adjecit sanctus abbas, videlicet, quod cum quidam Romanæ ecclesiæ legatus Galliciam intrasset, nuntiis ad Compostellanum episcopum præmissis, ut ipsi cum processione occurreret, respondisse dicitur episcopus, se tantum obedientiæ bonorisque Romanæ ecclesiæ « cardinalibus exhibiturum, quantum episcopis ipsis Romani cardinales exhibituri « essent. quod cum Romæ inauditum esset, communi decreto constitutum fuisse, ut « ne deinceps bonore pallii bonoraretur Compostellana ecclesia. Quamobrem se Di- « daco suadere, ut per se, non per interpositos nuntios Romanum adeat pontificem, « ut suæ petitionis compos fieret. His benigne acceptis, Didacus illic remoratus est « usque ad festum sancti Michaëlis, quo die majorem missam ibidem celebravit. Illinc postea digressus, Romam tandem pervenit, & cardinalium favore obtinuit pallium. quod in ecclesia sancti Laurentii ex altari accepit. Hic est Diacus sancti Jacobi episcopus, qui Anselmum Cantuariæ archiepiscopum litteris interpellavit, ut milites ex Anglia in Hispaniam commoveri curaret ad subventionem christianorum contra Sarracenos. Ad quem respondet Anselmus [b], id difficile esse propter continua bella, « quibus regnum Anglorum in dies commovetur: at se curaturum id efficere oratio- « num devotione, quod militum collectione non poterat. «

LII. Didaci archiepiscopi iter Romam.

a lib. 68. n. 25.

Cluniacum adventus.

b Anselm. lib. 4. ep. 19.

In Liguria mortuo Ottone Astensi [*] episcopo, in ejus locum cooptatur Landulfus de Vareglate [*], quod castrum est altero ab ea urbe milliario dissitum. Hic sancti Benedicti institutum amplexus Papiæ in monasterio sancti Petri in Cælo-aureo, dein Mediolani in ecclesia sancti Nazarii præpositus factus, Anselmo Mediolanensi archiepiscopo in expeditione Jerosolimitana comitem se adjunxit. Anselmo in reditu Constantinopoli defuncto, parum abfuit, quin absens ejus loco sufficeretur: at reversus demum in patriam, in vacantem Astensem ecclesiam omnium bonorum assensu promotus est. In illa sede, cum legitimo pontifici Paschali constanter adhæreret, multas ab Heinrico V. injurias sustinuit. Non minus infractus fuit in propugnando Innocentio II. contra Anacletum: qua de re a sancto Bernardo [c] laudatur. Demum, multis perfunctus laboribus, vitæ præsentis cursum feliciter absolvit anno MCXXXIV. beati nomine donatus apud Ughellum, qui fuse [d] de eo agit. Sub finem ejusdem sæculi Bonifacius monachus eamdem dignitatem adeptus est.

LIII. Landulfus episcopus Astensis.

* d'Asti.

* Vareglia.

c Bernard. ep. 126.

d Ital. sac. to. 4. p. 513. & seqq.

Hoc tempore Bernardus, ex abbate Vallumbrosæ presbyter cardinalis, legati apostolici munere in Italia fungebatur. Ad ipsum, cum in Padolironensi sancti Benedicti monasterio hoc anno versaretur, querelæ delatæ sunt de bospitio pauperum dilapidatione, quod Mathildis comitissa Mantuæ fundaverat, ejusque curam abbati monasterii sancti Andreæ, ab ejus parente in eadem urbe conditi, commiserat. Ci-

LIV. Padolironi tributum hospitale Mantuanum.

ANN. CHR. 1102.

tatus ad Bernardi cardinalis audientiam Daniel ſancti Andreæ prior, vacante abbatia, in præſentia Pagani diaconi cardinalis, Ugonis Mantuani epiſcopi, necnon Alberici Padolironenſis & Arialdi ſancti Dionyſii Mediolanenſis cœnobii abbatum, aliorumque, reſpondit, ſe illius hoſpitii curam Mathildi comitiſſæ jam dudum integram reſignaſſe: ſicque ſibi non incumbere, ut de illa dilapidatione reſponderet. Verum, cum frivola excuſatio viſa fuiſſet, in id demum conventum eſt, ut prædicti hoſpitii cura committeretur venerabili Alberico ſancti Benedicti abbati, in cujus cœnobio *religionem præcipuam, & converſationem fratrum ſingularem* ſe inveniſſe teſtatur Bernardus cardinalis. Actum hoc anno, pridie idus Maii apud ſanctum Benedictum, ut fuſius legitur in litteris ab erudito Benedicto Bacchino editis, in quibus pro indictione VIIII. reſtituenda eſt indictio X. quæ anno MCII. convenit. Idem Bernardus cardinalis eodem legati munere adhuc in Italia fungebatur anno MCIV. quo anno Mathildis comitiſſa prædicto ſancti Benedicti monaſterio mediam partem inſulæ, quæ Gurgo vocatur, aſſenſu ipſius cardinalis & legati, contulit.

LV. Lanuinus S. Brunonis ſucceſſor monaſteria viſitat.

Poſt mortem ſancti Brunonis, de qua ſuperiori anno egimus, ſucceſſor ejus apud Squillacium in eremo Turris Lanuinus tam religioſe ſe geſſit in demandata ſibi præfectura, ut Paſchalis papa vicinorum ei monaſteriorum, quæ ſedi apoſtolicæ ſubjecta erant, curam commiſerit, litteris ad eum miſſis, quarum hic tenor.

Religionis tuæ ſinceritas & miniſterii ſollicitudo, quam in monaſteriorum & eccleſiarum reparationem exerces, plurimum nos ad dilectionem tuam impellunt, & magnas omnipotenti Deo gratias agere faciunt. Unde ſuper religione tua congaudentes, & de tuo multum fervore, fili cariſſime, confidentes, hortamur & præcipimus, ut noſtri juris monaſteria, quæ circa te ſunt, ſollicite requiras, & quæ illic adverſus monaſticæ regulæ diſciplinam præſumpta ſunt, cum omni diſcretione & moderatione ſtudeas emendare; & eos, qui hactenus pravis ſunt moribus converſati, coërcere non negligas. Præcipimus etiam ut fratrem noſtrum Miletenſem epiſcopum adeas, cumque ſuper querela illa, quam gerit adverſus monachos ſancti Angeli, fraterne convenias, & ſi pacem inter eos concordiamque comparare nequiveris, opportune utraque pars ad noſtrum deſtinetur examen.*

* de Mileto.

Hoc ſancti Angeli ſeu ſancti Michaëlis noſtri quondam Ordinis monaſterium, a Rogerio comite medio ſæculo XI. fundatum, unitum eſt Romano Græcorum monaſterio a Gregorio XIII.

LVI. Mentauri cœnobium extruit.

Idem Lanuinus eremi auſteritatem multis ſuorum importabilem eſſe animadvertens, cœnobium apud Mentaurum pro illis ædificare conſtituit, ubi cœnobiticam vitam ducerent, ejuſque rei facultatem a Paſchali obtinuit in hæc verba.

Paſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Lanuino ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoties a fratribus noſtris illud exigitur, quod ſanctorum patrum regulis conſonat, dignum eſt ut eorum petitiones libentius audiantur. Ex igitur præſenti auctoritate in eccleſia illa juris eremi, quæ apud Squillacium ſita eſt, monaſterium conſtitue; ut fratres, auſteritatem eremi ferre non valentes, JUXTA BEATI BENEDICTI REGULAM *illic poſſint omnipotenti Deo deſervire. quam nimirum habitationem per præpoſitum & decanum gubernari, diſponique præcipimus, ſic tamen ut eremi præpoſitus ſemper præferatur, & major habeatur: & ſicut idem monaſterium eremi diſpoſitioni ſubjacet; ita ejuſdem loci præpoſitus & decanus ſubjiciantur magiſtro eremi. Data Lateranis VI. kal. Februarii.*

Hæc inſtitutio cœnobitarum facta eſt ad inſtar Camaldulenſium, qui anachoretas & conventuales habebant, habentque etiam nunc. Lambertus, Lanuini ſucceſſor, illis cœnobitis ſtatuta præſcripſit, quæ ſuo loco referemus.

ANN. CHR. 1103.

LVII. Anſelmus ex Anglia ſolvit.

ANno inſequente centeſimo-tertio ſupra milleſimum rex Angliæ Heinricus Anſelmo novam iterum moleſtiam faceſſivit. nam media quadrageſima Cantuariam profectus, denuo generoſum ſancti antiſtitis pectus minis pertentavit, ut eum ad permittendas ſibi eccleſiarum inveſtituras adduceret. at cum minas parum valere intellexiſſet, mitius cum eo egit, ut rurſus Romam adiret, cum pontifice hac de re tractaturus una cum ſuo legato, ſi quo modo pontificem ad ſententiam ſuam poſſet flectere, ne ipſe anteceſſorum ſuorum jura ignaviter prodidiſſe videretur. Hujus itineris propoſitum Anſelmus ad paſcha differendum cenſuit, ut epiſcopos ea de re conſuleret. Omnium ſententia fuit, ut hoc iter denuo ſuſciperet. quod ille, quamvis imbecillus corpore, utpote ſeptuagenarius, ſtatim poſt feſta paſchalia aggreſſus eſt, profeſſus, ſe nihil contra libertatem eccleſiarum relaxaturum. Mare itaque

ingreſſus

ANN. CHR. 1103.

ingressus v. kal. Maii [a], Bononia in Nortmanniam venit, & Becci cum dilectissimis quondam filiis suis aliquamdiu substitit. Inde Carnutas venit in festo pentecostes, ubi Ivo episcopus cum Adela comitissa ei auctor fuit, ut cœptum iter ad autumnum differret, ne æstivis per Italiam caloribus nimium gravaretur. quod ipse Gundulfo [b] Roffensi episcopo litteris significavit. Amicorum itaque consilio acquiescens, Beccum revertitur, ibique demoratus est usque ad medium Augusti, monachorum ædificationi indefesse insistens. Denique post festum assumtionis iter persecutus, Romæ a Paschali papa honorificentissime acceptus est. Die dehinc constituto, Willelmus regis legatus, cum ejus causam multis perorasset, ad extremum minacibus verbis ita conclusit, regem nec pro quovis regni amittendi periculo, ecclesiarum investituras relaxaturum. Ad quod papa. Nec quovis, inquit, capitis mei periculo eas regi impune dimisero. Conventu in hunc modum soluto, Anselmus Roma egressus, sub finem Novembris, Lugdunum demum pervenit, festum nativitatis Domini, quod instabat, ibidem celebraturus. Illic a venerabili Hugone archiepiscopo summo cum honore, ut alias, susceptus, apud eum anno integro & menses quatuor hospitatus est. Hæc fusius apud Eadmerum, quæ nos pro longioris operis instituto in pauca contrahere cogimur.

a Anselm. lib. 4. ep. 15.
b Ibid. ep. 29.

Dum illic moraretur, varias scripsit, accepitque epistolas. ex his unam accepit ab Ernulfo priore ac monachis Cantuariensis ecclesiæ, qui de ejus incolumitate ac reditu solliciti erant. Ad quos [c] respondet, se in Angliam redire non posse, donec rex ad litteras respondisset, quas ei miserat per episcopum Roffensem. Ceterum, quidquid respondeat, vel quidquid sibi accidat, meminerint, quod sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. *Sic igitur vivite*, inquit, *ut & illi vivatis, & cum moriemini, ad illum transeatis. Non vos perturbent tribulationes hujus vitæ, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Dein pueros & adolescentes monet, hortaturque, ut memores sint doctrinæ, qua eos de cordis & cogitationum custodia instruere solebat. Interim rex, qua nuntiis ad papam, qua litteris ad Anselmum, nihil non tentabat, ut sanctus præsul in Angliam reverteretur. quod cum ille exsequi differret, nisi rex papæ acquiesceret judicio, rebus suis a rege spoliatus est.

c lib. 3. ep. 82.

LVIII. Milo legatus Cluniaci privilegia confirmat.

Hoc ipso anno Milo cardinalis & Prænestinus episcopus a Paschali pontifice missus est in Galliam pro causis ecclesiasticis, præsertim ad dirimendam controversiam, quæ Norgaudum inter Æduensem episcopum & Hugonem abbatem super Cluniacensium privilegiis excitata erat, cui Berardus quoque Matiscensis episcopus se immiscuerat. Et primo quidem legatus Cluniacum accessit, jussitque partes condicto die Massiliæ adesse. Illic convenere ad præfixum diem utriusque partis venerabiles viri in præsentia Milonis, aliorumque episcoporum: quo in conventu legatus conditiones, Cluniacensibus privilegiis a duobus illis episcopis oppositas, reprobavit, eaque ex integro confirmavit. In eodem etiam placito Norgaudus omnes suæ parochiæ ecclesias, quæ Cluniacensibus ab antecessoribus suis concessæ fuerant, eisdem asseruit. De Vizeliacensi quoque monasterio, cui tunc Artaldus abbas præerat, statutum est, ut Æduensis episcopus a Vizeliacensi abbate professionem vel obedientiam non exigeret: fratres vero Vizeliacenses sacros ordines ab eo susciperent, si is canonice ordinatus esset, si vero eos ordinare nollet, a quocumque canonice ordinato episcopo eos recipere possint. Acta sunt hæc *apud Massilias* hoc anno, præsidente Milone legato, in præsentia Berardi Matiscensis episcopi, *qui tunc cum episcopatu suo Lugdunensis archiepiscopi domni Hugonis vices agebat*, præsente etiam Norgaudo Æduensi episcopo, aliisque, scilicet Gerardo *Everacensi* seu Eboracensi archiepiscopo, Herberto Tetfordensi, Roberto Cestrensi, & Pontio Belensi seu Bellicensi, episcopis: ex quibus tres illi Anglicani præsules haud dubie ad invisendum Anselmum, qui tunc, ut mox vidimus, Lugduni versabatur, in Galliam venerant. Sane eos Anselmi absentiam impatienter tulisse restantur [d] in epistola, quam tunc ad eum scripserunt. Milonem vero, qui Cluniacensium negotiorum occasione a Paschali pontifice missus in Gallias dicitur, jam antea legatum Urbani in his partibus fuisse supra observatum est [e]; idque diserte habet chronicum Andegavense sancti Albini apud Labbeum [f]. Idem etiam, uti refert Hugo Flaviniacensis in chronico [g], Norgaudum Æduensem episcopum, qui eum Massiliæ & Cluniaci comitatus est, cum Æduensis ecclesiæ canonicis reconciliavit, effecitque ut in urbem reciperetur. Quin & eodem procurante in capitulo Cluniacensi, ubi ejus causa agitata fuerat,

d Anselm. lib. 3. ep. 121.
e lib. 69. n. 34.
f Bibl. to. 2. p. 281.
g ibid p. 264.

ANN. CHR. 1103.

uti episcopus susceptus & acclamatus est, facta aliquot ecclesiarum monasterio Cluniacensi cessione. Quam autem severus fuerit & invictus simoniacorum & flagitiosorum clericorum insecutor Milo, ex Marbodi versibus, quos in ejus jam demortui laudem exaravit, discimus; quos, ut pote qui etiam in novissima ejus auctoris opusculorum editione desiderentur, in Appendice proferemus. Eodem anno Herbertus de Castellione, frater Berardi episcopi Matiscensis, præsente Hugone abbate, cum Henrico priore majore, Bernardo camerario, & Hugone cellerario, remittit malas consuetudines, quas apud Cavariacum usurpaverat. Tunc etiam Balduinus Flandriæ comes ecclesiam [a] sancti Salvii prope Valentianas Cluniacensibus concessit.

[a] *Marlot to. 2. p. 233.*

LIX. S. Theoderico data altaria.

Hoc item anno Manasses Remorum archiepiscopus, sancti Theoderici monachorum inopiæ consulere cupiens, quædam eis altaria donavit, *providentissima sollicitudine satagens, ut illuc cum manibus deportata pauperum terrena precederent beneficia, ubi tempore sibi profutur essent.* Actum Remis hoc anno, *regnante Philippo rege Francorum anno* XL. *archiepiscopatus autem domni Manasse anno* VIII. His litteris post Manassem apposita sunt signa Azenarii abbatis sancti Remigii, Hugonis Altivillarensis, Rodulfi Mosomensis, Richeri sancti Basoli, Joiranni sancti Nicasii, & Richardi sancti Calocerii abbatum. Eædem chronicæ notæ, tum Philippi regis, tum Manassæ archiepiscopi, habentur in litteris anthenticis Azenarii sancti Remigii abbatis super controversia, quam de Viriliaco habebat cum Guidone Manassæ-Calvi militis filio, fratre Manassæ archiepiscopi, & cum Cyrico ipsius Guidonis filio, cujus proinde patruus erat idem archiepiscopus. In charta ejusdem Manassæ archiepiscopi, sancto Remigio conferentis altaria Taisnaci & Baironis anno M C VI. Philippi regis XLVI. iidem abbates, qui supra, subscripti inveniuntur præter Burchardum abbatem sancti Basoli, qui Richero, & Emmonem abbatem sancti Calocerii, qui Richardo successerat. Ipso anno M C III. Ingelrannus episcopus Laudunensis sancto Remigio altare Corbiniaci [b] confert. His litteris apposita sunt post Ingelrannum signa Manassæ archiepiscopi, & episcoporum Manassæ Suessionensis, Hugonis Catalaunensis, Waldrici Noviomensium, Johannis Morinorum, Lamberti Atrebatensium, & Huberti Silvanectensium; tum abbatum Azenarii sancti Remigii, Hugonis Altivillarensis, Rodulfi sancti Theoderici, & Godefridi Novigenti.

[b] *Marlot to. 2. p. 232. & seq.*

S. Nicasii abbates & viri illustres.

Quod attinet ad Jorannum sancti Nicasii abbatem, is eodem circiter anno Guidoni successerat, ejusdem loci a puero monachns, & ex præposito creatus abbas. Ejus tempore floruit apud Nicasianos regularis disciplina, ut fidem faciunt illustres pietate & doctrina viri, Gaufridus, abbas primum sancti Theoderici, dein sancti Medardi, & postmodum episcopus Catalaunensis; Drogo abbas sancti Johannis Laudunensis, postea cardinalis; Guillelmus sancti Theoderici post Gaufridum abbas, Simon ejus frater, abbas sancti Nicolai de Nemore, Arnulfus, aliique. Omnibus exemplo prælucebat Jorannus abbas, qui demum abjecta pastoralis curæ sarcina, ad Montis-Dei cartusiam secessisse memoratur. Quia vero de Guillelmo seu Willelmo a sancto Theoderico non semel recurret dicendi occasio, hic pauca de eo præmittenda sunt. Is Leodii nobili genere ortus, cum fratre suo Simone Remos studiorum causa se contulit. Illic dum versarentur, comperta S. Nicasii monachorum religione, ambo ibidem monasticum institutum amplexi sunt: ubi tanta cum districtione mores composuerunt, ut Guillelmus ad proximum sancti Theoderici, Simon ad sancti Nicolai de Nemore administrandum monasterium assumti sint, ut in consequentibus videbimus.

LX. S. Germani Pratensis abbates.

Apud Parisios in Pratensi sancti Germani monasterio decessit hoc anno Isembardus abbas XV. kal. Augusti: cujus successor Rainaldus anno regiminis sui quarto Romam profectus, monasterii privilegia a Paschali papa confirmari curavit. Roma reversus Rainaldus, a fratribus magna cum exsultatione recipitur, ægre ferentibus Parisiensis ecclesiæ canonicis, quibus hæc Pratensis cœnobii libertas invisa erat. His gratificari cupiens Guillelmus quidam ejusdem loci monachus, spe adipiscendi post Gualonem episcopatus a canonicis inescatus, Rainaldo abbati miræ simplicitatis & innocentiæ viro, persuasit, nt ad sedandam cleri Parisiensis invidiam, cavendaque mala, quæ ex ea monasterio obvenire poterant, dignitate cederet. quod ubi ab eo impetravit, ut erat magnæ apud suos auctoritatis, in Rainaldi locum sufficitur. Tum vero ille ad episcopnm pergens, benedictionem ab eo suscepit, eique professionem fecit. quod ubi resciere fratres, redeunti portas monasterii occluserunt, & Rainaldum

in pristinam dignitatem restituerunt. Sic homo ambitiosus & versipellis, dum simul duos insectatur lepores, neutrum assecutus est. Rainaldo suffectus anno M C XVI. Hugo ejus nominis primus, per quem libertas ecclesiæ Pratensis restituta, ordo reformatus, & sarta tecta refecta. Hic a Romanis pontificibus Callisto II. Innocentio item II. Lucio II. & Eugenio III. monasterii privilegia renovari curavit.

Crispiaci priores.

Crispiaci hoc item anno facta est sancti Arnulfi reliquiarum translatio e veteri theca in novam, auro argentoque decoratam, præsente Theobaldo Pontisarensi abbate, & Stephano sancti Arnulfi priore. quæ translatio facta est v. kal. Octobris, ipso videlicet die, quo ejusdem martyris corpus a Radulfo comite illuc advectum fuerat. Paschalis papa scribit Stephano, quem a venerabili Hugone Cluniacensi abbate Crispiaci priorem institutum dicit, confirmatque pontifex monasterii fundationem a Galterio Ambianorum comite, ejusque conjuge Adela factam. Hugo anno M C XVIII. prioris officio fungebatur, cum Henricus, filius Adelæ comitissæ, donationes a genitrice factas approbat. Ymarus prior anno M C XXX. monasterii possessiones confirmari curat. Hic distinguendus videtur ab Ymaro, primum monacho sancti Martini a Campis, dein Caritatis priore, tum abbate Monasterii-novi apud Pictavos, qui demum ab Innocentio II. cardinalis & episcopus Tusculanus creatus est. Ymaro Crispiaci priori successit Theobaldus, inde assumtus ad abbatiam Cluniacensem.

LXI. Josceranno Floriaci abbati succedit Simon.

In Floriacensi monasterio Josceranno [a] piæ memoriæ abbati jam tum successerat Simon, cujus præfectura non admodum diuturna fuit. Mortuus est Josceranus VII. idus Aprilis, sepultusque in claustro, quem ob virtutes & merita *Romano orbi* claruisse docet ejus epitaphium quod sic habet.

[a] V. l. 69. n. 10.

> *Nomen, forma, manus, sermo, crux, scientia, virtus,*
> *In Jocerando, Christe, fuere tuo.*
> *Iste tibi vixit, tua pastor ovilia rexit,*
> *Dignus pro meritis solvere vincla gregis.*
> *Quis, vel quid fuerit, Romano claruit orbi:*
> *Quare fucato non eget eloquio.*
> *Idus septenas, Aprilis aprice, tenebas,*
> *Cum subiit celsi dyndima celsa poli.*

Simon ejus successor pontificium diploma hoc anno obtinuit, datum Beneventi; & concordiam iniit de quibusdam colibertis cum Hugone-Gregario milite, a Philippo rege approbatam.

Cormaricum allatæ reliquiæ

Hoc anno sacræ quædam reliquiæ e locis sanctis Cormaricum a Guillelmo, cognomine Ludovico, ejus loci quondam monacho, allatæ perhibentur. Erat is e castro Turonis proximo, quod Rupes vocatur, oriundus, qui factus Cormarici monachus, æmulorum exagitatus invidia, Constantinopolim abiit, ubi Alexio imperatori notus & carus evasit. Inde semel & iterum ad loca sacra profectus, plurimas ex eis reliquias retulit. Postmodum Salpinæ civitatis in Apulia creatus episcopus, Cormariceni monasterii haud immemor, sacras illas reliquias istuc attulit, in his de ligno sanctæ Crucis, quod per ignem probavit. quæ reliquiæ anno M C III. sollemni ritu Cormarici susceptæ sunt, XIV. kal. Augusti, die dominico, regnante Philippo, *Fulcone juniore comite Andegavensium, Radulfo archiepiscopo Turonum, qui fuit Francigena, Guidone abbate Cormaricensi.* Hic recens successerat Mainardo, cujus titulum de sancti Brunonis obitu [b] in Appendice retulimus, quem Guidoni alii perperam substituunt. Guidoni successit Theobaldus, beati Leotherici patruelis.

[b] supra n. 29.

LXII. Ausculfo Angeriacensi succedit Henricus.

Eo spectabant tunc temporis Cluniacensium consilia, ut quæcumque monasteria reformarent, ea sibi subjugare conarentur, ita ut vel abbatiæ titulo illa orbarent, vel saltem abbates subjectos habere vellent. Quid ab eis erga Sithiense sancti Bertini, & Autisiodorense sancti Germani cœnobia actum sit, jam superius vidimus: nunc quid in Angeriacense & sancti Cypriani monasteria moliti sint, exponendum. Mortuo Ausculfo Angeriaci abbate, orta est [c] Cluniacenses inter & Angeriacenses de eligendo successore contentio. Henricum e suis abbatem volebant Cluniacenses, ast Angeriacenses rejiciebant. Ad componendam hanc litem convenere in Angeriacense capitulum Ramnulfus Santonensis episcopus, Arnaldus Burdegalensis electus, necdum consecratus, & Willelmus Pictavensis comes cum Hugone Lizi-

[c] Besly Com. p. 545.

ANN. CHR. 1103.

niacensi. Auditis utrimque partibus, in id demum conventum est, agente comite Pictavensi cum Santonensi episcopo, *qui vices Cluniacensis abbatis exsequebantur*, ut Henricum sibi præfici sinerent Angeriacenses, eo pacto, ut post ejus decessum integra penes eos remaneret libertas eligendi vel ex suo gremio, vel ex Cluniaco successoris. quæ res Angeriacensibus placuit. Sic Henrici electio approbata est. Actum anno ab incarnatione Domini MCIII. *papa præsidente Paschali, rege regnante Philippo cum Ludovico filio.* quæ chronica nota nos docet, Ludovicum, qui Grossus a posteris dictus est, jam tum cum patre regnasse, ut alia quoque instrumenta confirmant. Certe Ludovicus ipse ad Anselmum [a] archiepiscopum Cantuariensem anno sequente scribens, hunc titulum præfert, *Ludovicus Francorum rex designatus.* Eumdem regem tantum designatum dicunt Ivo in epistola CCXXVII & Sugerius in vita Ludovici Grossi. sed vide quæ de eo inferius [b] referemus.

Ludovicus cum patre regnat.
a Anselm. lib. 4. ep. 51.
b infra n. 65.

LXIII. Bernardus abbas S. Cypriani Cluniacensibus subjici detrectat.
c lib. 69. n. 136.

Verum longe gravior & diuturnior fuit Cluniacensium controversia de abbatia sancti Cypriani apud Pictavos, quam sibi mancipatam esse contendebant Cluniacenses, quibus strenuissime restitit Bernardus, nuper abbas [c] ibidem institutus, Cluniacensibus inconsultis. Cum ille se suamque abbatiam illis subjicere detrectaret, Paschalem papam adiere Cluniacenses, atque ab eo obtinuere, ut Bernardus vel abbatiam eis subjiceret, vel abbatia cederet. Ille vero abbatis honorem abdicare maluit, quam ecclesiam suam indebitæ servituti subjicere. Exstant in notis ad vitam beati illius Bernardi litteræ pontificiæ, anno millesimo centesimo datæ, in quibus inter abbatias, quas Paschalis post Gregorium VII. ordinationi venerabilis Hugonis Cluniacensis committit, sancti Cypriani abbatia censetur. Neque his contentus pontifex, ad Petrum Pictavensem episcopum objurgatorias scripsit litteras, quod Bernardum, *illic repente electum*, non obstantibus Romanæ ecclesiæ privilegiis, consecrasset. Has litteras, quia breves sunt, ex ipso authentico hic referre juvat.

* Paschalis. * Petro.

P. episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri P.* Pictavensium episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Cum Romanæ ecclesiæ membra sitis, miramur, quod vestro capiti sciente contra itis. Neque enim ignoratis sancti Cypriani monasterium per sedis apostolicæ dispositionem Cluniacensi monasterio esse commissum. Tu vero, ut audivimus, abbatem illic repente electum adversus Romanæ ecclesiæ privilegia consecrasti. Unde præcipimus, ut idem frater abbas officio careat, donec Cluniacensi abbati satisfaciat, & ecclesia ipsa juxta Romanas constitutiones in abbatis Cluniacensis ordinatione persistat. De Malliacensi quoque abbate præcipimus, ut juxta domini Urbani præceptum abbati Cluniacensi satisfaciat. alioquin vide, ne tu pro eis sedis apostolicæ indignationem experiaris, & ipsi condignam sententiam non effugiant.*

LXIV. Abdicata abbatia prædicationi insistit.

Pontificis itaque auctoritati cessit Bernardus, & ad optatam solitudinem ex qua pia fraude abstractus fuerat, rediit. Tum Roberto de Arbrissello & Vitali de Mauritonio, sociis quondam suis, adjunctus, per vicos & castella nudis pedibus incedens, verbum Dei prædicare cœpit, multosque errantes ad viam rectam revocavit. Inter hæc ad maritimas Nortmanniæ partes profectus, in primis presbyteros exagitavit, quos publice uxores ducere non pudebat, fide prius coram parentibus data, se numquam ab earum, quas ducebant, consortio recessuros. Non levis Bernardo subeundus fuit labor, ut pravam illam consuetudinem emendaret: & quosdam quidem ab ea abstraxit; at plerique indomita ei cervice restiterunt. Quin etiam ipsæ presbyterorum concubinæ vitæ illius insidias per conductitios homines struere non dubitarunt. In his quidam archidiaconus Constantiensis, ejusdem criminis reus, cum magno presbyterorum & clericorum comitatu virum Dei adortus est, sciscitatus, cur ipse, qui monachus, adeoque mundo mortuus esset, viventibus prædicaret? Ad hæc ille reposuit, prædicatores vitiis mortuos esse debere, *ut per auctoritatem mortificationis viventes adhuc in peccatis & vitiis possint castigare, & castigatos sibi conformes efficere. Itaque quia sum monachus*, inquit, *& mundo mortuus, non mihi facultas prædicandi aufertur, sed multo melius confertur.* His aliisque dictis populo acclamante, & ipse archidiaconus cedere compulsus, animi ferocitatem & arrogantiam deposuit, & presbyteros eorumque uxores ab inferenda viro Dei injuria compescuit.

LXV. Regulæ injustum teloneum remissum.

Tunc temporis Bernardus vicecomes Regulæ opido pagi Burdegalensis insolitum teloneum imponere molitus est. Ut ab hac injuria desisteret, multis precibus apud eum egit Raimundus Regulæ prior: at ubi nihil obtineret, ad Willelmum Pictavorum comitem & Aquitaniæ ducem querelas hac de re detulit: comes vero eum com-

pulit ad satisfactionem, quam ille *apud portum, qui Rivanum** *dicitur*, spopondit, præsentibus Vasconiæ principibus, Astanona scilicet comite de Fedenzac, aliisque, necnon Girardo Aginnensi episcopo, & Stephano, *qui tunc in loco præsulis Vasatensi sedi præerat*. Id factum dicitur *anno ab incarnatione Domini* M C III. *Philippo rege Francorum superstite, Ludovico tamen filio suo, indolis & probitatis memorandæ juvene, Franciæ timonem obtinente*. qui locus id diserte confirmat, quod paullo ante [a] de Ludovici regno cum patre diximus. Ejus rei chartam retulit Besiius [b] ad annum sequentem, quam hoc anno datam lego in exemplo, quod penes me habeo. Sed id parum interest.

ANN. CHR. 1103.

* al. *Tiviranum*.

a *supra n. 61.*

b *Besly Com. p. 516.*

LXVI. Severiaci monasterium. * *Severac*.

Exstat in pago Rutenico castrum Severiacum* ad cujus plagam australem a quodam nobili ac præpotenti viro, nomine Guidone, in honorem Salvatoris ac beatissimæ Virginis Mariæ conditum est puellare monasterium, in quo duas filias suas virgines obtulit Deo. Harum natu-major Adalburgis ejus loci prima fuit abbatissa, cui altera successit. Post tres alias abbatissas, cum nulla regendo cœnobio idonea inveniretur, jamque locus ille ob inhabitantium sordes malæ esset opinionis, ejusdem castri dominus, Deodatus nomine, eum Willelmo sancti Theotfredi abbati emendandum & in melius reformandum commisit, assentiente uxore Ermengarde cum filiis suis, Ademaro quoque Rutenensi episcopo probante, & Richardo comite cum fratre suo Girberto. Assensere etiam ejus loci moniales, quibus ad alia ejusdem pagi loca translatis, monachi ibidem substituti sunt. Actum hoc anno, mense Martio.

Bego Conchensis abbas.

Eodem tempore Bego abbas Conchensi apud Rutenos monasterio sanctæ Fidis præsidebat, cui Hugo Lugdunensis archiepiscopus, ecclesias sanctæ Fidei de Castelleto, & sancti Victoris, quarum unam ab altera Ligeris fluvius dividit, sub annuo censu contulit. Hic est Bego abbas, qui hoc anno Conchensis abbatiæ claustrum ædificavit, ut fidem facit inscriptio, quam Johannes de Mura [c] cum prædictæ donationis instrumento retulit.

c *La Mure p. 298.*

LXVII. Montis-Olivi varia nomina & abbates.

Montis-Olivi monasterium diœcesis Carcassonensis varia sortitum est nomina, primitus sancti Johannis in castro Malasti, dein Vallis-Sigerii, postremo tandem Montis-Olivi appellatum. Ei præerat hoc tempore Petrus abbas, qui litem habuit cum quodam Guillelmo de quadam sancti Petri ecclesia, in qua corpus sancti G oderici jacere dicitur: sed eam tandem idem Guillelmus cum filia sua Adelaide monasterio cessit, acceptis quadringentis solidis denariorum monetæ Carcassonensis. In litteris hac de re editis Guillelmus, ejusque filia Adelais aiunt se donare & dimittere illam ecclesiam *Domino Deo & sancto Joanni-Baptistæ monasterii Vallis-Sigerii, & ad Petrum abbatem*. Facta hac de re charta kalendis Novembris, *regnante Philippo rege*; eique subscripsit Raimundus episcopus, scilicet Carcassonensis, cujus proinde pontificatus ad Philippi regis principatum revocandus est. Haud scio an is sit Petrus, ex abbate Montis-Olivi factus incerti loci episcopus, de quo ita legitur in necrologio: *kal. Septembris obiit Petrus episcopus, qui fuit abbas istius monasterii*. Petro abbati jam subrogatus erat anno M C VI. Berengerius, cujus tempore Arnaldus-Raimundi, ejusque conjux Garsindis *honorem* suum, id est quidquid habebant, in villa sancti Goderici & apud Ursancium conferunt *Domino Deo & sancto Joanni-Baptistæ monasterii Vallis-Sigerii, sive abbati Berengerio monachisque ejus loci cum filio suo Petro*; quem tradunt *ad monachi habitum suscipiendum*, ibidemque Deo serviendum. Actum anno M C XI. kalendis Maii. Post Bernardum, qui Berengerio successit, obscura est abbatum Montis-Olivi series usque ad sæculum XIII. quo tempore plerique ejus abbates ex illius provinciæ familiis eidem loco præfuerunt.

Petrus ex abbate episcopus.

LXVIII. Tomeriensi monasterio factæ donationes.

Hoc ipso anno Aimericus vicecomes Narbonensis monasterio sancti Pontii Tomeriarum, quod a domno Pontio comite Tolosano, Aquitanorum duce ac primate, in honorem Salvatoris, beatæ Mariæ & sancti Pontii constructum dicit, universas ejus possessiones, quæ in suæ ditionis locis sitæ erant, confirmat. Ad hæc assentiente uxore sua Maralda cum filiis suis, alodium in parrochia sancti Saturnini de Bisato tradit eidem monasterio, cui tunc Petrus abbas præerat, « pro anima patris sui Bernardi, avi « Berengarii, & Petri-Berengarii *avunculi* seu patrui sui, & pro filio suo Almarico, « quem eidem abbatiæ offerebat, ut illic monachus fieret. quæ donatio facta legitur anno ab incarnatione Domini M C III. & quidem III. *kal. Maii feria quinta*, regnante Philippo Francorum rege. ubi legendum *feria quarta*, quæ illo anno in tertium kalendas Maii incidebat. Subscribunt cum Aimerico vicecomite, Maralda

ANN. CHR. 1003.

ejus conjuge ac filiis, Bertrandus archiepiscopus Narbonensis, Bernardus vicecomes de Minerba & Petrus ejus filius, aliique. Eadem Maralda multo post, id est anno M C XXI. ipsimet Petro donat ecclesiam de Cauna, quam cave confundas cum monasterio Caunensi. Iste Petrus abbas, eo nomine secundus, Frotario successerat anno M XCVIII. Raymundum fortitus successorem, haud scio an proximum.

LXIX. Petrus archiepiscopus Aquensis.

Sub id tempus Petrus monachus sancti Victoris, Josfredi Massiliæ vicecomitis ex Rixende filius, Aicardi Arelatensis pontificis frater, ad Aquensem archiepiscopatum sublimatur, anno sequenti a Paschali summo pontifice pallio donatus, qui eodem anno donariones, sancto Victori in Aquensi pago factas, Richardo abbati confirmavit. Is Aquensem ecclesiam rexit ad annum M C XVIII, quo Fulco ei successit, qui Guigonem Forcalcariensem comitem ob abstractum Montis-majoris cœnobio castrum Pertusum excommunicavit, & ad restitutionem compulit.

Saviniacensium controversia.

Tunc etiam gravis controversia inter Pontium Saviniacensem abbatem & ecclesiam Lugdunensem hac occasione exorta est. Olim Saviniacenses parochianum quemdam habuere, Iterium de Bulliaco appellatum, qui cœmeterium quoddam eis injuste abstulerat, sed facti pœnitens demum restituerat. Post hæc Stephanus de Varennis, ejus gener, non modo cœmeterium illud denuo invasit, sed etiam munitionem haud longe a monasterio exstruxit, & ex ea ejus colonos vexare cœpit, immo & sex monachos in vicina cella degentes expulit. Cum longius procederet rixa, Hugo Lugdunensis archiepiscopus se mediatorem interposuit, ac munitionem Pontio abbati reddendam censuit. Archiepiscopi judicio acquiescere visus est Stephanus, sed fraudulenter. nam in ipsa munitione cum armatis hominibus perstabat, & monasterii homines minis & injuriis affectos ad pugnam provocare non cessabat. Cum res ita haberet, abbas amicorum consilio vim vi repellere statuit, ac demum munitionem evertit. Ea re commotus archiepiscopus, abbatem & monachos excommunicavit, & earum ecclesiis interdicto suppositis, obsides insuper ab eis accepit, dum scilicet munitionem instaurasset. Querelis hac de re ad Paschalem delatis, pontifex, suppresso archiepiscopi nomine, Lugdunensis capituli canonicos increpavit, castelli destructionem probavit, obsides monachis restitui jussit, & sententiam Matiscensis episcopi ad concordiam sanciendam latam tenere præcepit, ut videre licet in ipsius Paschalis decreto, quod in Appendice referemus. Incertum quo anno decesserit Pontius abbas, qui gesta superiorum abbatum describi curavit, ut in Appendice videre licet. Ejus obitus notatur VI. idus Maii. Milo abbas ei successisse videtur.

LXX. Lirinensis clades.

Ad hoc tempus revocanda est clades Lirinensi inflicta monasterio a barbaris pyratis, haud dubie Sarracenis, qui monasterium penitus everterunt, plurimosque monachorum gladio percusserunt. Ejus rei testem habemus unum Hildebertum in epistola XXIV. ad Hugonem Cluniacensem abbatem, cujus precibus acceptum refert, quod in reditu ex urbe Roma dispositas sibi insidias, & illorum barbarorum manus effugisset. *Ii*, inquit, *catholicæ religionis expertes & hostes, in insulam beati Honorati sacratissimo die pentecostes in multis navibus delati sunt. Ibi, ad fundamenta monasterio penitus everso, plurimi monachorum gladio percussi ceciderunt: reliquis, & latibulis, & turre proxima consultum. Eadem die de præfata insula felix me ventus expulerat; & ita ex ipsis pæne leonum faucibus avulsus, auspicato cursu Magalonam navigavi. Hæc ideo, sanctissime pater, exposui, ne quis ignoret, quantis oratione vestra periculis ereptum me confitear. Habeo igitur atque ago vestræ gratias religioni, cujus sinum, quasi reus aram, jam dudum complexus essem, si consultus papa pontificis onus amoliri permisisset.*

Hildebertus cupit esse Cluniaci monachus.

Ex his intelligitur, Hildebertum pontificatum abdicare voluisse, & Cluniacum secedere: sed papam hac de re consultum non permisisse. tum subdit: *ille dum me remisit ad laborem, invidit gloriam: non illi imputet Dominus. Interim in umbra alarum tuarum sperabo, donec educar de lacu miseria & de luto fecis, atque dicam: Ecce venio ut faciam voluntatem tuam, Deus meus.* quibus verbis innuit, idem nihilo minus propositum animo suo hæsisse. In fine epistolam ita concludit: *De cetero redundantis operæ est, super Andecavensi episcopo, tirone scilicet beati Benedicti, vos rogare, cujus affectus & singularis est in universis, & universus in singulis.* Id intelligendum de Gaufrido de Meduana, qui, dimisso episcopatu, anno superiori Cluniaci monachus factus est. Notandum est *tironis* vocabulum, quod argumento est Gaufridum tunc tironem seu novitium fuisse, cum hæc epistola scripta est. Ejus epitaphium

ANN. CHR. 1103.

composuit Marbodus episcopus Redonensis. Electus in ejus locum Rainaldus de Martiniaco, cujus electionem alii probarunt, alii improbarunt. Ex his unus fuit Goffridus [a] Vindocinensis abbas, hac maxime ratione, quod Stephano decano, aliisque invitis, arreptus fuisset a vulgo. quod perniciosæ seditioni deputat Goffridus; atque Hildebertum virum religiosum, qui post metropolitanum in provincia « primus est episcòpus, ab ejus consecratione recessisse. Ex altera parte stetit Marbo- « dus Redonensis episcopus; & agitata Romæ hac causa, Rainaldi tandem obtinuit electio.

Quod attinet ad Lerinensem illam cladem, nulla ejus mentio apud Vincentium Baralem, nisi forte id intelligatur de illa eversione, quæ Aldeberto [b] abbate, ejus nominis primo, facta dicitur, quam Baralis negat. Quamquam huc referri possunt Honorii II. [c] litteræ ad omnes fideles, quos hortatur pontifex ad suppetias Lerinensibus ferendas ad construendam contra Sarracenorum impetum munitionem, exponens labores persecutionis, damna & pericula, *quæ religiosi fratres Lerinensis monasterii sancti Honorati longo tempore* [d] *Sarracenorum tyrannide passi sunt*. Tunc Lerino præerat Pontius abbas, cognomento Fortis, successor Aldeberti, ejus nominis secundi, cujus obitum anno superiori retulimus.

a *Goffrid. lib. 3. ep. 11.*
b *Chron. Lerin. parte 2. p. 152.*
c *ibid. p. 159.*
d *supra n. 27.*

LXXI. S. Mauri Virdunenses abbatissæ.

Dum Virdunensi sancti Mauri parthenoni præesset Girberga abbatissa, nobilis quædam femina ejus propinqua, Richildis nomine, apud Arelatem nupta erat. Hæc orbata viro, natalis soli & amicorum studio patriam repetiit, in primis Girbergæ abbatissæ amore, cujus in monasterio non paucis diebus habitavit. Interim secundis nuptiis animum adjecit: sed cum multam illi basilicæ reverentiam, tum propter suffragia sanctorum, quorum corpora ibidem requiescunt, tum propter inhabitantium religionem haberet, placuit ipsi, ut de se ipsa potius, quam de rebus ceteris & alienis *victimam Deo & sancto Mauro solveret*. Ad altare igitur sancti Mauri, pridie quam secundo nubere disposuerat, accessit, seque ipsam, & liberos ex se nascituros Deo & sancto Mauro vovit, ea lege, ut unaquaque proles annuum censum ad altare sancti Mauri offerret, mas quidem denarios duos, femina tres obolos. Ita pia illa matrona statuit edito hac de re instrumento *anno* M C III. *præsidente Virdunensi cathedræ venerabili Theoderico episcopo, præsente præfata abbatissa Gyrb. & Petro ejusdem ecclesiæ advocato, & Milone, cui nubere debebat*. Verum non cohærent hæ chronologicæ notæ. nam prædicto anno ecclesiæ Virdunensi præsidebat Richerus, successor Theoderici, qui anno M XC. decesserat, idemque quasdam ecclesias dederat Alix abbatissæ, quæ forte Girbergam præcesserat. In his postremis litteris, quæ sunt absque chronicis notis, Theodericus *sancti Johannis monasterium* vocat, *ab Heymone episcopo divæ memoriæ prædecessore* suo *inceptum & exaltatum, ubi corpus sancti Mauri confessoris permultis adornatum quiescit miraculis*. Girbergæ abbatissæ successit Ida, cujus tempore, id est anno M C XXV. Henricus episcopus ratum habuit compromissum, factum inter Manassem abbatem sancti Pauli & conventum sancti Mauri de cursu Scantiæ rivuli, qui ad utrumqne locum influit.

LXXII. Ambrosianæ basilicæ abbates.

Mediolani in basilica Ambrosiana post Heribertum abbatem locum rexit Johannes, qui hoc anno privilegium a Paschali [e] obtinuit, quo propter amorem sancti « Ambrosii & sanctorum Gervasii & Protasii, quorum honori dicatus est locus, Jo- « hanni abbati confirmat usum dalmaticæ, sandaliorum & chirothecarum, atque facul- « tatem ferendi tintinnabulum capellæ; necnon dominium totius ecclesiæ post archie- « piscopum, multaque alia, quæ in pontificiis litteris recensentur, quarum chronicæ « notæ non bene simul conveniunt. In his litteris confirmat *ecclesiam sancti Augustini cum parochia sibi pertinente* quam Puricellus haud aliam esse putat ab ea, in qua sanctum Augustinum a beato Ambrosio baptizatum fuisse tradunt, eo scilicet in loco, ubi in hanc usque diem visitur sacellum sancto Augustino inscriptum, quod quinquaginta circiter passibus distat a basilica Ambrosiana. Non multo post Johanni abbati suffectus Guillelmus, qui ob intestina Grossolani & Jordani, qui de archiepiscopatu contendebant, discidia & bella locum deseruit, & ad Taurinense S. Solutoris [f] monasterium se recepit, eidemque præfuit, alterum Johannem in Ambrosiano sortitus successorem.

e *Puricell. p. 509.*
f *ibid p. 546.*

Vallumbrosæ consulit Mathildis comitissa.

Hoc item anno Mathildis comitissa illustria duo suæ pietatis documenta dedit pro monachis Vallumbrosanis, quorum florentem religionem laudat, illosque auctoritate sua munit contra vexatores, ac beneficiis auget. In primis dignum esse ait «

AN. CHR. 1103.

a Ital. sac. to. 3. p. 307. & seqq.

» [a] circa universas Dei ecclesias summæ venerationis studium ab omnibus exhiberi; » sed tanto singularius erga eas, in quibus religiosæ virorum personæ conversantur, » quanto credimus eorum orationibus patrocinia posse nobis singularia suffragari. » Cum itaque suæ ditionis lustrando provincias comperisset, venerabiles congrega- » tiones monasterii Vallumbrosæ a quibusdam subditis suis vexari & proculcari, & » sanctissima loca, quæ præ ceteris religione fulgebant, & laudabilem sanctitatis fa- » mam redolebant, ab iniquis hominibus nimium atteri; id deinceps ne fiat, districte » prohibet. Actum in palatio Florentino XIII. kal. Decembris. Subscribunt Petrus » Pistoriensis episcopus, Guido comes, ejusque filius cognominis Guerra vocatus, » Paganus Romanæ ecclesiæ cardinalis, & alii. Ad hæc omnes illius congregationis possessiones confirmat, maxime eorum, qui *in sancto loco illo, a quo sancta illa congregatio nomen accepit, conversantur, eorumque qui in posterum eo conventuri essent, ad retinendam monasticam religionem & bonam consuetudinem sanctæ memoriæ domini Johannis abbatis majoris, qui universæ sanctæ congregationis istius bonus inceptor & ordinator fuit; ut secundum dispensationem & ordinationem domini Bernardi & sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, qui universæ sanctæ congregationi modo*, inquit, *præesse videtur, & Theoderici præpositi, qui ab eodem Bernardo abbate, & ab universa Vallumbrosana congregatione in regimine totius congregationis ordinatus est.* Actum in monasterio sancti Salvatoris Aretino. His litteris appositum est signum Guidonis comitis, qui scribere nesciebat.

LXXIII. Gebehardus Constantiæ episcopus pulsus.

* Petershausen.

Hoc ipso anno Gebehardus Constantiensis ad Rhenum episcopus e nostris sede sua expellitur, intruso in ejus locum a schismaticis Arnolfo, seu Arnoldo, sancti Galli monacho, fratre Heinrici comitis de Sancto-Monte, agente Vodalrico seu Udalrico abbate sancti Galli, qui Heinrici imperatoris partes, ut alias diximus, sectabatur. Tunc suburbani sancti Petri * abbas erat Theodericus, in Gebehardum optime affectus, qui multas ab Heinrico comite intrusi fratre injurias passus est, quod legitimo pastori constanter adhæreret. Sed tandem restitutus in sedem ab Heinrico V. Gebehardus, illatas Theoderico, ejusque monasterio injurias compensavit. Superstes fuit ad annos septem optimus præsul, legati dignitate ab Urbano honoratus, mortuus anno MCX. cum illi ecclesiæ annis viginti-septem per multas tribulationes præfuisset, ut in chronico Constantiensi legitur. Udalricus ejus successor, quod episcopalis honoris insignia ab Heinrico V. accepisset, consecrationem obtinere non potuit a Paschali papa, ad quem Theodericus abbas non semel ejus rei causa missus est. Curavit nihilo minus, ut Conradus ejusdem sedis episcopus, prædicti sancti Petri monasterii auctor, in sanctorum numerum referretur, & Brigantinum monasterium, quod Ruodolfus comes ejus consanguineus fundaverat, consecravit. Udalricus alter, prioris successor, abdicata dignitate, monachus in sancti Blasii monasterio factus est.

LXXIV. Erchemboldo abbati & alius indulta privilegia.

b lib. 65. n. 23.

c ibid.

In superioribus [b] actum de origine Schirensis monasterii, quod ob varias sedes varia nomina sortitum est. Secunda ejus sedes fuit apud Vispacum, quo nomine Paschalis papa *Erchinboldo abbati venerabili monasterii sancti Martini, quod in loco Vispaco situm est*, apostolicæ tutelæ privilegium indulsit cum libera eligendi abbatis facultate. Datum Beneventi XI. kal. Decembris hoc anno, indictione XI. Idem pontifex anno sequenti consimile aliud privilegium concedit eidem *Erchinboldo Usinhovensi abbati*, quæ altera sedes est monasterii, ut alias observatum. Supervixit ad annum MCXI. Erchinboldus seu Erchemboldus abbas, post annos quatuordecim præfecturæ: cui successit Bruno, vir nobilissimus, filius scilicet materteræ Heinrici imperatoris, quem Brunonem vetus chronographus Schirensis a beato Willelmo abbate *adhuc superstite* missum perperam dicit. Is in secunda monasterii sede mox dicta per octo annos sedisse numeratur, sub quo tertia demum mutatio in Schiram facta est, ubi totidem annos perstitit.

ANN. CHR. 1104.

LXXV. Trecense concilium.

JAm veniendum est ad annum millesimum centesimum quartum, quo Richardus Albanensis episcopus a Paschali in Galliam missus est ad impertiendam Philippo regi absolutionem, quam postulabat. Primum omnium concilium habuit legatus apud Trecas, cujus mentionem facit Ivo episcopus in epistola ad ipsum Richardum, aliique: sed quo præcise tempore hoc concilium celebratum sit, docet nos diploma Hugonis Campaniæ comitis pro Molismensi cœnobio, cui donationem S. Walburgis ecclesiæ,

ANN. CHR. 1104.

ecclesiæ, anno superiori factam, in eodem concilio confirmavit. Episcoporum quoque, qui eidem concilio interfuerunt, pleraque nomina uti & abbatum discimus ex eodem diplomate, cujus hæc verba. *Acta sunt hæc apud Trecas* V. *nonas Aprilis, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quarto, indictione* XII. *Epacta* XXII. *concurrente* V. *in sede Romana vicem apostalicam gerente domno papa Paschali, Richardo Albanensi episcopo, apostolicæ sedis legato, de negotiis ecclesiasticis in generali concilio Trecis tractante, Philippo episcopo eidem ecclesiæ præsidente, Francorum regnum Philippo & filio ejus Ludovico regente, Hugone comite filio Theobaudi Campaniæ comitatum Dei gratia retinente: cujus largitione præscriptarum rerum donatio concessa, auctoritate corroborata, petitione in ecclesia Trecensi coram omni synodo recitata, a præfato Richardo cardinali approbata, & a consedentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus collaudata, immo tam clericorum, quam laicorum judicio est generaliter confirmata: de quibus aliquos nominamus, & ad corroborationem hujus cartulæ hic inscribendos judicavimus. Daimbertus archiepiscopus Senonensis, Rodulfus Turonensis; Ivo episcopus Carnotensis, Humbaudus Antissiodorensis, Herveus Nivernensis, Marbodus Redonensis, Robertus Lingonensis, Norgandus Eduensis, Hugo Catalaunensis, Philippus Trecensis, & clerici ejus... Abbates hi interfuerunt, domnus Robertus primus Molismensis cœnobii abbas, Hilgoldus Majorismanasterii abbas, Lambertus Pultariensis, Rodolfus S. Petri Insulæ-Germanicæ, Otto Adremarensis.* Laïcorum nomina hic prætereo, quæ in Appendice videre licet, ubi hoc diploma integrum referemus.

Post concilium Hugo comes Molismum profectus est cum Guillelmo comite Nivernensi, ibidemque sollemni pompa exceptus a Rotberto, cui alteram partem villæ Ruminiaci, cujus unam prius jam dederat, liberaliter contulit. quæ omnia anno MCVIII. rata habuit, cum Jerosolymam profecturus esset. Eamdem Rumiliaci donationem Adela Blesensis comitissa, Stephani comitis conjux, Rotberto abbati apud Sparnacum, & postmodum cum filiis suis, Guillelmo, Theotbaldo & Stephano, apud Columbarium confirmavit.

LXXVI. Godefridus abbas electus episcopus Ambianensis.

Inter ea vacabat Ambianensis sedes, post Gervini scilicet episcopi abdicationem, qui rebus adversis vexatus, dimissa dignitate ad Majus-monasterium secesserat, muneris haud bene gesti pœnitentiam acturus. Post ejus discessum, præmissis jejuniis ac precibus, de eligendo successore actum est. Tandem electus Godefridus Novigenti in pago Laudunensi abbas, cujus sanctitatis fama illas oras penetraverat. Probata ejus electio a Philippo rege, cui jam dudum Godefridus pro sua sanctitate acceptissimus erat. His muniti suffragiis Ambianorum legati ad Trecense pergunt concilium, cui Godefridus ipse aderat, eumque a clero & populo electum, rege quoque assentiente, testantur. Placuit omnibus hæc electio, præterquam ipsi Godefrido, qui fugam meditabatur. Verum interceptus a Richardo cardinale & episcopis in medium adducitur, & ab omnibus Ambianorum episcopus acclamatur. Hæc Nicolaus monachus in ejus vita. Rem paullo aliter refert Guibertus[a] Novigenti post eum abbas, in ejus causa nonnihil suspectus. Ait quippe Godefridum, cum sedes Ambianensis biennio vacasset, ut erat in rebus gerendis versutissimus, procuratorem factum fuisse cujusdam illius urbis archidiaconi, cujus electioni quidam e clero & « populo suffragabantur: sed cum alteri id peteret, ipsum expetitum fuisse; & cum « ab omnibus, etiam ab iis, qui ipsi præerant, pontificibus, veluti totius religionis « speculum, spectaretur, repente ad id, quod utrum affectabat, an verebatur, novit « Deus, emersisse. Verum hæc Guiberti suspicio nonnihil maligni redolet, uti & « quod addit ad insinuandam lectoribus suspicionem affectati a Godefrido episcopatus, sumto inde argumento, quod ejus initia *solita plena laudis* fuerint; cui extrema nequaquam responderint. cujus rei contrarium ex Godefridi factis, etiam postremis facile evincitur.

[a] *Guibert. lib.* I. *de vita sua c.* 2.

LXXVII. Novigentum redit.

Post hæc Trecis Novigentum revertit Godefridus, tempus consecrationis suæ, & reditum Manassæ archiepiscopi, qui & ipse Trecensi concilio interfuerat, ipsumque consecraturus erat, præstolaturus. Abest a Novigento vix duobus milliaribus vicus, Guniacus* vocabulo, ubi residebat pia matrona, Emma nomine, castissimam vitam & piis operibus exercitam ducens, quæ Godefridi consiliis regi consueverat. Hæc futuram ejus absentiam ferre impatiens, Deum precata est, ut se ante ejus discessum e vita eriperet, quo a viro Dei sepulturæ mandaretur. Factum est ut petierat.

* *Guny.*

ANN. CHR. 1104.

Mox e febre decumbit, morbo invalescente a Godefrido ungitur, *sacramenta dominica* ex ejus percipit manu; tum moritur, & in ipso monasterio ab eodem honorifice humatur.

Consecratur episcopus.

Interim Remos reversus est Manasses archiepiscopus, moxque a proceribus Ambianorum Godefridus illuc perducitur. Magnus eo totius regionis episcoporum fit concursus, in quibus erant Lambertus Atrebatensis & Johannes Morinensis antistites, pietate & eruditione insignes, Godefrido in primis addicti. Dum ille consecraretur, atque de more capiti ejus imponeretur evangeliorum codex, eo explicato statim occurrit ex Luca hic versus: *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* quod ab omnibus non casu, sed cælesti quodam indicio factum creditum est. Ut enim Johannes-Baptista, sic Godefridus matrem habuit Elisabetham, decem annis sterilem & senescentem, &, ut ille, viam Domino paravit. Peracta consecratione novus præsul Ambianos proficiscitur: adventanti urbs tota obviam ruit. Ubi ad beati Acheoli martyris ædem extramuranam pervenit, e jumento desiliit, & per asperrimam viam, stipantibus hinc inde Lamberto & Johanne mox dictis episcopis, ad beati Firmini martyris ecclesiam nudis pedibus processit: ubi concionem habuit, cui qui præsentes adfuere testati sunt, numquam se a quoquam tam divina, tam sublimia audiisse. Et re quidem vera Godefridus eximiæ facundiæ erat, ipso Guiberto [a] testante, ejus tempore homines Novigento lætius sua impendisse, quam filii eorum ipsi Guiberto bona verba impenderent. Idem asserit, Godefridum in prima illa concione protestatum fuisse, se ardua semper sectaturum. Certe, ut scribit Nicolaus, plus factis quam dictis suos instituere studebat, ita ut etiam tacente lingua, moribus & exemplis eos erudiret. Eadem illi, quæ ante, modestia; non cultior aut pretiosior habitus. Monastico cucullo indutus, pallio non valde ambitioso opertus erat. Ad mensam quotidie tredecim pauperes admittebat, cum pedes eorum prius lavisset. Denique orphanorum & miserorum maxima illi cura erat. Ad missæ sacrificium, quod quotidie celebrabat, vultum angelicum cum summa gravitate præferebat, quam angelica itidem puritas comitabatur. Primo suæ ordinationis anno ecclesiam sanctorum Viti & Modesti de Ligniaco contulit monachis sancti Martini a Campis, ad supplenda eorum necessaria. *Actum in ecclesia Ambianensi anno* MCIV. *dominica incarnationis, indictione* XII. *rege Francorum Philippo, duce exercitus filio suo Ludovico, consule Ambianensi Engelranno, episcopatus Godefridi anno primo.*

a ibid.

LXXVIII. Guibertus fit abbas Novigenti.

b ibid. c. 3.

Godefrido itaque ad Ambianensem ecclesiam translato, in abbatis locum electus est Guibertus, ejus loci monachis antea, nisi forte ex fama, prorsus incognitus. quod nullo suo ambitu, immo se minime conscio, nulla propinquorum suorum sollicitatione factum ipse [b] asserit. Ipso die quo illic susceptus est, quidam ex eis monachus, eventuum curiosus conjector, cum obviam novo abbati procederetur, textum evangelii de industria super altare eo consilio posuit, ut quod in capitulum oculos primum defigeret Guibertus, pro ejus præfecturæ auspicio esset. Erat autem liber, inquit, manu scriptus, non paginis, sed columnis. Aperto itaque libro, in columnæ tertiæ medium ille conjecit oculos, ubi locus sic habebat: *Lucerna corporis tui est oculus.* quod conjector ille postmodum Guiberto retulit, & rem ad mentem suam bene successisse dixit. Guibertus vero Deum contestatur, se, quamvis peccatis sordidum, tamen inter adversa, quæ a suis passus est, semper bonam erga eos voluntatem habuisse, & de eorum profectu & salute perquam sollicitum fuisse. Tempus porro quo susceptus est ipse indicat: *Erat autem dominicum præsto natale, cum Isaias legitur,* scilicet, *Apprehendet vir fratrem suum, domesticum patris sui* &c. quod in vigiliis nocturnis feria quinta dominicæ primæ Adventus legitur. qua occasione Guibertus sermonem de hoc capitulo ad fratres habuit. Quo animo ad abbatialem dignitatem accesserit, ipse multis ad Deum fusis sermonibus [c] exponit in hæc aliaque verba. *Tu scis, cordium renumque præcognitor, quia tale quid nullatenus affectabam: respui tamen aut reprobari fœde nolebam; teque præcordialiter exorabam, ut sic immunis a cæpto fierem, quatinus & verendum, & quod immodice extimescebam onus non subirem; nec, utpote fragilis, ex mei refutatione deficerem. Non te latuit, Deus meus, quam ægre tulerit mater mea delationem quæ videbatur honoris, sibi autem intolerandi mœroris: nec mihi quippiam tale contigisse volebat, in quo periculum ætatis adhuc nesciæ metuebat: præsertim cum ignarus rerum forensium penitus essem, nimirum quas solis litteris*

c id. lib. 1. c. 18.

quondam intentus nullatenus addiscere curavissem. Addit matrem bona & mala sibi eventura, quæ tum, cum hæc scriberet, experiebatur, prædixisse.

ANN. CHR. 1104.

LXXIX. S. Petri-Vivi privilegium assertum.

Prædicto Trecensi concilio interfuit Arnaldus abbas sancti Petri apud Senonas, qui monasterii sui privilegii confirmationem a patribus obtinuit, & Gausbertum decanum cellæ Mauriacensis, Casæ-Dei monachum, præceptis suis inobedientem & rebellem deponi fecit, & Petrum de Sancto-Balderio e suis in ejus locum substituit. Hæc ex Clarii monachi chronico, in quo prædictum concilium recte v. kal. Aprilis habitum dicitur, uti [a] superius notatum est: sed in anno erratum. Neque enim anno M C V. ut ibi legitur, sed anno præcedente celebratum est. Similis error in eodem chronico, ubi Arnaldus abbas anno M C IV. Romam petiisse dicitur, & privilegium de omnibus monasterii sui rebus impetrasse IV. idus Novembris a Paschali papa, ibique invenisse Richardum (legendum Anselmum) archiepiscopum Cantuariensem, quem anno M C III. Romæ exstitisse, & sequenti anno Lugdunum reversum fuisse ex dictis constat. In reditu e concilio Arnaldus abbas a *Robertinis*, ut vocabant, militibus, instinctu Petri-Armari militis, qui iniquas cellæ Mauriacensi consuetudines imponebat, comprehensus, retrususque in carcerem in castro pagi Lemovicini Ventaduro, demum a Petro Claromontensi episcopo liberatus est.

a *supra n. 75.*

Ferrarienses abbates. b *lib. 63. n. 66.*

Gualtero [b] abbati Ferrariensi suffectus est Otgerius hoc anno, quo ei Paschalis papa apostolicæ tutelæ privilegium indulsit, datum Laterani III. idus Novembris, indictione XII. pontificatus anno V. In hoc diplomate monasterium Ferrariense a quodam sanctæ memoriæ duce Wandelberto antiquitus conditum & dotatum fuisse dicitur. Inter alias vero ejus possessiones fit mentio de cella S. Judoci, quæ ad Ferrarienses etiam tunc pertinuisse dicitur: de qua nulla deinceps mentio in Ferrariensibus monumentis. Otgerio abbati successerat Henricus anno M C XXVII. seu potius M C XXXII. quo Ludovicus Crassus Ferrariensibus apud Loriacum * confirmat omnes immunitates, quas Philippus ejus pater eis concesserat. Eidem Henrico abbati Henricus Senonum archiepiscopus confert ecclesiam de Braulis anno M C XXXIII. pontificatus anno decimo, cujus in litteris mentio fit sanctimonialium de Rosceto, de quarum origine in præsens agendum est.

* *Lory.*

LXXX. Elisabeth conditrix parthenonis de Roseto.

In ipso pago Wastinensi, ubi situm est Ferrariense monasterium, exstat vicus de Roseto *, duabus fere a Curtiniaco * leucis, ubi sæculo duodecimo ineunte puellare monasterium conditum est. Ejus auctor fuit Elisabetha, a loco Rosa cognominata, primum sanctimonialis in Calensi monasterio agri Parisiensis, Rodulfi comitis, ut creditur, Crispiacensis & Adelæ Barri ad Albam comitissæ filia, adeoque beati Simonis Crispiacensis soror. Sane Radulfus Crispiaci comes duas habuit filias, unam Adelam nomine, Theobaldo Campaniæ comiti primum, dein Heriberto IV. Viromandensi comiti nuptam: alteram, cujus nomen reticent historici, quam non aliam ab Elisabetha nostra esse verisimile est. Id argumento esse potest, quod Radulfus Viromandensis comes, Strenuus dictus, Franciæ Senescalcus sub Ludovico VI. filius Hugonis Magni Viromandensis comitis ex Adela Heriberti IV. filia, regiæ protectionis litteras a Ludovico VI. postulavit pro Calensi monasterio, cui forte in Elisabethæ propinquæ suæ gratiam benevolus erat. Hæc porro Elisabetha, facultate a Calensi abbatissa ægre obtenta, majoris solitudinis, arctiorisque vitæ studio e monasterio egressa cum duabus sanctimonialibus primo Milidunum, dein Castrum-Nantonis petiit, & in proximo loco, Roseto nomine, deserto & inculto sedem cum illis fixit, & humiles construxit casas. Sed cum locus iste ob paludes valde incommodus esset, vixque illis necessaria suppeterent; duæ illæ Elisabethæ sociæ animo deficientes, ad pristinum monasterium reverti constituunt. Sola ergo cum esset Elisabetha, in cavam quercum se abdidit, pomis silvestribus crudisque radicibus vitam utcumque sustentans, ludibria subinde a rusticis pastoribus perpessa, quibus nequaquam a proposito deterreri potuit. Auxit sanctitatis famam tanta constantia, cujus rumore animatæ duæ sanctimoniales Calenses, Constantia & Acvis, quæ ejus soror dicitur, eam conveniunt, seque eidem sociam adjungunt. Tum vero earum religione animati accolæ, ludibria & jocos in venerationem convertunt, monasterio condendo opem conferunt: ubi plurimæ virgines Elisabethæ disciplinæ se subjecere, & magna vitæ districtione ibidem floruere. Denique virgo sancta, plurimis miraculis editis, ad cælum migravit idibus Decembris sub annum M C XXX. cujus cor-

* *Rosoy.*
* *Courtenay*

ANN. CHR. 1104.

pus post aliquot annos integrum repertum est. Aliquanto post ejus obitum Petrus de Curtiniaco, Philippi-Augusti Francorum regis patruus, pro remedio animæ suæ Deo & ecclesiæ beatæ Mariæ de Roseto villas Hervavillæ, Maresvillæ, aliaque contulit, laudantibus Elisabetha ejus conjuge, & Petro Nivernensi comite eorum filio, qui ecclesiam de Roseto, Adam abbatissam, & Adam priorissam, totumque conventum de hac eleemosyna investierunt, ut fusius legitur in ipsius Petri literis in historia Wastinensi [a] relatis cum charta Petri comitis ejus filii, qui parentum donationem anno M CC III. ratam habuit. Ibidem etiam Lucii III. & Martini IV. bullæ referuntur pro monasterio de Roseto: quod Anglorum bello penitus eversum est, sanctimoniales vero translatæ ad prædium suum Villæ-cassonis [*], ibidem monasterium condidere, ubi hactenus consistunt: quo in loco sancta Elisabetha annuo festo colitur. Eadem in necrologio Paraclitensi memoratur his verbis: *Idibus Decembris Elizabeth Rosetis cœnobii fundatrix.* quod forte argumento est, eam pervenisse saltem ad annum M CXXIX. quo Paraclitense monasterium a sanctimonialibus Argentoilensibus inhabitari cœpit.

a *Morin. p.* 591. *& seqq.*

* *Villechasson.*

Fontis-humidi monasterii initia.

Hoc anno construi cœpit Fontis-humidi [*] monasterium, quod Regniacensi abbatiæ Ordinis Cisterciensis originem dedit. Positus est iste locus in diœcesi Æduensi circa fines diœcesis Autissiodorensis juxta opidulum, quod Juga [b] vocatur. Illic duo presbyteri eremitæ, Girardus & Warinus, monasterium construere statuerunt, quibus fundum suppeditarunt Ansericus miles de Avalone, & Wido de Nuceriis [*] in prædio, quod tunc sancti Petri dicebatur, postea Fons-humidus, corrupte *Fontismus* appellatus. quæ donatio confirmata est a domno Odone de Avalone & Milone de Nuceriis, a quibus milites illi prædictum locum in feodum tenebant. Eamdem donationem Hugo dux Burgundiæ, cum Avalonem venisset, anno sequenti confirmavit, præsentibus Rotberto Lingonensi, & Henrico Æduensi episcopis. Illic itaque prædicti eremitæ, ab hominum consortio remoti, terram excolere cœperunt, ut labore manuum suarum sibi victum compararent. Aucto monachorum numero præpositus est eis prædictus Girardus, abbas ejus loci primus, cujus tempore Petrus de Monte-regali, Æduensis canonicus, monasticum inibi habitum anno M C XV. induit, in cujus gratiam ejus propinqui multa eidem loco beneficia contulere. Triennio post Landricus de Prajaco cum conjuge Elisabetha, accepto in manus fragmento marmorei lapidis, quod forte ibi inventum est, venit ad altare, & simul cum illo fragmento donum prædii sui Ulduni super altare posuit. quod Stephanus Æduensis præsul ratum habuit, cum illic sacros ordines sabbato hebdomadæ pentecostes celebraret. Quin etiam Humbaldus Autissiodorensis præsul cœnobium beneficiis suis, quantum potuit, sublimavisse traditur. Post annos duodecim monasterium istud translatum est Regniacum [*] diœcesis Autissiodorensis, ut suo loco dicturi sumus.

* *Fontemoi.*
b *Jug.*
* *Noyers.*
* *Regny.*

LXXXI. Casali-benedicto privilegium datum & alia.

Interim crescebat monachorum numero & censu Casalis-benedicti cœnobium Andrea primo ejus abbate, cui hoc anno Paschalis papa privilegium indulsit, *Dilecto filio Andreæ abbati monasterii S. Petri* inscriptum, statuens, *ut in ipso monasterio disciplina regularis conservetur, quam juxta Vallumbrosanorum fratrum consuetudinem ab ipsis illic initiis* idem Andreas instituerat. quod iisdem verbis Urbanus II [c]. statuerat. *Datum Laterani v. kal. Decembris per manum Equitii agentis vices cancellarii, indictione XII. anno dominicæ incarnationis* M C IIII. pontificatus autem domni Paschalis II. *anno* V. Eodem anno Leodegarius Biturigum archiepiscopus dedit per manum Andreæ abbatis monachis ejusdem loci ecclesiam de Polinis cum suis adjunctis. Biennio post Gaufredus Isoldunensis castri dominus, annuente Adelisia uxore, eisdem donavit pro anima parentum suorum Odonis & Beatricis mediam partem salis, quem in castro Suldunensi percipiebat. Anno sequenti Radulfus dominus castri Dolensis & alii viri nobiles qui ad festivitatem sancti Petri in Vinculis occurrerant, nonnulla Andreæ abbati fratribusque ejus contulerunt in silva Boscontale. Quæ *donatio facta est anno* M C V. *indictione* XIII. *in claustro Casalis-sancti-Petri kalend. Augusti, cum convenissent cum archiepiscopo Leodegario maxima turba hominum ad festum beati Petri apostoli.* In alia charta *Aldeburgis fieri volens monacha* tribuit Andreæ abbati & ejus fratribus, quantum ad se attinebat, capellam sancti Leodegarii cum medietate terræ arabilis totius mansi, quod ibi habebat &c. Alias minutiores donationes, eidem monasterio Andrea abbate factas, prætereo.

c *lib.* 69. *n.* 17.

ANN. CHR. 1104.

Duellum pro Nobiliaco.

Hoc ipso anno, quo Willelmus Aquitaniæ dux Jerosolymis rediit, cum eo itidem illinc reversus Willelmus quidam, Theotbaudi grammatici filius, duci acceptissimus, qui ab eo Pictaviensis præpositus factus est. Hoc ille inflatus honore, Nobiliacensibus monachis non modicam intulit injuriam, moletrinas duas eis anferendo apud Cassannas. qua injuria tacti Nobiliacenses, rati id sibi ob peccata evenisse, Deum pœnitentia flectere constituunt. Tum delatæ querelæ ad Hugonem de Liziniaco, monasterii defensorem, qui itidem ipso anno Jerosolymis redierat. Hugonis & Nobiliacensium querelis pulsatus dux, ægre demum acquiescens ad causam dirimendam duellum indixit. Conditionem, licet repugnanter, admisere Nobiliacenses. Conductus ex utraque parte pugil: locus duelli assignatus in Pictavensi insula, in qua id genus duella fieri consueverant. Adfuere utrimque spectatores, scilicet filius comitis cum suo pædogogo, aliique in ipsa insula: extra insulam Gunbaudus abbas sancti Benedicti Quinciaci, Hugo de Liziniaco, & innumeri Pictavenses. Præmissa oratione, manus conserunt pugiles: sed tandem Nobiliacensibus victoria cessit. Actum anno ab incarnatione M C IV. idibus Junii, indictione XII. Id contigit Gaufrido seu Goffrido Nobiliaci abbate, cujus tempore Jordanus de Castro-Achardi, annuente Amelia conjuge, filium suum Jobum ibidem cum aliis donis obtulit, ut sub monachi habitu pro parentum, propinquorumque suorum excessibus Deo serviret. Gaufrido abbati successit Radulfus, de quo infra. Ejusmodi monomachiæ ab Ivone [a] alisque merito improbatæ.

a Ivo ep. 145.

LXXXII. Benedictus abbas S. Cypriani Romam petit.

Interea Pictavenses sancti Cypriani monachi, cum pro libertate per annos ferme quatuor cum Cluniacensibus decertassent, Bernardum abbatem, quem in Normanniam anno superiore migrasse diximus, cum litteris Petri episcopi sui compellunt ut redeat, & laboranti ecclesiæ suæ succurrat. Reversus ille sanctum Cyprianum, post aliquot dies, paucis secum assumtis ex eremo sociis, asino vectus cum paupere amictu Romam petit, & ad Paschalis audientiam admissus, cur se abbatia privasset sciscitatur. Pontifex vero, qui multa de ejus sanctitate & constantia in concilio Pictavensi per Johannem & Benedictum cardinales resciverat, ipsum benigne auscultavit, eique interdictum munus restituit. Inde vir Dei, percepta pontificis benedictione, Pictavos reversus est: ubi aliquamdiu in pace perstitit: sed tandem ejus loci monachorum, qui exactam ejus disciplinam ferre non poterant, occultis fraudibus, & Cluniacensium iteratis molitionibus exagitatus, denuo Romam adire cogitur.

Pictavense concilium.

b lib. 69. n. 95.

Si non fallit charta monasterii Angeriacensis, habita est hoc anno altera synodus apud Pictavos per Johannem & Benedictum Romanæ ecclesiæ cardinales, qua in synodo sententia Burdegalensis concilii [b] de Marestasio lata pro Angeriacensibus monachis contra Maxentianos, reclamante Garnerio sancti Maxentii abbate, denuo in judicium revocata dicitur. Ad hoc examen deputati cum Petro archidiacono Burdegalensi Ramnulfus Santonensis, Petrus Pictavensis, Ivo Carnotensis, Engelrannus seu Ingelrannus Laudunensis, & Hugo Suessionensis episcopi: qui, auditis Maxentianorum rationibus, nihilo secius Burdegalensis concilii sententiam confirmarunt. Atque ut omnis occasio litis præcluderetur, quarumdam possessionum, quas apud Gorvillam Marestasio vicinam habebant Maxentiani, permutatio facta est, in capitulo Angeriacensi confirmata præsentibus Garnerio sancti Maxentii abbate, & Archimboldo ejus suppriore, Ramnulfo Santonensi episcopo, Fulcherio abbate Talniacensi [c], Goffredo Baciacensi, Petro archidiacono, & Willelmo priore sancti Johannis Angeriacensis. quod argumento est, Ausculfum ejus loci abbatem tunc defunctum fuisse. Actum anno incarnationis M C IV. indictione XII. non XI. ut in excerptis nostris lego. Ausculfi abbatis successor Heinricus anno sequenti cum Willelmo cumite pactum iniit super quibusdam consuetudinibus, quas comes in Angeriacensium obedientiis seu cellis exigebat. De Hugone Heinrici successore alias.

c V. lib. 67. n. 106. Angeriacenses abbates.

LXXXIII. S. Petri de Curte monasterium Moisiaco subjicitur.

d lib. 44. n. 13.

Dum Moisiacensi cœnobio præesset Asquilinus abbas, abbatia sancti Petri de Curte a Lesatensium ditione ad Moisiacensium jus translata fuisse perhibetur. De origine utriusque monasterii, Lesatensis scilicet ac sancti Petri de Curte in tomo tertio [d] egimus. Exstat in bibliotheca Colbertina codex mendose scriptus, continens gesta summorum pontificum & imperatorum, & sub finem chronicon monasterii Moisiacensis, auctore Aymerico de Peyrato abbate Moisiacensi, in quo, ubi de Asquilino abbate, refertur epistola Odonis abbatis Lesatensis ad Paschalem II. cui

ANN. CHR. 1104.

significat, quo pacto sancti Petri-de-Curte abbatiola, ut vocatur, quæ *justitia exigente* Lesatensium regimini subjecta erat, in jus & ditionem Moisiacensium transierit. Nimirum, cum ejus loci monachi a recto morum tramite aberrantes ad viam reducere tentasset, sed incassum, obsistentibus scilicet Clusensibus, qui abbatiolam illam invaserant, eam *magistrali ecclesia* Moisiacensi subdere coactus est, ut per Moisiacenses reformaretur. Hanc epistolam, etsi impolite scriptam, hic exhibere visum est.

* Odo.

Universali patri domino Paschali papæ frater O. Lesatensis abbas suus servus. Clareat majestati vestræ, pater generalissime, quod Geraldus abbas Lesatensis prædecessor noster abbatiolam de Curte, quæ justitia exigente sub nostro degebat regimine, nisus est orthodoxe ordinare, quatenus spurcitia eliminaretur inde, ac cultus Deo debitus redderetur, & ad unguem perduceretur, nisi invasores Clusinenses monachi sinistra manu obstitissent, atque fratribus loci illius apprehendere disciplinam prohibuissent. Et ut persensit conventus Lesatensis, valde condoluit, & sæpius inde conquerens, metuensque ne sibi, cui loci illius cura pastoralis commissa fuerat, fratrum perennis perditio a districto judice exigeretur, tandem tale invenit consilium, quod causam & curam illius abbatiolæ, sibi commendatæ, magistrali suæ ecclesiæ Moisiacensi tribueret: ut, quod ipsa Lesatensis ecclesia sua impotentia implere minime valebat, Moisiacensis famosissima ecclesia suppleret. Tali reperto consilio a fratribus nostris altioris consilii, venitur in capitulum, ibique revelato, ut moris est, negotio, communi assensu omnium fratrum præfatus abbas Geraldus Lesatensis privilegium nostrum de Curte Moisiacum detulit, atque jus nostrum ac regimen de abbatiola de Curte domino abbati Asquilino, successoribusque ejus cessit in perpetuum. Hujus rei ego supra taxatus, ut ceteri consodales, gratus laudator exstiti, & adjutor atque cooperator in omnibus assiduus fui. quod si forsan dubitatur, legendo compendiose cognoscatur: quia quod tunc patri spirituali laudavi monachus, nunc longe melius laudo, modisque omnibus adstipulans confirmo illa, in honore regiminis positus. Sed quia me idem testimonium corroborandum vestra sibi præsentari jussit paternitas, hoc libens gaudensque fecissem, nisi carnis obstitisset infirmitas.*

Hactenus Odonis epistola, quam Paschali papæ misit, cum præ corporis infirmitate Romam proficisci non posset, ubi scilicet adversus hanc subjectionem coram pontifice litem moverant Clusenses: sed tandem, illis evictis, tenuit illa subjectio, ut in illo chronico Moisiacensi legitur.

LXXXIV. Moisiacenses & Lesatenses abbates. a lib. 68. n. 10. * Senac.

Ad Asquilinum Moisiacensem abbatem quod attinet, is Hunaldo [a] successerat anno M XCI. Hic majorem ecclesiæ portam & claustrum ab se constructum præclaris statuis ornavisse traditur, & cellam de Senaco * in diœcesi olim Petragoricensi, nunc Sarlatensi, erexisse: cujus in ecclesia Christi domini crucifixi statua posita fuit, tam affabre sculpta, ut non humano, sed divino artificio facta videatur, prædicto Moisiacensi chronographo testante, eam duabus aliis, quæ tum in Lucana Italiæ civitate, tum in Carrofensi monasterio celebrantur, præcellere. Mitto aliam ejusmodi præclaram statuam, quæ hactenus in Ruensi ecclesia diœcesis Ambianensis visitur. Præter hæc idem abbas multa eidem monasterio acquisivit. adeo ut inter præstantes ejus loci abbates censeatur. Ei successerat anno M C XV. Rogerius abbas, sub quo nihil memoratu dignum occurrit. De ejus successore Guillelmo in consequentibus egendum.

De Odone Lesatensi abbate, cujus epistolam mox retulimus, duo tantum addo: unum, quod Guillelmus comes Tolosæ & Pictavorum, eo nomine IX. Lesatensibus concessit aream Tolosæ ante portam castri Narbonensis anno M C XV. alterum, quod Rogerius Fuxi comes, assensu filiorum suorum Rogerii, Bernardi & Petri, eisdem omnimodam immunitatem apud Lesatum indulsit anno M C XX. *in castro de Saverdun, in secundo anno quando fuit ædificatum.* Odonis abbatis successores fuere Atto seu Antonius, Guillelmus de Castro-novo, antea prior Tolosæ in ecclesia beatæ Mariæ Deauratæ, & Vivianus.

LXXXV. S. Marcello Floriacus assertus. * l'Ouche.

Ex variis donis, quæ rex Guntchramnus Cabilonensi sancti Marcelli basilicæ contulit, non minima fuit villa Floriacus, ad Oscaram * fluvium in Divionensi pago sita, ubi a posteris cella monachorum erecta est. Illic servos contra jus usurpaverat Otto Burgundiæ dux, & post eum Hugo ipsius filius idem jus retinebat. Conquesti sunt hac de re sæpius, at incassum, sancti Marcelli prior & monachi, donec prioris dignitas devenit *ad domnum Hugonem venerandum Lugdunensem archiepiscopum, Hu-*

ANN. CHR. 1104.

gonis nepotem: qui cum ad prædictam villam *causa placitandi* venisset, illic ducem hospitio excepit. Dum ibidem dux versaretur, ipse Hugo prior apud eum ioterventorem adhibuit *Josferandum cantorem Cabilonensis ecclesiæ, Rainerium ducis dapiferum, Tescelinum cognomine Sorum*, Bernardi postea Claræ-vallensis abbatis parentem; *Bernardum de Monteforti, Warnerum de Sombernone, atque Milonem de Frolles*, aliosque *ducis familiares*, rogans, ut prædictam villam hac servitute liberaret. Horum consilio dux persuasus, suum ipsius & patris erratum agnovit, servitutem remisit, eo pacto, ut prior ipsi palefridum daret cum ducentis solidis mooetæ Divioneosis, & anniversarium patris sui io perpetuum illic institueret. Hoc pactum postea ratum habuit idem dux Hugo, fratre suo Heinrico assentiente; & chartam ea de re confectam *in camera Divionensis abbatis, nomine Jarentonis, posuit in manu venerabilis Hugonis archiepiscopi Lugdunensis supra nominati, laudantibus & consentientibus Hugone ducis dapifero, Widone & Rainaldo de Grancey, Waltero conestabulo, & pluribus aliis, in præsentia reverendorum episcoporum Roberti Lingonensis, Berardi Matiscensis, & Hugonis Antisiodorensis abbatis, in præsentia Hugonis Trecensis comitis, & multorum canonicorum Trecensium, anno ab incarnatione Domini* MCIV. *indictione* XII. ut fusius apud Chiffletum[a] videre licet. Ex his litteris iotelligitur, Hugonem Diensem primo antistitem, dein Lugduneosem, ex stirpe Burgundiæ ducum prodiisse, & sancti Marcelli priorem fuisse, forte etiam monachom. Neque enim veri simile est, tuoc temporis sæculares monachorum priores exstitisse.

a *Chifflet. de gen. S. Bern. p.* 425.

LXXXVI. Monasteria quædam duplicia improbata in Hispania.

Io Hispania & io Anglia novum duplicium mooasteriorum genus sæculo sexto inventum est cootra regulas canonicas & mooasticas, ut coojugati cum liberis suis commuoiter habitarent. quod merito improbavit concilium Ilerdense, tum sanctus Fructuosus abbas io Hispania, qui regulam communem longe diversam composuit; & in Anglia venerabilis Beda, ut io tomo primo [b] Aooalium nostrorum dictum est. Illorum mooasteriorum reliquias etiam sæculo duodecimo superfuisse discimus ex epistola Paschalis II. ad Didacum Compostellanom episcopum hoc anno scripta, in qua hæc verba. *Illud omnino incongruum est, quod per regionem vestram monachos cum sanctimonialibus habitare audimus. ad quod resecandum experientia tua immineat: ut & qui inpræsentiarum simul sunt, divisis longe habitaculis separentur, prout arbitrio & religiosorum virorum consilio melius visum fuerit, neque in posterum consuetudo hujusmodi præsumatur.*

b *V. lib.* 13. *n.* 40. *&* 42.

LXXXVII. Bruno episcopus Signiensis fit Casini monachus.

In Italia per id tempus Bruoo [c] Signiensis episcopus, in Apuliam cum Paschale pootifice profectus, in morbum incidit: eaque usus occasione, redeuodi facoltate obteota, Casioum adiit, &, quod diu optaverat, dimisso episcopatu, monasticum ioduit habitum. Id ubi rescivere Signienses, tanti pastoris non fereotes absentiam, pootificem interpellarunt, ut ad ecclesiam suam regredi compelleretur. Tum missi Casinum a papa oontii, apostolicæ sedis auctoritate præcipiunt, ot ad ovium suarum curam redeat. Ad hæc Bruoo ad amicos cardinales, ut pootifici suam dimissionem approbeot, scripsit io hunc modum. *Cuncti procul dubio sciunt, qui in Romana ecclesia sunt, quia, nisi contra ecclesiam schismaticorum sævisses insania, quod modo egi, multis jam annis implessem. Nunc vero quia Romana ecclesia, Petro claves regente, tota per orbem Christi Dei nostri gratulatur ecclesia, ventorum jam turbines silent, maria pacata quiescunt: quod Deo semel voveram, reddere cogor. Melius est enim non vovere, quam vovere & non reddere. Quod si quis objiciat, me semel acceptam episcopatus sarcinam non debuisse deponere; respondebo liberius, multos, qui pontificatus jura non deserunt, a sinistris esse statuendos, dicente Domino: Principes fuerunt, & non cognovi: duces exstiterunt, & non per spiritum meum. Porro qui recta intentione episcopatum dimiserunt, certum est eos de æterna felicitate perenniter in Christo gaudere. Mihi quidem exempla non desunt, quorum auctoritate fubnitar, eorum scilicet, qui relictis turbinibus sæculi quietam vitam delegere. Unde, quæso, summum pontificem orate, ne mihi ultra molestus sit, tranquillumque portum, in quem Christo duce perveni, ne me deserere cogat.* His Brunonis litteris accessere Oderisii abbatis Casinensis preces, ut virum Dei in suo monasterio militare permitteret. quibus demum pootifex cessit ad tempus. Verum ooo multo post cum Boamundo Antiochiæ priocipe, qui Constantiam Philippi Francorum regis filiam in conjugiom petiturus veoerat, io Galliam missus, synodum habuisse dicitur, sed quid in ea statutum sit ignoratur. Alias quoque obivit legationes: sed tandem Casinum reversus, post mortem Oderisii abbas eligitur.

c *V. lib.* 65. *n.* 53.

ANN. CHR. 1104

LXXXVIII. Theotgerus varia monasteria reformat.

a V. lib. 67. n. 124.

Inter ea Theotgerus [a] sancti Georgii in Hercinia silva abbas. varia illius regionis monasteria ad meliorem frugem reducere satagebat, scilicet Uttemburanum in Suevia, cui Robertum seu Rupertum, virum eximiæ sanctimoniæ, abbatem præfecit. Idem præstitum in monasterio, quod a possessore Hugonis-curia vocabatur, idem etiam in Augustensi S. Afræ cœnobio: cujus loci abbas, qui abdicara dignitate artioris vitæ studio Theotgeri institutis informandum se tradiderat, petente episcopo & clero ad eumdem locum regendum remissus est. Is videtur esse Egino, qui ab Hermanno episcopo exagitatus Paschalis II. pontificatu, Pisis vita pissime excessit anno M C XXII. Sub ejus successore Hezilone Conradus Augustensis episcopus monachum induit. Ad hæc, Theotgerus Admontensi monasterio notæ sanctitatis virum præposuit, haud dubie Gisilbertum, qui Jerosolymam [b] profectus, apud Corozaim a Sarracenis martyrio affectus est. Denique missis in Gengenbacense monasterium discipulis, pristinum illic ordinem restituere cœperat, cum ad Mettensem episcopatum provectus est.

b Bucelin. to. 1. topogr. Germ part 2. p. 1.

Feminarum cœnobia condit.

Verum non tantum de virorum, sed etiam de feminarum salute sollicitus, monasteria illis ædificavit, in quibus exactam reclusionem servabant. Ex his unum erat Amptenhausense, a cella sancti Georgii quinque fere millibus disparatum, in quo centum circiter sanctimoniales congregavit. Ex his una illustris genere virgo, Beatrix nomine, pissime vixit, cujus corpus post aliquot annos incorruptum repertum est in ædicula ecclesiæ sancti Georgii foribus adjacente, ubi sanctimoniales illæ humari consueverant. Sed eximia in primis erat viri sancti caritas in egenos, maxime tempore famis, cui sublevandæ alienum æs grande conflavit, ita ut sexcentas argenti libras, mutuo acceptas, in quotidianos usus expenderit. Nec mirum proinde, si tam efficax ejus sermo fuerit, tum in conversione hominum, tum in dissidentium reconciliatione, quæ peculiaris ejus gratia esse videbatur.

LXXXIX. Fuldæ magna lues.

In chronico nostro Saxonico magna hoc anno aëris inæqualitas in Fuldensi monasterio fuisse perhibetur, ita ut in natali Domini multi ecclesiam petere non potuerint, petentes quidam Fulda flumine submersi sint. Huc spectat quod refert Willelmus Malmesburiensis libro tertio de gestis regum Anglorum, nimirum tunc temporis in cœnobio Fuldensi exitialem luem grassatam fuisse, quæ primum quidem abbatem corripuerit, mox complures monachos exstinxerit. Superstites primo sibi quisque timere, preces & eleemosynas largiores facere: sed, remittente lue ac metu, ut est natura hominum, pedetentim remittere cœperunt, præsertim cellerarius, qui palam clamitabat, non posse penum tot expensis sufficere. Sperasse se ex tot funeribus quoddam alleviamentum: at nihil spei esse, si quod vivi relinquerent, mortui consumerent. Is quadam nocte, cum in dormitorium pergeret, in capitulo omnes, qui illo anno decesserant, ex ordine conspexisse dicitur; a quibus, cum tremens effugere vellet, retractus, increpitus, & more monastico flagellatus sit, abbate in hunc modum loquente: Stultum est de morte alterius emolumentum quærere, cum eadem sors omnes maneat: at impium est, cum monachus totam vitam in Dei consumserit obsequium, ut careat saltem unius anni post mortem stipendio. Noveris ergo te brevi moriturum: sed quidquid pro te fiet, ad aliorum, quibus abstulisti, referetur commodum. Modo vero alios corrige exemplo, quos corrupisti verbo. Abiit ille, & visum non fuisse vanum, tam recentibus plagis, quam morte brevi subsecuta demonstravit. Ita fere Willelmus, quod Vincentius in Speculo historiali ad hunc annum refert. Tunc Fuldæ præerat Godfridus seu Gottifridus abbas ab anno M XCVI. quo Ruthardo successerat, depositus ad annum M C IX. ut scribit Browerus, cum Breviario Fuldensi, mortuus Coloniæ. Non itaque Fuldæ ex pestilentia obiit anno M C IV.

XC. Thariense monasterium.

* Teris.

In prædicto chronico Saxonico ad hunc annum Boto comes, cognomento Fortis, Erbonis Carinthiæ principis, & quondam palatini comitis germanus, jam plenus dierum non longe a Ratispone defunctus memoratur, & ad monasterium Thariense * quod ipse suis opibus & prædiis large dotaverat, delatus, ibique humatus fuisse. Tharissense monasterium vocat Trithemius, a quo Boso comes in Bavaria vocatur, qui hoc monasterium in diœcesi Herbipolensi juxta Moganum seu Mœnum fluvium exstruxit, quinque ferme ab urbe Babinberga in descensu fluminis milliaribus: ubi monachos e vicino Swarzacensi sanctæ Felicitatis monasterio posuit, quibus Embricum abbatem præfecit. Hæc Trithemius in historia Hirsaugiensi

ANN. CHR. 1104.

giensi ad annum M LXIV. qui Rutgerum e discipulis sancti Willelmi abbatis Hirsaugiensis eidem loco postea præpositum fuisse dicit. Idem auctor ad annum M C V. Botonem, & capite præcedenti Bottonem comitem palatinum de Witelsbach in Bavaria, cognomento Fortem, laudat, monasterii Tharisiensis in diœcesi Frisingensi fundatorem. At monasterium Tharissense, ut alias illud appellat ipse Trithemius, in Herbipolensi diœcesi situm erat, quod, erecta in sedem episcopalem Bamberga, ad ejus urbis diœcesim exinde pertinuit. Hujus loci abbas fuit Wigandus tempore Othonis Bambergensis episcopi, de quo plura inferius. Hoc item anno monasterium Aleslevense incendio deflagravit, ut in eodem chronico Saxonico legitur.

XCI. S. Cuthberti corpus incorruptum.

In Anglia dubitantibus nonnullis de præsentia corporis sancti Cuthberti episcopi in ecclesia Dunelmensi, & de ejus incorruptione, ad removendam dubitationem Turgotus ejus loci prior & monachi, præmissis jejuniis & precibus, IX. kal. Septembris hoc anno rei veritatem explorarunt. Ea re accepta conquesti sunt vicini abbates, quod eis haud monitis & invitatis id factum esset; flagitaruntque, ut ipsis etiam sacrum corpus ostenderetur. Post multas altercationes altera tandem ostensio facta est a Ramnulfo Dunelmensi episcopo, præsentibus Radulfo Sagiensi in Nortmannia abbate, postmodum Roffensi, ac demum Cantuariensi pontifice, Richardo sancti Albani, Stephano sanctæ Mariæ Eboracensis, & Hugone Selesbiensi abbatibus; necnon Alexandro Eadgari Scottorum regis fratre & postea successore, atque Willelmo tunc clerico Dunelmensis episcopi, & post Radulfum facto Cantuariensi archiepiscopo, quibus quadraginta tam monachi, quam clerici accesserunt. Facta est hæc incorrupti corporis manifestatio post annos ab ejus depositione quadringentos decem & octo, repertumque ad ejus caput extra loculum codex evangelii sancti Johannis, ab ipso Cuthberto & Boisilo præposito in septem quaternionibus scriptus; & intra loculum corpus omnino corruptionis expers ac flexibile, & cum eo caput sancti Oswaldi regis & martyris, ossa quoque sanctorum Aidani, Aidaberti, Eadfridi & Ethelwoldi atque venerabilis Bedæ, ut in libro de translationibus & miraculis sancti Cuthberti, apud Turgotum & Willelmum Malmesburiensem, fusius legitur. Quin etiam tempore Heinrici VIII. sub annum M D XXXVII. cum in Anglia sanctorum reliquiæ ab hæreticis effoderentur, & lipsana diriperentur, sacrum itidem beati Cuthberti corpus omnino integrum repertum est, atque alte humo infossum, ut Harpsfeldius testatur.

Glocestrenses abbates.

Hoc eodem anno Serlo Glocestrensis abbas post conquæstum primus, e vivis excessit V. nonas Martii, feria quinta post cineres, anno ætatis circiter sexagesimo-octavo, præfecturæ[a] vicesimo-tertio, monachis centum in conventu relictis. Eo cadente illius ecclesiæ murus, virtutis & justitiæ vindex cecidisse dicitur in versibus de eo editis, quos Willelmus Malmesburiensis[b] retulit, & Godefrido priori tribuit. Hic auctor Serlonem laudat, quod Glocestrensem locum ex humili & pæne nullo ad gloriosum statum provexerit: ubi discreta religio, quam suspicere possit infirmus, nec fortis possit contemnere. Porro Serlo ut bonis humilis, ita superbis minax atque terribilis fuisse dicitur. Ei successit Petrus ejusdem loci prior, de quo nihil memoratu dignum occurrit.

[a] V lib. 64. n. 17.

[b] Malmesb. l. 5. de regib. Angl. & Monastic. Anglic. to. 1. p. 111.

ANN. CHR. 1105. XCII. Res civiles anni sequentis.

ANno subsequente post millesimum centesimo quinto, Germaniæ plerique principes, Heinrici imperatoris in schismate contumaciam diutius ferre non valentes, filio ejus cognomini persuadent, ut a patre ad pontificem deficiat, & ad suscipienda regni insignia compellunt. Id factum inconsulto pontifice, ut colligitur ex patris epistola & nuntio ad Paschalem papam postea missis, quem ita compellat. *Quia audivimus te hominem discretum, Deum timentem, caritati insudantem, sanguinem hominum non sitire, rapinis & incendiis non gaudere, unitatem ecclesiæ super omnia diligere; consilio & suggestione principum nostrorum mittimus tibi nuntium istum cum legatione nostra. Per hanc quippe volumus cognoscere, si est tibi voluntas, te nobis in caritate & amicabiliter & nos uniri tibi, salvo nobis honore regni & imperii & totius nostræ dignitatis.* Hæc & alia plura Heinricus pater. Quin etiam Heinricus ejus filius non sponte, sed invitum, ad capessenda regni insignia se adductum fuisse contestatus est, palam professus, si pater agnito errore ad ecclesiæ unitatem rediret, haud gravate se illi cessurum, ac debitum obsequium & observantiam præstiturum. Et quidem eo in statu res fuere hoc anno, sed paullo post, cum pater in contu-

ANN. CHR. 1105.

macia obfirmatus, arma in filium moviſſet, a filio tandem comprehenſus, graves inſuper paſſus contumelias, anno ſequenti Spiræ miſere vitam finivit, manſitque inſepultus, pontifice vetante, per annos quinque. Sub finem quoque hujus anni Philippus rex Francorum abſolutionem excommunicationis, ob Bertradam ſibi inflictæ, a Lamberto Atrebatenſi epiſcopo ſuſcepit. Hæc de rebus civilibus.

XCIII. Anſelmus Lugduno venit in Nortmanniam.

Interim dum Anſelmus Cantuariæ archiepiſcopus Lugduni moraretur, varias ex Anglia epiſtolas ab amicis, a Mathilde regina, immo etiam ab ipſo rege accepit, quibus ſe ejus abſentiam gravate admodum ferre teſtabantur. Ad eum etiam litteras humaniſſimas ſcripſit Philippus Francorum rex, necnon filius ejus Ludovicus. » Philippus [a] ait, ſe de ejus oppreſſione valde contriſtari; auxilium ipſi pollicetur, » rogatque, ut, quia locus, in quo exſulabat, corporeæ ejus ſanitati non conveniebat, » Galliam adventu ſuo & præſentia dignetur, animi ſui affectum experturus. Ejuſdem argumenti eſt epiſtola, quam ſancto pontifici ſcripſit [b] *Lodoicus*, ut ſe ipſe vocat, *Francorum rex deſignatus.*

a *Anſelm. lib.* 4. *ep.* 50.
b *ibid. ep.* 52.

Inter ea Paſchalis papa, habito apud Lateranum concilio, Robertum Mellenti comitem, alioſque Angliæ proceres, qui regem a relaxandis inveſtituris dehortabantur, excommunicationis ſententia multavit, idque litteris Anſelmo ſignificavit, addens ſe diſtuliſſe ſententiam in regem, cujus nuntios exſpectabat. Ex his litteris, Laterani VI. kal. Aprilis datis, intellexit Anſelmus, ſe fruſtra Lugduni Romanam opem præſtolari: ideoque Lugduno diſceſſit, dolente archiepiſcopo cum toto populo, in Franciam acceſſurus. Cum per Cluniacum ad monaſterium Caritatis veniſſet, intellecto Adelam Bleſenſem comitiſſam, majoris regis Willelmi filiam, Bleſis infirmari, conſilium adeundi Manaſſem Remorum archiepiſcopum, qui ipſum invitaverat, diſtulit, Bleſas profectus, ut comitiſſam, de ſe optime meritam, quæ eum ut patrem ac vitæ ſuæ inſtitutorem agnoſcebat, conſolaretur. Cum illa convaluiſſet, virum Dei ſecum duxit Carnutas; miſſiſque nuntiis ad Heinricum regem, qui ex Anglia Nortmanniam procerum flagitatu, quibus dux Rotbertus erat inviſus, occupaturus venerat, Anſelmo colloquendi cum eo facultatem obtinuit. Colloquii loco ad caſtrum Aquilam indicto, eo convenere Heinricus & Anſelmus XI. kal. Auguſti. Rex, feritate depoſita, perhumane Anſelmum accepit, eique rerum ſuarum poſſeſſionem reſtituit, poteſtate facta redeundi in Angliam, ſi modo cum eis, qui inveſtituras a rege acceperant, & cum eis qui illos conſecraverant, communicaret. quod cum Anſelmus inconſulto pontifice ſibi non licere aſſereret, miſſi utrimque Romam legati, Willelmus de Warelwaſto a rege, ab Anſelmo Balduinus de Tornaco monachus, qui papam hac de re conſulerent. De hoc colloquio Paſchali [c] papæ rationem reddidit Anſelmus. Interim vir Dei Beccum profectus, inde Remos multis precibus invitatus eſt a Manaſſe archiepiſcopo & canonicis ejus eccleſiæ, ibique maximo cum honore, feſtivoque occurſu exceptus, ſingulari caritate per multos dies detentus eſt, dum Beccum reverteretur. Rex vero in Angliam rediit, anno ſequente in Nortmanniam denuo trajecturus.

c *ibid. ep.* 73.

XCIV. Saviniaci & Novoburgi monaſteria condit Vitalis.

Poſtquam Vitalis de Moritonio, cujus ſuperius [d] facta mentio eſt, eremiticam in ſilva Credonenſi vitam ſeptemdecim fere annos duxiſſet, plurimoſque ſuis ſermonibus convertiſſet; viſum eſt ei, ut ad multorum ſalutem monaſterium ædificaret. Exſtat in confinio Nortmanniæ, Britanniæ & Cenumannicæ regionis caſtrum Fulgeriacum [*] cum adjuncta ſilva, in qua Radulfus de Fulgeriis locum condendo monaſterio aptum ipſi conceſſit. Savineium ſeu Saviniacum veteres dixere, ubi veterum ædificiorum parietinas ſuperfuiſſe Ordericus [e] tradit. Nec ſerius hoc anno ſtatuenda videtur ejus fundatio: quando quidem ipſo anno Guillelmus comes Mo- » ritonii, filius Rotberti fratris Guillelmi regis Anglorum, abbatiam ſanctimonialium » conſtruxit in honorem ſanctæ Trinitatis in Novo-burgo Moritonienſi, *adjuvante fratre Vitali, tunc temporis abbate Saviniacenſi exſiſtente*, ut in ipſius Guillelmi litteris [f] legitur; eidemque abbati multa prædia ad opus Dei & ad ſanctimonialium uſus aſſignavit. Iiſdem etiam facultatem conceſſit conſtituendi domos, ſtagna, *molendina ad aquam & ventum* in epiſcopatu Ebroïcenſi, Conſtantienſi & Bajocenſi, ad augendos monaſterii proventus. In chronico tamen Saviniacenſi apud Baluzium [g] illius monaſterii conſtructio, forte abſoluta, ad annum MCXII. revocatur, quo anno Radulfus de Fulgeriis litteras ſuas dedit, ut inferius [h] videbimus. Ad Vitalem abbatem epiſtolam ſcripſit Marbodus Redonenſis epiſcopus, agitque de hoc parthenone, in

d *lib.* 68. *n.* 67.
* *Fougeres.*
e *Orderic. lib.* 8. *p.* 715.
f *Spicil. to.* 13. *p.* 298.
g *Miſcell. to.* 2. *p.* 310.
h *lib.* 72. *n.* 41.

quo quamdam puellam, dote carentem, admitti rogat. Brevis epistola hic exhiberi meretur.

ANN. CHR. 1105.

Marbodi duæ notabiles epistolæ.

Marbodus minimus episcoporum Vitali servo Dei, boni operis perseverantiam. Audivimus religionem tuam lucrandis animabus studiose insistere, & non quæ sua sunt quærere, sed quæ aliorum, ut salvi fiant. adeo ut monasterium feminarum, Deo cooperante, instituisse te asserant, ut & infirmiori sexui muliebri tua non desit compassio. Propter ea sanctitatem tuam, dilectissime frater, suppliciter interpello, ut in illo tuo grege recipere digneris pupillam quamdam, in virginitate Deo servire cupientem, humano ad præsens auxilio destitutam: cujus carnalis pater in monasterio conversus, sæculo renuntiavit: mater vero ad comparandum eidem puella in divitibus monasteriis locum pro sua paupertate adspirare non potest. Nam, licet eadem puella litteras partim didicerit, prava tamen consuetudo in antiquis monasteriis apud nos obtinuis, ut pecunia scientia præferatur. Ideo ad tuam religionem in hac petitione confugiendum putavi, quam ab ista contagione immunem esse non dubito. Fac ergo quod peto, dilectissime frater, non tam pro meo, quam pro illius amore, qui pater est orphanorum & judex viduarum, ea tamen conditione, ut & ego tibi libenter indulgeam, si quid a mea humilitate petendum putaveris.

Succurrit hoc loco alia ipsius Marbodi [a] epistola, qui consultus ab Hildeberto Cenomannorum episcopo de muliere, quæ viro ex gravi morbo decumbenti, atque monachi postulanti habitum, non solum præstiterat assensum, sed etiam voto continentiæ oblato, ipsa eum tonsurandum tradiderat; sed postea, cum vir ejus convaluisset, facti pœnitens, eumdem ad thori debitum reverti postulabat: respondet ex auctoritate Augustini ad Ecdicium scribentis, quod Domino pari consensu voverant, perseverantes usque in finem servare debere. Nec valere quod mulier opponebat, se per ministros ecclesiæ assensum viro dedisse, nec promisisse castitatem. tametsi id ordinatius fuisset.

a ibid. p. 295.

Redeo ad Vitalem, quem laudat in primis Ordericus [b], quamvis ei nonnibil detrahat, quod antiquis monasteriorum consuetudinibus novas neophytorum institutiones prætulerit. quod sine dubio de novellis Cisterciensium ritibus intelligit; idque in Gaufrido abbate Vitalis successore etiam carpit. Sic idem auctor [c] agens de Cisterciensium propagatione, ait *novæ institutionis æmulatores* suo tempore dispersos fuisse per diversas Galliarum regiones; & in consequentibus omnes illorum temporum *modernos* præceptores [d] vocat, qui *novas traditiones* priscorum patrum ritibus præferebant. Nihilo minus Vitalem magnopere laudat idem Ordericus, dicens eum litterarum eruditione apprime eruditum fuisse, insigni facundia & ad quidvis persuadendum efficaci præditum, qui nec potentibus, uti nec infirmis parceret. Unde reges ac duces eum reverebantur, & ad eum audiendum omnes certatim prima luce conveniebant. Hinc factum est, ut non minima ad eum multitudo confluxerit utriusque sexus personarum, scilicet plusquam septies viginti, ut in ejus vita legitur. In hoc porro a Cisterciensium moribus dissensisse videtur, quod non modo in suo monasterio, sed etiam per provincias verbum Dei prædicavit, tum in Gallia, tum etiam in Anglia. tametsi Bernardus Clarævallensis abbas idem præstitit. Ceterum etsi *Romana*, id est Gallica, lingua verba faceret ad populum in Anglia, ab iis tamen, qui hanc linguam minime callebant, intellectum fuisse ipsius vitæ scriptor tradit. Idem auctor asserit, eum in his sanctis operibus *per decem & septem annos* deservisse, a condito scilicet Saviniacensi monasterio; ac demum anno MCXXII. decessisse. Ex quo intelligitur, illius monasterii originem, ut diximus, esse referendam ad annum MCV.

XCV. Vitalis quale institutum.
b Orderic. lib. 8. p. 715.
c ibid. p. 714.
d ibid. p. 716.

Per id tempus Mathildis abbatissa monasterii sanctæ Trinitatis Cadomensis Anselmum consuluit de proposito quod habebat dimittendæ abbatiæ, *propter infirmitatem & ætatis imbecillitatem*. Respondet Anselmus [e] id fieri non posse nisi per comitem & archiepiscopum Rotomagensem atque proprium episcopum cum consensu sanctimonialium ei commissarum. Tentaret proinde, si per eos id efficere posset: sin minus, iis sororibus, in quibus majorem prudentiam & religionis fervorem inesse cognosceret, earum rerum, quas præ infirmitate exsequi non posset, curam injungeret. Quod si contingeret, non esse tales in suo monasterio personas, quibus plene confideret; saltem ex ipsis meliores & aptiores eligeret. quo facto eam apud Deum excusabilem fore credit. Perstitit illa tandem in abbatiali dignitate, ut videtur, usque ad obitum.

XCVI. Mathildi abbatissæ Cadomensi scribit Anselmus.
e Anselm. lib. 3. ep. 54.

ANN. CHR. 1105

Mathildi item comitissæ.

Hujus Mathildis occasione venit in mentem alia sancti Anselmi epistola [a] ad Mathildem illustrem illam comitissam, quæ tam constantem se præstitit in tuenda sedis apostolicæ auctoritate. Gratias primo ei agit Anselmus, quod se in Romano itinere contra inimicorum insidias tutum præstitisset. Deinde eam hortatur, ut ecclesiæ causa, quam eo usque defenderat, desiderium, quo ad mundi contemtum anhelabat, ne tunc exsequatur, sed exspectet aliud tempus ad id magis opportunum, quando scilicet ecclesia tranquillitate frueretur. Denique ei consulit, ut velum semper paratum penes se secreto habeat, ut illo se induat, si quando senserit sibi de improviso mortem imminere. Sic Willelmus dux Normannorum, Rollonis filius, stamineam [b] & cucullam monasticam in scriniolo circumferebat, eo animo, ut saltem instante obitu monachus fieret. quæ illorum temporum pietas erat. In fine epistolæ Anselmus addit, se Mathildi Meditationes suas mittere, quas petebat.

a *id. lib. 4. ep. 37.*

b *V. lib. 44. n. 54.*

XCVII. Hugo Cluniaci abbas Anselmo.

Sub idem tempus venerabilis Hugo Cluniacensis abbas Anselmo litteras amoris succo refertas scripsit, significans quanto affectu ipsi adhæreret, maxime ex eo tempore, quo apud Cluniacum ejus præsentia recreatus fuerat: Deumque rogat, *ut quos ita junxit in vita, non permittat separari in æterna gloria.* quod ipsis pro voto ita contigit, ut eodem anno, & intra unum mensem ambo ad cælestem gloriam transierint, ut suo loco videbimus. Ad hæc viro Dei condolet sanctus abbas, quod multas & graves, ex quo ab ipsis discessit, anxietates pertulerit, ac demum Gofridum sacristam, epistolæ bajulum, commendat, ad illas partes, Normanniæ an Angliæ, negotiorum causa proficiscentem.

Morandus Altkirkæ prior.

Hoc ipso anno Paschalis papa Hugoni abbari & Clnniacensibus concedit exemtionem a decimis ex illis terris, quas ipsi excolebant. Eodem anno Norgaudus Æduensis episcopus Roma revertens, & apud Cluniacum exsistens, accepto Hugonis abbatis baculo sancti Juliani ecclesiam in Briennensi territorio contulit Marciniacensi monasterio XVIII. kalendas Septembris. Idem præsul eodem anno cum Hugone archiepiscopo & Walterio Cabilonensi antistite, domno Hugoni abbati ad monasterium beatæ Magdalenæ de Quadrella * confirmavit ejusdem pagi ecclesias, de quibus Leotbaldus Digoniensis & filius ejus cognominis litem movebant. Testes ex monachis Cluniacensibus Gaufredus olim [c] episcopus Andegavensis, Bernardus Grossus camerarius, Seguinus de Paredo *Camberlanus* Hugonis abbatis, Hugo cellerarius, & Agano prior Quadrellæ. Tunc etiam Burchardus Basileensis præsul, propter antiquam cum Hugone abbate familiaritatem [d] & amicitiam, suburbanum sancti Albani monasterium ei subjecit, sub regulari disciplina ordinandum, ea intentione & conditione, ut merita & orationes universæ Cluniacensis ecclesiæ ipsi, totique sanctæ Mariæ ecclesiæ proficerent ad salutem æternam. Actum Basileæ feria secnnda paschæ hoc anno, episcopatus ejus tricesimo-tertio. quo item anno Fridericus, filius Theoderici comitis de Monte-Biligardis *, impatienter ferens Altkirchensem * sancti Christophori ecclesiam a simoniacis possideri, laudante Hermentrude matre sua cum Burchardo Basileensi episcopo, in cujus diœcesi hæc ecclesia sita erat, eam sancto Petro & Hugoni venerabili abbati ejusque monachis tradit per manum Hugonis *de Dinrnach*, prioris de Mortua-aqua. In libro de vita sancti Hugonis, Gilone monacho auctore, vir Dei apud *Aldechiarcam* hospitio exceptus dicitur a comite Ludovico & Sophia ejus uxore: ubi, cum eis in viridario mensa pararetur, Hugo facto signo crucis imminentem dispulisse tempestatem perhibetur. Primus ejus loci prior ab Hugone abbate institutus est Morandus. Hic nobilissimis in Germania ortus parentibus, in Wormatiensi ecclesia in pietate ac litteris eruditus fuit. Sacerdotio initiatus, peregrinationem aggressus ad templum sancti Jacobi in Gallicia, in itinere Cluniacum divertit: ubi adeo Hugonis abbatis ejusque loci monachorum religione captus est, ut se fututuni illic monachum promiserit, si ex illa peregrinatione sospes & incolumis rediret. quod re vera in reditu exsecutus est. Illic tantum brevi in virtutibus progressum fecit, ut quos admiratus venerat ut imitaretur, iisdem ipse admirandus, imitandusque exsisteret. Post aliquantam apud Arvernos commorationem, cum sancti Christophori cella beato Hugoni commissa fuisset, coloniæ monachorum illuc deductæ præpositus est: ubi ejus meritum Deus variis signis declaravit, ante & post ipsius obitum editis, quæ in anonymi libello de ejus vita [e] recensentur.

* *le Charolois.*

c *V. supra n. 17.*

d *Bibl. Clun. p. 536.*

* *Montbeliard.*

* *Altkirch.*

e *Bibl. Clun. p. 501. & seqq.*

XCVIII. Lis de cella Credonensi.

Nulla res, ut puto, tantum negotii Vindocinensibus facessivit, quantum cella

ANN CHR. 1101.

Credonensis, cujus occasione multas subinde lites exortas jam vidimus. Nova insuper hoc tempore excitata a Manricio domino castelli Credonensis, qui novas & indebitas prædictæ cellæ exactiones imponebat. quod Goffridus abbas Vindocinensis, *licet consanguineus Mauricii esset*, minime ferens, Rainaldum Andecavensem episcopum interpellavit, ut invasoris obstinata malitia ecclesiastica censura reprimeretur. Assensit præsul, & toti illi terræ divinum officium interdixit. At, cum nec sic a cœptis desisteret Mauricius, ad Fulconem primo comitem, cognomento Rechinum, deinde ad filium ejus Gaufridum-Martellum II. causa delata est, & præsente Rainaldo episcopo, multisque baronibus coram Gaufrido agitara. Lecta charta Gaufridi-Martelli comitis Vindocinensis, & monasterii fundatoris, qui Credonensem sancti Clementis ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus concesserat, antequam Rotberto Burgundioni, Mauricii antecessori, Credonensem honorem sub hac exceptione dedisset. Ad hoc testimonium, aliaque obmutuit Mauricius, & judicio in se lato acquiescere visus est: sed tamen illud exsequi distulit, donec a comite denuo compulsus, factam injuriam emendavit; sicque interdicti vinculo solutus est. Illa sententia in eum lata est apud Andecavos in majori camera comitis Andecavensis anno ab incarnatione M C V. indictione XIII.

XCIX. Monasteriolum Berlaii & alia data monachis S. Nicolai.

Eodem anno, Lamberto sancti Nicolai ejusdem urbis abbate, conventus duodecim[a] monachorum, petente & stipendia conferente Berlaïo dynasta, institutus fuit in ecclesia sancti Petri apud Monasteriolum, quod a fundi domino Berlaii appellatum est. Anno sequenti VI. idus Novembris rex Franciæ Philippus civitatem[b] Andegavam adiir *cum regina Bertrada*, ubi a Fulcone comite maximo cum honore acceptus, sancti Nicolai monachorum omnes possessiones confirmavit, & capellano suo, nomine Stephano, ut quibuslibet eorum chartis regium sigillum imprimeret, præcepit, & ipse quibusdam *sigillum sanctæ crucis* pro confirmatione impressit. Ex eodem sancti Nicolai monasterio monachi subinde a vita cœnobitica, ex Regulæ[c] nostræ ritu, transibant ad eremiticam, uti discimus ex litteris[d] Adelæ comitissæ Blesensis, quæ sancto Nicolao, & Ascelino, Botaldo, & Tigerino monachis quemdam in silva locum, quem Guillelmus eremita tenebat, contulit pro salute animæ suæ, & pro anima Stephani comitis mariti sui, necnon parentum suorum Willelmi regis & Mathildis reginæ, ita ut prædicti monachi, qui eremiticam illic vitam, permissu abbatis & capituli, ducebant, ibidem Deo servirent. Lamberto sancti Nicolai abbati successit Johannes, abbas loci octavus, sub annum M C XVIII. Johanni Nigellus, de quibus eorumque successoribus, quos in historia sancti Nicolai videre licet, nihil ad memoriam insigne refertur.

a Hist. S. Nicolai. p. 40.
b ibid. p. 50.
c S Bened. Reg. c. 1.
d ibid. p. 59.

C. Hilgoto abbati Majoris-monasterii succedit Willelmus.

Cnm annos circirer quinque Majori-monasterio præfuisset Hilgotus, olim Suessionnm episcopus, & ex episcopo monachus, tum abbas, locum fecit Willelmo, quem de Cambornis nonnullæ chartæ cognominant. Hujus primus ordinationis annus hoc anno diserte consignatur in actis cellæ de Josselino, quod sequentia quoque instrumenta confirmant. Ex his unum est de cella Cameliacensi, quo Radulfus-Achardus quamdam decimam Cameliacensibus monachis confert anno M C VI. in quadragesima, præsente Willelmo abbate Majoris-monasterii, anno ejus ordinationis secundo. Idem Willelmus eodem anno, ordinationis suæ secundo, teloneum in fluvio Ligeris ad castrum *Langey* recuperasse dicitur: cujus rei charta primaria facta est *in Galilæa monasterii*, id est navi ecclesiæ, & transcripta in libro notitiarum. Alias chartas, quæ Willelmi annum ordinationis probant, in præsens mitto. Hunc Romæ ordinatum fuisse legitur in quadam notitia donationis factæ a Roberto de Belismo in quadragesima, anno ab incarnatione M C V. seu primo domini Willelmi abbatis *ordinati, quo etiam Buamundus*, Antiochiæ scilicet princeps, *descendens Jerosolymis visitavit hunc locum, petivitque tam sibi, quam omnibus conchristianis, quos in illis partibus in Dei servitio reliqnerat, orationum nostrarum suffragia.* Idem Boamundus Lemovicas ad sanctum Martialem profectus dicitur, ut ei gratias ageret pro sua ereptione e manibus Sarracenorum; sanctoque Leonardo ob eamdem causam compedes argenteas attulit, ut scribit Gaufredus prior Vosiensis.

Etsi Guillelmus Romæ a Paschali abbas ordinatus esset, professionem tamen ab eo exigebat Radulfus Turonum archiepiscopus. Hanc ore præstitit Guillelmus: at scripto eam præstari volebat Radulfus. qua de re magna inter eos controversia

ANN. CHR. 1105.

fuit, quam Ivo episcopus componere tentavit scriptis [a] ad utrumque litteris, quas apud eum videre licet. Eo abbate prior erat Majoris-monasterii Willelmus alter, qui fuerat archidiaconus Redonensis. Paschalis II. Majoris-monasterii omnes possessiones & immunitatem confirmat Guillelmo abbati, quem reverentissimum filium appellat, pontificatus anno VIII. indictione XV. cui facultatem concedit calices & ornamenta benedicendi. qua de re nihil antiquius legere memini. Idem abbas totum cœnobium muris cinxisse, ejusque officinas exstruxisse traditur, ac multos prioratus instituisse.

a Ivo ep. 134. & 135.

C I. S. Maxentii & S. Maximini abbates.

Cometes apparuit hoc ipso anno, quo Simon de Verruca [b] quoddam prædium, quod pater suus Gervasius sancto Maxentio in manu Adæ tradiderat, Garnerio abbati confirmavit. Actum *anno ab incarnatione Domini* M C V. *quo cometa apparuit, regnante Philippo rege, & Guillelmo in Aquitania.* quod idem Simon postmodum ratum habuit *in manu domni Goffridi abbatis*, qui Garnerio successit.

b Besly Com. p. 516.

Tunc Miciacensi sancti Maximini apud Aurelianos monasterio præerat Christianus abbas, cujus tempore Sancio Firmitatis-Huberti * dominus duas ejusdem castri ecclesias, unam sanctorum Gervasii & Protasii canonicalem, alteram sancti Sulpicii parrochialem sancto Maximino contulit. quod Johannes Aurelianorum episcopus, eo nomine secundus, litteris suis confirmavit hoc anno, præsulatus sui octavo. Eodem abbate Balduinus abbas Burguliensis Miciacensibus sancti Marcelli ecclesiam in suburbio Aurelianensi ultra Ligerim sub certis conditionibus cessit, cum reditu dimidiæ prebendæ in ecclesia beati Lifardi Magdunensi, ita ut monachi sancti Maximini tantum *canonici* vocarentur. Alius fuit Christianus abbas sancti Petri Carnutensis, in vulgaris indicibus desideratus, qui sermones in totum annum dominicales composuit, sed quo præcise tempore vixerit, incertum.

* la Ferté-aux-Oignons.

Res Lemovicenses.

Hoc ipso anno urbs Lemovicum ab hominibus castri sancti Martialis injecto igne v. kal. Julii combusta fuisse dicitur, eoque incendio mater ecclesia sancti Stephani consumta cum omnibus suis officinis, pariterque puellare monasterium sanctæ Mariæ, quod de Regula vocant, necnon multæ aliæ ecclesiæ. Consimiles seditiones inter opidanos & castrenses Lemovicenses non raro per ea tempora contigere.

Tutelenses abbates.

Triennio ante, similem cladem ex fortuito incendio pertulerat Tutelense monasterium, quo tempore Gausberto abbati successit Willelmus. Hic monasterium instaurare cœpit, suppetias conferente Bernardo Torennæ vicecomite, eidemque litteras hoc anno indulsit Paschalis papa, quem illi Pascbasium passim appellabant. Willelmo abbati successit Ebalus de Torenna, de quo inferius. De primis ejus loci abbatibus scriptum exstat in Appendice hujusce tomi.

C II. Vallis coloris cella Molismensis.

Exstat castrum Vallis-coloris * ad Mosam in diœcesi Tullensi, inter Novum-castellum & Commerciacum positum, ubi cella Molismensis cœnobii hoc tempore condita est, fundum conferente Josfrido nobilissimo principe, cujus litteræ insigne de sanctitate Rotberti abbatis adhuc viventis testimonium reddunt in hæc verba. *Suavissimi odoris fama Molismensis cœnobii longe lateque redolente, multi devote religionis viri beneficia contulerunt, monachosque a prædicto loco ad cœnobia ædificanda in suis prædiis & possessionibus postulaverunt. quæ sanctitatis postulatio postquam auribus senis Josfridi nobilissimi principis & sanctæ ecclesiæ fidelissimi intonuit, monachos a domno Roberto, ejusdem loci primo abbate, moribus ornato, conversatione vitæ probato, fulgore virtutum illuminato, humilitate, patientia, justitia, fortitudine, temperantia, prudentia decorato, similiter exinde petivit, & impetravit. qui monachi cœnobium in castro, quod dicitur Vallis-coloris, ædificaverunt, ibique sanctæ conversationis vitam duxerunt, & ducunt.* Ubi hæc cella ædificari cœpit, monachis ejus loci litem movit Bertreda seu Bertrada Laudunensis sancti Johannis-Baptistæ parthenonis abbatissa, contendens ejus fundum ad suum monasterium pertinere, haud dubie ex dominio sanctæ Salabergæ, illius parthenonis conditricis & primæ abbatissæ, quæ aliud olim monasterium in confinio Tullensis & Lingonensis diœceseon exstruxerat. Demum inter partes ita convenit, ut quidquid illic acquisierant monachi, possiderent, *præter rectos redditus abbatissæ*, sed eo pacto, ut quotannis duodecim nummos Tullensis monetæ ei persolverent. Actum anno ab incarnatione M C V. indictione XIII. quibus litteris apposita sunt signa Pibonis Tullensis episcopi, ejusque archidiaconorum, tum Bertradæ abbatissæ Laudunensis, Mentiæ sanctimonialis ejusdem loci, filiæ comitis

* Vaucouleur.

Theobaldi Risnelli, & Winandi actoris abbatissæ, qui ejus redditus in Lotharingia colligebat. Eodem anno Bertreda abbatissa litteris suis hoc pactum firmavit, initum, ut ipsa dicit, inter Robertum abbatem Molismensis ecclesiæ primum, & Hugonem priorem Vallis-coloris. Eidem cellæ se beneficum præstitit Gaufridus senex Jonivillæ tempore Philippi regis & Pibonis Tullensis episcopi, laudante filio Gaufrido, & uxore ejus Hodierna.

CIII. Columbenses abbates.

Columbensi in agro Carnutensi monasterio tunc præerat Turoldus abbas, cujus tempore Guillelmus Rotomagensis archiepiscopus Elvisæ ecclesiæ donationes confirmavit. Eidem abbati Gualterius miles ecclesiam sancti Remigii cum decimis contulit ob sepulturam Gastoni filio suo concessam. quod donum prædictus miles super altare sanctæ Mariæ posuit, per quemdam cultellum Richardi Novigenti præpositi, *quem fregit in conspectu omnium Turoldus abbas in monumentum præsentibus & futuris.* In donationibus quæ per id tempus monasteriis fiebant, non raro munuscula donatoribus, eorumve conjugibus aut liberis fiebant. quo in genere mulieri cuidam *datus est pannus ad caput cooperiendum, qui vulgo guimpla vocatur*, sæcularis eo tempore feminæ ornamentum, *Vuimpla* a sancto Bernardo [a] appellatum. Turoldo abbati successit Rogerius, cui idem Bernardus librum suum de præcepto & dispensatione direxit, Carnutensibus sancti Petri monachis, quorum flagitatu eum composuerat, consignandum.

[a] Bernard. ep. 114.

Ivonis sententia de decimis monachorum.

Eo tempore, Turoldo an Rogerio abbate, turbæ quædam excitatæ sunt inter Columbenses monachos instinctu quorumdam præconum, id est clericorum, monachis suadentium, ut monasteria sua desererent, & ad vitam anachoreticam se conferrent propter abbates & procuratores suos, qui decimas monasteriis suis acquisierant, quasi iis uti non liceret monachis. Hos vero graviter redarguit Ivo Carnutum episcopus epistola [b] scripta Columbensibus monachis, quibus in monasterio sub præpositorum suorum obedientia permanere longe salubrius esse dicit, & ibi vivere de « decimis & fidelium oblationibus, *quas ecclesia lege caritatis communicare potest non* « *tantum monasteriis, sed etiam xenodochiis, infirmis & peregrinis*; quam Sarabaïta- « rum more in privatis locis proprio jure vivere, & victum sibi de substantia paupe- « rum accipere. *Licet enim*, inquit, *decimæ & oblationes principaliter clericali debean-* « *tur militiæ, potest tamen ecclesia omne quod habet, cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus, qui relictis facultatibus propriis non in angaria bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem Christum? Est tamen*, subdit ille, *in quo abbatibus & præpositis monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis, ad quos non pertinent, id est a laïcis, decimas & oblationes accipiant: si inordinate eas a quibuscumque personis acquirant: si terminos transgrediantur antiquos, id est si stipendia presbyterorum antiquitus instituta minorent, ac sibi usurpent. Nec tamen*, inquit, *monachi, qui hæc ignorant, aut non probant, debent suam collectionem deserere, aut abbatibus minus obedientes exsistere.* Ex his omnibus manifestum est, Ivonis hanc fuisse mentem, licere monachis decimas possidere legitime partas, nimirum ex concessione ecclesiæ, ad mentem scilicet concilii Toletani IX. statuentis canone V. ut quisquis episcoporum in parochia sua monasterium condere voluerit, quinquagesimam ejus partem dare possit. Denique hanc epistolam ita concludit Ivo. *Hæc scripsi vobis, fratres, ut non terreamini tonitru vanarum comminationum, neque moveamini a vestro sensu: sed secundum statuta præcedentium patrum vitam vestram dirigatis, & obedientiam, quam prælatis vestris debetis; & stabilitatem, quam monasterio vestro professi estis, firmiter teneatis, ne damnationem eorum, qui vota sua irrita faciunt, incurratis.* Quod tamen dictum velit, non improbando vitam eorum monachorum, qui in cœnobiis « regularibus instructi disciplinis, ordinabiliter ad eremum secedunt, sed eorum, « qui in melotis per vicos & castella, & urbes gyrando vagantur. Plura alia omitto, « quæ Ivo contra illos gyrovagos in eadem epistola scribit.

[b] Ivo ep. 192.

CIV. S. Fusciani monasterium.

Jacuerat ad id tempus ruinis consepultum sancti Fusciani monasterium apud Ambianos, de quo in primo volumine egimus: sed tandem ab Ingelranno Bovensi comite instauratum est, ut probant litteræ a Godefrido Ambianorum episcopo, hoc anno, pontificatus ejus anno secundo editæ in hæc verba. *Frater Godefridus, Dei gratia Ambianensium episcopus.* Vides ut se fratrem dicit, quippe ex monacho episcopus, ut privatos monachos non pudeat se fratris nomine indigitare. tum ille pergit post aliqua scripturæ sacræ testimonia. *Hujus itaque divinæ exhortationis & pro-*

ANN. CHR. 1105.

missionis vocem aure cordis percipiens Ingelrannus comes, cum monasterium martyris Christi beati Fusciani primum cœpisset ædificare, totum montis ipsius territorium venerabili viro Odolrico, primo loci illius abbati & ædificatori, monachisque magisterium ejus secuturis devote concessit: quatenus ibi domo Dei constructa, locus antea incultus fieret habitatio hominum, liber & absolutus ab omni sæculari potestate, consuetudine sive exactione. Hoc etiam laudavit & evidenter concessit Ingelrannus de Mondisderio, ad cujus dominium sub Ingelranno comite pars territorii illius jure hereditario pertinebat. Multa deinde Godefridus recenset tum Ingelranni comitis, tum aliorum beneficia, in quibus Ingelrannus inter alia donasse dicitur *mediam villam de Sanctis*, qui locus est haud procul a sancti Fusciani monasterio, sancti Gentiani martyrio & sanctorum Fusciani & Victorici hospitio insignis. Hæc omnia in synodo Ambianensi probavit Godefridus, *anno Verbi* incarnati M C V. indictione XIII. His litteris subscribunt inter alios Gualterius abbas sancti Judoci, Robertus abbas Forestensis monasterii, Johannes sancti Geremari, & Willelmus sanctæ Mariæ Britulienfis abbates. Idem Godefridus, agente Ingelranno comite, suburbanam sancti Remigii ecclesiam sancto Fusciano concessit, idque anno M C VII. in synodo Trecensi confirmari curavit. Non diu superstes fuit Odulricus abbas, in necrologio Corbeiensi, unde forte assumtus fuerat, notatus X. kal. Februarii: cujus successor Radulfus laudatur in diplomate, quo Paschalis papa ecclesiam sancti Remigii sancti Fusciani monasterio in prædicto concilio Trecensi confirmavit. Hic gravi morbo affectus, Ivonem Carnutensem episcopum rogavit, ut sibi succurreret. Verum quo minus id efficeret Ivo, locorum intervallis [a] se impediri respondit, monens, ut corporales molestias patienter ferat, quas pro purgatorio igne divina ei misericordia contulerat. quod si viderit se regendo monasterio sufficere non posse; hortatur, ut det locum alicui de fratribus, quem congregatio regulariter elegerit. In fine censet, unctionem, quam ille semel acceperat, iterandam non esse, ne sacramentis injuriam ingerat. Atqui tamen unctio infirmorum antiquitus sæpius in eodem morbo repetebatur, ut ex vetustis ritualibus libris constat. De Radulfi successoribus Eustachio, Wigomaro, Simone, aliisque subsequentibus ejus loci abbatibus nihil memoria dignum occurrit. Perstat ad hoc tempus sancti Fusciani monasterium, recens a fundamentis, ut & multa alia, instauratum a monachis Congregationis sancti Mauri. In actis sancti Godefridi episcopi laudatur *piæ memoriæ* Nicolaus abbas Corbeiæ Gallicanæ, ad cujus preces ille oratorium sancti Thomæ ab eo conditum, quæ parochialis modo ecclesia est, dedicavit.

a Ivo.ep.255.

C V. Altimontis ecclesia S. Vincentio data.

Cum annum in pontificatu decimum attigisset Manasses Remorum archiepiscopus, antecessorum suorum in ecclesias & monasteria munificentiam imitari cupiens, Laudunensi sancti Vincentii cœnobio, ad petitionem domni Adalberonis abbatis superius [b] laudati ejusque fratrum, contulit ecclesiam Altimontis, quam per canonicorum ibidem habitantium incuriam rebus suis spoliatam, & fere ad nihilum redactam, Hugo comes Reitestensis tenebat, idemque comes multis precibus a Manasse exoratus cessit. Hæc autem donatio ab archiepiscopo facta est ea lege, ut futurus ejus loci prior a Vincentino deputatus abbate in archiepiscopi præsentiam adduceretur, subjectionem & obedientiam promissurus; & in eadem ecclesia presbyter substitueretur, qui & synodis interesset, & Remensi ecclesiæ solita jura persolveret. cui donationi Manasses subscripsit in hunc modum. *Hujus paginæ seriem ego Manasses, domni Rainaldi excellentis memoriæ successor, cum jam superna pietas dies sacerdotii nostri in decimum porrexisset annum, a prædicto Adalberone nobis præsentatam approbavi, & authenticarum personarum testimoniis per imaginis nostræ impressionem in sæcula ratam constitui. Actum anno incarnationis dominicæ* M C V. *indictione* XIII. Adalbero abbas superstes fuit annum circiter M C XX.

b lib. 66. n. 15.

C VI. Odo abbas electus episcopus Cameracensis.

Hermannus abbas in libro [c] de restauratione abbatiæ S. Martini Tornacensis auctor est Manassem Remorum archiepiscopum concilium hoc tempore habuisse, & ad illud convocasse generaliter suæ provinciæ abbates, in his nominatim Odonem abbatem sancti Martini Tornacensis, qui in illo concilio ad Cameracensem episcopatum electus sit, & sine mora ab archiepiscopo & comprovincialibus episcopis consecratus. Id anno M C V. contigisse constat. Hæc electio facta est exauctorato Galchero seu Galthero, qui ab Urbano II. in concilio Claromontensi excommunicatus & depositus fuerat, propterea quod episcopatum per pecuniam adeptus fuisset, & virgam

c Spicil. to. 12. p. 444.

gam & anulum de manu imperatoris accepisset. Cum vero nihilo minus auctoritate regia fultus in sede persisteret, Paschalis papa Manassæ archiepiscopo præcepit, ut congregatis comprovincialibus episcopis, Cameracensi ecclesiæ episcopum quantocius sufficeret. Verum novo electo nequaquam cessit Galcherus: unde Odo ad suum monasterium reverti coactus est magno suorum gaudio, qui ejus amissionem ægre admodum ferebant. Sed tandem anno sequente, mortuo Heinrico IV. imperatore, Heinricus ejus filius Cameracensibus mandavit, ut Galcherum excommunicatum urbe pellerent, & Odonem episcopum reciperent. Tunc Segardo priori monasterium regendum reliquit, cum illud annis fere tredecim administrasset. Episcopale tamen officium hoc ipso anno gessit Odo, quippe qui, postulante Hugone Elnonensi abbate, altaria, quæ Elnonenses in Cameracensi episcopatu sub personatu tenebant, absque personatu eisdem concessit. Actum in synodo celebrata in ecclesia sancti Brixii anno Domini MCV. indictione XIII. anno primo præsulatus domni Odonis: post quem subscribunt Rainerus sancti Sepulcri, Gerardus sancti Andreæ, Autbertus Maricolarum abbates.

ANN. CHR. 1105.

CVII. Nicolai de sancti Walarici privilegio narratio expenditur.

Si vera sunt quæ de causa sancti Walarici monachorum tradit Nicolaus monachus in actis sancti Godefridi episcopi Ambianensis, ea in illo Remensi concilio acta fuisse oportet. Certe non prius, quandoquidem anno tantum præcedente Godefridus illam sedem iniit: nec posterius, cum Manasses archiepiscopus, cujus tempore id accidisse dicitur, anno MCVII. decesserit. Rem fere sic narrat Nicolaus. Cum diœcesim suam lustraret vir Dei, sancti Walarici adiit monasterium: ubi quidam illarum partium presbyteri calices & lintea, in quibus sacra mysteria tractantur, ei benedicenda offerunt. Tum vero monachi obsistunt, nihil juris illic episcopis Ambianensibus competere causati. Atqui licet episcopis, inquit ille, ubivis locorum vasa dominici ministerii consecrare. Cessit tamen, & illinc abiit. Ubi domum revertit, convocato clero, factam sibi injuriam exponit. Ad hæc commori omnes, citandum abbatem censent. Adest ille, multoque auro corrumpit non paucos, qui abbatem contra episcopum tueri cœpere. Episcopus rem ad Manassem Remorum archiepiscopum defert, quo tempore celeberrimus Galliæ procerum conventus illic habebatur. Adfuit abbas cum monachis, conquestus a Godefrido injuste suam immunitatem vexari. Leguntur jussu archiepiscopi litteræ immunitatem probantes: quibus applaudunt illi, qui muneribus depravati erant. Eas sibi ostendi postulat episcopus, quas cum accurate inspexisset, earum fraudem detexit. Veste siquidem illas leviter abstergens, recentem esse scripturam omnium astantium oculis probavit. Sic pudefacti monachi ad Romanum pontificem provocant, ambæque partes ilico in Urbem pergunt. At monachi episcopo diligentiores, muneribus statim obtinent quod petunt, moxque cum novis litteris alacres & ovantes ad sua redeunt. Ubi Romam attigit episcopus, cum nihil ab eo sperandum vidissent causidici, aiunt monachos injuste ab ipso vexari. Ita spe sua frustratus, Barim voti causa proficiscitur. Inde Romam reversus, honorifice excipitur a pontifice, qui multa de ejus sanctitate post ipsius discessum resciverat; accepitque ab eo litteras, quibus sancti Walarici abbati & monachis injunctum erat, ut Ambianensi episcopo, perinde atque patri & pastori, in omnibus obedirent. Reversus demum ad suos, accito abbate, litteras coram eo legi jussit. His auditis & inspectis abbas cedere coactus est, ac deinceps Ambianensi episcopo paruit. Hactenus fere Nicolaus.

Multa sunt in illa narratione parum veri similia, ne dicam incredibilia. Nam, ut omittam quod abbas nulla declinatione facta se sistit coram episcopo, cujus ditioni se obnoxium esse pernegabat; qui fieri potuit, ut tot clerici, Ambianenses, Remenses, Romani, auro argentove ac muneribus ab eo corrumpi potuerint? Deinde ut potuerint, quis credat tantum auri & argenti suppetere potuisse abbati monasterii non admodum locupletis, ut tot hominum cupiditati satisfacere potuerit? An vero abbas ille tam stupidus & insanus fuerit, ut viris perspicacibus & oculatis scripturam tam recentem pro veteri producere ausus sit? Ad hæc nulla ejus historiolæ mentio, neque apud Ivonem episcopum, qui monachis non parsurus esset, si hujus fraudis rei fuissent; neque in alia ipsius Godefridi vita, quam ex veteri codice Rubeæ-vallis prope Bruxellas accepimus. Denique, quod palmare argumentum videtur, sancti Walarici monachi novam, tum a Paschali II. [a] anno sequenti, tum ab Alexandro III. suæ immunitatis confirmationem obtinuerunt, eaque potiti

[a] V. Append.

ANN. CHR. 1105

sunt ad nostrum usque tempus, scilicet ad annum M DC LIII. quo anno ab episcopo Ambianensi hæc immunitas, quæ ad opidum sancti Walarici extensa erat, ad solum monasterii ambitum restricta fuit a senatu Parisiensi, non decretorio judicio, sed in rem tantum præsentem constituto. Tunc ad illius causæ examen eruditam dissertationem edidit noster Robertus Quatremarius, in qua falsum esse concilium illud Remense, nullius fidei hac in causa Nicolaum contendit. At illud saltem pro certo habeo, Nicolaum, etsi alias sincerum, bona fide retulisse quæ acceperat ab aliis, quippe qui hanc vitam scripsit ex aliorum relatu, qui ut colorem & gratiam quamdam argumento affingerent, hanc de Walariciana lite, quam in concilio Remensi agitatam infitiari nolim, narrationem festivis circumstantiis exornarunt.

CVIII. Viri comati arguuntur.

Iverat aliquando vir Dei ad opidum sancti Audomari, ubi Robertus Flandriæ comes cum multa procerum turba Christi Domini natalia celebraturus convenerat. Aderant quoque non pauci episcopi, in his Godefridus, qui rogatus a comite, nocte illa sacratissima de more sacra celebravit. In ipso sacrificio post lectionem evangelii, omnibus ad altare munera offerentibus, vir Dei citra personarum acceptionem omnium dona rejecit, propterea quod instar mulierecularum intonsa essent coma. Ea re permoti proceres, simul etiam præsulis sanctitate, certatim gladiis & cultris, cum ad manum non adessent forfices, pilos sibi præcidunt, tanti viri benedictione ob prolixas comas fraudari nolentes, quæ res magnum apud comitem aliosque auctoritatis augmentum ipsi conciliavit. Eodem tempore Serlo Sagiensis episcopus e nostris, cum Heinricus Angliæ rex, cui ob vexationes Rodberti Belismensis adhærebat, apud Carentonum die sancto paschæ * hospitaretur, cum sacra sollemnia celebraturus esset, vidissetque basilicam varia rusticorum supellectile ob prædones occupatam, de Rodberti Belismensis, aliorumque similium rapacitate sermonem habuit, atque etiam contra barbatos & comatos, quod effeminatorum hæc essent indicia, cujus monitis rex, ceterique omnes acquievisse memorantur. moxque episcopus, extractis e mantica forficibus, primo regem, tum ceteros optimates attondisse. Quid modo dicturi essent sancti illi præsules de exemtilibus nostri temporis capillitiis?

* Orderic. lib. 11. p. 815. & seqq.

CIX. Godefridi mira humilitas.

Post hæc Nicolaus insigne refert Godefridi patientiæ & humilitatis exemplum. In reditu ex sancti Audomari opido, vir sanctus Adamum ejus civitatis principem secum adduxit. Cum Ambianensium fines ingressi essent, eis cum multo equitatu occurrit Guermundus Pinquiniaci * vicedominus, & salutato episcopo, manus injecit in Adamum, quocum perpetes habebat discordias & pugnas. Mox Adamus equo imponitur, &, reclamante ac supplicante pro eo incassum episcopo, injectis catenis Pinquiniacum abducitur. Nihil non tentavit vir Dei, quo Adamus e vicedomini manibus eriperetur. Ubi preces nihil obtinent, sacras beati Firmini martyris aliorumque reliquias humi deponit, vicedomini ecclesias interdicto subjicit, eumque anathemate plectit. Hinc furens ille regionis agros vastare, cuncta diripere, incendiis domos & universa complere. Tum vero lugebat gemebatque pius antistes, memor pristinæ quietis, qua in monasterio potitus erat. In his angustiis id consiliū in animum induxit, ut, depositis episcopi insignibus, cilicio simplicique monachi habitu indutus, nudis pedibus vicedominum conveniret. In hoc itaque habitu tendens Pinquiniacum, quod octo fere millibus Ambianis abest, ad sancti Remigii monasterium in nemore situm divertit, ubi a monachis honorifice exceptus est, tum ad vicedominum profectus, ad ejus pedes se abjicit, rogatque ut vinctum sibi reddat. At ferus homo nihil motus, virum sanctum a se facessere jubet, ne cum ignominia expellatur. Tum ecclesiam ingressus præsul, in vicedominum, omnesque ei adhærentes excommunicationis sententiam vibrat. His actis, reversus in urbem, dum preces & lacrymas ingeminat, a Willelmo Pontivi principe viro capitur, & in vincula conjicitur ipse vicedominus: qui a nullo alio se salutem obtinere sperans, quam a Godefrido, de singulari ejus benignitate præfidens eum obtestatur, ut misereatur sui, pollicitus se dirutas ecclesias instauraturum, Adamum dimissurum, ac deinceps emendatius & humanius victurum. Hæc ubi accepit piissimus antistes, lætatur se a Domino exauditum: dolet vicem miseri hominis, & bona pro malis rependere volens, eum adire non cunctatur. Eo conspecto, Guermundus ad ejus pedes accidit supplex, quem antea ad pedes suos abjectum superbus contemserat. Denique, ut paucis absolvam, extrahit pius episcopus vicedominum

* Pequigny.

e carcere, reducit Pinquiniacum, & secum abducit Adamum suum. Has aliasque calamitates cum pateretur pius antistes, consilium & opem quæsivit ab Ivone Carnutensi episcopo, qui Ludovici VI. patrocinium pro eo litteris [a] imploravit.

[a] Ivo ep. 253.

CX. Gebehardus abbas fit episcopus Spirensis.

Ad Spirensem episcopatum promotus est hoc anno Gebehardus Hirsaugiensis abbas, a Rutbardo Moguntiacensi episcopo consecratus kalendis Novembris, testante præter Trithemium chronographo Saxonico necdum edito, in quo Heinricus V. civitate Spira, patrisque ibidem reconditis thesauris potitus, in die omnium Sanctorum virum venerabilem Gebehardum, Hirsaugiensem abbatem, in episcopum Spirensem sublimasse dicitur. Ea in dignitate adeo ejus fama mutata est, teste Tritbemio, ut quem abbatem venerabantur omnes, eumdem episcopum ludibrio haberent. Et ille quidem abbatiam simul cum episcopatu retinere cupiebat; idque nonnulli fratrum monasterio conducturum putabant, utpote cui aucta dignitas plus potentiæ conferret ad ipsos defendendos. At reliqui seniores, qnibus sanior mens erat, contra censuere, id nihil momenti ad suam defensionem allaturum, immo regularis disciplinæ & tei familiaris maximnm detrimentum: propterea quod episcopus, asseclarum multitudine circumseptus, sæpius ad monasterium ventitans regularem disciplinam interturbaret, resque monasterii in suos, suorumque usus effunderet. quod in multis Germaniæ monasteriis acciderat. Quapropter longe consultius visum est, ut alter abbas in ejus locnm substitueretur.

Bruno in Hirsaugia ei succedit.

Itaque Hirsaugienses pridie kalendas Decembris in unum convenientes, Brunonem ejus loci monachum, patria Suevum, qui in sæculo Spirensis canonicus fuerat, elegerunt. Hunc a Richardo Albanensi episcopo & sedis apostolicæ legato, Theotgero sancti Georgii in Nigra-silva abbate aliisqne adstantibus, VII. kal. Januarii ordinatum fuisse Tritbemius tradit, eumque ad magnos labores perferendos parum idoneum, cum per se ipse negotia pauca expedire posset, omnia pæne cellerariis & conversis commisisse, at rebus interioribus sedulo vacasse.

CXI. Cuno fit abbas Sigebergensis.

[b] lib. 62. n. 109. & 110.

In superioribus actum est de primordiis Sigebergensis [b] monasterii, in Coloniensi diœcesi ab Annone archiepiscopo constructi, cujus duo primi abbates fuerunt Erpbo sanctæ memoriæ abbas, & Reginhardus ejus successor, quorum nomina vitiata sunt apud Bucelinum. Reginhardo successit hoc anno venerabilis Cuno seu Cono, postmodum Ratisponensis episcopus, cui Rupertus pleraque sua opera, utpote patrono ac defensori suo, dedicavit. Fuit is, teste ipso Ruperto, *venerabilis abbas, & venerabilium studiosissimus litterarum, quodque eo majus est, monachicæ columna religionis*, qui jam inde ab hoc anno abbas, *Christo fideliter obsequendo, bono implebat odore domum Domini*. Ita de illo Rupertus in epistola ad ipsum Cunonem, libris de sancta Trinitate, ejusque operibus præfixa, quam scribebat anno M C XVII. cum Cuno *in monte Sigebergensi, ad memoriam S. Michaëlis archangeli, annum ab ordinatione sua duodecimum* ageret. Eumdem plurimum laudat in libro XII. de gloria Filii-hominis, eique in primis congratulatur, quod omnia propter Christum & evangelium reliquerit. *Dominam quippe unam, nescio quantulam, & propinquos aliquos, ut percepi, non infimos, nonnihil agrorum habentes, in una civitate reliquisti . . . Quod te non qualicumque tempore, sed in ipso ingressu ferventis adolescentiæ vocavit cita vocatione, ut eum, quem quasi in ingressu mundi posueras, retraheres pedem; & relictis omnibus, patria quoque sive provincia nativitatis tua longe post tergum dimissa, peregrinus ad monachicam vitam confugeres, in montem spiritualis victoriæ suo nomine præsagum. vocatur enim Sigeberch.* Hac de causa Rupertus addit, se illi efflagitanti scripsisse *opusculum libellorum duodecim de victoria Verbi-Dei, quod admirationi esse multis, etiam sapientibus, & ab ipsis libentissime, fateor*, inquit, *ipse gaudens audivi*. Ex præmissis verbis intelligitur, Cunonem ex longinqua provincia oriundum fuisse, & forte ex regione Ratisponæ proxima, quæ occasio fuerit eum eligendi illius urbis episcopum. In consequentibus subdit Rupertus, quanta fuerit Cunonis in abbatiali dignitate existimatio, ut omnes, quibus simplex oculus erat, « longe lateque manentes, *maximeque in domo magna, quæ est Agrippinensis ecclesia*, « ejus sapientiam, auctoritatemque suspicerent, ac revererentur. Eo tempore Norbertus, Præmonstratensium institutor & archiepiscopus Magdeburgensis, in Sigebergensi monasterio educatus fuisse traditur, haud dubie sub Reginhardo vel Cunone abbate, & fortasse sub utroque. Argumento est donatio ab eo facta Sigebergensi monasterio, de qua inferius, cum de origine Urstembergensis monasterii acturi sumus.

ANN. CHR. 1105.

CXII.
Broburgense parthenium, ejusque primæ abbatissæ.

In Flandria occidua prope Gravelingam, maritimam urbem, exstat Broburgum opidum, cui haud ignobile Benedictinarum virginum cœnobium adjacet, quod a Clementia uxore Rodberti comitis, cognomento Jerosolymitani, conditum, dotatumque est. Legimus Paschalis papæ diploma *Godildi abbatissæ venerabilis monasterii sanctæ Mariæ, quod est in castro Broburg*, inscriptum, quo donationes ab eadem Clementia, consentiente viro suo Rodberto factæ, confirmantur; idemque monasterium, sicut a Johanne Teruannensi episcopo confirmatum est, ab omni episcopalis exactionis debito liberum & immune esse sancitur. Datum Laterani nonis Aprilis, Paschalis pontificatus anno VI. Godildis adhuc ejus loci abbatissa erat anno MCXIX. quo Callistus II. Remis ad preces Clementiæ comitissæ ejusdem argumenti privilegium eidem Godildi indulget. Godildi successit Ogiva, cui ab Innocentio II. aliud consimile privilegium anno MCXXXVIII. concessum est. Guibertus Novigenti abbas in libro tertio [a] de Pignoribus sanctorum honorificam mentionem facit de *monasterio Broburgensi, quod multa*, inquit, *religionis sanctarum est virginum.* Illic duæ adolescentulæ clarissimæ indolis sanctimoniales erant, quarum altera cum ante dominicæ resurrectionis diem moribunda esset, a sodali conventa est & multis obtestationibus obstricta, ut post obitum, si Deus sineret, ad se rediret, & quid boni vel mali secum ageretur, renuntiaret. Mortua itaque puella post aliquot paschalis festi dies ex condicto amicæ apparuit gratioso adspectu, asseruitque sibi bene esse cum Erlebaldo Cameracensi decano. Dixit, statimque discessit. Fuit autem Erlebaldus in scripturæ scientia maxime versatus, & amicitia valde conjunctus cum Guiberto, qui hæc refert, eaque a domino suo Bartholomæo Laudunensi episcopo se accepisse dicit. Superest etiam nunc floretque Broburgense parthenium sub Ordine Benedictino.

a *Guibert. p.* 133.

CXIII.
S. Albani & Isineburgenses abbates.

Cum Heinricus filius Spiræ moraretur, ejus pater ex urbe Moguntia Theodericum abbatem S. Albani ad eum misit, filium obtestans, ut recordaretur se patrem ipsius esse, & ne tam pertinaciter eum a regno pellere moliretur. Ille vero exaudire distulit, sed patri suggessit, ut ab urbe egredi festinaret, ne occuparetur ab inimicis. Hæc in prædicto Saxonico chronico, in quo etiam legitur, Isineburgenses monachos, qui Fredericum episcopum Halberstadensem declinantes, jam per quinquennium exsulaverant, regio jussu, scilicet Heinrici filii, honorifice reversos, Martinum abbatem elegisse.

Medianenses item abbates.

Eodem anno Bertricus [b] Mediani-monasterii abbas, postquam triginta-tribus annis locum rexisset, fato functus est, teste Bayone, & quidem VII. kal. Januarii, quo die in necrologio Senoniensi notatur. Milo ejus successor omnium monasterii possessionum confirmationem obtinuit ab Innocentio II.

b *V. lib.* 66. *n.* 78.

CXIV.
Petrus Anagniæ episcopus obit.

Ad res Italicas quod attinet, incidit in hunc annum obitus Petri Anagniæ episcopi e nostris, de quo ad hunc locum agere distulimus. Is nobili Salernitanorum principum ortus genere, primum in Salernitano sancti Benedicti cœnobio, cui tunc ipsius patruus præerat, monasticis institutis informatus; inde ab Hildebrando archidiacono Romam perductus, demum ab Alexandro II. Anagniensi ecclesiæ præpositus fuit. Post decem episcopatus annos, legatio Constantinopolim ad Michaëlem Ducam eidem imponitur ab eodem pontifice: quo mortuo in suam ecclesiam revertit. Verum, cum ad sananda suorum vitia frustra operam contereret, variasque ab eis insectationes pateretur; Jerosolymam cum cruce-signatis irer aggreditur, eo animo, ut illic reliquos vitæ dies absolveret. quod secus contigit. nam beati Magni Anagniæ patroni viso a proposito revocatus, expleta peregrinatione ecclesiam repetiit, & in ea sanctissime devixit III. nonas Augusti hoc anno, episcopatus quadragesimo tertio: quem miraculis illustratum Paschalis II. in sanctorum numerum retulit. Ejus vitam scripsit Bruno episcopus Signiensis, quæ necdum integra typis vulgata est.

CXV.
Casino facta donatio.

Tunc Casinensi monasterio præsidebat Oderisius abbas, cui Rodbertus [c] Calacianorum comes, filius Rainulfi comitis, interventu atque rogatu domni Johannis venerabilis abbatis sancti Gabrielis & aliorum, donavit opidum Pontis-curvi, quod partim dono Richardi principis, partim pretio acquisierat. Hanc vero donationem fecit per manus Brunonis Signiensis episcopi & domni Amici sacerdotis & monachi Casinensis hoc ipso anno, comitatus sui octavo-decimo, idibus Januarii, indictione tertia-decima, in civitate Calacia. Hujus donationis authentico appositum sigillum

c *Chron. Casin. lib.* 4. *c.* 21.

cereum, Rodberti effigiem fere nudam exhibet. Hæc porro donatio non fuit gratuita, ut patet ex litteris Oderisii abbatis, qui quingentas [a] libras eidem Rodberto, & principibus Rodberto & Richardo longe plures se dedisse dicit. Bruno Signiensis episcopus nondum a sua legatione reversus erat, siquidem in Gallia versabatur adhuc anno sequenti, quo Pictavis concilium habuit.

a *V. notas in lib. 3. c. 52.*

Oderisio abbati succedit Otto

Sub finem hujus anni MCV. decessit Oderisius abbas ejus nominis primus, & quidem IV. nonas [b] Decembris, quo die in fastis Benedictinis memoratur. Successit Otto, Fundensium consulum prosapia ortus, Deo ab infantia oblatus Casini sub Desiderio abbate, post aliquot annos factus præpositus in monasterio sancti Nicolai de Pica, ac demum Casinensis non integro biennio abbas: cui cum solita obsequia Richardus princeps ob gravem infirmitatem exhibere non posset, e latere suo viros misit qui id præstarent, mortuus anno sequenti, cui frater ejus Rotbertus in principatu successit. Non unanimi, sed sanioris partis fratrum suffragio electus est Otto abbas, qui Oderisii obitum Alexio [c] imperatori Constantinopolitano significavit: Alexius vero per aprocrisarios suos beato Benedicto pallium purpureum pretiosum transmisit, ex quo pluviale & tunica facta sunt. Non omnino tranquilla fuit Ottonis præfectura. Quidam enim fratres, qui ejus electioni non assenserant, de eo conquesti sunt, quod eis necessaria [d] minime suppeditaret. qui ab eo pulsi querelas suas ad Paschalem papam detulerunt. Ea re commotus pontifex, eos apud sanctum Paulum remanere præcepit, donec de Ottonis electione cognosceret: sed Ottonis obitus id prævertit.

b *Chron. Casin. lib. 4. c. 25.*

c *ibid. c. 26.*

d *ibid. c. 27.*

CXVI. Casinenses quidam ritus.

In domo institutionis Patrum Oratorii apud Parisios servatur Breviarium divini officii ad usum monasterii Casinaris, tempore Oderisii abbatis primi scriptum, in cujus rubricis sub finem multi peculiares ritus habentur, ex quibus paucos hic delibare visum est. In ritu professionis monasticæ novus professus tribus diebus silentium servare debet, & in illo triduo quotidie ad missam offerre & communicare. Tertio die ad missam, cum ad pacem ventum erit, abbas de capite ejus caputium aufert, datque ei pacem; tumque professus prosternit se ad pedes abbatis, ac deinde omnium fratrum, qui dant ei pacem.

In ungendo infirmo post ministrum sacramenti omnes sacerdotes præsentes imponunt manus super infirmum. Unctio fit modo indicativo. Unctionem sequitur communio, *etiamsi comederit ipsa die* infirmus, cui porrigitur viaticum sub hac forma: *Corpus & Sanguis Domini nostri J. C. custodiat animam tuam in vitam aeternam, amen.* Deinde leguntur ante eum passiones Domini. Imminente exitu deponatur in terram super cilicium, conspersum cinere, & dicantur psalmi pœnitentiales.

In nativitate Domini post tertiam ordinatur processio in hunc modum. Præcedit unus frater ferens crucem, quem cuncti fratres bini subsequuntur. Deinde alius, *indutus imperatoria veste*, fert auream crucem, post quem septem acolythi albis induti subsequuntur, ferentes totidem candelabra accensa; & post eos tres acolythi cum turibulis. Deinde sex subdiaconi, induti tunicis, libros evangeliorum portantes; totidemque diaconi, induti dalmaticis, bini procedunt, ita ut duo subdiaconi præcedant, & duo diaconi subsequantur; septimus autem subdiaconus, qui lecturus est epistolam, ferens librum, in quo legendum est ipso die evangelium; & post eum diaconus evangelium lecturus; postremo dominus abbas, vel sacerdos qui missam celebraturus est, pluviali indutus, quem acolythus ferens manutergium sequatur. Pauca hæc e multis sufficiant.

CXVII. Res Casaurienses.

Per id tempus cum Augustinus cardinalis & apostolicæ sedis legatus ad Casauriense monasterium divertisset, dubitaretque, an corpus sancti Clementis papæ & martyris illic haberetur; ad removendam ejus suspicionem Grimoaldus [e] abbas, effossa humo, ubi sacrum corpus jacebat, illud reperit in vase alabastri, in quo tempore Ludovici II. imperatoris repositum fuerat; tum reserata theca repertus est titulus, qui de exsistentia corporis sancti Clementis faciebat fidem, & omnem cardinali dubitationem abstulit. Id factum VIII. kalendas Decembris anno præcedente. Anno autem sequente Gualterius Valvensis abbas, qui Johanni episcopo & Piscariensi abbati in pontificatu successerat, sacrum loculum deposuit in altari, quod Grimoaldus abbas erexerat; illudque rite clausum, & plumbo ferroque obsignatum dedicavit XV. kalendas Novembris. quæ dies deinceps festiva fuit, & advenientibus indulta unius anni remissio de pœnitentia criminalium, & quadraginta dies de venialibus.

e *V lib. 69. n. 85.*

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEPTUAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 1106. ad annum 1110.

ANN. CHR. 1106.

I. Heinrici IV. abdicatio & obitus.

INSEQUENTE anno post millesimum centesimo-sexto Heinricus IV. novo post Ludovicum Pium exemplo exauctoratus, imperii insignia filio cognomini resignavit, quæ missi episcopi ab eo extorsere, usque filium investiere. Post hæc Heinricus senior Leodium se recepit. ubi tum acceptæ ignominiæ dolore, tum sibi adhærentium instinctu stimulatus, ad recuperandam dignitatem copias contraxit. Id ubi filius accepit, continuo illuc cum copiis ipse suis contendit, & cum patre prælium conseruit, in quo pulsus fugatusque est. Tum redintegratis copiis, cum rursus in aciem descendisset, pater victus comprehensusque a filio & multa indigna passus est. qua de re lugubrem ad Philippum Francorum regem epistolam scripsit. Demum ad eas redactus est angustias, ut rerum necessariarum penuria simul & mœrore confectus Spiræ interierit, ubi ejus corpus jussu pontificis insepultum ad quinquennium mansit.

Paschalis iter in Galliam.

Interim Paschalis pontifex, posteaquam Heinricum senem exauctoratum, ejusque filium in ejus locum sublimatum cognovit, ex Urbe in Germaniam, quo a novo rege & principibus invitabatur, iter instituit, eoque in itinere Parmæ Bernardum cardinalem in demortui episcopi locum instituit. Mutinam inde profectus, S. Geminiani episcopi sollemni translationi interfuit cum Mathilde comitissa, quæ ipsi Bononiam accedenti obviam progressa fuerat. Inde Guastallæ ad Padum generale ab eo concilium VIII. idus Octobris habitum, in quo ex indulgentia episcopis & clericis, qui a schismaticis ordinati fuerant, restituta communio est. Ibidem adhuc morabatur VIII. kal. Novembris, cum litteras [a] ad episcopos Galliarum scripsit contra interfectores abbatis Vizeliacensis, de quo infra. Demum intellecto, Heinricum juniorem a remittendis, ut sperabat, ecclesiarum investituris patris exemplo abhorrere; mutato adeundæ Germaniæ consilio in Franciam iter flexit, & conventu Trecas indicto, alpibus hieme asperrima superatis, natale Domini apud Cluniacum celebravit. In villa sancti Hyppoliti [b] versabatur VI. idus Februarii hoc anno, ubi Hugoni abbati confirmavit omnes possessiones & cellas Cluniacensium, quibus id elogii tribuit, quod eorum studio in plerisque Galliæ locis, ubi defecerat, restituta

[a] Spicil. to. 13. p. 471.

[b] Bibl. Clun. p. 537.

esset religio. Transeundo per urbem Lugdunum, consecravit altare majus novæ Athanacensis ecclesiæ, quam Jauceranus abbas recens ædificaverat, paullo post creatus archiepiscopus Lugdunensis. Hinc est quod juxta majus altare Paschalis ipse musivo opere depictus cernitur cum hac inscriptione: *Altare sacrum Paschalis papa dedicavit.* Ad cornu autem evangelii leguntur hi versus:

> *Huc huc flecte genu, veniam quicumque precaris.*
> *Hic pax est, hic vita, salus, hic sanctificaris.*

& ad latus epistolæ:

> *Hic vinum sanguis, hic panis fit caro Christi.*
> *Huc expande manus, quisquis reus ante fuisti.*

Amedeus archiepiscopus Lugdunensis anno M C XLVI. ecclesiam sancti Petri Athanaci dedicasse perhibetur. Athanacensium abbatum indicem habes in Appendice.

II. Antipapæ sub Paschali.

Inter hæc, ut in chronico nostro Saxonico inedito legitur, Wernerus ministerialis Heinrici regis senioris, marchiæ Aquinensi præfectus; Clementis pseudopapæ factionem excitaturus, collectis undecumque per Italiam copiis, corruptis pecunia Romanis nonnullis, dum Paschalis in partibus Beneventanis moraretur, *quemdam pseudoabbatem de Farfara* seu Farsa, cathedræ sancti Petri sub Silvestri nomine imposuit. at ille paullo post a catholicis expulsus, vesaniæ & temeritatis suæ præmium retulit, profusæ scilicet pecuniæ jacturam. Hæc totidem verbis retulit Conradus Urspergensis abbas seu potius Ekkhiardus monachus, & post eos Trithemius. nisi quod vulgatus Conradus *Fafara* mendose habet, Farsa recte Trithemius.

Tres Paschali pontifici antipapæ post Guibertum seu Clementem III. oppositi memorantur, Albertus Attelanus, Theodericus & Maginulfus, quem Johannes Saresberiensis [a] Theoderico anteponit, Onufrius postponit. Hic Theodericum Silvestri III. nomine antipapam, monachum & abbatem Farfensem fuisse dicit; quod Chesnius Maginulfo tribuit. At nullus per id tempus sive Theodericus, sive Maginulfus, Farfensis abbas occurrit. Certius est quod de his antipapis scribit Pandulfus, illius temporis æqualis, in libro necdum edito de vitis pontificum. Guiberto de medio sublato, *alter post alterum*, inquit, *duo statim eliguntur papæ*, id est antipapæ. *& unus eodem, alter post centesimum electionis suæ diem a fidelibus captus.* Primus, *qui Albertus vocabatur, apud S. Laurentium Aversæ retrudi*; & secundus, *qui Theodericus, apud S. Trinitatem in Cava eremiticam vitam addiscere, patrum judicio adjudicati sunt. sicque dejecit eos Dominus, dum allevarentur. Eligitur & tertius, Maginulfus nomine. Hic quia negromantiæ fabulis simplicem populum, illos maxime qui conscientia scelerum vel ambitus, spe futuri successus ad eum refugium fecerant, allicuerat, gravem in ecclesia calcem impressit: sed dum auguriis fisus, pontificium adipisci nititur, quod ex diabolo dari non potuit, divinis destitutus auxiliis, merito amisit; & sacerdotium, quod sine Deo arripuit, tenere non licuit; miser amisit & Urbem: ut exsul gravi inopia, miseriisque afflictus, cariosa, ut aiunt, lingua vitam cum carne finiret. Sic uno, altero, & tertio impie succedentibus, deficientibusque confessis haresim suam, qui pie præerat, immo qui erat Dominus, Paschalis papa convaluit, quievitque.* Hactenus Pandulfus, qui superstite Paschali hæc scribebat. Ubi vides, nullum hic dici monachum abbatemve Farfensem. Certe Maginulfum Silvestri nomine donatum fuisse, eumque Romæ archipresbyterum fuisse, non Farfæ abbatem, palam facit excerptum epistolæ Heinrico imperatori scriptæ a Guarnero principe Anconitano, a Sigiberto relatum ad annum M C V. Post hæc prædictus Pandulfus mentionem facit Petri de Columna, qui Cavas opidum de jure beati Petri invaserat, quod Paschalis recepit; simulque Columnam & Zagarolam, opida juris Petri de Columna expugnavit. In consequentibus ait Pandulfus, Ptolomeo quodam auctore Anagniam, Præneste, Tusculanum, aliasque urbes a pontifice defecisse, eique *adscivisse Petrum de Columna abbatem Farfensem Romanorum copiam*; at eorum molitiones a Paschali repressas fuisse. Verum nullum inter Farfenses abbatem Petrum de Columna per id tempus invenio.

III. Farfensium abbatum series & Berlandi acta.

Berardus quippe ejus nominis primus, domo Hortanus, Farfæ præfuit ab anno M XLVIII. ad annum M XC. cui successit ad breve tempus Rainardus, quem expulit Berardus Florentinus. Hunc anno M XCIX. excepit Berlandus [b] diaconus, aliis dictus Berardus seu Beraldus, ad annum usque M C XIX. superstes: cui Guido abbas suffectus.

[a] Jo. Saresb. ep. 48.

[b] V. lib. 69. n. 87.

ANN. CHR. 1106.

Certe Berlandum Paschali semper addictum fuisse constat, cujus patrocinium adversus pervasores implorat his verbis. *Sanctissime pater, summeque pontifex apostolicæ sedis, proclamamus ad vestram beatitudinem, & intimamus vestræ venerationi, & hujus sanctissimæ synodi religioni, quoniam nostrum monasterium, scilicet Farfense cœnobium, subscriptas res olim acquisivit juste, & possidet proprietatis jure: quas quidam, nobis æmulantes, aut vi abstulerunt, aut callide subripuerunt a nostro monasterio, de quibus nostra ecclesia justitiam suppliciter fieri postulamus. quoniam munimina & instrumenta, legaliter olim nostro monasterio edita ostendere valemus* &c. Idem Berlandus Guarnerii marchionis opem poposcit contra ejusmodi pervasores, in primis contra Moricum & Carbonem, qui eo usque Farfensem ecclesiam divexabant, ut nullus, sive paganus, sive Judæus, deteriora inferre potuisset. quæ omnia suse & graviter describit idem abbas in libello supplici ad Guatnerium marchionem. Ad hæc marchio respondet datis regiæ tutelæ litteris, in quibus *abbas Berlandus, virtutibus & nobilitate clarissimus, zelo justitiæ & ultionis divinæ accensus*, prædictos tandem prædones devicisse, & ad restitutionem compulisse dicitur; vetatque Guarnerius sub gravi interminatione, ne ullus marchio, comes, vicecomes, aut quivis alius, Farfensibus ullam molestiam aut injuriam inferat. Utrumque scriptum, scilicet libellum supplicem & Guatnerii marchionis litteras in Appendice referemus. Non dubitem quin Guarnerius iste idem sit cum prædicto Guarnerio principe Anconitano & cum Wernero illo ministeriali Heinrici IV. marchiæ Aquinensi præfecto, qui pseudoabbatem Farfensem Paschali papæ antipapam opposuisse dicitur a Conrado Urspergensi. Ceterum, si constaret, antipapam illum, quisquis demum sit, abbatem fuisse Farfensem; id intelligendum de quodam æmulo, qui de Farfensi abbatia contenderit cum uno ex prædictis abbatibus: qualis fuit Teuzo ille, quem Clemens pseudopapa [a] Berardo primo substituere molitus est. Jam ad res Gallicanas & Anglicanas redeamus.

a lib. 87. n. 87.

IV. Anselmus infirmatur in Nortmannia.

Dum Anselmus in Nortmannia moraretur, reversis ex Urbe nuntiis Balduino & Willelmo, quos pro negotio investiturarum Romam jussu regis Heinrici & Anselmi ad Paschalem anno superiore missos diximus, Willelmus regi in Angliam responsum retulit, statimque Beccum ad Anselmum reversus, regis nomine eum rogat, ut jam sopitis querelis quantocius in Angliam regrediatur. Mox sanctus antistes, qui recens ex morbo tantisper convaluerat, iter aggressus, Gemeticum adiit: sed, ne ulterius progrederetur, recrudescente infirmitate illic detentus est. qua mitigata Beccum revertitur, regem brevi transfretaturum inibi præstolaturus. Ubi nuntius de proximo ejus reditu in Angliam perlatus est, mira omnes invasit exsultatio: quæ subito in mœrorem conversa fuit, cum eum in gravem morbum relapsum fuisse intellexere. Tantum vero doloris rex ipse concepit, ut diceret, se quælibet damna æquanimius toleraturum, quam Anselmi obitum. quod satis testatur rex ipse in epistola [b] ad eum tunc scripta, qua eum rogat, ut paullo amplius corpori suo indulgeat, & pro nutu suo per omnes suas Nortmanniæ possessiones, nti per proprias imperet. Ingravescente in dies morbo, ita ut jam de ejus vita desperaretur, ad ejus exsequias convenerunt episcopi & abbates: sed omnipotens Deus eum contra omnium opinionem sanitati restituit. Ex his, qui Beccum ad ejus funus convenerant, unus fuit Radulfus abbas Sagiensis, cujus familiaris quidam, cum in reditu Anselmo detraheret, quasi vir Dei ex jactantia cedere nollet, excussus equo in devexum montem, meritas maledicentiæ pœnas dedit. Hic est Radulfus abbas, qui non multo post in episcopatu Roffensi Gundulfo successit. Dehinc ipso die festo assumtionis beatissimæ Virginis rex Heinricus trajecto oceano Beccum accessit, & cum sancto antistite omnibus controversiis finem imposuit, pollicitus se cuncta Anselmo restituturum.

Regis ac reginæ de eo dolor.

b Anselm. lib. 4. ep. 75.

Præter regem, Anselmi morbum & longam absentiam graviter tulit Mathildis regina. Huc spectat ejus epistola [c], edita inter Anselmianas, *Domino suo & patri carissimo inscripta*, qua ei significat tantum se mœroris ex ejus adversa valetudine concepisse, quantum lætitiæ ex proximi ejus reditus nuntio antea conceperat.
» Quapropter eum enixe obsecrat, ut si sui cura eum adhuc tangat, suam de ipsius
» valetudine sollicitudinem & anxietatem aliquo internuntio quantocius relevare
» curet. Quam vero impatienter ejus absentiam ferret pia regina, & quanto desiderio ejus in Angliam reditum exoptaret, alia ejus epistola [d] palam declarat.

c ibid. ep. 76.

d ibid 74.

Non

ANN. CHR. 1106.

V
Præclara ejus monita ad sanctimoniales.
a id. lib. 3. ep. 125.

Non minor fuit Eulaliæ S. Eaduardi abbatissæ ejusque sororum de Anselmi reditu impatientia, ut facile ex duabus Anselmi ad eas epistolis intelligitur, quarum una[a] eis gratias agit, quod pro ipso preces fuderint, cum in exsilio esset, ejusque reditum expetierint: nunc enixius rogare, ut Deum precentur, quo fructuosus sit reditus suus. Tum abbatissæ filias hortatur, ut matri obedientes sint ex animo, non tantum ad humanum, sed ad Dei oculum, cui nihil secretum est. Studeant esse templum Dei sancte vivendo. *Sancte autem vivitis*, inquit, *si ordinem & propositum vestrum diligenter custoditis: diligenter vero hoc facitis, si minima non contemnatis. Vestrum enim propositum semper debet niti ad perfectum, & toto corde horrere defectum.* Plura de his ille in hunc modum.

VI.
Pratellis facta donatio judiciariæ potestatis.
b lib. 70. n. 12.

Cum Pratellensi monasterio præesset venerabilis Richardus abbas superius[b] laudatus, multæ factæ sunt eidem loco donationes. Una est Rotberti comitis de Mellento, qui hoc anno sedens in capitulo Pratellensi, toto monachorum conventu circumsedente, donavit monasterio *libertatem terrenarum possessionum & consuetudines judiciariæ potestatis apud Salernam, salvo ordine monachorum.* Prædictum vero comitem Pratellensibus multum favisse testatur Ivo episcopus in epistola CXLIII. ad ipsum, qua eum laudat, quod domnum Richardum, Pratellensis monasterii abbatem, virum religiosum & prudentem, honeste, prout dignus erat, tractaret, & in negotiis ei assisteret; hortaturque, ut id facere pergat, ad servandas videlicet monasterii possessiones, & recuperandas amissas. *Quod enim*, inquit, *in revocandis monasterii sibi commissi possessionibus elaborat, professionis suæ debito coactus facit: quia ab unoquoque abbate, quando benedictionem accepturus est ab episcopo, hoc exigitur, quatenus profiteatur, res monasterii sui hactenus male dispersas recollecturum, & ad usus fratrum pauperumque fideliter dispensaturum.* Hinc est quod strictioris disciplinæ monachi, cum ad reformanda monasteria, in quibus cum relaxatione vitæ regularis dissipatæ sunt plerumque possessiones, accedunt, ad recuperanda amissa lites habere coguntur. qua de re male audiunt apud sæculares homines, sed immerito, si debitas honestatis, æquitatis & modestiæ leges servent.

Abbas amissas possessiones revocare debet.

VII.
B. Virginis capilli Anselmo aliisque dati.
c Orderic. lib. 11. p. 817.

Illis diebus Boamundus dux Apuliæ, quem Jerosolymis in Galliam accessisse superius diximus, cum Philippi regis filiam Constantiam, post ejus divortium ab Hugone Tricassino comite, apud Carnutas sponsam[c] duxisset, Rotomagum adiit, comitante Brunone cardinale & episcopo Signiensi. His etiam adjunctus erat magister militum, Ilgyrus nomine, vir strenuus & celebris apud suos famæ, Anselmo ab infantia notus, multisque ab eodem beneficiis affectus. Is varias e locis sacris reliquias secum attulerat, in quibus pluris faciebat capillos beatissimæ Virginis duodecim, quos sibi datos aiebat ab Antiocheno patriarcha, cum magistratum militum illic sub Buamundo ageret. Ex his duos metropolitanæ ecclesiæ, totidemque basilicæ sancti Audoëni: binos quoque Beccensi monasterio, in quo educatus, adultusque fuerat, binosque Anselmo dare constituit. Tum missi Carnutas, ubi eos reliquerat, religiosi ordinis viri, qui eos deferrent. Rotomagum appropinquantibus, qui illi urbi destinatos afferebant, Willelmus archiepiscopus cum suo clero & sancti Audoëni monachis obviam processit, magno cum honore in ecclesiam detulit, ac decenti loco reposuit. Quatuor etiam Beccum delati, ibidem pari reverentia excepti sunt: quorum duos Anselmus accepit, eosque Eadmero familiari suo, qui hæc in historia Novorum refert, religiose custodiendos commisit.

VIII.
Fulconi Divensi abbati succedit Rodbertus intrusus.
d id. ibid.

Tunc temporis Fulco Divensis[d] abbas III. nonas Aprilis Wintoniæ in Anglia defunctus est: cujus in locum Rodbertus quidam, sancti Dionysii pseudomonachus, datis Rodberto duci CXL. marcis argenti, intrusus est, non pastor, sed dissipator factus dominici gregis. Cœnobitæ siquidem a facie ejus, tamquam voracis ac furentis lupi, fugientes, in varia monasteria, ut saluti suæ consulerent, se receperunt. Ipse vero supra Divam fluvium in cœnobio castellum exstruxit, & militibus in eo positis speluncam latronum effecit. Quin etiam ecclesiæ ornamenta vendidit in subsidium suorum satellitum. Atque ut Simonis crimini Judæ proditionem adderet, Heinricum Anglorum regem, qui tunc Cadomi versabatur, hac fraude circumvenit. Cum Rotberto[e] duce ejus fratre, qui tum bello invicem diffidebant, Falesiæ pactus est, se regem cum paucis repente adducturum, quem dux cum suis paratus facile comprehenderet. Disposita fraude, proditor Cadomum pergit, regique suggerit, se municipium, quod supra Divam habebat, si secum venire velit,

e ibid. p. 819.

ANN. CHR. 1106.

ei redditurum. Placuit regi conditio: at, magnum, inquit ille, exercitum ducere necesse non est, ne strepitu multitudinis consilium impediatur. qui illic in præsidio sunt pauci milites, mihi prorsus parent. Rex itaque cum septingentis tantum militibus nocte illuc properat, & prima luce ad locum pervenit. Inter ea milites a duce missi Divense municipium præoccupaverant: quibus multi alii e Falesia adjuncti. Tum vero fraude comperta, rex injecto igne castrum & cœnobium comburi jussit, quo incendio, multi, qui in ecclesiam confugerant, perierunt. Tunc cum aliis Rodbertus proditor captus est, & transversus super equum velut saccus, ad regem » adductus. cui rex infit: Perfide, e terris meis quantocius abi. nisi tui Ordinis, cujus » habitum exterius geris, rationem haberem, continuo te membratim discerpi jube» rem. Pulsus itaque proditor, in Franciam, unde ortus erat, cum dedecore confestim aufugit, & Argentolii præfecturam, quia monasterii solitudinem & parsimoniam ferre non poterat, obtinuit. Cumque a quodam Johanne nescio quas consuetudines exigeret, ab eo percussus sine pœnitentia interiit. In Rotberti locum suffectus est Radulfus, vir simplicis & innocentis vitæ: cui post quatuor annos totidemque menses successit Richardus de Aquila, cujus tempore Divenses multa passi sunt a Gaufredo Andium comite, qui Northmanniam infestabat. Nihil notatu dignum occurrit in sequentibus abbatibus, quorum nuda nomina in Neustria-pia videre licet. In illo monasterio servabatur olim Christi-Domini effigies, Luccensi & Ruensi consimilis, quæ a Calvinistis combusta est.

S. Taurini abbatia Fiscamno subjecta.
a *lib. 57. n. 48.*

Hoc etiam anno post mortem Rodulfi abbatis de electo successore controversia orta est in Ebroïcensi sancti Taurini monasterio, quod per ea tempora Fiscamnensi abbatiæ subjectum fuisse alias [a] diximus. Illic cum alium a Fiscamnensibus abbatem elegissent monachi, eos in causam traxerunt Fiscamnenses. Hoc autem discidium Heinricus rex Anglorum & Willelmus Rotomagensis archiepiscopus composuerunt in hunc modum, ut Willelmo Fiscamnensi abbati liceret Sancti Taurini abbatiam, tamquam propriam cellam sibi vindicare, abbatem tum eligendo, tum, ubi res exigeret, deponendo, ejusque loci monachos pro arbitrio mutando. Hæc ex codice cellæ sancti Gabrielis, ubi prædicta electio VII. idus Novembris facta dicitur. Hujus compositionis testes fuere Willelmus archiepiscopus Rotomagensis, Turoldus Bajocensis & Gislebertus Ebroïcensis episcopus, Hilgotus abbas sancti Audoëni, Arnulfus Troarnensis, Ursus Gemeticensis, Walterius sanctæ Trinitatis de Monte abbates, & Willelmus prior Fiscamnensis, qui tunc sancti Taurini abbas electus est. De subsequentibus abbatibus ejus loci consulenda Neustria-pia, quorum plerique Fiscamnenses erant.

IX.
Guiberti abbatis mater obit.
b *lib. 70. n. 78.*
c *Guibert. lib. 3. de vita sua c. 4.*

Post biennium quam Novigentensem præfecturam adierat Guibertus [b], pientissima ejus mater bonæ vitæ cursum meliori fine conclusit, annis non magis quam meritis plena. Hæc Flaviaci, ut superius diximus, in privata cella monasterio adhærente degebat, dierum suorum finem exspectans, cum fatiscente [c] corpusculo, per noctes, quas præ stomachi infirmitate insomnes ducebat, centies Dominum Jesum in oratione replicans, demum morbis omnino victa decubuit. Aberat cum Guiberto alter ejus filius, qui ambo Novigenti versabantur. Itaque cum illi moribundæ adstaret Guiberti magister, ei suggessit ejus filios abesse; forsitan eam ægre laturam, » illos ægrius, si morienti præsentes non adessent. Immo vero, ait illa, oculis ma» gistrum reverberans, si hic in ipso claustro commanerent, neque hos, neque meo» rum quemquam obitui meo interesse vellem. Ceterum unum sibi morienti adesse » velle, qui utinam solus adsit. Hæc illa dicebat ea nocte, qua Gabriel angelus ad Virginem missus cantatur, quo die ad suam illam, quam præcordiali affectu colebat, Dominam migravit. Ante paucos vero quam decederet annos, sacrum suscipere velum valde exoptaverat; sed prohibuerat Guibertus, ei sufficere inquiens continentissimam sine exteriori habitu vitam. quod & ipsum Anselmus, tum Beccensis abbas, postmodum Cantuariensis archiepiscopus, olim vetuerat. Verum illa nihilo minus in proposito persistens, velum sibi in extremis dari voluit a Johanne Flaviaci abbate, quem ipsa parvulum nutrierat. Sic pia illa matrona die festo annuntiationis migravit ad Dominum, & ad Dominam illam suam, sacro illo velamine induta, quod ante triennium ab ea se accepisse aiebat.

X.
Mauriniacensis monasterii initia.
* *Estampes.*
* *la Iuine.*

Dum Flaviaci hæremus, agendum est de primordiis Mauriniacensis monasterii, quod paullo infra Stampas * in Senonibus ad Junnam * fluvium positum, Flavia-

censibus originem suam acceptam refert. Initium habuit a Stirpiniaco*, cujus loci mediam partem vir nobilis Ansellus filius Aremberti, alteram Haimo filius Senechildis de Firmitate-Bauduini, Flaviacensibus monachis ad construendam cellam donavit. Non multo post idem Ansellus Mauriniacum illis concessit, probante Hugone de Pusiaco * seu Puteolo, cujus dominio hic locus subjectus erat. Cum præ alio hic situs arrisisset, eo migrare statuerunt monachi, ibidemque novi monasterii fundamenta jecerunt, suppetias ad ejus constructionem conferentibus Stampensibus opidanis; perfectoque opere ecclesiam in honorem sanctissimæ Trinitatis consecrari curarunt, & in abbatiam erexerunt, cujus abbas primus fuit Rainaldus monachus Flaviacensis. Quo præcise anno hæc transmigratio facta sit, ignoramus, ob defectum libri primi chronici Mauriniacensis, quem Teulfus monachus, postmodum abbas, scripserat, cujus libri extrema tantum pars exstat, cum duobus sequentibus aliorum auctorum libris, a Chesnio editis in tomo IV. veterum historiæ Francicæ scriptorum. Prima nobis illius abbatiæ occurrit mentio in litteris conventionis factæ inter Rainaldum abbatem & monachos Mauriniaci, & inter Hadvisam * abbatissam & sanctimoniales parthenonis sancti Eligii apud Parisios, super quodam loco, quem Mansiones * vocant, quem illæ Mauriniacensibus monachis sub certis conditionibus, assentiente Guillelmo Parisiensi episcopo, cesserunt. Hæc cessio necdum scripto consignata erat, cum Guillelmus episcopus Jerusalem profectus est: sed eo absente instrumentum hac de re confectum anno M C II. confirmantibus Stephano archidiacono, Fulcone decano, & Rainaldo archidiacono, in quorum manu Guillelmus episcopus curam & providentiam rerum episcopalium dimiserat. Subscribunt ex parte sanctimonialium inter alios *Herluinus pædagogus Ludovici regis filii*, *Galterius filius suæ matris*, quo nomine spurii designabantur, & alii, quos in historia [a] Stampensi, auctore Basilio *Fleureau* Barnabita, videre licet cum aliis instrumentis, quæ mox compendio referemus.

ANN. CHR. 1106.
* Estrechi.
* du Puiset.
* Sic ms. al. Alvisiam.
* Mesons.
a Antiq. d'Estampes p. 499.

Benefactorum nomina, qui ad monasterii constructionem subsidia contulere, Teulfus in fine libri primi recenset, ex quibus Ermauricus Stampensis opidanus contulit ecclesiam sancti Juliani, ubi olim sanctimonialium abbatia fuerat, nunc simplex capella, in agro Stampensi, antiquæ fabricæ, Brunechildi reginæ tributa, in qua sub exiguo fornice capsula nuper [b] reperta est, continens inter alia *caput sancti Juliani martyris, quod Severinus attulit de Antiochia civitate temporibus Brunegildis reginæ*, ut vetus inscriptio præferebat. Idem Teulfus laudat Bauduinum quemdam, qui in monasterii & dormitorii opere multum laborasse dicitur, locum diu incultum vepribus, tribulis, filicibus & dumis expurgasse, *hospites oblatiarios pene octoginta* inibi congregasse, ac multas ab accolis vexationes & calumnias pertulisse. quæ quidem illi, uti & omnibus loci exstructoribus, provectoribus & tutoribus, a Deo retribui auctor precatur. *Mihi quoque Teulfo*, inquit, *qui hæc dictavi, qui nescio utrum aliquid umquam huic loco profecerim, excepto quod totam bibliothecam hanc a Genesi usque ad ultimam Pauli epistolam, Augustinum de Trinitate Dei, de verbis Domini super Johannem, Moralia Gregorii, & quosdam alios, prout melius potui, emendavi, & accentus distinxi. qui diu præcentor fui, postea vero prioratum regere tentavi: sed ita regere, ut dignum foret, partim ignorantia, partim incuria, partim infirmitate, non corporis, sed morum, præpediente non potui.* qua de re a lectoribus preces, ut Deus ipsi ignoscat, exposcit vir modestissimus, qui demum Rainaldo abbati successit.

b ibid. p. 17.

Præcipuus ejus loci benefactor fuit rex Philippus, & post eum Ludovicus ejus filius. Primo enim Philippus, ut monasterii libertati consuleret, Mauriniaci feodum emit ab Ebrardo Puteoli Domino, qui tum Jerusalem profecturus erat. Deinde ecclesiam sancti Martini de Veteribus-Stampis, in qua duodecim canonici erant, abbati & monachis hoc anno attribuit. quod a filio suo Ludovico *rege designato* confirmari voluit. Hinc Ludovicus, assumtis secum Emmaurico Montis-fortis domino & Simone Nealfæ, in capitulum Mauriniaci venit, *participium beneficiorum nostrorum*, inquit Teulfus, *petiit & accepit*, litteras istius donationis super altare posuit; & ita donum patris confirmavit. Mitto varias lites super hac donatione, tum a canonicis, tum ab archiepiscopo Senonensi excitatas, cujus rei litteras, quas compendio suis locis referemus, in secundo libro chronici Mauriniacensis, & in prædictis Antiquitatibus Stampensibus videre licet. Tandem vero Daimbertus archiepiscopus & canonici regiæ donationi assenserunt, eaque ecclesia in conventualem cellam redacta.

Philippi & Ludovici regum benefacta.

ANN. CHR. 1106.

X I. Urſo priori S. Martini a Campis ſuccedit Theobaldus.

a *V. lib.* 65 *n.* 56.
b *Marier, p.* 150.

Si attigit hunc annum, certe non exceſſit Urſus [a] monaſterii ſancti Martini a Campis primus prior, cujus quanta fuerit religio & exiſtimatio, ſatis ſuperque declarat conſtitutum de ejus anniverſario, quod Theobaldus ejus ſucceſſor, Hugone Cluniacenſi præcipiente atque confirmante, inſtituit. Eo die, qui in hiſtoria monaſterii [b] non exprimitur, veſperæ, matutinæ, & miſſa ſollemni ritu celebrari debent. Ad » miſſam ſacerdos *auratis & pretioſis veſtietur indumentis:* armarius pretioſa cappa in» dutus chorum tenebit. Seniores ipſo die refectionem in refectoriu habebunt. Dum » miſſa matutinalis cantabitur, duodecim pauperes pane, vino & carne reficientur: » ceteris vero pauperibus panis & vinum dabitur. Inſuper a domno Pontio abbate, » aſſenſu Theobaldi prioris & conventus, ſtatutum eſt, ut per cuncta ſuccedentia tem» pora unus frater monachus pro anima domni Urſi prioris in hoc monaſterio ſuſcipia» tur; eoque mortuo, unus pauper præbendam ejus tam diu habeat, donec in ejus lo» cum alius ſubrogetur.

c *ibid. p.* 286.

Quod attinet ad Theobaldum, hoc ipſo anno Hubertus [c] Silvanectenſis epiſcopus, poſt Letaudum ipſius anteceſſorem, rogatu Theobaldi prioris confirmavit donationem, quam Robertus vicedominus beato Petro Cluniacenſi & ſancto Martino de Campis fecerat eccleſiæ ſancti Nicolai de Aciaco, ubi cella monachorum erecta eſt. *Actum publice in capitulo ſanctæ Mariæ Silvanectenſis anno incarnati Verbi* M C VI. *epiſcopatus autem domni Huberti epiſcopi anno* VII. *regnante rege Philippo, & filio ejus Ludovico jam juvene.* Hujus tamen cellæ ſeu monaſteri *fundator* cenſetur Guido de Turre, cujus ſepulchrum & epitaphium ibidem viſitur. Paſchalis papa anno ſequenti Theobaldo priori omnes ſancti Martini [d] poſſeſſiones confirmavit.

d *id. p.* 153.

X I I. Manaſſæ Remorum archiepiſcopo ſuccedit Rodulfus.

e *Marlot to.* 2. *p.* 342. *& ſeqq.*
f *Ivo ep.* 206.

Quantæ vero auctoritatis fuerit Theobaldus, illud argumento eſt, quod poſt mortem Manaſſæ archiepiſcopi Remenſis, quæ hoc anno accidit XIV. kal. Octobris, cum de eligendo ſucceſſore turbæ inter canonicos [e] ortæ fuiſſent, aliis Rodulfum-Viridem majoris eccleſiæ præpoſitum, aliis Gervaſium Hugonis comitis Regiteſtenſis filium, aliis denique Lambertum ſancti Bertini abbatem præferentibus, Ivo Carnu» tenſis epiſcopus & Theobaldus beati Martini Pariſienſis prior, qui Rodulfo fave» bant, regem [f] interpellarunt, ut, expulſo invaſore Gervaſio, pacem Remenſi ec» cleſiæ reſtitueret, & Rodulfum, in ſuam gratiam receptum, eidem eccleſiæ præeſſe » concederet. quibus rex acquievit, eique Rodulfus Aurelianis in natali Domini anno M C VIII. ſacramentum fidelitatis præſtitit. quod Ivo a Paſchali papa, cui hac de re ſcribit, æqui bonique conſultum cupit. Multos tamen Gervaſio faviſſe patet ex clericorum Remenſium epiſtola hactenus inedita, quam ex cod. mſ. erutam ad calcem hujus voluminis referemus. Unum ex ultimis Manaſſæ factis fuit donatio altarium Taiſnaci * & Baironis * facta eccleſiæ beati Remigii hoc anno, pontificatus ſui decimo: cui donationi ſubſcripſere Azenarius abbas ſancti Remigii, Hugo Alrivillarenſis, Rodulfus Moſomenſis, Rodulfus item ſancti Theoderici, Burchardus ſancti Baſoli, Jorannus ſancti Nicaſii, & Emmo ſancti Caloceri ſeu Mauri-montis abbates. Ad Rodulfum ſeu Radulfum quod attinet, ubi primum in ſede Remenſi ſtabilitus fuit, Paſchalem pontificem, qui ipſi ſuccenſuerat ob fidem regi ſacramento firmatam, per Godefridum Ambianenſem epiſcopum & Matthæum canonicum placari curavit; ob idque in litteris ſuis hanc formulam adhibere ſolet, *ad Remenſis eccleſiæ culmen ſola pietate divina provectus*, ut illius ſacramenti invidiam removeret. Matthæus canonicus modo laudatus, is eſt qui poſtea monachus fuit Cluniacenſis, tum ſancti Martini de Campis prior, demum cardinalis & epiſcopus Albanenſis, de quo inferius acturi ſumus. Ceterum Rodulfo in ſede ſtabilito, Gervaſius ejus æmulus archidiaconatum Remenſis eccleſiæ aliquamdiu retinuit, ſed poſtmodum abdicavit, factus poſt obitum fratrum comes Regiteſtenſis.

* *Tainay.*
* *Bairon.*

X I I I. Lambertus S. Bertini abbas ad id electus non acquieſcit.

g *Anſelm lib.* 3. *ep.* 139.

Electionem porro ad archiepiſcopatum Remenſem Lamberto ſancti Bertini abbati fuiſſe delatam, probat Anſelmi reſcriptum [g] ad ipſum, qui eum conſuluerat, anxius an oblatum ſibi honorem ſuſcipere deberet. Anſelmi conſilium eſt, ut nihil dicat » faciatve, quo ad eam dignitatem ineundam adducatur, nulla eum neceſſitas ad id » cogat præter obedientiam; nullamque obedientiam admittat, niſi a domno abbate » Cluniacenſi, cui nuper ſe ſubdiderat. Ceterum non probat ſanctus præſul, quod » Lambertus ipſi ſcripſerat, ſe malle inobedientiæ culpam incurrere, quam tam ope» roſum onus ſuſcipere. *Periculoſior namque eſt*, inquit, *inobedientia, quam non ſequitur pœnitentia; quam ſit obedientia, qua in ſpe miſericordia Dei aggreditur etiam ea, quæ*

videntur impossibilia. Virtus enim & meritum obedientia, cum sola hominem impellit in pericula, aut defendit hominem a peccato, aut, si forte peccat, valde veniale est, si comitatur semper pœnitentia. Qui autem vivit in inobedientia, nullum bonum opus facit sine macula. Tam pretiosa effata hoc loco referre operæ pretium visum est. Non mirum, si non prævaluerit Lamberti electio, qui nihil de se contulit ad hunc honorem adipiscendum, immo eum subterfugit.

ANN CHR. 1106.

Cum Ingelbertus abbas monasterio sancti Quintini de Insula præesset, regularem illic disciplinam ac pietatem floruisse testatur Baldricus Noviomensium ac Tornacensium episcopus in litteris suis, quibus altaria quædam eidem loco absque personatu hoc anno concedit rogatu Ingelberti abbatis; præfatus id se facere, ut sanctorum « ac religiosorum virorum orationibus vitam suam commendaret, ac bene viventi- « bus & Deo devote servientibus subveniret. Idem post quatuor annos, ejusdem ab- « batis ac fratrum deprecationibus varia suæ parochiæ altaria eisdem confirmat, omnesque eorum possessiones. *Actum Noviomi anno dominica incarnationis* M C X. *indictione* III. *regnante rege Ludovico anno* II. *episcopante domno Baldrico anno* XI. Idem Ingelbertus post quatuor annos, privilegium a papa Paschali obtinuit, usque ad Innocentii II. pontificatum superstes.

S. Quintino de Insula data altaria.

Pervenit ad hunc annum Arnulfus abbas Latiniacensis, qui senio confectus pridie kal. Martii e vita migravit, idem sanctæ Columbæ apud Senonas abbas. Ejus successor in Latiniacensi monasterio fuit Gaufridus, anno M C XXII. laudatus in chartario sancti Martini de Campis. quo post biennium mortuo, Theobaldus, Campaniæ & Briegii comes, quemdam sancti Nicolai in silva Vedogia monachum, *consilio domni Norberti*, a Simone abbate acceptum, Latiniacensibus præfecit, ut Hermannus Laudunensis monachus tradit. Fuit is Radulfus II. de quo inferius.

XIV. Latiniaci & S. Columbæ abbates.

Post Arnulfum sanctæ Columbæ præfecturam adeptus est Roscelinus, qui genere nobilis & sapientia insignis fuisse dicitur, an Roscelinus ille Nominalium antesignanus, de quo in superioribus actum est. Eo abbate sanctæ Columbæ monasterium ad tantam redactum erat penuriam, ut vix necessaria fratribus suppeterent: at ejus industria in meliorem statum refloruit. Hoc autem anno sancti Lupi episcopi corpus a Daimberto translatum est die festo sanctorum Simonis & Judæ apostolorum. Roscelino successit anno undequadragesimo Theobaldus abbas, de quo alias.

Cum Gosfridus seu Gaufridus Blesensi sancti Launomari monasterio aliquamdiu præfuisset; præsente Brunone Romanæ ecclesiæ legato, dignitatem hoc anno abdicavit, sive solitariæ vitæ, quam prius excoluerat, desiderio, seu potius inconstantiæ vitio, cujus statim non dubium dedit argumentum. Nam non multo post quam in solitudinem regressus erat, abbatiam repetere, & Mauricium, quem ipse [a] in abbatiali sede collocaverat, deturbare in animum induxit. Consultus hac de re Goffridus Vindocinensis abbas, qui rei gestæ præsens interfuerat, Ivoni episcopo [b] respondit in hunc modum. *De depositione domni Gosfridi, olim Blesensis abbatis, & de promotione domni Mauricii, qui contra nos diu injustas exercuit inimicitias, & parum fructuosas sibi egit querelas, sicut audivimus & vidimus, veritatis testimonium perhibemus. Vidimus itaque domnum Gosfridum in præsentia domni Brunonis, Romanæ ecclesiæ tunc legati, abbatiam suam relinquere, & domnum Mauricium in abbatem propria voce eligere, eumque electum, & suis manibus deductum, in locum, quem ante ipse tenuerat, collocare. Hoc vidimus, & coram Deo & hominibus testificamur palam ita factum fuisse. Sed, si quid aliter actum est in occulto, confitemur nos prorsus ignorare. Fieri enim potuit, ut aliud lingua domnus Gosfridus pronuntiaret, & aliud occultaret in pectore.* Perstitit in abbatia Mauricius, qui cum Goffrido abbate Vindocinensi litem habuerat super capella quadam, quam permissu Ivonis episcopi exstruxerat intra terminos parochiæ de Ulca, quæ forte ad Vindocinenses pertinebat. Unde Goffridus Vindocinensis abbas ait, eum *inimicitias* in se exercuisse. Blesensium partes defendebat Ivo episcopus, ut ex ejus litteris [c] manifestum est. Eidem Mauricio Adela comitissa donationem fecit cujusdam partis Silvæ-longuæ, & trium modiorum salis ad portum, pro anima carissimi sponsi sui Stephani comitis & pro animabus parentum suorum ac sua, eo pacto, ut monachi singulis hebdomadis unam missam pro ipsa decantarent, & pauperem unum quotidie reficerent; post mortem vero ipsius anniversarium celebrarent. Mauricio successerat anno M C XXX. Rainaldus abbas, quo anno Gaufridus Carnutum præsul, & apostolicæ sedis legatus, Gautridum comitem ad restituen-

XV. Blesenses item abbates.

a V lib. 70. n. 13.

b Goffrid. lib. 2. ep. 14.

c Ivo ep. 72.

dam sancto Launomaro villam Romanæ compulit. Rainaldum excepit Gaufridus II. cui successit Ernaudus Petri Blesensis nepos.

ANN. CHR. 1106.

XVI. Bernerius abbas Bonæ-vallis.

Tunc temporis Bonævallense apud Carnutas monasterium post Rotbertum administrabat Bernerius abbas, alias jam a me laudatus, tanti ab Ivone episcopo habitus, ut eum Romam negotiorum suorum causa miserit ad Paschalem, cum ipse præ infirmitate iter illud conficere non posset. *Unde* [a] *misi vobis*, inquit, *Bernerium Bonavallensis monasterii abbatem, boni testimonii virum, Romana ecclesia bene notum, qui & necessaria nostra vobis insinuet, & ea, qua ei commisimus, a sanctitate vestra reportet.* Ejus quoque rogatu idem Ivo [b] beati Petri ecclesiam, in Castro-dunensi sitam, Bonævallensi monasterio contulit, ea lege, ut ejus clerici præbendas, quam diu viverent, si tamen caste vixerint, retinerent, & post eorum obitum monachi illic viventes, eas obtinerent. Eumdem Ivo [c] hortatur ad benigne recipiendum monachum apostatam, qui ad ovile reverti cupiebat, & ad dandam alteri facultatem [d] migrandi e vita cœnobitica ad ereminicam, ne ex invidia impedire videretur, quasi in fraternæ famæ imminutionem cederet. Nonnibil tamen simultatis habuit Bernerius, aut certe Rotbertus ejus antecessor, cum Ivone & Blesensibus monachis, ut ex aliis ejus epistolis [e] liquet. Verum Bernerium extulit præ aliis Goffridus abbas Vindocinensis, qui hunc *virum æterna memoria* [f] *dignum, & Spiritus sancti igne succensum* dicit, quippe qui ab increpatione simoniacæ impietatis spiritum, quo agitabatur, » reprimere non valens, multos in se adversarios concitaverit, aliis frustra id fieri » aïentibus, quia in hominibus qui hoc vitium corrigat non invenitur. *Tu vero*, inquit Goffridus, *desiderio repletus prophetico, tibi suaderi nullatenus potest, quin semper inquiras, qui tecum assurgat contra regnantem in sancta ecclesia abominationem . . . . Clama itaque tu, organum Dei, tuba Spiritus sancti: ne sileas, egregie praco veritatis . . . Noli, vir sancte, noli credere illis, qui te loqui asserunt sine utilitate, quoniam eos, contra quos loqueris, revocare non potes a scelere. Qui talia dicunt, tecum pariter Johannem, sanctum Domini pracursorem, redarguunt.* Hæc & alia plura Goffridus, qui *dimidium* [g] *anima sua, & si non sufficit, animam totam* ei vovet. quibus nihil magis honorificum de Bernerio afferri potest. Vir tantus cum esset Bernerius, insectationes nihilo minus a suis passus est, ita ut Cluniacum secedere cogitaverit.

[a] Ivo ep. 147.
[b] id. ep. 284.
[c] id. ep. 226.
[d] id. ep. 163.
[e] id. ep. 216. & 217.
[f] Goffrid. lib. 4. ep. 16.
[g] id. ibid. ep. 17.

XVII. Bernardus Tiron. S. Cypriani libertatem tuetur.

Dum Bernardus, sancti Cypriani apud Pictavos abbas, fratres suos ad accuratam regulæ observationem adducere niteretur, illi assuetis abstinere non ferentes, varia ei incommoda [h] inferunt. quæ cum a proposito eum abducere non valerent, novum in eum commentum struunt. Cluniacensibus quippe suggerunt, se eis manus daturos, si sancti Cypriani monasterium suis legibus subjicere velint. quod si fieret, Bernardum illinc discessurum minime dubitabant. Probato consilio, Cluniacenses papam iterum adeunt, obtinentque, ut Bernardo abbatis officium interdiceretur, nisi monasterium ipsis subderet. Id ubi Bernardus accepit, mox Romam denuo pergit, & coram pontifice causam discuti flagitat. Verum cum nihil impetraret, papam ad divinum judicium provocavit. Ea libertate offensus pontifex, virum Dei a conspectu suo repulit: sed postea, cum a Johanne & Benedicto cardinalibus, quantæ sanctitatis esset, quod illi in concilio Pictavensi probaverant, rescivisset; eumdem ad perorandam causam revocavit. Tum ille sic orsus est. "Jam ab aliquot annis, beatissime » pater, vestra sanctitas, & quam plures qui hic adsunt honorabiles viri non igno» rant, quo pacto sancti Cypriani ecclesia, quæ mihi indigno commissa est, multo» rum annorum curriculis sua fruens libertate, magna religione floruerit, antequam » Cluniacense monasterium conderetur. Nunc vero Cluniacensis abbas, juxta Isaïæ » vaticinium, *ad uxorem meam hinnire* non desinit, & mihi qualicumque abbati su» perba tyrannide dominari appetit, archiabbatis nomen contra Regulæ edictum » usurpans. Ego vero ad vestrum tribunal accessi, ut ecclesiæ nostræ libertatem defen» dam, precorque, *ut vestra majestatis pracellens sublimitas*, more capitis membro pa» tienti condoleat, & succurrat, atque utriusque partis causa discussa, justum nobis » judicium reddat." Ad hæc cum inania tantum verba reponerent Cluniacenses, sancti Cypriani libertas judicio apostolico asserta est, & abbatis officium Bernardo restitutum. Quin etiam pontifex eum creare cardinalem, & apud se retinere voluit: at cum vir Dei utrumque recusaret, ecclesiastica ei munia injunxit, potestatem scilicet prædicandi populis, confessiones excipiendi & baptizandi. quo facto, Bernardus ad sua rediit.

[h] V. lib. 71. n. 82.

ANN. CHR. 1106.

Vastas lustrat solitudines.

Verum non diu in suo monasterio perstitit. nam vitæ solitariæ studio abreptus, primo quidem cum paucis discipulis ad Causeum insulam, ubi olim aliquamdiu delituerat, denuo secessit: inde a piratis spoliatus, ad locum qui Quercus-docta dicitur, se recepit: ubi multi ad eum discipuli confluere cœperunt, ex labore manuum viventes, quibus ob id prolixiores monasteriorum psalmodias contraxit. Sed quia hic locus Fulgeriarum * castro nimis vicinum erat, Radulfus Fulgeriensis sex milliariis longius locum eis concessit, in silva Saviniacensi, ubi domnus Vitalis monasterium exstruxerat. Verum quia duo tam magna luminaria simul cohabitare non decebat, a Rotroco Perticensis pagi * comite locum a Novigento castro uno tantum milliario sepositum, quod Arcisias * vocant, obtinuit: at Beatrix comitis mater, longius a Novigento, ubi Cluniacensium cella erat, Tironum Bernardo a principe conferri curavit, ubi deinceps Bernardus cum suis constitit, ut in consequentibus videbimus.

* Fougeres.

* le Perche.

* Arcisses.

XVIII. S. Albini abbates.

a Labbe bibl. to. 1. p. 276.

Sub hujus anni initio obiit Girardus [a] abbas sancti Albini apud Andecavos, cum illud monasterium annis viginti-quatuor administrasset. Ejus obitus notatur v. idus Januarias. Eo mortuo facta est contentio de successore, aliis Paganum quemdam, aliis Arcbembaldum præferentibus. Pagano favebat Paschalis papa, sed tamen Archembaldi prævaluit electio. De hac contentione exstant duæ Goffridi Vindocinensis abbatis epistolæ, quinta nimirum & sexta libri primi, utraque ad Paschalem. Sexta videtur prius scripta, in qua scribit, domnum Paganum, beati Albini electum, « quem pontifex ipsi Goffrido commendaverat, multa gravamina passum esse; ejus- « que electionem absque judicio & audientia ei ablatam, & Arcbembaldum subro- « gatum, qui prius in capitulo suo, ipso Goffrido præsente, inter manus Andega- « vensis episcopi *cum regula S. Benedicti* porrecta episcopo, in signum dimissionis, ab- « batiam penitus dimiserat: quia sicut ipsemet, & tota congregatio confitebatur, « præ animi & corporis infirmitate tantum onus ferre non poterat. Paganum itaque, « cum se nec auditum, nec vocatum, quasi damnatum videret, ne id in sui infamiam « verteret; episcopum Andegavensem & Engolismensem legatum apostolicum con- « venisse, & audientiam ac justitiam ab eis petiisse; sed utramque ei negatam. Quam « ob rem justitiam pro eo Goffridus postulat a Paschali, qui ejus causam litteris ipsi commendavit, sed absque fructu, obsistentibus scilicet quibusdam monachis, ut ex quinta epistola intelligitur, in qua necessarium esse dicit, ut ne hæc tanta præ- « sumtio monachorum inulta remaneat. Exstat in Appendice Paschalis epistola ad « Radulfum Turonensem archiepiscopum, Ildebertum Cenomannensem episcopum & Marbodum Redonensem, quibus causam Pagani-Alerici (sic eum cognominat) dijudicandam committit. Nihilominus Archembaldi, ut dixi, prævaluit electio, qui ordinatus fuerat VIII. idus Februarias, ut legitur in brevi chronico [b] Andegavensi, in quo Gaufridus Martellus comes eodem anno apud Candeïum * occisus dicitur XIV. kal. Julii, cum scilicet illud castrum obsideret, & *juxta avunculum suum* in ecclesia sancti Nicolai sepultus fuisse. In libro de gestis [c] consulum Marrellus Landæ castro occisus dicitur. In præmissa Goffridi epistola mentio fit de Engolismensi legato, scilicet Girardo, qui legati apostolici honore longe ante concilium Romanum anni M C XII. donatus est, ut ex sequentibus annis patebit.

b ibid. p. 282.

* Candé.

c Spicil. to. 10. p. 498.

Stephanus abbas Nucariensis.

Is aliquando venit ad Nucariense monasterium, cui tunc præerat Stephanus, Rainerii successor, vir potens opere & sermone, & magnæ auctoritatis apud omnes. Eo abbate, Goscelinum & Hugonem, Hugonis de S. Maura filios, cum proditor nescio quis incautos & inermes occidisset, Stephanus eorum cadavera in atrio suæ ecclesiæ sepelivit. Non multo post cum Nucarias accessisset Girardus Romanæ sedis legatus, & Engolismensis episcopus, rogatus a Stephano abbate ad tumulos fratrum se contulit, fusisque pro eis precibus, illos apostolica auctoritate absolvit. Eodem abbate miles quidam, scilicet Sulio de Rupibus, monasterii cœmeterium homicidio polluit. qua de causa excommunicatus ab archiepiscopo Turonensi, facti pœnitens Nucarias adiit, ubi coram altari prostratus ac nudatus, virgisque cæsus, indulgentiam obtinuit. Idem abbas ab Huberto Petrosello viro nobili de Monte-Basonis tunc infirmo invitatus, eum invisit, ac monastica veste donatum ad monasterium deferri curavit. Is convalescens monachus Nucariæ vixit, & assentientibus ejus uxore & liberis ecclesiam Marthaici monasterio dedit, cujus donationi complures viri nobiles subscripserunt. Stephano abbati sub annum M CX. successit Gandi-

ANN. CHR. 1106.

nus de Poento, vir religiosissimus & magna itidem gratia præditus apud optimates, qui monasterium viginti-tribus annis rexit.

Pictavense concilium.

Interim apud Pictavos concilium hoc anno habitum est, præsidente Brunone Signiensi episcopo & cardinale, cui Boamundus Antiochiæ princeps, post celebratas cum Constantia nuptias, interfuit, suppetias ad sacram expeditionem postulaturus. *Plenum & celebre concilium* vocat Sugerius, qui & ipse concilio interfuit, recenter *a studio* reversus, ut de se testatur in libro de vita Ludovici Grossi, asserens Boamundum ad Jerosolymitanum iter multos animasse: *quorum freti comitatu multo, multaque militia, tam ipse Boamundus, quam domina Constantia, necnon & ipse legatus, ad propria prospere & gloriose remearunt.* Hoc ipso anno Radulfus de Garda, habitum monasticum in Maxentiano cœnobio suscepturus, terram Ribleriæ & *Pamperou*, quam pretio dato comparaverat, sancto Adjutori-Maxentio contulit in manu Garnerii abbatis, consentiente Tetbaudo filio suo. Non multo post apud Pamperovium erecta est cella sub titulo sancti Maxentii, quæ demum patribus Soc. Jesu Pictavensibus tradita est.

Pamperovii cella.

XIX. Hugoni archiepiscopo Lugdunensi succedit Jocerannus abbas.

Hic annus extremus fuit celebris illius Hugonis, ex episcopo Diensi archiepiscopi Lugdunensis, qui cum ad concilium, haud dubie Guastallense, ex mandato pontificis proficisceretur, Segusii * ad Alpium radices fato functus est, sepultusque ibidem in abbatia sancti Justi. Ejus obitum venerabilis Hugo Cluniacensis abbas Anselmo Cantuariensi litteris significavit, quas hic referre juvat.

* *Suze.*

Reverendissimo patri & dulcissimo amico, Anselmo Cantuariensi archiepiscopo, suisque omnibus, frater Hugo peccator, Cluniacensis abbas, salutem, & sine fine gaudium. Quoniam noveramus, quanta inter vos & domnum Huganem Lugdunensem archiepiscopum, Deo volente, exstiterit familiaritas, dignum duximus vobis significare ejusdem obitum, nobis & omnibus bonis viris gravem, & irrecuperabiliter dolendum, quatenus & per vos, & per vestros, veram quam vivens exhibuit dilectionem, nunc ei defuncto repensare studeatis. Obiit enim in pace nonis Octobris apud Seusiam, dum iret ad apostolicæ vocationis concilium; sepultusque est ibidem satis honeste in abbatia sancti Justi &c.

Ejus epitaphium composuit Baldricus Burguliensis abbas in tomo I. Galliæ Christianæ relatum, ubi duplex erratum est, nimirum & quod Salaminæ obiisse dicatur, cum constet tum ex superiori Hugonis epistola, tum ex ejus epitaphio, eum Seusiæ seu Segusii decessisse, & quod Johannem in archiepiscopatu ei successisse referatur: siquidem Hugonis successor fuit Jocerannus seu Gaucerannus abbas Athanacensis. quod probat Anselmi [a] epistola ad eum scripta, haud dubie ante finem mensis Aprilis anni MCIX. quo mense & anno Anselmus e vivis excessit. Certe hæc epistola, quæ Jotseranno jam archiepiscopo directa est, scripta videtur restituto in sede Cantuariensi Anselmo, adeoque anno MCVII. utpote cui gratulatus fuerat Jotserannus, quod Deus pro diebus, quibus Anselmum humiliaverat, sua eum consolatione lætificasset. qua de re gratias hac in epistola eidem agit Anselmus, simulque condolet, quod novus archiepiscopus *multis & immensis tribulationibus* pulsaretur ab iis ipsis, a quibus auxilium & consolationem sperare debuerat. Exstant duæ apud Ivonem [b] epistolæ, quarum priorem Ivo cum aliis scripsit, si qua libris editis fides, *Joanni Dei gratia Lugdunensis primæ sedis archiepiscopo* & Daimberto Senonensi: posteriorem ipse *Johannes primæ Lugdunensis sedis archiepiscopus* ad Daimbertum. Ex quibus Sirmundus [c] in notis ad quamdam epistolam Goffridi Vindocinensis ad Ivonem mirum esse ait, Johannem ab iis, qui antistitum Lugdunensium catalogos texuere, præteritum fuisse; eumque successisse Hugoni, & rexisse ecclesiam illam ante Gaucerannum, uti infert ex duabus illis Ivonianis epistolis, quas scriptas fuisse constat anno MCXI. Et recta quidem hæc consecutio, si Johannis nomen non esset intrusum pro Joceranno, quod quidem ita esse ad prædictum annum ostendemus.

a *Anselm. lib. 4. ep. 87.*

b *Ivo. ep. 236. & 237.*

c *Sirmund. in Goffrid. lib. 2. ep. 18.*

XX. Salinensis ecclesia S. Benigno restituta.

Septimo ante obitum mense prædictus Hugo archiepiscopus judicium tulerat de Salinensi ecclesia pro Divionensi sancti Benigni monasterio adversus Hugonem Bisontinensem archiepiscopum, qui illam ecclesiam sancto Benigno abstulerat. qua de re citatus ad Meldense concilium Hugo, cnm nec comparuisset, nec canonicam excusationem attulisset, eamdem ecclesiam cedere compulsus fuerat. Sed cum judicio non paruisset, auctoritate apostolica ab Hugone Lugdunensi jussus est eam restituere. quod Lugdunensis ei significavit litteris in Appendice referendis. Tandem ex mandato papæ Bisontini clerici & Jarento Diviunensis abbas Lugduni convenerunt

venerunt coram Hugone archiepiscopo, aliisque episcopis; ibique auditis utrimque partibus facta sub certis conditionibus compositio est de illa Salinensi ecclesia, cujus litteras refert Perardus [a], datas Lugduni *pridie kal. Aprilis, sabbato in albis*, hoc anno: quibus apposita sunt signa Hugonis Gratianopolitani, Isminonis Diensis, & Rotberti Lingonensis episcoporum, Jarentonis abbatis, Joffredi prioris, & aliorum.

a Perard. p. 209.

XXI. Aletha S. Bernardi mater sepulta apud S. Benignum.

Sub idem tempus piissima sancti Bernardi mater Aletha seu Adelais ad Christum migravit, & in sancti Benigni ecclesia sepulta est. Quam pie decesserit, accuratius refert Johannes eremita in Bernardi vita. Huic religiosissimæ matronæ consuetudo erat quotannis in festo sancti Ambrosiniani confessoris, Fontanensis ecclesiæ patroni, universos clericos, quotquot invenire poterat, ad festum illum diem, qui kalendis Septembris celebratur, convocare, eisque epulam exhibere. quo die se morituram esse divinitus præscivit. Imminente festi vigilia febri correpta, ipso die festo post missam corpus Domini sibi afferri enixe petiit. Deinde *sacrosanctæ unctionis munita sacramento, cum accepisset eucharistiam*, universos clericos de more ad cœnam convocari fecit. quibus recumbentibus, Guidoni primogenito filiorum suorum præcepit, ut clericos statim post refectionem coram se convenire curaret. His congregatis nuntiat dissolutionem sui corporis imminere, & ut pro se Dominum precentur, obsecrat. Mox illi recitare litanias, & ipsa cum illis. Ubi ad illum versum ventum est, *Per passionem & crucem tuam* &c. in manus Domini spiritum commendavit, & postquam signo crucis se munisset, exspiravit, lugentibus non modo filiis, sed etiam egenis, orphanis, viduisque communem matrem. Ubi ejus obitus Divionem vulgatus est, mox Fontanas accessit Jarento sancti Benigni abbas, Gerannus Johanni eremitæ dictus, sacrumque corpus ad sancti Benigni basilicam transtulit, ibique sepelivit, & super ejus sepulcrum sex imagines filiorum suorum fabricari curavit. Illa vero sæpius *per quinque annos* filio suo Andreæ apparuit, &, cum de sua conversione tractare inciperent fratres, Bernardo itidem apparuit, eum admonens, ut propositum strenue exsequeretur. Ex quo facile colligitur tempus, quo pia illa matrona decessit, sexto nimirum circiter anno antequam Bernardus ejusque fratres Cistercium ingrederentur. Ejus corpus post aliquot annos Claram-vallem translatum est.

XXII. Vizeliacensis abbatis cædes, ejusque successores.

Vizeliacense monasterium tunc administrabat Altardus seu Artaldus, qui multas persecutiones & monasterii sui direptiones a prædonibus passus, demum ab iisdem interfectus est. Complures ad eum & de eo epistolas [b] scripsit Paschalis papa: unas, quibus eum, ejusque monasterium apostolica tutela munit: alteras ad Guillelmum illustrem comitem Nivernensem, ut nullas ei molestias cum per se, tum per suos facere pergat: tertias quoque ad vicinos episcopos, ut ei se benevolos exhibeant. His accedit quarta ejusdem pontificis epistola ad episcopos Galliarum, quibus exprobrat, quod qui *facinorosas personas* pro suis criminibus persequi deberent, eas « contra fovere dicantur, & *interfectores Vizeliacensis abbatis* in quibusdam eorum « parochiis impune habitare patiantur. Unde eis illarum litterarum auctoritate præ- « cipit, *ut eos, qui dominum suum presbyterum & abbatem tam nequiter occiderunt, se-* « *cundum dignum pœnitentiæ modum in exsilium detrudant; &, si noluerint obedire, excommunicationi subjiciant* &c. *Datum apud Guardastallam* VIII. *kal. Novembris*, quando scilicet ab eodem Paschali [c] concilium ibidem habitum est. Ex quibus intelligitur, hanc cædem ab iis, qui abbati subditi erant, perpetratam fuisse.

b Spicil. to. 3. p. 469. & seqq.

c supra n. 1.

Goffridus abbas vexatus.

Hujus cædis mentionem facit Goffridus Vindocinensis abbas in epistola [d] quadam ad Girardum Engolismensem episcopum & apostolicæ sedis legatum, in qua scribit se cupere ad eum pergere, si *necessitas*, seu infirmitas *corporis & quorumdam perversitas hominum pateretur. Sunt enim*, inquit, *in itinere quidam ecclesiæ nostræ inimici, quorum injurias, quia res beati Petri nobis commissas eis relinquere nolumus, usque ad proprii corporis captionem jam sumus experti: qui nunc etiam nobis captionem solummodo non minantur, sed mortem; Vizeliacensis abbatis nobis obitum exprobrantes, quem sine vindicta capite dicunt fuisse truncatum.*

d Goffrid. lib. 1. ep. 18

In tertia epistola Paschalis papæ in Spicilegio [e] edita, mendosa est inscriptio *Roberto abbati Vizeliacensi*, ubi legendum *Artaldo*, quem hoc anno interfectum fuisse constat ex epistola [f] Lucii II. ad Pontium ejusdem loci abbatem, in qua laudat antecessoris sui Paschalis scripta, quibus mandaverat episcopis Gallicanis, ut *interfectores abbatis Artaldi Vizeliacensis* in exsilium detruderent. Artaldo interfecto

e Spicil. to. 3. p. 469.

f ibid. p. 473.

ANN. CHR 1106.

subrogatus Raynaldus, sancti Hugonis Cluniacensis abbatis germanus frater, *reparator* dictus monasterii Vizeliacensis. Ordinatus est Guarstallæ a Paschali papa, testante Gerardo[a] priore Albornensi, qui antequam monachus factus esset, interfuit concilio, quod Paschalis papa ibidem celebravit, & Raynaldi benedictioni ab eo factæ præsens fuit. Hic confirmationem omnium ejus loci possessionum & privilegiorum[b] impetravit a Ludovico VI. qui eum *cariſſimum*, sibique amantissimum vocat. Hoc diploma datum est Silvanectis *anno ab incarnatione Domini* M C XIX. in editis male XII. Ludovici *regni anno* XI. *Adelaidis* V. Demum Raynaldus promotus est ad sedem Lugdunensem.

a Spicil. to. 3. p. 510. & seqq.

b Perard. p. 222.

S. Agerici & S. Michaelis abbates.

Virdunense sancti Agerici monasterium rexit ad hunc usque annum Boso[c] abbas, cujus obitus notatur secundo idus, ut tum loquebantur, Aprilis, non secundo ejus mensis, ut Retellius legit. Ejus successor Rofridus genere ac pietate illustris fuisse dicitur: cujus obitus notatur V. kal. Decembris. Hunc excepit Richardus, qui monasterium incendio deformatum instauravit, mortuus kalendis Aprilis anno M C XXXV. ut diserte in necrologio notatur. Ægidius ejus successor, cujus electioni sanctus Bernardus interfuisse fertur. In necrologio XVI. kal. Martii *Egidius abbas hujus loci* laudatur. De ejus successoribus Henrico & Simone nihil notatu dignum occurrit; nec fere de aliis, quos in additionibus Retellianis ad Chronicum Benedictinum[d] videre licet.

c V lib. 66. n. 35.

d Chron. Bened. cent. 6. p. 63. & seqq.

Hoc anno Udalricus seu Odelricus, abbas sancti Michaëlis ad Mosam, a Paschali papa obtinuit confirmationem omnium ejus loci possessionum ac cellarum, quas pontifex enumerat. Cellæ istæ sunt Rooldi-curtis, Merodorum, Asmingia, Vetus-monasterium & Salona. Idem redemit a Rainoldo comite castellum, quod ad tutelam non erat, sed potius ad direptionem. Litteris subscribit Ermentrudis comitissa, Rainoldi mater, datis apud Commarceiacum anno M C VI. Superstes fuit Udalricus saltem usque ad annum M C XV. cui Lanzo successit.

XXIII. Thiofridus abbas Epternacensis obit.

Ad hunc annum pervenit Thiofridus Epternacensis abbas, de quo ejusque scriptis superius actum est. Præcipuum ejus opus, quod *laboris sui primitias* vocat, est illud, quod *Flores epitaphii sanctorum* inscribit. *Libellum* appellat, tametsi quatuor libris constat, in quibus sanctorum mira opera prædicat, quæ Deus per eorum corpora, cineres, vestes, suppliciorumque instrumenta operatur. Editum est hoc opus Luxemburgi anno M DC XIX. a Johanne Roberto Soc. Jesu, dicatumque Brunoni Trevirensi archiepiscopo, qui ipsi *animam* suam *commendasse* dicitur. In hoc commentario auctor eruditionem suam, pro tempore non vulgarem, eximiamqne pietatem & modestiam prodit. Stilus salebrosus, græcismis respersus, sed pietatem spirans. Exemplo sit quod in capite IV. libri secundi scribit de illis, qui sanctorum reliquiis exornandis opes impendunt. *Non quidem appetunt aurum*, inquit, *Sancti, sed propitiari religiose dispensantibus aurum. Non appetunt in altum exstructa oratoriorum ædificia, non ex auro fabricata columnarum epistylia, non splendentia divitiis laquearia, non crebro maculis distincta smaragdo altaria; non ut membrana purpureo colore inficiantur, non ut aurum liquescat in litteras; non ut gemmis codices vestiantur; & ministrorum Christi aut minima, aut nulla diligentia habeatur, & nudus ante fores eorum Christus moriatur.* In fine libri IV. idem auctor se ad hanc lucubrationem aggrediendam impulsum fuisse ait a Regimberto piissimo abbate, antecessore suo, qui sanctorum amore flagrans, eorum miranda opera celebrari cupiit, & anno M LIX. ordinationis suæ nono, communi fratrum consilio decrevit, ut XIII. kal. Decembris celebris in sua ecclesia fieret commemoratio omnium Sanctorum, quorum illic reliquiæ habebantur: ad quam instituendam viso quodam animatus sit, dum custodis ecclesiæ officio quondam fungeretur. Thiotfridi obitus pridie nonas Aprilis notatur a Bertelio, qui ejus mortem differt ad annum M C X. quam Robertus hoc anno reponit, uter rectius non definio.

Ejus successores.

Gerardus, Thiotfridi successor, segnis, morosus & idiota fuisse dicitur; ob idque amotus, Godefrido, viro strenuo & gnavo locum fecit, qui ob industriam & virtutem singularem patriæ dictus est pater, idem postea factus Prumiensis monasterii rector.

Buosonis-villæ monasterium.

Tunc Buosonis-villæ præerat Rennarus abbas a Poppone Mettensi episcopo institutus, sub cujus regimine monasterium ab iis, qui defensores esse debuerant, ita rebus suis spoliatum est, ut vix quidquam monachis residuum esset, rusticis etiam,

qui terras excolebant, ob prædonum illorum vexationes abeuntibus. Ea de re monitus Theodericus dux Lotharingiæ, sub cujus patrocinio locus erat, ad monasterium accessit; atque coram se, aliisque principibus, qui eum comitabantur, chartas progenitorum suorum, monasterii conditorum, simul cum Leonis IX. privilegio legi jussit; imperavitque, ut ne deinceps advocati plusquam quod in illis chartis constitutum erat, ex monasterii reditibus sibi attribuerent. Exstat vetus instrumentum, in quo Theodericus, habito consilio cum Simone filio suo, rogante piissima Gertrude uxore sua, dicitur *benevolentiam animi sui erga monasterium sanctæ Crucis in Buesonis-villa demonstrasse*, confirmando liberalitatem parentum suorum, novasque gratias adjiciendo &c. Datum anno M C VI. procedente XIV. indictione.

ANN. CHR. 1106.

XXIV. Lorsacense monasterio Erminoldus præficitur.

Sub id tempus condi cœptum est Lorsacense * monasterium in diœcesi Augustana, in ducatu Wirtenbergico, cujus auctor Fridericus, Sueviæ & Franconiæ dux, una cum uxore Agnete, filiæ Heinrici IV. imperatoris. Eo mortuo, cum necdum rectorem haberet nobilis abbatia, favore Heinrici ejus patris accersitus est ad eam procurandam Erminoldus, a puero educatus in Hirsaugiensi monasterio sub Willelmi abbatis disciplina. Mox eo confluxere complures vitæ monasticæ candidati, ita ut intra unius anni spatium quadraginta illic monachi numerarentur. Forte ad curiam Heinrici venerat Erminoldi germanus, cui per jocum rex dixit, se ejus causa ditem & opulentam fratri suo abbatiam contulisse. quid ergo regiæ munificentiæ rependaret? Tum frater nihil non debere se imperatori fatetur; nec mora muneribus eum honoravit. quod cum Erminoldo compertum fuisset, mox ille, ne simoniæ crimine contaminatus videretur, abbatiam dimisit, & cum quadraginta discipulis Hirsaugiam repetiit, non multo post Prufeningensis prope Ratisponam cœnobii primus abbas futurus. Illustre fuit Lorsacense monasterium, multorum regum ac principum tumulis illustratum, quod nonnulli perperam confundunt cum monasterio Laureshamensi diœcesis Wormatiensis.

* Lorch.

XXV. Corbeiæ novæ abbates & eventus.

In monasterio Corbeiæ-novæ mortuus est hoc anno Marcwardus abbas, qui rem monasticam sedulo administravit per annos tres & viginti, de litteris secundum pietatem perquam sollicitus. Eo abbate septem ejus discipuli ad aliorum monasteriorum regimen assumti: ex quibus Gumbertus, qui prioris officio fungebatur, Abdinghovensem præfecturam adeptus est; Henricus decanus Eresburgensem: & ex quatuor Corbeiæ lectoribus Watamundus & Hillinus aliis in locis abbates facti sunt: Thiatmarus vero seu Thietmarus Helmwardusensi præpositus, de quo plura anno sequenti. Marcwardo in nova Corbeia subrogatus Erchenbertus, cui rex Heinricus anno sequenti, cum Corbeiæ versaretur, decimas ab Hezilone ablatas monasterio restituit: cujus rei diploma Schatenus refert, datum Corbeiæ anno M C VII. pridie kal. Octobris. In ms. chronico nostro Saxonico Marquardi Corbeiensis abbatis obitus refertur anno sequenti, cui rex Erkenbertum Mersburgensem abbatem illuc adveniens substituisse dicitur. Eo abbate Erhardus, monachus valde doctus, claruisse dicitur; at schola in deterius lapsa vitio præpositi, qui ob id divinitus punitus sit.

ANN. CHR. 1107.

XXVI. Paschalis iter & gesta per Franciam.

POstquam Paschalis natale Domini Cluniaci celebraverat, ibidem perstitit usque ad mensem Februarium anni sequentis, quo tempore Aymerico Casæ-Dei abbati diploma concessit, quo Gregorii VII. & Urbani II. exemplo omnia monasterii jura & bona confirmat, necnon monasteria & cellas eidem subjectas, scilicet monasterium sancti Andreæ Viennæ, a Guidone archiepiscopo concessum; ecclesiam sancti Treverii, quam *venerabilis memoriæ* Hugo Lugdunensis archiepiscopus recens contulerat; & cellam de Veriano, a Bernardo episcopo Agathensi collatam. *Datum apud Cluniacum per manum Johannis S. R. E. diaconi ac bibliothecarii secundo nonas Februarii, indict.one* XV. *incarnationis dominicæ anno* M C VI. secundum veterem calculum, *pontificatus autem domni Paschalis II. anno* VIII.

Cluniaco discedens ad Caritatem, insignem Cluniaci cellam, venit, testante Sugerio in vita Ludovici Grossi, sed qua via hoc iter confecerit, nullus hactenus, neque veterum, neque recentiorum docuit. At certum mihi videtur & exploratum ex variis Paschalis diplomatibus, eum Cluniaco Matisconem profectum, inde sursum ascendendo, Divionem, Lingonas, Autissiodorum progressum, demum ad cellam Caritatis pervenisse. Certe apud Divionem versabatur XIV. *kal. Martii* a *anno dominicæ incarnationis* M C VI. secundum veterem calculum, cum Divionensem sancti

a Perard. p. 110.

ANN. CHR. 1107.

Benigni ecclesiam consecravit, adhærentibus & obsequentibus ipsi Richardo Albanensi episcopo, Aldone Placentino, Leodegario Vivariensi, Roberto Lingonensi & Norgaudo Æduensi. Divione Besuam adiit, ubi a Stephano abbate [a] honorifice susceptus, ibidem tribus diebus demoratus est, & in capitulum ingressus, sermonem ad fratres de patientia habuit, ac demum alrare sanctorum Petri & Pauli consecravit. *Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini* M C VII. *indictione* XV. & quidem XII. *kal. Martii.* Illic etiam adfuere præter episcopos Henricus abbas Angeriacensis, Lambertus Pultariensis, Henricus sancti Sequani & Wido sancti Michaëlis, scilicet Tornodorensis, abbates. Apud Lingonas versabatur, cum Mettense sancti Clementis monasterium, rogatu Altolini abbatis, sub suam protectionem admisit. *Datum Lingone per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii* VI. *kal. Martii*, iisdem anno & indictione. Illic Galdricus electus Laudunensis pontifici occurrit cum Adalberone sancti Vincentii abbate, Guiberto Novigentensi, & abbate Ribodimontensi, multisque clericis; ibique a Paschali examinatus est, referente Guiberto, qui ad singula de electo capitula, junior licet, respondit, ut ipse suse in libro tertio [b] de vita sua testatur. Adfuit etiam huic examini Ansellus seu Anselmus, *vir totius Franciæ, immo Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis ac tranquillis:* qui licet electo contrarius, cum omnes ei favere vidisset, obsistere superfluum duxit. Ex urbe Lingonum pontifex venit Autisiodorum, uti discimus ex diplomate, quo Azenario sancti Remigii apud Remos abbati confirmavit jus *mercati*, quod in burgo sancti Remigii XII. kal. Novembris fieri consueverat; abrogavitque cænam, quam in duabus sancti Remigii sollemnitatibus Remenses archiepiscopi in eodem cœnobio *immoderate* accipere soliti erant. *Datum Autisiodori* per manum ejusdem Johannis diaconi, iisdem anno & indictione, sed absque designatione mensis.

Autisiodoro itaque profectus est ad cellam Caritatis, ubi in celeberrimo archiepiscoporum, episcoporum, & monastici ordinis conventu idem nobile monasterium dedicavit, teste Sugerio, qui adfuit, & Parisiensem episcopum Galonem, sancti Dionysii ecclesiam multis querimoniis agitantem, in conspectu papæ confutavit. Huic dedicationi interfuere nobiliores quoque regni proceres, inter quos & dapifer regis, nobilis comes Wido de Rupeforti domino papæ occurrit, *ut ei tamquam patri spirituali, per totum regnum ejus beneplacito deserviret.* Tunc Odo prioris officio illic fungebatur.

A Caritate Cæsarodunum Turonum pontifex petiisse dicitur a Sugerio; quo in itinere transiit per pagum Bituricensem, ubi Dolensem ecclesiam consecravit, cujus jussu Placentinus episcopus, scilicet Aldo, altare beatæ Mariæ sacravit, præsente Leodegario archiepiscopo Bituricensi, qui consecravit altare beatæ Mariæ; ipse vero pontifex altare beatorum apostolorum Petri & Pauli. Id tempore Johannis abbatis factum dicitur in chronico [c] Dolensi. Willelmus Majoris-monasterii abbas pontifici Turonos accedenti obviam profectus est, cui per castrum Busentiacum [*] in Biturigibus transeunti Robertus, Castri-Rodulfi dominus, pedagii exemtionem rebus omnibus Majoris-monasterii per ditionem suam concessit pro anima fratris sui Odonis, qui in Jerosolymitana expeditione obierat.

Turonis pontifex apud sanctum Martinum, *phrygium, ut mos est Romanus*, id est tiaram, *ferens*, dominicam *Lætare Jerusalem*, quadragesimæ scilicet quartam, quæ illo anno in nonum kalendas Aprilis incidebat, celebravit. Paullo post divertit ad Majus-monasterium, ubi diploma indulsit Mauricio abbati sancti Launomari, quo ipsius monasterium, *penes opidum Blesense situm, tam a Rodulfo quondam rege, quam a Carolo & Ludovico Francorum regibus, multis possessionibus & bonis ditatum* confirmat. *Datum apud Majus-monasterium* IV. *nonas Aprilis, per manum Equitii, agentis vicem cancellarii, indictione* XV. hoc ipso anno, Paschalis VIII. Ex urbe Turonica processit Vindocinum, ubi in ejus loci monasterio undecim dies substitit, teste Goffrido [d] abbate. Inde ad sancti Dionysii monastetium, *tamquam ad propriam beati Petri sedem*, devote accessit: ubi perquam honorifice, ut par erat, susceptus, *hoc unum memorabile*, inquit Sugerius, *& Romanis insolitum, posteris reliquit exemplum, quod nec aurum, nec argentum, nec pretiosas monasterii margaritas, quod multum timebatur, non tantum non affectavit, sed nec respicere dignatus est.* Tantum de vestimentis episcopalibus beati Dionysii sanguine madefactis portiunculam sibi dari flagitavit. Illic ei occurrit rex Philippus, & filius ejus Ludovicus, *amore Dei majestatem regiam pedibus ejus incurvantes*,

a Spicil. to. 1. p. 638. & seq.

b Guib. er. lib. 3. c. 4.

c Labbe to. 1. p. 316.

* Buzançay.

d Goffrid. lib. 2. ep. 18.

quemadmodum consueverunt ad sepulchrum piscatoris Petri reges submisso diademate inclinari. quos dominus papa erigens, tamquam devotissimos apostolorum filios, ante se redire fecit. Dein de statu ecclesiæ colloquium cum eis habuit, & ad ferendam ei opem hortatus est, exemplo Caroli Magni, aliorumque ejus antecessorum. quod cum illi polliciti essent, pontifici archiepiscopos, episcopos & Adam sancti Dionysii abbatem cum Sugerio adjunxere, qui cum eo Catalaunum imperatoris legatis occurrerent. Illic adhuc versabatur Paschalis pridie kal. Maii, cum sancti Martini de Campis possessiones Theobaldo priori confirmavit apud S. Dionysium hoc anno M C VII. non sequenti, ut libri [a] editi fallunt, nisi id intelligas de calculo Pisano, qui vulgarem mensibus novem antevertit. Egressus e Dionysiano monasterio pontifex, hospitatus est in Latiniacensi, ubi Crispiacensis asceterii possessiones asseruit, dato diplomate *Latiniaci super Marnam*, V. *nonas Maii*, cujus mentionem facit Clarembaldus episcopus Silvanectensis in suis litteris pro eodem monasterio.

ANN. CHR. 1107.

[a] Hist. S. Martini, p. 154.

Ubi Catalaunum advenit pontifex, imperatoris legati multo fastu se gessere, in primis dux Welfo, *cui gladius ubique preferebatur.* Præ ceteris elegans & urbanus erat archiepiscopus Trevirensis, Bruno scilicet, qui causam imperatoris de investituris exposuit. cujus conditiones cum pontifex rejecisset; Teutonici frendentes tumultuari cœperunt, parumque abfuit, quin ad convicia & injurias venirent; dixeruntque, hanc causam non illic, sed Romæ gladiis dirimendam. quas minas non vanas esse declaravit eventus. Legatis digressis, pontifex Trecas perrexit, jam dudum indictum illic *universale concilium* circa festum ascensionis celebraturus: eoque absoluto, plenus amore Francorum, qui multo cum honore ipsi serviérant, & odio Teutonicorum, *ad sancti Petri sedem*, inquit Sugerius, *prospere* * *remeavit.* Tempus habiti Trecensis concilii præcise indicat Paschalis diploma, Hugoni Elnonensi abbati concessum, de quo infra, *datum Trecis* VIIII. *kal. Junii, indictione* XV. hoc anno, pontificatus ejus VIII. Forte illic adhuc versabatur III. kal. Junii, quo die litteras Anselmo Cantuariensi archiepiscopo de presbyterorum filiis scripsit, ab Eadmero relatas in historia novorum. Exstat in Bibliotheca [b] Cluniacensi bulla ejusdem pontificis, qua cella sancti Dionisii de Nogento Cluniacensibus asseritur, quæ in editis Silviniaci data legitur VIII. *kal. Junii* ejusdem anni & indictionis. At nullus dubito, quin legendum sit VIII. *idus Junii*. Cum enim Trecis adhuc versatus sit Paschalis IX. kal. Junii, ut ex authentico ejus diplomate Elnonensi constat; fieri non potuit, ut sequenti die jam fuerit Silviniaci. qui locus pagi Burbonensis trium ad minus dierum intervallo Trecis distat. Illud evincitur ex alio ejusdem papæ diplomate, inscripto Hugoni abbati sancti Germani Autissiodorensis, quod datum est Silviniaci V. *idus Junii* iisdem anno & indictione. Apud Celsinanias erat in vigilia apostolórum Petri & Pauli, quo die Gerardus *de Sallent* miles ac nepotes ejus, cum ad sepeliendum illic avunculum suum convenissent, donationem ecclesiæ sancti Juliani ab eo factam confirmarunt. Apud Valentiam deinde Anianæ & Casæ-Dei monachorum causa de cella Gordiniaca judicata est mense Julio, præsente pontifice, ut postea dicturi sumus. Denique Aquæ-bellæ * in Sabaudia hospitabatur pridie nonas Augusti, cum Hugoni Cluniacensi abbati, ad preces Johannis Morinorum episcopi & Eustachii comitis, abbatiam sancti Wlmari ordinandam commisit. Parmam pervenerat III. nonas Novembris, quo die privilegium concessit Hugoni sancti Ægidii apud Nemausum abbati, successori illius Stephani-Blanci, qui post mortem [c] pœnas acerbas passus fuisse dicitur, quod *in multis & ante abbatiam, & postmodum deliquisset*, ob idque preces ab Hugone Cluniacensi abbate poscebat. Postquam autem Romam reversus est pontifex, novum privilegium Aymerico Casæ-Dei abbati concessit, datum Laterani nonis Decembris hoc anno, pontificatus nono, indictione prima a Septembri inchoata. Hæc continenter referre visum est, ut Paschalis iter per Franciam uno conspectu perspici posset.

* f. propere.

[b] Bibl. Clun. p. 550.

* Aiguebelle.

[c] Pet. Ven. lib. 1 mirac. c. 10.

XXVII. S. Benedicti translatio in novam thecam.

Habitus est hoc ipso anno conventus episcoporum, abbatum & procerum in monasterio Floriacensi, in quo sancti Benedicti corpus, præsente Ludovico rege designato, *in feretrum auro gemmisque fabricatum* translatum fuit *ex metallino quodam & cupreo scrinio*, in quo tunc repositum fuisse creditur, cum e Casino monte allatum est. Hæc translatio qua occasione facta sit, tradit Clarius ejus loci monachus, testis rei oculatus. Nimirum cum capitium *, ut vocant, seu caput ecclesiæ restruendum esset, sacrum beatissimi Patris corpus interim in navi ecclesiæ collocatum erat:

* le chevet.

ANN. CHR. 1107.

a V. lib. 70. n. 61.

quo capitio perfecto, Simon [a] abbas constituerat hanc translationem facere, ipso die transitus sancti Benedicti, scilicet XII. kal. Aprilis: at morte præventus id exsequi non potuit. Hæc translatio nihilo minus facta est eodem anno, XIII. kal. Aprilis, adstantibus Johanne Aurelianensi & Humbaldo Autisiodorensi episcopis, qui eadem die altare majus in honorem sanctæ Mariæ consecraverunt, & altare matutinale in honorem sancti Benedicti, sub quo ejus corpus repositum est, anno M CC VII. majori altari impositum a Guillelmo archiepiscopo Bituricensi.

Boso abbas Simoni succedit.

Eadem die Floriacenses monachi Simonis abbatis successorem elegerunt Bosonem, ejus nominis secundum, cujusdam cellæ olim priorem, annuente Ludovico designato rege, & patris consensum promittente, præsentibus prædictis episcopis, & abbate sancti Launomari Blesensis, scilicet Mauricio, & Clario, qui se ejusdem loci, nimirum Floriacensis, monachum esse dicit. Ex his constat, abfuisse Philippum regem, quem Hugo monachus Autisiodorensis prædictæ translationi interfuisse perperam scribit.

XXVIII. Petri diaconi fabula refellitur.

b Chron. Casin. lib. 4. c. 29.

Fabulam narrat Petrus diaconus, Casinensis chronici continuator, ubi ait [b] Paschalem papam Floriacum adiisse, cum celebritas ageretur translationis sancti Bene-
» dicti, quam *falsissimam* temere dicit contra expressam Pauli diaconi & monachi Ca-
» sinensis, tribus sæculis ipso Petro antiquioris, auctoritatem; & monachos quidem
» cum nonnullis episcopis & cardinalibus Gallicanis translationis officium celebrasse;
» pontificem vero, qui eam *falsam* esse sciebat, non illius festivitatis, sed ipsius diei
» officium cum cardinalibus Italicis peregisse; & preces ad Deum fudisse, ut aliquo
» indicio veritatem ostendere dignaretur. Celebrantibus porro monachis nocturna-
» lem synaxim, tantam eos invasisse mentis hebetudinem, ut omnino qoid dicerent
» ignorarent. quo comperto, papam Deo grarias egisse, quod hoc signo veritatem
» propalasset, & accersitis mane abbati & prioribus præcepisse, ut altare de loco tol-
» leretur, ne quis deinceps de corpore beati Benedicti eorum ambagibus decipere-
» tur. Illos autem ad pedes papæ prostratos obsecrasse, ne altare effoderetur, ex quo
» monasterii ruina consequeretur, ceterum se nihil certi de corpore beati Benedicti,
» nisi fama tantum ex majorum relatu accepisse. Tunc papam illorum precibus con-
» descendisse, at omnino interdixisse ne ulterius eamdem translationem celebrarent.
» Post hæc, apostolicum, ordinatis in Gallia negotiis, Romam reversum fuisse. Hæc fere Petrus diaconus, quæ simpliciter retulisse refutare est. Falsum est, Paschalem toto illo tempore anni millesimi centesimi septimi, quo fuit in partibus Gallicanis, Floriacum adiisse. Non quidem eo itinere, quo ex urbe Turonum ad sanctum Dionysium accessit, tum quia hoc iter confecit tempore quadragesimæ, longe ante festum rranslationis, quæ mense Julio celebratur; tum quia non per Aurelianos, sed per Vindocinum & Carnutas ex urbe Turonum ad sanctum Dionysium iter instituit, testante de Vindocino Goffrido abbate in epistola ad Cunonem [c] legatum, ubi ait, Paschalem in ecclesia Vindocinensi monasterii sui privilegia vidisse & legisse. Denique mense Julio Floriaci non adfuit pontifex. siquidem a sancti Dionysii monasterio Catalaunum, inde Trecas profectus est, ubi concilium celebravit. quo peracto, propere ad sedem beati Petri remeavit, ut paullo ante ex Sugerio retulimus. Certe longe alia ab hac Petri fabula, persuasio fuit Philippi regis, qui amore sancti Benedicti, cujus corpus Floriaci baheri non dubitabat, ibidem humari voluit, ut anno sequenti videbimus.

c Goffrid. lib. 1. ep. 18.

XXIX. Otto Casini abbas durior in fratres.

d Chron. Casin. lib. 4. c. 29.

Cum de Petro diacono sermo inciderit, referendum hoc loco est quod ille narrat [d] de Ottone Casini abbate, quem Oderisio anno superiore successisse diximus. Is statim ab initio præfecturæ fratres durius tractare cœpit, ac necessaria eis denegare. Tum illi conqueri, rogare, ut juxta regulæ præceptum ipsis necessaria suppeditaret, memor querelarum, quas ipse de suo decessore in simili causa facere consueverat. At ille fatetur, se in hoc deliquisse, quod Oderisio hac in re obstiterit: aitque fratres in Deum & in regulam peccare, quod corporis necessitates animarum saluti præferrent: reminisci illos debere, primum quærendum esse regnum Dei & justitiam ejus; & hæc omnia adjicienda esse. Hoc responso amplius exasperati fratres, alii rancorem animo taciti coquunt, alii litteris ad Paschalem clanculum missis, sua ei gravamina exponunt, inquientes, Ottonem non unanimi fratrum consensu, non canonice, sed seditiose ad abbatis dignitatem promotum fuisse. quod ubi rescivit abbas, fratres illos e monasterio expulit. Mox illi ad papam confugiunt,

querelas in abbatem aggravant. quibus auditis, pontifex fratres illos in monasterio sancti Pauli manere præcepit, dum ipse e Gallia, quo profecturus erat, reversus esset. Ubi primum rediit in Urbem, fidos sibi monachos abbas ad eum direxit; asserentes ejus electionem, non seditiose, sed canonice factam fuisse. quibus papa respondit, eum canonice electum non esse, qui sibi devotis & addictis *obedientias* & beneficia conferat, repugnantes de monasterio ejiciat. Redirent illi ad monasterium suum, ubi primo quoque tempore rem per se ipse examinaturus esset. Hinc adversæ partis fratres, cum apostolicum in abbatem commotum intellexissent, quaslibet ei molestias inferre non cessabant. Verum ille non diu supervixit, mortuus kalendis Octobris, sepultusque in cœmeterio fratrum: cujus loco electus Bruno seu Brunus, ex Signiensi episcopo factus Casini monachus, tum creatus apostolicæ sedis legatus in Galliam. Ejus electionem, uti & Ottonis mortem, hoc anno factam esse Peregrinius & Angelus de Nuce censent. Hic abbatiam iniit quadragesimo quarto ab Ottonis depositione die, eamque tenuit non integris quatuor annis: qua abdicata redit ad suam ecclesiam. quod qua occasione factum sit, suo loco exponemus.

ANN. CHR. 1107.

Bruno ejus successor.

XXX. Anselmus in Angliam redux res ecclesiæ curat.

Interim Anselmus archiepiscopus, cum ex morbo convaluisset, ex Nortmannia in Angliam revertit, ubi cum summa omnium ordinum gratulatione receptus est. Eodem tempore Heinricus, devicto Rotberto fratre & comprehenso, Nortmanniam in potestatem redegit. quam victoriam ob restitutum in suam sedem Anselmum regi obtigisse multi palam testati sunt. His actis, rex in Angliam, præmisso fratre cum aliis captivis, reversus est. Mox conventus in pascha habitus, sed dilata ecclesiarum ordinatio ad festum pentecostes, donec Willelmus & Balduinus, a rege & archiepiscopo jussu papæ ad Trecense concilium missi, rediissent. Soluto conventu, archiepiscopus ad abbatiam sancti Eadmundi profectus est, crucem magnam illic consecraturus, & alia quædam episcopalia officia peracturus. quibus expletis, cum reditum pararet, in gravem morbum incidit, & ad extrema redactus. Illic itaque cum diu ex infirmitate detineretur, concilium quod ad octavas pentecostes indictum erat, ad kalendas Augusti dilatum est. Interim litteras a Paschali papa, III. kal. Junii datas, accepit, quibus causam de clericorum filiis ejus dispensationi committebat, & Richardo Eliensi abbati communionem reddi permittebat, adeoque abbatiam, si ad ejus regimen utilis & idoneus videretur. Itaque kalendis Augusti conventus episcoporum, abbatum & procerum habitus, in quo per tres continuos dies de investituris ecclesiarum, absente Anselmo, quæstio in utramque partem ventilata est. ac demum, præsente Anselmo, annuit rex, ut deinceps nullus per baculum pastoralem vel anulum episcopatu vel abbatia per regem vel quamlibet laïcam manum in Anglia investiretur; concessit quoque Anselmus, ut nullus ad prælationem electus, ob fidem regi datam, consecratione accepti honoris privaretur.

XXXI. S. Eadmundi & S. Augustini abbates ordinati. a V lib. 68. n. 52.

Soluto conventu, Anselmus ad suam reversus ecclesiam, Robertum Westmonasteriensem monachum ad abbatiam sancti Eadmundi sacravit. Paullo post Hugonem Beccensem monachum, qui in abbatem a sancti Augustini electus, necdum sacris ordinibus initiatus erat, ad diaconatum in jejunio septimi mensis ordinavit, eumdemque Willelmus Exoniensis præsul, cum Anselmus infirmaretur, in archiepiscopali capella presbyterum in jejunio decimi mensis sacravit. Post hæc, cum ordinationem ipsius abbatis accelerare vellet Anselmus, propterea quod res illius abbatiæ pessum irent, cuperetque ut prædictus episcopus eum ad altare Christi in majori ecclesia, se præsente, ordinaret: obstitere sancti Augustini monachi, obtendentes cœnobii sui privilegia, quibus cautum erat, ut ne abbas suus extra ecclesiam suam ordinaretur. Verum, rejectis hisce privilegiis, quippe quæ nec a rege, nec ab archiepiscopo confirmata erant, consuetudinem demum opposuerunt, eorumque suggestu rex per Willelmum Wintoniensem, Rogerium Sarisberiensem, & Willelmum Exoniensem episcopos cum Gisleberto Westmonasterii abbate mandavit Anselmo, ut pro antiqua consuetudine abbatem in ecclesia sancti Augustini ordinaret. Respondit Anselmus, se regis causa & amore libenter id facturum pro sua in totam « Angliam auctoritate; at cum rex consuetudinis titulo id fieri mandaret, id consue- « tudini & auctoritati suæ contrarium esse. Cantuariensem quippe archiepiscopum, « cum sit totius Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ primas, pro nullius, nisi solius regis « consecratione, sedem suam egredi. Videret ergo rex, an eumdem ac sibi honorem «

AN. CHR. 1107.

» abbati sancti Augustini exhiberi vellet, eumque sibi parem in regno suo facere. Ad » hæc reponunt legati, saltem in capella regis per alium episcopum abbatem ordina- » ri permitteret, aut tandem ipse ordinaret. Atqui *si hoc fecero*, inquit Anselmus, » *nonnullam injuriam faciam ipsi domino meo. Meum quippe non est in capella ejus missam celebrare, nisi quando ipse debet a me coronari.* Sed tandem assensit, ut in capella hospitii sui abbatem illum ordinaret. quod factum est anno sequenti IV. kal. Martii apud Lambetham in capella Roffensis ecclesiæ, ubi tunc Anselmus hospitabatur. Hæc constant ex Eadmeri historia novorum, ad quam redigendus est Willelmus Thornus, aliique, qui Hugonis ordinationem multis annis prævertunt, & a Mauricio Londoniensi episcopo, exsulante Anselmo, factam dicunt.

Ejus scripta & exercitia in morbis.

Inter hæc sanctus doctor librum *de concordia præscientiæ & prædestinationis & gratiæ Dei cum libero arbitrio* composuit, non uno tenore, ut solebat, sed per intervalla temporis, quatenus infirma ejus valetudo patiebatur. Ex quo enim apud sanctum Eadmundum infirmatus fuerat, usque ad obitum imbecillior fiebat in dies. Unde quoties de loco in locum migrare volebat, lectica deinceps, non equo vehebatur. Exinde omnes cibi in fastidium ei versi sunt, ita ut vim sibi ad quidvis sumendum facere cogeretur. In his tamen infirmitatibus numquam pristini vitæ generis obliviscebatur, sed invictus animo semper aut sacris meditationibus, aut exhortationibus sanctis, aut piis operibus occupabatur, *consecrationi dominici corporis, quod speciali quodam devotionis affectu venerabatur*, singulis diebus interesse solitus. Hæc fuere piissimi antistitis exercitia toto illo triennio, quo supervixit.

XXXII. Guillelmo Fiscamni abbati succedit Rogerius.

Redeo ad Nortmanniam, ubi Guillelmus *de Ros* Fiscamnensis abbas mortem oppetiit. Qualis, quantusve vir fuerit, superius [a] ex Orderico & Baldrico probavimus, confirmatque ejus epitaphium, quod Hildebertus composuit, necnon lugubres versus, quos de eo edidit Adelelmus monachus Flaviacensis, divinis humanisque instructus litteris, qui [b], testante Orderico, ardenti amore ipsi usque ad ejus obitum constanter adhæsit. Ejus epitaphium auctore Hildeberto sic habet.

[a] lib. 65. n. 41.
[b] Orderic. lib. 11. p. 832.

Pauperibus locuples & sacri nominis abbas
Willelmus, solo corpore cultor humi;
Liber ab Ægypto rediens, deserta reliquit,
Jamque Jerosolymam victor ovansque tenet.
Cum vitiis odium, cum moribus ille perennem
Pactus amicitiam, firmus utroque fuit.
Luce gravi nimium qua sexta præibat Aprilem,
Redditus est patriæ spiritus, ossa solo.

id est die XXVI. Martii, qui ejus vitæ supremus fuit.

Rogerius ejus successor, ortu Bajocensis, electus est cum adhuc levita esset, à Guillelmo metropolita presbyter consecratus in festo sancti Thomæ apostoli, & XII. kal. Januarii ordinatus abbas monasterii quartus. Primus enim fuit Willelmus Divionensis sub Richardo duce. secundus Johannes Italicus, qui per annos LI. monasterium rexit: tertius prædictus Guillelmus *de Ros*, Puella item cognominatus, a quo in monastica disciplina eruditus successor Rogerius, regimen annis XXXII. tenuit.

XXXIII. Horum abbatum & Fiscamnensium elogium.

Ambos illos abbates, in primis Guillelmum, ipsumque Fiscamnense monasterium miris laudibus effert Baldricus Dolensis archiepiscopus ex abbate Burguliensi, in epistola [c] ad Fiscamnenses, in qua iter suum per Britanniam minorem & majorem, & per Nortmanniam describit. De minori Britannia parum honorifice loquitur, eique longe præfert Angliam, cujus comparatione Britanniam reputavit » exsilium. Illic magna cum caritate se exceptum fuisse testatur. In Nortmannia non » eosdem omnino, sed dissimiles se invenisse mores dicit. In quibusdam enim mona- » steriis primo die adventus sui homines bonos & humanos, altera die ira mutatos, » ut nisi vultus recognovisset, omnino alteros crederet. In Beccensi monasterio » *totius religiositatis plenitudinem* se deprehendisse ait. Nulla illic fictio, nulla muta- » tio, sed quædam sincera temperies naturalis honestatis, ut de hoc loco dici posset, » *ne quid nimis*. Ibi postquam pernoctaverat, cum discedere vellet, remanere » compulsus est a venerabili abbate, scilicet Willelmo, vixque tandem ab eo avul- » sus est. Dehinc Fiscamnum adiit, in cujus laudes prolixæ epistolæ magnam partem insumit.

[c] Neustria pia p. 227.

insumit. Quanta cum humanitate abbas & singuli monachorum ipsum susceperint, multis explicat. Adductus in claustrum invitatur *in animarum fornacem purgatoriam,* « scilicet capitulum, ubi cum sermonem haberet, omnes ab ejus ore pendebant. « Tum ipsi dux & custos deputatus & minister Adelelmus, litteris liberalibus apprime « eruditus, Flaviacensis nimirum ille monachus, quem Guillelmo abbati constanter « adhæsisse mox dicebam. Hunc de rebus monasterii percontatur Baldricus: ille vero « inter alia de abbate superstite & recens sublimato cum multa insinuasset, de nuper « mortuo longe plura, non sine singultibus, disseruit in hunc modum. Ecclesia ista, « domine, memorandos habuit rectores: sed bonæ memoriæ abbas Guillelmus an- « tecessoribus ac provincialibus suis tantum antecellit, quantum sol astris ceteris. « Is quippe magna litterarum peritia præditus, primum Bajocensis archidiaconus, « postea monachus Cadomensis, demum Fiscamnensis abbas, domum hanc morum « suorum exemplo informavit, ædificiis decoravit, auxitque numeroso fratrum con- « ventu. Multi siquidem nobiles laïci & clerici, ejus religionis odore attracti, huc « ad conversionem venerunt, & sanctis ipsius institutis informati sunt: quos inter « ego ipse, in longinquo positus monasterio, abbatis mei permissu, Fiscamnum adii, « ubi perhumaniter admissus sum, nullius momenti homuncio. Omnes nos, quot- « quot hic vides, ipse aggregavit: sed longe plures eo vivente fuimus, ex quibus « ducem suum, post ipsius obitum, fere centum subsecuti sunt. His dictis, Adelel- « mus boni patris recordatione in lacrymas prorumpens, orationem ad eum conver- « tit, ejusque vigilantiam & caritatem in omnes, misericordiam in peccantes & egenos « celebravit. Cujus enim pauperis necessitas manum ejus sterilem sensit? Circuibat « angulos & compita leprosorum; tuguriola subintrabat, ut omnium necessitatibus « adesset. Post hæc Baldricus, interpositis nonnullis de organis Fiscamnensium, novum abbatem laudat, quem sibi in colloquio pæne assiduum fuisse dicit, de animarum salute frequenter disputantem, gementemque de gravi onere abbatiæ, quam, si inculpate sibi liceret, dimitteret libenter. Discedendi veniam postulanti Baldrico vix tandem assensit, & interim seorsim accito ejus cubiculario, manticam largitate sua implevit. Id ubi rescivit archiepiscopus, cur ita fecisset conquestus est. Ad quem ille: Hujus, inquit, monasterii consuetudo est, a majoribus ad nos usque « transmissa, ut nemo indonatus hinc recedat. Ceterum sensisses largius, nisi in hac « dignitate novus essem. Nec his finem fecit, nam post refectionem recedens Baldricus, in itinere onerariam *birotam* reperit, victualibus refertam, quæ ad proximum hospitium ducebatur jussu abbatis, qui nepotem suum cum aliis deducendo hospiti comitem adjunxerat. Ubi nunc similem in hospites caritatem & munificentiam videas? Quamquam similem in quibusdam Germanicis monasteriis humanitatem aliquando experti sumus. Addit Baldricus, se post biennium semel & iterum rediisse Fiscamnum, ubi non minori quam ante humanitate acceptus sit. Sub finem epistolæ laudatur quidam Robertus, unus e prioribus, adhuc imberbis, canus anima, « capellanus abbatis, vir summæ castimoniæ, qui Baldrico in re sacra ministrare cer- « tatim studebat. «

XXXIV. Organa musica an probanda.

Non omittendum hoc loco est, quod idem auctor in eadem epistola scribit de instrumento illo musico, fistulis æreis compacto, quod follibus excitum fabrilibus, « suavem reddebat melodiam, graves, acutas & medias uniens voces, ut quidam con- « cinentium chorus putaretur. Organa, uti & nos vocat ille, quod instrumentum sibi « non mediocriter placuisse, & in Fiscamnensi ecclesia *certis temporibus* usitatum fuisse asserit, tametsi fatetur, multos esse, qui ejusmodi organa in suis non habentes ea damnant, nescientes quid illa innuant aut significent, nec attendentes chordarum modulatione animi motus mitigari, ut Davidis in Saülem, & Elisæi in seipsum exemplis probat. *Non igitur aberramus,* inquit, *si tantorum patrum vestigia, ut possumus, imitamur.... Ego siquidem in modulationibus organicis non multum delector: sed per hoc ad intelligendum excitor, quod sicut multimoda fistulæ varii ponderis & diversæ magnitudinis in unam vento agitata conveniunt cantilenam: ita homines in unam debent convenire sententiam a Spiritu-sancto inspirati, & in unam convenire voluntatem.* Denique post multa similia ita concludit. *Si igitur organa habemus, eis uti ecclesiastica consuetudine permittimur: sin autem, sine sacrilegio eis carere possumus.* Vide quæ de prima organorum in Franciam advectione in secundo [a] volumine diximus.

Cadomenses abbates.

Ordericus [b] eodem anno reponit obitum Rotberti Cadomensis abbatis, qui

[a] Orderic. lib. 11. p. 831.
[b] lib. 13. n. 19.

ANN. CHR. 1107.

mense Januario Falesiæ, ubi *confessio procerum*, id est, si bene capio, fidelitatis professio, *coram rege* Heinrico *fuit*, *subita ægritudine percussus* interiit. Ejus vices Eudo seu Odo, ejusdem loci monachus, per multos annos supplevit, scilicet usque ad annum MCXL. quo Alanus ei successit, nulla re gesta memorabilis, uti nec ejus successores, quos vide sis in Neustria pia[a]. nam nuda tantum abbatum nomina recensere piget.

[a] *Neustria pia p. 632. & seqq.*

XXXV. Angliæ regnum Anselmo commissum.

Florebat tunc temporis in Rotomagensi sancti Audoëni monasterio Helgotus abbas, Anselmo amicus & familiaris. Hic viro Dei gratulatorias scripsit litteras, tum ob prosperum ejus in Angliam reditum, tum ob regis favorem, qui, dum in Normannia cum fratre bello contenderet, Anselmo regni curam commiserat. Helgoti epistolam non habemus, sed tantum Anselmi responsionem[b] in hæc verba. *Gratia Dei disponente, & vestris, & aliorum servorum Dei amicorum nostrorum orationibus suffragantibus, in Angliam nuper reversus sum; cum magno gaudio & honore, quantum in hominibus fuit, susceptus sum a majoribus & minoribus, a prælatis & subditis. Quod audistis, quia Dominus meus rex mihi commendavit regnum suum & omnia sua, ut voluntas mea in omnibus quæ sua sunt fieret, verum est. in quo benignitatem voluntatis suæ & magnam dilectionem suam erga me monstravit.* Addit Anselmus se sperare, si rex incolumis redierit, multa ad honorem suum facturum. Ad se quod attinet, omnia ipsi & in corpore, & in aliis rebus, Deo dante, prospera esse, præter corporis imbecillitatem, quam quotidie crescere sentiebat. Certe ex quo in Angliam reversus est, afflicta semper fuit valetudine. nec mirum sane post tot labores & tribulationes, & quidem in illa ætate. nam hic annus ejus ætatis, ut meæ cum hæc scribo, septuagenarius-quartus erat. Unde præceperat ipsi Paschalis papa, ut corporis sui majorem curam haberet, ne cito deficeret. qua de re pontifici vir Dei gratias agit in epistola relata libro IV. historiæ novorum, qua ei significat, Robertum comitem de Mellento & Richardum de Redveris institisse apud regem, ut in eligendis personis ad ecclesiasticas dignitates religiosorum se penitus committeret consilio.

[b] *Anselm. lib. 3. ep. 125.*

Vota facta ante professionem an tenenda.

Dum hic sumus, non omittenda videtur alia Anselmi epistola ad Willelmum Becci abbatem, qui ipsum consuluerat, de voto cujusdam monachi, qui antequam ad monasterium venisset, voverat se numquam amplius vinum bibiturum. Ad quod respondet[c] sanctus præsul, hoc sibi videri esse faciendum, *quod fit a majoribus nostri Ordinis, & maxime apud Cluniacum; videlicet ut hujusmodi vota, quæ fiunt sine promissione fidei & sacramento* seu juramento, *in voto monachici Ordinis, in quo homo quidquid ad se pertinet, & seipsum totum Deo offert, judicentur esse completa; & sit in dispositione prælati, vel ea servare immobiliter, vel mutare. Vos autem*, inquit, *huic monacho, de quo loquimur, potestis, si placet, ad tempus concedere, ut quod incœpit faciat. Quod si quando intellexeritis non expedire; præcipite illi ut faciat fidenter, quod faciunt communiter fratres.* Hæc fortasse non otiosa.

[c] *ibid. ep. 154.*

XXXVI. S. Amandi parthenium Rotomagi.

Rotomagi exstat nobile sanctimonialium Benedictinarum cœnobium, quod inter antiquiora illius regionis monasteria computat Guillelmus Gemeticensis: sed quem auctorem habuerit, incertum. Certe hunc locum antiquissimum esse ex eo colligitur, quod sanctus Amandus, Trajecti ad Mosam episcopus, illic missas celebrare consuevisse traditur, cum Rotomagi versaretur. In superiori volumine[d] egimus de instauratione hujus parthenonis, deque Emma seu Emmenia prima ejus abbatissa, cui Marsilia successit, cujus tempore, & quidem hoc ipso anno MCVII. insigne in illa ecclesia miraculum sancti Amandi meritis patratum est excitatione mulieris, quæ sibi ipsi mortem suspendio intulerat. Factum fuse commemorat ipsa Marsilia abbatissa in epistola ad Bovonem Elnonensis cœnobii abbatem, cui, uti & illi parthenoni, communis patronus erat idem sanctus Amandus. Hujus epistolæ inscriptio sic habet. *Desideratissimo, & in Christi membris valde venerando Bovoni, Elnonensis cœnobii abbati, totique beato a Deo sibi credito conventui, Marsilia abbatissa, ancillarum Christi ultima, & universa sororum congregatio in urbe Rotomagensi Deo & sancto præsuli Amando serviens, ita de virtute in virtutem provehi, ut Deum deorum in Sion merito valeat contemplari.* Hæc epistola refertur integra[e] in Neustria-pia, quam, ne nimius sim, in pauca contraho. Erat hoc anno in Normanniæ pago Lisiacensi[*] quædam illustris femina, falsis rumoribus ex zelotypiæ vitio ita dementata, ut singulis momentis mortem sibi consciscere moliretur. Cum eam maritus ad sanam mentem

[d] *lib. 56. n. 76.*

[e] *Neustria pia. p. 186.*

[*] *de Lisieux.*

revocare frustra rentasset; tandem visum est, ut mulier Rotomagum adduceretur in ecclesiam sancti Amandi, cui singularis in dæmones potestas collata fuisse traditur. Post varias preces & complures exorcismos, cum nec sic sanaretur, demum coram altari, *in quo sanctus Amandus missas celebrare consueverat*, statuitur, ibidemque per septem dies pernoctat. Denique cum se dormire velle simularet, custodesque seorsim recessissent, parietem, qui superior videbatur, furtim ascendit, & partem pepli, quo caput tegebat, in summitate columnæ ejusdem parietis connexuit; tum facto ex reliqua parte laqueo cursorio, collum in eum injecit, & cum impetu prosiliens tanta vi collum pressit, ut sanguinis radius in parietem profluxerit. Post aliquot horas reversi custodes eam suspensam, & corpus rigidum magno cum horrore spectarunt. Consultus quid facto opus esset archidiaconus, mulieris cadaver in profanam foveam projiciendum censuit. Inter ea dum quædam sanctimoniales propius ad eam accessissent, una earum palpitantem & redivivum in pectore spiritum sensit; interdum paullatim rubere faciem, interdum paullatim oculos aperire, & ima suspiria trahere intellexit. Mox geminatæ preces: tumque animam in corpus rediisse compertum est Dei omnipotentis virtute & interventu beati Amandi, cujus meritis se a mortuis excitatam fuisse mulier ipsa contestata est. Prædicti miraculi mentionem facit Philippus Bonæ-spei abbas in libro de vita ejusdem sancti Amandi.

Elnonenses abbates.

Hæc epistola scripta non est ipso anno, quo illud miraculum accidit, scilicet M C VII. quo anno Hugo abbas Elnonensi monasterio præerat. Eodem anno Hugo abbas a Baldrico Noviomensium & Tornacensium episcopo altaria libera, &, ut tum loquebantur, impersonata sibi concedi petiit, obtinuitque. cujus rei litteris subscribit inter alios Gulvericus seu Wlfricus abbas S. Bavonis. Idem Hugo diploma a Paschali papa impetravit, quo universæ monasterii possessiones confirmantur. *Datum Trecis per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii* VIIII. *kal. Junii, indictione* XV. *anno incarnationis dominicæ* M C VII. *pontificatus autem domni Paschalis secundi papæ* VIII. Ex quo præcise tempus habiti concilii Trecensis intelligitur. Non diu superstes fuit Hugo abbas, anno sequenti, ut videtur, mortuus mense Decembri. Successurem habuit Bovonem juniorem, senioris nepotem, ad quem præmissa Marsiliæ abbatissæ epistola scripta est.

XXXVII. S. Eligii parthenium Fossatensibus tributum.

Apud Parisios sancti Eligii puellare monasterium, quod a sancto Eligio in gratiam Aureæ virginis conditum fuisse alias diximus, in tantam corruptelam prolapsum erat, ut puellæ Deo devotæ omnem exuisse pudorem viderentur, nec ullis Galonis episcopi monitis ad sanam mentem revocari possent. Id ubi rescivit Paschalis papa, qui hoc anno Parisios venerat, Galoni mandavit, ut monasterium vel emendaret, vel penitus aboleret. Ubi vero puellas in malo obfirmatas re ipsa probavit episcopus, communicato cum Philippo rege consilio, ut scandalum removeret, hanc abbatiam, pulsis feminis, in cellam erigere constituit, eamque Fossatensi abbati & monasterio subjicere iisdem omnino conditionibus, quibus abbatissa ejus loci monasterium hactenus tenuerat. quod rex Philippus diplomate suo confirmavit. Conditiones illæ explicantur in litteris Galonis episcopi, hoc anno, episcopatus ejus tertio datis, quæ cum regio præcepto sub finem tomi primi Historiæ ecclesiæ Parisiensis referuntur. Erat tunc temporis Fossatensis abbas Theobaldus, isque duodecim illic monachos cum priore collocavit. Verum post aliquot annos Theobaldi abbatis & Fossatensium animis religio injecta est, hanc mutationem non omnino canonice factam esse, nec formam judiciorum in illo negotio observatam; puellas quidem malæ famæ fuisse, sed nec citatas in judicium, nec auditas. quam ob rem Theobaldus Eligianum monasterium Stephano episcopo resignavit. Verum cum illud aliquamdiu tenuisset Stephanus, ipsummet Ascelino Fossatensi abbati, Theobaldi successori, anno M C XXXIV. reddidit cum insigni elogio modestiæ Theobaldi abbatis in hæc verba. *Quod siquidem donum*, monasterii scilicet Eligiani, *quia inordinate, nec ita ut oporteret secundum Deum actum est; abbas ecclesiæ Fossatensis Theobaldus, vir quidem discretus & honestus, suæ & subditorum fama consulens & saluti, prædictum beati Eligii monasterium nobis in nostra manu reddidit & dimisit, & se & monachos Fossatenses prædictum monasterium nec secundum Deum adeptos esse, nec bene possedisse cognovit. Cum vero idem monasterium in manu nostra diu tenuissemus; tandem misericordia, quæ omnis humilitatis amica est, oculis nostris se offerens,*

ANN CHR 1107.

visa est nobis exigere, ut, quod prædictus abbas nobis dimisit timore Dei & humilitate compunctus, ecclesiæ Fossatensi misericorditer donaremus .... Amore itaque misericordiæ inclinati, & petitione domni papæ Innocentii & prece domni Ludovici illustris & gloriosi Francorum regis inflexi ... prædictum S. Eligii monasterium cum omnibus ad illud pertinentibus Ascelino abbati & ecclesiæ beati Petri Fossatensis perpetuo habendum, salvo quidem in omnibus jure nostro & successorum nostrorum, & salvis in omnibus & per omnia consuetudinibus ecclesiæ Parisiensis, donamus & concedimus &c. *Actum publice in capitulo sanctæ Mariæ anno incarnati Verbi* M C XXXIV. *regnante Ludovico rege anno* XXVII. *Ludovico rege in regem sublimato anno* III. *anno episcopatus Stephani* XI. Ceterum hoc sancti Eligii monasterium Fossatensibus monachis sæculari toga donatis, ad regulares clericos Barnabitas tandem devolutum est, redditibus archiepiscopali mensæ Parisiensi unitis.

XXXVIII. Novigenti & Guiberti abbatis elogium.

Novigentensi pagi Laudunensis monasterio & Guiberto abbati luculentum dedit existimationis suæ testimonium hoc anno Manasses Suessionum episcopus, cum eidem loco altare Creciaci concessit, testatus suum in monachos studium & affectum. *Horum igitur quidam*, inquit, *illi videlicet fratres, qui in monasterio sanctæ Mariæ apud Noujandum monachicam & religiosam agunt vitam, ita nobis & majoribus nostris sua devotione & sinceritate carissimi exstiterunt, ut eos, quamvis intra episcopium nostrum minime consistant, non minus quam nostros proprios honoraverimus, beneficiis quoque & donis auxerimus. Quod ergo eis nostra beneficentia contulit pro amore Dei, memoriæ placuit litteris assignare, ne posteritati quidquam vel ignorantia, vel malitia, liceat demutare. Præerat siquidem illi monasterio domnus Guibertus abbas, qui sapientia & innocentia sua nos sibi valde conglutinavit: a quo rogatus sum, ut altare de villa, quæ dicitur Crecis, quod quidam potentum, nomine Guido, Guidonis de Cociaco filius, ex majorum beneficio a nobis & a nostra ecclesia tenebat, eidem monasterio conferrem. Idem enim abbas religioso quo pollebat consilio cum prædicto Guidone tractaverat, ut altare illud possidere laicus periculum crederet; egeratque, ut præfato monasterio pro salute sua redderet, si tamen ego, ex cujus beneficio erat, annuerem & efficerem. Ego lætus ac libens id feci. Neque enim hoc intellexi beneficii nostri minorationem, sed utilem commutationem, & quasi de læva transferrem ad dextram. Actum anno Domini* M C VII.

Plani castelli cella erigitur.

Eodem tempore quidam sacerdos & monachus Novigenti, Ulbertus nomine, qui ibidem prioris officium gesserat, divinitus animatus, *ut solitariam & sub inclusione vitam ageret*, eidem Manassæ episcopo votum suum significavit; elegitque ejus rei causa locum, qui dicitur Planum-castellum *, non longe a prædicto monasterio & quidem in episcopatu Suessionensi positum, quem ipsi concesserant Ingelrannus de Cociaco & Guido castellanus & vicecomes, materque ejus; Oidela quoque uxor Evrardi decimam ejus loci remiserat. Illic itaque Ulbertus exstruxit ecclesiam in honorem beatæ Mariæ, sanctique Nicolai, rogavitque eumdem episcopum, ut eam benediceret, & circa eam atrium, *ubi fratres ibidem commorantes & sine proprietate liceat sepeliri. Congratulantes igitur*, inquit Manasses, *piissimo ejus studio, approbantes maxime hanc potissimam quærentium Deum conversationem, in loco episcopii nostri eum consistere velle valde gavisi sumus; & quod a nobis petiit libenter fecimus.* Hactenus in Plano-Castello simplex, ut vocant, prioratus est sub titulo sanctæ Mariæ-Magdalenæ.

* *Plain-chatel.*

XXXIX. Bernardus Tironium secedit.

Vixdum apud Arsicias sedem fixerat Bernardus abbas concessione Rotroci comitis, cum Beatrix comitis conjux [a] verita ne cum Cluniacensibus, qui in proxima Novigenti Rotroci cella residebant, novas rixas haberet, marito suasit, ut locum paullo remotiorem Bernardo tribueret. Itaque vir Dei cum suis illinc recedens, ad silvam Tironiensem se recepit, ubi monasterium exstruere cœpit, immo potius extemporaneas monasterii casas in loco, qui modo sanctæ Annæ dicitur. Annum M C VII. præcise assignat Chronicon sancti Albini Andegavensis. Locum Bernardo concessit Rotrocus comes, cujus donationem Ivo Carnutensis episcopus ratam, gratamque habuit, ut testatur epistola CCLXXXIII. qua fidelibus, tam præsentibus quam » futuris, notum facit, quod Rotrocus, nobilis & strennus Mauritaniæ comes, ab » ipso postulaverit, ut consecraret cujusdam cœnobii cœmeterium, quod situm est » super fluvium, qui Tiron vocatur, *ad usum quorumdam religiosorum monachorum, qui in eodem loco eremiticam vitam ducere elegerant, & monasterium ibi pro loci & temporis opportunitate construxerant.* quod quidem præstitit Ivo, ea conditione, *ut nulla ibi de*

[a] *supra n. 37.*

cetero sacularis potestas aliquas saculares consuetudines acciperet, nullas exactiones extorqueret. cui conditioni assensit comes. Non tamen locus ad inhabitandum utcumque habilis fuit ante annum M C IX. quo anno Bernardus, aggregatis discipulis, acceptaque benedictione ab Ivone diœcesano episcopo, *primam missam celebravit in die sancto pascha in monasterio ligneo adificato*, ut scribit Ganfredns monachus in ejus vita. Verum cum novas ei rixas struerent monachi Novigentenses, Bernardus ab Ivone episcopo & canonicis Carnutensibus obtinuit fundum unius aratri secus fluvium, qui Tironus dicitur, ad construendas monasterii officinas. cujus rei litteræ III. nonas Februarii, anno M C X. datæ, ut suo loco videbimus.

ANN. CHR. 1107.

XL. Qualis ejus vitæ instituto & fama.

Hic locus Bernardo magnopere arrisit, tum quia remotior erat ab hominum societate, tum quia incultus & ingratus, reputanti non parum conducturam ad solitudinem suorum loci asperitatem, quæ delicatos & falsos fratres, quod genus hominum pravis colloquiis & exemplis bonos corrumpere solet, non modo non alliceret, sed deterreret. Illic itaque durissimam cum suis vivebat vitam Bernardus, labore manuum & ædificiis construendis occupatus, sic tamen, ut nihil psalmodiæ, orationi & silentio detraheret. Omnes autem sanctitatis fervore succensi, paupertatis onus lætanter ferebant, habitu inculti & adspectu horridi, ita ut regionis illius incolæ eos pro Sarracenis haberent, qui per occultos cuniculos illuc, fines suos exploraturi, advenissent. Verum, ubi quidam ex illis exploratores eos propius inspexerunt, nihil mali machinantes, parvo contentos, non castra, turresve, sed exiguas cellas ex virgultis texentes, denique psalmos & hymnos die nocteque canentes; illi rediere ad suos, meliora de illis sentientes & sperantes, servosque Dei non jam ut Sarracenos, sed ut prophetas novos a Deo missos habuere. Sic paullatim eorum moribus assuefacti, certatim ad eos confluere cœperunt, alii ut Bernardum de rebus divinis loquentem audirent; alii ut sub ejus disciplina militarent. Hinc fama Bernardi, Tironensiumque monachorum longe lateque diffusa, non modo per Galliam, sed in exteras etiam regiones, ad quas ejus institutum propagatum est: ita ut undecim abbatiæ principi Tironiensi monasterio subjectæ fuerint: ex quibus octo in Gallia, duæ in Anglia, & una in Scotia recensentur, de quibus inferius agemus. Non parum etiam ad loci celebritatem contulere miracula, quæ Deus per famulum suum Bernardum operatus est. Sane quanta de illo divinæ providentiæ cura erat, illud argumento est, quod urgente annonæ penuria, quæ ex pluviarum eluvie orta erat, ille qui Danieli per prophetam ex Judæa in Babyloniam cibaria transmisit, idem ipse tunc Willelmi Nivernensium comitis animum impulit, ut viro Dei Bernardo, in abditissima Pertici solitudine latitanti, cujus fama necdum respersa erat, ingens vas aureum e Burgundia emitteret, cujus pretium comparandæ cum suis, tum egenis annonæ sufficiens fuit. Hæc annonæ penuria & fames contigit ab anno M C IX. per septem annos continuos, ut ex chronico Mauriniacensi, aliisque discimus. Non omittam hoc loco, quod Ordericus sub finem libri VIII. de Tironiensi monasterio tradit. *Illuc*, inquit, *multitudo fidelium utriusque ordinis abunde confluxit, & prædictus pater omnes ad conversionem properantes caritativo amplexu suscepit, & singulis artes, quas noverant, legitimas in monasterio exercere præcepit. Unde libenter convenerunt ad eum tam fabri lignarii, quam ferrarii, sculptores & aurifabri, pictores & cæmentarii, vinitores & agricola, multorumque officiorum artifices peritissimi. Sollicite, quod eis jussio senioris injungebat, operabantur, & communem conferebant ad utilitatem qua lucrabantur. Sic ergo, ubi paullo ante in horribili saltu latrunculi solebant latitare, & incautos viatores repentino incursu trucidare; adjuvante Deo, in brevi consurrexit monasterium nobile.* Huc usque Ordericus. Hactenus celebre est hoc monasterium sub congregatione sancti Mauri, ubi insigne sæcularium adolescentum seminarium est, in quo illi sollicite litteris ac pietate informantur a nostris.

XLI. Orbisterii monasterium conditur.

Eodem tempore conditum est in pago Pictavensi Orbisterii monasterium in honorem sancti Johannis, cujus auctor Willelmus Pictavorum comes, dominusque Talemundi. Is *Fulcherio servo Christi*, qui, relicto sæculo, se totum Deo mancipaverat, & *cella* orationis carebat, concessit locum Orbisterii* ad id tempus incultum & desertum, *ad adificandum locum orationis agenda pœnitentia causa, & ad faciendam abbatiam*; multaque eidem prædia & privilegia contulit. *Datum & actum publice anno ab incarnatione domini* M C VII. *mense Julii.* Has litteras retulit Beslius, sed mendose, ubi annus M VII. pro M C VII. legitur: tum quia Willelmus Pictavorum

* Orbestier.

ANN. CHR. 1107. comes dominium Talemundi obtinuit tantum post mortem Willelmi & Pipini filiorum primi Willelmi Talemundi principis: tum quia Fulcherius, Orbisterii primus abbas, inter testes numeratur in litteris Aymerici de Bullio pro constructione monasterii de Brolio-Grolandi, quod circiter annum MCIX. conditum est. Perstat etiam nunc Orbisterii monasterium in diœcesi modo Lucionensi prope Talemundum seu Talemontem opidum ad oram oceani.

Maroliii & Brolii-Grolandi monasteria. * Bois-Groland. * de Mareiiil. In eadem diœcesi positum est monasterium de Brolio seu Bosco-Grolandi * modo laudatum, quod cum Aymericus de Bullio ædificare vellet, rogavit Meschinum abbatem sancti Salvatoris de Marolio *, ut aliquot monachos ad informandum eo loci asceterium cum abbate mitteret. quod Meschinus præstitisse dicitur. Testes Fulcherius Orbisterii, Meschinus Marolii, & Petrus Brolii-Grolandi abbates. quæ litteræ editæ sunt in tomo IV. Galliæ-christianæ, ubi de Brolii-Grolandi monasterio, quod modo Cisterciensium est: monasterium vero Salvatoris de Marolio cella sancti Michaëlis in Eremo.

XLII. Gordanica cella Anianæ adjudicata. a supra n. 26. Dum Paschalis papa Valentiæ [a] in Delphinatu versaretur, delata est ad eum causa monachorum Casæ-Dei & Anianæ, qui de ecclesia seu cella sanctæ Mariæ de Gordanico simul disceptabant. Delegati a pontifice judices, Richardus Albanensis, Girardus Engolismensis, Albertus Avenionensis, Eustachius Valentinus, & Ganterius Magalonensis episcopi; necnon presbyteri cardinales Risus, Landulfus & & Divizo; atque diaconi cardinales Johannes, Ugo & Berardus. Hi omnes, auditis utrimque partibus, censuerunt, prædictam ecclesiam ab Aniacensibus diu possessam, injuste a Casæ-Dei monachis usurpatam fuisse; adeoque Anianensibus restituendam. Relata arbitrorum ad pontificem sententia, abbatem Casæ-Dei, scilicet Aymericum, ad se sisti jussit, *& cum cereo, quem tenebat in manu sua, refutare fecit; & ipsemet papa, suscepta eadem refutatione, ilico Anianensem abbatem & monachos cum eodem cereo & quodam lapide investivit, salvo tamen jure Casæ-Dei, si quod ibi habere videbitur. Facta sunt hæc apud Valentiam temporibus domni Paschalis II. papæ & coram eo, dominica incarnationis anno* MCVII. *mense Julio, indictione* XV. Hoc placitum integrum in Appendice referre visum est. Nec sic tamen quievit Casæ-Dei monachorum altercatio, ut [b] inferius videbimus. Qui hic inter arbitros habetur Divizo presbyter cardinalis, postea legatus in Germaniam missus est ad componendas dissensiones Augustensium contra Hermannum schismaticum episcopum, Divitius dictus [c] ab Udalscalco, qui totam historiam fuse exposuit.

b ad an. 1114.

c Canis. to. 2. p. 121.

S. Severi abbates. In hunc annum incidit mors Suavii abbatis sancti Severi in capite Wasconiæ, cujus obitus idibus Februarii notatur. Ejus tempore ecclesia beatæ Mariæ de Solaco, quæ sancti Severi monasterio a Guillelmo-Sancio duce olim data fuerat, Burdegalensi sanctæ Crucis cœnobio a pontificiis ministris tributa est: qua de re apud Paschalem conquesti sunt Suavius abbas, Willelmus Aquitaniæ dux, & Gasto proconsul Bearnensis litteris ad pontificem scriptis, quas in Appendice referemus. Suavio abbati successit Raimundus-Bernardi, abbas sextus, cujus ordinatio IV. nonas Julii facta traditur. Is postmodum factus videtur episcopus Aginnensis, ut in sancti Severi necrologio legitur idibus Januarii, & quidem anno MCXXVII. quo Petrus *de Goz* abbas sancti Severi electus est, cui post triennium Robertus successit, mortuus anno MCXXXVII. idibus Augusti. Suffectus in ejus locum ad annos quatuor Arnaldus de Trajecto *, quibus abbatibus Hugo clericus de Puihana hagiologium & necrologium scripsit, desinens in anno MCXXXIX. Arnaldi successor Raimundus-Sancius ad unum dumtaxat annum obiit VIII. kal. Martii. Hunc excepit Raimundus tertius, paullo post electus episcopus Aginnensis, de quo necrologium VII. idus Aprilis: *Depositio domni Raimundi episcopi Aginnensis, monachi & abbatis istius loci, anno* MCXLVIII. De ejus successoribus in abbatia nihil singulare dicendum occurrit.

* de Trejet.

Res Lemovicenses. d lib. 69. n. 32. Apud Lemovices Gauzbertus [d] Uscercensis abbas, cum ad reconciliandum cum Willelmo comite Eustorgium episcopum, quem Willelmus in vinculis tenebat, Lemovicas se contulisset, ibidem IV. kal. Octobris obiit, & in regali basilica Salvatoris seu sancti Martialis humatus est honorifice ad tumulum Guillelmi episcopi. Hujus abbatis nepos exstitit Stephanus ille monachus, cognomento Mala-faida, quem a nativitate cæcum beatissima virgo Maria in monasterio Soliaco mirabiliter illuminavit, testante Gaufredo [e] priore Vosciensi, qui subsequentes abbates comme-

e Labbe bibl. to. 2. p. 298.

morat. Primus post Gauzbertum fuit Petrus, cujus tempore, & quidem anno M C X. Guillelmus de Alba-roca Petragoricensis sancto Petro Usercæ ac Petro abbati, ejusque monachis committit monasterium Exidolii * diœcesis Petragoricensis, cujus monasterii initia & auctores ignorantur.

* Exideüil.

XLIII. S. Benigno libertas ab Hugone duce firmata.

Cum Paschalis papa Divionensem sancti Benigni ecclesiam, ut superius [a] diximus, consecraret, Hugo Burgundiæ dux hortatu pontificis *promisit* [b] *in sacrata ejus manu*, se Divionensem illam ecclesiam in eadem libertate dimissurum, quam ejus patruus bonæ memoriæ Hugo dux & monachus ei concesserat. Insuper injustas quasdam exactiones, quas ipsius ministri extorquebant, relaxavit, & justitiæ exercendæ *in burgo, quod claustrum dicitur*, jus & facultatem monachis eorumve ministerialibus, aliaque concessit. Hoc autem donum, laude magnatum suorum factum, in manu domini papæ posuit, & frater ipsius Heinricus laudavit. *Testes Savaricus Verziacensis, Valo abbas de Latona* *, *Rainerius dapifer, Josbertus vicecomes, Hugo de Poliaco, Tecelinus-Sorus*, pater sancti Bernardi abbatis Clarævallensis, & alii. Observanda sequens apud Perardum charta Rotberti Lingonensis episcopi, qui ad preces Guidonis Wangionis-rivi * domini confirmat donationem, quam almo martyri Benigno Divionensis cœnobii & sancto Stephano Wangionis-rivi, *in manu domni beatæ memoriæ Gerentonis abbatis Divionensis* fecerat. ubi notanda hæc verba *bonæ memoriæ* de Gerentone seu Jarentone abbate adhuc superstite, qualia jam sæpius alias observavimus. Sane Jarentonem in vivis tunc fuisse sequentia ejusdem chartæ probant, ubi idem Guido ait se eadem denuo donare *in manu domni Jerentonis abbatis*, quem quatuor saltem annis supervixisse videbimus.

a supra n. 26. b Perard. p. 210.

* de S. Jean de Lone.

* Vignory

XLIV. Willelmi Matiscensis comitis donatio facta Cluniaco.

Insignis est charta Willelmi Burgundionum & Matiscensium comitis hoc anno data, qua donationes antecessorum suorum Cluniaco factas confirmat, aliasque de suo addit, commemorans progenitores & antecessores suos in hæc verba. *Notum sit cunctis amantibus veritatem & pacem, quod ego Willelmus Burgundionum comes & Mathicensium laudo & confirmo ad Cluniacum omnes donationes quas antecessores mei Burgundionum comites & comites Mathicensium loco illi venerabili usque hodie contulerunt: videlicet Rainaldus pater meus, filius Willelmi; & ipse Willelmus, filius alterius Rainaldi; & ipse Rainaldus, filius alterius Willelmi; & quæ illic dedit Stephanus comes, patruus meus. Possessionem quoque in pago Leodiensi, quam Aywalliam vocant, quam mater mea Regina, quæ fuit uxor Rainaldi Mathicensium comitis dedit ad Marciniacum, ubi & ipsa multis jam annis in sanctimoniali habitu servit Deo sub disciplina domni ac venerabilis Hugonis abbatis. Nam de mea parte dono ad præfatum locum Cluniacum, quicquid jure hereditario a majoribus meis mihi obvenit apud Bellum-montem, qui locus est in episcopatu Lausanensi, & insulam proximam, quam dicunt Insulam-comitum, quantum ad me res ipsa pertinet, in hominibus, in terris, in vineis, in piscariis, vel ceteris reditibus. Sic laudo, sic offero res nominatas pro redemptione animæ meæ, & avi ac nutritoris mei Cononis comitis & reliquorum parentum meorum* &c. *Actum publice apud Berziacum* * *villam in manu domni Hugonis Cluniacensis abbatis, anno dominicæ incarnationis* M C VII. *indictione* XV. *anno domni Paschalis papæ secundi* VIII. *anno* II. *Heinrici regis quarti, anno vero ordinationis domni Hugonis abbatis Cluniacensis* LVIIII. In hac comitum Matiscensium serie observare licet morem apud veteres non raro usitatum, ut nepos avi nomen referret, ut in eo avus quodam modo reviviscere videretur.

* Verzy.

Aliæ res Cluniacenses.

Eodem anno monasterium Vallis-clusæ, diœcesis Vesontionensis, in manu prioris de Mortua-aqua Cluniacensibus tradit Theobaldus de Rubeo-monte. quod Pontius archiepiscopus Vesontionensis ratum habet litteris venerabili Hugoni abbati Cluniacensi scriptis.

Tunc sancti Wlmari monasterium in pago Boloniensi ita deformatum erat, ut Eustachius [c] comes, cum diu ad illud reformandum in cassum laborasset, litteras ea de re cum Maria conjuge scribere coactus sit ad Hugonem abbatem mox laudatum, ut id per se suosque efficeret, maxime quod ipsius pater illic sepulturam suam elegisset. Illud itaque monasterium Hugoni ordinandum committit, optimatibus suis assentientibus in præsentia Johannis episcopi Taruennensis & Lamberti abbatis sancti Bertini. Actum apud sanctum Wlmarum anno Verbi incarnati M C VII. indictione XV. quod Paschalis papa litteris suis confirmat, datis hoc ipso anno apud Aquam-bellam * in Sabaudia, III. nonas Augusti, cum e Trecensi concilio in Urbem rediret.

c Bibl. Clun. p. 539.

* Aigue-belle.

ANN. CHR. 1107.

XLV. Turbæ in Tornacensi S. Martini monasterio.

a *lib. 70. n. 106.*

b *Spicil. to. 12. p. 448. & seqq.*

Postquam Odo Tornacensis abbas ad Cameracensem episcopatum [a] promotus fuisset, & Segardo priori monasterium regendum reliquisset, tunc monachis magna [b] persecutio a canonicis Tornacensis ecclesiæ excitata est. Hi siquidem monachis interdicere cœperunt, ne ullum extraneum sepelirent in sua ecclesia, quippe quæ non abbatia esset, sed sui juris ecclesia; nec eos in ea remansuros, nisi quamdiu ipsi vellent. Hac molitione commoti duo archidiaconi, Anselmus & Radulfus filius domni Tetbaldi, qui Odonem episcopum adhuc illic commorantem frequentabant, cum supplicibus litteris Odonis Romam adeunt, & a Paschali pontifice privilegium obtinent, quo monachis jus sepeliendi extraneos asseritur, & exemtio a decimis, quas *a laicis* tantum, adeoque non a monachis persolvi debere Leo IV. synodali constitutione decrevit. Ubi hoc privilegium canonicis innotuit, ilico contra insurgunt, omnesque adversus monachos concitant, denique incendiis & rapinis monasterium infestant. His acceptis, Paschalis monachorum causam Baldrico Tornacensi episcopo gravibus litteris commendavit: at nihilo minus canonici incendiis in monachos grassari pergunt, suisque militibus res eorum diripienda permittunt. Cum ad quoddam monasterii prædium deprædandum missos satellites accepisset Segardus abbas, eo præmissus est ad eos reprimendos Gerulfus monachus, qui in sæculo strenuus miles fuerat, optimatum illius regionis cognatus. Ubi advenere satellites, curtem deprædantur, monachumque ipsis resistere volentem tam graviter sauciant, ut eum in lectulo ad monasterium referri necesse fuerit. Ea injuria commoti Gerulfi cognati, cum valida manu canonicorum ministros aggressi, octodecim ex eis occidunt, quorumdam pedes obtruncant, ceteros in fugam convertunt. De hac victoria cum quidam monachorum exsultarent; contra Segardus abbas, ea re, ut par erat, supra modum mœrore affectus, ingressus ecclesiam, coram altari prostratus amare flere cœpit, tam pro animabus interfectorum, quam pro peccato fratrum, qui ea de re exsultaverant: iisque in capitulum convocatis præcepit, ut postera die totus conventus in pane & aqua jejunaret, &, sicut in parasceve, totum psalterium recitarent, & processionem facerent, & in capitulo etiam omnes *disciplinas* susciperent. quæ devotio, quantum Deo placuerit, protinus effectus demonstravit.

Quomodo sedatæ.

Adhuc enim sedentibus in capitulo monachis, supervenit Everardus castellanus, totius regionis princeps, rogavitque se in capitulum admitti. Ingressus cum quibusdam viris sapientibus, in hunc modum verba fecit. De instauratione hujus ecclesiæ quantum lætati sumus, tantum nunc de ejus destructione, cum necdum ab instauratione completus sit vicesimus annus, tristitia afficimur. Scimus quidem injuste vobis a clericis interdici extraneorum sepulturam: at vos eis injuste decimas suas auferre vultis. Licet enim prædia nostra pro animarum nostrarum salute vobis contulerimus, decimas tamen dominæ nostræ Mariæ vobis dare nobis non licuit. Quod ergo vobis dedimus, tenete: & quod sanctæ Mariæ dedimus, ne auferatis. Si vero jus suum, quod a quingentis annis tenuit, sanctæ Mariæ auferre pergatis: quid vobis sæculum reliquisse proderit, qui aliena rapitis. Itaque rogo vos, ut ab incœpta pertinacia recedentes, pro insolita libertate provinciam non perturbetis, sed vicinarum abbatiarum, quæ vobis antiquiores sunt, morem & exemplum sequamini: nos vero efficiemus, ut clerici jus sepulturæ vobis cedant. Hæc ubi peroraffet castellanus, totus conventus protinus assensit: sicque concordia sancita est, ex qua tanta inter utrosque amicitia secuta, ut mutuis in sese beneficiis certarent.

XLVI. Dunensis monasterii initia.

Dunensis in Flandria monasterii originem ad hunc annum refert Iperius, ut in exemplari nostro legimus, quod alii ad præcedentem revocant. Primus ejus auctor vir *sanctitate famosus*, Ligerius nomine, *monachus de ordine sancti Benedicti nigrorum monachorum*, qui, relicta patria notisque, ut liberius Deo serviret, in Flandriam accessit, & in Furnensi territorio inter arenosa & montosa maris litora, quæ Dunas vocant, substitit; ibique ex eleemosynis ipsi collatis victitans, oratorium beatæ Mariæ virginis ædificavit, quod in conventiculum nigrorum monachorum paullo post accrevit, ac demum in nobilissimum monasterium, beatæ Mariæ de Dunis vocabulo insignitum. Hunc locum viginti & uno annis rexit Ligerius abbas: cui successit Fulco abbas secundus, ex monasterio Saviniacensi, forte eo ipso, ex quo Ligerius prodierat, istuc profectus, qui novum monasterium haud procul a priori inchoavit, eique decem annis in nigro habitu præfuit: sed tandem florente Cisterciensium

ciensium instituto, se suaque Cistercensi Ordini sub linea Claræ-vallis subjecit. Hoc monasterium, lapsu temporis arenis maris obrutum, Brugas nostro tempore translatum est.

ANN. CHR. 1107.

XLVII. Theoderico S. Trudonis abbate mortuo novæ ibi turbæ.

In monasterio sancti Trudonis decessit hoc anno Theodericus abbas [a] VII. kal. Maii, ipso anno quo ritus Cluniacenses admiserat, exactis in abbatia novem annis, & tribus fere mensibus, post infirmitatis dies tantum quinque, quam ex minutione sanguinis contraxerat. Post ejus mortem novas denuo turbas & persecutiones cum suis assectis excitavit Herimannus, jam rejectus a præfectura, & propter malefacta excommunicatus. Hæc omnia fuse [b] describit Rodulfus seu Radulfus, tunc prior, in suo chronico, qui ad declinandam Herimannitarum, qui eum sibi contrarium noverant, invidiam prioratu se abdicavit. Sepulto post triduum Theoderico, designati fratres de futura electione nuntium ad Olbertum Leodicensem episcopum perferunt, inde ad Mettensem (is tunc Adalbero erat) profecturi. Verum, ubi Leodium advenerunt, illic nuntios imperatoris offenderunt cum litteris imperialibus, episcopo præcipientes, ut ne ulterius Herimanno molestus & contrarius esset. Cum vero episcopus, qui Heinrici senioris partes contra filium tenuerat, recens novo imperatori reconciliatus esset, nuntiis imperatoris non omnino contradixit, nec tamen omnino assensit, sed in summa respondit, suum non esse sancto Trudoni dare abbatem, sed eum benedicere, quem Mettensis episcopus præstulisset. At Stephanus, sancti Jacobi apud Leodium abbas religiosissimus, multa fiducia & libertate nuntiis probavit, Herimannum, jam pridem ecclesiastico judicio damnatum pro invasione abbatiæ, & pro indurata inemendatione excommunicatum, non posse mereri absolutionem, nisi a cœptis desistat, & promissam toties emendationem & pœnitentiam factis exsequatur. Verum nihilo secius nuntii ad sanctum Trudonem deducunt Herimannum, & per comitem Gislebertum in abbatiam introducunt, repugnantibus monachis, quos ille modis omnibus vexavit, in tantum, ut die festo sancti Petri ad Vincula kalendis Augusti, & inventione sancti Stephani protomartyris patroni sui, nihil omnino haberent, quo reficerentur. Quæsitus inter ea nuntius, qui de tantis malis relationem ad Mettensem episcopum perferret. Electus ad id muneris Rodulfus, qui ut adversariorum insidias in itinere evitaret, junxit se copiis Friderici Coloniensis archiepiscopi & Godefridi ducis Lovaniensis & Arnulfi Lomensis comitis, tendentium Virdunum ad imperatorem, in cujus comitatu erat Adalbero episcopus Mettensis. Hic Rodulfo audientiam distulit, dum ad urbem Mediomatricum rediisset. Mox eo profectus est Rodulfus, episcopi jussu deductus a priore sancti Clementis, nomine Azelino, qui postea Gorziensis abbas creatus est. Ubi in urbem revertit episcopus, duas Rodulfo epistolas dedit, unam ad Herimannum pseudabbatem ambigui sensus, alteram ad fratres Trudonianos, quos bono animo esse jussit, pollicitus, se iis invitis Herimannum in abbatiam non inducturum: ceterum se brevi ad eos profecturum, ut quid e re ipsorum esset statueret.

a V. lib. 69. n. 119.

b Spicil. to. 7. p. 417. & seqq.

His litteris acceptis reditum ad suos per mille anfractus & discrimina maturat Rodulfus, in itinere benigne exceptus, primo quidem in abbatia canonicorum sancti Petri nuper incœpta, tum in cellula fratrum sancti Hucberti in castello *Cuns*, dehinc in ipso sancti Hucberti monasterio, inde in cella Cluniacensium ad sanctum Symphorianum, sita inter Hoyum * & Leodium; postremo in Leodiensi sancti Jacobi monasterio, ubi Stephanus abbas omnimodam ei humanitatem exhibuit. Illic omnes eum dehortabantur, ne ad sanctum Trudonem rediret ob conjurationem in ipsius caput factam ab Herimannitis: sed arte placavit Gertrudem uxorem Gisleberti comitis, Herimanni fautoris, quem illa in Rodulfum proritabat; efficitque ut per illam salvus sibi conductus daretur. Redit ergo ad suos Rodulfus, mirantibus stupentibusque quo pacto ex tot adversariorum insidiis evasisset incolumis. Redditæ litteræ non minus Hermanno, qui sensum suarum non capiebat, quam fratribus placuerunt. Interim Leodicensis episcopus monasterium & forenses ecclesias interdicto supponit, dum Herimannus in abbatia moraretur. Acta sunt hæc mense Maïo. Julio insequente Leodium, inde ad sanctum Trudonem venit Mettensis episcopus, cujus consiliarios & familiares Herimannitæ pecunia & amplioribus promissis corrumpunt. Hi pro Herimanno allegant, ei a Poppone Mettensi episcopo datam fuisse abbatiam: at fratres reponunt id non canonice, sed simoniace factum, « resistentibus fratribus, quos ille flagellis cædi jusserit; hominem per vim intrusum, «

* Huy.

ANN. CHR. 1107.

bona monasterii profligasse, denique cum necdum monachum esse, quippe qui ad nullius ecclesiæ titulum adhuc professionem fecisset, nec benedictionem monachi suscepisset; adeoque abbatis benedictionem percipere non posse. Neque fratrum constantiam emollire potuit episcopus Mettensis. Post ipsius discessum cum omnia pejus irent, Leodium se recepit Rodulfus in monasterium sancti Laurentii, ubi sub magisterio sapientis viri abbatis Berengarii stabilitatem suam tertia hebdomada mensis Septembris firmavit.

Interim Leodium accessit imperator medio Decembri, cum e Flandria rediret. Mox eo se conferunt Trudoniani, adversus Herimanni, ejusque fautorum vexationes proclamantes. Adfuit quoque cum suis Herimannus. Die ad eorum audientiam indicta in capitulum sancti Lamberti, illic convenit sedirque imperator cum suis episcopis & principibus; sedit etiam Olbertus Leodicensis episcopus cum suis canonicis, & abbates urbis, Berengarius sancti Laurentii, & Stephanus sancti Jacobi. Causa utrimque ventilata, cum nihil sani afferret Herimannus, ei auctor fuit imperator, ut ex adstantibus quosdam seorsim consuleret. Ex his quidam cum eo egressi e conventu, ad hoc tandem eum perpulerunt, ut regressus in medio omnium se graviter peccasse & errasse fateretur, & toto corpore humi prostratus, absolutionem peteret, promitteretque se posthac numquam talia commissurum. Fecit ille quod ei suggestum erat, absolutusque est ac jussus abire. quo facto, eum deseruere omnes ejus satellites, & ad ejus hospitium præcurrentes, universa, quæ ipsius erant, diripuerunt: ita ut quo se verteret, non haberet. *Sic agunt laici*, inquit Rodulfus, *erga stultos & nimium credulos monachos, quos ad talem honorem perducunt, honoris cupidos, sed honoris indignos.* His actis, imperator Aquisgranum petiit, & cum eo inter alios Mettensis episcopus, a quo tandem fratres eligendi abbatis facultatem vix extorsere. qua de re anno sequenti. Hæc paullo fusius persecutus sum ad cautionem posterorum.

XLVIII. Fulcardo Laubiensi abbati succedit Walterius.

Hic etiam annus supremus fuit Fulcardi Laubiensis abbatis, qui anno præfecturæ tertio decimo plenus dierum [a] excessit e vivis, vir in omnibus vitæ monasticæ exercitiis, maxime in celebrandis divinis officiis sedulus ac devotus. Sepultus est ad antecessorem suum in ecclesia sancti Ursmari. Ejus in locum substitutus Walterius, cujus anno secundo Laubiensis ecclesia tertium dedicata est III. kal. Octobris, ob motionem scilicet altaris. Ea enim tunc omnium persuasio erat, ut moto altari, cujus gratia ecclesia fit, de novo consecretur ecclesia, ut ex litteris Anselmi & Ivonis superius [b] ostendimus. Eodem abbate ecclesia seu cella, quæ *Monasterium* dicitur, auctoritate & assensu Burchardi Cameracensis episcopi & archidiaconorum, pro clericis monachos admisit.

a *Spicil. to.* 6. p. 609.

b *V. lib.* 68. n. 106.

Illic etiam turbatio.

Walterii quoque abbatis tempore magna apud Laubienses turbatio & antiquarum consuetudinum mutatio facta est. quod hac occasione contigit. Per id tempus cum quædam renovatio monastici fervoris & ordinis in cunctis fere provinciæ monasteriis fieret; incusantur Laubienses, quod nomen quidem haberent honestatis, sed antiquam religionis & scientiæ formam amisissent. Vulgabatur hic rumor in primis per Herlefrandum Cameracensis ecclesiæ archidiaconum, instigante Aviso Aquicinctensi abbate, qui postmodum Atrebatensis episcopus factus est. Tentata Laubiensium reformatio per Leodicenses sancti Jacobi & sancti Laurentii monachos: sed non bene successit. adeo difficile est inveteratas consuetudines immutare. Denique res eo devenit, agente præ aliis Remensi archiepiscopo, ut amoto Walterio abbate, alter in ejus locum substitueretur. Abbatia itaque cessit ille, & in quamdam monasterii villam secessit, ex cujus reditibus necessaria ei vitæ subsidia conferebantur. Ejus cessione usi abbates vitæ districtioris studiosiores, urgent Cameracensem episcopum, ut abbatem, qualem ipsi volebant, Laubiensibus præponerent. Hi vero electionis libertate se privari non ferentes, unum e suis eligunt. Electus Romam pergit, confirmaturque a summo pontifice, qui, *nisi propter cavendam suffraganeorum injuriam*, eum ordinaturus fuisset. Sed, dum electus ille ad suos reversus esset, ante benedictionem morte interceptus est. Tandem, indicto ad novam electionem loco, qui Bona-spes dicitur, omnium suffragia convenerunt in Leonium monachum Aquicinctensem, tunc in cella Hesdiniensi triginta fere monachorum priorem, quem divinitus electum fuisse Laubiensis chronographus testatur. quod probant ejus facta suo loco referenda.

ANN. CHR. 1107.

XLIX. Turbæ in Virdunensi ecclesia.

Post mortem Ricberi Virdunensis episcopi, quæ hoc anno contigisse [a] traditur, electus est ad supplendum ejus locum Richardus, illius ecclesiæ archidiaconus, qui hunc episcopatum sedi Remensi, ad quem mortuo Manasse archiepiscopo postulatus erat, prætulit. Hinc Mettas profectus, de manu Heinrici regis *baculum pontificii* suscepit. Quod ubi Paschalis papa rescivit, eum excommunicatum denuntiavit. Quam ob rem Richardus Romam profectus, absolutionem petiit: sed, nulla satisfactione data, ligatus ut erat Virdunum reversus est. Mox pontifex litteras direxit Laurentio sancti Vitoni abbati, ut tam ipsum Richardum, quam omnes ei adhærentes, excommunicatos denuntiaret. Fecit ille quod jussus erat, nec ab illa die cum Richardo, clerove Virdunensi, qui ei assentabatur, ullam communionem habuit. quæ res magnam ipsi, suisque persecutionem concitavit, ut inferius dicturi sumus.

[a] *Spicil. to. 11. p. 294. & seqq.*

L. Piboni Tullensi episcopo succedit Riquinus.

Eodem anno Pibo Tullensis episcopus vivere desiit, mortuus VIII. kal. Decembris, aliis nono, quo die in necrologio sancti Benigni, ubi jam episcopus monasticæ professioni nomen dederat, laudatur his verbis: *Depositio domni Pibonis Tullensis, & hujus ecclesiæ monachi.* Tullensi ecclesiæ præfuit annis XXXVIII. sepultus in Tullensi ecclesia, in capella sanctæ Mariæ-Magdalenæ. Ejus tempore condita fuit in fundo sancti Mansueti abbatia sancti Leonis papæ prope muros urbis ab Anglehero decano illius sedis pro canonicis regularibus. Primus ejus abbas Seherus anno M C X. litteras a Paschali papa obtinuit, in quibus Pibonis in illam ecclesiam beneficia memorantur. Vixit ibidem pontificatu Innocentii II. Hugo Metellus, cujus epistolæ necdum editæ sunt, præter epistolam ad Gerlandum de sanctissimo eucharistiæ sacramento, in tomo tertio nostrorum Analectorum editam, ubi aliarum epistolarum mentio facta est.

Paullo ante obitum Pibonis detecta [b] sunt in monasterio sancti Mansueti tria feretra, quorum duo continebant ossa primorum Tullensis ecclesiæ episcoporum, Amonis scilicet, qui sancto Mansueto proxime successit, Alchæ, Celsini, Auspicii & Ursi, cum eorum sandaliis, aliisque pontificalibus indumentis: in tertio reperta tria capita & ossa trium corporum, sub quibus capitibus nummus æreus inventus fuit, & numisma L. Veri. Ex quibus indiciis quibusdam visum est, hæc esse corpora regis & reginæ, eorumque filii, qui sancti Mansueti interventu ex undis divinitus erepti sunt. Hæc porro feretra posita in veteri cancello monasterii, ubi crypta erat *opere cameutarii in modum arcus triumphalis curvata & rotunda*, in qua tria hæc feretra detecta sunt anno M C VII. a Theomaro sancti Mansueti abbate, cum novo operi insisteret: ad quod dedicandum Richardum Albanensem episcopum invitavit. Mitto aliam eorumdem feretrorum translationem, quæ Eugenii IV. pontificatu facta est. Piboni successit in episcopatu Riquinus illius ecclesiæ primicerius, nobili & antiquo genere de Commarceïo procreatus, qui non pauca sancti Mansueti monasterio beneficia contulit.

[b] *Analect. to. 3. p. 419.*

LI. Lerino facta donatio.

Inter varia Andreæ Valladerii abbatis opera, quæ in Mettensi sancti Arnulfi monasterio vidimus, exstat historia urbis Avenionensis, & in ea diploma Arberti ejusdem urbis episcopi, pro monasterio Lerinensi. Hic sæpe rogatum se fuisse dicit a Lerinensi abbate & monachis, ut illorum ecclesiæ, quæ in Castro-Raynardi constituebatur in honorem sancti Honorati, aliquam donationem faceret. Respondet episcopus, se diu distulisse illorum desideriis satisfacere: *quia cum prædecessor illius abbatis Lerinensis, qui postea factus est episcopus in Italia, prædictam ecclesiam Castri-Raynardi dedisset episcopo Avenionensi coram Gebuino archiepiscopo Arelatensi, & ejusdem ecclesiæ ei clavem reddidisset, iste abbas; illius successor, de dicta ecclesia molestare dictum episcopum Avenionensem non erubuerat. Sed quia nunc rediisset ad cor, & reliquisset ex toto dictam ecclesiam* ipsi episcopo; ille ejus preces exaudiens, donat ad obsequium ipsius ecclesiæ sancti Honorati, construendæ in castro-Raynardi, *decimas dominicatura*, quas babebat juxta illud castrum, & decimas animalium. *Datum apud Forum-Julii in conspectu Berengarii ejusdem civitatis episcopi, anno ab incarnatione Domini* M C VII. *indictione* XV. Id factum tempore Pontii Fortis abbatis Lerinensis, cujus proximus antecessor Aldebertus [c] non fuit episcopus: sed neque video, cuinam abbati Lerinensi id tribuendum sit.

[c] *V. lib. 70. n. 27.*

LII. S. Modoaldi reliquiæ translatæ in Saxoniam.

In Saxonia sub finem sæculi decimi conditum est ab Exxehardo comite Helmwardeshusense monasterium, quod ad extremam redactum penuriam beatus Mein-

ANN. CHR. 1107.

wercus Patherbrunnensis episcopus, in cujus diœcesi positum erat, in alium locum frustra transferre tentavit. Sæculo duodecimo ineunte præerat illi cœnobio Thietmarus abbas sextus, qui nihil prætermisit, quo semiruta instauraret ædificia, & animarum salutem procuraret, adeoque ut corpus cujusdam sancti martyris vel confessoris obtineret. Hujus rei causâ missus unus e suis ad Trevirorum civitatem, brachium S. Auctoris episcopi, aliasque sacras reliquias a Brunone archiepiscopo impetravit. Verum his non contentus Thietmarus, nullum lapidem non movit, quo aliquod corpus integrum ipsi concederetur. Quapropter anno MCVI. cum Heinrico episcopo suo in Italiam ad Guastallense concilium proficiscens, dum iret ac rediret per Treviros, Brunonem archiepiscopum denuo pertentavit, quo votis suis annueret. Sed re infecta ad suos reversus, denuo hoc anno ipse Treviros adiit, hospitatus in sancti Maximini monasterio, ubi venerabilis abbas Berengosus, ejusque præpositus Arnulfus dignæ memoriæ, eum cum congrua veneratione exceperunt. Admissus ad archiepiscopi audientiam die dominica palmarum, itineris sui causam cum multa supplicatione exponit. Re in crastinum dilata, Trevirensium consensu ægre impetrato, sancti Modoaldi archiepiscopi corpus ei conceditur, in sancti Paulini ecclesia tumulatum, quod die sancto Parasceves e tumulo effossum, feria secunda Paschæ, celebratis missæ sollemniis, quibus inter alios abbas sanctæ Mariæ ad Martyres, Folcuinus an Petrus, cum suis interfuit, ex illa ecclesia sollemni pompa effertur. Egressis e choro sancti Paulini occurrit cum crucibus, & multo apparatu sancti Maximini congregatio; inde progressis obviam procedunt majoris ecclesiæ canonici, aliique; tum abbas sancti Martini cum suis, quorum quanto minor apparatus, tanto major erat devotio; sub hæc ad pontem Everwinus abbas sancti Eucharii, nunc sancti Matthiæ, ejusque fratres cum festivo apparatu. Transmisso demum Mosellæ fluvio reditum ad suos instituit cum sacro loculo Thietmarus, deducentibus sancti Maximini tribus monachis, qui in prædio suo, Evena dicto, sacri corporis aliarumque reliquiarum bajulos exceperunt. Eadem humanitas in Prumiensi monasterio eis exhibita, cujus loci abbas venerabilis Wulframnus accedentibus obviam cum suis processit. Coloniam perductis occurrêre sancti Pantaleonis monachi, qui eos, absente suo abbate Herimanno, multa cum humanitate exceperunt. Antequam ad suos perveniret Thietmarus, litteris illos commonuit, ut se ad suscipiendum tantum thesaurum prævararent. Accedenti obviam processit Gumbertus abbas Abdinchofensis: tandemque magno cum plausu & triumpho sacrum corpus ab Helmwardicensibus excipitur VI. kal. Maii, qui deinceps sollemnis habitus est. Totam hujus translationis historiam uberius descripsit Stephanus sancti Jacobi apud Leodium abbas, jam sæpe a nobis laudatus, opusque suum Thietmaro abbati, ejusque fratribus inscripsit, ut apud Bollandi continuatores ad duodecimum Maii videre licet. Demum totus ille sacrarum reliquiarum thesaurus, postquam fatali Lutheri ætate postremus Helmwardesbusanus abbas, ducta uxore, transiit ad hæresim, Erici [a] episcopi Paderbornensis industria subtractus, servatusque cessit Paderbornensi ecclesiæ: ipsum vero, celebre quondam, monasterium jacet nunc inter rudera ab Hassis disjectum, ex quo primum Lutherana, mox Calviniana hæresis omnia turbare cœpit.

[a] *Annal. Paderborn.*

Berengosus abbas Trevirensis.

Qui in prædicta historia laudatur Trevirensis sancti Maximini abbas Berengosus, is esse creditur, qui tres libros de inventione sanctæ Crucis, in bibliotheca patrum editos, & quosdam sermones composuit. Certe in libri tertii capitibus primo & secundo se apud Treviros vixisse satis declarat, maxime capite secundo, ubi ait, beatæ Helenæ nobilitatem testari apud Treviros relicta ejus ædificia, ubi *pavimentum domus illius variis marmoribus & Pario quondam lapide stratum* etiam tunc cernebatur. Berengosus S. Maximini abbas laudatur in diplomate Heinrici V. pro abbatia monasterii, & in necrologio S. Arnulfi Mettensis IX. kal. Octobris. Hic est Berengosus abbas, cujus rogatu Heinricus V. S. Arnulfi possessiones anno MCXV. confirmavit.

LIII. Cellæ-Paulinæ initia.

Exstat apud Turingos in diœcesi Moguntina monasterium Cella-Paulinæ dictum ab ejus fundatrice Paulina, quæ mortuo marito illic reclusa, religiosissimam vitam duxit, & quarta-decima mensis Maii hoc anno ibidem sancte obiisse a Trithemio traditur. Filius ejus Wernherus, Hirsaugiæ monachus, cum se perfectum regularis disciplinæ observatorem exhibuisset, cum fratribus novem eo missus est cum Gerungo, qui primus ejusdem loci abbas exstitit. Imminente obitu matrona piissima

Gerungum cum filio aliisque accersivit, ut ejus transitum precibus & ecclesiasticis sacramentis munirent. Corpus ejus ad altare sanctæ Crucis honorifice conditum est. Gerungus, ejus loci primus abbas, patria Suevus, ex familia Buchaugensium progenitus, Augustæ-Vindelicorum prima litterarum & morum elementa didicit. Ex ephebis egressus Hirsaugiam se recepit sub Willelmi abbatis disciplina, eximiosque brevi in virtute & regulari disciplina progressus fecit, ob musicæ peritiam cantor ab eo institutus. Post hæc ad Cluniacense monasterium missus est, ut sacri istius cœnobii ritus & consuetudines exploraret atque addisceret, indeque Hirsaugiam reportaret. Erat in scripturis mediocriter versatus, sed scribendi peritissimus, multa volumina sua manu exaravit. Ex priore veteris Hirsaugiæ monasterii ad Cellam-Paulinæ missus, ibidem abbas a Ruthardo Moguntinensi archipræsule ordinatus est. quod munus strenue adimplevit.

ANN. CHR. 1107. Gerungus primus abbas.

ANno ejus sæculi octavo Paschalis papa, rebus in Urbe utcumque compositis, ad partes Beneventanas autumno profectus est. Florentiæ tamen versabatur VIII. kal. Octobris, quo die Johanni abbati Florentini [a] beatæ Mariæ monasterii possessiones confirmavit. Ipso mense Octobri Casinum [b] adiit; indeque, assumto secum Brunone abbate, Beneventum perrexit, synodum ibidem celebraturus. Dum illic moraretur pontifex, ad eum accessit pro monasterii sui utilitatibus Benedictus sancti Vincentii ad Vulturnum abbas, & cum eo Johannes monachus, qui tunc monasterii sui chronicon scribebat. Hujus chronici principium cum vidisset Johannes cancellarius, is qui postea Gelasius II. dictus est, opus laudavit atque auctorem; eoque conspecto, itidem pontifex scriptorem ad prosequendum laborem adhortatus est. Bene, inquit, ô fili, magnum opus cœpisti: sed bene cœpta melius perficere stude. Beneventi IV. idus Octobris scriptæ sunt litteræ Paschalis ad Anselmum, qui ipsum præmonuerat, Thomam Eboracensem electum, qui consecrationem suam in dies differebat, ne professionem Anselmo pro more facere cogeretur, fortasse tentaturum obtinere pallium a pontifice ante suam ab ipso consecrationem. quod ne fiat, Anselmus intercedit: simulque Paschali suggerit, regem Angliæ conqueri, quod regem Teutonicum investituras dare impune patiatur. ad quæ pontifex respondet.

ANN. CHR. 1108. LIV. Paschalis acta Beneventi & Capuæ. a Ital. sac. to. 3. p. 115. b Chron. Casin. lib. 4. c. 33.

Finita synodo, Benevento Capuam se contulit Paschalis, ubi, rogatus a Brunone abbate, ecclesiam [c] sancti Benedicti, quam Desiderius abbas in eadem urbe renovaverat, sollemniter dedicavit, & in ea particulas vestium sanctissimi patris Benedicti recondidit. Hanc ecclesiam sæculo decimo [d] primum construxerat Johannes abbas cum adjuncto monasterio, dum Casinense eversum jaceret: eamdemque instaurare cœperat Desiderius abbas, quam Oderisius absolvit. Callisti II. pontificatu, cum Capuana civitas incendio conflagraret, illius monasterii fratres, sumto corporali, quo calix in sacrificio tegi solet, illud igni opposuerunt, qui mox aversus, monasterium intactum, uti & corporale ipsum, reliquit. Simile in superioribus exemplum ex Glabro retulimus. Ceterum Capuanum illud sancti Benedicti monasterium, cum monachis destitutum esset, Leo X. Patricio [e] Capuano, ex familia de Angelis, in jus patronatus concessit, annuo tamen censu Casinatibus reservato; ibique constitutus abbas sæcularis cum collegio duodecim canonicorum. Tandem Clemens VIII. abbatiam concessit cardinali Bellarmino cum archiepiscopatu Capuano: quo dimisso, cardinalis a Paulo V. obtinuit, ut canonici in aliam transferrentur ecclesiam: ipsa vero sancti Benedicti ecclesia suæ societatis patribus traderetur. Post prædictam dedicationem Paschalis papa Casinum, indeque Romam reversus est.

Capuana S. Benedicti ecclesia dedicata. c ibid. d V. lib. 41. n. 96. e Sanct. Capuan. p. 165.

Redeo ad Johannem sancti Vincentii chronographum, quem modo laudabam. Hic Benedicto ejusdem monasterii abbati chronicon suum dedicavit. In epistola chronico præfixa, quam ex codice Barberinæ bibliothecæ descripsimus, ait, sibi olim id operis injunctum fuisse a venerabili patre Girardo, a quo septennis in illo monasterio susceptus, & in via mandatorum Christi eruditus fuerat: at se immaturæ tum ætatis id aggredi refugisse, quod postmodum Benedicti abbatis imperio aggressus sit. Totum opus, quod ab ipso mundi exordio pro more ejusdem ætatis chronographorum exorditur, in septem tribuit partes. Prima incipit a Paldone ejusdem loci abbate primo, definitque in Josue. Secunda a Josue usque ad ipsius mo-

LV. Johannes chronographus S. Vincentii ad Vulturnum.

ANN. CHR. 1108.

nasterii desolationem, quæ a Sarracenis, Majone nono-decimo abbate, facta est, porrigitur. Tertia passionem continet multorum monachorum, qui a Sarracenis martyrio affecti sunt. Quarta & quinta ejusdem loci excidium & omnimodam monasterii subversionem, transmigrationemque monachorum. Sexta ipsius monasterii instaurationem per venerabilem Girardum abbatem. Septima denique res gestas per Benedictum abbatem, cui Johannes chronicon suum inscribit, quod a Chesnio partim in tomo secundo Franciæ scriptorum vulgatum est.

LVI. Philippus rex humatus Floriaci.

In Gallia rex Philippus Miliduni ad Sequanam supra Parisios decessit III. kal. Augusti. Corpus ejus in Floriacense sancti Benedicti monasterium, uti mandaverat, deportatum, honorifice humatum est. Cur sancti Dionysii ecclesiæ, ubi jam pridem reges Francorum humari consueverant, Floriacensem prætulerit Philippus, hanc proceribus, amicisque suis, si Orderico [a] credimus, rationem reddidit. *Francorum*, inquit, *regum sepulturam apud sanctum Dionysium esse scio: sed, quia me nimium esse peccatorem sentio, secus tanti martyris corpus sepeliri non audeo. Admodum vereor, ne peccatis meis exigentibus tradar diabolo, & mihi contingat, sicut scriptura refert, olim contigisse Martello Karolo. Sanctum Benedictum diligo, pium patrem monachorum suppliciter exposco, & in ecclesia ejus super Ligerim tumulari desidero. Ipse enim clemens est & benignus, omnesque suscipit peccatores propitius, qui emendatiorem vitam appetunt, & secundum disciplinam regulæ ipsius Deo conciliari satagunt.* Ita loquentem Philippum inducit Ordericus, subditque illum anno regni sui XLVII. & quidem IV. kal. Augusti mortuum fuisse, & in cœnobio sancti Benedicti apud Floriacum, sicut ipse optaverat, inter chorum & altare sepultum esse, ubi etiam nunc statua ex lapide visitur. Ludovicus ejus filius, qui ipso vivente ante sex annos rex designatus fuerat, Aurelianis III. nonas Augusti inunctus coronatusque est a Daimberto Senonensi archiepiscopo, contra prærogativam Remensis ecclesiæ, ad quam tunc ob civiles principum dissensiones liber ac facilis accessus non erat. Ea de re nihilo minus graviter conquesti sunt Remenses clerici: quibus pro Daimberto respondit Ivo [b] episcopus Carnutensis. Ex urbe Aurelianorum Ludovicus Bituricas profectus est, ubi Floriacensi monasterio quædam largitus est pro animæ patris sui remedio, qui ibidem sepultus erat. *Notum esse volumus*, inquit, *quia patre nostro Philippo viam universæ carnis ingresso, ex ejus mandato sanctæ Floriacensi ecclesiæ, quæ beati Benedicti dicitur, jam sepulto, pro ipsius anima remedio ea, quæ in villis sancti Benedicti, Maisnilis videlicet atque parrochia de Bolziaco, necnon in parrochia de Veteribus domibus ... S. Benedicto & ipsius abbati Bosoni, ceterisque fratribus ejusdem ecclesiæ perpetualiter possidenda donavimus .... Actum publice Biturico in palatio, anno ab incarnatione Domini* M C VIII. *anno vero regni nostri primo.* His litteris apposita sunt ante datam signa quatuor primorum regni officialium, scilicet *Anselli de Warlanda* seu Garlanda *dapiferi*, *Hugonis*, *dicti Strabonis*, *constabularii*, *Pagani Aurelianensis buticularii*, & *Widonis Silvanectensis camerarii*; & post datam signa episcoporum, Walonis Parisiensis, Johannis Aurelianensis, Humbaudi Autisiodorensis, Hervei Nivernensis, Manassæ Meldensis, & Huberti Silvanectensis; postremo Guillelmi comitis Nivernensis, Rodulfi Dolensis, aliorumque procerum.

a *Orderic. lib.* 12. *p.* 835.

b *Ivo ep.* 189.

Ludovicus coronatur.

LVII. Nivernensium episcoporum index emendatur.

Ex his episcoporum subscriptionibus satis intelligitur, erratum esse in Galliæ christianæ tomo III [c]. ubi Hugo tertius, Hervei successor, sacro Ludovici Crassi adfuisse dicitur. siquidem Herveus post sacrum illud cum rege Bituricis aderat, cum prædictæ litteræ pro Floriacensibus editæ sunt. Deinde Hugo Hervei successor, non tertius, sed quartus ejus nominis fuit, ut ex chartario Nivernensi didicimus, patetque ex iis, quæ superius [d] dicta sunt. Certe Hugo iste *quartus* dicitur in charta C V. ipsius chartacei codicis, & in charta C VIII. *ex eremo assumtus* perhibetur. Sic enim huic instrumento, in quo laudatur Willelmus comes, quod post mortem Hervei præsulis spolia non abstulerit, apponitur *signum domni Hugonis, quem ex eremo assumtum dignatio divina voluit esse Nivernensem episcopum*. In prædicta charta C V. Hugo *quartus* episcopus Nivernensis cum suis canonicis instituit duos præbendarios, qui sacrificium offerant pro defunctis: *quatenus pro illis, quorum quotidiano*, inquit, *beneficio sustentamur, quotidianum sacrificium corporis & sanguinis Christi ibidem Deo offerretur.* Non constat ex chartario, quo præcise anno Hugo iste Herveo successerit.

c *Gall. christ. to.* 3. *p.* 801.

d *lib.* 69. *n.* 77.

LVIII. Ludovici colloquium cum rege Anglorum.

Non multo post suam inaugurationem rex Ludovicus cum Heinrico rege

Anglorum colloquium habuit super quibusdam discidiis, quæ, dispositis utrimque militum copiis, tandem composita sunt. Hac de re Heinricus non sine fastu, quem Ludovico ipse affingit, litteras scribit [a] Anselmo archiepiscopo Cantuariensi, quem Heinricus ex Anglia recedens regni moderatorem reliquerat. In fine epistolæ, Rotomagi scripta, Anselmo totius regni negotia committit, jubetque, ut ejus voluntati cuncta pareant, ipsiusque nutu disponantur. Ad hæc eidem significat, se justitiariis suis mandasse, quod filium suum & filiam ipsi commiserit, ut paterna dilectione eos foveat, & de iis *filiastino amore* curam agat. qua de re Anselmus [b] regi gratias agit. Hoc colloquium, teste Sugerio in vita Ludovici Grossi, habitum est in pago Vilcassino super fluvium Ettam sive Eptam, qui Franciam a Normannia disterminat; & quidem in loco, quem Plancas-Ninfeoli vocant, exercitibus super amnis ripam hinc inde constitutis; ibique actum est de castro Gisortio, quod rex Francorum repetebat; & de hominio ob ducatum Normanniæ, quod Heinricus Ludovico præstare detrectabat; sed tandem filius ejus Willelmus præstitit.

ANN. CHR. 1108.

a Anselm. lib. 4. ep. 92.

b ibid. ep. 93.

LIX Gundulfus episcopus Roffensis obit.

In Anglia hoc anno Gundulfus Roffensis episcopus e nostris ex hac vita migravit. Uno ante obitum anno, gravi infirmitate oppressus, & capitis dolore ex nimia lacrymarum effusione, nonnihil de missarum celebratione & precum assiduitate remittere coactus est, adeoque non duas, ut solebat, sed unam tantum missam quotidie celebrare. Tunc eleemosynas largiores per episcopatus sui villas fieri jussit; successori tamen, uti Anselmus monebat, aliqua reservans. Ingravescente infirmitate, eum convenit Anselmus, eique absolutionem & unctionis sacramentum impertiit. Sub hæc ut monachus, non ut episcopus, mori cupiens, in domum infirmorum se deferri jussit, ut inter monachorum manus spiritum redderet. Eodem animo vestes suas omnes fratribus & egenis distribuit, ne reservato quidem anulo, quem cuidam fratri sibi ministranti commendavit. Rogatus, ut eum abbari de Bello, qui præsens aderat, traderet, respondit: Monachus est, nihil ipsi & anulo. Non multo post eum invisit *vir magni nominis & religione famosus*, Radulfus scilicet Sagiensis in Normannia abbas, ejus amicus, infestatione Rotberti Belismensis comitis monasterio suo pulsus, cujus in manum prædictum anulum immisit. qua re ille obstupefactus, ait, sui ordinis non esse, quippe qui monachus esset, anulum habere. ad quod episcopus: Sume illum, inquit, ita volo; erit enim tibi necessarius. Ille vero supra modum rem admirans, accepto anulo recessit. quod omen erat futuræ dignitatis. Is enim ipse est, qui Gundulfo mortuo successit. Urgente morbo, quadam die Gundulfus totam congregationem convenire jussit, & ut eorum manibus in peccatorum expiationem corporalis ipsi disciplina infligeretur postulavit. Verum fratres id facere horrentes, eam pro illo se suppleturos polliciti sunt. Sabbato sub vesperam loqui desiit, & usque ad mediam noctem sine voce, sed non sine sensu jacuit. Dictis coram eo matutinis omnibusque horis de sancta Maria, tunc demum extremum spiritum trahere cœpit. Mox tabula de more percussa, ipsoque super cilicium posito, convenientes monachi, fidei symbolo præmisso, psalmos, litaniam, aliasque preces recitant: & cum ad psalmum LXXIX. perventum esset, in hunc versum, *Deus virtutum converte*, &c. spiritum Deo reddidit, VIII. idus Martii, dominica tertia quadragesimæ, in qua canitur, *Oculi mei semper ad Dominum*, anno Domini MCVIII. ætatis suæ circiter octogesimo-quinto, monachatus quinquagesimo-primo, episcopatus tricesimo-primo. Ubi ejus obitum rescivit Anselmus, ad funus ejus celebrandum Roffam adiit, quo peracto res illius ecclesiæ ordinavit: baculus vero pastoralis ab Arnulfo monacho Roffensi, qui defuncti episcopi capellanus fuerat, Cantuariam pro more delatus est, positusque in præsentia fratrum super altare Salvatoris, teste Eadmero [c]. Librum de Gundulfi vita scripsit monachus Roffensis anonymus, qui partim a se visa, partim ab aliis accepta se scripsisse restatur.

c Angl. sac. to. 2. p. 273. & seqq.

Radulfus Sagiensis ei succedit.

Aliquanto post Gundulfi obitum Anselmus nullum, qui ei succederet, magis idoneum reperit, quam Radulfum Sagiensem abbatem modo laudatum, eumque V. idus Augusti sacravit. Tunc demum intellexit Radulfus, quid ille anulus in ejus digitum immissus portenderit. Idem post sex annos ad Cantuariensem ecclesiam promotus est, ut suo loco videbimus. Radulfo suffectus in Sagiensi præfectura Hugo ejusdem cœnobii monachus, sub quo ejusque successoribus Gilberto, Johanne, aliisque [d] nihil notatu dignum invenio: nisi quod tempore Johannis abbatis alter Johannes, ejusdem loci cœnobita, factus est episcopus Monæ insulæ, quæ Angliam inter &

d Neustria pia p. 581. & seqq.

ANN. CHR. 1108.

Hiberniam sita est, Eboracensi metropolitano subjecta. Hæc porro Sagiensis sancti Martini abbatia Casalinæ congregationi anno MDXI. unita fuit, ac demum ad congregationem sancti Mauri translata.

LX. Anselmi notabilis epistolæ.

Paullo ante quam Radulfus consecraretur episcopus, ad eum scripsit Arnulfus Troarnensis abbas, rogans, ut Anselmum consuleret, num propter continuas infirmitates & angustias præfecturam abdicare deberet. Arnulfo dilecto amico suo » respondet [a] Anselmus, se quidem ei plurimum condolere, sed id ipsi solatio esse » debere, quod nusquam legimus ægritudines sanctorum illis fuisse ad detrimentum, » sed semper ad meliora profecisse. *Nam etsi bona opera*, inquit, *aliquando impediantur in languoribus; gratia tamen Dei non minuitur, sed augetur, si bona voluntas in* » *tribulatione non decrescit.* De proposita vero quæstione id sibi videri, quod curam » ecclesiæ, quam per obedientiam & caritatem eorum, ad quos hoc pertinuit, sine » propria voluntate susceperat, sola voluntate sua non debeat rejicere, sed obedien- » tiam usque ad mortem servare. Si autem archiepiscopus (quia tunc episcopum non » habebat) consenserit, tunc licite possit dimittere. In fine ejus monachos hortatur, ut, quanto magis ipsi tunc abbatis sui nequeunt uti auxilio & consilio, tanto magis solliciti sint, ne religio, quæ eo bene valente vigebat, deficiat. Ex hac epistola intelligitur, Bajocensem episcopatum, in quo Troarnense monasterium situm est, tunc vacasse, nimirum post secessum Turoldi de Euvremodio, qui, abdicata dignitate, in Beccense monasterium se receperat, quem in suo proposito Anselmus litteris suis [b] confirmat. Turoldus frater erat Hugonis Euvremodiensis, qui in suo fundo cellam sancti Laurentii de Euvremodio exstruxit, & Beccensibus subjecit.

Non omittenda hoc loco alia sancti doctoris epistola [c] ad Odonem monachum & cellerarium Beccensem, qui propter ingravescentem ætatem hoc officium dimittere volebat. Hunc ad perseveranriam hortatur sanctus præsul, quamdiu abbas jusserit; certumque reddit, quod, quanto majori difficultate id officii exsequitur, tanto majus præmium a Deo recepturus sit. Optandum esset, ut monachi plerique, qui ejusmodi munia diu exercuere, eodem scrupulo tenerentur, maxime illi, qui non tam obedienriæ causa, quam propria voluntate ea susceperunt, & in eis non tam obedientiæ meritum, quam majoris libertatis occasionem quærunt. qui si alterum Anselmum consulerent, sine dubio respondentem audirent, eos id officii quam primum debere deserere, quod temere usurparunt, & sine merito, immo cum magno animæ suæ periculo tractant.

S. Neoti monasterium Becco datum.

Cum eversum fuisset a Danis sancti Neoti [d] monasterium, illud nobilis matrona, Bosa nomine, principatu Heinrici primi instauravit: tumque Anselmus archiepiscopus *albos monachos*, id est Beccenses, nigris illic substituisse [e] fertur. At vereor, ut Beccenses eo tempore albi coloris habitum gestaverint. qua de re superius [f] actum est.

LXI. Turgotus electus episcopus S. Andreæ.

Interim Turgotus Dunelmensis prior ab Alexandro Scotiæ rege, necnon a clero & populo ad episcopatum sancti Andreæ apud Edinburgum cooptatur: sed ejus consecratio dilata ob tergiversationes Thomæ Eboracensis electi, necdum consecrati, ad quem hæc ordinatio pertinebat. Ut ea quam citius fieret, id consilii proposuit Ranulfus Dunelmensis præsul, ut ipse Turgotum in præsentia Thomæ apud Eboracum consecraret, adjunctis sibi episcopis Scotiæ & Orcadarum insularum, ubi, scilicet apud Orcadas insulas, episcopus nuper [g] institutus erat. Verum hoc consilium non probavit Anselmus, egitque, quantum in ipso erat, ut Thomas consecrationem suam ne diutius differret. At dum ille moras de die in diem de industria trahit, Anselmus re infecta mortuus est. quæ omnia fuse ab Eadmero referuntur. Mortuo Anselmo Thomas a Richardo Londoniensi sacratus, Conrado priori Cantuariensi professionem præstare coactus est, *suscipiens a ministro*, inquit Eadmerus, *quod suscipere detrectavit a magistro.* Non multo post Turgotus Eboraci ab ipso Thoma consecratus est III. kal. Augusti, seditque per annos septem, post obitum sepultus Dunelmi in domo capitulari. Ab eo tempore *totum jus Keledeorum per totum regnum Scotiæ transivit in episcopatum sancti Andreæ*, ut in historia Dunelmensi recentiori legitur. *Keledei* [h] seu *Kuldei*, id est, ut interpretantur, cultores Dei, non alii quibusdam videntur quam illius regionis monachi, præsertim Hiienses, in insula Hiiensi habitantes, quæ, teste Beda [h], habere solebat rectorem semper abbatem presbyterum, *cujus juri & omnis provincia, & ipsi etiam episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti juxta exemplum primi doctoris illius, qui non episcopus, sed presbyter exstitit*

---

a Anselm. lib. 3. ep. 141.

b ibid. ep. 137.

c ibid. ep. 148.

d lib. 38. n. 70.

e Monast. Anglic. to. 1. p. 368.

f lib. 68. n. 92.

g Anselm. lib. 2. ep. 92.

h V. præfat. ad 2. Script. Angl..

h Beda lib. 3. c. 21.

exstitit & monachus. quod jus an usque ad Turgoti tempus viguerit, indeque sancti Andreæ ecclesiæ tributum, fortasse dubitare licet. Sunt qui malint prædictum locum ita interpretari, ut Scottorum episcopatus, qui prius nulli certæ ecclesiæ affixus erat, deinceps sancti Andreæ ecclesiæ cesserit. Scripsit Turgotus historiam Dunelmensis ecclesiæ a libro primo usque ad finem quarti, quam continuavit Simeon Dunelmensis, cui tota illa historia perperam tribuitur. Idem Turgotus vitam Malcolmi regis & Margaretæ reginæ vernacula, id est Anglicana lingua, & alia quædam scripsisse dicitur.

Priores Cantuarienses.

Conradus prior Cantuariensis, modo laudatus, tertius erat, ex quo hæc ecclesia a Lanfranco innovata fuerat. Primus ab eodem prior institutus fuerat Henricus monachus Beccensis, ad quem complures exstant Anselmi epistolæ, quarum una [a] eum ad ferendas patienter malevolorum calumnias hortatur. Henrico suffectus Ernulfus, cui litteras etiam non paucas scripsit Anselmus, qui eum ad Burgensem abbatiam promovit anno MCVII. Prioris vices supplevit brevi tempore Antonius monachus, teste Eadmero [b] in historia novorum: sed tandem Conradus monachus tertio loco prior hoc anno ab Anselmo institutus est, qui professionem obedientiæ, a Thoma Eboracensi anno sequenti præstitam, accepit, postmodum factus abbas S. Benedicti de Hulmo in agro Norfolciensi. Ejus elogium habes in tomo primo [c] Angliæ sacræ, ubi ejus successores recensentur.

a *Anselm. lib.* 1. *ep.* 54.

b *Eadmer. lib.* 4. *p.* 79.

c *Angl. sac. to.* 1. *p.* 137.

LXII.

Eliensis ecclesia in episcopalem erecta.

Per id tempus cum nimium protenderetur parochia Lincolniensis, regi & Anselmo visum est, e re christiana esse, ut in duos episcopatus divideretur, & in Eliensi monasterio erigeretur nova episcopalis sedes, quæ monachos retineret. Sed quia inconsulto Romano pontifice id fieri non licebat, ad Paschalem ea de re scripsit [d] Anselmus. *In Anglia*, inquit, *est quidam episcopatus, scilicet Lincoliensis, cujus diœcesis tam ampla est, ut ad ea, quæ nonnisi ab episcopali persona fieri queunt, unus episcopus plene sufficere non possit. quod cum consideraret rex, & episcopi, & principes, & alii rationabiles & religiosi viri regni Anglorum, ad utilitatem ecclesiæ visum consilium est episcopatum præfatum in duos dividere, ita ut sedes episcopalis in quadam abbatia, quæ sita est in insula vocata Heli, & est intra præfatam diœcesim, constituatur, monachis ibidem permanentibus, sicut sunt multi episcopatus, qui monachos in matre ecclesia habent, non canonicos. quod libenter concedit ipse episcopus Lincoliensis, Robertus nomine: quia pro iis, quæ assumuntur de sua ecclesia ad instaurandum novum episcopatum in Heli, tantum ecclesiæ Lincoliensi restauratur, ut ipse sufficiens & gratum sibi esse fateatur.* Nimirum Roberto episcopo in compensationem pagi Cantabrigiensis, qui novo episcopatui tributus est, villa Spullinges concessa fuit, ut scribit Willelmus Malmesburiensis, quæ episcopi damnum sarciret, & querelam compesceret. Primus novæ illius sedis episcopus dictus est Herveus, Bancornensis ante in Wallia episcopus, qui sedem spe majorum divitiarum dimiserat, causatus quod sibi & Wallis non conveniret. Hic regis & archiepiscopi litteris munitus, Romam perrexit, & pontificis consensum facile obtinuit, præfuitque Eliensi ecclesiæ annis viginti-duobus. Historiam Eliensem primus scripsit Thomas ejusdem loci monachus, qui a prima illius monasterii origine exorsus, in Richardi abbatis ultimi obitu desinit anno MCVII. Hoc opus dividitur in duas partes, quarum prior a me edita est in Sæculo secundo Benedictino: posterior in tomo primo Angliæ sacræ, in cujus præfatione generalis illius historiæ prologus vulgatus est. Hanc historiam prosecutus est Richardus, ejusdem loci monachus, usque ad Thomam *Arundel* episcopum vicesimum-primum, id est fere usque ad finem sæculi quarti-decimi. quam continuationem in eodem tomo Angliæ sacræ videre licet.

d *Anselm. lib.* 3. *ep.* 181.

Eliensis historiæ scriptores.

LXIII.

Torneïensis monasterii abbates.

In illo Eliensi pago situm erat Torneïense seu Thorneïense monasterium, quod a S. Ethelwoldo Wintoniensi episcopo conditum fuisse alias diximus. Primus ejus loci abbas, Godmannus [e] exstitit: sed incertum quinam ejus successores fuerint usque ad Folcardum seu Fulcardum, S. Bertini monachum pro tempore eruditum, quem rex Willelmus post conquæstum Torneiæ abbatem præposuit. Ortis postmodum quibusdam [f] inter ipsum & Lincolniensem episcopum simultatibus inde recessit, [g] ejusque in locum suffectus Gunterius de Bello monachus ex archidiacono Salesburiensi, ortu Cenomannensis, qui regularem Torneiæ disciplinam ritu Majoris-monasterii instituit, & insignem a fundamentis basilicam cum officinis monachorum diligenter construxit. Hæc basilicæ innovatio in Monastico Anglicano [h] facta dicitur anno

e *To.* 3. *lib.* 47. *n.* 60.

f *Ibid. lib.* 46. *n.* 79.

g *Orderic. lib.* 11. *p.* 835.

h *Monast. Ang. to.* 1. *p.* 243.

ANN CHR. 1108.

MLXXXV. & ab Herveo primo Eliensi episcopo dedicata tempore Rotberti abbatis, Gunteri successoris, anno Domini MCXXVIII. qui a condito monasterio centesimus quinquagesimus-sextus numeratur. Robertus iste primus antea prior fuerat cellæ Nogionis in pago Vilcassino, de cujus origine mox acturi sumus. Gunterius in epitaphio apud Ordericum relato sex & viginti annis Torneïæ rector fuisse dicitur, & xv. kal. Augusti decessisse. Pulcra sunt quæ de hoc monasterio scribit post Willelmum Malmesburiensem Ordericus[a]. *Torneïa*, inquit, *Spinarum-insula nuncupatur Anglice, quia diversarum saltus arborum copiosis aquarum gurgitibus circumluitur undique. Ibi monachile habetur monasterium in honore sanctæ Dei-genitricis Mariæ, quod in cultu summæ deitatis grata pollet religione, & ab omni semotum est sæcularium cohabitatione. Nulla mulier insulam nisi causa orationis ingreditur, nec aliqua ibi commorari pro qualibet occasione permittitur: sed muliebris habitatio prorsus usque ad novem milliaria religiosorum studio elongatur.* Utinam idem studium solitudinis & a muliebri colloquio abscessionis nostris ac posterorum animis altius infixum esset, quod potius nostris temporibus, prô dolor! versum est in contrarium.

a Orderic. ubi supra p. 835.

LXIV. Nogionis cella in Vilcassino. b id. ibid.

Qui mox laudatus est Rotbertus seu Rodbertus primus Torneïæ abbas, antea, ut modo dicebam, prior exstiterat cellæ Nogionis, cujus auctor fuit Guillelmus [b]Ebroïcensis comes, instigante conjuge sua Helvisa, filia Guillelmi comitis Nivernensis. Ad id exsequendum ambo conjuges usi sunt consilio & ope Rogerii Uricensis abbatis, qui duodecim monachos ad construendum apud Nogionem cœnobium eis suppeditavit. Positus erat hic locus in pago Vilcassino. Illic ingentem basilicam in honorem sanctæ Dei-genitricis Mariæ prædictus comes cum conjuge sua hoc anno ædificare cœpit, sed imperfectam reliquit, solum vertere coactus non semel, & ad Andecavos confugere ob offensam Heinrici Anglorum regis, ejusque optimatum, præsertim Rotberti Mellenti comitis, quos ejus conjux audacioribus factis & feminea procacitate in odium sui concitaverat. Helvisa nihilo minus apud Nogionem humata est, comes vero cum patre apud Fontanellam. Porro quia sine liberis ambo mortui sunt, Amalricus comitis nepos pro sua temeritate privatus est Ebroïcensi comitatu, quem rex sibi vindicavit. Ob eam causam Nogionis monasterium imperfectum restitit sub tribus primis prioribus, Rotberto, Rogerio, atque Rannulfo: quorum primus Rotbertus Prunerensis, Haimonis de Prunereto equitis filius, eruditione litterarum inter sui temporis philosophos & grammaticos insignis exstitit; postmodum translatus ad abbatiam Torneïensem, ut modo dicebam. Rogerius, ejus in Nogione successor, basilicam absolvit, in cujus constructione & in subditorum profectu multum laboravit. Obiit vicesima die Decembris, ut in ejus epitaphio legitur, in quo annis quater-denis monachus fuisse dicitur, & bis duodenis prior, & quidem quartus secundum epitaphium, tametsi ab Orderico proximus successor ponitur Rotberti, quem primum Nogionis priorem fuisse asserit. Destructa est hæc cella, ad fluvium Andelam in Vilcassino posita, eo, ut creditur, in loco, ubi modo Caroli-vallis[*] opidulum cernitur.

* Charleval.

LXV. Godefridi episcopi modestia.

Apud Ambianos Godefridus episcopus, cum pietatis & pastoralis sollicitudinis argumenta edebat in dies, tum monastici propositi studium & modestiam retinere pergebat, longe abhorrens ab eorum moribus, quos provectio ad honores superbos facit, & prioris status immemores. Hinc est quod se fratrem Godefridum etiam episcopus passim dictitabat, & monasterium S. Quintini, ubi monasticæ professioni nomen dederat, suas reputabat delicias. Id patet ex ejus epistola hoc anno scripta ad Baldericum Noviomensem episcopum, quem rogat, ut quemadmodum Cameracensis & Atrebatensis ecclesiarum chronicon scripserat, ita etiam res in Ambianensi diœcesi gestas litteris mandaret, ne perantiquæ ecclesiarum fundationes, & jam injuria hominum diruta pleraque claustra oblivioni perpetuæ traderentur. Et in fine: *Scripsi ad Sanquintinum, meas delicias, juxta Perrona villam, anno MCVIII. in Maio.* Illic tunc abbas erat Henricus, quo abbate rex Ludovicus anno sequenti Perronam adiit, & rogatu Adelidis, Roberti olim principis conjugis, *& carissimi patruelis nostri*, inquit rex, *Radulfi Vermannorum futuri comitis*, Alaniæ donationem, aliasque monasterio factas confirmavit. Idem abbas regis nomine missus est ad Cartusiam Gratianopolitanam, ut inde Godefridum reduceret. Inter illa *claustra* seu monasteria, quæ injuria temporum in Ambianensi diœcesi tunc diruta erant, unum erat sancti Fusciani in nemore haud procul ab urbe, quod Godefridus episcopus

ANN. CHR. 1108.

instaurari curavit, ut superius diximus. Hic non solum suæ diœceseos ecclesiis se munificum exhibuit, sed etiam externis monasteriis, quibus altaria pro more illorum temporum concessit, scilicet Crispiacensi sancti Arnulfi monasterio, & sancti Luciani Bellovacensi tempore Girardi abbatis. In his vero, aliisque litteris ita nomen suum inscribit, *Frater Godefridus gratia Dei Ambianorum episcopus.* quod modestiæ exemplum multi alii nostri Ordinis episcopi secuti sunt. Godefridi instrumentum pro sancto Arnulfo datum est hoc anno, indictione I. die Novembris octava, Ingelranno Ambianensi consule seu comite.

LXVI. Baldricus episcopus Dolensis.

Post mortem Rollandi Dolensis in Britannia episcopi, ab ejus ecclesiæ clero & populo in successorem postulatus est anno præcedente Wlgrinus, cancellarius ecclesiæ Carnutensis, apud Paschalem papam, dum esset in concilio Trecensi. Verum ille electioni suæ omnino repugnans, Ivonis episcopi auctoritatem apud pontificem interposuit, evicitque, ut ne oblatam sibi dignitatem suscipere cogeretur, etsi *bene litteratus & bonis moribus ornatus esset*; malens scilicet *in loco humili salvari, quam in alto periclitari*, ut in Ivonis ad Paschalem epistola [a] legitur. Eo recusante, non ita munus sibi oblatum subterfugit Baldricus Burguliensis abbas, qui jam Aurelianensem episcopatum expetierat. Ejus porro electionem ad archiepiscopatum, ut tum vocabant, Dolensem ineunte saltem hoc anno factam esse intelligitur ex ipsius Baldrici charta [b] pro Salmurensi sancti Florentii monasterio, qui Roma rediens cum pallio *in secundo ordinationis suæ anno, pridie nonas Martii Salmuro apud sanctum Florentium hospitatus est*; & postera die, *quæ dominica erat*, capitulum ingressus, a fratribus rogatus est, ut ea omnia, quæ in ejus episcopatu possidebant, sua auctoritate confirmaret. quod post triduum præstitit. Testes Johannes episcopus sancti Brioci, qui cum eo venerat, Guillelmus sancti Florentii abbas, Orgerius prior & alii. *Actum est hoc anno ab incarnatione Domini* MCIX. *indictione Romanorum* II. *cyclo lunari* VIII. *termino paschali* XIV. *kal. Maii, die ipsius paschæ* VII. *kal. Maii, luna ipsius diei vigesima-prima.* Ex his litteris patet, nonis Martii anni sequentis annum secundum fuisse ordinationis Baldrici, qui proinde hoc saltem anno MCVIII. ordinatus fuisse censendus est, postquam *ferme sex lustris* Burguliense monasterium [c] rexisset, ut de se ipse testatur in epistola ad monachos Fiscamnenses. In hac epistola [d] manifeste declarat, sibi non bene fuisse sive cum Burguliensibus, sive cum Brittonibus; ideoque extera monasteria perlustrasse. Sic enim in illa epistola loquitur. *Occasione accepta non inhonesta*, scilicet episcopatus, *ultroneus migravi minorem ad Britanniam; & præcipue quia roseto*, nempe Burgulio, *plerumque, ut assolet, adulterina suboriebantur frutecta, quæ cum evellere, vel dissimulare non possem, aufugi: quia malui transmigrare, quam vepribus exuendis insistere. Timebam siquidem sub fasce laborioso deficere: & jam inquietus Pictaviensis turbo inchoaverat nequiter efflare. Altius igitur sublatus, & in cathedra pontificali collocatus ego olim Burguliensis abbas, & in Dolensi sede pallio archiepiscopali decoratus, Britannorum citeriorum fines cœpi deambulare: sed rosas Burguliensibus assimiles illis in campestribus nequaquam potui reperire. Seu enim aliquantulum emarcuerant, seu penitus aruerant, seu radicitus exstirpata; nulla signa, quod saltem præfuerint, præferebant: sed deserta, inculta, & squalidas salsugines solitudo illa prætendebat.... Institi paulisper agris exossandis, oleis plantandis: sed terra maritima barbara mephita devictus substiti; &, quia incassum laboraveram, vehementer erubui. Rubore confusus in Angliam vrlivolus remigravi, si forte illuc possem invenire, quod operibus derelictis, haud dissimile rerum amissarum imagine me saltem posset recreare.* Inde ex Anglia in Nortmanniam rediit, & varia perlustravit monasteria: & utrobique quid boni, quid mali repererit, fuse in illa epistola persequitur, ex qua nonnulla superius delibavimus. Consultius certe fecisset, si vel in suo Burgulio, vel saltem in Dolensi episcopatu expurgando perstitisset. In episcopatu tamen *monachatum servasse* ab Orderico [e] dicitur, & cum monachis plerumque habitasse, indomitos Britones tolerare non valens. Unde in Nortmannia frequens erat, ubi Dolensis ecclesia super Riselam [*] fluvium a temporibus sancti Samsonis [f] fundos habebat. Ibi scriptis & sermonibus auditores suos ad Dei cultum incitabat, & vicina cœnobia, Fiscamnum scilicet, Fontanellam & Gemeticum, aliaque visitabat, & monachos in timore Dei suis adhortationibus confirmabat. Hæc Ordericus, qui eum bene sibi cognitum fuisse dicit. De Baldrici scriptis alias.

Guibertus abbas ejus successor.

Baldrico in Burguliensi abbatia successit Guibertus ejusdem loci prior, quo

[a] Ivo ep. 176.
[b] Spicil. to. 7. p. 196.
[c] V. lib. 65. n. 68.
[d] Neustria pia p. 117.
[e] Orderic. in fine lib. 9.
[*] La Rille.
[f] V. lib. 6. n. 10.

ANN. CHR. 1108.

abbate commissum est duellum ab Alone Burgulii milite, qui clientelaris fidei testimonium dare detrectabat. Duelli formula relata est in tomo IV. Galliæ christianæ, sed cum vitiosis chronicis: ubi etiam duo ex uno abbates post Baldricum ponuntur, Humbertus scilicet, qui & Wibertus dicitur, & Guitbertus, quod genuinum nomen est abbatis, qui Baldrico successit, Guibertus & Wibertus dictus, non Umbertus. De Bernardo ejus successore alias.

LXVII. Majori-monasterio datæ ecclesiæ Insulæ-Aaron & Dinanni.

Tunc temporis Aletensi in Armorica ecclesiæ præsidebat Benedictus episcopus, qui sancti Maclovii de Insula Aaron ecclesiam Majoris-monasterii monachis concessit; idemque non multo post, scilicet hoc anno, aliam sancti Maclovii ecclesiam, in castro Dinanni sitam, quæ illius membrum est, divino destitutam servitio, eisdem administrandam tribuit. quod Gaufredus castri Dinanni dominus probavit, confirmavitque Paschalis II. anno sequenti. Cum vero monachi capellanos suos in illa sancti Maclovii apud Dinannum ecclesia instituere vellent; restitere, nescio quam ob causam, Benedictus episcopus, & Guerricus archidiaconus. quibus ad se invitatis, at venire nolentibus, Girardus Engolismensis episcopus & apostolicæ sedis legatus eosdem monachos auctoritate apostolica de illa ecclesia investivit, *ita ut in ea, & in capellis ad eam pertinentibus, capellanos suos ponant & amoveant secundum tenorem munimenti ejusdem episcopi.* Hæc tandem omnia litteris suis comprobavit Benedictus episcopus & post eum Donoaldus ejus successor. Itaque sancti Maclovii in Insula Aaron ecclesiam quiete possederunt Majoris-monasterii monachi sub Benedicto Aletensi episcopo, tribusque sequentibus episcopis. At Johannes, ex Cisterciensi monacho episcopus, qui sedem episcopalem ex urbe Aleta in sancti Maclovii de Insula Aaron ecclesiam transtulit, ab Eugenio III. tandem obtinuit, quod a Lucio II. impetrare non potuerat, ut loco monachorum canonici regulares sancti Victoris illuc introducerentur.

LXVIII. Hugonis abbatis Cluniacensis ultima statuta.

a Bibl. Clun. p. 491. & seqq.

Cum beatus Hugo Cluniacensis abbas annos fere sexaginta præfecturæ, ætatis octoginta-quatuor attingeret, de suorum Cluniacensium futuro statu, necnon sanctimonialium Marciniacensis parthenonis, quem fundaverat, perquam sollicitus, duplex scriptum edidit; unum [a] pro Marciniacensibus sororibus, alterum pro Cluniacensibus. Utrumque hic integrum libenter exhiberem, nisi lectoris patientia abuti vererer. Primum ita inscribitur: *Dulcissimis filiabus, sororibusque amantissimis, sæculi pompa exutis, & Marciniaci ad honorem & laudem sanctæ & individuæ Trinitatis sub patrocinio beatæ Mariæ semper virginis & sanctorum apostolorum Petri & Pauli congregatis, frater Hugo abbas Cluniacensis, salutem, gratiam & benedictionem, & nunc & in perpetuum.* In primis Deo gratias agit, quod locus iste spiritualibus & temporalibus incrementis brevi præter spem suam floruerit, multæque ibidem sorores congregatæ sint, ex quibus nonnullæ jam ad æterna præmia migraverint. Tum
„ superstites hortatur, ut illuc suspirent & contendant; quidquid in sæculo cernitur,
„ tamquam nihilum & inane, ac veluti nebulam pertranseuntem reputantes. Cogi-
„ tent quid fecerint, quid Deo voverint; &, si quid propria remordet conscientia,
„ priori humiliter manifestent & confiteantur. Porro quidquid boni operis agunt in
„ dies, eis injungit in remissionem peccatorum, eisque absolutionem impertit. Et quo-
„ niam forte eas numquam visurus sit, earum flagitatu commonitorium eis scribit,
„ quod in quinque præcipuis festivitatibus in earum capitulo legi præcipit. Ante om-
„ nia humiliter agnoscit, quam indignus, ut ipse ex animo sentiebat, pastorale offi-
„ cium susceperit. Deinde quo pacto Marciniaci puellare monasterium erexerit, *non de nostris*, inquit, *sumtibus, nec de nostris facultatibus, qui Christi pauperes nihil proprium habuimus; sed de hoc tantum, quod ipsius largitudo dignata est impertiri.* Ha-
„ ctenus quidem, quantum in se fuit, paternam eis sollicitudinem & providentiam
„ non defuisse: jam vero deinceps nullum a se decrepito sene subsidium exspectan-
„ dum. Hinc successores suos rogat, ut vicem sui suppleant, ut quod ipse plantavit,
„ rigare non negligant; curentque, ut locus iste in eadem permaneat conditione, ita
„ ut in ipso numquam *ad habitum sanctitatis* pueriles ætas recipiatur, nec ulla, quæ
„ saltem usque ad vicesimum annum non pervenerit. quod decretum ut religiose
„ observetur, sub gravibus imprecationibus inculcat.

Alterum scriptum, quod prioris veluti appendix est utrisque commune, inscribitur in hunc modum: *Carissimis, amantissimisque fratribus & filiis, filiabusque, præsentibus absentibus, frater Hugo peccator abbas, in Domino Jesu sempiternum gaudium.*

Principio insigni modestiæ testificatione agnoscit eximiam Dei erga se benignitatem, qui ipsum post juveniles annos prave transactos sanctæ religionis habitu induerit; & licet indignum ac reluctantem Cluniacensi ovili opilionem præposuerit; & locum ipsum tam possessionibus ditaverit, quam fratribus: ita ut non solum in hac regione, sed etiam in Italia, Lotharingia, Anglia, Normandia, Francia, Aquitania, Guasconia, Provincia atque Hispania ordo dilatatus sit. Verum, quanto major sit locorum, fratrumque numerus, tanto majorem sibi peccatori pro suis excessibus incuti terrorem, nisi Dei miserantis pietas, & fratrum eleemosynæ sibi subveniant, quippe qui tot propriis oneratus delictis, de tantorum sibi commissorum negligentiis Deo rationem redditurus sit. Alios quippe e suis morte præventos fuisse absque confessione & viatico; aliorum errata se nimium dissimulasse, alios denique variis casibus interiisse: de quibus omnibus sibi reddenda sit ratio. Ceterum in hac gravi obedientia jam sexaginta annorum cursum & eo amplius confecisse; rogare, quamdam *obedientiunculam* seu possessiunculam, scilicet Berziacum, in usus fratrum impendant, ut ex ipsa in die anniversarii sui cunctis fratribus, tam in conventu, quam in domo infirmorum cuncta ad cibum & potum necessaria abunde subministrentur. Se quidem olim statuisse, ut ex obedientia sancti Hippolyti refectio fratribus in cathedra sancti Petri, qui fuit consecrationis suæ dies, dum viveret, quotannis præberetur, sed post ipsius decessum anniversario suo deputaretur: at nunc se velle, ut semper in cathedra sancti Petri hæc procuratio fratribus exhibeatur. Tum successori ac fratribus Marciniacenses sorores enixe commendat; & in fine omnes absolvit, & facta Deo fidei suæ professione & confessione peccatorum, divinæ misericordiæ & sanctissimæ Dei-genitricis Mariæ sanctorumque apostolorum Petri & Pauli meritis ac precibus se commendat. Hæc forte fusius persecutus sum: sed tanti viri hoc veluti testamentum non leviter visum est prætereundum.

LXIX. *Richardus abbas S. Victoris fit archiepiscopus Narbonensis.*

Post mortem Bertrandi Narbonensis archiepiscopi ad illam dignitatem promotus est Richardus cardinalis & abbas sancti Victoris Massiliensis, a Paschali II. eodem anno confirmatus die XIX. Julii. Non multo post, Aymericum Narbonensem vicecomitem res ecclesiæ invadentem anathemate perculit. Hanc sedem tenuit annis XIV. cum tribus mensibus & diebus decem, obiitque die XV. Februarii. Post ejus promotionem ad archiepiscopatum vacavit abbatia per annos circiter quinque, aut forte per illud intervallum abbatis nomen retinuit, dum tandem electus est Otto abbas, natione Germanus, e stirpe Francorum regum procreatus, cui Richardus comes Rutenensis anno M C XII. donationem monasterii S. Petri sui juris, a patre suo Berengario factam confirmavit. Denique idem Otto anno M C XVII. episcopatu Genuensi donatus est. Hæc omnia confundit Guesnaius in suo Cassiano illustrato. In chronico sancti Victoris Otto abbatialem dignitatem anno M XCIV. iniisse dicitur, & annis quinque tenuisse, dum scilicet legationis munere in Hispania fungeretur Richardus, qui ad suos reversus præfecturam resumsit.

Crassæ abbates & S. Remigii.

In Urbionensi seu sanctæ Mariæ de Crassa monasterio mortem oppetiit hoc anno Rotbertus II. cui subrogatus Leo, filius Petri-Bernardi & Stephaniæ, qui eum adhuc puerum beatæ Mariæ de Crassa in monachum cum ecclesia de Alta-ripa obtulerunt. Anno sequenti Agnes comitissa Rossilionensis Suredense sancti Andreæ monasterium, quod sui juris erat, cum consilio Ermengaudi Elenensis episcopi, Leoni abbati instaurandum [a] commisit, eo pacto, ut, si Girardus vir ejus ex sancto sepulcro rediret, hanc donationem ab eo confirmari curaret. Eodem abbate viri nobiles, Guillelmus-Bernardi de Arviniano cum uxore Beatrice filium suum Rogerium, & Unaldus de Podio-Laurentii æque filium suum Unaldum, ut monachi fierent, Deo & beatæ Mariæ obtulerunt. Leoni abbati successit Berengarius, de quo inferius.

[a] *Marca Hisp. p. 1234.*

Hoc etiam anno Barcinonenses a Sarracenis impetiri, Ludovici Francorum regis opem implorarunt. qui bellis civilibus implicatus cum rege Anglorum, qui contra jus & fas hominium ipsi denegabat, & cum comitibus Pictavorum & Burgundionum, nihilo minus ut Barcinonensibus subveniret, inducias cum adversariis pactus est. Hæc pluribus apud Clarium in chronico; qui ait, Willelmum abbatem sancti Remigii apud Senonas XIV. kal. Junii hoc ipso anno decessisse; eique successisse in abbatia Willermum sancti Petri-Vivi monachum, expetitum a fratribus ejusdem loci & a Daimberto archiepiscopo & a clero Senonensi in capitulo sancti Petri,

ANN. CHR. 1108.

præsente cum suis fratribus Arnaldo; eumdemque ordinatum fuisse idibus Junii, quo die celebratur depositio sancti Agricii archiepiscopi & confessoris, cujus corpus in ecclesia sancti Petri requiescit. Eodem anno turris sancti Petri perfecta, & chorus tectus fuisse dicitur, & magna rei frumentariæ inopia.

LXX. Rodulfus abbas S. Trudonis ejusque prima facta.

Post multas turbas in sancti Trudonis monasterio a morte Theoderici abbatis, quæ VII. kal. Maii anno superiore accidit, ab Herimanno ejusque asseclis excitatas, electus est tandem III. kal. Februarii insequentis Rodulfus ejusdem loci chronographus, qui libro octavo res a se gestas sub aliena persona fuse commemorat. Is in pago Namucensi natus est parentibus plebeiis quidem, sed piis, in loco, qui Monasterium dicitur, posito ad Sabim* paullo supra Namucum, ubi jam tunc habebatur *abbatia sacrarum monialium nigras vestes ferentium*, in honorem sancti Petri apostoli constructa a sancto Amando episcopo, & sancti Fredegandi confessoris reliquiis insignis. Post annos pueriles Rodulfus usque ad annum ætatis decimum-octavum Leodii studio litterarum navavit operam. Factus subdiaconus cum alio clerico, nomine Lamberto, Thermas Aquisgranenses lustrare cupiens, ad Porcetum sancti Johannis-Baptistæ monasterium Aquis proximum, quod modo Cisterciensium virginum est, divertit, non alio consilio, quam ut locum obiter videret. At, cum ad completorium collationes patrum de more legerentur, ex earum lectione, quam clanculum audivit, ita exarsit ejus animus, ut se illic admitti cum socio postulaverit. Itaque die conversionis sancti Pauli habitum mutavit, ac monasticen ibidem professus est sub Azelino abbate. Sed cum Regulam illic a paucis accurate observari animadverteret, religiosa Coloniensis episcopatus cœnobia frequentare cœpit, & in Gladbacensi aliquamdiu substitit regularis vitæ studio, quæ ibidem sub pio abbate Adalberone observabatur ad normam Sigebergensium, tunc temporis nominatissimorum monachorum. Interim moritur Azelinus Porceti abbas, cujus nimia simplicitas & gravis senectus spirituale & temporale bonum defluere siverat; necullum remedium exspectandum videbatur a Johanne decano qui ei successerat, utpote homine sene, & ad tale ministerium parum apto. Rodulfus itaque de loci & ordinis emendatione desperans, ubi multas injurias in variis officiis passus fuerat, veritusque ne Gladbacensis disciplina Adalberone sene abbate mortuo corrueret; in Flandriam tendens, ad sancti Trudonis monasterium divertit, ibique detentus est a Theoderico abbate, qui eum erudiendis in litteris & in musica pueris præposuit.

* *la Sambre.*

Post mortem Bosonis decani in ejus locum prioris nomine suffectus, pro virili satagit, ut mores fratrum & irregularem cantandi rationem secundum Guidonis Aretini artem emendaret, ipseque propria manu libros, quos Graduales vocant, aliosque perite & eleganter scripsit. Vestium formam itidem reformavit, resectis capitiis, quæ tunicis, præter veterem usum, illic annexa erant. Unde fiebat, ut, cum tunicas induerent monachi, absque cucullis erant, & viceversa. Alium quoque abusum correxit, in processionibus rogationum inductum, ut quidam monachorum ad locum processioni indictum equitando pergerent, indeque similiter redirent. Quin etiam pravus illic mos inoleverat, ut sæcularium clericorum magna turma in sollemnibus festis sanctorum Trudonis, Eucherii & Remigii eo convenientes, parum modeste in ecclesia & in refectorio fratrum se gererent. quapropter a Theoderico statui curavit, ut illi deinceps nonnisi albis induti fratrum choro jungerentur, & in privata camera extra refectorium eis refectio pararetur; idemque de laïcis statutum. quod usque adeo utrosque offendit, ut in posterum plerique his festis adesse renuerint. Denique Theodericum abbatem induxit, ut illuc introducerentur Cluniacensium usus, quos recens Leodii apud sanctum Jacobum Stephanus abbas, alio nomine Stepelinus, & apud sanctum Laurentium Berengarius abbas admiserant. quæ res apud sanctum Trudonem, repugnantibus monachis, nonnisi ægre admodum peracta est. Hæc omnia per Rodulfum priorem.

Jam vero ubi factus abbas, regularis disciplinæ adeo studiosum se exhibuit, ut nulla alia res quemlibet fratrem apud eum commendare posset, quam *dilectio ordinis* seu disciplinæ monasticæ, *& fidelitas rerum ecclesiæ sibi commissarum.* Præcipue vero ab hoc vitio abhorrebat, si quando ullus fratrum de residuis cibariis sibi in refectorio appositis aliquid distraheret, quæ per manus eleemosynarii pauperibus erogari volebat. Nullum e fratribus, qui cum sæcularibus familiaritatem contra-

ANN. CHR. 1108.

xisset, ad quamlibet *obedientiam* promovebat, nec foras progredi sinebat. Sic restituta rerum spiritualium disciplina, mirum est quantum ad reparanda vetera damna, & ad ædificia sarcienda insudaverit. quæ ille fuse in chronici sui libris nono & decimo commemorat. Perfecto tandem monasterio non sine grandi novi incendii periculo, quod a duce Lovaniensi in odium advocati in opidum illatum est, ipsum monasterium ab Olberto episcopo III. nonas Octobris anno MCXVII. dedicari curavit.

L. XXI. S. Disibodi monasterium instauratur.

Per id tempus S. Disibodi monasterium, de cujus origine in primo volumine egimus, fere in solitudinem redactum erat, & a paucis sæcularibus clericis occupatum: dum Ruthardus Moguntiæ archiepiscopus illud instaurandum curavit per Burchardum [a] S. Jacobi [b] prope Moguntiam abbatem, qui ex Hirsaugiensi familia una cum Erkenbaldo a beato Willelmo abbate illuc missus fuerat. Nec mora Burchardus novum monasterium in monte, ad cujus pedem vetus positum erat, construere cœpit, & monachis e suis ibidem institutis, utriusque monasterii curam habuit, & boni pastoris officium utrobique implevit. Dodechinus auctor est, *piæ memoriæ* Burchardum abbatem pridie kalendis Julii primum fundamenti lapidem jussu prædicti præsulis posuisse, & anno MCXIII. obiisse, eique successisse ad annos quindecim Adelhunum, opere strenuum, & morum probitate conspicuum, qui idibus Julii anno MCXXVIII. decessit. Fulcardus abbas tertius annis octo regimen tenuit.

a *Trithem. in chron. Hirsaug.*
b *V. lib.* 60. n. 6.

Aliæ res Germanicæ.

Idem Ruthardus archiepiscopus novam Ordinis nostri præposituram [c] sive cellam in Ringavio non procul a Vini-cella sub titulo sancti Johannis-Baptistæ in monte * condidit, & sancti Albani abbati commisit. Ad ejus vero dotationem Richolfus Rheni comes multa prædia contulit, & ad occidentalem ecclesiæ plagam aliud monasteriolum pro sacris virginibus, in quarum numero Wertrudis ejus filia erat, exstruxit. Utrique loco præpositus necessaria providebat. Erat eidem comiti filius Ludovicus, qui sororis exemplo sæculi vanitatibus nuntium remisit, & in prædicto sancti Johannis monasterio se Deo consecravit. Haud scio an is sit Ludovicus comes, qui sanctum Hugonem [d] Altkirkæ, ut superius vidimus, excepit. Hæc præpositura postmodum in abbatiam est commutata. Non diu post hæc superstes fuit Ruthardus archiepiscopus, fato functus anno sequenti: cui successit Albertus Heinrici cancellarius.

c *ibid.*
* *Bischofsberg.*
d *V. lib.* 70 n. 97.

ANN. CHR. 1109
LXXII. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis obit.

Anno subsequente post millesimum centesimo nono duo præclara Ordinis nostri luminaria exstincta sunt, immo cælis inserta, ut luceant in perpetuas æternitates, Anselmus scilicet Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopus & totius Britanniæ primas, & venerabilis Hugo abbas Cluniacensis: quibus adjungendus Albericus Novi-monasterii seu Cisterciensis abbas secundus. Anselmus tribus extremis vitæ suæ annis, ex quo a secundo exsilio reversus erat, sensim deficiebat in dies, ita ut vix quidquam cibi sumere valeret. Missæ tamen sacro sacrificio quotidie interesse cupiens, singulis diebus se in sella deferri ad oratorium volebat usque ad quintum ante sui obitus diem, quo ad preces fratrum sibi ministrantium id intermisit. Sic perseveravit in eo usque ad finem vitæ invictus vigor, & pietatis fervor. Exinde itaque lecto assidue decubans, anhela voce omnes, quotquot ad ipsum accedebant, suo quemque ordine recte vivere hortabatur. Dominica palmarum cuidam adstantium dicenti, eum ad paschalem Domini sui curiam relicto sæculo tendere; respondit: Equidem si voluntas ejus ita ferat, ei libens parebo: at, si mallet me adhuc « inter vos aliquamdiu superesse donec quæstionem, quam de animæ origine mente « revolvo, absolvere possem, gratiose acciperem: quia nescio utrum quispiam, me « defuncto, eam absoluturus sit. Sub vesperam feriæ tertiæ, cum nulla jam verba, « quæ intelligi possent, proferre valeret, rogatus a Radulfo Roffensi episcopo, ut adstantibus, regi quoque ac reginæ, eorumque liberis ac populo terræ absolutionem ac benedictionem impertiret; dexteram erexit, & signo sanctæ crucis edito, demisso capite sedit. Instante exitu, cum fratres matutinas horas in majori ecclesia decantarent; unus fratrum passionem ejus diei, id est feriæ quartæ, legit, &, ubi ad hæc verba ventum est, *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* &c. lentius solito spiritum trahere cœpit. Mox e lecto super cilicium & cineres depositus est; adunatoque circa eum universo filiorum suorum agmine, ultimum spiritum emisit illucescente aurora quartæ feriæ ante cœnam Domini, scilicet XI. kal. Maii anno

ANN. CHR. 1109.

dominicæ incarnationis MCIX. pontificatus ejus XVI. vitæ vero LXXVI. Corpus ejus lotum & balsamo unctum cum vestibus sacris sepulturæ mandatum est sequenti die per Radulfum Roffensem episcopum, qui ei post quinque interpontificii annos successit. Ordericus [a] scribit, Anselmum in basilica sanctæ Trinitatis ante crucifixum sepultum fuisse: at Willelmus ait, eum sepultum fuisse primo ad caput antecessoris sui Lanfranci, postea dignius mausoleum in orientali porticu accepisse.

a Orderic. lib. 11. p. 839.

Eadmerus ejus vitæ scriptor & alii.

Res ab Anselmo gestas accurate scripsit ejus familiaris Eadmerus monachus, tum in libro singulari de ejus vita, tum in historia novorum in sex libros distincta: quorum quatuor primi res ab eo gestas cum multis epistolis continent: quintus ejusdem apologiam contra eos, qui ei detrahebant, quod nec sæcularibus nec ecclesiasticis ædificiis exstruendis, more antecessorum, res suas impendisset; successoris quoque sui electionem & ordinationem complectens; necnon electionem ipsius Eadmeri ad Scotiæ episcopatum, de quo etiam in sexto, qui Heinrici regis secundas nuptias cum Adeleide filia Godefridi Lotharingiæ ducis, Turstani Eboracensis electi ordinationem, legationem Petri-Leonis cardinalis, & alia nonnulla continet. Plura de Eadmero infra. Anselmi quoque acta fuse persecutus est Willelmus Malmesburiensis monachus, Eadmeri æqualis, qui in fine ejus virtutes compendio refert, in primis mansuetudinem & obedientiam. Mansuetudinem quidem, quæ ea fuit, ut viro veracissimo, quem sibi notissimum Willelmus ait, aliquando dixerit, numquam sibi ex quo monachus fuit, iræ motum & convicium, nisi semel tantum excidisse. Obedientiæ vero tam pertinax fuisse traditur, ut factus archiepiscopus ab Urbano papa petierit sibi aliquem præponi, ad cujus nutum vitam componeret; eique datum Eadmerum, cujus injussu nihil agebat. Indicem ejus operum supervacaneum est hic attexere, quæ omnia in novissima eorum editione a nostro Gerberonio adornata videre licet. Horum pleraque pro nata occasione in superioribus indicavimus. In eis porro elucet eximia subtilitas conjuncta, quod rarum est, cum insigni pietate & soliditate doctrinæ.

LXXIII. Hugo quoque abbas Cluniacensis obit.

Anselmo vix octo diebus supervixit præcipuus ejus amicus beatus Hugo abbas Cluniacensis, cui datum est quod olim ad eum scribens optaverat, ut simul ad cælestem patriam transirent. In natali Domini ejus obitum præcedente a fratribus in capitulum deductus venerabilis senex, eos ad constantem in proposito perseverantiam & luctam adversus principes tenebrarum hortatus est. Quadragesima sequente, cum depositionis ejus diem imminere defectus virium testaretur, pluribus jejuniis, vigiliis longioribus, & lacrymis uberioribus se ad Dei judicium sustinendum præparavit. Dominica palmarum processioni cum fratribus interesse voluit, sed non valuit. In cæna Domini capitulum ingressus, largiorem solito eleemosynam pauperibus fieri mandavit. Tum a fratribus rogatus ut eos absolveret: Egone, inquit, vos absolvam, quem propria ligat conscientia? Fecit tamen quod rogabatur, ac fratribus absolutionem benedictionemque impertiit. Hora mandati, ut vocant, in capitulum rediit, & fratrum pedes lavit. Sequenti sabbato sacris interfuit officiis, ipsoque die paschæ in ecclesia paschalem sollemnitatem celebravit, spiritualibus refectus alimentis. Vespere facto decubuit, nihil aliud quam laborum suorum finem & præmium exspectans. Tertia feria cum caligantes oculi, lingua deficiens, & cetera sensuum officia præsentem mortem indicarent, interrogatus, an vivificatricem Domini carnem agnosceret: Agnosco, inquit, & adoro. Oblatam quoque crucem cum multa devotione veneratus est. Atque ut sollicitudinem suam in illo etiam agone testaretur, anniversarium Gaufridi archiepiscopi, nempe Lugdunensis [b], & Guidonis seu Widonis abbatis, scilicet Balmensis, adesse nuntiavit, quo nimirum id religiose persolveretur. Instante exitu beati Marcelli capsam sibi afferri jussit, eaque allata, pium lacrymis interpellavit advocatum, ut ejus ductu patriæ redderetur. Advesperascente die delatus in ecclesiam beatæ Mariæ, cilicio & cineri impositus exspiravit III. kal. Maii, relinquens filiis gaudium de corona, exemplum de vita, spem de intercessione, ut loquitur Hildebertus in libello de ejus vita, qui eam post Ezelonem & Gilonem monachos se scribere dicit in prologo ad Pontium abbatem Cluniacensem, beati Hugonis successorem. Ezelo iste seu Hezelo ex canonico Leodiensi factus erat monachus Cluniacensis, qui *singulari scientia, & prædicabili lingua non solum audientium mores instruxit, sed corporalem novæ ecclesiæ fabricam plus cunctis mortalibus, post reges Hispanos & Anglos construxit.* Gilo ex monacho factus est cardinalis

b V. lib. 60. n. 67.

Vitæ scriptores.

dinalis & episcopus Ostiensis, de quo inferius. Gilonis libellum habemus, non Ezelonis, nisi is sit liber de miraculis sancti Hugonis, qui ejus vitæ per Hugonem subjicitur in bibliotheca Cluniacensi. Præter hos auctores, sancti Hugonis acta prosa & metro celebravit Rainaldus ejus nepos, Vizeliacensis abbas ac demum archiepiscopus Lugdunensis, qui in fine carminis ita canit:

Hac pater Hugo tui Rainaldi dicta nepotis
Suscipe quæso pie, meque tuere pater.

Insuper breviorem de sancto Hugone libellum scripsit Hugo monachus mox laudatus, quem sanctus Hugo necdum natum, Cluniaci futurum monachum prædixit, & quem Pontius abbas, Hugonis successor, una cum Landrico, Alberti de Gornaco filio, convertit, & e pago Belvacensi Cluniacum adduxit. Hugo iste propinquum habuisse videtur Rorigonem Ambianensem, qui alodium Grandis-villaris sancto Luciano contulit una cum ipsius Hugonis matre, quæ postmodum monacha facta est, ut Hugo ipse testatur in epistola ad Godefridum Ambianensem episcopum, in appendice referenda. Hugo iste in fine sui libelli ita sancti Hugonis vitæ seriem comprehendit: *Hugo iste anno vitæ quintodecimo monachus factus, vicesimo-quinto abbas sacratus, octogesimo-quinto defunctus, III. kal. Maii quievit in Domino, anno Verbi incarnati* M C VIII I. Sepultus fuit in majori ecclesia, quam ipse in honorem sanctorum Petri & Pauli exstruxerat, & quidem pone altare matutinale; inde postea elatus super majus altare. Eum vero pro veteri more primitus sepultum fuisse pedibus Orienti obversis testis est Gilo, a quo *filius Orientis versis versus Orientem vestigiis in mausoleo digne repositus* perhibetur. Optaremus cum Baronio, ut vir tantus suum habuisset Eadmerum, qui res ab eo gestas, ut ille Anselmi, accuratius scripsisset.

LXXIV. Sanctitatis ejus varia argumenta.

De cælesti ejus gloria multa indicia habita sunt. Erat tunc Cluniaci Bernardus quidam, vir sanctus, Nogenti olim prior, cui in somnis beatus Hugo apparuit, ad paradisi januam tantisper subsistens, dum e pedibus pulvis excuteretur, quem multiplici viarum circuitu contraxerat, mox transiturus ad cælestem mansionem, quam Deus ipsi præparaverat; præcepitque Bernardo, Pontio successori diceret, ut ab humilitate nequaquam declinaret, misericordiæ operibus insisteret, suarum immemor injuriarum, condolens alienis; zelo disciplinæ ferveret; erga delinquentes nec indulgentior, nec severior. Ad hæc ea nocte, qua beatus Hugo ex hac vita migravit, Fulgentio [a] abbati duo lectuli visi sunt, ab angelis in cælum delati, quorum in uno Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, in altero Hugo abbas collocandus esset. Hunc Fulgentium Hildebertus & Gilo sancti Eligii abbatem vocant; Rainaldus vero sancti Hugonis nepos, Cameracensis pagi abbatem, quod intelligendum de Fulgentio primo Affligemiensi abbate, cui hæc visio tribuitur in chronico [b] Affligemiensi. Forte utrique loco præfuit idem Fulgentius, nimirum sancti Eligii monasterio post Johannem, qui sub finem sæculi undecimi illic abbas erat. Verum id obstare videtur, quod Fulgentius Affligemiensis vixit usque ad annum M C XXII. cum Eustachius abbas sancti Eligii monasterio præfuerit saltem anno M C XV. quo anno Lamberti Noviomensis episcopi litteris pro S. Crispino subscripsit. Eadem nocte, qua Hugo abbas exspiravit, Godefrido Ambianensium episcopo, qui tunc in Italia, & quidem Papiæ [c] versabatur, in somnis visa est sollemnis beatorum processio. Percontanti, ecquem tantæ triumphus gloriæ spectaret? responsum est, festivum illud agmen deducendo in cælum Hugoni Cluniacensium abbati obviam procedere. Ita Hugo monachus in epistola ad Pontium abbatem, in qua Godefridus episcopus, *doctrina praclarus & sanctitate conspicuus* dicitur. Paullo aliter rem narrat Hildebertus, nempe Godefrido visum fuisse quod Cluniaci esset, & Hugoni abbati sacrum viaticum præberet; idque mane retulisse Matthæo itineris sui socio, venerabilis Radulfi Remorum archiepiscopi legato; dieque & hora notatis postea intellexisse, id eadem hora contigisse, qua beatus Hugo ad superos migraverat. Hic est Matthæus, Remensis ecclesiæ tunc canonicus, qui postmodum monachus factus Parisiis apud sanctum Martinum de Campis, demum cardinalis & episcopus Ostiensis creatus est, de quo plura in consequentibus. Denique in Jotrensi monasterio Sabina, sanctimonialis meriti singularis, videre sibi visa est Matrem misericordiæ cum multo agmine beatorum, & audisse, Hugonem Cluniacensem illi agmini mox adjungendum. Nec multo post nuntius allatus est de obitu beatissimi abbatis, ut testatur

[a] V. lib. 67. n. 68.
[b] Spicil. to. 10. p. 609.
[c] Bibl. Clun. p. 463.

ANN. CHR. 1109.

monachus, qui præter libellum de vita sancti Hugonis, epistolam de eo scripsit ad Pontium ejus successorem.

Cluniaci sub eo celebritas.

Ante Hugonem abbatem jam quidem pietate ac religone magnopere floruerat Cluniacensis familia, nec mediocriter propagata erat: at per eum longe amplius dilatata fuit non modo per Galliam, sed per exteras etiam regiones: adeo ut amplius *quam decem millia monachorum*, si Orderico [a] credimus, ad Christi militiam admiserit. In his complures fuere pietate insignes & genere illustres, quales fuere Odo postmodum pontifex maximus sub nomine Urbani II. beati Udalricus & Morandus, &, ut alios omittam, Guigo seu Wigo comes Albionensis, de quo illud memoriæ proditum est, quod, cum mollius in sæculo educatus fuisset, nec vestes etiam sericas ad nudum tolerare posset; eidem monacho facto pius pater indulserit mollium indumentorum usum sub habitu regulari. cujus indulgentiæ tantopere ipsum Guigonem postmodum puduit, ut abjecto interiori illo, quod ipsi per indulgentiam concessum erat, indumento, novas sibi cruces præter vestium monasticarum asperitatem indixerit, certansque bono certamine, beatæ vitæ donativum meruerit. Inter alia statuit beatus Hugo, ut die festo pentecostes hymnus *Veni creator* ad tertiam diceretur. Aliud ejus statutum laudat Petrus [b] Venerabilis, ut ne libri e bibliotheca *sine vadimonio* cuiquam commodarentur. De ejus canonizatione suo loco.

a Orderic. lib. 11. p. 839.

b Pet. Ven. lib. 4. ep. 38.

LXXV. Pontius ei succedit.

Sancto Hugoni, *nullo interjecto* [c] *abbate*, successit Pontius, a Cluniacensibus *spe bonæ indolis ejus electus*. Hic Petri Merguliensis* in Septimania comitis filius, primum in monasterio sancti Pontii Tomeriarum monasticen professus, dein *nova facta professione* Cluniaci admissus est. Is primis præfecturæ suæ annis, satis modeste ac sobrie se gessit: at processu temporis mutavit mores, multisque ac variis de causis universorum pæne fratrum animos exasperando in se concitavit, maxime quod nullis bonorum consiliis acquiesceret, ac res monasterii pessum dare diceretur. Conquerebantur ea de re inter sese fratres, sed eorum murmur & offensio fere usque ad decennium ad sæcularium aures non pervenit. Prorupit tandem eo usque domestica hæc dissensio, ut ad remotissimos quosque, adeoque ad Romanam curiam perlata fuerit. His rumoribus offensus Pontius, non in eorum auctores indignationis suæ impetum convertit, sed in se ipsum retorsit, profectusque Romam, ut curiæ pastoralis onere relevaretur, Callistum papam exoravit. Hæc fere Petrus Venerabilis: quid inde consecutum sit, suo loco exponemus.

c Pet. Ven. lib. 2. mirac. c. 12.

* de Melgueil.

Principio Pontius abbas animadvertens, vinum, quod Cluniaci ad missarum mysteria adhibebatur, ex communi vino esse; ab amita sua Judith Arvernorum comitissa, Rotberti comitis uxore, obtinuit centum aureos, quibus Bernardus prior & Wicardus camerarius vineam de Petonna, Cluniacum inter & Galoniacum* sitam, compararunt, *unde vinum pro sacrificio altaris optimum colligeretur*. Idem ab Adalberto episcopo in ecclesia Mimatensi hoc anno institutum. Eam ob rem prædictæ Judith comitissæ & filio ejus Willelmo anniversarium decretum est. Hinc patet, quantæ nobilitatis fuerit Pontius, qui in litteris socieratis inter ipsum suosque Cluniacenses ac Petrum Anianensem abbatem initæ, consanguineos babuisse dicitur eos, qui Ananiæ monasterium maxima ex parte fundarunt; adeoque Benedictum primum abbatem Anianensem, qui comitem Magalonensem patrem habuit. Ad hæc, Hugo de Liziniano* Pontium consanguineum suum vocat in qnodam instrumento, quo villam de sancto Gelasio* Cluniacensibus hoc anno donat, in manu Pontii abbatis, laudantibus filiis suis Hugone-Bruno & Rogone. Testis inter multos alios Marcus Novi-monasterii apud Pictavos abbas. Idem Pontius abbas statuit, ut in vigilia sanctorum omnium generale officium fieret Cluniaci, & in omnibus monasteriis & cellis pro animabus fratrum & parentum ipso anno defunctorum, quo die generalem fratribus refectionem de suo daturus esset. quod argumento est, abbatis portionem a communi jam tunc distinctam fuisse. Ad hæc statuit, ut pauperes pane & carne reficiantur die sequenti post festum omnium sanctorum. quod si hæc dies in feriam sextam incidisset, hæc refectio in sabbatum (necdum enim sabbato abstinentia a carnibus vigebat) vel in dominicam sequentem differatur.

* Jalogny.

* de Luzignan.

* S. Gelais.

Falli videtur Gaufredus [d] prior Vosiensis, ubi ait sancto Hugoni in abbatia successisse *paucissimis diebus* Hugonem, deinde Pontium virum clarissimum, *qui pridem exstiterat prior monasterii sancti Martialis*. nam ut posterius istud verum sit, constat ex præmisso Petri Venerabilis testimonio, Pontium sancto Hugoni, *nullo interjecto*

d Labbe bibl. to. 2. p. 298.

abbate, successisse. Hic primis præfecturæ suæ annis ad professionem admisit Matthæum Remensis ecclesiæ canonicum, de quo præclara dicendi materia in consequentibus erit.

ANN. CHR. 1109.

Sanctos Anselmum & Hugonem præcessit in cælum Albericus Novi-monasterii seu Cistercii abbas secundus, qui VII. kal. Februarii obiisse dicitur in necrologio Cistercienſi. De anno lis est inter recentiores, quorum alii ejus obitum uno, alii duobus annis antevertunt. Ast eum hoc anno decessisse ita recte conficitur. Cisterciensi monasterio mense Martio anno M XCVIII. inchoato unum annum præfuit Rotbertus Molismensis abbas: Albericus ejus successor annos fere decem, id est *novem annos & dimidium* [a], mortuus die XXVI. Januarii, *decimo anno ab instituto* [b] *Cisterciensi ordine*, adeoque ineunte anno M C IX. Sepultus est Cistercii a Stephano futuro ejus successore, cujus sermonem in ejus funere habitum refert de suo Bernardus Britto. Albericum plerique omnes beatum merito vocant, quidam sanctum, tametsi nullo publico cultu in divinis officiis honoratum, certe nec relatum in numerum sanctorum sollemni illo ritu, qualis in ecclesia jam tunc a sæculo decimo obtinebat. Recte de eo parvum Exordium: *Vir Domini Albericus in schola Christi per novem annos & dimidium regulari disciplina feliciter exercitatus, migravit ad Dominum, fide & virtutibus gloriosus, & ideo in vita æterna a Deo merito beandus.*

LXXVI. Albericus abbas Cistercii obit.

a Exord. parvum c. 18.
b Exord. mag. lib. 1. c. alt.

Alberico tribuitur admissio parvi officii beatissimæ Virginis, quod in concilio Claromontensi probatum legitur, hactenus in Cisterciensi Ordine religiose retentum; eodemque auctore mutatus creditur color cucullæ nigræ in album. quod antiquiores monachi improbarunt, quasi hoc colore se singulares [c] & spectabiles ostentarent Cistercienses contra omnium retro monachorum usum ac morem, qui nigro illo colore humilitatem & pœnitentiæ propositum melius exprimerent. Verum colorem album Manricus [d] a parentibus suis, non singularitatis affectu, ut eis objectum, sed dono aut jussu B. Virginis inductum asserit, quasi tesseram devotæ ipsi familiæ. tametsi traditione magis quam scripturis commendatum fateatur. Retentus tamen in scapulari priscus color, & in viatorio pallio, ex quo *grisei* aliquando dicti sunt Cistercienses. Ad reprimendas illas de vestis colore rixas sufficere poterat illud communis omnium patris sancti Benedicti [e] effatum, *De colore non causentur monachi*; maxime cum exemplo præivissent Camaldulenses, qui uno ante sæculo atrum colorem in album mutaverant. Verum hi pauci erant, & necdum noti in his partibus Gallicanis, in quibus ejusmodi rixæ occasione Cisterciensium ortæ sunt. Quamquam non sola coloris mutatio eas excitavit, sed maxime severioris Benedictinæ disciplinæ restitutio, quæ numquam facta est, neque fiet absque murmuratione & indignatione imperfectorum & laxiorum monachorum, qui id probro sibi verti putant, quod alii secus quam ipsi vivant. Non raro etiam contingit, ut, qui severiores illas sequuntur leges, alios despectui habeant. quæ res modestiæ & caritati contraria, aliorum æmulationem & invidiam auget. Mihi maxime placet in simili causa dictum Willelmi [f] Malmesburiensis, qui ubi nascentem Radingensium monachorum religionem insigniter extulit. *Ego non erubesco*, inquit, *si sanctis viris blandiar, & bonum quod in me non habeo, in aliis admirer.* Sed de his plura dicendi recurret occasio.

Coloris mutatio ab eo inducta.

c Orderic. lib. 8. p. 711.
d Manric. ad an. 1103. c. 1.
e Reg. c. 55.
f Willel. lib. 5 de Henrico I.

Electus est in Alberici locum Stephanus, Anglicus natione, qui & ipse cum aliis illuc migraverat e Molismensi monasterio, ubi prioris gesserat officium, vir eximia virtute & gravi judicio præditus, religiosæ disciplinæ & sanctæ paupertatis ardentissimus cultor & æmulator, denique illorum temporum decus, ut scribit Willelmus Malmesburiensis, qui eum absentem electum fuisse dicit. Principio interdixerunt cum eo fratres, quod in parvo Exordio legitur, ut ne Burgundiæ dux, seu quivis alius princeps curiam suam quovis tempore in sua ecclesia tenerent, ut in sollemnitatibus agere consueverant. Dein ne quid in domo Dei remaneret, quod magnificentiam aut superfluitatem redoleret: unde rejectæ aureæ & argenteæ cruces, & tantum ligneæ admissæ; non candelabra, nisi unum ferreum; non turibula, nisi cuprea vel ferrea; non casulæ aut albæ pretiosæ; calices vero non aurei, sed argentei admissi, uti & fistula argentea ad sumendum Christi sanguinem. Ob hæc aliaque id genus statuta Cistercienses *ab omnibus* [g] *vicinis monachis, tamquam novarum rerum inventores, & scandali schismatisque incentores* reputabantur. qua de re Stephanus abbas conquestus est. Eodem abbate illud quasi pro miraculo observatum,

LXXVII. Alberico succedit Stephanus.

g Exord. mag. lib. 1. c. 28.

ANN. CHR. 1109.

quod prædiis ac rebus temporalibus ecclesia [a] Cisterciensis creverit, nec decreverit religio.

a *Exord. parv.* c. 17.

Longe aliter evenerat in Molismo, ubi ex rerum copia lascivire cœperant monachi & monita spernere optimi patris Rotberti, qui ab eis recedere ad tempus coactus est, dum ex ejus absentia resipuissent. Usque adeo difficile est in magna rerum temporalium affluentia religionem illibatam servare. Nescio enim quo pacto crescente abundantia crescat & cupiditas, qua nihil religioni perniciosius: cupiditati vero succedit malus rerum usus, qui religionem inprimis dehonestat. nam bonus divitiarum usus a Deo est, qui cupiditati merito negatur. Ex his qui Novi-monasterii censum auxerunt, inter primos fuere sancti Germani Pratenses monachi, ut patet ex litteris in Appendice relatis ex archivo Cisterciensi, quibus Rainaldus abbas, superius [b] laudatus, ejusque fratres domno Stephano abbati & monachis pauperibus Novi-monasterii quædam in fundo Gominiaco & in territorio Gilliacensi *causa Dei magnaque sua misericordia communi consilio capituli sui contulerunt.* Et ut esset perpetua memoria hujus doni, monachi sanctæ Mariæ decem solidos ob recordationem obtulerunt. Ejus rei instrumenta habes in Appendice, simul & Stephani Æduensis episcopi chartam, quam eorum *bono odore delectatus* concessit. Plura in consequentibus dicenda recurrent de Stephano abbate, quem Cisterciensis Ordinis post sanctum Rotbertum fundatorem merito posteri agnoscunt, ut probat Charta-caritatis, ut vocant, quæ ab eo edita est.

Pratenses monachi in Cistercienses benefici.

b *lib.* 70. n. 60.

LXXVIII. Mauriaci grande scandalum.

Hoc anno grande scandalum in ecclesia Mauriacensi, qui decanatus [c] est abbatiæ sancti Petri Senonensis, apud Arvernos [d] patratum est per Petrum decanum. Is nocte subsequente nativitatem beatissimæ Virginis per suos satellites eruit oculos cujusdam capellani, propterea quod ipsum apud Arnaldum sancti Petri abbatem citasset pro quibusdam damnis ab ipso decano sibi illatis. Cum ille citatus non comparuisset, illuc pergere statuit abbas, & Cluniaci festum omnium Sanctorum peregit, ejusdemque loci societatem obtinuit. Illic tunc versabatur cum sex abbatibus Richardus Romanæ ecclesiæ legatus, qui, accepto decani facinore, Petro Arvernorum episcopo scripsit, ut tantum scelus vindicaret; &, si quidem rebellis esse pergeret decanus, eum excommunicaret. His litteris acceptis, episcopus finxit se abbati & capellano facturum satis: at promissis non stetit. Inde Mauriacum profectus abbas, decani causam examinavit, præsentibus duobus abbatibus, scilicet Petro Auriliacensi & alio sancti Martini de Tutela, scilicet Willelmo, necnon Rodulfo priore Casæ-Dei. At decanus fretus militari manu & episcopi favore, negavit se de objectis, nisi coram episcopo, responsurum. Quapropter abbas eum eique adhærentes excommunicavit. At illi, abbatis judicio spreto, per totum adventum & festa natalis Domini & epiphaniæ mille insultus abbati ejusque sociis fecerunt. Unde abbas decanum exauctoravit, & Robertum Urticidi priorem ejus loco instituit. quam ob rem exdecanus in furorem ac rabiem versus, armata manu in monasterium irrupit, ecclesiam cruore fœdavit, parumque abfuit, quin abbatem & novum decanum trucidaret. Hæc omnia episcopo per duos e suis renuntiavit abbas, petiitque, *ut ad reconciliandam ecclesiam* sibi *aquam benedictam & concessionem reconciliationis mitteret.* quod episcopus facere noluit, tantum concedens, ut monachi divinum officium in oratorio sancti Benedicti facerent absque sonitu campanarum. Denique abbas, cum a Mauriacensibus specie compositionis se delusum vidisset, consilio comitissæ, an Judith [e], cujus filius Romam ierat, archiepiscopum Bituricensem, episcopi Arvernensis metropolitanum, & ipsum episcopum, necnon Burdegalensem archiepiscopum atque Girardum Engolismensem Romanæ ecclesiæ legatum apud Evaonium *in Lemovicino* convenit: qui abbatis querimonia audita, episcopum culparunt, quod Richardi legati litteris non paruisset; eique injunxerunt, ut abbati plenariam justitiam faceret. quod ille se facturum promisit. Quid exinde consecutum sit, anno sequenti videbimus. Locus, in quo hic conventus habitus est, vulgo *Evau* dictus, in editis mendose *Evan*, positus est in Combraliæ * tractu, Arvernis & Lemovicibus finitimo, *Evaunensis* seu Evaonensis *vicus*, Gregorio [f] Turonensi episcopo appellatus, monasterio quondam insignis, nunc canonicorum regularium.

c *V. lib.* 1. n. 30.

d *Spicil.* to. 2. p. 555. & *seqq.*

e *supra n.* 71.

* *La Combraille.*

f *Greg. Tur. de gl. conf.* c. 81.

LXXIX. Floriaci facta a rege manumissio.

Dum hæc agerentur, in Floriacensi sancti Benedicti monasterio versabatur rex Ludovicus, ubi quamdam feminam sollemni illo ritu, qui in Marculfi formulis

notatur, in libertatem asseruit. quod ipsis regis verbis sic accipe. *Ludovicus Dei gratia Francorum rex universis sanctæ Dei ecclesiæ cultoribus, tam posteris quam & instantibus, notum fieri volumus, quia feminam quamdam ex familia nostra, filiam Gisleberti majoris, Matheiam nomine, quam debito servitutis, & ex dono maxime Bosonis Floriacensis possidebamus, petitione præfati Gisleberti, necnon & assensu Bosonis prædicti cum benevolentia totius capituli sibi commissi, excussis denariis, regio more in præsentia eorum libertate donavimus, & ab omni respectu servitutis, qua detenta fuerat, perpetualiter immunem concessimus* &c. *Actum publice in capitulo S. Benedicti anno incarnationis dominicæ* M C IX. *consecrationis nostræ primo. Stephanus cancellarius relegendo subscripsit.* Ansellus dapifer, Hugo constabularius, Wido Silvanectensis buticularius, Wido camerarius.

ANN. CHR 1109.

Hujus loci occasione succurrit memoriæ manumissio a Johanne Aurelianensi episcopo eodem fere tempore facta, cujus instrumentum sinistro posti principis portæ ecclesiæ sanctæ Crucis Aurelianensis insculptum est sub hac forma. *Ex beneficio sanctæ Crucis per Johannem episcopum & per Albertum sanctæ Crucis casatum factus est liber Letbertus, teste hac sancta ecclesia.* En tibi hujus instrumenti ectypum ex typo eruditissimi Nicolai Toinardi Aurelianensis, qui hoc ipso anno M DCC VI. quo hæc scribebam, e vivis excessit.

Alia ab episcopo.

MANUMISSIONIS INSTRUMENTUM.
Insculptum sinistro Posti principis Portæ
BASILICÆ AURELIANENSIS.



Pes Regius 12 Digitorum
Ab imâ lineâ ad solum Ped. 5. Dig. 3.

Hæc inscriptio Johanni ejus nominis primo tribuitur, qui sub finem sæculi undecimi sedebat.

E Floriacensi monasterio rex Ludovicus Parisios reversus est: ubi cum versaretur, Willelmo abbati & monachis sancti Petri Carnutensis *quamdam terram desertam, Niz* vocabulo, cum territorio adjuncto, contulit pro Dei amore & pro redemtione animæ regis Philippi patris. *Actum Parisius anno incarnationis dominicæ* M C IX. *consecrationis suæ secundo.* Paullo post, cum eamdem terram excoluissent, iisdem Aurelianensis ecclesiæ canonici ejus decimas sub certis conditionibus contulere, quarum una est, ut ibidem ecclesiam construerent. *Hoc pactum factum est in capitulo sanctæ Crucis in præsentia domini Ludovici regis anno regni sui tertio, præsente Johanne episcopo.*

LXXX. Dolonensis ecclesia Majori-monasterio data.

Tunc temporis Namnetensi ecclesiæ præsidebat Benedictus ex abbate Kemperlegiensi episcopus, qui, cum regulares canonicos S. Augustini, in Dolonensi ecclesia

ANN. CHR. 1109.

ab se constitutos, incomposite se gerere, nec admonitos se emendare vidisset, Willelmum Majoris-monasterii abbatem interpellavit, ut monachos eorum loco substitueret. Unde abbas illuc misit domnum [a] Willelmum, prius archidiaconum Redonensem, tunc priorem monasterii, & cum eo domnum Milonem monachum, prius Mettensem canonicum : quibus præsentibus idem episcopus in manu domni Willelmi prioris *per quemdam cultellum* tradidit prædictam ecclesiam cum suis adjunctis. Actum hoc anno *ante capitulum Namnetensis ecclesiæ.* quo facto episcopus perrexit ad concilium, *quod domnus Gerardus, legatus Romanæ ecclesiæ & Engolismensis episcopus, celebravit Losduni* [*] xv. *kal. Novembris*; & ab eo donum confirmari curavit, præsente Willelmo abbate, ut in notitia hujus rei legitur. Sed præstat audire ipsummet episcopum, qui in litteris hac de re editis [b] sic loquitur. *Ego Benedictus Namnetensium episcopus constitui in ecclesia S. Medardi de Dolon, quæ est prope mœnia urbis Namneticæ, quosdam canonicos ad serviendum ibi Deo secundum regulam S. Augustini. sed heu! contra spem & voluntatem nostram in parvo tempore canonicalis ibidem cœpit religio miserabiliter destitui. quod cum ego vidissem, in capitulum eorum aliquoties veni: sæpe eos de correctione sui commonui: &, cum nec sic proficerem, ad ultimum etiam comminatus sum eis, nisi se corrigerent, me eos ab ecclesia emissurum, & alios ferventiores ad Dei servitium immissurum. Illi autem nec sic se corrigentes, & res loci per se posse detineri diffidentes, & hoc etiam affirmantes; tandem accesserunt ad abbatem S. Nicolai Andegavensis, dicentes se velle fieri monachos, & locum S. Medardi ei & ejus monachis subdituros. Quod cum ad me perlatum esset, & advocatis eis requisissem, si sic fecissent; & respondissent rem ita se habere: Ego autem, inquam, illi ecclesiæ providebo. Misi itaque ad venerabilem abbatem Majoris-monasterii, nomine Willelmum, & mandavi ei, quod illam ecclesiam decrevissem beato Martino & ejus monasterio condonare. Unde ille, accepto consilio, transmisit ad me duos e monachis suis, domnum Willelmum priorem & domnum Milonem. Præsentibus igitur & concedentibus archidiaconis nostris, Rivallonio & Gaufrido, & Harcodio de S. Petro, de quo illa ecclesia movebat secundum sæcularem potestatem, qui eam in manu nostra reliquerant; dedi beato Martino & monachis ejus in manu domni Willelmi prioris ecclesiam illam cum omnibus ad eam pertinentibus, salva justitia & auctoritatis nostræ canonica reverentia. . . . Parvo post tempore domnus Girardus legatus apostolicæ sedis celebravit concilium Losduni, ubi & ego interfui, & in ejus præsentia confirmavi præfatum donum, ipso mihi inde magnas gratias referente . . . . Actum anno dominicæ incarnationis* MCVIIII. *indictione* III. *& regnante in Francia rege Ludovico.*

Finito concilio, episcopus domnum abbatem Namnetas secum duxit ad recipiendam illam ecclesiam. Interim quatuor [c] ex illis canonicis domnum abbatem convenere, eum obsecrantes, ut ne ipsos ex illa ecclesia expelleret. Assensit abbas, & episcopo per Willelmum priorem & Andream *de Gomez* monachum renuntiavit, se nequaquam adduci posse, ut illi canonici ex illa ecclesia emitterentur, quamdiu viverent, & honeste se haberent. sed consentire, ut illis obeuntibus, vel ad monasticam vitam se convertentibus, veniret ecclesia in beati Martini potestatem. quod totum episcopus annuit. Paullo post canonici, accepto inter se se consilio, veriti ne post ipsorum decessum locus ille ad sæcularem statum redigeretur; domnum Gaufridum inclusum, vitæ laudabilis virum, hac de re consuluerunt. Quibus ille respondit, eos parum consulte egisse, quod istam ecclesiam in potestate Majoris-monasterii non dimisissent. Huic consilio obsequentes canonici, duos ex suis ad Majus-monasterium anno MCX. direxerunt, & per illos se suamque ecclesiam beato Martino subjecerunt, traditione facta per quemdam baculum, quem super majus altare posuerunt, eo pacto, ut ipsi in canonicali ordine, quam diu vellent, remanerent; &, si quis eorum monasticam vitam elegisset, in Majori-monasterio susciperetur. Quod si quis alius voluerit inter eos fieri canonicus, non admitterent eum absque consensu domni abbatis, *nisi forte ad succurrendum. De illo etiam, qui factus fuerit canonicus ad succurrendum propter timorem mortis, ita erit.* Ubi vides duplicis generis canonicos *ad succurrendum*, unum active ad serviendum: alterum passive *propter timorem mortis*, ut ei succurratur.

LXXXI. Contentio de profectione stabilitate vitanda.

Hic in memoriam recurrit epistola cujusdam canonici regularis ad priorem de Caritate supra Ligerim, qui canonicum regularem sancti Johannis, apud Senonas in monasterium suum admiserat, & monastica veste induerat. Hunc cum repeterent abbas & canonici regulares sancti Johannnis, dura quædam eis respondisse

[a] Martene Miscell. to. 1 part. 2 p. 48.

[*] Laudun.

[b] ibid. p. 46.

[c] ibid. p. 48. & seqq.

ANN. CHR. 1109.

dicitur prior Caritatis, & quidam e suis jactare, monasticam vitam canonicæ præferendam, utpote meliorem. Id contra humilitatem dictum esse contendit canonicus ille regularis, & contra præscriptum Christi Domini. *Ille dixit: Qui voluerit major esse inter vos, erit vester servus: & tu impudenter clamas, Ego melior sum. Adtendis post speciem tuam, & in ipsa gloriaris: respicis nigredinem tuam, & candorem meum non adtendis? Quare? quia nigredo species est humilitatis? Et ego dico, quia candor species est puritatis. Tu gloriaris in nigredine, ego in candore. Tu in humilitate gloriaris, & utinam bene gloriareris. Si enim de humilitate bene gloriareris, numquam superbires de humilitate, contrariis contraria miscens... Monachi dicunt, Nos meliores sumus: Canonici dicunt, Non, sed nos meliores sumus. Ego dico, nec vos, nec nos, quia omnes mali sumus. Ubi autem omnes mali sunt, nemo melior est. Veniant, inquiunt monachi, canonici ad nos, ut boni fiant, quia nos meliores sumus. Si vos meliores estis, ergo & illi boni sunt. quomodo ergo apud vos boni fient, qui & sine vobis jam boni sunt? Sed dicitis, Boni sunt; sed veniant ut meliores fiant. Nulli prohiberi potest quin melior fiat, si vult. Audite: Dicitis quod licet canonico, posthabita & spreta professione sua ad vestram conversationem transire, quia, ut vos dicitis, melior est. Ergo licet mulieri nupta, contemta matrimonii lege, ad continentiam se transferre: quia, quod negare non potestis, continentia matrimonio melior est.* Demum post alia idem canonicus ita concludit: *Qui me interrogaverit; si canonicus sum, dico monachos meliores: si monachus sum, dico canonicos potiores. Hoc est mandatum Christi, & regula christiani.* Si hæc regula servaretur, non tot & tantæ essent de perfectiori statu inter religiosos viros rixæ & contentiones, quæ contra caritatem pugnant & contra humilitatem, cujus præceptum est, ut alios nobis superiores reputemus. Hanc epistolam, quia necdum, ut puto, vulgata est, integram in Appendice referemus. Primo conspectu hæc epistola Stephano sanctæ Genovefæ apud Parisios abbati, postmodum Tornacensi episcopo, tribui posse mihi videbatur ob litteram S. quæ auctoris nomen indicat. at alia fuit ipsius Stephani sententia de translatione canonicorum regularium in nostra monasteria, eorumque admissione, quippe qui cuidam e suis canonico regulari facultatem concedit transeundi ad sancti Dionysii monasterium, scripta ad sancti Dionysii abbatem [a] epistola, *ut vobiscum*, inqnit, *fructum capiat beatus Benedictus, cui sacra religionis primitias sanctus contulit Augustinus.*

[a] *Steph. Tornac. ep. 193. V. ep. 152.*

LXXXII. S. Vitalis ecclesia Trenorchio asserta.

In prædicto Losdunensi seu Lausdunensi concilio agitata est controversia, quæ inter ipsum Benedictum Namnetensem episcopum ejusque canonicos, atque Trenorchienses monachos orta erat de ecclesia sancti Vitalis, quam Trenorchienses Cunaldensi [*] monasterii sui cellæ legitime tributam fuisse contendebant, & ab episcopo ejusque canonicis injuste subtractam. Querelæ hac de re perlatæ sunt ad Girardum [b] Engolismensem episcopum & legatum in Lausdunensi concilio, quod in basilica Dei-genitricis ipso præsidente tunc celebrabatur. Postera die, cum Girardus in refectorio ejusdem ecclesiæ cum coepiscopis, Burdegalensi scilicet archiepiscopo, necnon Pictavensi, Andegavensi, Cenomannensi & Redonensi episcopis; abbatibus quoque Angeriacensi & S. Eparchii, aliisque, convenisset; auditis utrimque rationibus, illius ecclesiæ possessio Cunaldensi priori, ejusque monachis sollemni judicio asserta est, salvo canonico jure, si quod esset, Namnetensi ecclesiæ. Nomina episcoporum & abbatum, qui huic concilio interfuere, in Girardi litteris non exprimuntur, nequidem in subscriptionibus, in quibus præter jam dictos apposita leguntur signa Dolensis archiepiscopi & Venetensis episcopi; necnon abbatum Vindocinensis, Malliacensis, Majoris-monasterii, & sancti Florentii. at in alio ejusdem Girardi instrumento [c], quo capella sancti Stephani monachis Majoris-monasterii in eodem concilio adjudicatur contra Camiliacenses canonicos, hujus definitionis cum legato judices fuisse dicuntur Ernaldus archiepiscopus Burdegalensis, Petrus Santonensis episcopus, Petrus Pictavensis, Marbodus Redonensis & Hildebertus Cenomannensis.

[*] *de Cunauld.*

[b] *Labbe to. 10. conc. p. 762. & Tournus p. 339.*

[c] *Labbe ibid. p. 763.*

LXXXIII. Adelelmus eremita duo monasteria condit.

Apud Cenomannos florebat per idem tempus Adelelmus eremita, quem puto eumdem esse, qui in Bernardi Tironiensis actis [d] ejus in solitudine socius fuisse dicitur, mansuetudine atque obedientiæ virtute insignis. Is tunc degebat apud Cenomannos, ut dixi, in silva de Carneta [*], quæ juris erat Radulfi vicecomitis & domini Belli-montis. In hujus notitiam cum venisset Adelelmus, locum, qui sancti Nicolai dicitur, ad inhabitandum ab eo accepit, eumque vicissim ad pietatem flexit. Unde

[d] *cap. 18.*

[*] *Charnie.*

ANN. CHR. 1109.

idem vicecomes non modo illum locum, sed etiam subsidia & prædia ad construendum, dotandumque virorum monasterium Adelelmo contulit. Et quia non modo de virorum, sed etiam de mulierum salute vir Dei sollicitus erat, alium locum aquaticum in eadem silva ab eodem vicecomite impetravit, cui Strivalis seu Estivalis vocabulum est: ubi puellare asceterium ædificavit, eique Godehildem, quæ Caritatis apud Andegavos monacha erat, abbatissam præfecit. In litteris hac de re confectis » Radulfus Adelelmum mirifice laudat, quem magnæ sanctitatis virum dicit, clara » stirpe natum, sacrisque virtutibus clariorem, proprium corpus duro fræno domantem, vigiliis denique & orationibus assidue vacantem. Richardi litteræ datæ sunt hoc anno, Radulfo archiepiscopo Turonensi, Hildeberto Cenomannorum episcopo, Fulcone comite, Rechini filio, Cenomannis dominante. Hactenus perstat Strivalense, seu Estivalense parthenium sub regula sancti Benedicti, quinto ab urbe Cenomannica milliari, de Carneto, vulgo de Cbarnia cognominatum: ubi sanctus Bertichramnus [a] Cenomannensis episcopus sub finem sæculi sexti puellare monasterium jam exstruxerat. Adelelmi nulla mentio in fastis Benedictinis vel Gallicanis.

Estivalis & Nidi-avis monasteria.

a V. lib. 7. n. 34.

Eodem tempore Salomon anachoreta [b] solitariam vitam apud Andecavos prope vicum sancti Serenici ad Uldonium * fluvium agebat, qui quædam ancillarum Dei monasteria ædificasse dicitur. Horum præcipuum est Nidi-avis * monasterium in silva Credonensi positum, cui construendo Gauterius de Nido-felli seu Nido-avis fundum contulit, ut patet ex ejus litteris in appendice vitæ Rotberti de Arbrissellis a Pavillone relatis, quarum hæc verba. *Ego Gauterius de Nido-felli, Dei providentia, & admonitione Salomonis cujusdam religiosi viri, qui erat exstructor & ædificator cœnobiorum & locorum ad opus ancillarum Dei utilium, dedi quamdam terram desertam supra Uldonium, cum aqua & cum omni utilitate sua, quæ erat mei juris & potestatis, ad ecclesiam construendam, ubi virgines devotæ possent caste & religiose, juxta facultatem loci, deservire. Hoc autem feci intuitu divinæ pietatis & spe retributionis æternæ & parentum* * *meorum, videlicet Bernardi de Bulleio & filiarum ejus, de quorum feodo erat... Et ad corroborationem hujus doni & concessionis, adii episcopalem sedem, & revestivi dominum Marbodum Redonensem episcopum, qui tunc jura episcopatus loco episcopi nostri* (Reginaldi seu Rainaldi II.) *qui Romam ierat, obtinebat, & Fulconem Andegavorum comitem, quidquid juris in illis terris habebat, concedere feci.* &c. His ita gestis, Gauterius ipse & Mathildis uxor ejus monasticum illic habitum induerunt, & postquam illic religiosissime vixerunt, ambo uno die defuncti dicuntur. Reginaldus episcopus, Roma reversus, ejus loci ecclesiam sub patrocinio beatæ Mariæ dedicavit. Prima loci abbatissa fuit Eremburgis, cujus obitus xv. kal. Novembris notatur. Salomonis vero depositio IX. kal. Novembris in hæc verba: *Obiit domnus Salomon, qui primus ædificator loci Nidi-avis & congregationis sanctimonialium pius exstitit, & luce sapientiæ & scientiæ mirabiliter effulsit, cunctisque virtutibus patienter effloruit.* Hoc monasterium hactenus est ordinis sancti Benedicti.

b V. lib. 68. n. 62.
* l'Oudon.
* Nuyseau.
* id est propinquorum.

LXXXIV
Guillelmus abbas Cormeliensis obit.

In Cormeliensi Neustriæ monasterio decessit hoc anno Guillelmus seu Willelmus secundus abbas Cormeliensis monasterii, de cujus origine superius [c] actum est. Hunc inter *venerabiles cœnobiorum rectores*, qui hoc anno e vivis migrarunt, tertium numerat Ordericus [d], primum locum tribuens Hugoni abbati Cluniacensi, secundum Gervasio Redonensi, tertium Willelmo Cormeliensi, cujus obitus die XXVII. Julii in Neustria pia notatur. Hic magna necessitudine conjunctus fuit cum beatis Herluino Beccensi abbate & Lanfranco, ut testatur ejus epistola ad Willelmum Beccensem abbatem, qua Herluino & Lanfranco mortuis secretum ei pro» palavit, quod a Lanfranco ipsi concreditum fuerat sub silentii religione, dum » ambo illi viverent. Ea res hæc erat. Cum Lanfrancus Becci scholas teneret, cer» nens fratrum inertiam & pravitatem, simulque quorumdam in se invidiam animad» vertens, qui eum sibi præponendum esse prævidebant; e monasterio in eremum se» cedere apud se constituit. Verum, ut sui experimentum faceret, simulata infirmi» tate petiit ab hortulano sibi quotidie afferri carduorum radices; quas curandæ vale» tudini salubres esse fingebat. Cum ad fugam de nocte se præpararet, Herluino ab» bati nihil tale suspicanti, dum in lecto quiesceret, apparuit egregiæ indolis puer, » qui nuperrime obierat, ipsius nepos, filius Baldrici de Auvervilla; eique Lanfranci » consilium aperuit. Prima luce, *ut hora loquendi se dedit*, Lanfrancum accersit Her» luinus, eumque cum multis lacrymis sciscitatur, cur se deserere velit, tamdiu a Deo expetitus,

c lib. 61. n. 53.
d Orderic. lib. 11. p. 839.

AN. CHR. 1109.

expetitus, tantopere necessarius, quem novæ familiæ columen & rectorem fore sperabat. Prostratus ad ejus pedes Lanfrancus rogat, quo pacto id resciverit. Quod ubi accepit, rem confitetur, veniam petiit, seque numquam ab Herluino recessurum promittit. Hanc visionem Guillelmo aperuit Lanfrancus, adjurans eum, ne eam quoad ipse & Herluinus viverent, cuiquam proderet: quibus mortuis eam retexit Willelmo Beccensi abbati scripta ad eum epistola, quæ in Picardi notis [a] ad Anselmi epistolas integra relata est. Guillelmi abbatis Cormeliensis successores [b] in Neustria-pia videre licet, nbi nuda fere nomina solummodo referuntur.

a *Anselm. lib. 2. ep. 41.*
b *Neustria pia. p. 597.*

Redonenses abbates.

Gervasius Redonensis S. Melanii monasterii abbas, qui ab Orderico inter venerabiles patres proximo post sanctum Hugonem loco laudatur, hoc etiam anno defunctus est, sed quo die incertum. Eo præsidente quidam monachus refractarius, colorandi vitri peritus, cum locandæ specularis vitreæ causa in altum ascendisset, ruente mox tabulato & ipse corruit semianimis: sed invocato Dei nomine, invocatoque sancto Melanio servatus incolumis, deinceps mitior & obsequentior fuit. Gervasio successit Herveus, Herveo Donoaldus ex monacho sancti Michaëlis-de-Monte, postmodum factus Aletensis seu Macloviensis episcopus. Ejus successor in abbatia Radulfus, apostolicæ sedis litteras protectionis a Callisto II. obtinuit. Radulfo suffectus Herveus II. qui Donoaldum episcopum ut patrem coluit.

LXXXV. Alfonsi regis obitus & benefacta.

In Hispania Alfonsus VI. rex Legionensis, & Castellæ rex ejus nominis primus, imperator dictus, hoc anno ex hac vita migravit kalendis Julii, *plenus gratia & dierum*, postquam annis quadraginta & uno regnavisset, relinquens *luctum populo suo, periculum patria, gaudium hostibus, lamentum pauperibus, suspiria religiosis*. Bernardus Toletanus primas, cum magnatibus & aliis qui aderant, *viginti dierum exsequias celebravit*. Corpus ejus ad monasterium sanctorum Facundi & Primitivi, quod ipse dotaverat, delatum, ibidem cum uxoribus suis quinque humatus est, ubi Bernardus mox laudatus, primus a reformato per Cluniacenses monasterio abbas a sancto Hugone institutus fuerat. Hic reversus e locis sanctis monachos in Toletana ecclesia induxit canonicorum loco, qui pro eo, dum illuc profectus esset, alium archiepiscopum substituerant, rati eum illinc non reversurum. Non solum in sancti Facundi abbatiam, & in Najarensem se munificum præstitit Alfonsus, sed etiam in Cluniacensem, cui censum a patre concessum duplicavit. Ad hæc tria [c] alia monasteria Toleti exædificasse vel instaurasse traditur, scilicet sancti Servandi & sancti Germani virorum; duo alia puellarum, nimirum sancti Petri, quod Dominarum vocant, & sancti Dominici Silensis. De primo exstat ipsius Alfonsi diploma in Yepesii Appendice [d] ad Centuriam VI. in quo *monasterium servorum Dei* Servandi & Germani *extra Toletanam urbem fundatum* fuisse dicitur, *Tago flumine discurrente inter civitatem prædictam & sancti Germani ecclesiam*. quod monasterium multo a se sudore liberatum & denuo fundatum Alfonsus omnimoda libertate donat. Sed timens ne sæcularium cupiditate, aut quavis alia occasione monasterium illud, regali fisco sic exemtum, a Dei servitio deficiat, illud sancto Petro apostolorum principi tradit per manum Richardi S. R. E. cardinalis & Massiliensis abbatis, ut illius cnra ejusque successorum monasterium in Dei servitio crescat: ut nec Romana ecclesia hereditatis suæ censum perdat, nec Massilienses abbates monasterio sancti Servandi aliquando careant. Actum æra M C XXXIII. idibus Februarii. His litteris post Alfonsum regem & Bertam reginam subscribit *Raymundus gener regis & totius Gallicia comes*, qui Urracam regis filiam in matrimonium duxerat, tum *Henricus gener regis cum uxore sua Tarasia*; dein Bernardus Toletanæ ecclesiæ archiepiscopus, & Romanæ ecclesiæ legatus; & quatuor alii episcopi, videlicet Petrus Legionensis, Martinus Ovetensis, Garsias Burgensis, & Petrus Nagarensis. Prædicti Raymundi comitis filius in avi regno, post Alfonsum VII. cognomine Præliatorem, successit sub tutela patris, dictus Alfonsus VIII. cognomento Bonus. Denique, ut paucis multa complectar, Alfonsus VI. is est, qui *pæne mortuum monastica religionis fervorem ex parte in Hispania reparavit, & sibi hoc studio, post regnum temporale, regnum etiam sempiternum, ut dignum est credere, comparavit*, ut scribit Petrus [e] venerabilis qui ad hoc probandum affert cujusdam Petri-Engelberti visionem, asserentis, Alfonsum regem piacularibus pœnis a Cluniacensibus monachis liberatum fuisse. quod ab ipso Petro se audivisse dicit in Najarensi monasterio, ubi idem Petrus habitum monasticæ professionis susceperat.

Monasteria ab eo condita.

c *Fr. de Pisa Descript. Tolet. lib. 3. c. 34.*

d *Yepes. script. 39.*

e *Petr. Ven. lib. 1. de mirac. c. 28.*

ANN CHR. 1109.

Eidem quoque Alfonso ab Yepesio tribuitur constructio nobilissimi S. Clementis parthenonis, loco amœnissimo in suburbio Toletano ad Tagum fluvium positi, nunc Cisterciensis ordinis sanctimonialium, quem ab origine nigri habitus puellarum fuisse colligit Yepesius ex charta Bernardi Toletani archiepiscopi, data æra M C XLVII. quæ huic anno respondet. quo tempore vixdum ortus erat Cisterciensis Ordo, nedum in Hispanias propagatus erat. In hac charta Bernardus Toletanus sancti Clementis monasterio, omnibusque ejus loci sanctimonialibus confirmat quoddam prædium, in suburbio Toleti situm ad ripam fluminis Tagi. Amplissimum est hactenus illud monasterium sub Ordine Cisterciensi, in quo erant olim ducentæ sanctimoniales, ad hunc usque diem centum octoginta, omnes genere, uti & pietate illustres, quarum præcipuas Yepesius laudat. Sed hæc ad Cisterciensis Ordinis scriptores pertinent.

LXXXVI. Ingulfus Crulandæ abbas obit.

In Anglia Ingulfus Crulandensis abbas sub finem anni præcedentis obiit grandævus, non hoc anno, ut legitur in continuatione ejus historiæ per Petrum Blesensem, ex quo hoc mendum emendare licet, siquidem Joffridus Ingulfi successor receptus dicitur *in dominica palmarum, C. littera dominicali*, quæ huic anno M C IX. convenit. adeoque Ingulfus decesserat sub finem anni præcedentis, sive XVI. kal. Decembris, ut Ordericus [a] scribit, sive XVI. kal. Januarii, ut Petrus Blesensis. Erat Ingulfus natione [b] Anglicus, regisque Willelmi scriba fuerat, postea Jerusalem profectus. Inde reversus, Fontanellam secessit, ubi a Gerberto monasticum habitum suscepit, & sub eo prioris officium gessit. Hinc amoto Wlfketulo ad abbatiam Crulandæ a Willelmo rege cooptatus, eam viginti quatuor annis per multas adversitates administravit. nam pars ecclesiæ cum officinis, vestibus & libris, multisque aliis rebus incendio combusta; & ipse podagræ morbo diu ante obitum affectus est, sed tamen vivaci animo subditis prodesse non destitit. Hæc fere Ordericus, qui ait eum XVI. kal. Decembris defunctum fuisse: at Petrus Blesensis scribit, eum ad paradisi gaudia assumtum fuisse XVI. kal. Januarii, & quidem anno M C IX. sed mendose, ut modo notabam. Sane si eo anno Ingulfus obiisset, Joffridus seu Goisfredus ejus successor, qui dominica palmarum insequente Crulandæ receptus est, non ante annum M C X. abbatiam iniisse dicendus esset. quod pugnat non modo contra Ordericum, diserte asserentem, eum anno M C IX. jussu Heinrici regis Anglorum Crulandiensis ecclesiæ regimen suscepisse: sed etiam contra ipsum Petrum Blesensem, qui ait, Joffridum Crulandæ sollemniter receptum fuisse *in dominica palmarum, C littera dominicali*, quæ, ut jam dixi, anno M C IX. non sequenti competebat. Addit Petrus, Ingulfum in capitulo sepultum fuisse die festo sancti Thomæ. ex quo intelligitur probabilius esse, eum obiisse XVI. kal. Januarii, quod Petrus ex domesticis tabulis addiscere potuit, quam XVI. kal. Decembris, ut Ordericus scribit.

a Orderic. lib. 4. p. 543.
b ibid. p. 541.

LXXXVII. Goisfredus ejus successor locum instaurat.

Goisfredus seu Joffridus genere [c] Francigena ex urbe Aurelianensi, liberalibus disciplinis a puero affatim imbutus, sæculum perosus, studioque monasticæ vitæ flagrans, monasticen in cœnobio sancti Ebrulfi sub Mainerio abbate professus est. Illic in vita privata per quindecim annos rite exercitatus, dein ad prioris officium promoveri meruit; postmodum anno M C IX. jussu Heinrici assumtus ad regimen monasterii Crulandensis: ubi dominica palmarum, testante Petro Blesensi, sollemniter receptus est; statimque missus ad Rothertum Lincolniensem episcopum, a quo benedictus est, & dominica in Albis in possessionem abbatiæ inductus. Ab ipso præfecturæ exordio non tantum domesticis, sed etiam externis prodesse studuit: atque, ut erat litteris humanis divinisque optime instructus, magnates privatim officii admonebat, populumque subjectum hortari, & sanctum evangelium ubique presbyteris ad eorum preces exponere non gravabatur. Ad hæc cernens suum monasterium adhuc semiustulatum & quasi torrem ex igne erutum, necdum pro dignitate instauratum; novam ecclesiam exstruere statuit, totumque monasterium muris lapideis pro luteis, & fundo marmoreo, si facultates suppeterent, instaurare. Verum, quia ad tot tantosque sumtus monasterii opes non sufficiebant, ab episcopis Anglicanis indulgentiam tertiæ partis pœnitentiarum impetravit pro iis omnibus, qui ad tantum opus suppetias conferrent; eamque indulgentiam per quæstores per totam non modo Angliam, sed etiam per Scotiam & Hiberniam, immo & per Flandriam & Franciam prædicari curavit, missis ad illas partes monachis cum sanctorum reliquiis & litteris encyclicis, quibus fideles quosque ad conferenda in hoc opus subsidia hortabatur. quod tam feliciter successit, ut non modo magnam pecuniæ summam quæstores illi

c Orderic. p. 543.

attulerint, sed etiam multos ad monasticam vitam adduxerint.

ANN. CHR. 1109. LXXXVIII. Cantabrigiensem academiam instituit.

Quin etiam ad quoddam prædium suum, *Cotenham* dictum, quod prope Cantabrigiam situm erat, Gislebertum monachum, sacræ theologiæ professorem, misit cum tribus aliis monachis, qui ipsum in Angliam secuti fuerant, philosophicis, aliisque primitivis scientiis instructissimis: qui quotidie Cantabrigiam adeuntes, & conducto quodam borreo publico scientias suas palam profitentes, brevi grandem discipulorum numerum contraxerunt. Anno vero secundo ab eorum adventu illorum numerus adeo accrevit, ut nec illud borreum, nec quælibet domus maxima, immo nec ulla ecclesia illis capiendis sufficeret. Quam ob rem diversis in locis a se se divisi, ad instar Aurelianensis studii, prima luce frater Odo grammaticus & satyricus grammaticam juxta Prisciani doctrinam & Remigii interpretationem prælegebat: hora prima frater Terricus, acutissimus sophista, logicam Aristotelis juxta Porphyrii & Averroïs isagogas commentatam adolescentibus tradebat: ad horam tertiam frater Willelmus rhetoricam Tullii & Quintiliani explicabat: magister vero Gislebertus singulis dominicis & festis diebus in diversis ecclesiis verbum Dei, rudis in Anglicana lingua, sed expeditus & disertus in Latina & sua Gallicana, prædicabat; & contra Judaïcum errorem maxime disputabat: ferialibus autem diebus litteratis ac sacerdotibus, ad ipsius auditorium specialius confluentibus, sacræ paginæ textum exponebat. Ad hos porro identidem accedebat Joffridus abbas, & sermonem suo more ad populum habebat, concurrentibus ad eum ex vicinis etiam locis viris ac mulieribus: qui licet latine vel gallice loquentem minime intelligerent, tamen in illum intendentes, virtute verbi Dei & vultus ejus gratia ad lacrymas passim ita compuncti erant, ut finito sermone ad instaurationem ecclesiæ innumeras eleemosynas conferrent; & ex laïcis ac litteratis tres quatuorve singulis vicibus se se dederent monasticæ vitæ initiandos, quos ille vel suo conventui, vel aliis monasteriis aggregabat. *Ex isto itaque fonte parvo*, inquit Petrus Blesensis, *qui crevit in fluvium jam magnum, videmus nunc lætificatam civitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam per plurimos magistros & doctores de Cantabrigia exeuntes ad similitudinem sanctissimi paradisi.* Simile quid etiam tentatum apud Stanfordenses per Elsinum, Fregistum & Haroldum monachos, genere Anglicos, qui in vicino Crulandæ prædio sub Elsino priore valde litterato manebant: quibus Joffridus abbas non modo verbi Dei prædicandi, sed etiam fidelium atque etiam sanctimonialium confessiones audiendi facultatem concessisse dicitur. His aliisque similibus adjumentis, quæ Petrus Blesensis fuse persequitur, Joffridus abbas necessaria subsidia comparavit, quibus Crulandense monasterium instauraretur.

LXXXIX. Aurelianensium scholarum celebritas.

Antequam hinc discedam, observare licet, tres aut quatuor magnos viros ex urbe & scholis Aurelianensibus per ea tempora ortos esse, per quos litteræ & ecclesiastica doctrina longe propagata. Primus fuit Abbo Floriacensis monachus, ac demum abbas, Remigii monachi Autissiodorensis in schola Remensi discipulus, per quem litteræ in Anglia potissimum sæculo decimo refloruerunt. Secundus fuit Odo seu Odoardus, itidem Aurelianensis, qui primum Mettis, dein Tornaci studia litterarum magnopere excoluit, factus postea monachus & abbas, atque instaurator monasterii sancti Martini Tornacensis, ac demum episcopus Cameracensis. Tertius Joffridus seu Goisfredus abbas mox laudatus: quibus addi potest Baldericus Burguliensis abbas, postmodum Dolensis archiepiscopus, *civis Aurelianensis* ab Orderico [a] dictus, tametsi Magduni natus erat, ut superius vidimus. In versibus Marbodi episcopi Redonensis exstat epitaphium Roberti Andegavensis, *qui Andegavis ortus in studiis Aurelianis mortuus est.*

a Orderic. lib. 10. in fine

Mauriniacenses abbates.

Anno Ludovici regis secundo, qui partim huic anno, partim anno sequenti convenit, e vita migravit Rainaldus Mauriniacensis prope Stampas monasterii primus abbas, in capitulo sepultus. Mox convenere in unum fratres, de eligendo successore acturi, qui Teulfum tum priorem, *hominem bonæ famæ & satis litteratum, ex prioratu promovent in abbatem.* Verum *solita facilitate* quidam illorum contumeliis eum afficiunt, & ab electione deficiunt, antequam ille consecraretur. Hic vero, ut erat modestus & ambitionis expers, non repugnavit, sed sponte cessit, factus postea prior, tum abbas sancti Crispini apud Suessionas, ut suo loco videbimus. Iterata itaque electione, aliis alia sentientibus, tandem in juvenem quemdam satis elegantem, & post regionis primores claris natalibus oriundum, nomine Hugonem, omnes conve-

ANN. CHR. 1109.

niunt, & Senonas consecrandum perducunt. At ille, anno necdum revoluto, contradicentibus sibi amicis & familiaribus, abbatiam sponte abdicavit, & ecclesiam *prope Turrim-Brunichildis* sitam sortitus est, ubi privatam agebat vitam, dum chronographus [a] Mauriniacensis hæc scriberet. Interea fratres non minus inopia omnium rerum, quæ ob famem per septem continuos annos in Gallia tum grassantem, quam abbatis abscessione conturbati & anxii, unum e suis Thomam nomine, olim sub Alberto abbate scholis sæcularibus abnegatis monachum factum, qui in Columbensi monasterio, vitæ claustrali & litterarum studio deditus, per annos decem demoratus fuerat, veluti quodam jure a Columbensibus reposcunt. Benedictione itaque post epiphaniorum dies sollemniter suscepta, magno fratrum omnium totiusque populi favore & plausu excipitur. Mox ad relevandam loci summam inopiam applicatus, primo consecrationis suæ anno in Stampensi beatæ Mariæ ecclesia *divinum sermonem*, cujus rei maximam gratiam habebat, ad populum fecit. Huic interfuit vir magnificus Ansellus, regis dapifer & consiliarius, cum multis nobilibus & Stampensium primoribus, qui monasterio summa penuria laboranti suppetias contulerunt. Eodem Ansello agente, rex a Daimberto Senonum archiepiscopo vix obtinuit, quod abbas summopere optabat, ut donationem ecclesiæ de Veteribus-Stampis a Philippo rege & Ludovico ejus filio factam confirmaret. quod etiam Romam profectus a Paschali pontifice roborari curavit.

a *Chesn. to. 4. p. 362.*

XC. S. Vedasti monasterium reformatur.

Florebat per id tempus in Sithiensi sancti Bertini monasterio disciplina regularis, ibidem restituta per Cluniacenses monachos, quos Lambertus abbas istuc accersiverat. at longe aliter res se habebat in Atrebatensi monasterio: ubi orta discordia inter Henricum abbatem, sanctæ simplicitatis virum, ejusque monachos: ad quam sedandam Henricus Lambertum Sithiensem abbatem consuluit, amboque simul Rotbertum Flandrensem comitem: eorumque commune consilium fuit, ut Sithienses monachi Atrebatum mitterentur ad ordinem reformandum. quod hoc anno factum tradit Iperius. Statuta itaque die conveniunt comes & Lambertus abbas cum Sithiensium *flore electo*, inter quos præcellebat Alvisus, quem Henricus abbas consilio Lamberti priorem illic constituit. Tunc in capitulo Lambertus abbas sermonem ad fratres habuisse traditur, proposito paradigmate asinæ loquentis, & prophetæ vesaniam increpantis, prophetæ nomine significans monachos, qui litterarum doctrinam habere debebant, per brutum animal comitem, qui venerat ut eos increparet, & ad rectam veritatis viam eos reduceret. quo quidem exemplo plerique monachorum pudore affecti & compuncti sunt: alii contra, salutare consilium destruere molientes, ad Hasprensem cellam secedendi facultatem obtinuerunt, & abbatem ibi de suis sibi proponi postularunt. Ast, ubi se nihil proficere viderunt, ad monasterium reversi, inchoatæ reformationis jugo humiliter colla supposuerunt. Idem in Gandensi sancti Petri monasterio Rotbertus comes præstitisse dicitur [b] in historia restaurationis abbatiæ sancti Martini Tornacensis, ubi de hac sancti Vedasti emendatione itidem fit mentio. Qualis quantusve vir fuerit Alvisus Vedastinus ille prior, ecclesiasticæ dignitates ab eo recte administratæ probant, nempe Aquicinctensis præfectura ad restituendam disciplinam ei commissa, & Atrebatensis episcopatus, ut inferius videbimus. Quod attinet ad Rotbertum comitem, is post triennium Meldis lapsus ex equo interiit, & apud sanctum Vedastum sepultus. Jam ad res Germanicas veniamus.

b *Spicil. to. 12. p. 444.*

XCI. Ottonis episcopi Bambergensis prima facta.

Ex innumeris episcopis, qui erga nostrum Ordinem se munificos exhibuerunt, haud scio an ullus sit, qui plura monasteria condiderit quam Otto Babenbergensis episcopus, qui duodecim amplius instituti nostri monasteria cum multis cellis vel condidit, vel instauravit, vel saltem ditavit, ex quibus Prufeningense hoc anno ædificare cœpit. Hic in Suevia parentibus liberis progenitus, post litterarum studia, emensosque adolescentiæ annos, Judithæ Heinrici IV. imperatoris sorori, quæ Boleslao Polonorum duci nupserat, primum adhæsit, ejusque capellanus factus est. Cum Juditha ad imperatorem identidem mitteretur, Wirziburgum sæpius pertransibat, & in illius urbis monasterio ab Henrico abbate hospitio excipiebatur. quapropter ibidem xenodochium pauperum instituit. Post obitum Judithæ ad Teutonicas partes reversus, Ratisponam se contulit, venitque in notitiam Inferioris-monasterii abbatissæ, imperatoris neptis, quæ eum sui monasterii œconomum constituit. Interea, cum Ratisponam venisset imperator, viso Ottone, ut sibi a cognata

ANN. CHR. 1109.

concederetur, obtinuit, eumque variis in negotiis probatum, demum cancellarium fecit. Sunt qui aliter Ottonis promotionem narrant, eum scilicet primum adiisse Henricum Wirziburgensem abbatem, qui postmodum factus in Polonia archiepiscopus, Ottonem secum in Poloniam duxerit, ubi perspecta ejus probitate, Juditha illum in suum adsciverit obsequium. Per id tempus Heinricus imperator de construenda Spirensi ecclesia consilium iniit, cujus operis inspectorem Ottonem adhibuit. Denique mortuo Riuperto Babenbergensi episcopo non alius magis idoneus, qui vicem ejus suppleret, inventus est quam Otto, cujus electio a Paschali pontifice confirmata: qui eum Romam evocatum, ipse propriis manibus Anagniæ consecravit, eidemque pallii honorem, ejusque successoribus concessit anno MCII.

Monasteria ab eo condita.

Ubi primum illam sedem iniit Otto, quatuor monasteria ædificare cœpit, duo scilicet in episcopatu Herbipolensi, unum Uraugia, cui Eggebardus abbas præfectus, de quo infra[a], alterum Ura dictum: in Babenbergensi vero Michelvendense sub patrocinio sancti Johannis-Evangelistæ, & Lancheimense in honorem sanctæ Mariæ: quorum tria ordinis Cluniacensis, id est nigrorum monachorum, quartum Cisterciensium erat. Michelvendense a Lutheranis occupatum. Ad hæc monasterium sancti Michaëlis in monte urbi proximo instauravit, eique præfecit Wolframum abbatem, de quo inferius. Præter ea in episcopatu Ratisponensi sex monasteria ab eodem constructa, quinque nimirum Ordinis nostri, sextum Norbertinorum. Præcipuum ex illis quinque Prufeningense* agri Ratisponensis sub patrocinio beati Georgii martyris ab eo conditum hoc[b] anno, situm ad confluentes Danubii & Nabi, hodie quoque superstes, quod olim invisimus. Primus ejus loci abbas Erminoldus, de quo in consequentibus acturi sumus. Ab eo quoque erecta dicuntur duo ejusdem diœcesis monasteria Biburgense* & Madeldorfense*, quod postremum etiam obiter lustravimus: tametsi alii eorum fundatores in metropoli Salisburgensi assignantur. Denique præter varias cellas ab eo erectas, aliaque aliorum ordinum cœnobia, in episcopatu Halberstadensi Regensdorfense* nostri Ordinis monasterium sub titulo sancti Johannis-Baptistæ exstruxisse traditur. Siffridus Mindensis presbyter scribit, monasterium *Reinsdorf* a Viperto marchione consilio Ottonis episcopi Babenbergensis anno MCX. fundatum fuisse. Primus ejus loci abbas fuit Ludigerus, e Corbeiæ-novæ monasterio assumtus. Idem Vipertus marchio fundator fuit monasterii Pegaviensis, ubi monachus factus, sepultusque est, teste eodem Siffrido. Ex prædictis cellis præcipua est Clunicensis*, sub patrocinio sancti Andreæ primitus condita in diœcesi Passaviensi ad Anisum fluvium, ut in sancti Ottonis actis legitur: quæ sæculo duodecimo in abbatiam conversa est, cujus conspectum & seriem abbatum Stengelius in Monasteriologii sui parte secunda exhibuit, aitque eam constructam fuisse in honorem beatæ Mariæ Virginis, quæ forte altera monasterii patrona fuerit. Interrogatus aliquando vir Dei, cur tot opes in ejusmodi opera profunderet, cum monasteriis mundus plenus esset, sic respondisse traditur: « Mundus, ait, iste totus exsilium est, & quamdiu vivimus in hoc sæculo, peregrinamur a Domino. unde stabulis egemus atque diversoriis, qualia esse dicebat monasteria, peregrinis opportuna. Ad hæc, novissima hora est, inquiebat, & mundus totus in maligno positus est. unde propter eos, qui ab illo fugere, & salvari cupiunt, cœnobia multiplicare licet. Denique id se facere dicebat, ut in omnibus honorificaretur Deus, & proximus adjuvaretur. » Denique ut testaretur vir sanctus, quanti monachos & monasteria faceret, sub exitum e vita monasticum habitum induit, ut suo loco videbimus. Exstat ejus epistola consolatoria inscripta omnibus suæ curæ commissis Ordinis nostri monasteriis, scilicet Wlframo abbati sancti Michaëlis, Wigando Tharisiensi, Baldewino Bantzensi, Eggebardo Uraugiensi, Imbrichoni Michelvendensi, Walchuno Entsdorfensi, Eriboni Pruveningensi post Erminoldum, Friderico Gengenbacensi, Eberhardo Seuturensi, Ottoni Steinensi, Liugero Regenstorfensi, Arnoldo Arnolsteino, necnon præpositis Clunickensi, & Hosterhovensi. quorum pleraque vel instauravit, vel de novo erexit: in omnibus vero regularem disciplinam, quæ in plerisque defecerat, reflorere curavit.

XCII. Fuldenses abbates & sancti Udalrici.

In conventu Francofurtensi, quem Heinricus imperator hoc uno habuit, Godefridus[c] Fuldensis abbas præfectura dejectus ab eo est, subrogato in ejus locum Wolfelmo ejusdem cœnobii monacho, quod negligenter res monasterii curaret, ut in Breviario Fuldensi legitur, Coloniam relegatus, ubi naturæ concessit. Nec rebus pro-

[a] lib. 72. n. 9.
* Privoling.
[b] Metrop. Salisb. to. 3. p. 114.
* Biburch.
* Malasdorf.
* Reinsdorf.
* Clunich.
[c] V. lib. 70. n. 89.

ANN. CHR. 1109.

curandis melior visus Wolfelmus, post annos quinque ob bona monastica male expensa exauctoratus, eodemque anno defunctus. Huic suffectus ab Heinrico Erlulfus, abbas Murbacensis, vir pius & doctus, non sine obmurmuratione fratrum, qui id factum contra monasterii sui jura querebantur. Romam missus est cum Brunone Spirensi episcopo ad Callistum papam ad schisma componendum.

Fluctuabat per id tempus Augustensis ecclesia ob turbas Hermanni pseudepiscopi, qui hunc episcopatum per simoniam ab Heinrico IV. adeptus erat, eumdemque stupris & male factis conspurcabat. quam ob rem à tribus Romanis pontificibus, Paschali, Gelasio & Callisto anathemate percellitur. Inter has tempestates sancti Udalrici & sanctæ Afræ monasterium sub intrusis abbatibus gemebat. nam a tempore Sigehardi legitimi rectoris, de quo superius [a] egimus, sacrum hunc locum tres occupaverunt abbates; quorum primus Hartmannus, jam Gotwicensis abbas, a schismatico episcopo intrusus, sponte cessit; & ad sua reversus est, qui Campidunense monasterium postea rexit, ac demum Danubii aquis periit. Secundus fuit Beringurius Fuldensis cœnobita, homo rudis & illiteratus, fratris sui beneficiis & officiis apud Heinricum in abbatiam intrusus, qui & ipse locum male partum deseruit. Huic tertius supervenit Wissenbrunensis seu Wisbrunensis abbas, haud dubie Albero seu Adalbero, qui, abdicato canonicorum habitu, monasticum induit, abbas Wissenbrunensis creatus anno M LXV. ad annos sex & quadraginta.

a lib. 67. n. 51.

XCIII. Egino fit abbas S. Udalrici.

Post hos intrusos canonice tandem hoc anno electus est venerabilis Egino, genere Noricus, ejusdem loci a puero monachus, a Diemaro abbate susceptus & educatus. Is ubi juveniles attigit annos, *cum prædicto patre sanctissimo jam orbatus esset*, consilio meliore locum mutavit, ne schismatico commisceretur episcopo, intrusisque abbatibus subderetur. Ex quo intelligitur, Diemarum abbatem præcessisse tres illos intrusos abbates, tametsi in chronico Augustano in catalogo abbatum eum notatum non invenio. Et tamen Udalscalcus in vita Eginonis, ubi Diemarus abbas laudatur, defuncto Sigehardo abbate, Hartmannum Gotwicensem abbatem sancti Udalrici monasterio proxime præfectum fuisse dicit. adeo ut Sigehardus binominis fuisse videatur. Secessit itaque Egino ad sancti Blasii monasterium in Nigra-silva situm, ubi in ministerium bonæ memoriæ Gebehardi Constantiensis episcopi, sede sua [b] pulsi, assumitur, donec, fugatis illis pseudabbatibus, ad sancti Udalrici monasterium a suis revocatur, unanimi consensu abbas electus, cujus institutioni abbas ille Gotwicensis interfuit, assensitque contra omnium exspectationem. Sic in abbatiali dignitate constitutus Egino, velut alter Jeremias, vitiorum spinas, quæ inibi ultra modum succreverant, tota virtute evellere, & virtutum germina, religiosis viris aliunde adscitis, excolere studuit. Unde brevi contigit, ut locus ille, qui ex incolentium pravitate jam pridem abjectus & despicabilis erat, per Eginonis abbatis, ejusque novorum discipulorum bonum odorem cunctis honorabilis haberetur. Non parum quoque ad loci commendationem contulere miracula, quæ in sancti Udalrici ecclesia tunc patrata sunt, testante Udalscalco. Interim Herimannus pseudepiscopus in nequitia sua obfirmatus persistebat, & in eos, qui ei communicare detrectabant, sæviebat. Unde ejus furor acrius exarsit in Eginonem abbatem, qui ab ejus communione non modo se substraxit, sed etiam Augustenses, in eum jam commotos, auctoritate sua confirmavit. Mitto varias hac de re tum a Paschali papa aliisque, tum ab ipso Eginone scriptas epistolas, quas in ejus actis, auctore Udalscalco, videre licet. Demum eo devenit Herimanni persecutio, ut Eginonem e monasterio exturbaverit, qua de re inferius.

b V. lib. 70. n. 73.

ANN. CHR. 1110.

XCIV. Res ecclesiasticæ & civiles.

Anno subsequente M C X. Heinricus V. in die epiphaniæ Ratisponæ conventum principum habuit, quibus significavit, se in Italiam proficisci velle, tum ut a pontifice pro more coronam imperialem acciperet, tum ut vetera discidia componeret. dein profectionem ad proximum mensem Julium indicit. Ea re cognita, Paschalis papa mala ejus consilia præsentiens, in Campaniam profectus, ducem ac principem, atque Apuliæ comites, ut sibi auxilio adsint, sollicitat; indeque reversus in Urbem, Romanos proceres sacramento sibi adstringit. Heinricus, ubi dies profectionis adfuit, exercitu triginta millium in duas partes diviso, in Italiam per Montem-Jovis & Vallem Tridentinam contendit. Cum Parmam versus tenderet, Mathildis comitissæ potentiam veritus, fœdus cum ea sanxit, ac demum Floren-

tiam sub natale Domini pervenit, ibique substitit, dum milites ex itineris labore essent refecti. Interim legationes ultro citroque missæ, & conditiones pacis cum pontifice ineundæ utrimque missæ, obsidesque dati. Verum hæ cautiones adversus Heinrici fraudem parum valuerunt, ut videbimus anno sequente. Una ex conditionibus ab Heinrico propositis erat, ut patris sui corpus in ecclesia sepeliri permitteret pontifex. at sanctarum scripturarum auctoritatem, sanctorumque miracula obsistere papa respondit, nec se mortuis communicare posse, quibus viventibus non communicasset.

XCV. Fabariensium libertas asseritur contra episcopum Basileensem.

Cum Spiræ versaretur Heinricus, litteras mundeburdi seu regiæ protectionis Fabariensi Curiensis diœcesis monasterio, ad preces Geroldi abbatis, impetravit adversus infestationes Rodulfi episcopi Basileensis. Is Heinrico arcem *Rapolstein*, in finibus Alsatiæ superioris sitam, valli Gregorianæ confinem, tradiderat, modo ut Fabariensis abbatia ipsi concederetur. Assenserat Heinricus, idque regiis litteris confirmaverat. Hac nundinatione lætus, statim nuntios cum his litteris Fabariam ablegat, & Gregorium abbatem, clientelaris solvendi obsequii causa, Basileam quantocius venire jubet. Ad hæc respondit generosus abbas, se Fabariense monasterium, juxta regum & imperatorum privilegia liberum, divino nutu moderandum suscepisse; nec committere posse, ut aliena & indebita servitute opprimatur. Recessere nuntii hoc responso non parum offensi: abbas vero cum Wicramno monacho cum primis litterato Spiram contendit, Heinrico regi antecessorum regum & imperatorum, ejusque patris Heinrici privilegia exhibet. quibus inspectis, rex eadem novo diplomate confirmat, dato Spiræ VI. kal. Junii anno MCX. quod *Albertus cancellarius vice Moguntinæ ecclesiæ, qua nunc*, inquit ille, *archicancellariatum obtinet, recognovit.* Moguntina quippe ecclesia hanc dignitatem obtinebat, vacante sede post mortem Ruthardi archiepiscopi, cum necdum in ejus locum subrogatus esset prædictus Albertus cancellarius, qui in archiepiscopatu ei successit.

At Rudolfus episcopus regio edicto minime coërcitus, ab iniqua & violenta Fabariensis monasterii invasione non temperabat. quam ob rem Wicramnum monachum Romam mittit abbas, ut Paschalis papæ protectionem adversus episcopum impetraret. Supplicantis preces benigne accepit pontifex, gravesque scripsit litteras Basileensi episcopo in hunc modum. *Tibi, carissime in Christo frater Rudolfe episcope, præcipimus, ut locum illum cum omnibus rebus suis dimittas ab occupatione tua liberum & quietum. alioquin nos te, ut ab ecclesia alienum, habebimus, donec ecclesiæ præceptis obedias, & ab illa penitus invasione & occupatione secedas.* Nec sic tamen iniquis cœptis destitit præsul, immo cum numeroso satellitum globo Fabariam petiit, ut armis rem dirimeret. Fama est abbatem ei cum ministerialibus suis armatis obviam occurrisse paullo infra monasterium, vim vi repulsurum, eumque sagitta sauciatum fuisse. at nihilo minus episcopus, viribus superior, in monasterium irrupit, ejusque bona & supellectilem diripuit, & abbati Geroldo ad causam dicendam vel componendam diem Tigurum * indixit, quo itidem vicinos principes & episcopos, in primis Widonem Curiensem amicum suum, convocavit. Ad diem dictum illic adesse detrectavit abbas, ratus, bene fundatam monasterii sui libertatem dubiæ litis aleæ, ubi rationi & æquitati prævaleret auctoritas, non esse committendam.

* Zurich.

Hinc celeres Romam nuntios mittit episcopus: nec segnior fuit abbas cum suo Wicramno. Ubi Romam pervenit, pontifici, sacroque cardinalium cœtui spretam ab episcopo sedis apostolicæ majestatem, rejectas litteras, violentam in monasterium factam irruptionem gravibus verbis exposuit. His intererant præsulis oratores, qui mox ob causæ iniquitatem rejecti sunt; statimque, suadente universo patrum senatu, pontifex iteratas Rudolfo litteras scripsit sub hac forma. *Quia pro querela fratrum Fabariensium nuper tibi litteras misimus, ut ab eorum infestatione desisteres, quas te nullatenus accepisse mirati sumus. Nos igitur pro sedis apostolica mansuetudine consuetus nostri patientiam agentes, secundas ad te litteras mittimus, rogantes ac præcipientes, ut ab illorum fratrum oppressione omnino desistas, & Fabariense monasterium cum locis suis ac possessionibus dimittas. Si vero aliquam confidis te habere justitiam; ante medium proxime quadragesima, videlicet kalendis Aprilis, anno ab incarnatione* MCXI. *nostra te audientiæ præsentato. Interim quæ monasterii bona abstulisti, reddere ne differas.* Verum, ut harum litterarum effectum denuo eluderet vafer homo, Seafusii conventum agendum abbati proponit, specie, ut in eo controversia illa componeretur; re vera

ANN. CHR. 1110.

ut abbatem ab audientia Romani pontificis retraheret. At præteritorum memoria cautus abbas, Romam pergit, tandemque decretoriam a pontifice obtinuit sententiam, quæ funesto discidio demum finem imposuit. Fabariensium causam non parum juvit Gualfredus, pontificis ex sorore nepos, non ita pridem in aula Heinrici regis obses, qui tum in Urbem reversus erat, cui totum hoc negotium probe cognitum erat. Hæc uno tenore referre placuit. Geroldi abbatis constitutionem de victu & vestimentis fratrum aliisque ritibus in Appendice referemus, ex qua intelligitur, carnium esum certis diebus jam tum Fabariensibus concessum fuisse. Geroldo abbati, quem beatum vocant, uno intermedio successit Wicramnus sæpe laudatus, cujus successores apud Bucelinum videre licet. Jam tandem rerum hujus anni series repetenda.

XCVI. Arnaldo abbati Senonensi satisfit.

Alia fuit Arnaldi abbatis sancti Petri apud Senonas controversia cum Petro Claromontensi episcopo, orta ex rebellione decani Mauriacensis, de qua egimus anno superiori. Injunctum fuerat episcopo, tum a Richardo Albanensi episcopo & legato, tum a Gerardo Engolismensi episcopo itidem legato, necnon a Leodegario Bituricensi metropolitano, ut decanum ejusque facinoris conscios excommunicaret, eosque ad satisfaciendum abbati compelleret. quod ille exsequi tergiversando subterfugiebat. Institit nihilo minus abbas, ut id præstaret episcopus, missis ad eum nuntiis, qui nihil evicerunt. Bituricas pergit abbas, iteratasque litteras ab archiepiscopo impetrat. Inde profectus Floriacum, ubi pascha celebravit, tum Aurelianos, ubi regia tum curia erat, regis mandatum a rege obtinet. Quin etiam Richardum Albanensem apud Lingonas convenit, qui novas ad Petrum episcopum litteras scribit, amicas quidem, sed graves, eum culpæ socium fore asserens, nisi quantocius facinora emendari curet. *Quorum enim*, inquit, *culpas corrigere est, & non corrigunt; hi profecto malitiæ illorum participes fiunt.* Has omnes litteras per Rigaudum monachum mittit abbas ad episcopum, qui tandem tot jussionibus ex parte paruit, excommunicans scilicet decanum depositum, ejusque asseclas; sed non eos, qui Roberto novo decano insultaverant. quod moleste ferens Rigaudus, Senonas reverti volens, Richardum Albanensem in abbatia Mauzaci offendit, cum eo Clarum-montem rediit; tandemque ab episcopo plenam justitiam extorsit. quæ omnia Clarius monachus cum litteris in chronico retulit.

XCVII. Floriacense concilium.

Addit, ipso anno Richardum Albanensem kalendis Octobris in Floriacensi sancti Benedicti monasterio concilium celebrasse, præsentibus Daimberto Senonensi, Rodulfo Remensi, Radulfo Turonensi, & Leodegario Bituricensi archiepiscopis, cum suis coëpiscopis & abbatibus; & in fine concilii, præsente episcopo Arvernensi, excommunicasse omnes illos, sive clericos, sive laïcos, qui in posterum abbatibus sancti Petri-Vivi *calumniam* seu molestiam facerent de ordinatione & mutarione decani Mauriacensis. Digressus e concilio Petrus Arvernensis seu Claromontensis, in ipso itinere ægrotare cœpit, &c, ubi ad urbem suam pervenit, e vita migravit, ibidemque in ecclesia sua sepultus est. In illo Floriacensi concilio actum est de quadam controversia excitata inter monachos Blesenses & Bonævallenses, de qua duæ exstant Ivonis ᵃ epistolæ ad Richardum Albanensem.

ᵃ *Ivo. ep. 216. & 217.*

Floriacensibus ecclesiæ confirmatæ.

Dum Leodegarius Floriaci versaretur, ubi honorifice a Bosone, ejusque fratribus susceptum se fuisse dicit, in capitulum ingressus, quasdam suæ parochiæ ecclesias Floriacensibus confirmavit, nempe ecclesiam Salensem cum suis adjunctis, ecclesias sancti Petri de Castello-novo, sancti Mattini apud sanctum Satyrum, sancti Mauricii de Castellione, sancti Mauricii apud sanctum Brictium, sancti Martini de Valliaco, sancti Petri de Poliaco super Nostrusam fluviolum, & sancti Martini de Monasteriolo super Saldriam * fluviolum. Testes ex ejus parte Petrus episcopus de Claro-monte, Guarinus Masciacensis abbas, aliique: ex parte Bosonis Odo cubicularius & alii. *Actum publice Floriaco, anno dominicæ incarnationis* M C X. *regnante Ludovico Francorum rege, jam anno tertio.*

* *la Saudre.*

XCVIII. Hugo de S. Maria Floriacensis Monachus doctus, ejusque scripta.

Tunc in Floriacensi monasterio florebat Hugo monachus, de Sancta-Maria cognominatus, qui ecclesiasticam historiam quatuor libris hoc anno compilavit in gratiam Adelæ comitissæ Blesensis, uti discimus ex veteri codice Dionysiano, in quo hæc historia sic inscribitur: *Incipit ecclesiastica liber historiæ, quem Hugo de Sancta-Maria, monachus sancti Benedicti Floriacensis, a diversis defloravit historiæ locis anno ab incarnatione Domini* M C X. *gratia domnæ Adelæ Carnotensium, Meldensium, atque Blesensium comitissæ.*

ANN. CHR. 1110.

comitissa. tum præmittitur epistola ad Ivonem Carnutensem episcopum. Primus liber incipit a Nino Assyriorum primo rege : quartus desinit in Carolo Calvo rege Francorum. In codice Dionysiano his quatuor libris subjicitur historia de gestis regum Francorum, compilata ex Gregorio Turonensi, Fredegario aliisque ; sed non videtur esse ejusdem auctoris. Hugonis historia absque divisione librorum typis vulgata est Monasterii-Westfaliæ anno MDC XXXVIII. præmisso post epistolam ad Ivonem prologo metrico ad Ludovicum regem, cognomento Crassum. Idem auctor scripsit librum de vita sancti Sacerdotis episcopi Lemovicensis, editum a Bollando in tomo secundo Januarii.

At præcipuum Hugonis opus est de regia potestate & sacerdotali dignitate duobus libris, in tomo IV. Miscellaneorum Baluzianorum vulgatis, in quibus quædam observatu digna continentur. His libris præmittitur *prologus Hugonis de Sancta-Maria, monachi sancti Benedicti Floriacensis*, quem *Henrico Anglorum regi gloriosissimo* dicat *frater Hugo, monachorum omnium extremus, sanctissimi Benedicti Floriacensis monachus.* Hoc opus se aggressum esse dicit auctor contra errorem eorum, qui regiam dignitatem a sacerdotali dividunt, putantes, *quod terreni regni dispositio, non a Deo, sed ab hominibus sit ordinata sive disposita : & ideo sacerdotalem dignitatem majestati regiæ præferunt, cum ei subesse ordine, non dignitate debeat.* In priori libro Hugo demonstrat, utramque potestatem esse a Deo : in posteriori utramque institutam *non absque magno & saluberrimo sacramento.* In hoc libro Gregorii VII. decretum de investituris non probat. Sed hæc aliorum examini permitto.

XCIX. Rotbertus abbas Molismensis Alpenses & Balernenses monachos reconciliat.

Orta est hoc tempore discordia inter monachos Alpensis & Balernensis monasteriorum, de quorum origine superius [a] egimus. Discordiæ causa erat, quod Balernenses Alpensibus subjici detrectabant, quod Alpenses exigebant. Wido Alpensium, David Balernensium abbas erat. Verum, in id demum convenere, ut controversiam suam ad judicium Rotberti Molismensis abbatis referrent. Præsidente itaque domno Rotberto abbate, Lamberto quoque Pultariensi abbate cum toto conventu fratrum assistente, concordia in hunc modum composita est, ut, « si abbas Alpensis Balernam « adeat, primam occupet sedem, & quidquid cum consilio fratrum statuerit, ratum « habeatur. Quod si Balernensis in aliquo sanctæ regulæ contemtor fuerit, vel in eam « graviter deliquerit, ab Alpensi usque quartum admoneatur : si se non emendaverit, « in Alpense capitulum invitetur, ejusque causa honeste tractetur. Si vero talis sit causa, « quæ non possit emendari ; tunc demum abbatis & ecclesiæ Molismensis judicio re- « servetur. Porro in temporalibus neutra alteri ecclesia ullam exactionem imponet. « Quod si domnus David Balernensis abbas, forte hoc judicio non contentus, abba- « tiam suam relinquere voluerit, libere ad Molismensem, vel, si maluerit, ad Alpen- « sem ecclesiam, non ad aliam, se recipiet. Actum in capitulo Molismensi anno ab incarnatione Domini M C X. indictione III. agente domno Rotberto, primo ejusdem loci abbate, præsente domno Lamberto Pultariensi. Testes Willelmus prior Molismensis, Girbaudus subprior claustralis, Teobaudus cantor, Walterius secretarius, Richerius camerarius, Rotbertus cellerarius, & totus conventus, pusilli & magni. His litteris, quas integras in Appendice videre licet, apposita sunt signa Widonis abbatis Alpensis, & Andreæ monachi ejus ; David abbatis Balernensis, & Stephani ejus monachi. Utrique postmodum, id est Alpenses & Balernenses, Cisterciensibus se adjunxerunt.

[a] lib. 69. n. 73.

C. Rotbertus abbas obit.

Hoc unum ex postremis factis est venerabilis Rotberti Molismensis abbatis, qui non diu supervixit. Optaremus ut præmisso instrumento cum anno incarnationis appositus fuisset dies, qui conducere potuisset ad statuendum ipsius Rotberti obitus annum, de quo lis est inter recentiores, quorum alii crasso errore anno M XCVIII. quo novum Cistercii monasterium instituit ; alii aliis annis eum reponunt. At certum videtur eum hoc anno decessisse, ut in veteri chronico Molismensi legitur. Et quidem Wido ejus successor in quibusdam instrumentis anno M C XII. notatur. De die quoque Rotberti obitus non una est omnium sententia. Plerique veterum, etiam Molismenses, ejus obitum collocant III. kal. Maii : at Cistercienses, quibus consenrit pervetus necrologium Benignianum, præferunt XV. kal. ejusdem mensis. Huic sententiæ favet liber de ejus vita in codice Cisterciensi, in quo ita legitur : *Anno ergo ætatis suæ octogesimo tertio, decimo-quinto kalendas Maii, corpus terræ reddidit, spiritum vero ad Deum, cujus servitio indefessus adhæserat, terra plorante, cælo gaudente, remisit.*

ANN. CHR. 1110.

Ex quibus verbis nascitur alia difficultas de ætate Rotberti, cui chronicon, aliaque monumenta Molismeusia annos ætatis nonaginta tres tribuunt, non tantum octoginta-tres, ut codex Cisterciensis. tametsi nonnihil veri similior forte videri potest sententia posterior, secundnm qnam Rotbertus anuos tantum septuagiuta habuisset, cum Cisterciense institutum aggressus est, quæ ætas suscipiendo tam arduo proposito habilior est quam alia. Quamquam naturæ vires superat ardens etiam in effeto corpore divinæ gratiæ virtus. Sane in chronico Molismensi natus dicitur Rotbertus anno MXVIII. & anno MCX. obiisse, postquam Molismense monasterium re-» xisset triginta-quinque annis cum octodecim hebdomadibus & tribus diebus, sub » quo frater Gaufridus abbas fuit uno anno, dum ipse Rotbertus Cistercii moraretur: » quo revertente, cessit Gaufridns, nec multo post Molismi piissime obiit. Sepultus est honorifice Rotbertus abbas in ecclesia beatissimæ Virginis, quam ipse condiderat, multisque miraculis claruit. quibus cognitis, Honorius III. eum in sanctorum catalogum retulit. quo tempore anonymus quidam, præcipiente Molismensi abbate Odone, ejus nominis secundo, libellum de sancti Rotberti vita & miraculis composuit.

CI. Wido ejus successor. a *supra n. 99.*

In Rotberti locum electus est Wido seu Guido, monachus, ut veri simile est, Molismensis, uisi is sit Wido, quem Alpensis monasterii abbatem fuisse superius [a] vidimus. Certe mirum fuerit, si Wido tunc Molismi erat mouachus, eum non fuisse unum ex illis præcipuis monachis, qui superiori Alpensium & Balernensium concordiæ subscripti sunt. Sed id parum interest, quando quidem Wido Alpensis abbas ex Molismensi & ipse monasterio assumtus fuisse videtur.

Rotberto episcopo dat monasticum habitum. b *Spicil. to. 2. p. 642.*

Initio præfecturæ Wido Molismensis Rotberto Lingonensi episcopo, e regia Burgundiæ ducum stirpe nato, habitum monasticum imposuit. Rem sic narrat chronographus [b] Besuensis. Cum multis auuis Rotbertus Lingonensem ecclesiam rexisset, gravissimo correptus morbo apud Castellionem, abbates suos, Stephanum Besuensem, Widonem Molismensem, item Widonem Tornodorensem, accersiri jussit, iisque præsentibus humiliter coram Deo se reum confessus, venia peccatorum petita, a domno Widone abbate Molismensi monasticum habitum suscepit: nec multo post, sumto corporis Christi Domini viatico, decessit, nimirum XIV. kal. Novembris, sepultusque est in capitulo monasterii Molismensis, cui multa beneficia contulerat. Substitutus in ejus locum Jocerannus. Rotberti episcopi exsequiis interfuit Beatrix ejus soror, conjux Widonis domini de Wangionis-rivo*, deditque [c] Molismensi ecclesiæ pro anima fratris sui duas ecclesias, scilicet sancti Marcelli de Monte-Lasconis, & sancti Desiderii de Monte-Leulsi. Testis inter alios *Josserannus Lingonensis ecclesiæ electus.* Rotberti episcopi obitum hoc anno reponit Vignerius, ex quo consequens est, Rotberti abbatis eodem anno contigisse. Exstat Ivonis epistola [d] ad Guidonem abbatem Molismensem, qui ipsum cousuluerat de quodam monacho, qui vera celando, & falsa profitendo, sacerdos ordinatus fuerat. quem Ivo censet ob vitam in melius mutatam licite posse sacerdotale ministerium exercere: quia *mutata intentione, quod deerat integritati sacerdotali, ei gratia divina contulit*, & *sanctitati sacramenti novitatem vitæ addidit.*

* *Vignory.* c *Gall. christ. to. 2. fol. 659. verso.*

d *Ivo ep. 224.*

CII. Stephani Cistercii abbatis memorabile factum. e *Exord. mag. lib. 1. c. 23.*

Interim, ingruente per hos annos, ut ex Clario monacho, aliisque discimus, terræ sterilitate, Cisterciensis familia, jam ceusu teuuis, ad extremam inopiam redacta est. Huic incommodo ut occurreret venerabilis abbas Stephanns, cum nihil ei suppeteret, quo fratrum vitam sustentaret, duos asinos [e] sterni præcepit. uno conscenso, alterum fratri converso conscendendum dedit, eique præcepit, ut in proximo vico panem ostiatim mendicaret, quod in Ordine insolitum, nec nisi semel actum, dum ipse in alio idem faceret. In reditu cum saccum conversi suo multo pleniorem adver-» tisset, subridendo sciscitatur, nbi tantum annonæ collegisset? tum conversus: Pres-» byter, inquit ille, quem tu nosti, sacculum meum implevit. quo audito, pius abbas ingemuit, & conversum increpuit, quod a tali presbytero, qui simoniace ordi-» natus fuerat, aliquid accepisset, utpote rapina comparatum. Absit vero, ait, ut vel » tantillum ex eo degustemus, & peccatum illius edendo in nos convertamus. Mox convocatis, qui non longe erant, ovium pastoribus, conversi sacculnm in eos effudit. Insigne hoc factum Albericus & Vincentius Bellovacensis præter alios retulere. Nec dubium, quin servis suis Deus alio modo providerit. quod alio tempore accidit ipso die pentecostes. Tunc enim, cum fratribus [f] sufficientes panes domi non suppeterent,

f *ibid. lib. 1. c. 31.*

nihilo minus *fratres vehementer exhilarati, tamquam si de ipsa paupertate sua, quam propter Deum sustinebant, saginarentur, missam tante sollemnitatis cum summa devotione, in jubilo cordis, cantare cœperunt*, quod alii, minori fide & fervore prædití, in angustiis cordis præstitissent. Nec defuit tantæ fidei sua merces. nam necdum finita missa, e promtuariis gratiæ Dei largam benedictionem repente, unde non sperabant, sibi transmissam cum multa gratiarum actione susceperunt. Sed ecce tibi aliud eximiæ fidei in Stephano exemplum. Cum aliquando ad magnas penuriæ angustias redacta esset domus Cisterciensis, ita ut fratres fame, frigore, aliisque necessitatibus periclitarentur; uni e fratribus præcepit abbas, ut iret ad proximas nundinas Vezeliacenses, ibique compararet quadraginta-tres quadrigas, easque pannis & alimentis, aliisque rebus necessariis onustas Cistercium adveheret. Obsequor, ait ille, si modo pretium mihi suppedites. Sed, Vade, inquit plenus fide & confidentia sanctus abbas, habeasque pro certo, Deum tibi adfuturum. Ivit quo jussus erat vacuis manibus bonus frater, & Vezeliaci a quodam viro fideli & timorato exceptus hospitio, sciscitanti sui itineris causam & fratrum extremam necessitatem exposuit. Mox bonus ille hospes homini locupletissimo, affini suo, gravi morbo decumbenti, qui res suas in pauperes erogabat, fratrum angustias suggessit, quibus ille sufficientem pecuniam ad quadrigas, omniaque necessaria comparanda suppeditavit. quo intellecto, Stephanus ordinata sollemni processione in vestibus sacris cum pastorali virga usque ad portam revertenti fratri occurrit, & liberalem illam eleemosynam, non tamquam ab homine, sed ab ipso Deo missam, cum multa gratiarum actione suscepit.

ANN. CHR. 1110.

CIII. Bernardi corporis & animæ dotes & pericula.

Jam Bernardo Tescelini filio adolescente, crescebant simul cum ætate tum animi, tum corporis gratiæ & dotes: sed neutræ sine periculo. Inerat illi cum eleganti corpore liberalis facies, mores suavissimi, acre ingenium, gratum eloquium, omnia denique ad placendum composita. Hinc, veluti sæculum ingredienti plures se viæ sæculi offerebant, & magnæ undique spes arridere videbantur. Ad hæc obsidebant benignum adolescentis animum sodales moribus dissimiles, amicitiæ procellosæ, similem sibi facere gestientes. Sic non deerant laquei tentationum, quos humani generis fraudulentus hostis in ejus via spargebat, ut ejus animum ab amore castitatis, quæ cordi ejus inhæserat, irretiret. Forte aliquando curiosius spectando, defixos in quamdam mulierem oculos aliquamdiu tenuerat: at mox ad se reversus, tantopere in se ipsum severissimus vindex exarsit, ut in stagnum rigens usque ad collum se immerserit, & in eo perstiterit fere usque ad exanimationem, dum carnalis concupiscentiæ calor penitus in eo refrixisset. quo ex tempore pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine. Notum est quid illi acciderit in domo impudicæ illius hospitæ, quæ incomparabilem ei thesaurum auferre non semel tentavit.

CIV. Hinc mundum fugere cogitat.

Inter hæc animo reputans generosus adolescens, non esse tutum inter tot laqueos assidue versari, fugam meditari cœpit. Videbat mundum ejusque principem exterius sibi multa offerentem, magnas in speciem res, spes majores, sed fallaces omnes & vanas. Veritatem vero ipsam interius jugiter audiebat, interius clamantem, ad se ut veniret, & super se jugum suum tolleret, animæ requiem inventurus. Hinc sæculum penitus relinquere deliberans, cœpit inquirere & investigare, ubi certius ac purius inveniret animæ suæ requiem sub jugo Christi. Hæc animo agitanti occurrit nova Cistercii institutio, sed maxime ardua, ad quam nulli fere conversionis gratia declinabant ob nimiam vitæ austeritatem. Sed, ut erat acrioris & generosi animi, quod alios deterrebat, id ipsum ejus desiderium magis inflammabat. Illuc itaque intentionem suam defixit, ibi se posse omnino delitescere existimans, & abscondi in abscondito faciei Dei ab omni conturbatione hominum, & sæculi vanitate. Verum, ubi ejus consilium adverterunt fratres sui & propinqui, nihil non tentarunt, ut eum ab hoc proposito averterent, & ejus animum diverterent ad studium litterarum. parumque abfuit, ut ipse postea confessus est, quin ipsius propositum saltem retardaverint. Sed importune, immo opportune ejus animo instabat matris ejus sanctæ memoria, conquerentis & improperantis, se non eum ad ejusmodi nugas tam tenere educasse, non ea spe erudiisse. Demum cum aliquando ad fratres pergeret, in obsidione castri Granceii * cum duce Burgundiæ constitutos, cum has cogitationes anxie animo versaret, in ecclesiam, quæ in itinere occurrit, ingressus, Deum precatus est cum multo imbre lacrymarum, expansis in cælum manibus, & ef-

* Grancey.

ANN. CHR. 1110.

fuso instar aquæ corde suo ante conspectum Domini: & ex illa die ejus propositum penitus firmatum est.

CV. Guigo Cartusiæ prior quintus.

Opportune hoc loco agendum occurrit de Bernardi eximio amico, Guigone scilicet majoris Cartusiæ priore quinto, qui hoc anno Johanni Tusco in illo munere successit, ab exordio [a] Cartusiæ vicesimo-quinto. Is in castro S. Romani, diœcesis Valentinensis, claris parentibus ortus, litteris sæcularibus & divinis apprime eruditus, ut ejus lucubrationes testantur, primus Cartusiensis propositi institutiones scripto digessit, & exemplo monstravit. Sub eo multum incrementi accepit sacrum illud institutum, ut testatur domus Portarum, Excubiarum, Durbonis, Silvæ-majoris, Alvariæ, & domus Montis-Dei, quæ penultimo ejus vitæ anno condita est, fundum suppeditante venerabili Odone abbate sancti Remigii Remensis. Domus quoque Portarum Ambroniacensibus nostris originem suam acceptam refert. Idem Guigo Cartusiæ ædificia fere omnia vel renovavit, vel de novo construxit. Libris quoque authenticis perquirendis, scribendis, & emendandis studium indefessum adhibuit. Ad hæc librum de vita sancti Hugonis Gratianopolitani episcopi jussu Innocentii II. papæ composuit, necnon Meditationes & epistolas, quas in Appendice sancti Bernardi operum videre licet.

a Labbe bibl. to. 1. p. 639.

Statutorum ejus specimen.

Ut quamdam Guigonis statutorum, adeoque primarii Cartusiensis instituti notitiam habeamus, præcipua ex eis capita in specimen hoc loco exhibenda videntur, servato ordine, quem in Guigonis compilatione tenent. Quolibet sabbato [b] fratres „ post nonam in claustrum conveniunt, ut lectiones & cetera necessaria recolant. Et „ quia tota hebdomada, inquit Guigo, in cellis silentium tenemus, peccata nostra „ priori, vel quibus ab eo injunctum est, confitemur. Dominica post primam tenetur capitulum. Inde fratribus ad cellas redeuntibus, statim signum missæ pulsatur, „ si sacerdos vel sacerdotes rationabili de causa tunc non impediti sint: alias post tertiam differtur. quod spatium, quantum infirmitas permittit, spiritualibus profectibus tribuitur. Post nonam in claustrum conveniunt, de utilibus locuturi. In hoc „ spatio incaustum, pergamenum & pennas, cretam & libros, seu legendos, seu transcribendos a sacrista, a coquinario autem legumina, sal & cetera hujusmodi petunt „ & accipiunt. Post cænam singulas *tortas*, tamquam Christi mendici, accipiunt, mox„ que cellas repetunt. Idem fere in aliis festis.

b Stat. c. 7.

c cap. 9. „ Sexies per annum raduntur [c] fratres servato silentio, scilicet in vigiliis paschæ, „ pentecostes, assumtionis, omnium sanctorum, natalis Domini & in capite jejunii. In „ vigiliis beatorum Jacobi, Laurentii, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, atque „ Andreæ, semel quidem reficiunt, sed coquinam faciunt, missasque non cantant. „ In ceteris duodecim lectionum festis, quibus capitulum non dicunt, nec missam „ dicunt: in vigilia tantum post nonam in claustrum conveniunt.

d cap. 10. „ In chorum hospites [d] tantum religiosi introducuntur, cum quibus in claustro „ communem licet habere sermonem.

e cap. 11. „ Cum frater ægrotus [e] morti propinquare videbitur, congregatur conventus ad „ eum visitandum, & dicit sacerdos, *Pax huic domui* &c. spargens aquam sanctam. Tunc „ ægrotus confitetur peccata sua, & post absolutionem dicit idem sacerdos, *Salvum* „ *fac servum tuum* &c. Deinde dicitur psalmus *Domine ne in furore* primus, quo finito „ inungitur visus, dicendo, *Per istam unctionem* &c. atque ita post singulos psalmos „ pœnitentiales fiunt singulæ unctiones. Postea tergitur os ægroti, & ab omnibus „ tamquam profecturus osculum accipit, tum communicat, cantantibus qui adsunt,

f cap. 13. „ *Hoc corpus* &c. Cum jam mori [f] videbitur, ab eis qui ei serviunt signo dato, postposita omni occupatione accurrunt omnes, nisi cum divinum in ecclesia officium contigerit celebrari. Tunc enim prior, vel cui ipse injunxerit, cum duobus aut tribus „ ad morientem festinat, depositoque super benedictum cinerem, litaniam, prout res

g cap. 14. „ patitur, longam vel brevem facit. Eo die quo defunctus [g] sepelitur, cellas fratres tenere non coguntur, & consolationis gratia bis (nisi præcipuum jejunium fuerit) „ simul vescuntur. Per singulas hebdomadas tam pro benefactoribus, quam pro omnibus hujus loci habitatoribus, & universaliter pro cunctis fidelibus defunctis ab „ hebdomadario, æstate ante primam, hieme post, missa una cantatur. Raro quippe, „ ait Guigo, hic missa canitur: quoniam præcipue studium & propositum nostrum est „ silentio studere, & solitudini cellæ vacare.... Nihil enim laboriosius in exercitiis „ disciplinæ regularis arbitramur, quam silentium solitudinis & quietem. Unde &

beatus Augustinus dicit, Amicis hujus mundi nihil esse laboriosius, quam non laborare.

Pueros [a], ait idem Guigo, sive adolescentulos non recipimus, quia per eos monasteriis multa contigisse dolemus & magna, spiritualia simul & corporalia pericula formidantes: sed viros, qui, juxta præceptum per manum domini Moysi, viginti ad minus annorum, sacra possint ad bella procedere.

Libros [b], tamquam sempiternum animarum nostrarum cibum, cautissime custodiri, & studiosissime volumus fieri: ut quia ore non possumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros scribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur.

Ad lectos [c] post matutinas nullo reditur tempore... A tertia usque ad sextam hieme, & a prima usque ad tertiam æstate manuum deputatur operibus: quæ tamen opera brevibus orationibus vult interrumpi. Quod nonam vesperasque disterminat, manualibus occupatur operibus, semperque in operando ad breves & quasi jaculatas licet orationes recurrere. Post completorium, oratione dominica finita, statim decumbitur: nec monentur solum, sed jubentur horis ad quietem deputatis dormitationi impendere, quo temporibus ceteris alacriter vigilare possint. Generaliter in ecclesia matutinas & vesperas, in cellis vero semper completorium dicunt.

Cum soli [d] degant, signis, ut fit in cœnobiis, aut paucis, aut nullis utuntur, solam ad loquendum linguam sufficere putantes. ideoque si qua necessaria dicenda, paucissimis verbis dicunt.

Secunda, quarta, & sexta [e] feria pane & aqua, & sale, si cui placet, contenti sunt: feria tertia, quinta & sabbato legumina vel aliquid ejusmodi sibi ipsi coquunt. A coquinario vinum accipiunt, & feria quinta caseum vel aliquid cibi lautioris accipientes. Ab idibus Septembris usque ad pascha, exceptis sollemnitatibus, nonnisi semel manducant: a pascha vero usque ad prædictum terminum, tertia & quinta feria, necnon sabbato iterato reficiunt. Ad cænam vel ad prandium, cum semel edunt, herbas crudas vel fructus, si adsint, accipiunt. quæ apud se retinentes, quamdiu sufficiunt, alia ejusdem generis non accipiunt. De caseo vero seu piscibus aut ovis, vel si quid ejusmodi, quæ *pitancias* vocant, semel sumunt, quod superest reddunt: quod autem panis & vini superest, sabbato reddunt. Cum in refectorio reficiunt, caseus, vel aliqua ejusmodi pitantia, oleribus vel leguminibus superadditur. & in cæna vel fructus, vel herbæ crudæ apponuntur. In adventu nec ovis, nec caseo utuntur.

Vino [f] puro non utuntur: panis, quamvis sit de tritico, *torta* est. album enim panem non faciunt.

Licet multa [g] sint quæ observant, uno tamen & solo obedientiæ bono cuncta sibi fructuose futura sperant.

Pro episcopis [h] & abbatibus & cunctis in religioso habitu constitutis, (tales enim a priore ad mensam admittuntur) si hora refectionis venerint, jejunium ab eodem, nisi sit præcipuum, solvitur. Gyrovagi, vel a religione refugæ, vel laïci, ad ejus mensam admitti non solent. In superiori domo nonnisi religiosi hospites jacere consueverunt.

Si quid magnum vel grave tractandum [i] fuerit, prior omnes in unum convocat, ibique, cum omnes quod sentiant dixerint, quod melius rectiusque existimat, exsequitur.

Medicinis [k], excepto cauterio & minutione sanguinis, perraro utuntur. Minutio autem fit quinquies quolibet anno, scilicet post octavas paschæ, post festum apostolorum Petri & Pauli, secunda hebdomada Septembris, septimana ante adventum, & hebdomada ante quinquagesimam. quo tempore per tres continuos dies bis reficiunt, aliquid cibi melioris accipientes; primaque die, ne quid adversi ex minutionis occasione contingat, ad colloquium refecti conveniunt: post prandium etiam vinum bibendi licentiam habent, & in cæna tria ova accipiunt. Qui non [l] minuitur, eamdem, quam minuti, compellitur accipere refectionem. Propter infirmiores pisces emi solent.

Ornamenta [m] aurea vel argentea, præter calicem & calamum, quo sanguis Domini sumitur, in ecclesia non habent. Abstinentias [n], vel disciplinas, vel vigilias, vel qualibet alia insolita religionis exercitia nulli absque nutu prioris facere licet.

[a] cap. 27. [b] cap. 28. [c] cap. 29. [d] cap. 31. [e] cap. 33. [f] cap. 34. [g] cap. 35. [h] cap. 36. [i] cap. 37. [k] cap. 38. [l] cap. 54. [m] cap. 40. [n] cap. 35.

ANN. CHR. 1110.

a cap. 45. b cap. 65. c cap. 77. d cap. 78.

» Fratribus laicis [a] permittitur signis uti. Hi in [b] adventu & quadragesima singuli
» singulas accipiunt disciplinas, si domi sint, alias, septies pro disciplina *Pater noster*
» cum veniis dicunt,

» Fugitivi [c] vel pulsi, si resipiscentes redierint, admitti possunt, & ad probatio-
» nem humilitatis in ultimo recipiuntur loco: sin autem, datur eis licentia ad ali-
» quam aliam transeundi domum, in qua suam possint animam salvare.

» Numerus [d] habitatorum illius eremi, monachorum quidem tredecim: laïcorum
» autem, quos conversos vocant, sexdecim statutus est.

Hæc de statutis Guigonis, in quibus nihil legere memini de carnium esu infirmis interdicto: at in statutis, quæ Rufferius anno M CC LIX. compilavit, hæc de infirmis leguntur cap. XLIV. *Esus carnium, cui Ordo renuntiavit, nulli nostrum conceditur, etiamsi sit leprosus.* & in capite XLVI. de visitatione ægroti. *Porro si ea die infirmus non communicavit*, (quod notandum) *portat sacerdos corpus Domini, quod, quanto securius poterit, ad infirmum deferatur; & calicem argenteum habeat, qui poterit, ad eum communicandum. Portatur etiam vinum & aqua, & præparatur cinis benedicendus.* In tertia collectione Statutorum Francisci de Puteo prohibetur, ne infirmus morti proximus ponatur super benedictum cinerem, *propter periculum accelerandæ mortis.* Hæc satis superque satis de Cartusiensium statutis, quæ cum non cuivis obvia sint, paullo fusius referre visum est. Eorum præclarum compendium retulit Petrus [e] Venerabilis, ubi eorum modestiam [f] in occultandis suorum miraculis commendat. Venio ad res Cluniacenses.

e Pet. Ven. lib. 2. mirac. c. 28. f ibid. c. 29.

CVI. Cluniaco restituta ecclesia S. Columbæ. g Bibl. Clun. p. 578.

Cum jam Cluniacensi monasterio præesset Pontius abbas, Amelius Tolosanus episcopus, pro antiqua [g] necessitudine, quæ inter ecclesiam suam & Cluniacensem intercedebat, & pro sincera, vereque germana amicitia, quam cum prædicto abbate habebat; cupiens insuper particeps fieri Cluniacensis fraternitatis in cunctis eorum benefactis, ecclesiam sanctæ Columbæ, in Tolosano sitam, & quidem in territorio Cercorbensi juxta fluvium *Herz*, Cluniaco restituit in manu Pontii abbatis. Sed & ipsius Amelii frater Raimundus, & uxor ejus Adila, *quæ prædicti abbatis soror erat*, quidquid de bonis illius ecclesiæ habebant, reddiderunt, simulque filium suum puerum Willelmum nomine, in Cluniaco futurum monachum, donaverunt. His litteris adscripta sunt signa Raimundi Auscioram archiepiscopi, Isarni Frigidileosis prioris, Bernardi-Attonis vicecomitis, & aliorum. Actum apud sanctam Eulaliam prope Carcassonam, anno ab incarnatione Domini M C X.

Consiaco datæ ecclesiæ. * Coincy.

Heinrico Suessionum episcopo mortuo, & in cella Cluniacensis Ordinis Consiaco * sepulto, suffectus est Lisiardus præpositus, qui hoc anno, episcopatus sui primo, amorem suum in Cluniacenses, & in cellam suæ diœcesis Consiacum testatus est, professus se,
» cum religiosos omnes diligeret, familiarius tamen complecti & quasi in visceribus
» gestare veros Dei cultores monachos Cluniacenses, tam eos, qui in illo excellen-
» tissimo loco, ut vere castris Dei, conjuncti, & quasi densata acie contra hostes in-
» visibiles consistunt; quam eos, qui extra, ut de terrenis spiritualia lucra reportent,
» directi sunt. Quapropter se pleno affectu amare fratres suos monachos apud Con-
» siacum in suo episcopatu manentes; ob idque se religioso viro Wichero, eorum
» priori, facultatem dedisse, & persuasisse, ut quædam altaria, multis temporibus a
» laïcis indigne possessa, liberaret, & ad ecclesiasticam possessionem & usum Deo ser-
» vientium reduceret. quod ille de quibusdam præstiterit, quæ Lisiardus ei confirmat. *Actum Suessionis anno incarnationis* M C X. *episcopatus domni Lisiardi primo*, XVI. *kal. Aprilis, indictione* III. adeoque non ante annum præcedentem M C IX. Heinrico episcopo Lisiardus successit.

CVII. Guibertus Lisiardo gesta Dei per Francos dicat.

Idem Lisiardus in Novigentensem quoque abbatiam se beneficum præbuit, ut intelligimus ex Guiberto abbate, qui libros octo de gestis Dei per Francos, a se compositos, Lisiardo episcopo, utpote *perpetuo suæ liberalitati debitor*, dicavit. In epistola prævia eum laudat, quod ejus *vetustissimæ nobilitati scientia litteralis, serenitas specialis, modestiaque moralis accederet.* Hanc autem historiam composuit Guibertus tum ex quodam libro impolite scripto, tum ex aliorum relatu, qui rebus gestis interfuerant. In libri primi capite quinto refert Alexii CP. imperatoris epistolam ad Rotbertum seniorem Flandriæ comitem, in qua inter cetera scribit, apud se sancti Johannis-Baptistæ caput haberi, etiam tunc capillis & cute insignitum. quo ex loco Guibertus vellicat Angeriacenses, qui ejusdem sancti Johannis caput

se habere gloriabantur. *Et considerandus etiam*, inquit, *sub hac occasione plurimus quidem, sed non perniciosus error, qui Gallicanas præcipue de sanctorum corporibus obsedit ecclesias: istis illum, illis eumdem, seu martyrem seu confessorem, se habere jactantibus, cum duo loca non valeat occupare integer unus. quod totum contentionis malum inde sumit originem, quod sancti non permittuntur habere debita & immutabilis sepulturæ quietem. Et plane ex pietate descendisse non ambigo, quod eorum corpora argento cooperiantur & auro: sed jam evidenti & nimium turpi avaritiæ militant & ossium ostensiones, & feretrorum ad pecunias corrogandas circumlationes, quæ omnia desivissent, si eorum, ut ipsius domini Jesu, forti opposito obice, immobili clauderentur membra sepulcro.* Verum id genus argumenti fuse & data opera pertractat idem Guibertus in quatuor libris de pignoribus sanctorum, quos Odoni sancti Symphoriani apud Bellovacos abbati inscripsit. Prædictum opus de expeditione Jerosolymitana composuerat Guibertus ante annum MCXII. ante necem scilicet Galdrici Laudunensis episcopi, qui cum illud videre gestiisset, eique allatum fuisset, *tantopere exosum habuit*, ut scribit Guibertus [a] ipse, quoniam Lisiardi Suessionum episcopi nomine procemium insignitum erat, ut deinceps illud legere non dignatus sit, etsi cetera Guiberti opuscula plurimi faceret. Ad hæc tractatum contra Judæos composuit, & Bernardo Suessionis ecclesiæ decano dicavit, qua de re inferius.

a Guib. lib. 3. de vita sua c. 11.

Lisiardi quædam scripta.

Hariulfus, ex monacho Centulensi, Aldenborgensis in Flandria abbas, librum de vita sancti Arnulfi episcopi Suessionensis nuncupavit prædicto Lisiardo episcopo, qui librum de miraculis ipsius sancti Arnulfi composuit, non ipsam vitam, quam fortasse recognovit.

CVIII. S. Angilberti miracula & canonizatio.

Centulensi monasterio jam a tredecim annis præerat Anscherus abbas, cum de Angilberto abbate in sanctorum classem referendo cogitare cœpit, instaurandisque beatæ Mariæ & sancti Benedicti oratoriis & opidi muris animum adjecit. Jam semel & iterum mutata fuerat Angilberti sepultura, qui in limine basilicæ Salvatoris humilitatis causa humari voluerat, ut ab ingredientibus in eam calcaretur. Post octodecim annos Ribbodo abbas, non ferens viri sancti corpus eo in loco diutius jacere, illud integrum repertum e tumulo levavit, & in ipsam basilicam intulit.

Elapsis dein ducentis amplius annis, cum locus ubi quiescebat ignoraretur, eum sollicite perquisivit Gervinus abbas, tandemque invenit, sanctique viri memoriam celebrari instituit. Verum Anscherus abbas, visis miraculis, quæ ad ejus tumulum fiebant, venerabilem Godefridum Ambianorum episcopum, ut eorum testis esset, illuc invitavit. Præmissus ejus rei testis Ingutio laudabilis vitæ sacerdos: tum Godefridus ipse adfuit: ac demum Anscherus librum de Angilberti vita Paschali papæ, tum librum de miraculis, a se compositum, Radulfo metropolitano hoc anno obtulit: sicque factum est, ut Angilbertus in sanctorum classem relatus sit, ejusque depositionis festus dies deinceps xv. kal. Martii celebratus, translatio vero nonis Novembris, prima scilicet, quæ a Ribbodone abbate facta est.

CIX. Guillelmus Rotomagi archiepiscopus obit.

Hoc ipso anno Guillelmus Rotomagensis archiepiscopus, ex monacho Beccensi abbas olim Cadomensis, cum Rotomagensem ecclesiam annis triginta-duobus recte administrasset, naturæ debitum solvit v. idus Februarii, sepultusque est in capitulo canonicorum, quod ipse cum claustro construxerat. Ejus epitaphium pro tempore insigne retulit Ordericus [b] in hunc modum.

b Orderic. lib. 11. p. 839.

Religio tua, larga manus, meditatio sancta,
Nos, Guillelme, tuum flere monent obitum.
Quod pius antistes fueris, clerique benignus,
Interiora docent, exteriora probant.
Ecclesiæ lumen, decus, & defensio cleri,
Circumspectus eras, promptus ad omne bonum.
Fratribus hanc ædem cum claustro composuisti:
Nec tua pauperibus janua clausa fuit.
Contulit ad victum tua magnificentia fratrum
Ecclesias, decimas, rura, tributa, domos.
Exemploque tuo subjectos edocuisti
Verba pudenda loqui, turpia facta sequi.
Fine bono felix biduo ter solveris ante,
Quam pisces solis consequeretur iter.

ANN. CHR. 1110.

Subrogatus in ejus locum Goiffredus seu Gaufridus Brito, Cenomannorum decanus, cui post septemdecim regiminis annos successit Hugo Radingensis abbas, ut suo loco dicturi sumus.

CX. Servis monachorum testificandi potestas asserta.

Moris erat per id tempus, ut in causis monachorum servi eorum testificandi & duello rem dirimendi potestatem haberent. Id cum infra se reputarent liberi homines, indignum rati cum servis decertare, eorumque pro dominis testimonium & sacramentum recipere; complura diplomata Ludovicus Crassus edidit ad asserendam monachis hanc facultatem. Unum est pro sancto Martino de Campis[a] hoc anno datum *pridie nonas Februarii, anno unctionis Ludovici regis secundo*. Alterum pro Fossatensi monasterio[b] post octo annos obtinuit Theobaldus abbas, iisdem omnino verbis conceptum. Non dubito quin aliis quoque ecclesiis consimilia privilegia concessa fuerint, quale fuit illud, quod Gaufridus II. episcopus[c] Carnutensis ecclesiæ suæ obtinuit. Id ea ratione fiebat, quod monachi non modo decertare, sed etiam jurare sibi non licere tum existimabant. quapropter in suis causis, ubi res exigebat, servos seu subditos suos pro se pugiles & juratores adhibebant.

a *Hist. S. Martini, p. 22.*
b *Analect. to. 2. p. 563.*
c *ibid. p. 561.*

Diogili cella.

Exstat in pago Parisiacensi in valle Montis-Maurenciaci cella sancti Eugenii de Diogilo[*] seu Duelio, Salmurensi sancti Florentii abbatiæ subjecta, cujus origo non omnino explorata. Prima ejus mentio nobis occurrit in diplomate Ludovici VI. hoc anno dato, quo ratam habet donationem eidem cellæ ab Herveo de Monte-Maurenciaco factam. Hic *monasterium de Duelio, atrium quoque & censum, & justitias hospitum in atrio commanentium, partes etiam decimæ, quas in ecclesia sancti Petri apud Gonessam de feodo Parisiensis episcopi obtinebat*; omnia, inquam, ista *monachis sancti Eugenii de Duelio*, perpetuo jure possidenda concessit. quod Burchardus Hervei filius regio diplomate confirmari curavit. Idem Burchardus *dominium & potestatem, quam habebat, ponendi presbyteros in ecclesia sancti Petri de Gonessa & in ecclesia sancti Marcelli de sancto Dionysio*, prædictis monachis contulit, probante Gualone Parisiorum episcopo cum suo capitulo, ejus episcopatus anno quinto. Hujus cellæ prior fuit hoc tempore Fulco, cujus exstat[d] epistola ad Petrum Abaëlardum, tunc sancti Dionysii monachum, quem super corporis ejus mutilatione consolatur. Eidem cellæ præfuit Daniel pontificatu Alexandri III. qui eidem cellæ apostolicæ sedis protectionem impertiit. Ex eodem loco oriundus erat Odo, de Diogilo cognominatus, monachus, dein abbas Dionysianus, qui librum de expeditione & profectione Ludovici VII. ad loca sancta composuit. Olim duodecim erant monachi in illa cella, quæ modo ad simplex beneficium, ut pleræque aliæ, quæ posteriorum temporum religio, redacta est.

* *Deuil.* al. *Dueil.*
d *Abael. oper. p. 217.*

CXI. Bernardus Tironensis monasterium construit.

Necdum biennio in loco, qui modo sanctæ Annæ[e] dicitur, cum suis substiterat Bernardus Tironiensis, cum illioc migrare coactus est ad vitandas rixas, quas ei Novigentenses monachi excitare moliebantur. Hinc venerabilem Ivonem episcopum adiit, ab eo petiturus alium proximum ad inhabitandum locum, qui ab ecclesia Carnutensi pendebat. Admissus in capitulum exposuit, se cum sua congregatione malle
» in beatæ Mariæ territorio, quam principis terreni degere. ideoque a canonicis sibi
» dari rogavit fundum unius aratri ad cœnobium ædificandum. quod illi perlibenter
» concesserunt ob quasdam visiones, quæ eis *ab nudiustertius*, ut ipsi aiunt, factæ fuerant.
Data Carnoti manu Wlgrini cancellarii III. *nonas Februarii, anno ab incarnatione* MCX. *regnante in Francia Ludovico-Philippi*. Hic fundus positus est super fluviolum Tironum infra Gardiensem parochiam, ut legitur in aliis Ivonis episcopi litteris, triennio post datis, quibus hanc donationem denuo cum suis canonicis confirmavit. Priores illius litteras hic in Appendice videre licet: posteriores Souchetus in notis ad vitam beati Bernardi vulgavit. Cum hunc locum obtinuisset Bernardus, Adela Blesensium comitissa eidem ampliorem, uberioremque fundum ad construendum alio in loco monasterium obtulit: at ille refutavit, *malens*, inquit Gaufridus vitæ scriptor, *cœnobii sui sedem locare sub patrocinio beatæ Mariæ Virginis*, Carnutensis ecclesiæ patronæ, *quam sub advocatione sæcularis cujusque personæ*. In illo itaque beatæ Mariæ fundo Bernardus monasterium ædificare cœpit *in honore Salvatoris*, ut scribit Ordericus; quod postmodum celeberrimum exstitit sub titulo sanctissimæ Trinitatis. Illic Bernardus *plures quam centum monachos insimul habuisse* dicitur in chronico Andegavensi, in quo monasterium in honorem sanctæ Mariæ constructum fuisse dicitur. Ut vero monachi illic degentes plena & integra pace & quiete fruerentur, ultro

e *V. supra n. 39.*

concessere

ANN. CHR. 1110.

"concessere in perpetuum canonici, ut ipsum monasterium, ejusque cellæ, domus & administrationes, præsentes & futuræ, atque in eis habitantes præsentes & futuri, subsint soli episcopo Carnotensi, non vero capitulo & canonicis; nec per alium, quam per Carnotensem episcopum jurisdictio spiritualis, sive civilis exerceatur: ea tamen conditione, ut episcopus abbatem Tironiensem ad synodum venire non compellat, & abbas, si quando veniat, primum post episcopum obtineat locum. Denique concedunt canonici, ut in omnibus suis dominiis prædia possent acquirere, & *in manu mortua* libere possidere." quod tamen postea certis conditionibus limitatum est.

CXII. Principum ac regum in eum beneficia.

Multa illic miracula patravit Bernardus, multisque futura prædixit, quorum unum est, quod Rotrocum comitem sæpe laudatum, a Fulcone Andegavorum comite, dein Jerosolymitanorum rege, Rotberto Belismensi inimico ejus traditum & in vincula conjectum, brevi liberandum ejus matri prædixit, ipsum autem Rotbertum captivum futurum. quod utrumque non multo post accidit. nam Rotrocus liber evasit, & Rotbertus ipsis, quæ Rotroco paraverat, vinculis jussu Heinrici regis in Angliam transportatus, usque ad diem mortis suæ perpetuo carcere constrictus est. quo ex tempore ea fuit Rotroci in Bernardum veneratio, ut ejus monitis vitam in melius reformaverit, & infinita ei beneficia contulerit. Beatrix vero ejus mater, comperta viri Dei sanctitate, relictis castri sui ædibus, Tironium se recepit, ibique quoad vixit habitavit, & ingentem basilicam multo sumtu ædificavit. Post ejus obitum Juliana ipsius filia, maternæ pietatis heres, eidem successit, & regularium ædificiorum non modicam partem consummavit.

Ex eo tempore Bernardi fama circumquaque diffusa est, ita ut etiam in Anglorum & Scottorum regiones penetraverit, omnesque eum videre optarent, aut saltem ejus discipulos apud se habere. Ex his unus fuit Heinricus rex Anglorum, duxque Nortmannorum, qui per Theobaldum Blesensium, & Rotrocum Perticensium comites, Bernardum ad se in Nortmanniam deduci rogavit, eumque honorificentissime excepit; tantoque in honore deinceps habuit, ut præter annuum censum quindecim marcarum argenti, eidem quinquagenas aut sexagenas alias persæpe transmiserit, & dormitorium regiis expensis construxerit. Sed & rex Francorum Ludovicus, eodem in virum Dei affectus animo, postquam cum eo colloquium habuit, prædium Cintriacum monasterio pro munere contulit. Bernardi quoque successoribus maximam exhibuit reverentiam, ita ut filios suos, Philippum ac Ludovicum, postea reges, ab eis *de sacro fonte* suscipi voluerit, multaque Tironiensibus beneficia contulerit.

CXIII. Monasteria Tironio subjecta. a *Gaufrid.* c. 52.

Denique universi fere principes plurima ei beneficia contulerunt, totque cellas in ejus discipulorum gratiam construxerunt, ut centum numeraret Gaufridus [a] ejus discipulus, cum res ab eo gestas scriberet. Neque vero tantum in Galliis accidit, sed & in exteris quoque regnis. nam Rotbertus quidam, vir nobilissimus, sanctum virum ab oceani partibus adiit, assumtisque secum duodecim ejus discipulis, in finibus Gallensium seu Wallensium, ad oram maris Hibernici juxta Tevi [*] fluvium primo quidem cellam, postmodum autem aliis totidem cum abbate impetratis cœnobium construxit. Quin etiam David dux Lothoniensium atque Northantoniensium, postea rex Scottorum, servi Dei sanctitatis fama ad se perlata, per internuntios non modicum ejus discipulorum cœtum ad se perduci curavit, eisque in Lothonia juxta Tuidam fluvium monasterium beatæ Mariæ de Catmeis seu Cameis ædificavit, quod amplis possessionibus ac redditibus dotavit. Neque hoc contentus, Bernardi videndi desiderio flagrans, ab arctois oris Tironium accessit. Sed quia beatus pater jam ad superos migraverat, eum videre non potuit. Verum, postquam ad ejus tumulum multa cum reverentia preces fudit, duodecim monachis cum abbate impetratis, ad sua reversus est. Hoc monasterium vocabatur beatæ Mariæ de Roca-burgo, diœcesis sancti Andreæ in Scotia. Præter has duas abbatias, in Gallia octo aliæ erant, de quibus inferius acturi sumus, præter plurimas cellas, quarum indicem apud Souchetum in notis ad vitam beati Bernardi videre licet. Ex his constabat congregatio, veluti quidam Ordo, cujus caput erat abbatia Tironiensis.

[*] *Tyvy.*

CXIV. Bonifacius abbas Conchensis, Petrus episcopus Pampilonensis.

Tunc temporis Bonifacius abbas regebat Conchense apud Rutenos monasterium, ex quo assumtus fuerat Petrus episcopus, qui Pampilonensi ecclesiæ eo tempore præsidebat. Utrumque discimus ex litteris [b] cujusdam Raimundi, qui hoc anno ecclesiam *de Fornils cum fevo presbyterali* & parte sua decimarum sanctæ Fidi donavit

[b] *Analect.* to. 3. p. 471.

ANN. CHR. 1110.

in manu Bonifacii abbatis pro salute animæ suæ & pro amore *Senioris* sui domni Petri Pampilonensis episcopi, de quo in litteris suis hæc præmittit; *quod domnus Dido de Andeca, offerens Deo & beatæ Fidi de Conchis unicum filium suum, nomine Petrum, postea per Dei gratiam factum Pampilonensem episcopum, etiam insuper cum uxore sua Stephana monasticum sumens habitum, dedit sancto Salvatori & sanctæ Fidi gloriosæ virgini locum & ecclesiam de Planeas pro remedio animæ suæ & omnium parentum suorum, in perpetuum possidendum.* Huic chartæ adscripta sunt signa domini Petri Pampilonensis episcopi, Guidonis nepotis ejus, & aliorum. *Facta charta anno ab incarnatione Domini* M C X. *regnante Ludovico rege Francorum.*

Lerinenses abbates & S. Eugendi.

Post mortem Pontii-Fortis Lerinensis abbatis, communi consensu electus est Petrus ejus nominis primus, qui lites cum Mansredo Antipolitano episcopo composuit, multaque beneficia accepit a Martino Ventimiliensi episcopo, & Imberto Glandatensi, aliisque nobilibus viris. Peracto administrationis suæ quinquennio mortuus, locum fecit Fulconi abbati, quem post annos quinque Petrus, eo nomine secundus, excepit.

Hoc ipso anno Wido Genevensis præsul venerabili Hunaldo abbati cœnobii sancti Eugendi litteras [a] inscripsit, quibus significat, se ad ejus postulationem ac domni Humberti præpositi, dictante caritate sui capituli, monasterio sancti Eugendi donare quasdam ecclesias, in his sancti Petri, & sancti Eusebii ecclesiam in villa Craciaco * sitam, aliasque jam datas confirmare, ecclesias videlicet Nividuni & alias. Has minutias persequi cogimur, ne de hisce nobilibus monasteriis omnino sileamus. Hunaldo abbati post biennium successit Ado.

a *Bibl. Sebus. p. 182.*
* *Croffien.*

CXV. Constantienses ad Rhenum episcopi.

Eodem anno Gebebardus Constantiæ ad Rhenum episcopus e nostris & sedis apostolicæ legatus, post multos pro ecclesia Dei exantlatos labores, præsertim adversus schismaticos, ad æternam, ut credere par est, requiem migravit pridie idus Novembris. Ejus successor Udalricus Theodericum Petri-domus abbatem ad Paschalem misit obtinendæ consecrarionis causa: sed eam impetrare non potuit ante Gelasii pontificatum, propterea quod episcopatus insignia a cæsare accepisset. Hic Brigantinum nostri Ordinis monasterium a comite Ruodulfo consanguineo suo fundatum consecravit. Ruodulfus iste Brigantiæ comes ingentes habuit rixas cum Udalrico II. Udalrici mox laudati successore, ob quasdam, ut tradunt, possessiones, quas S. Gebehardus episcopus Petri-Domus monasterio quondam contulerat. quibus rixis & consecutis inde injuriis tandem cessit Udalricus, & ad S. Blasii monasterium, annuente summo pontifice, se recepit.

CXVI. Bertholdus abbas Garstensis, ejusque pia opera.

Post annos circiter novem, quam monachi nostri Ordinis [b] in Garstense monasterium introducti fuerant, Wirundus prior in Formbacense asceterium assumtus est. Mox a Garstensibus & ab Otachero marchione in abbatem electus Bertholdus, quem loco Wirundi priorem apud Gotwicum constitutum fuisse superius diximus. Eo abbate Garstense monasterium mirum est quantum in spiritualibus & temporalibus accreverit. Principio Eberhardum, cujus in superioribus [c] mentio facta est, capellanum sibi assumsit, immo individuum in Dei opere socium & spiritualium laborum adjutorem. Abbas vero patrem se verbo & opere exhibebat: at severum magistrum experiebatur, quisquis patris clementia abutebatur. Cum necessaria fratribus & hospitibus extra claustrum abunde suppeditaret, ipse vix quidquam cibarii præter panem sumebat. Missam quotidie cum magna devotione celebrare consueverat. Somno parcissime, & quidem cuculla indutus, indulgebat. Exterorum confessionibus excipiendis intentus, omnibus absque personarum discrimine flagellationes imponebat. Fratribus extra monasterii septa progredi vix facultas concedebatur. Obedientiarum, ut vocant, & rerum exteriorum officia per illiteratos monachos & fratres barbatos disposita erant: litterati vero & sacris ordinibus sublimati divinis officiis addicti. Singulis obedientiis bini præerant fratres, tam propter testimonium, quam propter exemplum. Eximia erat ejus caritas in egenos, quibus per camerarium necessaria suppeditari curabat. Nihil enim ipse in marsupio *præter breves defunctorum* ferebat. Jusserat aliquando œconomo, ut cuidam pauperi tres denarios daret. Ille se non habere semel & iterum asseruit. Tum abbas sibi claves dari præcepit, & inventum est labrum plenum denariis, quod ille in flumen projici jussit, fratribus incassum causantibus denariorum jacturam. Camerarius dure increpitus, & amotus ab officio. Idem alias factum de panibus, & frater inobediens verberibus

b *lib. 70. n. 38.*
c *ibid.*

castigatus. Multa alia præclare facta de eo referuntur, quæ singillatim recensere non sinunt historiæ leges. Ex his unum est, quod in oratorio nihil umquam præter confessiones loquebatur; &, si quid cuivis dicendum erat, eum extra oratorium ducebat. Ea erat sacri loci reverentia, cujus exemplum utinam imitarentur omnes.

ANN CHR. 1110.

In hac Bertholdi vita duo laudantur Cremifanenses abbates, Adelramnus scilicet atque Oudalricus. Duo fuere Adelramni seu Alramni ejus loci abbates. Prior ab anno M C X. usque ad annum circiter M C XXII. Hunc Adelramnum, duobus abbatibus intermediis, præcessit Theodoricus de *Gozze* vocatus, & ab Altmanno Passaviensi episcopo institutus, qui collapsam [a] disciplinam ad normam Cluniacensium institutionum restituit, & ecclesiam cum regularibus ædificiis incendio deformatam instauravit. Ejus successores Huholdus & Bertholdus, nulla re gesta memorabiles, abbatis munus resignarunt Adelramno ejus nominis primo, qui necdum abbas, energumenam quamdam apud Garsten de Erchengero & Dietmaro monachis recens mortuis, deque eorum statu interrogasse dicitur. Adelramno subrogatus Hermannus, anno M C XXV. successores habuit Udalricos duos, & post eos Albertum, sub quo monasterium iterum conflagravit, dein Martinum & Adelramnum II. cui successit Udalricus seu Oudalricus III. beati Bertholdi Garstensis abbatis ex fratre nepos, & sub eo a puero apud Garsten educatus, qui pede ex lapsu sauciatus ad patrui sepulchrum sanatus est. Adelramno seniori abbate Heinricus ad regendum Admontense monasterium Cremifanio eductus est.

CXVII. Cremifanenses abbates.

a *Annal. Cremifan. p. 146. & seqq.*

Haud procul a Cremifanio distat Mellicium, cujus primum abbatem fuisse diximus [b] Sigiboldum. Hic post constitutam in recenti monasterio regularem disciplinam, animum deinceps convertit ad attendas ab eo exterorum injurias. Ad quod nihil efficacius esse duxit, quam ut apostolicæ sedis patrocinium implorans, Mellicense monasterium ipsi offerret commendaretque, ejus præsidio tegendum. Deprecatorem igitur agente apud Paschalem II. Leopoldo IV. piissimo Austriæ marchione, consentienteque Udalrico Pataviensi episcopo, in cujus parochia situm erat Mellicium, monasterium sub tutela apostolicæ sedis suscepit pontifex, concesso privilegio, quo prædia omnia, possessiones, ecclesias, decimas aliaque quæ hactenus « monasterium liberalitate principum aut fidelium, vel aliis justis modis acquisivisset, « aut deinceps acquirere posset, confirmat: data libera eligendi abbatis facultate, « qui a solo Romano pontifice *consecrari* posset, nec aliorum *circummanentium abbatum* « subire judicium cogi, nisi forte illorum qui ad sedis apostolicæ proprietatem per- « tinent, cum ecclesiasticæ necessitatis causa exegerit. Chrisma quidem, oleum san- « ctum, consecrationes altarium sive basilicarum, & ordinationes monachorum, qui « ad sacros ordines fuerint promovendi, a Pataviensi episcopo accipi debere, si qui- « dem gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & si ea gratis & sine « pravitate voluerit exhibere: alioquin licere iis catholicum quem maluerint antisti- « tem adire, & ab eo consecrationum sacramenta suscipere. Laïcos seu clericos sæcu- « lariter viventes ad conversionem suscipi, fideles que omnes, qui voluerint, in mona- « sterio sepeliri libere posse: cujus quidem monasterii advocati maneant Austriæ mar- « chiones. Ad indicium autem susceptæ a Romana ecclesia exemtionis, aureum « unum annis singulis Lateranensi palatio a Mellicensibus persolvendum esse. Hæc « fere summa privilegii Paschalis II. quod integrum refert Schrambius [c]. *Datum Laterani per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis, ac bibliothecarii*, XVI. *kal. Maii, indictione* III. *incarnationis dominicæ anno* M C X. *pontificatus autem domini Paschalis II. papæ. anno* XI. Idem privilegium a Callisto II. & Innocentio II. postea confirmari curavit Erchenfridus abbas Mellicensis.

Mellicio immunitas data.

b *lib. 67. n. 90.*

c *Chron. Mel. p. 11. & seqq.*

In veteri chronico Saxonico præpositura in Hildisleve in abbatiam hoc anno mutata dicitur, ubi primus ordinatus abbas Alvericus. Eodem anno Corbeïæ-novæ duo monachi, Hillinus & Liudigerus, unus Oltenslevæ, alter Reinsdorfii abbates creati. De Reinsdorfio actum superius [d].

Aliæ res Germanicæ.

d *supra n. 91.*

Extremis Liethardi abbatis Gemblacensis annis beatus [e] Guibertus, illius monasterii conditor, signis ac miraculis per annos duodecim inclaruit. His permotus Sigebertus monachus doctrina tum celebris, qui ejus vitam scripserat, de ipsius elevatione cogitare cœpit. Eadem sententia fuit Liethardi abbatis, qui ejus rei causa Sigebertum ad Otbertum Leodicensem episcopum misit ad impetrandam

CXVIII. S. Guiberti Gemblacensis elevatio.

e *V. lib. 46. n. 58.*

ANN. CHR. 1110.

super hoc negotio ejus auctoritatem. Eorum votis perlibenter annuit episcopus, & per Heinricum arcbidiaconum Friderici Coloniensium archiepiscopi consilium, & consensum postulavit. Re in synodo generali ventilata, assensum præbuit archipræsul. His ita dispositis, dies elevando sacro corpori indicitur IX. kal. Octobris. quo die hæc elevatio sollemni ritu facta est. quo ex tempore sancti Guiberti confessoris cultus frequentari cœpit.

CXIX. Lesciense monasterium instauratur.

Sub idem tempus Lesciense seu Letiense Hannoniæ monasterium instauravit Tbeodericus de Avesniis * cum Ada conjuge, quæ eo mortuo illuc se recepit, ibidemque usque ad obitum religiose vixit. Erat bæc Manassæ Remorum archiepiscopi germana, primum Hilduino comiti Rociensi, dein Aathensi domino, ac demum Theoderico de Avesniis nupta, uti discimus ex Hermanno monacho [a] Laudunensi, qui eo tempore vivebat. Porro Hilduinus avus erat venerabilis Bartholomæi episcopi Laudunensis, cui Hermannus libros duos de miraculis sanctæ Mariæ Laudunensis dedicavit. Hic Tbeodericum cum Ada uxore monasterium de Lesciis *in propria possessione* construxisse dicit. quod argumento est, monasterium illud, quod octavo sæculo primitus conditum alias [b] diximus, tunc ædificiis monasticis destitutum fuisse, & locum in sæcularium manus devenisse. quod quemadmodum factum sit, sic accipe. Guericus seu Wericus, cognomento Sorus, prolatandæ ditionis plus æquo cupidus, apud Lutosas * præsidio erecto, totum pæne Brabantum cum Nerviensi comitatu invasit, & plerasque Brabanti possessiones in feudum accepit a comite Montensi, necnon agrum inter duas Helpras consistentem, in quo totum sanctæ Hiltrudis patrimonium, adeoque Lesciense monasterium continetur. Ab boc Guerico exordium cepit dominorum Avesnensium, cujus ditionis quartus ab eo heres fuit Wedricus Barbatus, & post eum Theodericus mox laudatus, ejns filius, qui Lesciense monasterium denuo exstruxit, ejectis clericis, qui locum occupabant, & monachis eorum loco restitutis. Horum primus abbas fuit Reinerus, jam abbas Crispiniensis monasterii, quod per Balduinum Hannoniæ comitem, ejusque matrem Richildem ab annis circiter triginta instauratum fuerat. Porro idem Reinerus basilicam Lesciensem a Bartholomæo Laudunensi episcopo dedicari curavit, & disciplina regulari ordinata Gunterum priorem in abbaris locum substitui. quo facto Crispinium reversus est. Guntero abbati post præfecturæ annos duodecim subrogatus Reinerus prior, de Carneriis cognominatus, qui cæco cuidam lumen oculorum restituisse traditur, aqua adbibita, qua manns in missæ sacrificio abluerat. De Wedrico ejus successore inferius agendum.

* Avesnes.

a Herman. lib. 1 de mirac. S. Mariæ Laud. c. 2.

b V. lib. 23. n. 72.

* Leuse.

CXX. Fructuariæ donatio Villæ-novæ confirmata.

Fructuariensi apud Taurinenses monasterio tunc præerat Almeus abbas, qui donarionem mediæ partis Villæ-novæ, nunc Solariorum, ab Agnete comitissa, Petri Segusiensis comitis filia, factam pontificia [c] auctoritate confirmavit. *Agnes siquidem comitissa*, inquit pontifex, *Petri marchionis filia, quæ, derelicto sæculo, monasterii quietem elegit, medietatem Villæ-novæ monasterio vestro contulit cum omni integritate ac libertate, qua eam ipsa contulerat. quam collationem nostra petiit auctoritate firmari.* quod se libenter præstare ait pontifex ad preces Mainardi Taurinensis episcopi & Fructnariensis abbatis, ejusque monachorum, quibus etiam confir-
» mat villam Faloë, cujus mediam partem unam ex oblatione Arditionis marchio-
» nis, *qui per Dei gratiam in vestro*, inquit, *monasterio conversus est*, alteram ex ven-
» ditione fratris ejus Manfredi comitis obtinuerant. *Datum Laterani per manum*
» *Johannis diaconi cardinalis* III. *idus Martii, indictione* III. quæ huic anno respondet. Agnes illa Frederico [d] Lotharingico seu de Moncione comiti nupta fuerat, quæ post mariti obitum monasticum habitum induit, sed quo in monasterio, mihi non liquet, forte in ipso Fructuariensi, ubi in disparatis ædibus aliæ quoque feminæ illustres vitam monasticam duxere. Quod attinet ad Almeum abbatem, ejus opera monasterium Buzzani in Fructuariensium possessionem transiisse dicitur. Petrus ejus successor, ex comitibus Valpergiæ, episcopus Albensis factus est. Alios ejusdem loci abbates apud Franciscum-Augustinum [e] ab-ecclesia videre licet.

c Hist. de Savoye to. 2. p. 24.

d Chronol. Pedem. p. 265.

e ibid.

CXXI. Grimoaldo abbati succedit Albericus.

Cum Heinricus imperator Romam tenderet, ei obviam ire maturavit Grimoaldus Casæ-aureæ abbas: at in ipso itinere morbo interceptus, in monasterio [f]

f Spicil. to. 5. p. 472.

sancti Vincentii ad Vulturnum, unde assumtus fuerat, fato functus III. nonas Septembris, ibidemque sepultus est, postquam Piscariense seu Casauriense monasterium annis septemdecim, mensibus octo, ac diebus undecim rexisset, multaque fecisset ad ornatum ecclesiæ ac monasterii. Virum sanctum vocat Johannes chronographus: at minus probandum videtur, quod *palatium ad habitationem abbatum* [a] fecit a septentrionali parte monasterii juxta latus ecclesiæ, contra præscriptum concilii Francofurtensis [b], in quo statutum est, quod abbates cum suis monachis habitare & dormire debeant secundum regulam sancti Benedicti.

ANN. CHR. 1110.

a *ibid. p.* 477.

b *Annal. lib.* 26. *n.* 30.

Grimoaldo abbati successit Albericus ejusdem cœnobii monachus, Gisone ob ferociam rejecto, qui sæcularium fretus potentia, abbatiam invaserat. Albericus *pro sua honestate & sapientia* ad episcopatum Theatinensem prius electus fuerat: sed, quoniam adversarios quosdam habebat, abbatialem dignitatem episcopali prætulit. Sancti Johannis in Arclano abbatiam tenebat quando electus est, hoc scilicet anno, consecratus a Paschali summo pontifice, a quo curam pastoralem traditione baculi suscepit. Eo abbate statim monasterii bonorum invasores, abbatis animum strenuum & imperatoris adventum reveriti, ablata castella & prædia in manus abbatis restituerunt, eademque sub fide clientelari ab eo receperunt, eo pacto, ut illa retinerent usque ad tertiam generationem: qua finita, pro more patriæ, hæc ad plenum jus monasterii reverterentur. Alberico post biennium mortuo substitutus Giso modo memoratus, qui moderatior ex abjectione & melior factus, multa ad monasterii ornatum & profectum contulit.

ANNALES ORDINIS S. BENEDICTI.

LIBER SEPTUAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Chriſti 1111. ad annum 1116.

ANN. CHR. 1111.
I.
Paſchalis a cæſare capitur.

INSEQUENS annus, poſt milleſimum centeſimus undecimus, proditione Heinrici imperatoris & captivitate Paſchalis papæ inſignis, immo infamis fuit. Natali Domini apud Florentiam celebrato, Heinricus ad Urbem procedens, certas conditiones, quas ejus legati Romam miſſi cum pontificiis miniſtris conſtituerant, quarum præcipua erat, ut cæſar inveſtituris cederet, ſacramento ſancivit. Accedenti ad Urbem Romanus clerus cum effuſa populi multitudine ſullemni pompa obviam proceſſit,

> *—————monachæ quoque centum*
> *Lampadibus multis cum claro lumine ſumtis,*

ut Domnizo teſtatur. Id factum pridie idus Februarii. Cum ad baſilicæ Vaticanæ ſuperiores gradus rex pervenit, ubi pontifex cum cardinalibus & tota cantorum ſchola ſedebat, ad ejus pedes ſe venerabundus projecit: dein erectus, in ore, fronte & oculis oſculum ei præbuit. Inde in baſilicam introductus, a pontifice rogatus eſt, ut, quud promiſerat, eccleſiarum inveſtituris renuntiaret. Ea voce perculſus Heinricus ſurrexit, & cum Germanicis epiſcopis ſeorſim deliberabundus ſeceſſit. Summa conſilii fuit, pactum illud juſte ſervari non poſſe. Verum, ut pontificem arte deluderet Heinricus, ſe velle dixit, ut lis, quæ inter eum & Stephanum Nortmannum intercedebat, ante finiretur. Interim pontifex ad altare ſancti Petri procedit ſacra facturus. quibus peractis, tandem ad hoſpitium extra templi atrium captivus eſt deductus; capta quoque clericorum, laïcorumque ingens multitudo, quibus veſtes detractæ, & multæ inflictæ injuriæ, uno id improbante ex Germanis epiſcopis Conrado archiepiſcopo Saltzburgenſi, qui Henrico cuidam militi ſtricto gladio necem minitanti, ultro jugulum obtulit, & ſe potius moriturum quam tam indignum facinus probaturum aſſeruit. quud generoſum factum multas illi poſthac moleſtias accerſivit. Dum hæc fierent, Johannes Tuſculanus & Leo Oſtienſis epiſcopi, ſumto plebeïo habitu, in urbem ſe proripuerunt. Ubi captum cum cardinalibus pontificem reſcierunt Romani, dolore elati repente in Germanos ſævierunt, multoſque

ex iis, qui Urbem ingressi erant, occiderunt. Tum in Heinricum ipsum arma converterunt, multæque utrimque cædes patratæ.

Post biduum Heinricus inde castra movit, versus Albam tendit, pontificem sacris vestibus nudatum cum clericis & laïcis vinctis secum adducens, eumque apud castrum Trebecum in Sabinis, cardinales vero apud Corcodisium custodiæ tradit. Heinricus inter ea, anxius animi, ut eis metum injiceret, sancte affirmat, se, nisi pontifex sibi obtemperaret, omnes, quotquot habebat, captivos aut occisurum, aut truncatis membris mulctaturum. Ubi nihil minæ proficiunt, additæ preces a Germanis episcopis. Absit vero, infit pontifex, ut homini interfectorum sanguine cruentato tantisque flagitiis exsecrando, consecrationem impertiam. quibus ad se relatis, vehementius excanduit Heinricus, atque ut pontificem amplius moveret, captivos omnes in ejus conspectum ad necem produci jussit. At nihilominus infractus pontifex, singulos ad mortem pro Dei causa oppetendam hortatus est; se ipsum ad necem paratum esse constanter asserens. Verum, cum illi ad ejus pedes provoluti, ut sui misereretur, obtestarentur; tandem in id consensit, ut imperator episcopos & abbates libere electos absque simonia anulo & baculo investiret, sicque investiti consecrari possent. Heinricus vero se Romano pontifici fidem servaturum spopondit, & possessiones ac patrimonia Romanæ ecclesiæ restituturum. His actis, postera die idibus Aprilis ambo in urbem Leoninam ingressi sunt, portis, ne quis civium interveniret, obseratis, & in æde sancti Petri ante confessionem, Heinricum imperatoria corona redimivit, atque augustum consecravit: tum ad rem divinam faciendam processit, cumque ad hostiæ confractionem venisset, partem hostiæ sub terribili adjuratione, si fidem umquam violaret, ei porrexit. quibus actis, pontifex in Urbem, imperator ad castra se recepit, Germaniam repetiturus. Totam hanc historiam paullo aliter refert chronographus Saxonicus nondum editus, quem in Appendice proferemus. Eamdem jussu imperatoris tribus libris scripsisse a Trithemio dicitur David magister scholarum ecclesiæ Herbipolensis, natione Scottus, qui postmodum factus est monachus in cœnobio sancti Jacobi Herbipolensi, cui tunc præerat Trithemius ipse, cum hæc scriberet.

Heinrico investituras cedere cogitur.

Ubi Paschalis in Urbem ingressus est, reliqui cardinales, qui cum eo captivi non fuerant, pactum illud magnopere improbarunt. at pontifex necessitatis articulum in facti excusationem obtendens, cum eos non facile placari posse intelligeret, dedit locum iræ, & in Campaniam secessit. Interim prædicti cardinales, Romæ comitiis habitis, simul cum Johanne episcopo Tusculano factum rescindunt, utpote superiorum pontificum decretis omnino contrarium. quod ubi rescivit pontifex, qui tunc Terracinæ versabatur, scriptis ad eos litteris, zelum quidem laudavit, sed id non canonice, non ex caritate, sed ex æmulatione factum videri dixit. *Quocumque tamen modo*, inquit, *factum sit, nos tamen confisi de misericordia divina pro anima nostra salute cogitamus, & commissum, quod pro fratribus atque filiis, pro excidio Urbis & universæ provinciæ fecimus, emendare curabimus.* Ex his qui pactum illud non probarunt, unus fuit Bruno Casinensis abbas, Signiensis episcopus; relatumque est pontifici, eum illius dissidii & scandali ducem ac signiferum fuisse. quo accepto, Bruno scripta ad Paschalem epistola, se eum ut patrem diligere testatus est, nec alium habere velle pontificem: ac fœdus illud tam fœdum, pietati ac religioni tantopere contrarium, laudare non posse, quo scilicet violetur fides, & ecclesiæ libertas amittatur. & in fine epistolæ: *Miserere ecclesiæ Dei*, inquit, *miserere sponsæ Christi, & per tuam prudentiam suam recuperet libertatem, quam modo per te amisisse videtur.* Idem Bruno aliam scripsit epistolam ad Petrum Portuensem episcopum, qui primus post pontificem pactum illud subscripserat, qua in epistola hæreseos notat eos, qui hoc pactum defendebant. Utramque epistolam ita inscribit, *Brunus peccator episcopus, beati Benedicti servus.* Ob eam causam Brunoni in tantum succensuit pontifex, ut vetuerit, ne deinceps episcopus simul abbasve haberetur, fratribusque Casinatibus per Leonem Ostiensem episcopum scripserit, ut alium abbatem eligerent. Fecit quod in se erat Bruno, ut alius pro se eligeretur: at fratribus constanter renitentibus, Nolo, inquit ille, ut propter me inter vos & Romanum pontificem scandalum oriatur. tum posita super altare virga pastorali: Accipite, inquit, virgam quam mihi tradidistis. quo facto, & absolutione fratribus data, ad episcopatum suum reversus est, ubi in sancta conversatione usque ad finem vitæ

II. Id improbant cum multis Bruno abbas Casinas.

Abbatiam abdicat.

ANN. CHR. 1111.

permansit. Pontificis factum improbasse quoque dicuntur Cluniacenses, ob idque Romanæ curiæ cardinalium animos exasperasse, quos postea lenire studuerunt, ut suo loco videbimus.

III. Ivonis hac de re sententia.

Ceterum sic comparatus erat pontifex, ut factum potius excusaret, quam defenderet, immo postmodum etiam condemnaret, ut anno sequenti videbimus. Unde reversus in Urbem litteris ad Ivonem Carnutensem episcopum scriptis excusat, quod ad vitanda imminentia mala & redimendam ecclesiæ pacem ita cedere coactus sit, ut testatur Ivo ipse in epistola [a] ad Henricum abbatem Angeriacensem, qui ipsum hac de re consuluerat. Memoratu digna est hæc Ivonis epistola, qui de investituris ecclesiarum sententiam Gregorii VII. & Urbani II. quantum in se est, laudat & confirmat: sententiam vero eorum, qui investituras per laïcos defendunt, schismaticam judicat. tum subdit. *Nec ista contra d.mnum papam dico: quia quibusdam litteris mihi scripsit, se coactum fecisse quod fecit; & adhuc se prohibere quod prohibuit, quamvis quædam nefanda quibusdam nefandis scripta permiserit. Et quia verenda patris debemus potius velare, quam nudare; familiaribus & caritatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur, ut se judicet, aut factum retractet. Quod si fecerit, agamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis ecclesia, quæ graviter languet, dum caput ejus laborat tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de summo pontifice.* Cetera, quæ sane lectu digna sunt, prætereo, ne nimius sim in hoc negotio pertractando, quod tamen a proposito nostro non est omnino alienum. Eamdem modestiam & prudentiam spirat alia ejusdem Ivonis epistola [b] nomine Daimberti Senonensis archiepiscopi & comprovincialium episcoporum scripta ad archiepiscopum Lugdunensem, qui eos invitaverat ad concilium apud Ansam celebrandum, in quo Paschalis factum examinare proponebat. Hæc epistola in vulgatis inscripta est *Joanni Dei gratia Lugdunensis primæ sedis archiepiscopo.* Sequitur alia [c] ad Daimbertum, quam *Johannes primæ Lugdunensis sedis archiepiscopus* ad Daimbertum scripsisse dicitur in editis: ubi ad oram notat Souchetus, alias pro Johanne scriptum *Joscemnus*, mendose haud dubie pro Josceranno, quem Hugoni archiepiscopo in sede Lugdunensi successisse superius [d] ostendimus, & annis MCXIII. & MCXV. adhuc sedisse inferius patebit. Nullus itaque locus in serie Lugdunensium archiepiscoporum Johanni relinquitur, quem veteres indices [e] non habent, primusque induxit Sirmundus, & ex eo Galliæ-christianæ auctores, rati id quod vero proximum videbatur, duas illas Ivonianas epistolas esse interpretandas de Johanne, quem libri editi præferebant. Verum Johannis nomen pro Joceranno intrusum esse non dubito errore quorumdam notariorum, qui cum Joceranni nomen prima dumtaxat littera J. designatum forte vidissent, Johannis nomen pro Joceranno temere intruserunt. Certe, ut Souchetus in notatione ad epistolam CCXXXVII. observat, *in prisco* quodam *libro prima nominis littera tantum designata habetur* in hunc modum, *J. primæ Lugdunensis* &c. quo nihil opportunius ac luculentius afferri potest ad probandum id quod modo dicebam, errore notariorum, qui primam tantum litteram Joceranni nominis in illis epistolis viderant, Johannem pro Joceranno intrusum fuisse. Epistolam ea de re ad illustrissimum archiepiscopum Lugdunensem datam proferimus in Appendice.

IV. S. Vitoni monachi denuo vexati & pulsi.

Heinricus imperator ubi prædictum a pontifice privilegium extorsit, mox illius exemplum per totum regnum misit, idque ab universis observari mandavit. Hoc autem omnibus episcopis, qui investituras a rege susceperant, maxime acceptum fuit, in primis Richardo Virdunensi episcopo, qui statim illud ad monachos [f] sancti Vitoni detulit, eisque legit, atque exprobrando intulit: En quo tribulationes vestræ, quo exsilia, quæ per annos fere triginta passi estis, ceciderunt; en hæc omnia in cœnum devoluta sunt. His auditis, fratrum conventus (nam Laurentius abbas venerabilis aberat) expalluit, ingemuit, quod Romanæ fidei propugnaculum cessisset; nec quisquam eorum mutire ausus est. Inter ea Richardus Albanensis & Guido tunc archiepiscopus Viennensis, aliæque columnæ ecclesiæ transalpinæ contra banc cæsaris iniquitatem erecti conclamaverunt, & ad tuendam ecclesiæ libertatem se se mutuo adhortati sunt. Cum sic utrimque adversæ partes in varia studia scinderentur, Richardo & clero Virdunensi regias partes plus justo defensante, tota tempestas in abbatem Laurentium ejusque fratres incubuit, qui soli inter eos Romanæ ecclesiæ adhærebant, & adversæ parti communicare detrectabant. Unde laïci qui devotionis

a Ivo ep. 233.
b id. ep. 236.
c id. ep. 237.
d lib. 71. n. 19.
e V. Chifflet. in Paulino illust. p. 84.
f Spicil. to. 12. p. 301. & seqq.

devotionis causâ ad eos accedebant, palam cædebantur: clerici vero eorum *fraternitatem* seu societatem abnegare cogebantur; &, si qui in extremis viaticum ab eis accepissent, ecclesiastica sepultura privabantur.

Interim adfuit beati Vitoni festivitas, v. idus Novembris celebrari solita, in qua ad primas vesperas & missam *collecta cleri* ex more, pulsatis signis, convenire consuevit. Huic ne communicarent monachi, vespertinum officium celebrare occupaverant; quibus adhuc cantantibus supervenere canonici, qui clausum chori ostium sibi aperiri vociferantes jubent; cunctantibus monachis, per suos reserant; ingressi unum e conversis, qui ne eis aperiretur obstiterat, propellunt, distrabunt, barba & capillis vellicatis atrociter verberant, monachis spectantibus nec subvenire ausis; ac demum illinc, non celebratis vesperis, ad sua redeunt. Hinc ira inflammatus Richardus, tandem Laurentio abbati divinum interdixit officium, in crimen ei imputans, quod imperatori, sibique esset rebellis, insuper eorum communionem sperneret; adeoque dignus esset, ut temporalia omnia, quæ ab imperatore & per eum ex se tenebat, amitteret. Hinc potestas omnis in rebus abbatiæ intus & extus Laurentio detracta; claves ærarii & bibliothecæ *rusticis ecclesiæ concessæ*; custodia claustri clericis commissa; forum denique & viæ ad episcopium abbati, ejusque monachis interdictæ. adeo ut quidam in illis deprehensi injuriis affecti fuerint. Tantæ violentiæ Laurentius cedere coactus, loco excessit, quibusdam e suis secum assumtis, aliis vero ut sequerentur præcepit, qui fuga dilabebantur in dies, clericorum custodiam frustrati. Soli remansere juniores, quos ad sibi communicandum clerici omnimodis compellebant, oblata Trevirensis archiepiscopi Brunonis epistola, qui eos ad communionem clericalem hortabatur. quod etiam Rotbertus sancti Hucberti abbas multique alii suadebant; idque tandem evicere. Ubi factum rescivit Laurentius, indoluit, litteris missis ut resipiscerent, sibique obtemperarent, eos admonuit. Nec mora, nocte sequente Hugo fervidæ & bonæ indolis, cui reliqui multum deferebant, jam de fuga semel & iterum retractus, demum cum Riozone evasit: reliqui altera die, prælata cruce, procedentes, monasterio exeunt, & per mediam urbem transeuntes, ad quamdam monasterii cellam, quæ ad-Pauli-crucem dicitur, evadunt, tota urbe lamentante & episcopi facinus detestante, ipsoque jam graviter dolente. Sic omnes ad Laurentium se recipiunt, qui seniores in opportunis cellis collocavit; juniores vero ad Divionense sancti Benigni cœnobium misit, ubi a Jarentone abbate, quod jam alias [a] factum fuerat, humanius quam dici possit, recepti sunt; & per triennium, quo Richardus supervixit, ibidem commorati, multum illic se in omnibus profecisse testati sunt. Totam hanc historiam accurate describit Laurentius de Leodio Vitonianus monachus in historia [b] Virdunensi; ipseque Laurentius abbas fusius in epistola ad clericos Virdunenses, a Wasseburgo primum edita, sed in Appendice sublatis mendis recusa, ex qua discimus, quod Laurentius de Leodio siluit, Hugonem Flaviniacensem abbatem, de quo sæpe in superioribus egimus, abbatia sua pulsum, in sancti Vitoni præfecturam, absente Laurentio abbare; intrusum fuisse, & a Richardo episcopo virgam pastoralem suscipere præsumsisse, *cujus præsumtionis*, inquit Laurentius abbas, *se participes effecerunt, & illi qui tam infami personæ curam pastoralem commiserunt, & qui ei se committi perpessi sunt.* Hugo iste, ut superius dictum est, olim sancti Vitoni monachus fuerat, sed in alia persecutione, permissu Rodulfi abbatis, ad sancti Benigni monasterium translatus, demum factus abbas Flaviniacensis; sed postmodum repudiatus: quem tamquam fugitivum a Divionensi abbate excommunicatum fuisse asserit Laurentius abbas, cum virgam pastoralem abbatiæ a Richardo accepit. Sed de his satis.

[a] lib. 66. n. 96. & 97.

[b] Spicil. to. 12. p. 306.

V. Conradus quoque archiepiscopus exagitatur.

Tunc etiam valde exagitatus est ab Heinrico cæsare Conradus Saltzburgensis archipræsul, qui vim Paschali factam improbaverat. Hinc odium imperatoris, ejusque fautorum incurrit, qui omnes in eum conjurarunt, adeo ut nullus ei fere superesset locus ubi lateret, dum ad eum perquirendum omnes commoverentur. Tunc in valle Admontensi dimidium pæne annum in quadam spelunca delituit: postea in ipsius Admontensis monasterii cellario subterraneo sexdecim hebdomadibus latitavit. Ad hæc in quemdam amnem usque ad mentum immersus, diem integrum exegit. Inde clam in Saxoniam profectus, ubi a venerabili Adilgozo Magdeburgensi archiepiscopo humanissime acceptus est ac retentus. Sed tandem, redintegrata ecclesiæ pace, a Liutpoldo Styrensi marchione cum valida manu ad suam

ANN. CHR. IIII.

post novem annos reductus ecclesiam, eidem informandæ totus incubuit, ejusque clericos ad communem vitam adduxit.

VI. Rupertus scribit libros de divinis officiis. a V. lib. 68. n. 44. b Rupert. lib. in Matth.

Florebat per id tempus in Leodicensi sancti Laurentii monasterio Rupertus, de cujus vitæ primordiis ac sacerdotio superius [a] actum est. Non amplius quam triginta dies a suscepto sacerdotio exegerat, cum tanta Spiritus-sancti gratia & cælesti rerum divinarum scientia perfusus est, ut, *nisi illa repentina sanctæ voluptatis inundatio*, ut ipse [b] loquitur, *cito se continuisset, animam velociter in sua de corpore in modum torrentis abstraxisset, secumque detulisse potuisset. Sed cito substitit inundans illa vis amoris, paulatimque decessit. Ego autem ex tunc*, subdit ille, *os meum aperui, & cessare quin scriberem nequaquam potui; & usque nunc, etiamsi velim, tacere non possum.* Ab eo itaque tempore ad scriptionem animum applicavit, primumque omnium libros duodecim de divinis officiis scribere aggressus est, ut ipse testatur in epistola prævia ad Cunonem, tunc Ratisponensem episcopum, in qua hos libros vocat *primitias cunctorum operum suorum.* Hæc epistola scripta fuit longe post editos hosce libros, quos *sine splendore cujusquam tituli* dimiserat, *sub nullius obtulerat præsentia sacerdotis.* Librum octavum scribebat hoc anno, ab incarnatione millesimo centesimo undecimo, quo anno miraculum refert in Leodicensi sancti Laurentii ecclesia [c] tunc factum die sancto parasceves, ubi exstinctis de more sub finem matutinorum cunctis luminaribus, dum eorum ultimum exstingueretur, & ad canticum evangelii a domno abbate Berengario imponeretur antiphona, *Mulieres sedentes ad monumentum*, repente ante pedes illius projectum cecidit ipsius, quo firmiter substrictus erat, cingulum. tumque audivit sibilo tenui factam sibi hanc vocem:

c id. lib. 8. de divinis officiis c. 14.

Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro.

quæ res sæpe mentem ejus admiratione defixam tenuerat, tametsi nequaquam de ea dubitaret. Mox illi simile quid ad memoriam recurrit, quod Augustinus de Petronia clarissima refert in libro XXII. de civitate Dei, capite VIII.

VII. Adversarii ejus multi.

Non defuere Ruperto obtrectatores, qui primis ejus studiis obstreperent, & adversus eum hæc effutirent: *Iste scribit quod necessarium non est. Sancti scripserunt: sanctorum scripta sufficiunt & superabundant. Non sufficimus legere quæ sancti scripserunt, nedum quæ isti ignoti sine auctoritate de corde suo scribunt. Hæc & alia*, inquit ille, *multo graviora surda aure præteriens, ut totus eram possessus ab ea, quæ me tacere non sinebat, dilectione verbi Dei, & primitias istas, & alia nonnulla in cartallo meo congessi, donec venires tu, amicus & patronus fidelis*, sic Cunonem alloquitur, *per quem ego innotescerem sacerdoti Domini ecclesiæ Agrippinensis*, scilicet Friderico archiepiscopo, qui Rupertum auctoritatis suæ præsidio texit.

Guillelmus a sancto Theoderico. d Bibl. Cistere. to. 4. p. 130.

Præcipui ejus adversarii exstitere, videlicet Guillelmus a S. Theoderico, Guillelmus seu Willelmus Campellensis, & Anselmus decanus & magister ecclesiæ Laudunensis. Guillelmus a S. Theoderico cum multa civilitate & caritate in quædam loca libri secundi de divinis officiis, ubi de sacra eucharistia agitur, animadvertit, scripta eidem Ruperto [d] epistola, cujus exordium sic habet. *Fratri in Christo carissimo, illuminatos oculos cordis. Lego & relego, carissime, opus vestrum de Officiis, multumque me delectat ejus lectio, tum pro sui utilitate, tum pro auctoris dulcissima mihi caritate. Sed quoniam veritas caritatis & caritas veritatis, adulationis odit fucum; videor mihi videre in facie pulcri operis nævum unum: qui etsi inter nos interim benevola quadam dissimulatione tegatur, vel coloretur; si opus hoc exierit in manus eorum qui carpere amant aliorum etiam bene dicta; futurum est in signum, cui a multis contradicetur.* Unum est quod notat Guillelmus ex libro secundo: nimirum quod in sacra eucharistia *corpus sacrificii* dicat, cum ait, non aliam vitam esse in corpore Domini quam spiritualem, quæ sic est *in corpore sacrificii, quomodo lux solis absque calore ejus in corpore lunæ:* adeoque animalem vitam, quæ in quinque corporis sensibus consistit, non esse *in corpore sacrificii.* quæ verba ambiguum sensum efficere, ait Guillelmus, qui non aliud vult intelligi *in corpore sacrificii, quam ipsum quod mortuum est & resurrexit, sedetque ad dexteram Patris: quod non corpus sacrificii, sed, sicut vere est, appellatur corpus Christi:* quod quidem *motum & sensum habet, & per omnia nostræ est naturæ, licet alterius gloriæ;* denique in mensa altaris solum adesse corpus Domini, *in quod vere mutata est vera panis substantia*, remanente sola specie visibili, in qua stultus & ineptus esset ille adversarius, quem sibi obji-

ciebat Rupertus, si ea requireret in specie, quæ propria sunt viventis corporis, id est vitam, sensum & motum. *Ecce hoc est*, ait Guillelmus, *quod in opere vestro me offendit, & nonnullos fratrum nostrorum .... quod utrum corrigere indigeat, vestro legentiumque judicio derelinquo.* Nunc plerique Theologorum sentiunt, Christum in eucharistia nullas exercere sensuum externorum functiones, sed sacrum ejus corpus mortuo modo in sacramento exsistere. quod forte volebat Rupertus. In fine epistolæ Guillelmus Rupertum obsecrat, ne se id animadvertisse putet, quasi de ejus fidei integritate dubitantem; sed fraterna caritate & sollicitudine amica id fecisse, ut ejus opus omnino exquisitum esset ac circumspectum, priusquam exiret in manus eorum qui foris sunt: ut qui rodere illud vellet, non inveniret. Ex quibus intelligitur, novum fuisse Ruperti opus istud, cum hanc epistolam scripsit Guillelmus, cum necdum esset sancti Theoderici abbas, quo in munere Gaufrido successit anno MCXX. Qui hanc epistolam sancto Anselmo tribuunt, ex eo revincuntur, quod libri de divinis officiis nondum editi essent anno MCIX. quo mortuus est S. Anselmus. siquidem Rupertus librum octavum biennio post scribebat, ut modo vidimus.

VIII. Willelmus Campellensis & Anselmus Laudunensis.

Duo alii ejus adversarii fuere Willelmus a Campellis, Catalaunensis episcopus, & Anselmus Laudunensis magister ac decanus ecclesiæ Laudunensis, quos ille scriptis aggressus est, quod illi docerent, quod Deus malum fieri velit, voluntate scilicet permittente. Hanc sententiam, quam omnes theologi docent, primo impugnavit Rupertus, edito libro uno de *voluntate Dei*, quem librum ad eos scripsit, cujus initio eos magistros illorum temporum *inclytos*, Anselmum *luciferum* vocat. Hæc disputatio non modo Willelmum & Anselmum in Rupertum commovit, sed maxime eorum discipulos, qui eum rudem & indoctum dicebant, quippe qui e monasterio pedem non extulisset, ut famosos illos magistros docentes auscultaret. Sic enim ille libro primo in regulam sancti Benedicti. *Ex eo pauper ego reputatus sum apud cogitationes illorum, quod a puerilibus annis monachus, & cœnobii claustris contentus sive detentus, & non circuivi mare & aridam, sicut divites negotiatores illi, quorum apud cogitationes pauper sum... Ierunt enim in longinquum, & apud magistros inclytos peregrinati sunt... Hoc ego non feci, sed tamquam simplex Jacob cum matre Rebecca, domi habitavi. Hinc ego apud cogitationes illorum pauper & contemtibilis. Et dixerunt: Quis est hic? Scribit enim & loquitur, loquitur & scribit, qui magistros & præceptores nostros saltem videre nusquam dignus fuit. Inde etiam pauper ego, quia saltem chartulas, quibus ipse inscriberem, habere vel acquirere vix potui.* Hæc ille in libro primo super quædam capitula regulæ sancti Benedicti, scripto ad Cunonem, tunc abbatem Sigebergensem, patronum ac protectorem suum, cui pleraque scripta sua nuncupavit. In hac scriptione super Regulam fere totus est in impugnanda prædicta Willelmi de Campellis & Anselmi sententia, ut amplius suo loco [a] videbimus; eamdemque rursus in libro *de omnipotentia Dei* refellere conatus est. Tota hæc controversia versatur in verbis *voluntas & vult*, quæ nonnisi de voluntate positiva intelligenda esse contendebat Rupertus, qui cum Augustino verbum *sinit* in Deo circa malum admittebat.

[a] infra n. 116.

IX. Gottisaugiense monasterium conditur.

Trithemius in historia Hirsaugiensi, tradit Bertholdum comitem Hennenbergensem assentiente conjuge sua Luca, extremam imposuisse manum monasterio beatæ Mariæ, quod nuncupatur Augia-Dei, Teutonice *Gottisaw*, sito in Spirensi episcopatu ad ripam fluvii Albæ, illudque magnifice dotasse, & privilegiis pontificiis & imperialibus munisse. Illuc ex Hirsaugiensi congregatione deducta colonia duodecim monachorum per Brunonem Hirsaugiæ abbatem, qui Wolpotonem novi Gottisaugiensis asceterii primum rectorem instituit. Hoc monasterium Bursfeldensi congregationi sæculo quinto-decimo labente unitum est.

Res Corbeienses.

In annalibus Corbeiæ-novæ Erchinbertus abbas multa monasterio acquisivisse dicitur, eique rex magnam crucem argenteam dedisse; Eggehardus vero abbas chronicum suum eidem inscripsisse. Paullinus ad hunc locum notat hoc esse chronicon, quod a Browero vitæ sancti Godehardi Hildensheimensis episcopi subjunctum est sub titulo Chronicorum *Eggehardi Uragiensis abbatis ad Egbertum Corbeiensem abbatem.* Hæc chronica haud dubie desinebant in Bernardo, Bertoldi successore, quibus sequentia adjecta sunt ab aliis. Uragiense seu Uraugiense monasterium illud ipsum est, quod ab Ottone Babenbergensi episcopo conditum fuisse superius [b] diximus.

[b] V. lib. 71. n. 91.

X. Senonensi monasterio infestus Herimannus comes satisfacit.

Per id tempus Herimannus comes Senonensi in Vosago monasterio advocati nomine multa gravamina inferebat. De his querelas movit Antonius venerabilis

ANN. CHR. IIII.

abbas apud Adalberonem Mettensem episcopum, ejus nominis quartum, monasterii protectorem, sæpius conquestus de injuriis sibi illaris ab Herimanno contra præceptum regis Childerici, qui hoc monasterium in magna quiete fundaverat, & contra auctoritatem Adalberonis secundi, Mertensis episcopi, qui sub anathemate statuerat, ut advocatus possessiones monasterii in beneficium suæ advocationis ita haberet, ut tamen in abbatiam nullo pacto se intromitteret, nisi ab ejus abbate invitaretur. Citatus ad episcopi audientiam comes, reatum agnovit, seque anathema incurrisse confessus est; & ab episcopo & abbate absolutionem accepit, seque in posterum monasterii privilegia observaturum spopondit. Testes plurimi clerici ac laïci, in his abbates sancti Vincentii, & sancti Arnulfi, quorum nomina in nostro exemplo desunt, Walo abbas Novillarensis; tum Folmarus, Godefridus & Fridericus comites. *Actum Mettis publice* III. *nonas Martii, anno ab incarnatione Domini* M C XI. *indictione* IV. *regnante Heinrico* V. *gloriosissimo rege, juniore comite Gelmaro præfecturam urbis agente, judice Borchardo, Theodorico scabione.*

XI. Mettenses & Tullenses abbates.

S. Arnulfi monasterio tunc præerat Odo abbas, successor Walonis. In necrologio XI. kal. Martii notatur *domnus Walo abbas*, cujus jussu Ambrosius monachus Hieronymi commentarios in Prophetas minores manu descripsit, ut testantur versus ejus codici præmissi in bibliotheca sancti Arnulfi. Eodem tempore sancti Vincentii monasterium administrabat Arnulfus abbas, Lanzonis successor, quem excepit Landulfus, tum Isembardus assumtus ex monasterio sancti Hucberti in Arduenna.

Excitata hoc tempore controversia inter Pontium abbatem & Cluniacenses, atque Mediani-monasterii Bertricum abbatem & monachos super Frodonensi cella, vulgo Frovilla, diœcesis Tullensis, quam utrique sibi competere asserebant. Litem diremit Riquinus [a] Tullensis præsul secundum Cluniacenses, qui chartam Pibonis episcopi sigillo munitam proferebant, qua constabat, Odvinum, virum illustrem, hanc cellam sancto Petro Cluniacensi contulisse. Riquini litteris, quæ insigne Cluniacensium elogium continent, adscripta sunt signa Theomari abbatis sancti Mansueti, & Widrici abbatis sancti Apri, eo nomine secundi. Acta sunt hæc Tulli in plenaria synodo hoc anno, Riquini episcopi quarto. In illa cella olim quinque monachi esse debebant.

a *Bibl. Clun. p.* 579.

Dervensibus factæ donationes.

Eodem tempore Airardus Breonensis * in superiore Campania comes apud Avenacum * gravi correptus infirmitate, & ad extrema perductus, comitem Barrensem * Milonem fratrem suum rogavit, ut se in Dervensi monasterio humari curaret, eidemque loco aliquid pro munere conferret. Fratris votum exsecutus est Milo, consultis Breonensibus optimatibus, consensu & laude Walteri nepotis sui, filii Airardi, consuetudines, quæ apud Dreïam, Breonensi comitatui debebantur, Dervensi ecclesiæ concessit pro fratre suo, ibidem honorifice sepulto. His litteris adscripta sunt signa Milonis comitis, Widonis filii ejus, Arnulfi Risnellensis & Airardi fratris ejus, atque, ut ceteros omittam, Widonis abbatis Molismensis. Has litteras nomine suo scripsit Rogerus Dervensis abbas, sed absque chronicis notis: at eas hoc anno vel insequente datas fuisse colligitur ex diplomate Hugonis Trecensis comitis post triennium edito, in quo commemorat vexationes Dervensibus factas a Gualtero Breonensi comite, filioque ejus Airardo mox dicto, tum mortuis, ut inferius videbimus.

* *de Brienne.*
* *Avenay.*
* *de Bar-sur-Seine.*

XII. Sugerius Tauriaci jura propugnat.

Tauriacus * *famosa beati Dionysii villa* est, *caput aliarum*, teste Sugerio, *ac specialis sedes beati Dionysii*, sita in Belsiæ * pago, via regia, quæ Stampis ducit Aurelianos. Hanc variis exactionibus & gravaminibus infestabant vicini domini Puteolenses *, & opprimebant. Eorum rapacitatem ut reprimeret, ei præpositus est ab Adamo abbate Sugerius monachus adhuc juvenis, sed animosus: qui cum illic per biennium nullo fructu perstitisset, omnes illarum partium dominos, qui ab Hugone Puteolensi eadem damna patiebantur, ad vindicandas communes injurias excitavit. Hi erant Ivo episcopus & capitulum ecclesiæ beatæ Mariæ Carnutensis, abbas sancti Petri & ecclesia sancti Johannis de Valleïa ejusdem urbis, archiepiscopus Senonensis, episcopus Aurelianensis, abbas sancti Benedicti, & qnidam alu. Omnes regem Ludovicum Miliduni conveniunt, supplicantque, ut ecclesiarum & pauperum oppressiones reprimat. Rex, ut erat pietate plenus, promtam opem pollicetur, idque brevi facto perficit. Puteolum castrum expugnat, cunctam Hugonis supellectilem publicat, castrum incendio consumit. Hæc omnia fuse refert qui huic expeditioni præsens aderat Sugerius, tum in vita Ludovici Grossi, tum in libello de rebus in administratione sua

* *Toury.*
* *la Beausse.*
* *du Puiset.*

gestis. Adfuit quoque eidem expugnationi Theobaldus Carnutensium comes, qui marchiam suam amplificare volens, castrum in villa Alona Puteolo proxima, quæ de feudo regis erat, exstruere voluit. quæ res novi inter eum ac regem belli materia fuit, in quo Rotbertus Flandriæ comes, regis avunculus, interiit, ut mox videbimus. Postea Sugerius abbas Tauriacum propugnaculis firmavit, & præpositum Puteoli *priora mala reciprocantem* cepit, & ad sanctum Dionysium cum dedecore vinctum perduci curavit.

ANN. CHR. 1111.

XIII. Elnonensibus facta donationes a Rotberto comite.

Rotbertus Flandriæ comes, cognomento Jerosolymitanus, paullo ante obitum curtem, quam Elnonenses in villa Samionis habebant, rogatu Hugonis abbatis, ad usus fratrum liberam fecerat ab exactione illa, quam *songeiam* vocant, id est procurationem seu jus hospitii. Postea vero cum eamdem exigeret quidam comitis miles, nomine Stephanus *de Landast*; Bovo abbas, Hugonis successor, eamdem immunitatem ab ipso comite denuo obtinuit. *Data nonis Augusti anno ab incarnatione Domini* M C XI. *indictione* IV. *apud Insulam.* Sugerius [a] auctor est, Rotbertum comitem, a Ludovico Francorum rege, cujus avunculus erat, auxilio advocatum contra Theobaldum Campaniæ comitem, cum rex in Meldensem urbem exercitum induceret, cum multis regni optimatibus *ponte decidente* fluctibus involutum fuisse. Iperius paullo aliter scribit, Rotberto per pontem Meldensem cum magna militum multitudine equitante, equum fortuito super eum cecidisse, & totum conquassavisse. Ejus corpus Atrebatas delatum, in basilica sancti Vedasti humatum est. Successit in ejus honores filius Balduinus, cognomento *Haphin*, ait Iperius, seu Securis, vix pueritiæ annos egressus, qui a Ludovico rege balteum & ordinem militarem accepit, probitate & justitiæ laude insignis, malis adeo terribilis, ut etiam thesauros in via inventos nullus attingere auderet.

a Suger. in vita Lud. Grossi.

Rotberti Flandriæ comitis mors & successor.

XIV. S. Laurentii de Helliaco ecclesiæ varii status.

b lib. 67. n. 60.

In superioribus [b] actum est de ecclesia sancti Laurentii de Helliaco, sita in territorio Corbeïensi, quam Otbertus Ambianensis canonicus Angeriacensibus monachis ante annos triginta-tres attribuit, ut illic cella fieret Angeriacensium monachorum. Si id exsecutioni demandatum est, non diu inibi constitere monachi; quandoquidem hæc ecclesia canonicis regularibus sancti Augustini non multo post collata est. Id factum videtur hoc tempore, quo Theobaldus de Helliaco, assentiente uxore sua Mabilia, *de consilio venerabilis & bonæ memoriæ Godefridi Ambianensis episcopi*, ecclesiam sancti Laurentii, quolibet servitio emancipatam, libertate donavit, deditque *de proprio nemore fagum & quercum ad ædificia fratrum in prædicta ecclesia Christo famulantium componenda*, ut legitur in litteris Roberti episcopi Ambianensis, quibus Hugoni priori, ejusque successoribus & fratribus regulam sancti Augustini professis, confirmat donationes, quas vir nobilis Gauterius, filius Gaurerii de Helli, ecclesiæ sancti Laurentii fecerat, & donationes ejus avi Theobaldi. *Sex tantum fratres, quatuor scilicet canonicos & duos conversos*, initio illic exstitisse tradit chronographus Corbeïensis. Primus ejus loci prior ex canonicis mihi occurrit Olricus anno M C XLVIII. cui successit Hugo de Foliaco mox laudatus: tertius Simon anno M C LXXIV. quartus Milo anno M C LXXXIV. Post quem canonici illi regulares cum sua ecclesia transierunt ad Lehunenses monachos Cluniacenses, uti & canonici regulares sancti Nicolai de Regniaco: sed tandem utraque cella Corbeïensi monasterio cessit. Prædictus Hugo de Foliaco postulatus est ad Remensem sancti Dionysii abbatiam, isque auctor est librorum de claustro animæ. quæ omnia in consequentibus illustrabuntur.

XV. Nobiliaco asserta Fronteniaci ecclesia.

Nobiliacense apud Pictones monasterium tunc regebat Goiffredus seu Gaufridus abbas, qui hoc anno litem habuit cum abbate & monachis Casæ-Dei super ecclesia Fronteniaci, qui illam ecclesiam sibi a Nobiliacensibus subtractam querebantur. Causa ad Petrum Santonensem episcopum, in cujus parochia sita erat ecclesia, cum delata fuisset, eam episcopus Nobiliacensibus adjudicavit. Verum huic sententiæ non acquievit Casæ-Dei abbas, sed Romanum pontificem appellavit. Data Santonis in camera episcopali, præsentibus Marco abbate Novi-monasterii Pictavensis, abbate Brantosmensi, aliisque.

Casæ-Dei Gazenolienses ecclesiæ.

Casæ-Dei abbatem ad hunc usque annum fuisse Aymericum probat judicium Gerardi Engolismensis episcopi & legati, latum contra Gaufredum sancti Maxentii abbatem, qui tres Gazenolii * ecclesias juris sancti Maxentii esse asserebat: tum quia Hugo Liziniacensis eas in feudum a Benedicto abbate acceperat, quod tamen

* Jazeneuil.

ANN. CHR. MCXI.

Hugo ipse negabat : tum quia scriptum quoddam habebat, in quo enuntiatum erat, Gazenolium sancto Maxentio à Ludovico rege datum fuisse. Aymericus vero Casæ-Dei abbas obtendebat, ecclesias illas monasterio suo collatas fuisse a Petro Pictaviensi episcopo. quod Petrus ipse, qui præsens aderat, confirmavit. Itaque Gerardus sententiam tulit secundum Casæ-Dei monasterium, cujus diffinitivæ sententiæ judicio Leodegarius Bituricensium archiepiscopus cum aliis interfuit. Actum Pictavis in camera episcopali anno ab incarnatione Domini M C XI. indictione IV.

XVI. Aymericus abbas fit episcopus Claromontensis.

Ex his manifestum est falli eos, qui Aymericum Casæ-Dei abbatem ad episcopatum Claromontensem ante triennium promotum fuisse dicunt, quippe qui in præmissis litteris non episcopus, sed tantum abbas appellatur. Longe aliter Claromontensium episcoporum series statuitur in fusiori Gallia Christiana, ubi Petrus anno M C VI. decessisse dicitur, eique Stephanus successisse : Stephano vero Aymericus post annum M C XXVI. Atqui tamen Petrus usque ad annum M C XI. vitam produxit, ut ex Clario monacho superius [a] ostendimus. Ad hæc, Stephanus Aymerico in abbatiali dignitate successerat longe ante annum M C XXVI. nam hic, jam abbas, de visitandis sanctorum apostolorum liminibus cogitavit anno M C XVIII. sed audito Gelasium papam in Franciam accedere, ei occurrit apud Viennam, ubi concilio tunc habito interfuit, & postmodum papæ exsequiis. Itaque non dubito, quin Aymericus abbas Petro episcopo anno M C XI. mortuo subrogatus sit.

a lib. 71. n. 97.

Stephanus post eum fit abbas.

Qui Aymerico in dignitate abbatiali suffectus est Stephanus, ex illustri Mercoriæ gentis stemmate progenitus, sanctus & miraculis clarus fuisse dicitur, ejusque *legenda* seu vita laudatur in prologo libri tripartiti Bernardi monachi de gestis sancti Rotberti Casæ-Dei primi abbatis, cujus e præcipuis discipulis unus exstitit. Hunc virum egregium appellat Marbodus episcopus in libro, quem de eodem sancto Rotberto scripsit. Ceterum Aymericus episcoparum tenuit, saltem usque ad annum M C XXXVI. quo ecclesias Montis-Ferrandi Stephano abbati & monachis Casæ-Dei concessit; immo usque annum M C XLII. quo anno Stephanus Obazinensis ejus consilio monasticam vitam canonicali prætulit.

XVII. Fontis-dulcis monasterii fundatio.

Quæ mox diximus de tempore, quo Stephanus abbatis officium apud Casam-Dei exercebat, amplius innotescit ex ipsiusmet litteris, quibus Fontis-dulcis locum Willelmo de Concampo, ejusque fratribus ad construendum monasterium cessit anno M C XVII. Fons-dulcis locus * est apud Santones medio fere itinere inter Mediolanum-Santonum & Angeriacum, ad scaturiginem fontis, qui loco nomen indidit. Illic cœptum hoc tempore monasterium, cujus originem chronicon Malliacense S. Gerardo de Salis; domestica vero loci monumenta Willelmo de Concampo tribuunt; idque hoc modo contigisse tradunt. Locum illum eremita, Aimarus nomine, primus inhabitare cœpit. Ad eum jam senem se recepit anno M C XI. Willelmus de Concampo, vir humanis divinisque litteris apprime exercitatus, qui, relictis litterarum studiis, totum se cælesti sapientiæ cum collega suo Petro mancipavit. Cum uno anno illic demoratus esset, proximum in densissima silva locum ædificando monasterio ab ejus possessoribus obtinuit. Mox, exstirpato condendæ fabricæ spatio, humiles casas pro paucis fratribus exstruxit, qui numero aucti, eum anno M C XVII. abbatem communi consilio elegerunt, secundum regulam sancti Benedicti & instituta Cisterciensium victuri. Verum primis illis monasterii initiis intercessere Casæ-Dei monachi, qui locum sibi ab Aimaro datum fuisse dicebant. ast, agente Gerardo Engolismensi episcopo & S. R. E. legato, Stephanus abbas assensu capituli Casæ-Dei hunc locum Willelmo cessit, eo pacto, ut, quamdiu Willelmus ejusque socii ac successores in proposito monachorum sive canonicorum regularium illic perseverarent, liberum locum haberent : alias locus ad jus Casæ-Dei reverteretur. *Facta est hæc concessio anno dominica incarnationis* M C XVII. *indictione* X. *regnante Ludovico rege Francorum, anno regni ejus* X. Nonnihil juris etiam in hoc loco habere videbatur Robertus de Bruissello, seu de Arbrisellis, eo quod Rotgerius quidam ejus discipulus, sed apostata, illic cellam ædificaverat, quam Aimaro concesserat. Quin etiam Angeriacenses eumdem locum sibi itidem arrogabant : sed tandem integra loci cessio Willelmo facta est. Denique, monasterii ædificiis absolutis, Gerardus Engolismensis episcopus mox laudatus, & Guillelmus Santonensis ecclesiam in honorem beatæ Mariæ anno M C XXVII. consecrarunt. Superstes fuit ad decem

* Font-douce.

annos Willelmus, anno M C XXXVII. mortuus XIV. kal. Junii. ANN. CHR.

Idem abbatiam de Tenalia erexisse dicitur, & locum, qui Granateria dicitur, a Gislebetto de Casa obtinuisse, ubi postea monasterium exstruxit Gerardus abbas secundus Fontis-dulcis, quem eumdem esse volunt cum Gerardo de Salis. Ceterum Fons-dulcis hactenus abbatia est nigrorum monachorum, uti & aliæ duæ modo laudatæ, quarum una, id est Tenalia *, sita est in diœcesi Santonensi, Granateria * vero in Lucionensi.

XIII. Tenaliæ & Granateriæ monasteria.
* la Tenaille.
* la Grenetiere.

XVIII. Gerardi de Salis vitæ initia.

Gerardus seu Geraudus de Salis, sic dictus a loco natali pagi Petrocoriensis, nobilibus parentibus, Fulcone & Aldearda, natus est. Post navatam studiis operam, Rotberti de Arbrisellis consilio canonici regularis habitum induit adolescens in monasterio sancti Aviti, quod non longe a Salis aberat. Ubi ad virilem pervenit ætatem, Rotberto mox laudato in prædicationis munere se adjunxit, cappa & cilicio indutus, & asperum vivendi genus sectatus. Multis ad eum confluentibus discipulis, septem monasteria sub regula sancti Benedicti construxisse traditur, Caduinum videlicet, quod primum dicitur, Grandem-Silvam, Dalonem, Bornetum, Allodiam, Absiam-Gastiniæ, & Castellariam, ubi post mortem sepultus est: de quibus omnibus in consequentibus agemus. Quin etiam ejus exemplo pater ejus ac mater, duoque ejus fratres natu-minores, Grimoardus & Fulco, monasticen amplexi sunt. pater quidem adhuc juvenis in extremis; mater in matura jam ætate: Grimoardus primo apud Tucionem ᵃ, inde ad Castellariam translatus: Fulco denique, postremus fratrum, eremiticum habitum apud Boscanium suscepit. Hæc carptim ex libello de vita ipsius sancti Gerardi, quem quidam Cisterciensis monachus haud impolite scripsit. Parum verisimile est, Gerardum, quem idem auctor anno M C XXI. obiisse dicit, per septem annos sancto Bernardo Claræ-vallensi abbati familiarem fuisse. Neque omnino certum est, an Gerardus omnes illas septem abbatias exstruxerit. quod suis locis examinandum.

a V. infra n. 40.

Grandis silvæ monasterium.

Primum, ut mox dicebam, quod Gerardus condidisse dicitur, monasterium est Grandis-silvæ in finibus Tolosanæ diœcesis & Montalbanensis, ejusque primus abbas Stephanus fuisse. Primi ejus loci incolæ vocantur eremitæ in antiquis monumentis Silvæ-majoris & Mansi-Garnerii. Hæc abbatia recens ad Cistercienses migraverat, cum Bernardus ᵇ ad Tolosates scribens, Bertrandum ejus abbatem atque domum illis commendat his verbis: ***Sit vobis commendatus lator epistolæ, venerabilis abbas Grandis-silvæ, & domus ejus, quæ & nostra est, nuper nobis & nostro Ordini ab ipso tradita, & ecclesiæ Claræ-vallis specialiter associata.*** Plura de hoc monasterio inferius, ubi de ejus translatione a monachis nigris ad albos acturi sumus.

b Bernard. ep. 242.

XIX. Raimundus monachus fit episcopus Massiliensis.

In ecclesia Massiliensi post Bertrandi episcopi obitum electus est hoc anno Raimundus, abbatiæ sancti Victoris monachus, præsul pietate insignis, eo nomine secundus, qui ***sub monachali habitu & regula*** in episcopatu vivere perseveravit. Is cathedralem ecclesiam libris & ornamentis pretiosis decoravit, plurimasque sanctorum reliquias in arca recondidit die festo Assumtionis, anno decimo sui pontificatus, non diu post hæc superstes: cujus obitus notatur VII. idus Novembris. Tunc sancti Victoris monasterio præerat Otto abbas, superius laudatus, post annos sex promotus ad episcopatum Genevensem. Ei suffectus in abbatia Rodulfus, de quo inferius.

XX. S. Benigni abbates.
c Perard. p. 111.

Pervenit saltem ad hunc annum Jarento sancti Benigni abbas, qui anno superiore monachos sancti Vitoni, a Richardo episcopo pulsos, benigne excepit. Idem hoc anno pactum societatis iniit cum Walterio episcopo ᶜ & ecclesia Cabilonensi, in qua episcopus domno abbati Jarentoni, ejusque successoribus ***unam canonicalem prebendam integram & cottidianam contulit, quam idem domnus abbas concessit monacho Divionensi apud sanctam Mariam commanenti, & ut monachus ipse apud sanctam Vincentium***, qui cathedralis ecclesiæ patronus est, ***septimanam faciat.*** Sanctæ Mariæ cella est diœcesis Cabilonensis, Benignianæ abbatiæ subjecta. Ex his patet, quod jam alias ᵈ observatum, graviter allucinari continuatorem chronici ᵈ sancti Benigni, qui Jarentonis obitum sex minimum annis antevertit. Non diu post hanc confœderationem vixit Jarento, quem initio anni sequentis obiisse non dubito, & quidem IV. idus Februarii, quo die in necrologio loci notatur ***depositio domni Jarentonis abbatis hujus cœnobii.*** Sepultus est in ecclesia cum hoc epitaphio:

d lib. 71. n. 43.
e Spicil. to. 1. p. 476.

> ***Dormit Jarento venerandus in hoc monumento,***
> ***Qui tibi tam digne servivit, sancte Benigne.***

ANN. CHR. 1111.

Ejus pietatem, caritatem, auctoritatemque probant ea, quæ in superioribus de eo retulimus. Ei in regimine successit Ademarus, inter benefactores a chronographo numeratus. Ademaro suffectus, non Henricus, ut fallit chronographus, sed Petrus, cui Odo [a] Burgundiæ dux donationes antecessorum suorum confirmavit anno MCXIII. Petro jam successerat Henricus anno MCXIX. ut ex charta apud Perardum [b] relata manifestum est. Plura de Henrico inferius.

[a] Perard. p. 213.

[b] ibid. p. 224.

ANN. CHR. 1112.

XXI. Paschalis concilium ad se purgandum cogit.

POst coronatum Heinricum imperatorem, & institutiones episcoporum & abbatum ci permissas, Paschalis papa, qui hactenus summa gloria pontificatum administraverat, ob id factum, etsi violentia extortum, apud multos male audire cœpit, quasi ecclesiæ causam prodidisset, quam Gregorius VII. & Urbanus II. tanta constantia propugnaverant. Quam ob rem, diluendæ hujus infamiæ causa, postero anno MCXII. concilium in Lateranum vocavit, cui centum viginti-quinque episcopi interfuisse perhibentur. His omnibus v. kal. Aprilis congregatis, factum excusare tentavit: quippe se, quod egisset, necessitate adactum fuisse, ut imminentem captivorum cædem, stragem populi, exitium urbis averteret. Tum, ne quis de fide sua dubitaret, fidei professionem edidit, sacras scripturas, & quatuor œcumenica concilia, decreta pontificum, speciatim Gregorii VII. & Urbani II. se suscipere ac venerari professus est. Postremo Gerardus Engolismensis episcopus nomine totius concilii promulgavit, infaustum illud privilegium, a Paschali pontifice pro liberatione captivorum vi extortum, ab universo concilio reprobari & damnari. cui decreto centum ferme episcopi & cardinales subscripserunt, necnon octo diaconi cardinales, quorum tres primi recensentur, abbas Sublacensis, scilicet Johannes, tum Johannes abbas Cajetanus & abbas sancti Andreæ.

XXII. Pontificatum abdicare voluit.

Gotfridus Viterbiensis notarius imperatoris auctor est, Paschalem in illo concilio patres hortatum fuisse, non modo ut acta cæsaris abrogarent, & contrarium decretum ederent; verum etiam ut ei pontificatum abrogarent, quod ipse suapte fecerit, mitra & manto depositis. De hoc concilio loqui videtur Sugerius abbas in vita Ludovici-Grossi, ubi se ei adfuisse satis innuit, & de privilegio per imperatorem vi extorto agens, hæc habet. *Aliud etiam de manu domini papæ, ut deinceps investiret, surreptitium privilegium extorsit: quod idem dominus papa in magno concilio trecentorum & eo amplius episcoporum judicio ecclesiæ, nobis audientibus, conquassavit, & perenni anathemate irritum esse duxit.* tum subdit quod ad propositum facit. *Verum si quærit quis, quare dominus ita trepide fecerit; noverit, quia ecclesia percussa pastore & collateralibus languebat, & pæne eam tyrannus ancillans, quia non erat qui resisteret, tamquam propriam occupabat. Cui certum facto dedit experimentum, quod, cum fratres, ecclesiæ columnas, ad tuitionem & ecclesiæ reparationem quomodocumque solvi fecisset, pacemque ecclesiæ qualemcumque reformasset, ad eremum solitudinis confugit: moramque ibidem perpetuam fecisset, si universalis ecclesia & Romanorum violentia coactum non reduxisset.* Idem quoque non obscure testatur Hildebertus in epistola [c] ad quemdam amicum, qui ecclesiæ præsentem statum lugebat. *Captus est*, inquit, *dux exercitus christiani, dum armatus hostibus occurrisset. Quisquis es æmulus veritatis, fortunam argue, non arma. Tribuum legem quam tulerat, alligatus absolvit dissimulandi necessitate, non voluntate. Liber factus, quod ante reciderat resarcivit. Fortis athleta post vulnera, post cruores, surgit acerbior; & cautius postmodum ictus excipere, & fortius reddere consuevit. Præformatas leges & jura conscripta .... renuntians omnibus ad secreta migravit. Hæc est justitia perfectorum. Reportatur in cathedram vocibus subditorum.* Paschalis itaque pontificatum abdicare voluit, & *ad eremum solitudinis* seu *ad secreta* confugit: at revocatur *violentia* & *vocibus* seu plausibus *subditorum*, id est *universalis ecclesiæ & Romanorum.* His concinit Gotfridus modo laudatus his versibus, quibus episcopos concilii ita Paschali loquentes inducit.

[c] Spicil to. 4. p. 251.

Ejus apologia per Hildebertum.

———— priscum tibi conciliamus honorem
Tolle, pater, mantum: curia tota manet.

Præclara sunt, quæ in Paschalis laudem, ejusque defensionem scribit Hildebertus [d] in prædicta epistola, in qua inter alia sic loquitur. *Si papa Paschalis pro jure, pro patria, pro testamento apostolorum, pro republica Jesu-Christi, sponte se manibus obtulit impiorum; si cervicem ad securim, quid sanctius, quid melius potuit, debuit? quid utilius*

[d] ibid. p. 248.

utilius proximo, quid honestius sibi? . . . Quod si postmodum cessit injuriæ, & , tamquam fugiens, ut a sanctorum sanguine & civium strage jam jamque vibrantis aciem dextra revocaret, vel ad horam his qui rogabantur assensit, & tamquam datis induciis & fœdere collato, donec Urbis instrueret muros, machinas collocaret, convocaret exercitum, anticiparet angustias, acies ordinaret, ictus suspendit in aëre ferientis; quid prudentius? Et infra. *Si vero . . . populi vocibus & cardinalium lacrymis revocatus in cathedram, apostolici culminis iterum moderatur habenas, voces exercet: si sanctorum synodum cogit, ecclesiam convocat, cœtum facit, & a domo Dei omnium vult assensu falce judicii scandala resecare; quod æquum & bonum est, ex justitia confirmare; quod differens est, ex misericordia tolerare, vel mutare; quod confractum est, discretionis fasciis alligare; si se cleri, plebisque judicio sic commisit, ut ex eorum sententia pendeat, an nova capitula cudat, an vetera destruat; aut quæ constituit roboret, aut temporum ratione sic inconvulsa permaneant; in cathedra commoretur, aut deportetur exsilio; numquid hac quoque lingua pravorum sermonis aculeis non formidabis lacessere, persequi, condemnare?* Hæc fusius fortasse persequor, sed nondum hac in re, ut puto, observata.

Etsi vero tam religiose ac modeste in Lateranensi illo concilio se gessisset pontifex; non tamen penitus sopita discordia est, propterea quod in suæ fidei professione addidisset, se numquam Heinricum imperatorem anathematizaturum, numquam de « investituris inquietaturum, ne scilicet fidem ei sacramento firmatam falleret: sed « tamen concessum ei privilegium a concilio damnari permittere. qua in re Pascha- « lem magnopere improbat Baronius, quod scilicet is, qui hactenus tam præclara perpetraverat, tunc visus sit languescere & hebescere; nec in Heinricum sacrilegum insurrexerit nec eum anathemate perculerit. Quamquam illud ipsum Paschalis religionem probare videtur, & quod contra præstitum, etsi non sponte, juramentum nihil agere voluerit, & quod concilio potestatem dederit damnandi quod ipse invitus fecerat. qua in re causæ ecclesiæ satis consuluisse sibi videbatur.

An merito culpatus a Baronio.

XXIII. Concilium Viennense ejus causa habitum.

In Gallia tamen non omnes ejus factum excusavere. In his Johannes Lugdunensis archiepiscopus concilium in eum celebrare voluit, ad quod Ivo Carnutensis episcopus invitatus, ne iret, se excusavit, & papæ factum non lacessendum rescripsit, ut superius [a] vidimus. Hinc Johannes a celebrando concilio abstinuisse videtur. At Guido Viennensis archiepiscopus, is qui postea Callistus II. dictus est, multos etiam aliarum provinciarum episcopos Viennam congregavit, ut pontificis factum discuteret. Habitum fuit XVII. kal. Octobris istud concilium, cui adfuit Hugo Gratianopolitanus, qui præ cæteris effecisse dicitur, ut Heinricus, qui sic enormiter in papam peccasset, excommunicaretur. Adfuit etiam Godefridus Ambianorum episcopus, cui, licet ægrotanti, Guido, si Nicolao Godefridi vitæ scriptori credimus, eo quod impeditioris esset linguæ, concilio præsidendi honorem detulit. In illa porro synodo reprobatæ investituræ, anathemate damnatus Heinricus, & censura perculsum privilegium, quod is a pontifice vi extorserat. quæ omnia Guido archiepiscopus, ceterique episcopi & abbates synodicis litteris Paschali significarunt, postulantes, ut eorum decreta confirmaret, & ab Heinrici communione penitus abstineret, si se deinceps filios ac fideles habere vellet. alias fore ut ab ejus subjectione & obedientia repellerentur.

a supra n. 3.

XXIV. Goffridus abbas hac de re graviter scribit.

Hæc quidem fortia, sed fortiora videtur scripsisse ad ipsum Paschalem Goffridus Vindocinensis abbas, qui superiorum pontificum pro ecclesia agones Paschali [b] proponit, tum subdit. *A quorum forte beata qui in eorum sede residens, & aliter agens se privavit, factum suum ipse dissolvat, & velut alter Petrus, lacrymando corrigat quod fecit. Si metu mortis titubavit ad horam carnis infirmitas, in corrigendis carnis operibus mentis integritas perseveret, & emendare non erubescat, causans de carne, velit nolit, moritura, quod acquisita immortalitate vitare potuisset. Si vero timore mortis filiorum suorum potius, quam suæ, ea fecisse, vel facientibus assensum dedisse convincitur, quæ Christus per semetipsum correxit, & beatus Petrus abominatus est, atque sacri canones penitus exsecrantur, nullo velamine tegi potest vulnus tam manifestum: quia pater sic filiis propitiare non potuit, sed salutem impedire filiorum. Mortem siquidem, quæ fructum facit meliorem, differre subito morituris, & in æternum victuris vitam a Deo paratam auferre, nulla nos docent exempla sanctorum.* & infra. *Et quoniam culpa hæc inexcusabilis nullatenus dubitatur, & excusando augeri potest, non minui; relicto errore scienter commisso, sine dilatione corrigatur: ne mater nostra spiritualis, quæ quasi novissimum*

b Goffrid. lib. 1. ep. 7.

ANN. CHR. 1112. *spiritum trahit, omnino moriatur.* tum sub finem. *Et quia luciferum*, inquit, *nostris temporibus e cælo lapsum indubitanter agnoscimus, non ei qualibet occasione, illius impietatem dissimulantes, inhæreamus, ne in puteum desperationis cum eo, quod Deus abnuat, corruamus. Si minus dixi quam debui, ignorantiæ deputetur: si amplius, quia de odio iniquitatis, & æquitatis amore processit, ignoscatur.* Sic definit hæc Goffridi epistola, qua nulla gravior & fortior in hac causa scripta est. Alia ad eumdem Paschalem epistola [a] excusat, quod ad prædictum concilium ab eo vocatus, non profectus sit, & quod cum Willelmo Pictavorum comite, ob illicitam copulam excommunicato, aliquando communicet ex necessitate, propterea quod monasterium suum meliores proventus in terra ejusdem comitis haberet. Alias tamen Romam adiit Goffridus, quo tempore, ut Ivoni episcopo [b] significat, *dominus papa & Romam* & Romanam ecclesiam cum magna pace possidebat & *tranquillitate.* quod ad annum M C VIII. refert Sirmundus, sed forte serius differri potest, ad annum scilicet M C XIII. quo Romæ omnia pacatiora erant. In reditu Goffridus Lugduni humanissime exceptus fuit *à domno primate Lugdunensi*, non Johanne, sed Joceranno, qui Hugoni successerat, ut superius [c] demonstravimus.

a ibid. ep. 9.
b id. lib. 1. ep. 18.
c lib. 71. n. 39. & sup. n. 3.

XXV. Leonis Ostiensis ultimi facta & obitus.

Hoc ipso anno M C XII. paullo ante concilium Romanum, & quidem VI. kal. Februarii, idem Paschalis craticulam, super quam sanctus Laurentius assatus est, e quodam veteri altari extraxit *cum duabus ampullis vitreis mediis* * *sanguine ejusdem martyris.* quæ craticula, postquam aliquot diebus Romano populo ostensa fuisset, per manus Leonis Ostiensis episcopi sub novo altari recondita est, nimirum in sancti Laurentii basilica extra muros Urbis, ubi bactenus asservatur. Hoc autem altare ab eodem Leone Ostiensi episcopo dedicatum est kalendis Februarii, & multæ reliquiæ ibidem repositæ, ut Baronius ad hunc annum fusius refert. Quidam Leonis obitum ad hunc annum referunt: at Ughellus [d] eum pervenisse ait ad annum M C XV. quo anno bullæ Paschalis II. pro ecclesia Marsorum subscripsisse invenitur. Plura de eo superius [e]. Scripsit inter alia chronicon Casinense quatuor libris, sed quartum dumtaxat ad caput XXXIV. inclusive, quem Petrus diaconus & monachus ab eo loco usque ad finem libri quarti continuavit, merito & auctoritate longe inferior, tametsi multa scitu digna contineat, ab aliis auctoribus haud observata. Ab eo laudatur Leo Ostiensis in libro de viris illustribus Casinensibus, capite XXX. & capite sequenti alter Leo S. R. E. diaconus cardinalis & monachus itidem Casinensis, qui nomine Urbani II. quam plures epistolas scripsisse, ejusque registrum fecisse dicitur.

* f. madidis.
d Ital. sac. to. 1. p. 964.
e lib. 67. n. 57.

Alberico abbati Casauriensi succedit Giso.

Post mortem Alberici Casauriensis abbatis, quæ XII. kal. Novembris accidit, revocatus est in abbatiam Giso, qui ob ferociam [f] ante repulsus fuerat, ex hac repulsa factus humanior & moderatior. Eo abbate, & ipso quidem agente, magna cura & sollicitudo fuit de renovandis [g] ecclesiasticis libris: in quo scribendi studio præcipue excelluere domnus Johannes, vir litteratus & boni exempli, domnus Maurus, necnon domnus Oldrius, qui in hac arte in primis assiduus erat, Gisonis abbatis futurus successor post quindecim annos, quibus Giso multum ad profectum monasterii, ad observationem regulæ & ad morum correctionem laboravit.

f lib. 71. n. 118.
g Spicil. to. 5. p. 481.

XXVI. Fructuariensibus commissa ecclesia in locis sacris.

Hoc ipso anno Arnulfus Jerosolymitanus patriarcha cum toto sancti Sepulchri capitulo litteras [h] scripsit Almeo Fructuariensi abbati, ejusdemque loci congregationi, quibus gratias agit ob munera per unum ex ipsis transmissa, eisdemque propter eximiam eorum sanctitatis religionem committit ecclesiam de Commisago, a primo ejus conditore, Ambrosio nomine, sancto Sepulchro commissam. Tum eorum mortuos sibi renuntiari postulat, simulque notum facit, quod *domnus Gibellinus, pater pastorque* atque *patriarcha* ipsorum, *vir piissimus* obierit VIII. idus *Aprilis. Hoc scriptum confirmatum est in capitulo sancti Sepulcri Jerusalem VI. kal. Madii, anno dominicæ incarnationis* M C XII. *indictione V. captionis Jerusalem a christianis anno* XIII. *domni Arnulfi patriarchæ anno* I. *præsidente in Jerusalem domno Balduino rege invictissimo anno* XII. *regnante Domino nostro Jesu-Christo.* Ex bis intelligitur, Gibellinum patriarcham anno M C XI. obiisse, idque diserte habet Willelmus [i] Tyrius, qui malis artibus quæsitum ab Arnulfo ejus successore patriarchatum tradit.

h Bibl. Sebus. p. 378.
i Willelm. Tyr lib. 11. c. 4.

XXVII. Cluseniis abbas in Hispaniam missus.

Mortuo, ut superius [k] diximus, Alfonso Legionensium & Castellensium rege, cum Urraca unica ejus filia, quæ unicum filium ex priori marito Raymundo Provinciæ comite habebat, Alfonso Aragonensium regi secundis nuptiis illicite copulata

k lib. 71. n. 85.

esset; idem Aragonius Castellæ regnum, privigno adhuc puero debitum, invasit, multasque strages in illis partibus patravit. quam ob rem Urraca ab ejus societate recessit. Quin etiam idem rex in præsules, etsi ejus moderationem prædicat Rudericus Toletanus, sævire cœpit. Hinc Burgensis & Legionensis sede pulsi: Palentinus captus: sancti Facundi abbas præfectura dejectus, atque in ejus locum Ramiris monachus, ipsius regis frater, inductus: Bernardus denique Toletanus pontifex in exsilium actus. His rebus commotus Didacus Gelmirius Compostellanus, simul illicita regis copulatione cum consanguinea, quod malorum caput esse sentiebat, Paschalem papam sæpius interpellat, mitteret quantocius in Hispaniam quempiam ex cardinalibus, aut quemlibet alium ecclesiastici ordinis insignem virum, apostolica munitum auctoritate, qui tot malis occurreret. Missus tandem Clusensis abbas cum litteris apostolicis, quibus mandatum erat, ut Hispaniarum episcopi cum nuntiis Alfonsi regis ac reginæ ad papam convenirent, quo, utriusque causa plenius indagata, tantis demum cladibus finis imponeretur, & Hispaniæ pax tranquillitas restitueretur. Ab illo tamen episcoporum numero pontifex Compostellanum excepit, quem moderandis Hispaniarum afflictis rebus necessarium credebat. Ubi occidentales Hispaniæ partes attigit abbas, res multo deteriores, quam audierat, visu comprobavit. Mox Aragonium adit, eique sedis apostolicæ auctoritate Urracæ copulam penitus interdicit, jubetque, ut ab Hispaniæ infestatione desistat. Si id facere pergat, excomunicationem intentat. At nihil apud eum preces, nihil minæ profuere. Eadem reginæ intimata: quæ se ad parendum pontificis mandato paratam esse respondit, quippe se invitam, ut Castellæ proceribus assentiretur, ad illicitas cum Aragonio nuptias descendisse. Tum Compostellanum episcopum adiit abbas, rei gerendæ consilium ab eo quæsiturus: cujus sententia fuit, non alio pacto, quam illicitæ copulæ dissolutione, res Hispaniarum in pristinam pacem & tranquillitatem reformari posse. Hæc pluribus disserit Gelmirius ipse episcopus in historia Compostellana, cujus fragmentum, ab erudito viro Joachimo *Le Grand*, dum in Hispania versaretur, accepimus, in Appendice referendum. Quid tandem effecerit abbas, ex hoc fragmento non liquet. Tantum apud Marianam [a] lego, obsesso a Castellanis intra Carrionem Aragonio, abbatis Clusensis opera & auctoritate pactas aliquot dierum inducias; nec multo post obsidionem dissipatam fuisse. Sed nusquam Clusensis abbatis nomen invenio, nec ex imperfectis abbatum Clusensium indicibus certo addiscere licuit.

[a] *Mariana lib.* 10. *c.* 8.

XXVIII. Cluniaco datur monasterium in Hispania.

Exstabat tunc temporis in Astuticensi episcopatu monasterium Salvatoris in Valle-viridi *, quod in manus laïcas redactum Alfonsus Urracæ pater Ilsonciæ commisisse abstulerat, sed ipsa Urraca eidem restituerat. Cum vero ad illas partes *Cluniacensium patrum fama* pervenisset, eadem Ilsoncia, filia Gomitii-Didaci comitis, cum filia sua Gelvira illud monasterium Pontio Cluniacensi abbati donavit pro anima mariti sui Fernandi-Munionis defuncti. *Hæc descriptio facta est* IV. *feria kalendis Maii, æra* M C L. *& anno incarnationis* M C X I I. *regnante Ildefonso cum matre sua Urraca, in Galecia.* His litteris subscribunt *Bernardus archiepiscopus in Toleto, Pelagius episcopus in Asturia, Petrus in Palentia episcopus, Petrus comes de Galecia, nutritor filii reginæ Urracæ, & comes Rodrigo-Velit, apud Asturicam civitatem testes.*

* *Valle Viridalis.*

Anno sequenti Petrus Galiciæ comes, modo laudatus, monasterium sancti Martini diœcesis Mindunensis Pontio abbati committit, ea lege, ut Cluniaco ipsi, non alteri abbatiæ sit subjectum. Testes Bernardus archiepiscopus Toletanus, Didacus Compostellanus, Munio Mindunienisis ecclesiæ episcopus, & Petrus prior sancti Jacobi. Actum XIX. kal. Januarii, anno XII. Didaci episcopi ecclesiæ sancti Jacobi seu Compostellanæ, æra M C L I. Mauricius Burdinus id postea confirmavit.

Pontius abbas Ivonem consulit.

Idem Pontius abbas per id tempus Ivonem Carnutensem episcopum de quibusdam dubiis consuluit, quorum id præcipuum est, *cur inter verba sacramentorum in consecratione dominici calicis positum sit,* MYSTERIUM FIDEI, *cum dominus inter mystica cœnæ verba, dans discipulis corpus & sanguinem suum, hæc verba non posuerit, nec aliquis evangelistarum evangelicis verbis a se dictatis interseruerit.* Respondet [b] Ivo, hæc verba satis exprimi his Domini verbis, *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt,* quæ eamdem sententiam continent. In fine epistolæ Ivo ait se Pontio mittere *collectiones canonum, quas* ille postulabat, & opuscula quædam ipsius Ivonis, *quæ in monumentum dilectionis per domnum Ernaldum, modo monachum vestrum*, inquit,

[b] *Ivo ep.* 161.

ANN. CHR. 1112.

olim clericum nostrum, transmisi vobis. Mitto aliam ejusdem Ivonis [a] epistolam ad Laurentium monasterii Caritatis ad Ligerim monachum, qui eum consuluerat de variis quæstionibus, quarum pleræque eo spectant, an & quo pacto habenda sit communio cum excommunicatis: ubi eorum, qui nominatim excommunicati sunt, vitandam communionem docet.

[a] *id. ep. 186.*

XXIX. Bernardus propinquos aliosque Deo lucratus.

Inter ea Bernardus adolescens, monasticæ vitæ desiderio flagrans, conceptum animo ignem ferre & continere non valebat. Ab illa siquidem hora, qua hoc propositum [b] mente fixerat, sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes hinc inde primum viciniora quæque corripit, postmodum in ulteriora progreditur: sic ignis, quem miserat Dominus in cor servi sui volens ut arderet, primo fratres ejus aggreditur, excepto solo Nivardo omnium natu-minimo, ad conversionem necdum habili, seniori patri ad solatium relicto; dein cognatos & amicos, & alios quoscumque, de quorum conversione spes aliqua esse poterat. Primus omnium Galdricus, ejus avunculus, mox ei sponte se adjunxit, vir sæcularis militiæ gloria clarus, & dominus Tuillii *, quod castrum est territorii Æduensis. Continuo etiam Bartholomæus, junior ceteris fratribus uno excepto Nivardo, necdum miles, salutaribus monitis assensum præbuit. Porro Andreas, Bernardo natu-minor, novus tunc miles, difficilius Bernardo hortanti adhæsit, sed tandem visa matre, quæ fratrum proposito gratulabatur, statim manus dedit. Jam vero Guido primogenitus fratrum, qui jam conjugio alligatus erat, primo paullulum hæsitans, sed rem altius perpendens, conversioni tandem consensit, modo conjux annueret. Verum cum illa, quippe juvencula nobilis & filias nutriens, omnino renueret; vir ejus virile consilium, Deo inspirante, concepit, abjectis omnibus, quæ in sæculo habebat, ut vitam ageret rusticanam, laborans scilicet propriis manibus, unde suam sustentaret vitam & uxoris, quam invitam dimittere non licebat. Tum ejus conjux gravi infirmitate flagellari cœpit. quæ agnito errore, accersito Bernardo veniam deprecatur, & ipsa prior conversionis petit assensum, & in cœtum sanctimonialium Benedictinarum apud Elariacum * in suburbio Divionensi transiit, ubi religiose vivebat adhuc, cum Guillelmus sancti Theoderici abbas hæc scriberet. Supererat Gerardus, secundus-natu post Guidonem, qui ut erat militiæ addictus, & ab omnibus dilectus, obstinato animo fratris monita repellebat: sed accepto ab inimicis, uti Bernardus prædixerat, vulnere, & in carcerem conjectus, se monachum esse Cistercienſem clamavit: & paullo post a carcere divinitus instar Petri eductus, votum fideliter exsecutus est. Itaque Bernardus jam spiritualis pater factus regeneratorum in Christo fratrum suorum, dehinc prædicationi cœpit insistere, & quoscumque poterat aggregare. Hos inter ei adjunctus est Hugo Matisconensis, nobilitate, probitate, opibusque insignis, qui, audita conversione socii & amici carissimi Bernardi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Verum ubi ad ejus colloquium venit, subito mutatus est, & datis dextris in sodalitium novæ vitæ, longe dignius veriusque facti sunt cor unum & anima una, quam in sæculo ante fuissent. Idem post paucos dies subversus ab aliis sociis, a Bernardo iterum conventus, fœdus renovavit, ac propositum confirmavit, quod non potuit deinceps violari. Hic est Hugo, qui ob vitæ meritum factus est abbas Pontiniacensis monasterii, quod ipse condiderat. Ita piissimi adolescentis sermonibus omnes cedebant; ideoque eo publice & privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant, ne ab eo converterentur. Crescente in hunc modum recens conversorum numero, per sex menses simul cohabitabant in domo communi apud Castellionem, in sæculari habitu monastice viventes, dum tandem anno sequenti Bernardus cum sociis amplius triginta Cistercium ingressus est.

[b] *lib. 71. n. 103. & 104.*

* *Tuillon.*

* *Larré.*

XXX. Gualdrici episcopi Laudunensis ac civium cædes

Tam piis & heroïcis exemplis piget attexere lugubrem historiam, quæ hoc anno, in ipsis paschalibus diebus, accidit in urbe Lauduno, prout describitur a Guiberto [c] Novigenti abbate, teste oculato. Horresco referens horrendum facinus; immo multorum facinorum congeriem, cædem videlicet Gualdrici, indigni certe vita, nedum dignitate episcopi, si Guiberto credimus; multorumque civium interitum, indeque consecutum ecclesiarum, & fere ipsius urbis incendium. Tantorum malorum originem refundit Guibertus in pravos mores episcoporum, qui illam sedem a centum annis occupaverant, Adalberonis scilicet, alio nomine Ascelini, Helinandi, & Ingelranni, quo mortuo, cum biennium vacasset illa sedes, Gualdricus, Heinrici

[c] *Guib. lib. 3. de vita sua*

ANN. CHR. 1112.

regis Anglorum referendarius, electus est, cujus electioni unus restitit Ansellus seu Anselmus canonicus, vir totius Franciæ suo tempore lumen tum in moribus, tum in liberalibus ecclesiasticisque disciplinis: sed tamen electus a Paschali pontifice apud Lingonas confirmatur: ubi Guibertus ipse, qui id fusius refert, se, quamquam juniorem, ad interrogata pontificis super electi persona latine respondisse scribit. Tunc temporis Ingelrannus Botvensis* comes, Ingelranni ultimo defuncti episcopi propinquus, infamem consuetudinem habebat cum uxore Godefridi comitis Namucensis, Rogerii comitis Porcensis filia, quæ marito in Lotharingia degente, apud Tornum Porcensis pagi castrum morabatur. In eam quædam dicteria & convicia clanculum jaciebat identidem probus alioqui vir nobilis Gerardus de Chirisiaco*, Laudunensis sancti Johannis parthenonis castellanus; nec de Galdrico episcopo, ejusque contubernalibus tacebat. Hinc ita frendens in eum episcopus, de ejus nece cum eis tractat; &, ne ejus conscius videretur, Romam iter instituit. quo absente Gerardus in principe beatæ Mariæ ecclesia inter orandum infra octavas epiphaniæ obtruncatus est. Tum vocatus Laudunum Hucbertus episcopus Silvanectensis, licet ob simoniam excommunicatus, ecclesiam reconciliavit: tumque a magistro Ansello & canonicis rogatus Guibertus, sermonem habuit, quem ipse integrum refert. Interim domus episcopalis spoliatur, & episcopus jussu regis, qui eum Gerardi cædis auctorem noverat, regressus ad suam sedem interdicitur. Roma reversus ille Codiciacum* venit, Guibertum e proximo Novigenti monasterio ad se vocat, auxilium ab eo petit, denique in urbem se armata manu intraturum minatur.

* de Bove.

* de Quierzy.

* Coucy.

XXXI. Communitatum origo & mala ex his secuta.

Inter ea, cum perditis hominibus plena essent in illa urbe omnia, clerici ac proceres, causas exigendi a populo pecunias aucupantes, de *communione* seu communitate statuenda consilium ineunt. Communio, novum ac mali ominis nomen, sic se " habet, ait Guibertus, ut capite-censi omnes solitum servitutis debitum dominis se- " mel in anno solvant; &, si quid contra jura deliquerint, pensione legali emendent. " Facta itaque inter clerum ac proceres mutui adjutorii conjuratione, episcopus ex Anglia, quo nuper ad corradendas pecunias abierat, Laudunum reversus, monetas corrupit; Thomæ Ingelranni filio, omnium mortalium nequissimo, eruit oculos; denique communionem, quam ipse juraverat, regemque jurare compulerat, (tunc enim redierat in ejus gratiam) ipse a rege abrogari machinatur, obtinetque. Id factum in cæna Domini, eodem die, quo Adalbero quondam episcopus regem suum prodiderat. Rupto communionis fœdere, furentes oppidani de necando episcopo conjurant, vixque ab ejus cæde in ipso sanctissimo die paschæ manus abstinent. Feria secunda paschæ, qua ad suburbanam sancti Vincentii basilicam de more procedebat clerus, impium consilium exsequi constituunt. at, cum episcopus submonitus processioni non interfuisset, post multas civium cædes ipse demum feria quinta paschæ in cellario ecclesiæ, qua se abdiderat, mactatur, & membratim conciditur. Id ubi comperit Adalbero sancti Vincentii abbas, illo ire voluit. ast aperta fronte ei dictum est, eamdem illi sortem certo imminere, si se insanienti turbæ insereret. Sabbato insequenti episcopi cadaver ad sanctum Vincentium, ubi Laudunensium episcoporum conditorium est, vix defertur: ubi absque ullis precibus inhumane humatur. His acceptis, Radulfus Remorum archiepiscopus Laudunum adit, ecclesiam reconciliaturus, & apud sanctum Vincentium sollemnes episcopo exsequias persolvit, atque inter missarum sollemnia sermonem habuit *de exsecrabilibus communiis illis, in quibus contra jus & fas violenter servi a dominorum jure se subtrahunt.* Hæc communitatum seu communiarum, ut vocant, origo, quæ multis in locis plurimorum malurum causæ exstitere, ut ex his quæ in Ambianensi ecclesia paullo post contigere, inferius ostendemus. Ad tot tantorumque scelerum expiationem divino nutu desæviit ignis, quo princeps beatæ Mariæ ecclesia cum suis ornamentis consumpta fuit; & titione sive carbone ad sancti Johannis monasterium devolante, ipsius basilica, necnon altera sanctæ Mariæ, quæ Profunda dicitur, sanctique Petri ecclesiæ concremantur. Addit Hermannus[a] monachus, non modo ecclesiam beatæ Mariæ cum aliis propinquioribus decem fere ecclesiis, sed etiam domos episcopi atque canonicorum, multorumque civium igne supposito concrematas fuisse. *Facta sunt hæc*, inquit Guibertus, *anno incarnationis dominicæ millesimo centesimo duodecimo, feria quinta paschali, septimo kalendas Maii.* quæ chronicæ notæ in editis vitiatæ sunt, emendatæ apud Albericum. Hæc pluribus Guibertus abbas, qui ait,

a *Herman. lib. 2. de mirac. S. Mariæ Laudun. c. 1.*

ANN. CHR. 1112.

unum e proceribus illis occisis Rainerium nomine, virum innocuum, cui ipsius Guiberti consobrina nupserat, cum palatium episcopale intrare accelerarer, lancea a tergo percussum fuisse, & episcopalem capellam subire nitentem igne media ex parte concrematum fuisse. De Galdrici episcopi nece agens Sugerius in vita Ludovici Grossi, eum *venerabilem ecclesiæ defensorem* vocat, eumdemque nonnulli alii laudant, non ita male de eo sentientes atque Guibertus, qui eum quidem optime noverat, sed vir erat censuræ non satis moderatæ. Quid ex illa clade consecutum sit, tædet referre, quippe quæ extra propositum nostrum, & apud eumdem Guibertum legenda. Unum tantum addo, nimirum sceleſtiſſimos illos cives, ut se regis judicio & meritis pœnis eximerent, perditiſſimum illum advocasse Thomam de Marna, vulgo de Marla, ut se contra regios impetus defenderet; eum vero priora facinora novis & horrendis sceleribus cædibusque cumulasse. Tunc sancti Johannis-Baptistæ parthenoni præerat Rainsendis abbatissa, genere clarissima inter Laudunenses, & monasterii provectrix, quæ eodem tempore a servo quodam suo nefarie occisa est. Hæc mihi videtur esse *Reisendis venerabilis abbatissa*, cujus obitus VIII. idus Augusti notatur in necrologio sancti Vincentii.

Non multo post Gualdrici necem electus est Hugo ex decano Aurelianensi, cui post sex menses mortuo suffectus est Bartholomæus, non minus sanctitate quam genere clarus episcopus, de quo dicendi occasio sæpius recurret. Ad Hugonem quod attinet, hic donationes sancti Nicolai in castro Roceio ecclesiæ factas hoc anno confirmavit monachis Majoris-monasterii inibi Deo servientibus, præsertim eas quas comes Ebalus morti proximus per Sibyllam conjugem fieri mandaverat. Hugonis litteris adscripta sunt signa Adalberonis abbatis sancti Vincentii, Wiberti seu Guiberti abbatis Novijanni, & Mainardi abbatis sancti Nicolai, easque Anselmus cancellarius sanctæ Mariæ relegit & subscripsit.

XXXII. Guibertus tractatum in Judæos edit. a Guibert lib. 3. vitæ c. 15.

Ad cumulum tot malorum hæretici & perversæ doctrinæ homines in Suessionum partibus impia dogmata disseminabant. In his Johannes Suessionum comes, vir malitia sollers, cujus mater cujusdam Judæi [a] studio fratrem suum cupiditate comitatus veneno necaverat, & ipse Judæorum errores ac perfidiam sectatus est, dira morte ob id, cum ab expeditione regia rediret, divinitus multatus. Adversus hunc pestiferum hominem Guibertus librum satis amplum edidit contra Judæos impulsu Bernardi Suessionensis ecclesiæ decani, cui eumdem librum dedicavit. Initio præmittit, tolerabile utcumque fore, si fidei nostræ ab his detraheretur, qui ejus dogmata non susceperunt: at intolerabile esse, ut, qui christiani dici & haberi velint, dentes & linguas suas in eam exacuant. In epistola dedicatoria non video quid sibi velit Guibertus cum eam ita inscribit: *Patri & domino Suessionensis ecclesiæ decano Bernardo, indignus admodum prænomine suo.* Neque enim ullum Guiberti prænomen uspiam legi, nisi forte prænominis voce abbatis titulum intelligat. In fine illius epistolæ ait, se, cum puer sub pædagogo ageret, a dictitandis quibusdam admodum sæcularibus litterulis cælitus deterritum fuisse. In fine opusculi refert, se a quodam Judæo accepisse, clericum quemdam Lauduni cum Judæo disceptantem, ut ejus pervicacitatem emolliret, titionem ardentem e foco longe extra domum illæsa manu extulisse, sed nihil profecisse, & Judæum id præstigiis tribuisse.

XXXIII. Manichæi hæretici judicio aquæ probati. b ibid. c. 16. * Bussy le long.

Præter Johannem comitem, quidam hæretici [b] in proxima Suessioni villa Buciaco * commanebant, Clementius scilicet cum Ebrardo fratre suo, homo illiteratus, sed tamen inter suæ hæreseos primores reputatus, de quo jactitabat impurissimus ille comes, se neminem eo sapientiorem comprobasse. Manichæorum errores sectabantur illi hæretici. unde corpus Christi Domini phantasticum fuisse asserebant, mysterium, quod fit in altari exhorrebant, baptismum parvulorum non intelligentium, & conjugium damnantes. Citati a Lisiardo Suessionum pontifice, *viro clarissimo*, & interrogati quid crederent, & cur conventicula haberent: conventicula quidem minime negarunt, sed se *christianissime* credere dixerunt. Sed quia talium hæreticorum mos est errores suos tegere, & simplicium animos clam seducere, *addicti sunt judicio exorcizata aquæ.* In ipso apparatu Guibertum rogavit episcopus, ut ab eis secreto quid sentirent eliceret: at nihil sinceri ab eis elicere potuit. Quia vero testes aberant, qui eos dogmatizantes audiissent, episcopo suggessit Guibertus, ut judicium aquæ perficeret. Missas itaque egit episcopus, de cujus manu sub his verbis sacra sumserunt. *Corpus & sanguis Domini veniat vobis ad probationem hodie.*

ANN. CHR. 1113.

Tum ad aquas proceditur. Episcopus cum multis lacrymis litaniam præcinnit, dein exorcismum fecit. Mox illi sub sacramento testati sunt, se numquam contra fidem credidisse, aut docuisse. Clementius tamen in dolium missus ac si virga supernatat. quo viso, qui præsentes aderant, de divino judicio lætantur. Ebrardus vero confessus errorem, cum fratre convicto in vincula conjicitur. Duo autem alii e Durmantis * villa non dubii hæretici pariter comprehensi sunt. *Inter ea perreximus*, inquit Guibertus, *ad Belvacense concilium, consulturi episcopos, quid facto opus esset. Sed fidelis interim populus clericalem verens mollitiem, concurrit ad ergastulum, vinctos rapuit, & subjecto eis extra urbem igne pariter concremavit*, justo, ut Guibertus putavit, zelo, *ne propagaretur carcinus*. Prædictum Belvacense concilium anno MCXIV. habitum est. Jam ad alia pergamus.

* Dormans.

XXXIV. Radulfo S. Theoderici abbati succedit Gaufridus.

In monasterio sancti Theoderici prope Remos Radulfus abbas, rebus bene gestis insignis, fato functus est hoc anno pridie idus Junii, forte ex pestilentia, ad quam sedandam sancti Theoderici reliquiæ anno præcedente ad villam *Chalor* dictam delatæ sunt. Radulfo subrogatus est ex proximo sancti Nicasii monasterio Gaufridus seu Joffridus tunc prior, vir vitæ venerabilis ac meriti non vulgaris, qui post annos octo translatus est ad Suessionense S. Medardi cœnobium, promotusque demum ad episcopatum Catalaunensem. Is tres præbendas fratrum assignavit instituendo anniversario Adalberonis archiepiscopi, qui clericis monachos apud sanctum Theodericum restituerat. Idem Walchero Roceiensi, qui Vidulæ piscaturam usurpare moliebatur, strenue restitit, eumque pertinaciter cœptis insistentem excommunicari curavit, ac tandem effecit, ut ille in ultimo agone resipiscens, ab ipso Gaufrido absolutionem petierit, quam obtinuit.

XXXV. S. Nicasio Ruminiaci cella subjecta.

Tunc S. Nicasii monasterio jam ab annis novem præerat Jorannus abbas religiosissimus, cujus tempore ecclesia S. Petri de Ruminiaco, quæ villa est diœcesis Remensis in Teorascia, in cellam erecta est. Hanc ecclesiam jamdudum, usu quidem pravissimo, sed valde inveterato, invaserant prænobiles Ruminiaci toparchæ a tempore Odonis-Fortis, sed tandem Nicolaus a *Domisus*, alterius Nicolai filius, grande piaculum reputans retinere contra fas patrimonium Christi, eam Nicasianis resignavit, ea conditione, ut pauculis, qui illic erant, clericis monachi subrogarentur, & anniversarium parentum suorum celebraretur. quod Rodulfus-Viridis archiepiscopus litteris suis confirmavit, datis Remis hoc anno, archiepiscopatus ejus quinto. His litteris apposita sunt signa Azenarii abbatis S. Remigii, Hugonis Altivillarensis, Harderici Mosomensis, Hugonis S. Basoli, Joranni S. Nicasii & Bernardi S. Caloceri abbatum, atque dignitatum ecclesiæ metropolitanæ. Hoc loco Marlotus ingemiscit de miserabili illius cellæ statu, quam numquam adeunt priores « sæculares, quibus in prædam data est. unde ruunt ædificia, gemunt pauperes, nec « amplius quidquam utilitatis accipiunt incolæ ex sacris illis ædibus, quas summo « studio veteres archiepiscopi & nobiles etiam ad ornatum provinciæ instituerant. « Hæc Marlotus, qui elenchum veterum dominorum de Ruminiaco ibidem subdit.

a Marlot. to. 2. p. 251. & seqq.

S. Nicasii viri illustres.

Joranno abbate magnopere floruit in S. Nicasii monasterio disciplina regularis, ex quo viri pietate & doctrina insignes prodiere, in his Gaufridus S. Theoderici abbas mox laudatus, Guillelmus ejus successor, Simon abbas S. Nicolai de Bosco, & Drogo abbas primus sancti Johannis apud Laudunum post ejectas moniales, creatus demum cardinalis, ut inferius videbimus: quibus addendus Arnulfus, Gemblaci factus abbas, qui postmodum, uti & Guillelmus, ad Signiacense monasterium secessit. Denique Jorannus ipse abbas, dimissa præfectura, ad Cartusiam Montis-Dei se recepit, quem *virum suæ sanctitatis merito omnibus bonis imitabilem* prædicat Rainaldus II. Remorum archiepiscopus in litteris anno MCXXXV. datis, quibus res quasdam ab eo comparatas confirmat.

XXXVI. Helgoto abbati S. Audoëni succedit Guillelmus.

Rotomagi in S. Audoëni monasterio Helgotus abbas supremum diem absolvit b XII. kal. Decembris, postquam illud cœnobium viginti annis recte administrasset, & basilicæ fabricam, a Nicolao abbate inceptam, valde promovisset. Sepultus est ante altare S. Stephani protomartyris, quod tunc in vestibulo ad aquilonarem plagam positum erat. Eidem subrogatus ad quatuordecim annos Guillelmus Balotensis, ejusdem loci a pueritia monachus, cujus tempore basilica illa ingens, vix annorum sexaginta spatio absoluta, a Goisfredo archiepiscopo dedicata fuit anno MCXXVI. sed post decem annos incendio deformata. Hanc utcumque repararunt c monachi,

b Orderic. lib. 8. p. 720.

c Pommeraye lib. 2. hist. S. Audoeni c. 21.

ANN. CHR. 1112.

donec tandem Johannes abbas, cognomento Marca-argenti, augustissimum illud, quod hodie spectantibus admirationem affert, templum anno M CCC. XVIII. inchoavit, ut in continuatione horum Annalium, Deo favente, dicetur.

Cadomenses abbatissæ.

Cadomense sanctissimæ Trinitatis monasterium rexit ad annum usque M C XII. Mathildis abbatissa, quam Anselmus dehortatus est a proposito abdicandæ abbatiæ, cui annis quadraginta-septem laudabiliter præfuit. Hanc tamen *obiisse anno prælationis suæ quinquagesimo quarto, pridie nonas Julias*, aperte tradit epistola encyclica statim ab ejusdem morte variis tum Galliæ, tum Angliæ ecclesiis a Cadomensibus sanctimonialibus missa. quod & idem habetur in titulo, ut vocabant, sancti Martini Turonensis, iisdem sanctimonialibus postea misso. At id conciliari nulla ratione potest neque cum Orderico Vitali & Willelmo Gemeticensi [a], auctoribus coævis, scribentibus Mathildem Cadomensi abbatiæ præfuisse annis dumtaxat quadraginta-septem, aut fere quadraginta-octo, neque cum ipsa rerum serie. Constat enim ex Orderico Cæciliam, quæ Mathildi successit, *fere* XIV. *annis sanctimonialium regimen laudabiliter gessisse, annoque dominicæ incarnationis* M C XXVII. *tertio idus Julii de hoc sæculo migrasse, anno* XXVI. *regni fratris sui.* Quo quidem ex numero si subduxerimus quatuordecim annos, incidemus in annum Christi M C XII. quo regimen abbatiæ inire debuit Cæcilia. Si vero ex anno Christi M C XII. subducamus quinquaginta-quatuor annos regiminis Mathildis, incidemus in annum M LVIII. quo nondum fundata erat abbatia S. Trinitatis Cadomensis. Nulla difficultatis istius solvendæ ratio suppetere videtur, nisi forte Mathildis per sex circiter annos præfuerit monialibus apud Cadomum congregatis, nundum constructo monasterio S. Trinitatis: vel præfuisset monasterio S. Leudegarii Pratellensi, antequam ad Cadomense vocaretur, cujus tamen Pratellensis regiminis nulla prorsus exstant documenta. Assumtam enim fuisse Mathildem ex monasterio Pratellensi, docet hujus monasterii titulus, in quo de Mathilde abbatissa sic canit poëta:

[a] Willel. Gem. l. 7. c. 26. Orderic. lib. 5. p. 548. & l. 7. p. 648.

Dum sic polleret, super hoc dum fama volaret,
Abstulit hanc nobis gemmam regina Mathildis,
Tradens cœnobium sibi matris jure regendum,
Quod sub honore Dei construxerat ipsa Cadomi.

Discimus insuper tum ex rotulo parthenonis Cadomensis, tum ex titulis ecclesiarum sanctæ Radegundis Pictavensis, S. Petri Santonicæ sedis, & S. Dionysii Novigenti castri Pertici, regum sanguine (quorum? incertum) ortam fuisse Mathildem. Eorum omnium titulorum, ad ducentos quinquaginta quatuor, in unum rotulum longum decem circiter & septem ulnas assutorum, archetypum ipsum Mathildis ætatem redolens, vidimus, asservatum in insigni abbatia sanctæ Trinitatis Cadomensis. Certe scriptos fuisse plures ex iis titulis ante ipsam Cæciliæ electionem, probat titulus S. Petri Namnetensis, Cadomensibus sanctimonialibus suadens, ut *Cæciliam filiam regis* loco Mathildis *faciant.* Modo citatos in Appendice referemus cum epistola encyclica parthenonis Cadomensis, cujus primæ quatuor lineæ, lacera jam & vetustate consumpta superiori parte membranæ, legi non potuerunt. Mathildi successit, ut diximus, Cæcilia, Willelmi Conquæstoris filia, quam pater Fiscamni anno M LXXV. per manum Johannis archiepiscopi Deo consecrandam obtulerat. Tum in parthenio S. Trinitatis sub Mathilde abbatissa diligentissime educata, in virginitatis proposito fidelis, & sanctæ regulæ tota mancipata, abbatissæ officium post Mathildem annis fere quatuordecim optime administravit.

XXXVII. Floriaco remissæ exactiones.

Per id tempus Fulco, Wastinensis in Burgundia vicecomes, varias Floriacensibus nostris molestias & vexationes in eorum prædio Matriniaco * inferebat. Querelas hac de re Boso abbas detulit ad Ludovicum regem, tunc Belnæ * in Burgundia degentem. Auditis utrimque partibus, rex litem composuit sub certis conditionibus, quas hic referre parum interest. Regiis litteris apposita sunt signa quatuor primorum regni tunc ministrorum, scilicet Anselli de Garlanda dapiferi, Hugonis constabularii, Widonis Silvanectensis buticularii & Guidonis Waleranni camerarii. *Actum Loriaci * in palatio publice anno incarnati Verbi* M C XII. *anno vero consecrationis nostræ* III. Stephanus cancellarius relegendo subscripsit. Post hæc adscripta sunt signa Daimberti Senonensis archiepiscopi & Leodegarii Bituricensis; tum Ivonis Carnotensis episcopi, Walonis episcopi S. Pauli Leonensis, & Johannis Aurelianensis.

* Marigny.
* Beaune.
* Lory.

De

De palatio Lotiaci, quod opidum est pagi Wastinensis, vide quæ protulimus in secunda editione librorum de re diplomatica. Plura inferius de Bosone Floriacensi abbate, qui superstes fuit ad annum M C XXXVIII.

XXXVIII. Andreas abbas Casalis-benedicti obit.

Apud Casale-benedictum io Biturigibus ad cælestem patriam migravit venerabilis Andreas, illius monasterii conditor [a] & primus abbas, qui ex Vallis-umbrosæ cœnobio jam pridem in Galliam accesserat, ubi loca non pauca monasticis institutis decoravit. Exstat de ejus obitu Casalis-benedicti monachorum encyclica [b] epistola, in qua anous & dies ejus obitus, necnon præcipua ejus facta compeodio præstringuotur in hunc modum. *Hic beatus vir anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo centesimo duodecimo, indictione quinta,* XII. *kalendas Februarii, explevit naturæ jura, mortis persolvens debita. Pro cujus anima fundere Deo preces non sit vobis desidia, quia illum credimus regnare in cælesti gloria, & pro nostris excessibus supplicare Deo in superna curia. Iste enim vita admirabilis, cilicinis vestibus & laneis post conversionem suam super propriam carnem semper usus fuit; eamdem quoque multis macerans jejuniis, viginti & octo annis quadragesimalem vitam duxit. Præter ea pietate, misericordia, caritate ineffabili plenus, multis subvenit egenis, quibus consilium, quibus auxilium, quibus refugium fuit. Primus quoque abbatiam nostram, quæ vocatur Casale-benedictum, construxit, pluresque cellulas sibi suppositas, scilicet Corneliacum, Contras, Altaria, S. Benignum, Beesiam, Polinas, S. Anianum, Cambonum, Salviniacum: in quibus locis dumtaxat pro Dei amore monachos, sub norma beati Benedicti victuros & divinæ pietati quotidie militaturos, coadunavit: quos verbis divinis spiritualiter, & temporalibus cibis corporaliter, prout potuit, pascere non destitit. Sæpe etiam cum fratres paupertatis onere nimium gravarentur, non habentes unde humanam naturam, ut deceret, reparare valerent; iste non ad modum mercenarii, sed ad similitudinem pii & boni pastoris, semetipsum periculo mortis tradens, pro eorum utilitate non solum per loca vicina mendicando ibat; sed etiam mare transiens, in Anglicam terram pergebat. unde gratia Dei cum ornamentis pluribus & marcis argenti redibat, quibus ecclesiam suam honorifice decorabat, & fratrum suorum inopiam sustentabat.* Ad bæc ei *mos inerat celebrando missas quotidie se in holocaustum Domino mactare: quin etiam multoties totum ex ordine psalterium legendo offerre Deo, antequam cibum sumeret, conabatur.* In fine monachi de tanti patris obitu *inconsolabiliter lugentes, non parem, non similem ulterius*, inquiunt, *habituri*, pro eo preces obnixe deposcunt. Ejus translario in domesticis tabulis notatur XII. kal. Martii, quo scilicet die ejus corpus e primario tumulo translatum fuit ad latus evangelii prope majus altare, ubi bactenus cernitur.

a V. lib. 70. n. 81.

b Spicil. to. 2. p. 518.

Ejus successores.

Aodream beatum non immerito vocaot, cui in regimine monasterii nnanimi fratrum calculo substitutus est Geraldus seu Geraudus, cujus tempore Casalenses gravis scrupulus torsit, ob eam scilicet causam, quod prior & caoonici sancti Cyrici Suldunensis seu Exoldunensis*, qui Andreæ abbari ejusque monachis locum ædificando cœmeterio & oratorio contulerant, postea construendi *burgi*, ut vocant, facultatem & parochialia jura bac conditione contulissent, nt eis annuum censum quinque solidorum monachi persolverent. quod cum isti non sine simoniæ crimine factum crederent, locum deserere deliberatunt. Verum coosultus ab eis Pascbalis papa censuit, *placitum* illud *simoniaci flagitii nihil habere*, mandavitque, ut ne monasterium suum desererent, sed in eo, sicut promiserant, stabiles manerent in saocta « religione. Quamquam Leodegarius Bituricensis, qui ea de re Remensis concilii « patres consuluerat, eos ad cautelam absolvit, vetuitque ne deinceps clerici sancti Cyrici censum illum exigerent. Instrumentum ea de re ex authentico habes in Appendice. Giraldo abbati Gaufridus Carnotensis episcopus ecclesiam S. Germani de villa Emblonis tradidit anoo M C XVIII. laudantibus Gosleno archidiacono, Gosleno de Leugis, aliisque canonicis, qui Goslenus Gaufridi episcopi nepos ac successor fuit. Geraldo successit Isembertus, Isemberto Radulfus anoo saltem M C XXXV. ut suo loco videbimus.

* d'Issoudun.

XXXIX. S. Sulpicii parthenon Redonis fundatur.

Apnd Redonas Britanniæ civitatem duo sunt eeleberrima virginum Benedictinarum cœnobia: unum sancti Geotgii, de quo in superioribus [c] egimns: alterum sub titulo S. Sulpicii extra muros urbis, quod hoc aono ab Alano Fergentio duce conditum est io prædio *Merle* appellato, agente Radulfo [d] de Fusteïa, S. Jovini de Marnis monacho, qui in vita eremitica Rotberri de Arbtisello, Bernardi Tironiensis, & Vitalis socius fuerat. Prima ejus loci abbatissa exstitit Maria, Stephani

c lib. 56. n. 82.

d V. lib. 68. n. 67.

ANN. CHR. 1112.

Campaniæ comitis, postmodum regis, & Bertæ Britanniæ ducissæ filia, quam Marbodus Redonensis episcopus anno M C XVII. benedixit. quo anno Fulco Andecavensium & Cenomannensium comes, ejusque conjux Aremburgis seu Eremburgis prædium Fontis-S. Martini novo sancti Sulpicii monasterio tradidit *in manibus Radulfi monachi magistri sanctimonialium, & eum de hoc dono investivit cum aureo anulo in aula* sua *Cenomannis*. Idem Radulfus *de Flageio* cognominatur in charta Willelmi episcopi Pictavensis, qui eodem anno M C XVII. *Radulfo de Flageio**, *sanctissimo viro & religiosissimo, ecclesiam Dei & S. Mariæ Magdalenæ, quæ sita est in parrochia Fulgerosia**, *ad opus sanctimonialium S. Sulpicii, videntibus & audientibus Roberto episcopo de Cornugallia*, aliisque, concessit. Idem post annos duodecim aliam donationem fecit *Maria abbatissæ totique conventui virginum ecclesiæ beatissimæ Virginis Mariæ & S. Sulpicii Nidi-merli, sub monastico ordine uni viro Christo desponsatarum*. Ad hæc Conanus comes cum matre sua, sorore & uxore, *monasterium S. Mariæ Magelonæ**, *quod Britannice Locmaria vocatur, Radulfo priori atque Mariæ abbatissæ necnon & sororibus ibidem Domino servientibus* cum suis adjunctis contulit. quod Robertus Corisopitensis episcopus anno M C XXIV. confirmavit.

* al. Flagreio.

* Fougerense.

* al. in Aquilone.

XL. Ejus cellæ & abbatissæ.

In tribus prædictis locis erectæ sunt tres cellæ seu prioratus conventuales sub ditione & subjectione S. Sulpicii principis monasterii, nimirum prioratus Fontis S. Martini in diœcesi Cenomannensi; prioratus S. Magdalenæ de Fulgerosia in diœcesi modo Rupellensi; prioratus S. Mariæ, Locmaria dictus, in Corisopitensi, cui addendus Locmaria minor in Venetensi, præter duos in Anglia prioratus in diœcesi Roffensi.

Maria S. Sulpicii prima abbatissa locum rexit usque ad annum M C LIX. cui Nina abbatissa successisse dicitur apud Albertum, & anno M C LXXI. decessisse, Ninæ vero Ennoguendis, Ennoguendi porro Amelina, anno M C LXXXVII. ad annum M CCX. Ec quidem certum est Ninam abbatissam jam loco præfuisse anno M C LXII. quo anno Alexander III. *dilectis in Christo filiabus Ninæ abbatissæ monasterii beatæ Mariæ, quod in silva Nidi-merli situm est, ejusque sororibus* confirmat omnes illius parthenonis possessiones & ecclesias atque cellas. At constat eamdem Ninam adhuc superstitem fuisse anno M C LXXXI. quo anno Philippus Redonensis episcopus Ninæ *S. Sulpicii abbatissæ, dilectæ filiæ suæ in Christo, atque cunctis fratribus & sororibus ibidem Deo famulantibus*, ecclesiam de Ercëio, quam dono & concessione antecessorum suorum felicis memoriæ domini Alani & Stephani Redonensium episcoporum jam possidebant, litteris suis confirmavit, ita ut ipsis liceat unum *ex confratribus* suis, » si voluerint, aut quemlibet alium idoneum presbyterum illuc mittere ad ejusdem ecclesiæ » administrationem. Ex quibus intelligitur, duplex S. Sulpicii monasterium fuisse, » fratrum videlicet sub priore, & sororum sub abbatissa. quod etiam probat charta » cujusdam Bardoli, Juhelli-largi filii, qui Jerusalem profecturus, suscepta cruce, venit » ad ecclesiam beatæ Mariæ & S. Sulpicii, *ibique coram multitudine fratrum & sanctimonialium*, & in præsentia Mariæ abbatissæ, donationes eidem loco a patre suo » factas confirmavit. Dehinc ex sacris locis reversus, *infirmitate cogente*, ad abbatiam » S. Sulpicii accessit, easdemque donationes denuo ratas habuit; ac demum habitu » religionis suscepto decessit. Hoc instrumentum chronicis notis destitutum est, ideoque incertum utri ex duabus Mariæ abbatissæ tribuendum sit. tametsi potius convenire videatur posteriori, quæ labente sæculo tertio-decimo præfuit, quam priori, cujus tempore tanta illic multitudo fratrum non erat. Insigne est hodie quoque S. Sulpicii monasterium, non magis numeroso virginum cœtu celebre, quam religione & disciplina regulari, quam ibidem Margareta *d'Angennes* abbatissa superiori sæculo decimo-septimo inchoato restituit. Illic pro sancto habetur, sed nullo ecclesiastico officio colitur Radulfus, prior & primus ejusdem loci institutor, mortuus anno M C XXIX, & quidem XVII. kal. Septembris, quo die ita de eo legitur in necrologio, *Obiit S. Radulfus monachus S. Jovini, servus & pater fratrum & monialium sanctarum abbatiæ S. Sulpicii anno Domini* M C XXIX. Eumdem annum assignat Landevenecense necrologium, sed alium diem, nempe ipsas kalendas Februarii. Hæc ex S. Sulpicii monumentis, quæ mihi communicavit noster Alexius *Lobineau*, historiæ Britannicæ scriptor.

XLI. Majori monasterio factæ donationes.

Per id temporis Paplnus quidam, civis Namnetensis, ecclesiam sanctæ Crucis, intra muros urbis Namneticæ sitam, Majori-monasterio contulit, hocque donum

fecit in manu Willelmi abbatis. quod Alanus comes cum Ermengarde ejus conjuge ratum habuit, primo quidem *in aula ejus ad caput tabula*, vidente & probante comitissa; deinde ipsa quoque comitissa *per quemdam cultellum in capella juxta busetum*, quas formulas in aliis ejusdem comitis actis legi; postremo Conanus, filius prædicti Alani comitis & Ermengardis, *per pannum mantelli sui in manu domni Willelmi prioris*, qui & ipse donum comitissæ receperat. Porro parvo post tempore *idem Conanus, rediens a sorore sua* Agnete scilicet, *quam nuptui tradiderat comiti Flandriæ* Balduino VII. una cum prædicta matre sua, adiit Majus-monasterium; ingressusque capitulum, illius ecclesiæ donationem denuo confirmavit, aliaque adjecit præsentibus Lamberto abbate sancti Nicolai apud Andecavos, Stephano abbate Nucariensi cum Willelmo Majoris-monasterii abbate & toto conventu multisque aliis. Hic est Balduinus comes, cognomento Securis * sive Securicula, qui scuto ejus fronti per infortunium illiso sauciatus, sumto in extremis habitu monastico XV. kal. Junii anno M C XVII. interiit, & in sancti Bertini monasterio sepultus est, testante Iperio, nullis liberis ex Agnete susceptis: cui Carolus, Canuti Daniæ regis & Adelæ Flandricæ filius, Bonus cognomine, in comitatu successit.

* *à la Hache.*

XLII. Tucionis monasterium conditur.

Sub hunc annum ædificari cœptum est Tucionense * monasterium apud Pictones in vastissima silva Tucionensi, ubi veteris oratorii rudera erant, quod quidam eremitæ olim construxisse perhibentur. Hunc locum Fulcaudus Francardi, Rotberto de Arbrisellis contulit ad monasterium ædificandum, quod caput illius Ordinis aliquamdiu exstitit. Huic donationi obstitere primum vicini Nantolienses monachi, qui hunc fundum sui juris esse contendebant: sed tandem assensum præbuit Gauterius seu Galterius abbas cum toto conventu. quod Petrus Pictavensis episcopus & Girardus Engolismensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, litteris suis comprobarunt. Petri episcopi litteræ anno M C XII. indictione V. Girardi vero triennio serius datæ sunt. Illic monasticum habitum induit Grimoardus frater Geraldi de Salis, superius [a] laudatus, dein factus prior apud Castellariam, & post mortem fratris abbas Allodiensis; ac demum Pictavorum præsul. Perstat etiam nunc Tucionense monasterium in archipresbyteratu Ruffiacensi sub ordine Fontis-Ebraldi.

* *le Toussen.*

a *lib. 71. n. 18.*

XLIII. Saviniacense item monasterium.

Rotberti de Arbissellis in vita eremitica socius fuerat beatus Vitalis, qui hoc anno Saviniacense monasterium exstruxisse traditur, tametsi paullo ante hoc monasterium exstitisse videtur, ut superius [b] diximus, habita scilicet ratione temporis, quo construi cœptum est. Primariæ tamen litteræ, quibus Radulfus Fulgeriensis condendo monasterio locum Vitali concessit, hoc anno datæ [c] sunt, quarum hæc verba Radulfi pietatem testantur. *Ego Radulfus Fulgeriensis, universorum consummationem & finem attendens, & in futurum saluti meæ providens simul ac consulens, quod propriis meritis obtinere non possum, a pauperibus spiritu regnum cælorum, quod ipsorum est, emendum putavi. Eos enim in illa cælesti curia semper advocatos habere desiderans, utpote cujus ipsi sunt concives simul & præsules, ad eosdem, tamquam ad sancta munitionis asylum, confugio: ut eorum saltem merear opitulatione salvari, qui de meis meritis nonnisi mortem & damnationem invenio. Dono igitur ego Radulfus cum uxore mea Avitia, & filiis meis, Mainone, Fransgalone, Heinrico & Roberto, Deo & domno Vitali eremitæ in possessionem & cœnobiale domicilium monachorum, videlicet forestam de Savigneio, sicut ex una parte fluvius, qui vocatur Chamba, ipsam forestam a Cenomannia disterminat; & ex altera parte Chambenesta fluviolus ab ipso vico separat, qui Savigneïum appellatur.* Atque ut *nemo servos Dei inibi commorantes inquietare audeat, Turgisius Abrincensis episcopus*, in cujus parochia locus situs est, eum *ab omni consuetudinum episcopalium exactione* immunem esse voluit. *Hæc donatio confirmata est & signata apud Savigneöum anno ab incarnatione Domini* M C XII. *indictione* V. *epacta* XXI. & quidem VIII. *kal. Februarii, anno regni primi Henrici regis Anglorum & ducis Normannorum* XIII. *anno vero archipræsulatus Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi* III. *Turgisii quoque Abrincensis episcopi anno præsulatus* XVIII. Ubi notanda hæc verba, quibus *donatio confirmata* dicitur, quæ fortasse ante aliquot annos facta fuerit, ut alias observatum. Quamquam in chronico Saviniacensi [d] beatus Vitalis, *optimus seminiverbius* anno Domini M C XII. *monasterium istud, quod dicitur Savigniacum, in confinio Normanniæ & minoris Britanniæ* ædificasse traditur, & modernas *institutiones, in aliquibus Cisterciensibus similes monachis suis imposuisse, ibidemque virtutibus & miraculis claruisse*, inter quæ *quemdam militem mortuum, populo præsente, suis sanctis precibus resuscitavit.* Vitalis porro hanc abbatiam annis decem

b *V. lib. 70. n. 94.*

c *Martene Miscell. to. 1. part. 2. p. 33.*

d *Baluz. to. 2. Miscell. p. 310.*

ANN. CHR. 1112.

rexit. Exstat ad eum Pascbalis II[a]. epistola, dilecto filio *Vitali abbati sanctæ Trinitatis de Savigneio* inscripta, in qua scribit se audivisse, *in nemore quodam deserto & invio ecclesiam ædificatam, & religiosos fratres per* ejus *industriam congregatos esse*: quorum „ quieti providens concedit, ut pro interdicto communi parrochiæ, in qua manent, „ eorum ecclesia nullo modo careat divinis officiis.

a Marteno ubi supra p. 51.

XLIV. Sithienses Cluniacensibus subjici detrectant.

Sub hunc annum, referente Iperio, Pontius Cluniacensis abbas, monasteriis suis per Franciam & Hispaniam lustratis, S. Bertini quoque monasterium adire constituit. Itaque Abbatis-villam magno comitatu *cum centum mulis* profectus, Lamberto abbati significavit, se pascha in Sitbiensi monasterio celebrare velle: & illic, tamquam in proprio, curiam suam tenere. Hoc nuntio exbilarati Cluniacenses, qui ibidem principem locum tenebant, dictitare cœperunt, Sitbiensem abbatem præsente Cluniacensi solita reverentia & potestate privandum, ejusque sedem Cluniacensi cedendam, utpote abbatum abbati, qui pro nutu & arbitrio quos vellet, institueret, ac deponeret. Hæc graviter ferentes Sitbienses, Clementiam Flandriæ comitissam ejusque filium comitem Balduinum perpulerunt, ut Pontio abbati mandarent, opportunum sibi non esse venire ad S. Bertinum. Id Sithiensium instinctu factum Pontius facile conjiciens, Lambertum flectere nititur. At ille veritus fortiorum conflictum, & nominis sui apud suos infamiam, si nobilem abbatiam Cluniacensium jugo ac servituti subjiceret, ad Pontii nutum nequaquam flecti sustinuit. Interim comes & comitissa ad tuendam monasterii libertatem animantur. Non tamen animum abjicit Pontius, sed per Abbatis-villæ priorem urget Lambertum, ut cum eo comitissam conveniat, efficiatque Pontio conductum dari, accessuro ad sanctum Bertinum, *quasi in propria*. His verbis offensi comitissa & comes, nullum Pontii nuntio responsum dederunt. Hæc omnia Lamberto imputabat Pontius, qui ei mandat, ut suos Cluniacenses, qui in Sitbiu demorabantur, Rumiliacum ad se mittat. quod Lambertus exsecutus est. Inde Pontius ad Lihunensem digressus cellam, duobus Sitbiensibus monachis, dudum Cluniaci professis, sed Atrebati commorantibus, submissis equis præcipit, ut ad se veniant. quod ubi rescivit Lambertus, Atrebatum pergit, & Gelduino dudum Aquicinctino abbate, tunc vero in Sithiu incluso, atque æditus Morinensi ad Pontium præmissis, monet, suos ut quantocius reddat: sin autem, Romam ad papam eum citari jubet. Hoc facto, quamvis non ignoraret rem arduam esse Cluniacensium auctoritati resistere; sed tamen animo reputans difficilius esse *Flandrorum superbiam Burgundionum dominationi subjicere*; Romam properat, in curia causam exponit, sicque ejus votis fortuna arrisit, ut curiæ judicio quidquid vellet, impetraret. Invenit quippe Romanos curiales offensos in Cluniacenses, quod hi duriora in papam & cardinales scripsissent ob privilegium investiturarum, etsi per vim, imperatori concessum. Itaque Lamberto abbati pontificium diploma indultum est a Pascbali papa, quo diplomate ea omnia, quæ Lambertus Cluniaci contra Sithiensium libertatem fecerat, etsi a comite & episcopo approbata, irrita declarata sunt, maxime quod absque assensu capituli, cum Sithiensis, tum Morinensis, episcopus & abbas id fecissent. Hoc diploma datum est anno sequenti, idque denuo postea ab eodem Pascbali confirmari curavit Lambertus. Hæc omnia ex Iperio retuli. Nihilominus tamen hæc controversia deinceps iterum excitata est, ut in consequentibus videbimus.

XLV. Aquicinctenses abbates

Addit Iperius, Gelduinum, Aquicinctinum olim abbatem, cum efficere non potuisset, ut Pontius ad sanctum Bertinum veniret, transfretasse in Angliam, ubi non multo post obierit. Actum est superius[b] de Gelduino, ejusque depositione. In vulgatis indicibus ejus successor ponitur Rotbertus, & post eum Alvisus: sed de Rotberto nihil nisi nomen, præterquam in additamentis ad Sigeberti chronicon ad annum MCXI. quo Robertus Aquicinensis cœnobii abbas, ægre ferens infestatione quorumdam sæcularium vexari ecclesiam sibi creditam, idque ipsi imputari, abbatiam dimisisse dicitur, *succedente ei domno Alviso*. At, si quidem Robertus Gelduino suffectus est, non Alvisum sed Simonem ei successisse constat. In chartario quippe sancti Quintini de Insula invenio, Simonem abbatem Aquicinensem, ut tum scribebant, concordiam hoc anno fecisse cum R. abbate Cisoniensi inter beati Quintini ecclesiam & Baldninum majorem Senginensem super quibusdam rebus, quas in villa *Sengin* major ille sibi competere contendebat. *Actum apud Sengin, anno incarnati Verbi* MCXII. *mense Septembri*. Itaque nonnisi post id tempus Alvisus

b V. lib. 70. n. 39.

Alvisus abbas.

promotus fuit ad illam abbatiam, & quidem post Simonem, anno sequenti, non proxime post Rotbertum.

ANN. CHR. 1112.

Erat Alvisus monachus Sithiensis, quem Lambertus abbas mox laudatus cum aliis e suis miserat ad reformandum sancti Vedasti cœnobium, cujus tunc prior erat, cum idem Lambertus Aquicinctensibus auctor fuit, ut ad farciendam in monasterio suo concordiam & disciplinam regularem Alvisum abbatem postularent, virum utique pietate & doctrina insignem, qui postmodum ad episcopatum Atrebatensem assumtus est.

XLVI. Sigeberti Gemblacensis obitus.

In hoc anno desinit chronicon Sigeberti monachi Gemmelaceosis seu Gemblacensis, qui ipso anno decessit III. nonas Octobris, de quo ad ejus chronici calcem hæc leguntur in Miræi editione, sed rectius in codice Joliaoo: *Domnus Sigebertus, venerabilis monachus Gemblacensis cœnobii, vir in omni scientia litterarum incomparabilis ingenii, descriptor præcedentium in hoc libro temporum, III. nonas Octobris obiit, & suis gravissimum mœrorem absentia sua reliquit. qui etiam librum illustrium virorum, & multa utilia doctrina sua & librorum monumenta nobis reliquit.* Hic in fine libri sui *de illustribus suis*, ut ipse eum inscribit, seu de scriptoribus ecclesiasticis, indicem operum suorum contexuit. Gemblacensis chrooici scriptor [a] anonymus, qui se ab eo eruditum fuisse dicit, multos se meliores illius discipulos ante eum præmissos ait, paucos post eum relictos. *At vir prudens*, inquit, *cum esset multa gravitatis, non erat indiscreta austeritatis, sed erat ad omnes, ut res poscebat, discreta mediocritatis. Scripturarum, maxime divinarum, lectio & meditatio eum occupabat: sed tamen quotidiana missarum celebratio & devota ad Deum oratio semper eum praoccupabat. Longa confectus senectute, cum decubuisset extrema ægritudine, nihil amittens suæ prudentiæ, fratrumque voluntas esset*, ut post obitum *intra monasterium*, id est ecclesiam, sepeliretur; ille cootra obnixe petiit, *se in cæmeterio fratribus omnibus consepeliri. Obiit ergo*, subdit ille anonymus, III. nonas Octobris, *tempore domni Lietardi abbatis*, qui Lietardus cum anno MCXIII. mortuus sit pridie nonas Februarii, ut anno sequenti videbimus; hinc colligitur Sigebertum mense Octobri anni præcedentis obiisse. Plura de eo in superioribus [b], cujus cbronicon Arnulfus Gemblacensis monachus, factus anno sequenti post Lietardum ejusdem loci abbas continuavit; necnon Robertus abbas de Monte in suis Accessionibus ad Sigebertum. Verum observandum est, duplicem circumferri Roberti de Monte appendicem ad Sigebertum: unam, quæ a Johanne Pistorio, alteram a nostro Acherio omnino diversam.

a Spicil. to. 6. p. 536.

b lib. 65. n. 45.

XLVII. Lacense monasterium conditur, ejusque abbates.

Exstat in diœcesi Trevirorum, qua Coloniam spectat, id est apud Ripuarios, lacus insignis, a quo Laceosi nostri Ordinis monasterio nomen inditum est. Cinctus est undique [c] montibus hic lacus, depressus intra montes: passuum quatuor millibus patens io ambitu, forma pæne ovali; tantæ altitndinis, ut quadringenos-vicenos pedes, qua maxima est, babere dicatur. Ceterum limpidissimæ sunt ejus aquæ, & piscibus abundaotes, sed qni vix, nisi hamo, propter altitudinem capi possunt. Ad hunc locum Sigefridus palatinus comes monasterium, ab Heorico palatioo vitrico suo jam ante inchoatum, boc demum anno, præclara ad posteros munificentia, absolvit. Nec suam operi deesse voluit firmitatem. Etenim sectis durissimi saxi quadris, cum turres ipsæ, tum parietes & crypto-porticus, & ambientes nndique cœnobium muri assurgunt. Templum senis constans spectandi operis turribus, in beatæ Mariæ Virginis, sanctique Nicolai tutela positum est. Denique monasterium ipsum, in acclivi positum colle, ab occasu montem respicit silvis borrentem, ipsumque lacum; ad orientem atque meridiem colles spectat itidem silvosos; ad aquilonem ipsius lacus partem. Illuc deducta prima monachorum colonia ex Affligemiensi Brabantiæ monasterio, tunc temporis, uti & modo, religionis fama celeberrimo, quod in palatini ditione positum erat, uti & Lacense. Ideoque communes utrobique placnit esse magistratus, & abbate vita functo, convenire utriusque cœnobii monachos ad ferenda communiter suffragia. Illic sepulturæ locum elegit vitrici exemplo Sigefridus comes, qui mooasterium liberaliter dotavit, eoque satagente Heinricus imperator amplissimo diplomate omnes loci possessiones confirmavit, testibus Brunone Trevirensi, Friderico Coloniensi & Adelberto Moguntino. Primi quinque Lacensis monasterii abbates iidem fuere, qui & Affligemiensis, scilicet Fulgeorius, Franco, Albertus, Petrus & Godescalcus: post quem Lacenses habuere peculiares abbates, quorum indicem refert Bucelinus in parte altera Ger-

c Brovver, Annal. Trevir. lib. 13. n. 2. p. 7. & seq.

ANN. CHR. 1112.

maniæ sacræ. Horum primus est Giselbertus sive Gilbertus, eruditione præstans & sanctitate, ut loquitur Bucelinus, qui ait eum anno M C LII. decessisse: cui per omnia simillimus Fulbertus successit. Mirum est nullam hujusce monasterii mentionem fieri in chronico Affligemiensi. Quæ de origine Lacensis cœnobii, hodie quoque celeberrimi, retulimus, accepta sunt ex Browero, qui post hæc agit de quibusdam Berengarianis hæreticis, apud Eposium sive Ivodium Luciliburgensis pagi castrum, pestiferum errorem disseminantibus, quos Bruno Trevirensis archiepiscopus in judicium vocatos repressit.

XLVIII. Apud S. Gallum schisma de eligendo abbate.

Ughellus [a] ad hunc annum refert obitum Vodalrici seu Udalrici Aquileiensis patriarchæ, qui & abbas sancti Galli erat, ut superius [b] vidimus. Eo mortuo novum inter fratres conflatum certamen de substituendo abbate. Pars quippe Heinricum Twielensem cum propere elegisset, Heinrico imperatori præsentavit, quem ille sceptro porrecto confirmavit. Verum altera pars fratrum indigne ferens absque suo consultu electum Heinricum, secreto alium electioni diem indixit, ad quam Conradum Zaringium, Bertbuldi occisi ducis fratrem, invitavit. Adfuit ille condicto die cum ducentis militibus, nubilem juvenem Manegoldum *de Bolstein* monachum secum adducens, præmisso nuntio qui fratribus intimaret, ut advenienti electo obviam occurrerent. Territus hoc nuntio Heinricus cum suis asseclis, transmisso lacu Acronio, Cilia arce se tueri constituit. Manegoldus vero a ceteris acceptus ducitur ad cæsarem, qui Heinrici electionem vitio factam intelligens, simulque duci gratificari cupiens, Manegoldum electum confirmavit. Id ubi rescivit Heinricus, ad Zwifaltense monasterium se recepit. unde postmodum a Werinhero Manegoldi successore ad sanctum Gallum revocatus, ibidem præpositus factus est. Manegoldus vero undecim amplius annis abbatiam rexit, cujus dissipatas possessiones recuperare pro virili laboravit.

[a] Ital. sac. to. 5. p. 57.
[b] lib. 67. n. 21.

Disertinensi percelebri in Rhætia monasterio tunc præerat Adam abbas, quo efflagitante Henricus augustus ejus loci jura & libertates confirmavit. Idem pontificia auctoritate præstitit Honorius II. Bulla data anno M C XXVII. ad Walterium abbatem. Alteri Walterio privilegium indulsit Lucius III. anno pontificatus sui tertio. Sæculo sequenti Gregorius IX. idem monasterium sub speciali sedis apostolicæ tuitione suscepit.

XLIX. Robertus fit abbas Thorneiensis.

In Anglia, mortuo Galtero Thorneiensi abbate, Josephus Crulandensis abbas apud Heinricum regem satis egit, ut ipsius frater Robertus, qui S. Ebrulfi in Normannia monachus erat, in defuncti locum subrogaretur. quod Alani de Credona interventu impetravit. Misso itaque a rege nuntio ad S. Ebrulfi monasterium, adductus est Thorneiam, ubi fratris sui Joffridi testimonio & favore a toto conventu unanimi omnium consensu electus, a diœcesano episcopo Herveo Eliensi sollemniter benedictus est. Inde Thorneiam reversus, in festo assumtionis beatæ Mariæ in sede abbatiali constituitur, ibique munus pastorale triginta & sex annis strenue administravit, acceptusque Deo & hominibus multa eidem cœnobio commoda & decora contulit. In his novam basilicam, ab antecessore suo incboatam, magnis sumtibus absolvit, & cum maxima sollemnitate dedicari curavit. Hæc omnia discimus ex Petro Blesensi in continuatione Ingulfi abbatis Crulandensis. Apud Ordericum [c] Rodbertus Prunerienis dicitur, isque Guntardo strenuo abbati defuncto, non Galrero, *quia bene litteratus & eloquens ac honestus erat*, subrogatus dicitur.

[c] Orderic. lib. 12. p. 875.

ANN. CHR. 1113.

L. Bernardus Cistercium ingreditur.

Nullus, si non fallor, a tempore sancti Benedicti fortunatior fuit annus, quam millesimus centesimus tertius-decimus, quo Bernardus cum triginta sociis, quos Christo lucratus erat, veluti totidem triumphati sæculi manubiis Cistercium ingressus est. Hactenus pusillus grex Cisterciensis [d] cum Stephano abbate omnem fere spem posteritatis desponderat, jamque eis tædio esse cœperat paucitas sua, admirantibus cunctis venerantibusque eorum vitæ sanctitatem, sed austeritatem refugientibus. At Bernardi ejusque sociorum exemplo omnis ætatis, regionis, & dignitatis homines, videntes non ultra humanas vires esse quod ipsis impossibile visum erat, illuc magno agmine undique concurrere, tantumque brevi excrevit familia Cisterciensis, ut ex ea nata sit amplissima congregatio, Benedictini Ordinis portio nobilissima, immo amplissimus Ordo, cujus initium repetit Manricus a Bernardi adventu Cistercium, utpote a quo propagatio ejus incœpit, atque ex uno cœnobio, eoque

[d] supra n. 9.

exiguo, transiit in plura, quæ in unum Ordinis corpus coaluere. Ab illa ergo die, ut cum Willelmo loquar, dedit Dominus sterili hactenus solo benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, & ultra mare propagines suas. Bernardum vero cum sociis sub initia hujus anni Cistercium adiisse, ex eo colligi potest, quod Firmitatis monasterium, cujus construendi consilium Stephanus non nisi post Bernardi ad se accessum concepit, mense Maio *fundatum*, id est perfectum & absolutum, & basilica dedicata memoratur, ut inferius videbimus.

Novitius et se gerit.

Ingressus itaque Cistercium Bernardus anno ætatis suæ vicesimo-tertio jam inchoato, vitam angelicam sic agere instituit; ut nemo enarrare possit, qui non vivat de illo spiritu, de quo ille vixit. Ingressus est, inquam, domum illam pauperem spiritu, & tunc fere incognitam, animo penitus moriendi memoriæ & cordibus hominum, & spe delitescendi & latendi tamquam vas perditum: sed aliter se habebat Dei consilium, qui eum sibi vas electionis aptaverat, non modo ad monasticum Ordinem excitandum ac dilatandum, sed etiam ad nomen suum portandum coram regibus & gentibus, & usque ad extremum terræ. Tirocinii sui principio, mente semper recogitans ad quid venisset; totus intentus erat ad custodiam cordis & sensuum suorum, totusque absorptus in spiritum & in Deum, rerum exteriorum sensu nequaquam afficiebatur, ita ut videns non videret, audiens non audiret, gustatui ejus nihil sapetet; adeoque nihil earum in memoria ejus remaneret. Neque vero ad id violentia ulla ipsi opus erat, quippe qui corpus haberet omnis labis expers, ad serviendum spiritui in Dei cultu a natura comparatum. Verum, cum caro in eo, ex dono prævenientis gratiæ & usu bono spiritualis disciplinæ, vix jam aliquid concupisceret adversus spiritum; spiritus contra supra vires ac virtutem carnis tanta ab ipsa carne exigebat, ut cadens sub onere fere omnino defecerit. Ejus enim vigiliæ ultra possibilitatem humanam, quarum is modus apud eum erat, non totam noctem ducere insomnem. Ad sumendum cibum accedebat quasi ad tormentum solo timore penitus deficiendi. Unde factum est, ut cum delicatissimæ complexionis esset, corrupto stomacho nihil fere digerere valeret. Nihil tamen de corporali labore sibi remitti patiebatur: sed, si quod opus fratribus injungeretur, quod ipse vel ob imperitiam, vel ob imbecillitatem facere non posset, id vel aliis laboribus, vel humilibus quibusve officiis redimebat. qua in re, insigni privilegio gratiæ singularis, simul & totus exterius laborare videbatur, & totus interius Deo vacabat: *in altero pascens conscientiam, in altero devotionem.* Ubi porro ab opere feriatus erat, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum, ubicumque esset, sive solus, sive cum aliis, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, semper aptus erat. Canonicas scripturas ex ordine sæpissime legebat, nec ullis magis quam ipsarum verbis eas se intelligere dicebat, earumque sensum sibi magis in fonte, quam in rivis expositionum sapete testabatur. Sanctos tamen & orthodoxos earum expositores humiliter legebat, eorumque sensibus suos sensus nequaquam æquabat, sed subjiciebat formandos. Hinc est quod plenus sacrarum scripturarum spiritu & sapore, eas ita sibi proprias effecerat, ut nonnisi ipsis scripturarum verbis in scriptis & sermonibus suis passim uteretur. Ita fere Bernardi tirocinium describit Guillelmus sancti Theoderici abbas, singularis ejus amicus, quo nemo melius ejus mentem assecutus erat, aut exprimere poterat.

LI. Juliaci parthenii origo.

Tunc temporis apud Molismum degebant religiosæ mulieres, in disparatis ædibus habitantes, ut superius probavimus ex charta Hugonis de Velenosa, qui beato Rotberto abbati quamdam donationem fecit, ea conditione, ut si ipsius mater aliquando, *relicto sæculari habitu*, Molismi habitare, ibique *vitam suam præteritam cum ceteris religiosis mulieribus emendare* vellet, ibidem admitteretur. Cum vero cresceret religiosarum ejusmodi mulierum numerus, convenientius visum est, ut in remotiori loco monasterium eis construeretur. Ejus rei causa Milo Barri comes castrum Juliacum, vix tribus leucis Molismo dissitum, cujus olim habitatores, sacrilegis dæmonum sacris dediti, extincti fuerant, a Milone comite antecessore suo acceptum, Deo & beatæ Mariæ Molismensi donavit cum adjunctis suis, sicut ea continebat sancti Andreæ parochia subtus olim exstructa, & quidem *ea ratione & devotione, ut idem locus religiosis deserviat feminis, & cuncta eis data a me vel ab aliis, ut prædiximus, facta earum utilitatibus & victui deputata permaneant; eædemque mulieres sub*

ANN. CHR. 1113.

ordinatione Molismensis abbatis Deo servire quiete valeant. Ad hæc earum victum & *conversationem per domnum Guidonem Molismensem & ejus conventum* ita institui cupit, *ut de proprio nutrimento & labore, boumque suorum cultura & eleemosynis fidelium, in commune victum, vestitumque recipiant; servos vel ancillas, ecclesias aut decimas, villasque non habeant: sed, si ab aliquo hæc eis data fuerint, Molismensi ecclesiæ permaneant.*
» Insuper ad earum regimen quatuor vult deputari monachos *per Molismensem abbatem, qui eas ab omni peculiaritatis vitio atque vagatione secundum Dominum tueantur.* Denique *silvatica eis indumenta, præter coopertoria*, in perpetuum eis prohiberi jubet.

LII. Illuc Bernardi sociorum uxores se recipiunt.

Hoc instrumentum, a Chifflerio [a] editum, destitutum est chronicis notis: at hæc donatio, adeoque Juliacensis parthenonis constructio, vix ultra hunc annum differri potest. Illud argumento est, quod Bernardi sociorum, eorum scilicet qui in sæculo conjugati fuerant, uxores Juliacum seu, ut scribit Guillelmus, Julleium se receperunt, quod per Bernardi sollicitudinem ædificatum fuisse idem auctor tradit. *Quia vero*, inquit, *ex prædictis sociis ejus uxorati aliqui fuerant, & uxores quoque cum viris idem votum sacræ conversationis inierant; per ipsius sollicitudinem ædificatum est eis cœnobium feminarum, quod Julleium dicitur, in Lingonensi parochia, quod Domino cooperante satis excrevit, usque hodie religione celeberrimum, & personis ac possessionibus dilatatum, sed & propagatum jam per loca alia, & non cessans adhuc ampliorem facere fructum.* Istuc etiam secessit Humbelina ipsius Bernardi soror, postquam ab eo conversa fuit. Non viderant prædictas Milonis comitis tabulas Manricus, & plerique alii rerum Cisterciensium scriptores, qui illud monasterium a primis Cistercii patribus conditum fuisse, primumque sui Ordinis pro sequiori sexu esse aiunt. At Juliacum numquam pertinuit ad Cistercienses, sed semper sub regimine Molismensium perstitit usque ad ipsius destructionem, uti & monasteria, quæ ex illo parthenone propagata sunt, qualia jam nonnulla erant, cum Guillelmus librum primum de vita sancti Bernardi scriberet, uti ex præmissis ejus verbis satis intelligitur, adeoque vivente ipso Bernardo. Ex his unum est Pratum-longum *, quod fuit, estque hactenus Ordinis sancti Benedicti, etsi ejus loci donatio facta sit *per manum venerabilis abbatis de Clara-valle.* Hinc etiam ortum habuit Tartense * monasterium, uti Chiffletius [b] censet, quod primum fuit cœnobium puellarum Ordinis Cisterciensis, ut suo loco videbimus. Utrumque positum est in diœcesi Lingonensi. At saltem certum est, Juliacensium monacharum coloniam Innocentii II. pontificatu deductam fuisse Crisenonem, quod est monasterium diœcesis Autisiodorensis, de quo alias. Certum est etiam sanctimoniales Vallis-Onæ diœcesis Catalaunensis exstitisse *sub tutela Molismensis ecclesiæ* Girardo abbate ejus loci quarto, qui anno MCXLVIII. decessit. Ad hæc tempore Giroldi abbatis, id est anno MCCXII. apud Pratellum, juxta Ecceïum in diœcesi Remensi institutum est *sanctimonialium collegium, quæ essent sub ecclesia Molismensi, sicut & ceteræ moniales Juliacensis Ordinis, earumdem Juliacensium regulam & consuetudines servaturæ.*

Juliacensium propagatio.

a Chifflet. de gener. S. Bern. p. 440.

* Pratum-longum: Pralon.

* de Tart.

b ibid. p. 403.

LIII. Petrus prior Juliacensis.

In illis locis instituebantur a Molismensi abbate priores, qui sanctimonialium curam in temporalibus & spiritualibus haberent. qualis fuit beatus Petrus, quem Guido tertius Molismensis abbas Juliaci priorem instituit. Librum de ejus vita edidit Chiffletius [c], ab auctore anonymo parum accurate scriptum, in quo Petrus, natione Anglus, cum Stephano itidem Anglo, qui tertius Cistercii abbas exstitit, ad Molismense monasterinm accessisse, ibique monasticen professus fuisse dicitur, atque post varios discursus, cum Juliacenses sanctimoniales patre spirituali orbatæ essent, ab eis in pastorem expetitus, & à Guidone abbate eisdem præpositus. Ex quo intelligitur, eum non fuisse primum priorem Juliacensis parthenonis. Non pauca ejus miracula referuntur a prædicto anonymo. Is Humbelinæ Bernardi sorori ibidem morienti adfuit. adeoque Humbelina non pertinet ad Ordinem Cisterciensem. De utriusque obitu inferius.

c ibid. p. 136. & seqq.

LIV. Bartholomæus fit episcopus Laudunensis.

Mortuo Hugone [d] Laudunensi episcopo, qui vix sex menses a Gualdrici episcopi cæde illam ecclesiam rexit, electus est Bartholomæus, vir illustris generis, ortus avo Hilduino Roceiensi comite & avia Adelada, germana Manassæ II. Remorum archiepiscopi, matre Adelada, Hilduini & Adeladæ filia, quæ ex Falcone Jurensi principe Bartbolomæum genuit. Hic adhuc puer ab avunculo Manasse archiepiscopo in Franciam evocatus, atque ab eo educatus, primo canonicus Remensis ecclesiæ

d supra n. 31.

ecclesiæ, dein thesaurarius factus est, nec multo post Laudunensis canonicus, & thesaurarius sancti Quintini; ac demum unanimi totius cleri & populi assensu ad episcopatum Laudunensem electus est, desolati gregis solamen & restitutor futurus. Tum consecratus a Radulfo Remorum archiepiscopo, qui Manassæ ipsius avunculo successerat, Laudunum ingressus, non ecclesiam, non domum episcopalem, immo nihil pæne præter favillas & cineres invenit, dulebatque suam vicem, sed tamen quodammodo gloriabatur, se non ad honorem, sed ad immensos labores vocatum. Mox itaque velut ad quoddam desertum venisset, ecclesiam simul & ædes episcopales revocare, & tamquam a fundamentis instaurare instituit. At præcipua de reformandis moribus illi cura fuit, ob idque decem monasteria in sua diœcesi per sanctos Bernardum abbatem & Norbertum construi curavit, multisque aliis Ordinis nostri monasteriis plurima beneficia contulit. Ejus tempore delatæ sunt per Laudunenses canonicos sacræ reliquiæ per Galliam & Angliam ad faciendas collectas pro instauratione ecclesiæ. qua occasione multa per beatam Dei-genitricem Mariam miracula patrata tribus libris referuntur ab Hermanno monacho, qui eos eidem Bartholomæo dicavit, ejusque illustre genus accurate descripsit. Plura de his inferius.

LV. Guibertus abbas Moralia in Genesim ei dicat.

Initio Bartholomæi pontificatus Guibertus Novigenti abbas commentarios suos morales in Genesim ei dedicavit. In procemio ideo id a se factum dicit, tum ob ejus genus, & *omnimoda vetustate*, & *sanguinum regiorum* cognatione *clarissimum*; tum ob ingenuitatem liberalitatem, & purissimum cælibatum, profundamque humilitatem: cui pro magna sibi indulta ab eo familiaritate se prorsus obnoxium esse fatetur. Sane ad regiam ejus cognationem quod attinet, Hildefonsus Hispaniæ rex, filius erat Feliciæ Bartholomæi materteræ, quæ Sancio Hildefonsi patri nupserat; idemque potentissimos quosque Galliarum principes propinquitate & affinitate contingebat, teste Hermanno & post eum Alberico. unde merito ab eodem Hermanno *& generis nobilitate, & morum probitate, & divitiarum opulentia famosus* prædicatur. In eodem procemio Guibertus ait, Deum *tanto capiti duos oculos sideribus clariores* indidisse, a dextris scilicet *Anselmum, totius Latini orbis magisterio prædicatum*, cujus sincera in scripturarum ac fidei expositione doctrina multos fecerit catholicos: altrinsecus Radulfum ejus fratrem, cujus ingenium ac doctrina a fratre non discreparet. Ab his duobus commentarios suos dispici rogat Guibertus: *quorum judicio*, inquit, *tantu animo securiore subsidam, quanto eos comperi partem claudicaturos in neutram.* Hi commentarii in Genesim libris decem constant, ad mores formandos ideo compositi, quod beatus Augustinus litteram satis explicasset. Ex his patet illos commentarios editos fuisse ante annum M C XVI. quo Anselmus ille Laudunensis magister, jam a nobis antea laudatus, e vivis excessit.

LVI. Abaëlardus Laudunum adit Anselmum auditurus. a V. lib. 69. n. 70.

Longe aliam, sed iniquiorem, de Anselmo opinionem habebat Petrus Abaëlardus, [a] qui e patria, id est e minori Britannia, reversus in Franciam, ut theologiæ studeret, magistro Guillelmo de Campellis facto episcopo (quod hoc anno contigit) adiit Anselmum Laudunensem, qui *maximam ex antiquitate auctoritatem tunc tenebat. Accessi igitur*, inquit, *ad hunc senem, cui magis longevus usus, quam ingenium vel memoria nomen comparaverat. ad quem si quis de aliqua quæstione pulsandum accederet incertus, redibat incertior. . . Arbor ejus tota in foliis aspicientibus a longe conspicua videbatur; sed propinquantibus & diligentius intuentibus infructuosa reperiebatur.* Prætereo cetera, quæ nimium viri venerabilis contemtum spirant. Subdit Abaëlardus, se non diu eum docentem audivisse, ad cujus lectiones cum rarius accederet, id in magistri sui contemtum fieri præcipui ejus discipuli non immerito censebant, atque ægre ferebant. Hinc altercatio nata inter eos & Abaëlardum, qui eo magistro sibi opus non esse dictitabat ad similes glossas componendas: cujus rei periculum fecit non semel, tantamque sui, si ipsi credimus, opinionem apud auditores peperit, ut Anselmus invidia exstimulatus, simulque suggestionibus Alberici Remensis & Lotulfi Lombardi, qui duo præcipui Anselmi discipuli erant, non minus ipsum in sacra lectione persequi cœperit, quam Guillelmus olim in philosophia; tandemque glosandi opus ipsi interdixerit. Itaque paullo post Parisios reversus, scholas jam dudum sibi oblatas aperuit, & glosas in Ezechielem, Lauduni inchoatas, absolvit, tanto successu, ut non minorem gloriam in sacra lectione adeptum jam omnes crederent, quam in philosophia olim habuerat, ut ipse de se testatur. Eum vero *in claustro sanctæ Genovefæ* publicas scholas aperuisse discimus ex libro I. de vita

Parisiis docet.

ANN. CHR. 1113.

a V. infra n. 66.

Gosuini [a] Aquicinctensis abbatis, qui cum esset adhuc laïcus, & Parisiis dialecticæ daret operam, Abaëlardum, inauditarum inventorem & assertorem novitatum, palam impugnavisse dicitur: tametsi repugnaret magister Joslenus, qui Gosuinum diligebat, factus postmodum Suessionum episcopus, eumdemque Abaëlardum superavisse. Id si verum est, eadem tamen Abaëlardi in docendo fama, eademque discipulorum frequentia perseveravit. Verum, cum vanitas & superbia, ut ipse fatetur, vigorem animi enervaret, & se jam solum in mundo *philosophum* superesse putaret; qui antea vixerat continentissime, fræna libidini laxare cœpit; & quo amplius in *philosophia* vel sacra lectione proficere videbatur, amplius a *philosophicis* & divinis documentis immunditia vitæ recedebat. Cum igitur totus superbia atque luxuria laboraret, utrinsque morbi remedium, divina ei gratia, licet nolenti, contulit; luxuriæ quidem primum, his eum multando per quæ peccaverat; superbiæ vero, combustione libri, quo maxime gloriabatur.

LVII. Odo episcopus Cameracensis obit.

b Spicil. to. 12. p. 469.

* Maude.

Erat & alius per ea tempora celebris magister, Odo scilicet tum Cameracensis episcopus, Tornacensis sancti Martini monasterii instaurator & primus ab instauratione abbas. Huic germanus [b] erat domnus Benedictus ejus loci monachus & eleemosynarius, cui petenti altare Maldæ * ad expensas pauperum dedit. Dehinc corporis infirmitate gravatus, episcopatum dimisit, seque Aquicinctum in lectica deportari fecit. quo audito, Segardus sancti Martini Tornacensis abbas cum aliquot monachis suis illuc properat, rogatque ut ad suum monasterium, quod instauraverat, ubi primo monachus, primusque abbas fuerat, se deferri permittat. At Alvisus Aquicinctensis abbas obstitit, seque nequaquam id passurum dixit. Illic itaque perstitit Odo, ubi intra octo dies morte sublatus est XII. kalendas Julii, cum magno honore in ecclesia coram crucifixi imagine sepultus sub candido marmore, cui ejus imago insculpta est. Scripsit quosdam libellos, scilicet super canonem missæ, disputationem contra Judæum, & de origine animæ, uti Hermannus ejus æqualis in historia monasterii sancti Martini Tornacensis asserit. Beatus Odo sive Odoardus in ecclesia Cameracensi reputatur, cui Burchardus in episcopatu successit. Encyclicam de ejus vita & obitu epistolam scripsit Amandus prior Aquicinctensis, in ejus elogio a nobis relatam.

LVIII. Alulfus monachus Gregorialem componit.

c Analect. to. 1. p. 314.

Odonis necdum episcopi hortatu [c] Alulfus, sancti Martini Tornacensis monachus, librum, qui Gregorialis inscribitur, ex Gregorii Magni scriptis contextum, scribere aggressus est exemplo Paterii, cujus ille principium tantum legerat, sequentes autem libros invenire non poterat; abbatisque sui, scilicet Odonis, præcepto non solum Salomonis, sed etiam totius veteris ac novi testamenti de omnibus beati Gregorii opusculis in unum testimonia congesta collegit. Hanc vero collectionem in tria volumina redegit, quorum duo priora veteris, tertium növi testamenti expositionem continent. His quartum quoque superaddidit, quod non jam testimonia, sed varias ac diversas sententias complectitur. Toti autem operi nomen GREGORIALIS imposuit, quod integrum habetur in nova Gregorii operum editione a nostris recens adornata. Alulfus porro hoc opus absolvit post obitum Odonis episcopi, quem apud Aquicinctum sepultum esse in prologo suo dicit. Is ante monasticam professionem clericus, Sigeri præcentoris Tornacensis filius, diu reluctante patre tandem Odoni monasterii sancti Martini instauratori & abbati adjunctus est, ubi *armarii seu cantoris officium quadraginta annis tenuit*, quo tempore Gregorialem suum composuit; tandemque *quadragesimo-octavo conversionis suæ anno in bono proposito vitam terminavit*, ut scribit Hermannus in historia ejusdem monasterii, non confundendus cum Hermanno Laudunensi jam superius laudato, de quo plura inferius. nam Laudunensis tantum monachus fuit; Tornacensis vero monachus & abbas sui monasterii exstitit.

LIX. Godefridus episcopus Ambianensis S. Dionysii cellam restituit.

Tunc annum pontificatus decimum agebat Godefridus Ambianorum præsul, » cum monasterium beati martyris Dionysii in prato Ambianensis suburbii ab Ingu- » tione piissimo sacerdote olim ædificatum, & religiosis fratribus Majoris-monasterii ab » antecessoribus suis concessum, a prædonum rapinis vindicare conatus est. Ejus hac de re instrumentum in Appendicem referri meretur. Hæc sancti Dionysii ecclesia, tunc in prato suburbano, nunc intra muros inclusa, & patribus Soc. Jesu tradita, ab Ingutione presbytero instaurata fuerat pontificatu Roriconis episcopi, qui eam Fulconi archidiacono & canonicis sancti Nicolai concesserat, ea inter alias lege, ut

ANN. CHR. 1113.

ſingulis annis anniverſarium domni Drogonis Taruannenſis epiſcopi celebrarent. Godefridi prædicta charta confirmata eſt *anno Verbi incarnati* M C XIII. *indictione* VII. *in capitulo S. Mariæ*, VI. *anno regni Ludovici regis*, X. *anno epiſcopatus domni Godefridi epiſcopi*. quæ indictio, ſi mendæ expers, repetenda eſt a menſe Septembri; vel referenda pro veteri calculo ad initium anni ſequentis.

LX. Godefridus ob turbas in Cartuſiam ſecedit.

Non multo poſt funeſtum Laudunenſis excidii eventum, de quo ſuperius [a] egimus, Ambiani conſimilem *communiam*, quæ tanti mali Laudunenſibus occaſio fuerat, illecto [b] pecuniis rege, inſtituerunt. Hoc animadverſo, Ingelrannus urbis comes, ex conjuratione opidanorum, vetuſta comitatus jura ſibi recidi non ſuſtinens, jam rebelles armis aggreditur. Verum ab opidanis pulſus, ab urbe in turrim ſe recepit. Tum a conjuratis Thomas, Ingelranni peſſimus filius, contra parentem, quem ob novercam exoſum habebat, ſuſcitatur. At, Ingelranno pacto cum Thoma fœdere, ac novercæ multis gazis acceptis cum filio reconciliato, hic patri opem contra opidanos pollicetur. Thomas igitur cum Adamo, qui turri præſidebat, vicedominum & opidanos acerrime impugnare & laceſſere cœpit. Et quoniam epiſcopum & clericos factæ cum opidanis conjurationis arguebat, res eccleſiæ pervaſit, & in una ejus villa præſidium ſibi ſtatuit. Ex alia vero cum maximam captivorum catervam, multamque pecuniam abduxiſſet; reſiduam promiſcui ſexus turbam in eccleſia, quo illa confugerat, injecto igne concremavit. Immane hoc factum patratum eſt imminente feſto beati Martini, quo die eremitam quemdam, quem inter captivos tyrannus ille ducebat, obſecrantem ut ſui pro honore ſancti Martini miſereſceret, arrepto pugione transfodit. Cum tantis malis remedium afferre ſe non poſſe videret Godefridus; aſſumto ſecum quodam Novigenti monacho, inconſultis omnibus epiſcopatum abdicavit, remiſſiſque archiepiſcopo Remenſi anulo & ſandaliis, Cluniacum profectus, illic altare conſecravit. Inde in majorem Cartuſiam ſeceſſit, ubi extra conventum in cellula manens, ſex de viatico ſuo argenti ſibi marcas retiouit. Hactenus ex Guiberto, qui, ut in Godefridum iniquior eſſe ſolet, eum conjuratis opidanis faviſſe immerito dicit. Longe æquius de eo ſentiebat Nicolaus, qui ait, Godefridum, cum tot ſæcularium tumultuum tempeſtates ferre non poſſet, in Cartuſiam ſe recepiſſe, cui tunc venerabilis Guigo, *vir egregie doctus & vita integritate conſpicuus*, præerat. qui quidem illum tunc ſanctiſſimo fratrum collegio adjunxiſſet, ni veritus eſſet, Romanum pontificem, Remorum archiepiſcopum, aliſque Galliarum præſules minime paſſuros. Interim cellulam ei attribuit, in qua cum eum aliquando inviſeret, invenit eum lacrymis madidum; ſciſcitatuſque eſt, an aliorum more munuſcula pro ſacris ordinibus accepiſſet. Ad quod ille ingemiſcens: « Equidem, pater beatiſſime, inquit, non nummos a quoquam expetebam, ſed, vel invitus, ſæpe humani favoris aura inani inficiebar. » quo audito, Guigo viri modeſtiam miratus eſt. Seceſſus iſte Godefridi contigit anno ſequenti, ut ſuo loco videbimus.

a *ſupra n.* 30. & 31.
b *Guibert. lib.* 3. *de ſua vita c.* 14.

LXI. Firmitatis monaſterium conditur.

Vix Bernardus cum ſociis Ciſtercium ingreſſus [c] erat, cum Stephanus abbas de novo condendo monaſterio cogitare cœpit, quippe cui nec regulares ædes, nec ſubſtantia tanto gregi continendo & alendo ſufficerent. Dum locum ad id opportunum perquireret, ea re cognita Galterius Cabilonenſis epiſcopus ſimul cum eo diœceſim ſuam perluſtrat, ut in ea uti Ciſtercio, ita novæ illi coloniæ ſedes infigeret. Quærentibus occurrunt illuſtres duo comites, Gaudericus & Guillelmus, qui ſilvaticum locum ad Gronam * fluvium offerunt, conſtruendo bonis illis ſolitariis domicilio peropportunum. Placuit locus Stephano abbati, qui mox Ciſtercium reverſus, novos eo colonos præmiſit ad regularia ædificia præparanda. Id factum hoc anno, & quidem menſe Maio, cujus die decimo-octavo monaſterium illud *fundatum* dicitur in domeſticis tabulis; ejuſque eccleſia in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ a Galterio diœceſano epiſcopo, præſentibus Joſceranno Lingonenſi, duobuſque prædictis comitibus, dedicata XV. kal. Junii die dominica, cum pridie ejus diei monachi e Ciſtercio iſtuc appuliſſent. Cum itaque monaſterium illud hoc anno *fundatum* legitur octavo-decimo die menſis Maii; de perfectis monaſticis ædificiis, haud dubie non admodum magnificis, vel potius extemporaneis caſis intelligendum. ſiquidem eodem anno poſt quatuor dies nova illa baſilica dedicata perhibetur. Novo monaſterio inditum eſt Firmitatis nomen, quod tunc primum firmatum & ſtabilitum eſſe cœperit Ciſterciense inſtitutum, quod ad id tempus prolis defectu

c *ſupra n.* 50.
* *la Grone.*

ANN. CHR. 1113.

ruinæ proximum videbatur. Deducta illuc colonia duodecim monachorum per Stephanum abbatem, qui Bertrandum eis rectorem præfecit. Hæc prima est Cistercii filia, quam tres aliæ brevi subsecutæ sunt.

LXII. Tironenses monachi in Angliam translati.

Per idem tempus Bernardus [a] Tironiensis, Gerardus de Salis, Rotbertus de Arbrisellis, & Vitalis monasticum institutum magnopere propagabant. Certe in chronico Mailrosensi Tironenses monachi hoc anno in Angliam inducti dicuntur, auctore haud dubie Roberto viro nobilissimo, qui sanctum virum Bernardum ab oceani partibus adiit, assumtisque tredecim ex ipsius discipulis, in finibus Walliæ ad litus maris Hibernici juxta Tevi [*] fluvium, primo quidem cellam; postea vero, totidem monachis cum abbate impetratis, cœnobium construxit. Exstabant eo loci prope Cordigamum opidum sancti Dogmaëlis [*] monasterium, & Montonis prioratus, *devota pietatis domicilia*, inquit Spedus, quæ a furentibus hæreticis Henrici VIII. tempestate penitus diruta sunt. Hæc tamen in vulgatis Tironiensium monasteriorum indicibus non recensentur.

a V. lib. 71. n. 113.
* Tyey.
* S. Dogmels.

LXIII. Borneti monasterium conditur.

Eodem tempore Gerardus de Salis beatæ Mariæ monasterium Borneti [*] in pago Engolismensi, in valle pingui & amœna ædificavit, fundum suppeditante Alone de Monte-Maurelio [*], viro in Santonibus prænobili, probante Girardo episcopo Engolismensi & apostolicæ sedis legato, cujus ope ac beneficio monasterium illud constructum est. Primus ei præfectus est abbas Willelmus, ut legitur in chronico Malliacensi. Non multo post hæc abbatia cessit Cistercienſibus, uti & Grandivallensis, superius [b] memorata, & Dalonensis, de qua agemus anno sequenti, quæ abbatiæ itidem a Gerardo de Salis constructæ sunt. Gerardus Engolismensis præsul, modo laudatus, hoc anno diremit [c] controversiam, inter Ebalum de Turenna Tutelensem abbatem, & Petrum presbyterum exortam super ecclesia sancti Stephani de Vairiaco apud Cadurcos, quam Gerardus episcopus abbati & monasterio Tutelensi adjudicavit.

* le Bournet.
* de Montmoreau.
b supra n. 18.
Ebalus abbas Tutelensis.
c Baluz. de concord. pag. 1033.

LXIV. Beringerus abbas Rupertum Cunoni abbati commendat.

In urbe Leodicensi extremos præfecturæ dies in sancti Laurentii monasterio agebat Beringerus seu Berengarius abbas, qui morti proximus Rupertum monachum, cujus adversus æmulos tutor & vindex ad id tempus exstiterat, Cunoni Sigebergensi abbati commendavit. Verebatur scilicet ne suus in abbatiali dignitate successor satis virium non haberet ad eum protegendum; & parum fidebat Oberto episcopo, qui causam imperatoris contra summum pontificem tuebatur. Hujus rei meminit Rupertus ipse in epistola [d] ad eumdem Cunonem abbatem superius laudatum, libris de Trinitate ejusque operibus præfixa, cujus hæc verba sunt, Cunonem sic alloquentis: *Quasi paxillus tu mihi factus es, fixus in loco fideli, in quo spei meæ possit vasculum suspendi. Proinde actum est, credo, per providentiam Dei & Patris, sine quo nec unus passer in terram cadit, ut in notitiam venirem tuæ caritatis & fidei; usque postmodum migraturus a sæcula pater meus, vir vita venerabilis & sapientia memorabilis, Berengarius abbas sancti Laurentii in publica monte Leodii, tuæ committeret fidei, tamquam pupillum tutori. Solus enim hic, qui nunc successit ei vir fidelis & prudens Heribrandus, qui & ipse litterarum peritus, pueritiæ meæ magister exstitit, illuc usque non possit mihi patrocinari, quo, sicut scis, invidia pervenerat nominis mei.* Huc refert somnium quoddam Rupertus, quod ipsi evenerat, præsagium futuri. tum subdit: *Tua namque post Deum ope maxime tutus, & fretus testimonio, ecce respondebo exprobrantibus mihi verbum: &, dum facis otium scribendi, auctoritatemque concedis superno muneri, quod mihi adspirasse sponte testaris, ad auditum publicum procedit hoc opus, quod ante te cognitum incœperam ad gloriam & honorem summæ & individuæ Trinitatis.* Plura de hoc opere ad annum MCXVII. quo hæc epistola scripta est.

d Rupert. initio tomi 1. lib. 70. n. 111.

LXV. Rupertus Sigebergam se recepit.

Mortuo itaque Beringero, & Heribrando in ejus locum subrogato, Rupertus ad Sigebergense monasterium se recepit: nec sic tamen invidorum & æmulorum effugit invidiam, obtrectantium quod post sanctos patres & catholicos expositores, scripturas sacras interpretaretur. Ad quos [e] ille respondet, exemplo antiquorum patrum veteris testamenti, qui plures sibi foderant puteos, licere sibi *post illos tractatus, quos tractaverunt patres & priores nostri, & alios fodere puteos proprii vomere ingenii, dummodo vivam*, inquit, *& nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat bibenti, nulli scandalum vel errorem faciat legenti.* Plura hac de re idem auctor in libris tertio & duodecimo in Matthæum. Hic adversus ejusmodi æmulos patrocinium quoque sibi comparavit Frederici Coloniensis archiepiscopi, necnon Guillelmi Præ-

e Rupert. prol. in Matth.

nestini episcopi & apostolicæ sedis legati, qui ejus virtutem cum eximia doctrina conjunctam amplectentes, auctorem non tantum amaverunt & protexerunt, sed etiam cunctantem ad scribendum impulerunt.

Gemblacenses abbates & aliæ res Belgicæ.

In monasterio Gemblacensi domnus Lietardus abbas obiit pridie nonas Februarii, cui successit octavo loco Anselmus, qui hæc scribit. Addit idem auctor, feria tertia hebdomadæ paschalis, VI. idus Aprilis, Prumiense monasterium cum officinis suis incendio consumtum fuisse, thesauro & bibliotheca ecclesiæ, Deo favente, illæsis. quod etiam Albericus ex Anselmo totidem verbis refert. Tunc Prumiensi monosterio præerat Poppo de Bello-monte, quem anno M C III. Wolframmo successisse, & anno M C XIX. decessisse legimus apud Bucelinum, succedente Liutfredo de Hassia, quem Albero seu Adalbero exceperat, ex primicerio Mettensi factus Prumiæ monachus, ac demum ex abbate archiepiscopus Trevirensis. Verum æquivocatione nominis deceptus fuisse videtur Bucelinus, siquidem Adalbero Mettensis primicerius promotus quidem est ad sedem Trevirensem, sed non fuit monachus. Ad Anselmum Gemblaci abbatem quod attinet, erat is Guirici ejus loci quondam prioris religiosissimi consanguineus & discipulus, ex discipulo factus aliorum magister, a Francis etiam quantumvis [a] remotis expetitus; eumque magistrum habuisse dicuntur, *& quasi* secundum abbatem Altovillarenses, & post eos Latiniacenses nostri, inter quos longo tempore commoratus est.

a *Spicil. to. 6. p.* 139.

LXVI. Gosuinus fit Aquicincti monachus.

Cum Alvisus abbas Aquicinctensi monasterio præesset, Gosuinus jam tum celebris philosophus [b], sanctioris philosophiæ studio illuc se recepit, ibique monasticen professus est. Erat is honestis parentibus Duaci, vel prope Duacum natus, ibidemque primas litteras videtur didicisse. Inde Parisios se contulit dialecticæ addiscendæ studio, ubi Joslenum magistrum habuit. Cum illic scholas haberet Abaëlardus, & insolitas novitates doceret, eum palam impugnasse, & disputando revicisse dicitur Gosuinus. Tum in patriam reversus, Duaci scholas aperuit, ibidemque sancti Amati canonicus factus est. Sed rerum labentium inanitatem, scholæ labores mulriplices & exiguos fructus, mundi denique infinita pericula reputans animo, de relinquendo sæculo serio cogitare cœpit, Deum sic orare solitus: *Domine Deus, si ex te est, custodi mihi hanc voluntatem.* Hæc cogitatio sensim accendebatur ex colloquio tum Alvisi abbatis, quem identidem conveniebat, tum ejus officialium seu ministerialium, qui negotiorum causa Duacum frequentabant, & suavem de se spargebant odorem: retardabatur vero amore parentum & scholarium suorum, qui eum impense diligebant. Dum sic propositum differt, paullatim tepescere cœpit primus ille ardor, insedítque animo Parisios studiorum causa repetere cum amico, nomine Haimerico: sed cum sodalis iste morbo, ac deinde morte interceptus esset, retentus est domi Gosuinus, cujus animo sensim recalescere cœpit primigenius ille fervor, ac tandem cum Bernardo fratre Aquicinctum se recepit, & in cœtum fratrum admissus est hoc anno vel insequenti. Illic brevi magnum in virtutibus profectum fecit. Et quia alia sunt incipientium, alia proficientium, alia perfectorum instituta; animadvertit, quod ad summa tendentibus a minimis esset inchoandum; studiosius minimas assumti propositi institutiones addiscebat; quam antea argutas subtilitates, vel subtiles argutias docuisset. Progressu tamen temporis incidit in quamdam mentis acediam, (dæmonium meridianum vocant) qua fere nihil exitialius monachis, maxime tironibus accidere potest: sed ei sponte non acquievit, immo ad eam excutiendam sæpe viros in spirituali palæstra exercitatos consulebat, & ad orationem confugiebat. quæ duo remedia efficacia sunt ad depellendum animi torporem. His accessit Gregorii homiliarum super Ezechielem fortuita lectio, qua ita recaluit ejus animus, ut ad pristinum brevi fervorem excitatus sit, dignusque judicatus, qui sacerdotio honoraretur.

b *supra n.* 56.

Wirntoabbas Formbacensis.

In Formbacensi Bajoariæ monasterio Perngerus abbas hoc anno moritur, ordinationis suæ [c] anno decimo-nono, kalendis Novembris. Ejus corpus in basilica sepultum, & ad ejus tumulum miracula patrata fuisse dicuntur a Geroho præposito Reicherspergensi in libro de vita beati Wirntonis abbatis, qui ei successit. Hic tunc Garstensis monasterii [d] prior erat, Wirundus aliis dictus, quo nullus magis idoneus ad supplendum demortui abbatis locum visus est. Sic auctus honore vir Dei, labores augere cœpit, austerius vivere, & producere preces ac vigilias. Hinc fama ejus vulgata apud principes, apud omnes, qui multa ei dona offerebant, felices se

c *lib.* 68. *n.* 109.

d *lib.* 70. *n.* 37.

ANN. CHR. 1113.

reputantes, si ejus consortio frui, vel ex ejus vestibus quasdam reliquias obtinere possent. Nec defuere tantæ virtuti miracula, quæ in ejus vita referuntur. Id observatione dignum de eo Gerohus commemorat, quod mulier quædam nati sui parvuli exsequias gemebunda prosequens facta est ei obviam, mortui corpusculum ad fratrem ejus, qui ante tres vel quatuor annos defunctus erat, sepultura. Aperto tumulo, pridem mortui corpus ita integrum & incorruptum inventum est, ac si ipsa die humatum fuisset. Hoc spectaculo mulier super alios attonita, virum Dei ejulans sciscitatur, quid causæ sit, *quid puer iste admiserit, pro quo in lege tumulatorum esse non meruerit?* cum alias puer simplex & bonus exstitisset. At ille seorsim a muliere diligenter inquirit, num ipsa filio, vel filius ipsi aliquid injuriæ fecisset. Nihil, inquit illa, mihi conscia sum, nisi quod puer aliquando per jocum puerili levitate baculo caput meum percussit, ex quo nonnihil sanguinis fluxit. Ad hæc vir sanctus: An propter id correptus est? Minime, inquit illa. Vade ait, & sumtis virgis corpus ejus verbera. Fecit illa illibenter quod jussa erat; moxque post verbera corpus in cineres solutum est. De excommunicatorum corporibus incorruptis res trita est [a] apud Græcos, quod post absolutionem redigantur in cineres: quod de quodam excommunicato legitur in actis sancti Libentii archiepiscopi Hamburgensis.

Incorrupta cadavera.

a V. Goarem in Euchol. & adversaria in Matth. Parisium.

Vivebat adhuc Sigiboldus primus abbas Mellicii, cum Leopoldus IV. Austriæ marchio Mellicensem ecclesiam vetustate collapsam & a se restructam & in meliorem formam redactam, sollemniter dedicari curavit hoc ipso anno, III. idus Octobris, ab Udalrico Pataviensi episcopo. Nec sollemnitati defuit pissimi marchionis liberalitas: monasterium quippe *dotavit quinque ecclesiis plebauis, cum suis partibus decimationis* in omnibus harum parochiarum terminis, aliisque prædiis & possessionibus auxit. Quas donationes probavit confirmavitque Udalricus episcopus. Hæc ex Notitia a Schrambio, Mellicensi chronographo relata [b]. Paucis annis huic dedicationi supervixit Sigiboldus abbas; mortuus anno MCXVI. die vigesima-quinta Martii. Huic successit Engescalcus ad annum MCXXII. & post eum Erchenfridus ad annum MCLXIII. qui sancti Colmanni martyrium & miracula litteris mandavit. Exstat hæc historia in chronico Mellicensi [c], & in tomo secundo Petri [d] Lambecii, de bibliotheca Vindobonensi, ubi multa habentur de origine nobilis illius monasterii, deque reliquiis beati Gothalmi, & de insigni particula sanctæ Crucis, quæ cum multa veneratione illic habentur.

Dedicatio ecclesiæ Mellicensis, e demque factæ donationes.

b Chron. Mellic. p. 53. & 54.

Mellicenses abbates.

c ibid. p. 23. & seqq.

d Lambec. to. 2. p. 610. & seqq.

LXXVII. Perstat etiam nunc celebre in agro Bergomensi monasterium, situm ultra flumen Abduam [*], Pontidense appellatum, de quo superius diximus, ubi de beato Alberto primo ejus abbate actum est. Illuc Liprandus presbyter Mediolanensis, qui Grosulanum de archiepiscopatu contra Jordanum contendentem, innocuo per ignem transitu, simoniacum esse probavit, sub finem vitæ secessit, multum cupiens, ut ait Landulfus ejus vitæ scriptor, vitam suam finire in manibus eorum, quorum ope corpus suum & anima protegeretur contra eos, qui Grosulano assentabantur. Itaque Pontidam delatus, ibique a fratribus susceptus sub finem anni præcedentis, ibidem perstitit usque ad epiphaniam Domini, quo die ad cœlum migravit, probante magno & suavi splendore, qui mortui domum illustravit. Reverso e sanctis locis Grosulano, mox inter eum & Jordanum civile bellum exarsit. tumque Guillelmus, Ambrosianæ basilicæ abbas, monasterium [e] suum deseruit, & ad Augustam-Taurinatium se recepit, ubi sancti Solutoris abbatia ei regenda commissa est. Post annos sex, Mediolanensium impensis, exstructum [f] dicitur, id est renovatum, Pontidense monasterium in honorem sancti Jacobi, forte ob beatum Liprandum, qui illic sepultus erat. Quam ob rem tres ejusdem loci cœnobitæ, Thebaldus scilicet prior, Bernardus & Landulfus monachi, gratias Mediolanensibus acturi Mediolanum missi, populum in theatro sedentem invenerunt; tumque gratiis actis, obtinuerunt, ut ipsorum monasterium vectigalibus aliisque oneribus eximeretur.

Pontidæ Liprandus presbyter obit.

* l'Adda.

e Puricell. p. 546.

f ibid. p. 556. & seq.

ANN. CHR. 1114.

LXVIII.

JAm annus quadragesimus erat, ex quo Johannes abbas Sublacensi monasterio præsidebat, cum ejus invitatu Paschalis papa illuc se contulit, ibique sollemnitatem assumtionis Dei-genitricis & octavam celebravit. Tum ad castrum Effide [g] & quod Ildemundus quidam monachis abstulerat, cum abbate & monasterii militibus profectus, locum expugnavit, & Johanni abbati sub certo pretio restituit. Id

Sublaci gesta per Paschalem papam & Johannem abbatem.

g V. lib. 1. n. 6.

ANN. CHR. 1114.

factum VII. idus Septembris. Alia etiam castella monasterio abstracta idem abbas armata manu recuperavit. qui armorum usus, certe abbatibus & monachis haud probandus, tunc temporis in quibusdam locis non infrequens erat. Longe probabilius est quod fecit Johannes abbas ad ornatum monasterii & ecclesiarum. In his monasteria sancti Victorini, & sancti Johannis-Baptistæ, a sancto patre Benedicto extructa, a fundamentis instaurasse traditur; & in sacro Specu quædam altaria renovavit, quæ per Petrum Anagniensem episcopum & Adamum Alatrensem consecrari curavit, atque viam commodiorem ad eumdem Specum aptavit. Ad hæc corpora defunctorum propinquorum suorum, Mariæ scilicet sororis suæ, & Raynerii fratris sui, ad Sublacense monasterium humanda deportari curavit. quo ex tempore Sublaciani nobiles ibidem primum sepeliri cœperunt.

Thaborenses monachi a Turcis cæsi.

Degebant tunc temporis in monte Thabor Latini monachi, qui *non solum monastica professione, sed insuper Cluniacensis ordinis*, id est instituti, *solliciti*, Cluniacensis congregationis *corpori uniti* erant, ut ex Petro [a] Venerabili discimus. Verum Turci monasterium illud hoc anno subverterunt, testante præter alios Anselmo Gemblacensi, &, monachis cum ceteris omnibus interfectis, universa diripuerunt. Quamobrem æstimare licet, inquit Baronius, quot monachos cæsos, tot laureatos corona martyres e monte Thabor assumtos fuisse in cælum.

a *Petr. Ven. lib. 2. ep. 44.*

LXIX. Radulfus fit archiepiscopus Cantuariensis.

Post annos quinque, quam Cantuariensis ecclesia, mortuo Anselmo, pastore destituta erat, electus est tandem VI. kal. Maias anno ejus sæculi quarto-decimo Radulfus Roffensis episcopus ex Sagiensi abbate, cum Roffensem ecclesiam annis sex [b] administrasset. Id quemadmodum factum sit, accurate tradit Eadmerus, testis oculatus, in libro V. historiæ novorum. Post tam diuturnam vacationem rex Heinricus Paschalis papæ monitis precibusque Cantuariensium fratrum, multorumque aliorum permotus, episcopos & proceres Anglorum Windleshoram convocavit, ut eorum consilio vacanti ecclesiæ provideretur. Eo etiam invitati sunt Radulfus Roffensis episcopus, & prior nonnullique fratres Cantuarienses. Omnium fere hæc opinio erat, & rex ipse sic statuerat, Faricium Abendoniæ abbatem ad illam dignitatem promotum iri. quæ res fratribus præcipue arridebat, quibus ejus industria probata erat. Animus tamen episcoporum & quorumdam magnatum alio tendebat, præoptantium videlicet, aliquem ex ordine clericali, aut ex capella regis ad id assumi. Verum ubi eis objectum est, nullum a beato Augustino, nisi ex monastico ordine, umquam illi ecclesiæ præsedisse præter unum, qui ob hanc causam, & alia quædam ab eo perverse commissa, depositus a Romano pontifice fuerat, nec ullam mutandæ priscæ consuetudinis subesse rationem; demum in Radulfum Roffensem episcopum omnes convenerunt. quod rex non ægre annuit, nec monachis displicuit. Sic electus ad Cantuariensem pontificatum Radulfus cum summa universorum gratulatione, quippe qui omnibus ob miram humanitatem acceptissimus erat. Acta sunt hæc VI. kalendas Maias præsentis anni, elapso quinquennio cum quinque diebus a transitu beati Anselmi.

b *lib. 71. n. 19.*

LXX. Ernulfus post eum episcopus Roffensis.

Translato ad Cantuariensem metropolim Radulfo, eidem in Roffensi ecclesia suffectus est Ernulfus, jam sæpe a nobis laudatus [c], tunc Burgensis abbas, agente in primis Radulfo, qui ejus sapientiam ac religionem compertam habebat, multumque adjumenti ex illius vicinia sibi proventurum sperabat. Burgo itaque Cantuariam abductus, IV. kal. Octobris in capitulo fratrum ab archiepiscopo, pro antiquo more, investitur coram cœtu eligentium fratrum; ac demum VI. idus Octobris Roffam ab ipso archiepiscopo perducitur. Ejus loco in Burgensi præfectura suffectus Johannes monachus Sagiensis. Denique kalendis Novembris Alboldus Beccensis monachus, idemque sancti Nicasii de Mellento [d] prior, sancti Eadmundi abbas ordinatus est a Radulfo archiepiscopo, qui anno sequenti pallium a Paschali accepit. Ad Ernulfum quod attinet, quædam doctrinæ [e] suæ monumenta reliquit, multa quoque ecclesiæ suæ ornamenta & beneficia contulisse memoratur, & dormitorium, capitulum & refectorium exstruxisse, testante Edmundo [f] in Annalibus ecclesiæ Roffensis, ubi observat, nullum exstitisse postea monachum Anglum factum episcopum Roffensem, qui possit inter ecclesiæ suæ benefactores censeri. Obiit anno MCXXIII. quatuor & octoginta annos natus. De ejus successoribus vide tomum secundum Angliæ sacræ.

c *V. lib. 66. n. 52.*

d *Monast. Anglic. p. 295.*

e *V. lib. 65. n. 52.*

f *Angl. sac. to. 1. p. 342.*

LXXI. Crulandensis novæ ecclesiæ fundamenta jacta.

Dum hæc Cantuariæ geruntur, Joffridus Crulandensis abbas, conquisitis unde-

ANN. CHR. 1114.

quaque subsidiis, quæ ad novæ basilicæ fabricam necessaria erant, ejus fundamenta jecit. Totam rei gestæ seriem singillatim recenset Petrus Blesensis in continuatione historiæ Crulandensis, ubi omnes & singulos, qui primos lapides in variis basilicæ partibus posuerunt, eorumque dona commemorat. Ipso die, quo hæc facta sunt, Joffridus abbas, sollemne epulum universis, qui ad illum diem eo convenerant, exhibuisse perhibetur. Et primo quidem cum germano suo, Roberto scilicet abbate Thorneïensi, refectorium tenuisse dicitur, in quo quadringenti diversorum locorum monachi refecti sunt. Tum duo comites, duoque barones cum uxoribus, militibus & gentilibus suis in aula abbatis. Ad hæc sex cunei virorum cum uxoribus suis, in sex distincti columnas, in claustro discumbebant: cetera denique promiscui vulgi multitudo supra quinque millia, sub dio in curia comedebant. His omnibus monachi propriis manibus ministrabant, Domino dante benedictionem, & diem serenissimum tantæ sollemnitati concedente.

Ipsomet anno rex Heinricus insignem eidem loco immunitatem indulsit. Dum vero ejus rei *confirmatio regia in thesaurarii & cancellarii manibus tractaretur*, illuc advenerunt e Francia duo Heinrici regis avunculi, ex sorore ejus proximi cognati, Theobaldus videlicet Blesensis comes, Magnus a posteris dictus, ejusque germanus Stephanus, postea rex Anglorum; ambo Aurelianis in scholasticis disciplinis magistri Joffridi quondam discipuli & alumni: qui suum pædagogum & carissimum præceptorem, tunc ejus loci abbatem, amplexi, eidem regiam illam confirmationem impetrarunt. Idem Joffridus, teste eodem Petro, instituit ut in die sancto parasceves tam abbas quam monachi, in capitulo se se flagellarent in memoriam passionis Domini. quod argumento est, hunc flagellationum usum aliis diebus illic tunc receptum non fuisse.

LXXII. Wlfii anachoretæ vitæ compendium.

Hoc loco Petrus Blesensis inserit compendium vitæ venerabilis anachoretæ sancti Wlsini seu Wlsii, qui paucis ante annis ad Dominum migraverat. Is, ut ipsemet de se testatur, non infimis parentibus in Anglia natus, vitæ remotioris studio Crulandam secessit, ubi post annuam probationem sancti Benedicti regulam professus est. Cum rudis esset ac litterarum expers, in exterioribus rebus Marthæ officium exercuit. Sed mentis avocationem, quæ ejusmodi exercitia comitari solet, gravate ferens, a Britmero abbate obtinuit, ut in peculiari cella recluderetur, ubi se totum rebus cælestibus addixit. Post mortem Cnuti regis, quæ anno M XXXV. accidit, Haroldo & Hardecnuto de regno decertantibus, tantum indigenarum, Wlsium consultantium, concursus ad ejus cellam factus est, ut nec solitis fere precibus vacare, nec missæ interesse, nec denique consuetum silentium servare ipsi daretur. Itaque, cum ab inchoata perfectione se deficere sentiret, consulente Avicio ejus loci priore cognato suo, regis ac principum in spiritualibus consiliario, cui conscientiæ suæ arcana aperire solebat, ad Eveshamense monasterium migravit, per totam viam ligatis fascia oculis, ne relictas sæculi vanitates videret, earumque imagines in cor ipsius se insinuarent. Ubi illuc pervenit, in capellam sancti Kenelmi martyris, quam ipse fabricaverat, reclusus, septuagesimo-quinto reclusionis suæ anno liber ad cælos evolavit, facto prius ad Mauricium abbatem & fratres Eveshamenses exhortatorio sermone, quem Petrus Blesensis refert. Mauricio abbati successit Reginaldus Glocestriæ monachus, qui litem habuit cum Joffrido Crulandensi abbate, qui prædium quoddam monasterii sui post centum annorum concessionem ab eo repetebat.

LXXIII. Res Belgicæ.

In Morinis apud Audomaropolim hoc anno sollemnis conventus procerum habitus est, in quo pax sacramentis firmata, uti nos docet diploma Balduini comitis S. Bertini monasterio indultum, cujus hæc clausula: *Actum est hoc apud S. Audomarum in sollemni curia, anno* M C XIV. *indictione* VII. *regnante Ludovico Francorum rege, principatute in Flandria eodem Balduino comite, ea scilicet die qua ab ipso comite, cunctisque proceribus Flandriæ pax confirmata est sacramentis.* Hoc diplomate confirmatur a Balduino permutatio inter ipsum & Lambertum sancti Bertini abbatem facta villæ Ostresellæ, in Flandria sitæ, quæ juris Bertinensium erat: pro qua comes Berqueriam villam territorii Furnensis eis concessit. Prædicto diplomati subscripsere Johannes Taruannensis & Lambertus Noviomensis episcopi; Hermes quoque Bergensis seu sancti Winnoci abbas, qui anno M C XX. abbatiam abdicavit, & in Remense sancti Nicasii monasterium, tunc religione florentissimum, se recepit: ubi reliquos vitæ dies religiosissime transegit.

In

ANN. CHR. 1114.

S. Georgii de Bachervilla ecclesia in abbatiam erigitur.

In agro Rotomagensi exstat monasterium sancti Georgii de Bachervilla, cujus primariam ecclesiam, a Radulfo de Tancarvilla, Willelmi conquæstoris camerario, ante annos quadraginta-octo conditam, & canonicis commissam fuisse in superiori tomo [a] diximus. At Willelmus de Tancarvilla, filius ejusdem Radulfi, idemque regis Heinrici camerarius, mortuo patre, monachos ibidem canonicis substituere maluit, idque, obtenta ab Heinrico rege facultate, auctoritate apostolica necnon Gaufredi archiepiscopi Rotomagensis hoc anno exsecutus est, eamdemque ecclesiam erexit in abbatiam, cui multa prædia tum in Anglia, tum in Normannia assignavit. Legimus in ejus loci chartario litteras ipsius Radulfi ipso anno datas, uti & diploma Heinrici regis prædictam facultatem concedentis, & donationes confirmantis eidem abbatiæ factas: cui diplomati apposita sunt signa Gaufredi archiepiscopi Rotomagensis, Johannis episcopi Lexoviensis, Rogerii Constantiensis, necnon Willelmi camerarii ac Rabelli filii ejus, qui Rabellus, una cum Rotberto fratre suo ac Lucia sorore, non pauca eidem ecclesiæ contulit. Illuc ex Uticensi monasterio decem monachorum deducta colonia est, cui præfectus Ludovicus abbas, qui *judicio majorum*, teste Orderico [b], aptus inventus fuit, qui primus monasticum ordinem cum decem monachis illic inchoaret. Ejus tempore Willelmus junior, prædicti Willelmi filius, ejusdemque in camerarii dignitate successor, *quinto die post susceptum militiæ cingulum*, ad sanctum Georgium se venisse dicit, *ibique cum honorifica processione susceperunt me*, inquit, *abbas Ludovicus & monachi cum magno gaudio lætantes; & ibi obtuli gladium meum super altare sancti Georgii: & tunc consilio & admonitione sociorum meorum, nobilium virorum, scilicet Roberti de Sis dapiferi mei, & Rogerii de Kailli, & Johannis de Lunda, & aliorum plurium, redemi gladium meum per dona & confirmationem plurium ecclesiarum, quas ipso die concessi eis de meo dono, & sicut avus meus fundator illius monasterii dederat, confirmavi, scilicet ecclesiam de Habetot* &c. Abbatiam annis circiter viginti-quatuor rexit Ludovicus abbas, cujus successor, Victor nomine, sequentis sæculi initium prætergressus est. Aliorum abbatum nomina in Neustria pia videre licet.

[a] lib. 62. n. 97.

[b] Ordéric. lib. 8. p. 698.

LXXIV. Richardus Virdunensis electus obit.

Jam ab annis fere septem Richardus Virdunensis electus benedictionis episcopalis expers erat, cum omnia sibi contraria videns, Romanam ecclesiam infensam, cæsarem infidum, quippe qui auxilio evocatus, Rainaldum Barri comitem ab ipso captum, & nova in se molientem relaxasset; animo tandem constituit, ut se de tantis incommodis eriperet. Ejus rei causa Laurentium sancti Vitoni abbatem, a se pulsum [c] e monasterio, invitavit, ut ad reconciliandum sibi Romanum pontificem [d] Romam proficisceretur. Illi vero id renuenti, quippe qui ab eo spoliatus sumtus ad hanc legationem non haberet, itineris necessaria repromisit Richardus, sed ad iter parato denegavit. Ipse vero a Laurentio, ut pro se apud apostolicum responderet, invitatus, peregrinationem ad loca sacra vovit, atque Hugoni Trecensium comiti tunc Jerosolymam moventi cum ingenti pompa se adjunxit. Italiam ingressus, Triburiam, ubi papam tunc versari audierat, se contulit, veniam ab eo petiturus. Ubi in præsentiam venit, cunctis sociis more peregrinorum ad papæ audientiam admissis, ipse solus in medio lutulentæ plateæ, spectante per fenestras palatii pontifice, prostratus in terram corruit, ejulando sæpius exclamans, ut sui misereretur. Flexus ad commiserationem pontifex, (& quis tam ferreus flexus non esset?) dixit, se ejus gratia Romam quantocius reversurum, & consilio cardinalium misericordiam ei impensurum. At ille: Cedo, inquit, baculum pontificii mei: tantum hic absolve me, nec Romam ire compellas, ne peregrinationis meæ socios deserere cogar. Abnuente pontifice, dolens ille discessit socios prosecuturus; languore, quo jam tenebatur, ingravescente, lectica vehi cœpit. Progredienti occurrit Richardus Albanensis, quem ut sibi succurreret obsecravit, ne absque indulgentia moreretur. Exspectare tantisper jubet Albanensis, dum a pontifice reconciliationis gratiam reportet. Tum Romam propere pergit, redit veniam deferens, sed Richardum jam mortuum & sepultum invenit. Obierat vero apud Casinum-montem anno septimo, ex quo ad Virdunensem episcopatum electus fuerat. Post eum episcopatus annis tribus ac dimidio vacavit. His acceptis, Laurentius abbas ad propria, unde expulsus fuerat, redit, suos e Divionensi monasterio, aliisque locis revocavit, & thesaurum ecclesiæ suæ, qui abstractus erat, ut ipsi restitueretur per Brunonem Treviren-

[c] supra n. 4.

[d] Spicil. to. 12. p. 305.

Laurentius S. Vitoni abbas restituitur.

sem archiepiscopum effecit. Monachorum in sua reditus post mortem Richardi reponitur in chronico [a] sancti Vitoni.

[a] *Labbe to. 1. p. 401.*

LXXV. Pontii abbatis Cluniacensis iter Romam.

Cum graria summi pontificis, ob improbatum ejus pro investituris privilegium, se excidisse dolerent Cluniacenses, eam per internuntios recuperare tentarunt. Verum, ubi rem non succedere animadvertit Ponrius abbas, ipse Romam ejus rei causa profectus est, simul ut Sithienses monachos ad sui obsequium auctoritate apostolica flecteret. Ea gratia vix obtenta, cum nihil in Sithienses obtinere potuisset, ne penitus re infecta redire videretur, a pontifice litteras impetravit, eo spectantes, ut Lambertus Sithiensis abbas de professione Cluniaci facta responderet: sin minus, præfixa die ad papam se sisteret. At Lambertus per Cononem cardinalem & legatum sibi amicum, tunc in Francia morantem, litteras illas infirmari curavit. Videntes itaque Cluniacenses se nihil proficere adversus Sithienses, cum eis concordiam qualemcumque inierunt, quæ usque ad Lamberti obitum tenuit. Hæc ex Johanne Iperio, qui addit, Pontio abbate negotium suum cum Johanne Gaitano in quodam cænaculo Romæ tractanre, cænaculum ipsum corruisse, & Johannem quidem ex lapsu interiisse; Pontium vero crure debilitatum fuisse. ubi falsus videtur Iperius saltem in Johanne Gaitano, qui post Paschalem pontifex electus est. Ut ut sit, Ponrius abbas a Paschali duo diplomata [b] hoc anno impetravit, & in reditu ex urbe Padolironense monasterium adiit, ut videbimus anno sequenti.

[b] *Bibl. Clun. p. 571. & seqq.*

LXXVI. Molismensium lis cum monachis S. Petri-Vivi.

Inter varias donariones, quæ Senonensi sancti Petri monasterio antiquitus factæ sunt, Ingoara & Leoteria, sancti Ebbonis Senonensis pontificis sorores, villas Rictiacum & Pauliacum ei contulerunt. In his postmodum quartam partem Bernardus miles, Montis-Barri Dominus, & Humberga ejus uxor, anno M. LXV. sub annuo censu a Gerberto sancti Petri abbate receperunt; & postea eorum filii, Milo & Rainardus easdem villas sub eodem censu tenuerunt. Sed tandem Guido abbas Molismensis monasterii, quod in parochia Pauliaci situm est, hanc villam emit a Milone centum-quinquaginta libris denariorum. Id ubi rescivit Arnaldus sancti Petri abbas, Molismum adiit cum duobus suis monachis, Halduino scilicet priore ac Girardo cellerario, & cum Guidone abbate expostulavit de emptione istius villæ, quam sancti Petri alodum esse asserebat. Ad hæc Guido respondit, se hac de re locuturum cum Milone venditore, & cum aliis, quorum consilio uti debebat; pollicitus se responsum daturum ad proximas rogationes. *Factum est hoc*, ut in chronico [c] sancti Petri legitur, *in fine istius anni, de quo agitur*, id est anni M C XIII. secundum veterem calculum, septimo *scilicet idus Martii*; adeoque sub initia anni M C XIV. secundum novum. Rogationum tempore misit Arnaldus abbas Guidonem monachum Molismum, ut promissum responsum acciperet. At Guido abbas rursus inducias petiit ad proximum festum sancti Johannis; sed promisso non stetit. Tunc forte accidit, ut Josceranus Lingonum præsul Senonas veniret, cui Arnaldus multam humaniratem exhibuit. Hac occasione usus, conquestus est de Rainaldo Montis-Barri domino, qui censum de Rictiaco & de Pauliaco ab octo amplius annis non persolverat. De eo præsul se rationem exacturum pollicitus est. Sed & Arnaldus abbatem Molismensem sæpius ea de re interpellavit, sed nihil ab eo, neque a Josceranno episcopo obtinuit. Eadem illi controversia fuit cum Bernardo sancti Johannis de Prato, id est Reomaënsis monasterii abbate super villa Rictiaco, quam Bernardus a Josceranno episcopo impetraverat. Utraque controversia in variis conciliis agitata est, ut in chronico sancti Petri legere licet, quæ singillatim referre non est operæ pretium. Tandem post varias lites villa Pauliacus Molismensibus cessit, probante cum fratribus suis & confirmante Bernardo tum abbate Claræ-vallensi, ut ad annum M CXXIX. videbimus.

[c] *Spicil. to. 2. p. 764.*

LXXVII. Pontiniaci monasterium extruitur.

Exacto tirocinii anno apud Cistercium Bernardus cum sociis habitum mutavit, & religiosa veste indutus, professione sullemni Deo se consecravit. Id factum sub initia hujus anni, anno scilicet revoluto ab ingressu Cistercium, quod principio anni superioris [d] contigisse diximus. Suppetit & aliud huic rei probandæ argumentum, quod scilicet Hugo, nobilis ille Matisconensis, Bernardi præcipuus amicus, quem ipse a sæculo abstraxerat, & secum perduxerat Cistercium, hoc ipso anno Ponriniacensis monasterii abbas primus a Stephano institutus est, Bernardo prælatus, forte quod esset ærate superior. Erat tunc Pontiniacus alodium Hildeberti canonici ecclesiæ Autissiodorensis, qui novæ Cisterciensium institutionis fama permotus, mo-

[d] *supra n. 50.*

ANN. CHR. 1114.

nasterium illic ejusdem instituti exstruere constituit. Ivit itaque Cistercium, ac Stephano abbati consilium aperuit suum. Ille primum dubius & hæsitabundus, demum assensit, novæque coloniæ duodecim monachorum Hugonem abbatem præposuit. Mox jacta novi monasterii fundamenta apud Pontiniacum, duabus ab urbe Autisiodoro leucis positum ad amnem, quem Seneen * vocant acta episcoporum [a] Autisiodorensium: ubi cujusdam sancti eremitæ, Stephani nomine, oratorium erat. Aliud ibidem oratorium a novis colonis erectum in honorem beatissimæ Virginis: cui Theobaldus, magnus ille Campaniæ comes & Cisterciensium in primis studiosus, aliud longe augustius templum adjunxit. Non dubium quin sacris ordinibus tunc initiatus fuerit Hugo, (quod etiam de Bernardo dicendum) antequam ab Autisiodorensi episcopo Humbaldo abbas ordinaretur. Ordinandus autem episcopo professionem fecit in hæc verba: *Ego Pontigniacensis abbas subjectionem, reverentiam, & obedientiam a sanctis patribus institutam, secundum regulam sancti Benedicti tibi, domine Humbalde episcope, tuisque successoribus canonice substituendis, & sanctæ sedi Autisiodorensi, salvo ordine nostro, perpetuo me exhibiturum promitto.* quæ professionis formula deinceps a ceteris ejusdem Ordinis abbatibus usurpata est. Pontiniacense monasterium rexit Hugo usque ad annum M C XXXVI. quo ad Autisiodorensem episcopatum promotus est. Hæc secunda Cistercii filia est, quam brevi subsecura Claræ-vallis tertia filia, ut anno sequenti videbimus; & mox Morimundus, quarta filia.

* Senin.
a Labbe bibl. to. 1. p. 471.

LXXVIII. Dalonensis cœnobii primordia

Hoc anno Gerardus de Salis, cujus jam sæpe [b] mentio facta est, Dalonum * seu Dalonam petiit, ibique nobile monasterium ædificare cœpit. Exstat hic locus in pago Lemovicensi, in parochia Segonziaci *, inter Viseram superiorem & Viseram inferiorem fluvios, versus Petracorios situs. Hunc locum silva obsitum cum lustraret Girardus, monasterium illic ædificare statuit. Pertinebat hic locus ad Geraldum de Turribus & Gulferium ejus fratrem, qui eum *Deo & beatæ Mariæ, & venerabili patri Geraldo de Salis* liberum & ab omni servitute immunem hoc anno liberaliter contulerunt. quod ab Eustorgio Lemovicensi episcopo confirmatum. Non multo post in synodo Daloni habita, cui Willelmus Petragoricensis episcopus, necnon Mauricius Sollemniacensis & Guido Tusturiacensis abbates cum Geraldo de Turribus & Gulferio ejus fratre, aliisque interfuere; Constantinus Tusturiacensis monachus prædictum locum sui juris esse contendit: sed pretio accepto cessit. Primus Dalonensis abbas a Girardo de Salis institutus est Rogerius, qui abbatiam in pago Ruthenensi, Locum-Dei vocabulo instituit. Ejus successor Amelius cum subditis sibi abbatibus novem apud Arnacum interfuit exsequiis Almodis uxoris Oliverii de Turribus, ut testatur Goffridus Vosiensis. Abbatiæ Dalono subjectæ videntur esse illæ, quæ a Girardo de Salis constructæ sunt. Eo mortuo, Dalonum seu Dalona cum aliis transiit ad Cistercienses. Dalonensis abbatiæ honorifica mentio fit in optimæ notæ vita Stephani Obazinensis abbatis, cujus in libro secundo [c] dicitur, nullum regulare monasterium in illa regione tunc fuisse præter Dalonense. Unde idem Stephanus illud monasterium, quod novem fere milliaribus Obazina distat, frequenter adiisse dicitur, nimirum ut Obazinense ad ejus exemplum componeret.

b lib. 72. n. 61.
* Dalone.
* Segonzac.
c Baluz. t. 4. Miscell. p. 108.

LXXIX. Liguriense parthenium conditur.

Non solum de viris, sed etiam de sequiori sexu curam gessit Girardus de Salis, ut probat fundatio parthenii beatæ Mariæ de Ligurio *, quod in pago Petragoricensi, haud procul a Salis, unde ipse cognomen accepit, cum Maximiua prima loci abbatissa construxisse traditur, assentiente Willelmo Petragoricensi episcopo mox laudato, fundum in silva Liguriensi suppeditantibus Helia de Bordella & Iterio de Turre, aliisque, ut patet ex ipsius Willelmi litteris anno sequenti datis, ejus episcopatus anno XI. Duplex illic principio monasterium erat, virorum ac feminarum. Huic fundationi interfuisse dicitur Guido superius laudatus abbas Tusturiacensis monasterii itidem apud Petracorios, de cujus origine in superioribus [d] actum est. Superest etiam nunc Liguriense parthenium, cujus syllabum abbatissarum contexuit noster Stephanotius in suis collectaneis pro monasteriis diœcesis Petragoricensis. Profectus aliquando Girardus de Salis ad Fontis-Ebraldi monasterium apud sanctimoniales ejus loci sermonem facturus, magnopere eas increpuisse traditur ob tortos capillos: quo ex tempore ab illis statutum est, ut a nulla in posterum coma nutriretur. Tum in ipsius Girardi vita subjiciuntur Guillelmi Pictaviensis & eremi-

* Ligueux.
d lib. 55. n. 70.
Giraldi de Salis elogium.

ANN. CHR. 1114.

colarum abbatum de eo testimonia, quod scilicet puer ingressus est cœnobium, ex quo in eremum secessit: quod vestis ejus fuerit cilicium, potus aqua, cibus legumina, tota vita martyrium. Denique quod progressus in publicum multa condiderit monasteria, in quibus *normam beati Benedicti usque ad minimum apicem servandam ordinavit*, ut de plerisque superius dictum est.

LXXX. S. Martialis abbates.

Hoc anno Ademarus abbas, postquam Lemovicense sancti Martialis monasterium per annos amplius quinquaginta religiose ac laudabiliter rexisset, in pace [a] tandem quievit X. kal. Septembris, & in capitulo sepultus est. Laudatur ab Hildeberto episcopo in libro de vita sancti Hugonis Cluniacensis, cujus *dispensator benedictionum* seu eleemosynarum, antequam abbas esset, fuisse dicitur, & non semel *dispendium* seu imminutionem *in distributo non sensisse argento*. Eo mortuo, Ademarus Lemovicensis vicecomes, Ademari senioris filius, & Guido filius ejus, tumultum in monasterio concitarunt, abbatem illuc sua auctoritate intrudere volentes. at Pontius abbas Cluniacensis eo profectus, eis restitit, & secundum Urbani II. edictum & chartam Ademari senioris, qua Cluniacensi abbati facultas ordinandi apud sanctum Martialem abbatis concessa est, Bernardum Cluniacensem priorem, qui ante eleemosynarius fuerat, virum prudentissimum, eidem loco præfecit. Actum apud Lemovicas nonis Octobris hoc anno, indictione VII. Testes Rainaldus abbas Vosiensis, Stephanus sancti Augustini, & Ademarus sancti Sori abbates, Eustorgio episcopo Lemovicensi. Abbatiam biennio tantum tenuit Bernardus, eique successit Amblardus, cujus tempore, id est anno MCXXII. combustum [b] fuit castrum sancti Martialis, totumque monasterium cum officinis. Prolixam Amblardo abbati epistolam scripsit Goffridus Vindocinensis, respondens ad ejus litteras super quodam
» monacho, qui abbati suo detraxerat: quem ait oportere audaciæ suæ pœnitentiam
» agere, & honorem Dei in sacerdote, etiam aliter agente, agnoscere, & suo præ-
» posito satisfacere. *Quod si superbus exstiterit*, inquit, *exerce in eum honoris tui potestatem: ut, tamquam homicida, ab omni ordine depositus, vel sic agnoscat ecclesiasticæ*
» *censura rigorem*. Utile quippe ac necessarium esse, ut rectores a subditis timeantur,
» & ab ipsis corrigantur: ut humana formidine peccare metuant, qui divina judicia
» non formidant. *Optare tamen debes*, inquit, *magis injurias odientium pietate & patientia vincere, quam concessa tibi licentia & auctoritate vindicare*. Hactenus Goffridus.

a Labbe to. 2. p. 274.

b ibid.

LXXXI. Varia de Kemperlegio & S. Sergio.

Anno præcedente Benedictus, Alani Cornugalliæ comitis filius, episcopus Namnetensis & Kemperlegiensis abbas, ecclesiæ suæ & abbatiæ regimen confectus senio dimisit, eodemque anno unum e suis monachis, Gurchandum nomine, ad Radulfum Turonum archiepiscopum misit ordinandum, & eidem abbatiæ præfecit. In Namnetensi vero ecclesia in ejus locum suffectus est Briccius episcopus, qui hoc anno, Christi scilicet MCXIV. ordinationis suæ primo, benevolentiam suam in Petrum sancti Sergii apud Andegavos abbatem, qui anno superiori Bernardo [c] successerat, ejusque monachos testatus est, confirmando ea, quæ apud Radesium, in tribus ecclesiis, jam eis concessa fuerant. Sic autem in suis hac de re litteris loquitur. *Dum ego B[*]. Namnetensium episcopus in sede mea sederem, primo ordinationis nostræ anno P[*]. abbas sancti Sergii venit ad nos, postulans, ut quod habebat apud Radesium in tribus ecclesiis, videlicet Roens, Chamaré & capella, quæ Porsnit ædificabatur, ei concederem .... Et quia religiosum virum offendere timui, petitionem ipsius canonicam implere non distuli*: sub certis tamen conditionibus de capella *Porsnit*, nempe *ut infantes non baptizent, infirmos non visitent, nec eis communionem præbeant*. Ad hæc, *ut in dominicis & festis diebus missas suas non celebrent, donec in ecclesia sacerdotum,*
» *ad quam parochia castri pertinet, missa finiatur*, præterquam in festivitate sancti An-
» dreæ, in cujus honorem fundata est capella, & in dedicatione ejusdem ecclesiæ.
Denique pro illa capella pepigit idem abbas *reddere annuum censum Nannetensi ec-*
» *clesiæ unum auri Bizancium, quod murobotin nuncupatur*. Actum Nannetis mense Au-
» gusto, feria prima, præsente E[*]. comitissa, quæ episcopum ea de re rogatum vene-
» rat. Post hæc Petrus abbas Radulfum archiepiscopum precatus est, ut ejus auctori-
» tate divinum officium in illo apud Porsnitum oratorio celebrare sibi liceret. Hinc archipræsul, absente Briccio episcopo, archidiaconis Namnetensis ecclesiæ scripsit, ut id concederent. Idem quoque *aquam sacratam, quia forsan*, inquit, *deest vobis, episcopo vestro longius absente, ad conspersionem loco ex more faciendam*, scilicet *ad benedicendam capellam a nobis eum accepisse sciatis*. Addit pontifex se illos visitaturum

c V. lib. 68. n. 99.

[*] Briccius.

[*] Petrus.

[*] Ermengarde.

fuisse, *nisi febrium incommodo pernimium gravaretur.* Et quidem non diu supervixit Radulfus. Mortuus quippe est anno sequenti, eique successit Gislebertus, ex chronico[a] Kemperlegiensi: in quo Benedictus episcopus Namnetensis & abbas S. Crucis, modo laudatus, itidem decessisse dicitur. Prædictam Radulfi epistolam cum Briccii litteris in Appendice referemus.

ANN. CHR. 1114.

a *Baluz. Miscell. to. 1. p. 524.*

Ex parvis rebus magnas sæpe & serias oriri rixas, immo & duella, vel uno patet exemplo, quod Cangius[b] inter plura alia refert, ut probet colibertus haud alios esse quandoque quam homines de capite, seu censui obnoxios. Miles quidam de Burgolio, Alo, *homo de capite suo sancti Petri Burguliensis*, sub Baldrico abbate, *hominium*, ut vocabant, suum denegavit. Citatus ad judicium, die condicto super hac causa monasterii actor & miles disceptaturi, immo & duellum habituri, in curiam Gaufridi episcopi Andegavensis convenerunt: ast miles *se hominem de capite suo altaris abbatis* esse confessus est, & se facturum hominium promisit. Baldrico abbate ad sedem Dolensem provecto, & Wiberto in ejus locum Burgulii substituto, Alo *absque consilio dominorum suorum abbatis & monachorum* ingenuam & nobilis generis uxorem duxit, facto sacramento, se liberum & ab omni jugo servitutis esse immunem. Id ubi rescivere monachi, Alonem suum esse colibertum contendunt, & ad disceptationem provocant. Tum apud Salmurium castrum in curia Fulconis comitis, licet absentis, conveniunt, ubi barones illius, magister militum, aliique judices residebant. Ex eorum sententia *pugna duorum virorum, affirmantis & negantis, approbatur.* Indicta die *ab utraque parte cum concionatoribus convenitur. Exposito judicio, expediti pugiles veniunt ad sancta sanctorum: manus elevant presto juraturi.* Verum Alo *differt causam, consilium quærit*; tandemque *promittit se in capitulum venturum, altaris abbati & monachis hominem de capite se professurum.* Quanta pro uno coliberto certamina!

Burguliensium duellum pro coliberto.

b *Glossar. to. 1. p. 1059.*

In chronico Malliacensi seu Maxentiano legitur, Petrum Fontis-Gombaudi primum abbatem morbo *arpeta*, id est igne inexstinguibili, hoc anno interiisse: cui successisse dicitur Guillelmus, & post eum Airaudus. Ad hæc Blesense sancti Launomari monasterium incendio consumtum fuisse. Idem accidit in sancti Maxentii monasterio, quod tertia vice ab annis uno & triginta jam conflagraverat: cui instaurando Goffridus abbas omnem curam & diligentiam adhibuit, ad annum M C XXXIV. superstes, quo anno ei successit Petrus-Raimundi chronographus Maxentianus, de quo alias. Sancti Launomari monasterio tum præerat Mauricius abbas, superius laudatus, cujus successor Rainaldus anno M C XXX. per Gaufridum Carnotensem episcopum & sedis apostolicæ legatum ecclesiam villæ Romanæ, a Godefrido Vindocinensi comite ereptam, sancto Launomaro restitui curavit. Goffridus eo nomine secundus successorem habuit Ernaudum, Petri Blesensis nepotem, de quo inferius.

LXXXII. Fontis Gombaudi abbates, & monasteria combusta.

S. Maxentii & S. Launomari abbates.

Jam septimus annus erat, ex quo cella Gordanica lege fiduciariæ possessionis Anianensibus a Paschali restituta erat, cum Casæ-Dei monachi, quibus juris sui, si quod in ea haberent, explorandi & explicandi facultas erat, novam hac de re litem denuo excitarunt. Hanc causam Paschalis Arberto Avenionensi, Eustachio Valentino, & Hismioni Diensi episcopis discutiendam, definiendamque commisit. Hi vero perspectis utrimque momentis hanc cellam denuo Anianensibus adjudicandam censuerunt: quorum judicium pontifex suo decreto roboravit, dato Laterani hoc anno pridie idus Aprilis, & in Appendicem relato. Verum nec sic repressa fuit Casæ-Dei monachorum pervicacia, quæ Romanos pontifices Callistum & Honorium II. fatigavit: adeo ut Galterius Magalonensis episcopus & apostolicæ sedis legatus excommunicationis sententiam in refractarios vibraverit, quam Honorius ipse datis ad Stephanum Casæ-Dei abbatem litteris confirmavit. Sed de ejusmodi rixis satis.

LXXXIII. Paschalis decretum de cella Gordanica pro Aniana.

Hoc anno Bernardus Ceritaniensis comes monasterium sancti Martini *de Canegu*, quod Guifredus ipsius atavus ædificaverat, Crassensi beatæ Mariæ cœnobio [c] subjecit ea lege, ut abbas Crassæ, ejusque successores illuc abbatem e sua congregatione mitterent, qui ordinem inibi servari curet secundum regulam sancti Benedicti. Ideo vero id se facere ait Bernardus comes, quod prædictus locus sancti Martini a sæcularibus valde dissipatus esset, ejusque bona omnia, tam interiora, quam exteriora, ita ut monachi illic degentes, nullam religionis regulam observarent. Id factum hoc anno, secunda die mensis Februarii, assentiente Petro episcopo

LXXXIV. Canigonense monasterium Crassensi subjicitur.

c *Montfaucon Diar. Ital. p. 7.*

ANN. CHR. 1114.

Elenensi, qui his litteris subscripsit cum multis optimatibus, Raymundo comite Barchinonensi, Lucia comitissa ejus uxore, eorumque filiis Raymundo & Berengario, multisque aliis. Exstat in Marca-Hispanica [a] Alexandri III. diploma adversus abbatem Canigonensem, qui debitam Crassensi abbati subjectionem denegabat.

[a] Marca Hisp. p. 1332.

Crassæ & Saviniaci abbates.

Crassensi monasterio tunc præerat Leo abbas [b], qui oppignerationem villulæ de Laco hoc anno accepit ab Aymerico Narbonensi vicecomite, ejusque conjuge Ermengarde. Leoni abbati non multo post successit Berengarius, Aymerici IV. Narbonensis vicecomitis filius, ex Mathilde, quæ ex clara stirpe Rotberti-Guiscardi Siciliæ principis originem ducebat; assumtus e monasterio sancti Petri Tumeriarum, ubi monasticen professus erat. Hic monasterii sui immunitates & possessiones a Gelasio II. & Callisto itidem secundo confirmari, & amissa recuperare novaque acquirere curavit, demumque ad Narbonensem pontificatum evectus est. Hujus abbatis frater erat Raymundus-Berengerii Barcinonensis comes, superius laudatus, qui „sanctæ Mariæ Crassæ & domno Berengerio abbati fratri [c] suo, ejusque successoribus, „monasterium S. Petri de Galli-cantu itidem reformandum commisit anno MCXVII. Verum anno sequenti idem Berengarius abbas repulsus est a monasterio [d] sancti Felicis Guixalensis, quod contra voluntatem ipsius loci abbatis & monachorum invaserat, inconsulto Berengario Gerundensi episcopo, & capitulo ejus ecclesiæ, quæ illud monasterium semper quiete possederat.

[b] lib. 70. n. 49.
[c] Marca Hisp. p. 1148.
[d] ibid. p. 1252.

In Saviniacensi monasterio agri Lugdunensis obiit hoc anno Iterius abbas, eo nomine secundus, VII. kal. Maii. Successit Girbaldus [e] in annos septem: cujus successor Pontius, nobilis genere, multas utilitates monasterio procuravit. Ordinem post eum Saviniacensium abbatum se ignorare fatetur Benedictus-Maillardi, ejusdem loci major prior & decretorum doctor, qui ex domesticis chartis & instrumentis indicem abbatum Saviniacensium, & res ab eis gestas & acquisitas recensuit. Hic Pontio quindecim annos regiminis tribuit, eumque postea Matisconensem episcopum creatum fuisse dicit. Sed vereor ne æquivocatione nominis lapsus sit: nam Pontius abbas filius nobilis Aimoini *de Lay*, & a puero monachus fuisse dicitur. Pontius vero Matisconensis episcopus *de Rochebaron* in Gallia-christiana, ex canonico Podiensi & præcentore Lugdunensi promotus ad episcopatum Matisconensem. Post abbatum seriem idem Benedictus nomina omnia ejusdem loci benefactorum, eorumque donationes commemorat.

[e] V. lib. 65. n. 195.

LXXXVI. *Ceperanum concilium.*

Sub finem hujus anni habita sunt duo concilia, Ceperanum scilicet ac Bellovacense. Ceperanum [*] seu Ciperanum locus est in Beneventana regione ad fluvium Lyris. Illic mense Octobri celebrata synodus præsidente Paschali papa, in qua conquestus est Arnulfus archiepiscopus [f] Cosentinus adversus Rogerium Apuliæ & Siciliæ comitem, quod archiepiscopatu ab eo dejectus esset, coactusque ut fieret monachus. Rem pontifex deferri voluit ad Girardum abbatem Casinensem, ad quem ejusmodi causarum judicium pertinere dixit. Audito archiepiscopo, abbas infit: Non vult Deus coacta obsequia. quapropter, si quidem per vim monasticum induisti habitum, tuum erit vel eum deponere, vel retinere. Sed primum te eum deponere decet, & ad pedes pontificis abjicere. quo facto, statues e duobus, quod tibi consultius visum fuerit. Mox ille monasticam vestem ad vestigia papæ deposuit, sed resumere noluit. Postmodum vero eum in gratiam cum Rogerio rediisse Ughellus existimat.

[*] Ceperano.
[f] Chron. Casin. lib. 4. c. 49.

Casinates a Saracenis cæsi.

Eodem anno Casinenses monachi [g] cum Azone decano e Sardinia remeantes, a Sarracenis capti, vinctique in Africam ducti sunt. quos Girardus abbas dato pretio redemit, relaxavitque rex Calamensis ad preces Rogerii comitis, qui ea de re litteras ad eum scripsit. In Africa tamen mortuus est Azo decanus, ibidemque humatus, ad cujus tumulum ardentes lampades visas fuisse Petrus diaconus [h] tradit. Per id tempus Hugo miles de Alba-spina, *transalpinus*, haud dubie Gallus, Casini monachum factum fuisse idem auctor [i] testatur.

[g] ibid. c. 50.
[h] ibid. c. 51.
[i] ibid. c. 44.

LXXXVII. *Belvacense concilium.*

Ceperanum concilium paullo post subsecuta est Bellovacensis synodus, VIII. idus Decembris ejusdem anni habita, ut ex codice Montis-Dei didicimus, præsidente Conone cardinale & apostolicæ sedis legato, uno *ex illis religiosis, qui eremiticam vitam apud Truncum-Berengarii primo duxerunt*, ut in quadam Sigeberti continuatione legitur. In epistola Gaufridi Clarævallensis monachi de rebus [k] in Remensi concilio sub Eugenio III. gestis Cono cardinalis *regularis quondam canonicus ecclesiæ S. Nicolai*

[k] Conc. to. 10. p. 1127.

ANN. CHR. 1114.

de Aruasia fuisse dicitur. Huic synodo interfuere tres metropolitani cum suis comprovincialibus episcopis, scilicet Radulfus Remensis, Leodegarius Bituricensis, & Daimbertus Senonensis. Adfuit etiam cum Lisiardo Suessionum episcopo Guibertus Novigenti abbas, qui ait Lisiardi propositum fuisse, ut in illa synodo [a] ageretur de quibusdam Manichæis [b] hæreticis ejus diœcesis, qui in vinculis tenebantur: at populum, *clericalem veritum mollitiem*, eos ex ergastulo rapuisse, & subjecto extra urbem igne cremavisse.

Ad eamdem synodum accesserunt Ambianensium legati, conquesti se optimo pastore destitutos, scilicet Godefrido, qui paullo ante ad Cartusiam [c] secesserat. Hic secessus contigit post quartum nonas Julias hujus anni, quo die & anno idem Godefridus fundationem cellæ Bonidi-curtis [*], ab Hugone Seniorato, Anscheri Centulensis abbatis fratre, & Lescelina ejus conjuge factam, Majori-monasterio confirmavit in ecclesia Ambianensi. Non itaque ante autumnum insequentem Ambianis decessit, nec ante mensem Decembrem pervenit ad Cartusiam. Auditis Ambianorum legatis, Remensis archiepiscopus: Qua fronte, inquit, hæc apud nos effutire « ausi estis, qui optimum pastorem orthodoxum, cunctisque ornatum virtutibus, im- « probitate vestra e sede sua expulistis? Ite, & tam peritum & catholicum pastorem « perquirite, & inventum huc adducite. Neque enim alium, quamdiu in vivis erit, « habituri estis. Inter ea, adsunt nuntii Godefridi litteras ad synodum deferentes, « quibus significabat, se episcopatum abdicasse, hortabaturque ut alius se dignior Ambianensibus præficeretur. Neque enim ad eos umquam se rediturum. Has litteras non sine lacrymis legerunt patres, tandemque constituunt apud Suessionas convenire ad epiphaniam Domini, ibique quid faciendum sit deliberare. Ubi eo ventum est, jussu Ludovici regis e monasterio sancti Quintini, ubi vir sanctus a cunabulis educatus fuerat, accersitus Henricus abbas, cum Huberto Cluniacensi monacho, magnæ auctoritatis viro, ad Cartusiam mittitur cum litteris, tum ad Cartusiæ priorem, cui imperatum, ut ne diutius episcopum apud se remorari sineret; tum ad ipsum Godefridum, ut quantocius ad sedem suam rediret. Jussis parere coactus Godefridus, cum multo mœrore discedit e Cartusia, ut anno sequenti dicturi sumus, ubi a festo sancti Nicolai episcopi, quæ VIII. idus Decembris celebratur, usque ad quadragesimæ sequentis initium demoratus fuerat. Ex his intelligitur, Godefridum non ante autumnum hujus anni Ambianis recessisse, siquidem ad Cartusiam sub initia tantum Decembris pervenit. In prædicto Belvacensi concilio graves quoque querelæ delatæ sunt adversus Thomam de Marna, seu de Marla, qui, inter alia sua facinora, Creciacum castrum & Novigentum, quod Abbatissæ vocant, utrumque juris abbatissæ sancti Johannis Laudunensis, rapuerat, castella exstruxerat, quæ rex Ludovicus vi capta penitus diruit, & utrumque locum sancti Johannis abbatissæ restituit, ut fuse narrat Sugerius in vita Ludovici-Grossi, & Guibertus in libro tertio de sua ipsius vita.

Tempore prædicti Belvacensis concilii Conon cardinalis judicium tulit super controversia, quæ de ecclesia [d] Hanachiensi [*] *inter abbatissam monasterii sanctæ Mariæ, qua dicitur ad sanctum Paulum*, & canonicos Miliacenses [*] vertebatur. Altare illius ecclesiæ ad monasterium sanctæ Mariæ absque ulla contradictione pertinere dicebatur, & abbatissa ad ipsam ecclesiam presbyterum mittere consuevisse, quod canonici minime refellebant, sed hoc tantum volebant, ut presbyter, ab ejusdem monasterii abbatissa missus, per ipsos ad prædictam ecclesiam venire deberet, & in eadem cum eorum permissu remanere; idque per triginta annos observatum fuisse contendebant. At judicatum est, ut quandoquidem altare absque ulla contradictione juris monasterii sanctæ Mariæ esse diceretur; deinceps per ipsius abbatissæ dispositionem, absque ullo ad Miliacenses canonicos recursu, presbyter ad illam ecclesiam mitteretur. Hujus causæ judices fuere Rainaldus abbas Vizeliacensis, qui judicium recitavit; Giroldus abbas sancti Luciani, Odo abbas sancti Symphoriani, aliique canonici & clerici. *Actum hoc Belvaci præsente domno Conone Prænestino episcopo, qui judicium hoc laudavit, & sigilli sui impressione firmavit, præsidente Petro Belvacensi ecclesiæ episcopo.* Giroldus abbas sancti Luciani Gisleberto successerat: Odo vero sancti Symphoriani abbas is est, cui Guibertus abbas libros suos de pignoribus Sanctorum dicavit, ut suo loco videbimus.

---

[a] Guibert. lib. 3 de sua vita c. 17.

[b] V. supra n. 31.

Episcopum petunt Ambianenses.

[c] supra n. 60.

[*] Beaucourt.

Judicium pro parthenone S. Pauli.

[d] Louvet to. 1. p. 610.

[*] Hanache.

[*] de Milly.

ANN. CHR. 1114.

LXXXVIII. Erminoldus fit abbas Prufeningensis.

Ad res Germanicas quod attinet, absoluto Prufeningensi monasterio, quod Otto Babenbergensis episcopus [a] ante annos quinque inchoaverat, quæsitus est rector idoneus, qui novum asceterium informaret. Ottoni ea de re sollicito & anxio suggestus est Erminoldus monachus Hirsaugiensis, qui abdicata, ut superius [b] vidimus, Lorsacensi præfectura, Hirsaugiam denuo se receperat. Hoc comperto, sanctus præsul scriptis ad Hirsaugiensem abbatem litteris rogavit, Erminoldum mitti Prufeningam, ut incultum novale excoleret. Missus illuc vir Dei omnem curam & sollicitudinem adhibuit excolendo novello agro, sedulo insistens vigiliis, precibus & jejuniis, discipulos ad idem agendum exemplo suo inducens, eosdem admonere solitus, regnum Dei & justitiam præ omnibus ardentissime quærere, temporalem fugere gloriam, æternam sectari. Erat in eo caritas in egenos indeficiens, quæ tempore famis ingentis maxime enituit. Cum enim per totam Bajoariam annonæ copia ita defecisset, ut propter inopiam pauperes interirent; ipse monasterii cellaria & promptuaria in egentium necessitates reseravit; nec prius in erogando defecit, quuad deficeret quod erogaretur. Exhaustis siquidem omnibus officinis, ipse cœpit egere: sed Deus interventu sancti Georgii loci patroni necessaria illi providit per quemdam divitem, qui fratrum inopiam copiose supplevit. Neque tamen viri Dei humanitas zeli expers erat ac censuræ. Id probat unum ejus factum erga Heinricum imperatorem, cui ad monasterium advenienti portas occlusit, ne cum excommunicato communicare videretur. Is quidem ex odio & animi rancore factum primo interpretatus est imperator, quod Lorsacensis abbatiæ abdicandæ occasionem ei dedisset: at, ratione ejus intellecta, factum probavit, quippe summi pontificis, immo & Dei gratiam imperatoris favori prætulisset; nec assentatorum suggestionibus, ad eam, ut illi dictitabant, injuriam ulciscendam adduci potuit.

a lib. 71. n. 91.
b ibid. n. 14.

LXXXIX. Monasteria imperialia & regia.

Trithemius ad hunc annum compendium refert vitæ sancti Erminoldi, ubi Lorsacense Suevia monasterium, cui primo præfectus est vir Dei, confundit cum Laurisbamensi monasterio diœcesis Wormatiensis, quod inter imperialia censebatur. Hac occasione triplicis generis monasteria distinguit, imperialia scilicet, regia, & alia, quæ neque imperii, neque regni Teutonicorum privilegiis vel titulis insignita erant. Imperiales abbatias tantum quatuor commemorat, Fuldensem, Hersfeldensem, Wissemburgensem, & Laurissensem seu Laurishamensem. Horum quatuor locorum abbates imperatori aderant, quoties vel celebrabatur publice imperii principum conventus, vel ad bellum procedebat imperator, vel is coronandus Romam pergebat. In conventibus publicis hi quatuor abbates ad pedes imperaturis proximi residebant, referendariorum gerentes officium. Capellis quoque imperialibus præerant, & sacrorum principes dicebantur. Præter illas abbatias aliæ quoque imperiales etiam nunc censentur in primis Campidonensis, Corbeïensis & Murbacensis. Regalia monasteria vocat Trithemius, non quæcumque regum liberalitate constructa, sed illa dumtaxat, quæ jura feudalia sive regalia tenebant ab imperio Romanorum, & ad communia regni obsequia per vices obligata erant. Verum utraque illa monasteria suis privilegiis & libertatibus antiquis suo tempore destituta esse queritur idem auctor, quod neglectæ regulari disciplinæ tribuit.

Aliæ res Germanicæ.

In chronico Saxonico nuper edito domnus Hildeboldus, omnium bonorum memoria dignus Magaburgensis abbas, decessisse memoratur, eique Hugo eodem anno successisse. Nec plura scimus de illo abbate Hildeboldo, quem eximiæ virtutis virum fuisse oportuit, ut tali elogio afficeretur. In eodem chronico Wernerus Rosveldensis abbas obiisse dicitur. Tnnc etiam interiit Hartmannns, abbas primum Gotwicensis [c], dein sancti Udalrici & sanctæ Afræ, unde discessit schismaticum episcopum devitaturus; factus demum abbas Campidonensis, qui Danubii aquis submersus periisse traditur in chronico Augustano.

c lib. 65. n. 111.

ANN. CHR. 1115.

XC. Godefridus episcopus e Cartusia venit ad Remense concilium.

INeunte ejus sæculi anno quinto-decimo, & quidem in epiphania Domini apud Suessionas habitus est episcoporum conventus, præsidente Conone cardinale, cui rex Ludovicus interfuit. In eo conventu actum est de revocando ad sedem suam Godefrido Ambianorum episcopo, qui sub finem anni [d] præcedentis, abdicato episcopatu, ad Cartusiam se receperat. Ejus rei causa jussu regis illuc missus est

d supra n. 87.

Henricus

ANN. CHR. 1115.

Henricus sancti Quintini de Monte abbas cum Huberto Cluniacensi monacho, magnæ auctoritatis viro, litteris munitus, tum ad priorem Cartusiæ, scilicet Guigonem, ut ne Godefridum apud se diutius remorari fineret; tum ad ipsum Godefridum, ut quantocius ad suam sedem rediret. Interim ad urbem Remorum conveniunt episcopi cum Conone cardinale, concilium celebraturi. Acceptis litteris Godefridus ægre jussis obsequitur, Remosque ad concilium pergit: ubi a Conone legato & a Radulfo archiepiscopo dure increpitus, quod temere sedem reliquisset, jussusque est ad suam reverti ecclesiam, in qua eum ab omnibus *rapidissime exceptum* fuisse testatur Nicolaus.

XCI. Guibertus de eo sinistre sentit. a Guib. lib. 3 de vita sua c. 14. ed. 13.

Longe aliter de eo scribit a Guibertus, Novigenti post eum abbas, in Godefridum passim iniquior. Ait enim eum post duos menses, quam in Cartusia demoratus erat, non ab aliquo suorum, sed ab archiepiscopo revocatum, moras in reditu non fecisse; ob idque marcas sibi utiles futuras antea reservasse; denique clerum & populum non sine mœrore eum recepisse, qui eo absente de altero eligendo cogitaverat. Sane Ambianensium legati a patribus synodi Belvacensis non ejus e Cartusia reditum, sed alterum pastorem postulare videbantur, conquesti se pastore destitutos, ut tradit Nicolaus. Verum non mirum est, optimum pastorem, qui subditorum vitia severe carpebat, male moratis civibus non omnino acceptum fuisse. Quam indociles & refractarii illi fuerint, vel ex eo patet quod Nicolaus post ejus reditum contigisse refert. Ipso enim cinerum die, cum sanctus præsul more suo nudis pedibus, indutusque cilicio, ad ædem sancti Firmini processisset, ibique abstinentiam a carnibus usque ad dominicæ resurrectionis sollemnitatem populo servandam prædixisset; multi nihilo minus proximo die dominico a carnibus abstinere noluerunt, causati, episcopum nova & insueta ab ipsis exigere; se vero nec velle, nec posse assuetis abstinere. Quam ob rem in cœna Domini in ejusmodi intemperantes gravirer invectus est vir Dei, eosque a sacra mensa die sancto paschæ removeri præcepit, & communionem ad diem sequentem differre. A concione recessere cum multo rubore & mœrore plerique, & pontificis mandato paruere, quiritantes, quod pro momentanea delectatione, tam sollemni die, communione privati essent. Unus tamen ex illis, episcopi interdictum parvi pendens, sub muliebri habitu, ne agnosceretur, ad sacram mensam ipso die paschæ accessit, sed non impune. nam percepta eucharistia protinus corruit, acerrimis viscerum doloribus cruciatus, spumasque cruentas ex ore projiciens, quod indignus sumserat, cum multo sanguine evomuit. tumque reatum ille suum cum multo ejulatu confessus est, sancti episcopi jussis se in posterum obtemperantem fore pollicitus. Mitto quod idem Guibertus de eodem Godefrido addit, eum scilicet cum rege turrim seditiosorum armis impetiisse, qua occasione rex ipse jaculo in pectore sauciatus sit. Perseverabat hæc obsidio, cum hæc scriberet Guibertus, qui notat, Godefridum dominica palmarum, quæ hoc anno in tertium idus Aprilis incidebat, e Cartusia in suam urbem revertisse. Cum itaque ad Cartusiam pervenerit die festo sancti Nicolai, id est VIII. idus Decembris anni præcedenris, non duos tantum menses, ut idem auctor scribit, sed quatuor ibidem permansisse dicendus est. siquidem in reditu ad concilium Remense in ipsa quadragesima celebratum accessit; interfuitque concilio Catalaunensi initio mensis Julii celebrato, ut mox videbimus. Prædictæ turris obsidionem biennio duravisse tradit Sugerius in libro de vita Ludovici Grossi; adeoque tertium vitæ suæ librum scribebat Guibertus hoc ipso anno, vivente adhuc Godefrido episcopo, quem sub finem ejusdem anni decessisse inferius probabimus.

XCII. Synodi Remensis litteræ pro sancto Amando.

Remensi concilio iidem sine dubio præsules interfuere, scilicet tres metropolitani cum suis coëpiscopis, Remensis videlicet, Senonensis & Bituricensis. Remensis metropolis episcoporum nomina habemus in litteris Cononis cardinalis, quibus permutatio quorumdam prædiorum, inter Balduinum Flandriæ comitem & Bovonem juniorem sancti Amandi abbatem facta, in illo concilio confirmatur. His litteris post Cononem subscripta sunt signa Radulfi Remorum archiepiscopi, tum Lisiardi Suessionensis, Bartholomæi Laudunensis, Guillelmi Catalaunensis, Godefridi Ambianensis, Lamberti Noviomensis ac Tornacensis, Clarembaldi Silvanectensis, & Johannis Morinensis episcoporum. *Actum, recitatum & confirmatum in concilio Remis, a domno Conone Romana ecclesia legato celebriter habito, anno incarnati Verbi* M CXV. *indictione* VIII. *regnante Ludovico Francorum rege glorioso, anno octavo.*

ANN. CHR. 1115.

Alia concilii acta. a *Marlot. to. 2. p. 258.*

In eadem synodo Gervasius Regitestensis comes, qui advocationis prætextu, quam in villis sui comitatus sancto Remigio subjectis habebat, quoddam præstationis genus, quod *salvamentum* vocant, ab illis exigebat; in illa, inquam, synodo culpam suam [a] agnovit, & injustam ejusmodi consuetudinem relaxavit, præsentibus Radulfo archiepiscopo, Lisiardo Suessionensi, & Godefrido Ambianensi episcopis, & quibusdam laïcis.

b *ibid. & seq.*

Sic per id tempus in possessiones ecclesiarum grassabatur multorum nobilium licentia, quorum reprimendis vexationibus rex & concilia sedulam operam navarunt. Similem tyrannidem exercebant in res Trevirensis [b] parthenonis beatæ Mariæ de Horrea Nicolaus de Ruminiaco & Guido de Guisa seu Guisca, qui bona illarum sanctimonialium suis confinia diripiebant. Iteratas hac de re litteras ad Radulfum Remorum archipræsulem scripsit Bruno Trevirensis, eum obtestans, ut pro mutua suarum ecclesiarum, quæ *sorores* ab antiquo censebantur, necessitudine ejusmodi prædonum violentias coerceret. Has litteras ad Radulfum tempore prædicti concilii detulit una ex illis sanctimonialibus cum alia epistola capituli Trevirensis ad eumdem Radulfum, quem rogat, ut, cum hæc epistola in capitulo sanctæ Dei genitricis Mariæ lecta fuerit *fratribus* suis, (sic Remenses canonicos vocant) eam deinde *sancti concilii synodo* legi præcipiat: *quatenus consilio eorum*, inquiunt, *& specialiter auxilio fratris vestri Bartholomæi Laudunensis episcopi, ad effectum petitionem nostram ducere possitis.* Ex quo intelligitur, quanta fuerit de Bartholomæi auctoritate opinio apud Trevirenses.

Catalaunense concilium.

Præter Remense concilium, non multo post aliud Catalauni habitum est, cujus nuda tantum mentio, sed nulla acta habentur in vulgatis conciliis. De eo scribit ad hunc annum Symeon Dunelmensis his verbis. *In octavis Apostolorum magnum concilium a Conone Romanæ ecclesiæ cardinali Catalaunis celebratum est: in quo excommunicavit episcopos, qui concilio non interfuere; quosdam vero degradavit, & plurimos abbates baculis privatos deposuit de sedibus, ecclesiasticum illis interdicens officium.* Id maxime intelligendum puto de quibusdam episcopis & abbatibus Anglicanis, quorum nonnulli per id tempus exauctorati sunt. In hoc concilio definita est controversia quædam, Vedastinos inter & sancti Quintini de Monte monachos agitata, cujus rei synodicis litteris Cono cardinalis, Radulfus Remorum archipræsul, Walo Parisiensis, Godefridus Ambianensis, Guillelmus Catalaunensis, Johannes Morinensis, Johannes item Aurelianensis, Philippus Trecensis, & Robertus Atrebatensis episcopi subscripsere. *Actum Cathalaunis anno incarnationis dominicæ* M C XV. *indictione* VIII. Has litteras in Appendice videre licet.

XCIII. S. Pauli cellæ altare. c *supra n. 32.*

Actum est superius [c] de Johanne Suessionensium comite, qui cum se christianum & catholicum diceret, Judæorum nihilo minus & hæreticorum erroribus patrocinabatur. Is altare *de Terni*, monachis cellæ sancti Pauli, quæ monasterio beatæ Mariæ Silvæ-majoris subjecta erat, ab Hugone Suessionensium episcopo concessum, violenter abstulit. Id gravate ferens Guido castellanus, nepos Raynaldi, cujus rogatu Hugo episcopus illud altare, quod ab Ingelranno Cociacensi in beneficium tenebat Raynaldus, monachis sancti Pauli contulerat; a prædicto comite id tantum extorquere potuit, ut post ipsius obitum idem altare monachis restitueretur. Eo paullo post mortuo, antequam ejus corpus sepulturæ mandaretur, ejus uxor, filiusque Raynaldus prædictum altare in manus Lisiardi Suessionensis episcopi, Hugonis successoris, reddiderunt, illudque sancti Pauli monachis restitui non sine lacrymis flagitarunt. quo facto, Gaufridus venerabilis abbas Silvæ-majoris petiit a Lisiardo episcopo, obtinuitque, ut illius altaris donationem & restitutionem novo diplomate confirmaret. Actum hoc anno, cujus rei litteras Bernardus decanus & cancellarius scripsit & subscripsit. Hic est Bernardus, cui Guibertus inscripsit librum suum [d] contra Judæos & Johannem Suessionensium comitem eorum fautorem, quem paullo ante hunc annum morte sublatum fuisse ex his litteris intelligitur. His non obstantibus, prædictus Raynaldus denuo idem altare usurpavit, ut suo loco videbimus. Hæc cella sancti Pauli, in Nemore dicta, quæ inter Calniacum & Noviomum sita est, nunc a patribus Oratorii possidetur, uti & vicus Terniaci, qui prope urbem Suessionum positus est.

d *ibid.*

XCIV. S. Crispino facta item restitutio. * *Edmencourt.* * *Nelle.*

In prædicto quoque Remensi concilio actum est de villa Edmencurtis *, diœcesis Noviomensis, quam Radulfus Nigellæ * dominus a Suessionensi sancti Crispini

monasterio vi abstulerat, & cuidam militum suorum, nomine Guarino, *tradiderat in beneficium, quod nos laica lingua dicimus feodum.* Non multo post domnus Odo abbas, cum illius monasterii præfecturam iniisset, Radulfum convenit, eumque de restituendo prædio injuste ablato commonefacit: at ille prorsus abnuit, & numquam id se facturum contestatur. Abbas repulsus rem detulit ad Baudrici seu Baldrici Noviomensium episcopi audientiam, qui, causa canonice discussa & diligenter ventilata, tandem post multas disceptationes sancto Crispino prædium illud adjudicavit, & Radulfum hortatus est ad ejus restitutionem ex animo faciendam. at miles contra furere, & malle se mori dixit, quam terram dimittere: quo audito, episcopus eum ad judicium citat, ejus contumaciam canonica auctoritate perfringit, eumque jurare compellit, se numquam terram repetiturum. Verum Radulfus eam rursus vi occupat: abbas vero, Baldrico episcopo mortuo, Lambertum ejus successorem adit Noviomi, de Radulfo conquesturus; dein Suessiones apud Cononem cardinalem, qui causæ judicium ad Noviomensem ecclesiam remisit. quo cum perventum fuisset, videns Radulfus Odonem abbatem & causæ justitia, & ecclesiastica auctoritate suffultum; tandem prædium illud sancto Crispino libere relaxavit. quod Lambertus episcopus sigillo suo roboravit, & omnes, qui ipsius privilegium violaturi essent, in concilio Remensi excommunicari curavit. His litteris apposita sunt signa Lamberti episcopi, E. id est Eustachii abbatis sancti Eligii, & multorum aliorum. Actum publice primo Noviomi, deinde Nigellæ, anno ab incarnatione Domini MCXV. indictione VIII. Qui tunc sancti Crispini monasterio præsidebat Odo abbas, assumtus fuerat e Mauriniacensi prope Stampas asceterio, cujus *professus** dicitur. *vir erat totius religionis & honestatis præcipuus cultor, qui illud* sancti Crispini *monasterium à fundamentis instauravit, & disciplina monastica illustravit*, ut Nicolaus scribit in vita sancti Godefridi Ambianensis episcopi, quem idem Odo liberaliter illic excepit, & honorifice sepelivit, translatus demum ad regimen archimonasterii sancti Remigii Remensis, quod ad meliorem frugem reduxit, ut inferius videbimus.

Odo S. Crispini abbas.

* a Chesnii to. 4 p. 374.

XCV. Bernardus Claram-vallem construit.

Jam tempus est, ut in lucem prodeat Bernardus, qui per biennium in latebris solitudinis Cisterciensis delituit, dum forte habilis esset ad sacros Ordines suscipiendos. Cum vero divinæ providentiæ placuit, ut eum e tenebris educeret ad dandam plurimis scientiam salutis; Stephano abbati ædificandi post Firmitatem & Pontiniacum tertii monasterii consilium inspiravit. quod ubi rescivit Hugo Campaniæ comes, locum vastæ solitudinis, qualem ei placere noverat, in sua ditione ei obtulit, positum haud longe a fluvio Alba* in pago seu diœcesi Lingonensi, ubi olim spelunca latronum, ob id forte dicta Vallis-absinthialis. Missus illuc Bernardus cum sociis duodecim, abbas eorum designatus; ibique consederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum templum Dei & domum orationis. Constructis tumultuarii operis casis, quarum reliquiæ ibidem etiam nunc non sine admiratione visuntur, mutatum est infaustum loci nomen in Claræ-vallis ominosum vocabulum, cujus claritas & celebritas non multo post totum orbem christianum implevit, fama Bernardi sanctitatis ejusque discipulorum ad remotissimas quasque regiones propagata. Hunc annum fundatæ Claræ-vallis diserte exprimit Exordium-magnum Cisterciense, cui domestica monumenta suffragantur. Illic durissimam supra humanum modum vitam duxere novi illius soli coloni. Principio panis ex hordeo, milio & vicia confectus, pulmentaria sæpius ex foliis fagi. Processu temporis, panis non tam furfureus quam terreus videbatur, duris fratrum laboribus vix de sterili deserti illius terra productus: cetera quoque cibaria vix aliquid saporis habebant præter eum, quem fames & amor Dei afferebat. Sed & ipsam qualemcumque delectationem suspectam habebant novitii illi a Bernardo instituti, rati inimicam esse animæ omnem delectationem; adeoque quidquid gustui tantisper sapiebat, fugiendum arbitrabantur. Hunc errorem sæpe in illis carpebat vir Dei: at, cum in hoc suspectam aliquo modo haberent ejus correptionem, quasi carni eorum plusquam spiritui indulgentem; rei judicium ad Willelmum Catalaunensem episcopum deferendum censuere: qui, adducto Elisæi exemplo, farinæ injectione ollæ filiorum prophetarum amaritudinem temperantis, sumendum esse docuit cum gratiarum actione inconditum alias cibum, qui per Dei gratiam eorum usibus aptatus erat.

* l'Aube.

ANN. CHR. 1115.

Abbas ordinatur.

a Tournus p. 134.

Is est Willelmus episcopus, jam sæpe a nobis laudatus, a quo Bernardus abbas ordinatus est, absente scilicet Josceranno Lingonensi antistite, ad quem hæc ordinatio pertinebat. Id factum vacante sede Lingonensi tradit Guillelmus abbas, & post eum Alanus: at certum est tunc illi ecclesiæ præfuisse Josceranum, qui anno superiore Firmitatis dedicationi adfuit, & hoc ipso anno Trenorchiensi concilio interfuit, habito ante mensem Augustum, quo tempore forte Bernardus ordinatus est abbas. Certe superstes fuit Joscerannus usque ad annum M C XXV. Itaque eo absente, ut jam dixi, vel alias occupato, Bernardus ordinandus abbas cum Elbodone Cisterciensi monacho adiit Willelmum Catalaunensem episcopum, cui necdum notus erat, ut ex eo intelligitur, quod admissus in domum episcopi, juvenis exesi corporis & macie confecti, habitu despicabilis, subsequente seniore illo monacho robusto & forma eleganti, sciscitantibus qui præsentes erant, uter eorum abbas esset, ridentibus aliis, aliis rem, ut erat, interpretantibus, divino quodam instinctu ab episcopo agnitus est. Dehinc tanta ex colloquio ejus concepta opinio, ut ex illa die facti sint cor unum & anima una in Domino, essetque velut propria domus episcopi Clara-vallis; Claravallensium vero efficeretur non sola domus episcopi, sed & per ipsum tota civitas Catalaunensis. Quin etiam tanti præsulis exemplo ceteri quoque episcopi Bernardum revereri cœperunt, tamquam angelum Dei, & demum Gallia, indeque tota europa ad viri Dei reverentiam excitata est.

XCVI. Claræ vallis florens status.

Hinc Claram-vallem confluere cœperunt numerosa omnium ordinum agmina, quorum alii Bernardi adspectu & colloquio frui, alii se ejus magisterio ac disciplinæ subjicere certabant. Ille vero adventantibus novitiis, & ingredi festinantibus dicere » solebat: Si ad ea quæ intus sunt festinatis, foris dimittite corpora, quæ de sæculo » attulistis: soli spiritus ingrediantur. nam caro non prodest quidquam. quibus dictis novitate perterritis id de concupiscentia exponebat. Prima facie ab ingredientibus Claram-vallem in simplicitate & humilitate ædificiorum simplicitas & humilitas inhabitantium Christi pauperum facile agnoscebatur. Deinde in valle illa plena hominum, in qua nemini otioso esse licebat, media die mediæ noctis silentium advertebatur præter sonitum, quem fratres vel laborantes, vel Dei laudes concanentes edebant. quæ res tanta sæculares ipsos afficiebat reverentia, ut ipsi quidquam, quod ad rem non attineret, loqui vererentur. Inter hæc Bernardus, qui in solitudine Cisterciensi angelicam quodam modo puritatem assecutus erat, tantam a discipulis perfectionem exigebat, ut illis ejus sermo durus videretur, nec caperent quæ audiebant. Unde, cum eos peccata sua confitentes audiebat, si quid inevitabilis humanæ fragilitatis eis accidisset, id quasi intolerabile reputabat; quod homines inveniret, quos in hac parte angelos esse debere credebat. At viri vere religiosi & pie prudentes, licet ad tam sublimia ejus dicta stuperent, quæ quoddam desperationis seminarium præferre videbantur; tamen non contradicebant sermonibus sancti, sed in ejus prædicatione venerabantur etiam ea, quæ non capiebant. Hinc contigit, ut ex humilitate discipulorum magistro suus zelus suspectus esse cœperit, seque ipse accusaret, quod altiora quam par esset loquendo læderet conscientias fratrum, a quibus perfectionem exigeret, quam ipse non esset assecurus. Quam ob rem ab exterioribus omnibus ad interiora omnino recolligere se, & in solitudine cordis & secreto silentii se continere statuit, dum ei Deus aperiret, quo pacto erga commissos sibi fratres se gereret. quod brevi ipsi concessum. nam paucis post diebus divinitus ei injunctum est, ut cum fiducia loqueretur quidquid loquenti suggestum esset, quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. quo ex tempore Spiritus-sanctus per eum loquens, tantam ei apud auditores gratiam & auctoritatem conciliavit, ut quidvis eis persuaderet. Hinc vehemens in ejus animo ortus est sancti desiderii & sanctæ humilitatis conflictus. Modo enim se ipsum dejiciens, se fatebatur indignum, per quem fructus aliquis proveniret: modo oblitus sui, flagrantissimo æstuabat ardore, ut nullam, nisi ex multorum salute, consolationem posse admittere videretur. Sic fiduciam caritas pariebat, sed eamdem temperabat humilitas. Prævalebat nihilominus subinde fiducia erga Deum in magnis quibusque angustiis. nam cum ejus frater, cui cellarii cura commissa erat, durius quereretur, ad necessaria domus & fratrum multa deesse, nec suppetere unde ea coëmeret; ab eo petiit vir Dei, quantum ad præsentes necessitates opus esset? ille vero undecim libras respondit. Mox eo dimisso Bernardus confugit ad orationem: & post paullulum

ANN. CHR. 1115.

ab ipso Gerardo admonitus est, quamdam mulierem de Castellione pro foribus stare, eique loqui velle. Ad quam cum egressus esset vir Dei, haec ad pedes ejus abjecta, duodecim librarum benedictionem obtulit, preces implorans pro viro suo periculose aegrotante. Ad quam ille : Abi, inquit, sanum invenies virum tuum. quod dictum, ut nimis audax, frater ejus Gerardus & Galtricus avunculus magnopere improbarunt : sed tamen dictum effectus subsecutus est. Abbas vero cellerarii sui pusillanimitatem hoc facto relevans, ad sustinendum in talibus angustiis Dominum reddidit fortiorem. Erat tunc temporis, ait Willelmus, videre Clarae-vallis aurea saecula, cum viri virtutis, olim divites in saeculo & honorati, in paupertate Christi gloriantes, ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore & aerumna, in fame & siti, in frigore & nuditate, in persecutionibus & contumeliis, & angustiis multis, praeparantes Clarae-valli eam, quam hodie habet, sufficientiam & pacem.

XCVII. Morimundi abbatia conditur.

Eodem fere tempore, quo missus est Bernardus ad fundandam Claram-vallem, Cistercium adiit eremita quidam, Johannes nomine, qui eremiticam vitam in confiniis Campaniae & Lotharingiae haud longe Agrimonte* opido agebat ; & Stephano abbati exposuit, se illic locum invenisse Cisterciensi instituto aptissimum, qui facile ab illius terrae domino impetrari posset. Nec mora missi cum eremita duo fratres, qui locum explorarent. Jacet hic locus in pago Bassiniacensi in dioecesi Lingonensi, uti & Clara-vallis ; suberatque tunc temporis dominis Caseoli* & Agrimontis, Olderico & Adelinae ejus conjugi, qui fundum novo condendo coenobio facile concesserunt. Dispositis ex tempore aedificiis, monachorum colonia eo deducta duce Arnoldo, primo eorum abbate, de quo plura inferius. Hic Yepesium arguit Manricus, scribentem, duodecim monachos, Morimundum a Stephano missos, hospitio exceptos, & ad locum ductos fuisse a Josceranno episcopo Lingonensi, quod falsum putat Manricus, deceptus auctoritate Willelmi, qui ait Bernardum ordinatum fuisse abbatem a Willelmo episcopo Catalaunensi, propterea quod sedes Lingonensis vacaret. Verum jam superius dictum est, vel falsum esse eo loci ipsum Willelmum cum Alano, vel commode interpretandum, quod tunc Lingonis abesset Josceranus, quem sedi Lingonensi ab anno M C XII. ad annum M C XXV. praefuisse constat. Haec est quarta Cistercii filia, futura & ipsa mater, uti & tres aliae, sed longe minus fecunda quam Clara-vallis, quae reliquas monasteriorum propagine superavit.

* Aigremont.

* de Choiseul.

XCVIII. Robertus Cluniaco migrat Cistercium.

Erat Bernardi matri ex sorore nepos, Robertus nomine, adeoque Bernardi consobrinus, nepos dictus ob minorem aetatem. Is Deo a parentibus oblatus fuerat puer in Cluniacensi monasterio : sed, cum jam adultus esset, ubi rescivit Bernardum cum fratribus suis ac sociis Cistercium secessisse, & ipse pia aemulatione ductus, ibidem se admitti postulavit. Sed, quia non satis maturae aetatis videbatur, dilatus ad biennium est. Interim, ut erat desiderii impatiens, identidem Cistercium ventitabat, nec Cluniaci monasterio se continebat. Unde Bernardus[a] eum *de saeculo, non de Cluniaco* Cistercium accessisse dixit, eumdemque antea vagum in saeculo fuisse. *Alioquin*, ait, *oblatus monasterio quid quaerebat in saeculo ? nutriendus in saeculo cur expositus erat diabolo ? De saeculo quippe, non de Cluniaco, te teste, Roberte, venisti Cistercium. Quaesisti, petisti, pulsasti : sed pro tui adhuc teneritudine, te licet invito, dilatus es per biennium.* Post biennium, multis precibus & lacrymis ingressum obtinuit ; cum per annum secundum regulam in omni patientia probatus, *sponte professus, tunc primum saeculari veste rejecta, religionis habitum suscepit.* quibus verbis innuit Bernardus, Robertum Cluniacensium habitu indutum non fuisse, cum Cisterciensium habitum suscepit in ipsa professione, ut sanctus Benedictus in regula praescribit. Nisi forte saecularem habitum appellet Cluniacensem comparatione Cisterciensis, utpote pretiosiorem & nitidiorem. cui sententiae accedere videtur quod ipse dicit de Roberti regressu ad Cluniacense monasterium : *Cluniacum ducitur ; tondetur, raditur, lavatur : exuitur rusticanis, vetustis, sordidis ; induitur pretiosis, novis ac nitidis : & ita in conventum suscipitur.* De hoc regressu inferius. Post professionem Cistercii factam, a Stephano abbate facultatem obtinuit migrandi Claram-vallem amore Bernardi propinqui sui, cujus exemplo Cisterciense institutum amplexus erat.

a Bernard. ep. 1.

XCIX. Molismo Nanciaci cella B. Mariae data.

Hoc anno Theodericus marchio dux Lotharingiae fato functus est, cui filius ejus Simon in ducatu successit. Theodericus ante obitum in allodio suo apud Nanciacum campum quemdam ad ecclesiam in honorem beatae Mariae construendam[b] Deo & sanctae Mariae Molismensi concessit, eo pacto, ut haec ecclesia, quamdiu prioratus

b Vignier orig. de Lor. p. 112.

AN. CHR. 1115.

» esset, unoquoque anno marcam argenti Molismensi monasterio persolveret : si vero
» in abbatiam erigeretur, id fieret cum consilio Molismensis abbatis, qui abbatem e
» suis eligat ad illam abbatiam regendam, &, quoties eam adierit, primum locum
» teneat. Abbas vero ille, si vitiosus fuerit aut contemtor sanctæ regulæ, sacrive or-
» dinis destructor, a Molismensi abbate dejiciatur, & alter, qui dignus fuerit, secun-
» dum præceptum sancti patris nostri Benedicti loco ejus subrogetur. Hoc instrumentum caret chronicis notis. Prædictam ecclesiam modo occupant primatialis ecclesiæ Nanciacensis canonici, pulsis loco tribus aut quatuor monachis, qui illic superant, & cellæ reditu, qui ducentos circiter ducatos pendebat, in suos usus absque legitimo titulo usurpato. Quidam putant Theodericum paullo ante obitum secessisse ad Mediolacense pagi Trevirensis monasterium, ibique sepultum fuisse.

C. Casteniaci cellam S. Apro cedunt Molismenses.

* Chaoney.

a id. p. 105.

Ejus mater Hadewidis cellam sancti Petri apud Casteniacum * castrum, quæ a S. Apri monachis neglecta fuerat, suis sumptibus instauraverat, eamque domno [a] Rotberto Molismensi abbati, ejusque successoribus regendam commiserat. Processu temporis contentio de hac cella orta est Molismenses inter & S. Apri monachos, qui eam sui juris esse asserebant. Hæc controversia coram Paschali papa cum ventilata esset, jure suo pacis amore cessere Molismenses, quod ipsismet Paschalis verbis referre visum est : *Inter religiosos viros Molismenses & S. Apri monachos de cella Casteniacensi quæstio aliquandiu agitata est, & in nostra seu fratrum nostrorum audientia ventilata : in quo tractatu constitit, quod eamdem cellam prius S. Apri monachi obtinuerint : sed eorum neglectu posterius in eumdem locum Molismenses fuerunt introducti. Cum itaque negotiii ejusdem decisio jam ad juramenti fidem spectare videretur, placuit eisdem fratribus causam ipsam caritate potius, quam altercatione finire. Abbas igitur Molismensis Guido cum fratribus qui secum aderant, in conspectu nostro & fratrum nostrorum Casteniacensem cellam abbati S. Apri & ejus fratribus qui in tempore aderant, reddidit cum omni integritate sua & appendiciis suis, in omnibus mobilibus & fundo; promittentes etiam, quod Molismi in conventu fratrum eamdem redditionem ipsis fratribus approbari facerent, & scripto ac sigillo tam monasterii sui, quam Lingonensis episcopi confirmarent, & ipsis S. Apri monachis traderent. Rursus abbas S. Apri Guiricus cum monachis suis qui in tempore aderant, caritatis intuitu curaverunt, ne Molismenses sumptuum dispendia paterentur, quos in cellæ illius ædificatione, & rerum immobilium seu mobilium paratione consumpserant. In conspectu igitur nostro & fratrum nostrorum Molismensi abbati & ejus fratribus prædium donaverunt, quod dicitur Ixei, & villa libera ab omni advocato, cum omni integritate, cum terris cultis & incultis, pratis, aquis, molendinis, silvis, mancipiis utriusque generis; promittentes* &c. *Data Beneventi per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii* VIII. *kal. Junii, indictione* VIII. *anno dominicæ incarnationis* M C XV. *pontificatus autem domni Paschalis papæ anno* XVI. Anno sequenti Riquinus episcopus Tullensis ejusdem loci altare monachis sancti Apri concessit, cujus litteris apposita sunt signa Theomari abbatis sancti Mansueti, Antonii Senoniensis, Milonis Mediani-monasterii, Sigiberti sancti Salvatoris, Laurentii sancti Vitoni, Allonis sancti Clementis, Adelrici sancti Urbani, & Seheri sancti Leonis abbatum. Hi omnes Ordinis sancti Benedicti erant præter Seherum, qui abbas erat canonicorum regularium sancti Leonis apud Tullum-Leucorum.

CI. Paschalis epistola pro S. Albino.

b Baluz. miscell. to. 2. p. 174.

Eodem anno, eodemque die quo supra, Paschalis papa epistola [b] scripta ad Archimbaldum sancti Albini apud Andegavos abbatem, confirmavit judicium Urbani II. de concordia inita inter monachos sancti Albini & Vindocinenses super ecclesia sancti Clementis Credonensi, in cujus compensationem Vindocinenses ecclesiam sancti Johannis ad Ligerim monachis sancti Albini concesserant. Hanc concordiam cum retractare vellet Goffridus Vindocinensis abbas, nec ad papæ audientiam citatus se sistere voluisset; Paschalis has confirmationis litteras *Arcimbaldo abbati monasterii sancti Albini* indulsit, datas Beneventi anno, die, & indictione prædictis. Tunc Beneventi residebat pontifex ob tumultum Romæ excitatum a Petro-Leonis, qui post mortem patris sui cognominis præfecturam Urbis usurpaverat contra papæ voluntatem ipso die cœnæ Domini, cum pontifex oleum sacrum in Constantiniana basilica benediceret. Cumque per sacros illos dies Petrus cum factiosis armatis per Urbem fureret, ex ea recedere coactus est pontifex, ut saluti suæ ac civium consuleret, quæ omnia Baronius fuse prosequitur. Pascha hoc anno incidebat in decimum-

ANN. CHR. 1115.

octavum Aprilis, quæ observatio necessaria est ad ea illustranda, quæ modo de Anglicana legatione dicenda sunt.

CII. Radulfo Cantuariensi pallium defertur. a supra n. 69.

Instituto, ut paullo ante [a] vidimus, Radulfo Cantuariensi archiepiscopo, missi sunt Romam nuntii, qui ei pallium ab apostolica sede afferrent. Hi nuntii fuere Johannes Sagiensis monachus, recens post Ernulsum ordinatus Burgensis abbas; Warnerius monachus Cantuariensis, & Johannes clericus, Radulfi archiepiscopi ex sorore nepos, litteris muniti regis Anglorum & archiepiscopi, conventus quoque fratrum ecclesiæ Cantuariensis, & omnium fere Angliæ episcoporum, quas anno insequenti, ejus sæculi quinto-decimo, papæ obtulerunt. Acceptis litteris, pontifex nullum favorabile responsum dabat: tum quia Radulfus ipse Romam ad obtinendum pallium non adiisset: tum quia inconsulto papa a Roffensi ecclesia ad Cantuariensem translatus fuisset. Tunc Romæ aderat Anselmi nuper defuncti archiepiscopi ex sorore nepos Anselmus, pontifici maxime familiaris, & ab eo non ita pridem sancti Sabæ in Urbe monasterii creatus abbas, qui vivente avunculo suo in Anglia multo tempore demoratus fuerat, indigenis non secus ac unus eorum gratus & acceptus. Hic apud pontificem satis egit, evicitque, ut novo archiepiscopo pallium concederetur, & per eumdem Anselmum deferretur. His actis, Roma digressi cum Anselmo nuntii, in Nortmanniam veniunt, quo rex Heinricus paullo ante ex Anglia venerat; eique papæ litteras obtulerunt, datas *Laterani* III. *kal. Aprilis*. Tum, præmissis in Angliam prædictis nuntiis, Anselmus non multo post eos subsequitur, qui ab archiepiscopo perquam honorifice acceptus est, & per multos dies detentus. Postea die dominica, quæ fuit V. kal. Julii, Cantuariæ convenere in metropolitana ecclesia episcopi, abbates, proceres & innumera promiscui vulgi multitudo. Accedenti in urbem Anselmo cum pallio, quod in vase argenteo portabat, itum est obviam ad portam civitatis ab utroque conventu duarum ecclesiarum, primatialis scilicet atque suburbanæ abbatiæ sancti Augustini. Tum occurrit archiepiscopus nudis pedibus, indutus vestibus sacris, episcopis stipatus. Sic delatum super altare Salvatoris pallium est, & ab archiepiscopo inde acceptum, facta prius Romano pontifici de fidelitate & canonum observantia professione. Dehinc, accepto ab omnibus osculo, pallio indutus, in sede patriarchali collocatur. Hæc fusius commemorat Eadmerus, qui litteras ultro citroque hujus rei causa tunc scriptas refert in libro quinto historiæ novorum: quarum illæ, quæ fratribus ecclesiæ Cantuariensis scriptæ sunt, datæ leguntur *Laterani* XII. *kal. Martii*. Prædictus Anselmus abbas sancti Sabæ, post Albaldum factus est sancti Eadmundi abbas, ac demum electus episcopus Londoniensis, ut inferius dicturi sumus.

Cantuariensem ecclesiam octo annis sexque mensibus rexit Radulfus, & ecclesiæ suæ jura constanter propugnavit, maxime contra Turstanum seu Turstinum Eboracensem archiepiscopum electum, qui electioni suæ toto Radulfi episcopatus tempore renuntiare maluit, quam Radulfo debitam subjectionis professionem facere. Turstini antecessor Thomas Junior, Hagustaldensi ecclesia, quæ a principio usque ad cladem Nortmannorum [b] Benedictinis paruerat, restituta, canonicos regulares in eam introduci permisit. Id factum kalendis Novembris anno MCXIII. docet Richardus prior Hagustaldensis, aitque Thomæ juniori Turstinum anno sequenti successisse. Ceterum Radulfus factus archiepiscopus *æstimationem boni, quam de eo habuerant homines, non fefellit, sed provexit in effectum, evexit in publicum*, inqnit Willelmus Malmesburiensis, qui alias Gallis nequaquam favet. De Radulfi Romam itinere inferius agendum.

b lib. 23. n. 83.

Turgotus episcopus obit. c V. lib. 71. n. 61.

Hoc ipso anno Turgotus, quondam Dunelmensis ecclesiæ prior, tunc sancti Andreæ in Scotia [c] episcopus, Dunelmum reversus, ibidem vitam finivit. Post cujus obitum septem annos vacavit illa sedes; tandemque Eadmerus monachus ad illam postulatus est, ut inferius dicturi sumus. Tunc etiam Bardneiense monasterium, quod a Danis eversum fuerat, a Waltero *de Gant* [d] instauratum est.

d Monast. Anglic. to. 1. p. 142.

CIII. Placentiæ apud S. Xistum monachi feminis substituti.

Pacatis in Urbe rebus, Rnmam sub autumnnm reversus est Paschalis, nbi residebat III. kalendas Aprilis hujus anni, cum pontificium diploma indulsit Odoni abbati monasterii sancti Xisti, Placentiæ siti, ubi monachi loco sanctimonialium male viventium nuper substituti fuerant, *agente præcipue illustris memoriæ Mathildi comitissa, quatenus & religio illic monastici ordinis servaretur, & monasterii possessiones, quæ jam diu destructæ fuerant, per eorum restituerentur industriam.* Ad hæc universa

prædia & possessiones, quas Angilberga imperatrix, ejusdem fundatrix monasterii, illic contulerat, ceteraque omnia eidem loco a fidelibus concessa vel concedenda idem pontifex confirmat, tribuitque liberam facultatem eligendi abbatis secundum regulam sancti Benedicti: *Scriptum per manum Gervasii scrinarii regionarii ac notarii sacri palatii. Data Laterani per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis ac bibliothecarii* III. *kal. Novembris indictione* IX. *incarnationis dominicæ anno* M CXV. *pontificatus autem domni Paschalis papæ II. anno* XVII. Authenticum hoc diploma servatur in tabulario Cantogilensi apud Arvernos. Eædem sunt chronicæ notæ pontificii diplomatis, Johanni abbati [a] Perusini sancti Petri monasterii concessum, quo universæ ejus possessiones & omnia jura confirmantur, nisi quod mendose legitur *pontificatus anno* XVI. pro XVII. qui ab Augusti mensis duodecima die inchoatus erat. Ultima sancti Xisti abbatissa fuit Febronia: primus monachorum abbas Odo: ceteros apud Wionem [b], uti & abbatissas videre licet.

a *Bullar. Casin. to.* 2. p. 132.

b *Vuion* p. 198.

C IV. Mathildis comitissæ donatio facta S. Benedicto.

In superiori diplomate laudatur *illustris memoriæ* Mathildis comitissa, quæ verba satis innuunt, eam jam tum mortuam fuisse. Sub finem anni superioris, redacta in suam potestatem Mantua civitate, Padolironense sancti Benedicti adiit monasterium, visitatura Albericum abbatem, qui tunc gravi morbo laborabat. Illic cum versaretur *die octava mensis Decembris* ipso anno M CXIV. amplissimum diploma [c] eidem monasterio contulit in hæc verba: *Cum ego Mathildis, filia quondam Bonifacii marchionis, cum quibusdam nostris fidelibus apud sanctum Benedictum veniremus, & domnum abbatem Albericum in infirmitate sua visitassemus; illam sanctam congregationem vidimus, & super mortificatione eorum compatiens, compunctione misericordiæ, devotione caritatis, ad eorum sustentationem quædam transferre ex nostra largitate curavimus. Itaque coram illo venerabili collegio super sanctum altare beati Benedicti investituram posuimus, condonantes albergariam*, id est jus hospitandi, *& quicquid nobis quolibet modo pertinere videbatur in cunctis possessionibus monasterii &c.*

c *Hist. Padoliron. prob.* p. 101.

C V. Pontius abbas Cluniacensis illic excipitur.

Inde comitissa Mantuam reversa est, ubi sacramentum fidelitatis a subditis recepit. Tum sub initium mensis Decembris, visitato rursus Alberico abbate infirmo, ad proximam villam Bondeni de Rochoris * se recepit, ibique natale Domini celebravit. quod Domnizo tradit his versibus.

* *Bondeno de Rocoris.*

Dum bis-quarta manet indictio, jungitur atque
Virginei partus qui currere cœperat annus
Millenus quintus-decimus centesimus, illum
Natalem Christi voluit celebrare Mathildis
In quodam pago, Bundeno nempe vocato.

ubi annum ejus sæculi quintum-decimum veterum quorumdam more cœptum dicit Domnizo a natali Domini seu ab octavo kal. Januarii, qui finis erat secundum nostrum calculum anni quarti-decimi, quo tempore *bis-quarta* seu octava indictio a mense Septembri currebat. Tunc temporis Roma [d] revertens Pontius Cluniacensis abbas, ad Padolironense sui instituti divertit monasterium, ubi honorifice, uti primarius loci abbas, acceptus est. Tum sub finem anni Bondenum se contulit, Mathildem salutaturus, quæ, ut sacerdotes peculiari honore colere solebat, multam ei assurgens reverentiam exhibuit. quod Domnizo tradit his versibus:

d *supra n.* 75.

———— Roma veniens pater ille,
Relligione super cunctos qui maxime lucet,
Scilicet inspector Cluniaci Ponzo sacerdos,
A domina tanta susceptus ut inclytus abbas,
More suo sanctis surgens.

Bondeno reversus Padolironem Pontius, ut subdit Domnizo, illic prima die novi anni M CXV. missarum sollemnia celebravit, quibus Mathildis interesse voluit, ceterisque tam nocturnis quam diurnis officiis: at, rigente frigore, podagræ atrocissimo dolore correpta, ægre Bondenum delata est. Die sancto epiphaniæ ad S. Benedictum revecta, rursus Pontio abbati sacra celebranti præsens adfuit; moxque ad pristinum locum se recepit. Pontius vero non multo post in patriam reversurus, comitissæ vale

vale dixit, multisque ab ea donariis, in primis pretiosissima cruce gemmis ornata muneratus est, testante Domnizone his versibus.

> *Abbas dumque sibi commeatum plane petivit,*
> *Ipsa suis fidens precibus, donavit eidem*
> *Pallia, sacratas vestes, argentea vasa,*
> *Atque crucem sanctam, pulcre gemmis operatam.*

His ditatus magnificæ principis muneribus abbas, sub finem Januarii reditum in Galliam acceleravit.

CVI. Mathildis ultima facta & obitus.

Interim comitissæ morbus sensim crescebat in dies, accedente podagræ viscerum cruciatu, tumque finem vitæ imminere sentiens, ante mortem sua pauperibus distribui curavit, testante Domnizone; multaque beneficia tum Padolironensi monasterio, tum ecclesiæ sancti Cæsarii canonicorum regularium apud Canossam contulit, ut probant duo ultima ejus diplomata, relata a Benedicto Bacchino in historia Padolironensi: quorum alterum pro Padolirone datum est *die Jovis quarto intrante mense Madio* hujus anni; alterum pro S. Cæsario VIII. idus ejusdem mensis, utrumque apud Bondenum, quod de Ronchuro seu de Roncburis dictum est ad discrimen alterius cognominis, siti in agro Ferrariensi. Post hæc servos suos libertate donavit. Ad hæc oratorium in honorem S. Jacobi majoris subito construi præcepit, cubiculo proximum, in quo jacebat, ex quo missam audivit celebratam a Manfredo Mantuano antistite, quando ipsum oratorium consecravit. Tandem ipsa vigilia ejusdem sancti Jacobi apostoli, scilicet IX. kal. Augusti, piissima comitissa, sacris ecclesiæ munita præsidiis, ad Deum migravit, annos nata sexaginta-novem, heroïcorum factorum suorum pro Dei ecclesia patratorum mercedem ab eo receptura: cujus corpus in sancti Benedicti monasterio, quod ipsa tantopere amaverat, honorificentissime, ut tantam benefactricem decebat, sepultum est. Unde Domnizo ita canit:

> *Te, Benedicte pater, moriens hac curat amare,*
> *Cœnobiumque tuum ditatur corpore cujus,*
> *Cui prece demonstra tali cognoscere portas.*

Illustris ac piæ hujus heroïnæ res gestas versibus quidem incompositis, sed veritate factorum æstimandis, in quatuor libros digessit Domnizo presbyter, qui ad calcem operis effigiem ipsius Mathildis minio repræsentari curavit. Hanc in æs incisam exhibuit Dominicus Mellini in fine vitæ ejusdem Mathildis italice a se scriptæ; eamdemque hoc loco proferre visum est operæ pretium, præmissa inscriptione, quam ipse Dominicus præfixit in hunc modum.

ANN. CHR. 1115.

HAEC EST INCLYTA, SAPIENTISSIMA, ET PIISSIMA MULIER ILLA MATHILDA DEI GRATIA, MAGNA ET POTENTISSIMA ITALIAE COMITISSA, QUAE PRO SACROSANCTA APOSTOLICA, ROMANA ET CATHOLICA ACERRIME PERPETUOQ. PROPUGNAVIT ECCLESIA.



MATHILDIS LUCENS: PRECOR HOC CAPE CAR VOLUMEN.

CVII. Petri diaconi Casinensis genus & fortuna.

Antequam ex Italia discedamus, pauca hic diceoda sunt de Petro diacono ac monacho Casineosi, chronici Casinensis continuatore, qui hoc anno Casini Deo ac sancto Benedicto quinquennis oblatus est sub Gerardo abbate. Is patre Ægidio Romano Juliæ stirpis, filio Gregorii de Alberico Romanorum patricii & consulis ortus, patruos habuit Ptolemæum Romanorum coosulem, & Gregorium prædicti Gregorii Romanorum consulis filium, qui ambo Petrum nepotem in suis ad eum epistolis dicunt. Gentem, familiam ac fortunam suam Petrus ipse describit in codice

Casinensi ab Angelo de Nuce relato in hæc verba. *Petrus Casinensis diaconus, cartularius, scriniarius ac bibliothecarius, ex patre Ægidio natione Romano, Gregorii Romanorum patricii ac consulis filio, quinquennis sub Girardo abbate beato Benedicto oblatus, anno dominicæ incarnationis quinto-decimo centesimo atque millesimo, atque per octo ferme annorum curricula eruditus est.* Cum autem abbas Oderisius secundus, Girardi successor, abbatiam reliquisset, *ad exsilium, æmulorum suorum faciente invidia, directus est.* Huc spectant epistolæ patruorum ejus Ptolemæi ac Gregorii, ab Angelo de Nuce relatæ in notis ad prologum libri quarti chronici Casinensis, in cujus capite LXVI. operum suorum indicem refert. Vitam produxit usque ad pontificatum Alexandri III. qui, exauctorato Ægidio Venusino abbate, eumdem Petrum in regimen monasterii ad tempus suffecit, donec de successore provideretur. Ad res Gallicanas revertor.

CVIII. Godefridus Ambianorum præsul obit apud Suessionas.

Non videtur hunc annum prætergressus Godefridus[a] episcopus Ambianensis, ut ex his, quæ inferius dicentur, elucescet. Forte necessaria causa eum impulit, ut Remorum urbem adiret, cum Radulfo archiepiscopo de quibusdam negotiis acturus. In itinere divertit ad Suessionense sanctorum Crispini & Crispiniani monasterium, ab Odone ejus loci abbate superius[b] laudato invitatus, ut sanctorum martyrum festivitatem, quæ VIII. kal. Novembris celebratur, sua præsentia honoraret. Proxima post festum nocte, febricula pulsari cœpit, at nihilo minus iter versus Remos prosequitur. Cum ad tria milliaria progressus est, morbo ingravescente se ulterius procedere non posse dixit. Erat in ejus comitatu egregiæ indolis juvenis, Nicolaus nomine, monachus Cluniacensis, cujus pater Henricus ex milite factus sancti Crispini monachus, monasterii sui res in villa proxima[*] procurabat. Præmissus ad eum Nicolaus nuntiat adventare Godefridum episcopum, præ debilitate iter persequi non valentem. Ille statim venienti occurrit, excipitque eo quo par erat honore episcopum, Deo gratias agens, quod talem tantumque hospitem habere mereretur. Triduo illic hæsit episcopus, & in dies deterius habuit. Hoc comperto, Odo abbas eo accurrit, & virum Dei ad monasterium revehendum curavit. Ille vero tanto intentius precibus & lacrymis insistebat, quanto certius se ad finem vitæ properare sentiebat. Imminente obitu, sacrum viaticum de manu Lisiardi Suessionum episcopi accepit; rum benedictione fratribus impertita, rogat, ut in domo capitulari corpus suum sepeliant. Dein extensis manibus, sublatisque in cælum oculis, spiritum Deo reddidit VI. idus Novembris. Ejus corpus Lisiardus episcopus in cathedralem ecclesiam transferre cupiebat: sed obstitit Odo abbas cum fratribus, in primis Theulfus prior, qui Odoni abbati successit. Convenere ad ejus exsequias Lisiardus Suessionum, & Clarembaldus Silvanectensium episcopi; Radulfus sancti Medardi abbas, multique alii monasteriorum rectores. Excessit e vivis vir sanctus, ut jam dixi, VI. *idus Novembris, hora diei nona, anno sacerdotii seu episcopatus sui undecimo, ætatis quinquagesimo;* adeoque anno ejus sæculi quinto-decimo, non decimo octavo, ut in editis legitur, siquidem anno MCIV. episcopus[c] Ambianensium electus est. Emendandæ itaque ceteræ chronicæ notæ in editis, legendumque, regnante Ludovico, Philippi Francorum regis filio, *anno regni ejus octavo*, non decimo-octavo; *incarnati autem Verbi millesimo centesimo decimo-quinto.* Hic calculus ex eo confirmatur, quod Ingelrannus, ejusdem Godefridi in sede Ambianensi successor, altare de Ciconiis[*] anno MCXVI. confirmavit, a Godefrido in extremis cum aureo calice jam donatum monasterio sancti Quintini de Monte, cujus alumnus fuerat. Accedit quod Godefridus decessit quindecim annis ante Johannem episcopum Morinensem, quem anno MCXXX. obiisse ejus ecclesiæ monumenta probant.

a V. supra n. 90.
b num. 94.
* s. Venizel.
c V. lib. 70. n. 76.
* Chaines.

CIX. Nicolaus monachus ejus vitæ scriptor, aliique.

Libros duos de sancti Godefridi rebus gestis composuit Nicolaus, *beatorum martyrum Crispini & Crispiniani ipsius urbis*, scilicet Suessionensis, *apostolorum & patronorum*, ut ipse dicit, *servus*, id est monachus; opusque suum Rothado Suessionensis ecclesiæ decano dicavit, qui sæpius ad illam vitam scribendam eum hortatus fuerat. Et primo ad id aggrediendum invitatus, cum annos tantum viginti-quinque natus esset, ætatem & imperitiam obtendit, quo minus id exsequeretur. Deinde eumdem ætate jam provectiorem iterum hortatus est Rothadus ad scribendum; nec sic tamen tunc assensit. Sed tertio tandem compulsus, victusque ad scribendum se accinxit. Hic auctor ab aliis accepta, quædam etiam a se visa commemorat. Præcipui

ANN. CHR. 1115

* al. Renigerus.

testes ab eo laudati sunt Rotbadus ipse Suessionensis decanus, Godefridi ex sorore Hodierna nepos, a cunabulis ab ipso educatus; deinde Reingerus * sancti Quintini de Monte monachus, ubi per annos viginti-quinque vixerat, jamque annum sexagesimum-sextum excesserat, cum Nicolaus de Godefridi factis eum consuluit. His accessit Gislebertus, vir æque fide dignissimus, qui ei individuus terra marique comes usque ad supremum ejus vitæ diem adhæsit. Nicolai libros duos stilo tantisper contracto edidit Surius, quorum exemplar nusquam mihi reperire licuit. Eorum quoddam compendium inveni in veteri codice Rubeæ-vallis prope Bruxellas, typis vulgandum in tomo decimo Actorum Benedictinorum. Quædam de sancto Godefrido carmina scripsit, teste Nicolao, Bernardus decanus Suessionensis; & breve ejus epitaphium composuit Goslenus seu Joslenus, prius Bituricensis archidiaconus & Parisiensis celeberrimus magister, tunc vero Suessionum episcopus, cum Nicolaus hanc vitam absolveret, a quo sancti Godefridi corpus anno M CXXXVIII. e capitulo in ecclesiam sancti Crispini translatum est, & ante summum altare sub testudine honorifice reconditum; sed diligenter a nostris perquisitum reperiri non potuit. Josleni versus hi sunt.

Gloria pontificum, cleri decus, ac monachorum,
Forma gregis, dux, exemplar morum Godefridus
Hic jacet, astra petens octava luce Decembris.

quo die ejus festum in monasterio sancti Crispini & in Ambianensi ecclesia colitur. Godefrido successit Ingelramnus in sede Ambianensi, qui Rodulfo sancti Fusciani abbati quasdam ecclesias dedit.

CX. Abaëlardi lapsus & varia fortuna.

a *supra n. 56.*

Piget tam pio & serio argumento Abaëlardi errores & flagitia inserere: sed ea præterire instituti nostri ratio non finit. Hic [a] ex Laudunensibus scholis Parisios reversus, litteras sacras non sine auditorum plausu profiteri cœpit. Animum jam satis vanum inflavit ille successus, &, quæ superbientium pœna esse solet, homo vitæ antea continentis, in dedecora lapsus est. Erat apud Parisios canonicus quidam, Fulbertus vocatus, qui neptem habebat sibi carissimam, Heloysam seu Heloissam nomine, ingenii facilis & ad discendas scientias a natura comparati. Hanc Abaëlardo in litteris erudiendam temere commisit Fulbertus: sed inter studia litterarum facile in juveniles animos se insinuarunt insani amores, non diu innocentes. Antequam res vulgaretur, Abaëlardus in patriam suam misit Heloissam, quæ Astrolabium (id infanti datum nomen) apud ejus sororem peperit. Ea re accepta, furens avunculus neptem e Britannia reduci cogit, eamque Abaëlardo, illa non approbante, conjugio clanculum alligari. Vulgato nihilominus matrimonio per avunculum, illud palam negabat Heloissa, quæ ob id crebris ab eo contumeliis afficiebatur. Id ægre ferens Abaëlardus, ad Argentogilense monasterium, tunc sanctimonialium, ubi ipsa olim puellula educata fuerat, eam misit, & veste religiosa, excepto velo, indui curavit. Hoc comperto avunculus ejusque affines supra modum indignati, Abaëlardum per subornatum famulum atrociter mutilari fecerunt. Post tantam injuriam pudore potius quam devotione impulsus infelix amasius, in suburbanam sancti Dionysii abbatiam se recipere constituit, sed Heloissam prius velari curavit. Hujus loci tunc abbas erat Adam, de quo uti & de monasterio, male omnino scribit Abaëlardus, qui abbatis & monachorum vitia frequenter, modo privatim, modo publice se arguisse, ob idque eorum odium in seipsum concitasse dicit. Eam ob rem, discipulis quondam suis flagitantibus, abbate quoque cum fratribus annuente, ad cellam quamdam recessit, scholis more solito vacaturus. Hæc cella erat in Briegii castro Pruvino *, ut Abaëlardus ipse in consequentibus diserte scribit, & quidem Trecensium monachorum sub titulo sancti Aigulfi *, cujus loci prior antea illi familiaris & amicus exstiterat. Tunc Fulco prior de Diogilo, quæ cella [b] est sancti Florentii Salmurensis abbatiæ in valle Montis-Maurentiaci, consolatoriam ad Abaëlardum scripsit epistolam [c] super infortunio, quod illi acciderat, quæ inscripta est, *Petro Deo gratias cucullato.* In hac epistola eum dehortatur a Romano itinere, ad quod se accingere videbatur, haud dubie ut injuriæ sibi factæ ultionem apud apostolicam sedem persequeretur. Ille monenti acquievit, substititque ad tempus apud Pruvinum. Illuc tanta confluxit scholarium multitudo, ut nec locus hospitiis, nec alimentis terra sufficeret. quæ res aliorum magistrorum, quo-

* *Provin.*

* *S. Ayeul.*

b *V. lib. 71. n. 110.*

c *Abael. oper. p. 217. & seqq.*

rum scholæ deserebantur in dies, invidiam in eum & odium concitavit, objicientium proposito monachi non convenire studium sæcularium seu profanorum librorum, nec magisterium divinæ lectionis *sine magistro*, id est, si bene capio, absque gradu magistrali. Hinc illi eumdem apud archiepiscopos & episcopos traduxerunt, maxime ob ejus tractatum de Unitate & Trinitate divina, quem humanis & philosophicis rationibus, flagitantibus discipulis, instruxit, ob idque citatus ad concilium Suessionense, de quo inferius.

ANN. CHR. 1115.

Haud scio an Abaëlardus, qui in Adamum sancti Dionysii abbatem male affectus erat, is sit, qui eum de falsitate apud Ludovicum regem infamaverat. Adami defensionem apud regem suscepit Ivo [a] Carnutum episcopus, inquiens, legibus cautum esse, ut nemini de se confesso credatur super crimen alienum. *Unde excellentiæ*, ait, *vestræ supplico, ut majestati regiæ primo consulatis, & nobilis monasterii, quod cum omnibus sibi appendentibus vestræ voluntati obnoxium est, ne in aliquo jura minuatis; sed potius beneficia, quæ prædecessores vestri tidem venerabili loco contulerant, tamquam in propriam eleemosynam, defendendo vindicetis. Et quia periculosum est loca sanctorum perturbare, militantes in sanctis locis inquietare; salubre consilium mihi videretur, ut, postpositis æmulorum insimulationibus, tales personas ad hanc discussionem invitaretis vel exspectaretis, qui sine omni fuco malitiæ consilium vobis darent, & vestræ utilitati & quieti monasterii salubriter providerent.* Certe Sugerius *bonæ memoriæ* abbatem Adamum laudat in libro de vita Ludovici Grossi; & in necrologio *piæ memoriæ* abbas dicitur.

CXI. Adam abbas ab Ivone defensus. [a] Ivo ep. 196.

Hoc anno condi cœpit monasterium Caduini [*] in diœcesi olim Petragoricensi, modo Sarlatensi, a Gerardo de Salis, cui Rotbertus de Arbrisellis locum illum, sibi ante a Guillelmo de Alba-roca episcopo Petracoriorum & abbate sancti Frontonis concessum, ut amico & sodali suo, liberaliter contulit. unde in chronico Malliacensi monasterium Cadumi inter ea recensetur, quæ a Gerardo de Salis constructa sunt, uti & in ipsius vita. Non multo post ad Cistercienses translatum est hoc monasterium, in quo sacrum Christi Domini sudarium asservari traditur, quod Albericus [b] illuc hoc modo translatum fuisse tradit. Ademarus Podiensis episcopus Antiochiæ moriens, vasculum plumbeum cum illo sudario cuidam vicecapellano suo ad Podiensem beatæ Mariæ ecclesiam cum litteris deferendum commisit; cum eo ut ille fieret canonicus Podiensis. at illius ecclesiæ canonici id ab eo confectum arbitrati, vasculum illud accipere noluerunt, quod vicecapellanus ille, qui ex diœcesi Petragoricensi natus erat, ad parochiam suam deportavit, ac postmodum Caduini factus monachus, ibidem illud deposuit. Hæc scribebat Albericus sæculo tertiodecimo, quo fere tempore S. Ludovicus rex Francorum, in Orientem profecturus, Caduinum adiit, Christi sudarium veneraturus.

CXII. Caduini monasterium conditur. [*] Cad-uin. [b] Alberic. an. 1119.

Tunc etiam Almodis, Marchiæ Lemovicensis comitissa, cum filiis suis Aldeberto & Bosone, cellæ S. Johannis-Baptistæ & beati Nicolai, ac monachis Deo ibidem servientibus, totam terram cum silva, quæ vocatur Castanea [*], donavit. Post ejus obitum Aldebertus comes, ipsius filius, eidem loco quædam alia contulit. Illic modo simplex est prioratus diœcesis Lemovicensis, pendetque a priore Portus-Dei ejusdem diœcesis sub abbatia Casæ-Dei.

Castaneæ item cella. [*] Chatain.

Verum illustrior fuit hoc anno fundatio domus Portarum diœcesis Bellicensis, quæ primum a majore Cartusia cis alpes locum tenet, & est Ordinis totius post Squillacensem Calabriæ domum tertia. Primi illius auctores fuere duo ex nostris Ambroniacenses monachi, Bernardus & Pontius, qui permissu Desiderii abbatis sui, totiusque capituli, ad eremum Portarum, quæ juris monasterii erat, secesserunt cum aliis clericis & laïcis, & obedientiæ absolutionem, ne ipsorum propositum obedientiæ prætextu everteretur, petentе Gauceranno Lugdunensi pontifice, necnon Hugone Gratianopolitano cum eremo illa obtinuerunt. Locus iste, silvis & alpibus circumseptus, angustissimus est, sic dictus, ut Chiffletio videtur, quod in eo nativæ ipsæ rupes, certis locis velut artificis manu excisæ, portarum speciem præ se ferant. Distat hic locus a monasterio Ambroniacensi diœcesis Lugdunensis leucis circiter octo, quatuor vero a majore Cartusia, alpibus intermedius. Primus ejus loci prior fuit Bernardus ipse ex monacho Ambroniacensi, qui locum rexit usque ad annum MCXLVII. quo præfecturam abdicavit, eamque cessit alteri Bernardo, qui dimisso Bellicensi episcopatu, ad domum Portarum se receperat. Huic tamen

CXIII. Portarum domus Cartusiensium fundatur.

Priores ejus primi.

ANN. CHR. 1115.

sub finem anni M C LII. mortuo Bernardus primus ad pridie idus Februarii anni sequentis superstes, Nanthelmum seu Anthelmum ex priore Cartusiæ constituit priorem Portarum: cui post non integrum biennium ad Cartusiam reverso successit Bernardus tertius, qui deinde ab Alexandro III. creatus est episcopus Diensis. Sic tres fuere ejusdem nominis priores Portarum sæculo duodecimo, præter alios duos, qui sæculo sequenti eidem loco præfuerunt.

CXIV. Bernardi primi prioris scripta.

Bernardus primus complures epistolas scripsit, quarum tres tantum ad nos pervenerunt, a Chifflerio editæ in Manuali Solitariorum. Prima est de fuga sæculi ad Aymonem de Varennis & Aymonem de Rohoria, Arveriæ domus benefactores. Secunda est ad sanctimoniales Lugdunenses, haud dubie sancti Petri, qua eas hortatur ad servandam magno animo, quam recens excitaverant, regularem disciplinam. Tertia est ad Rainaldum inclusum, cui varia dat monita, quo pactu vitam instituat. Vivebat Rainaldus iste in cella privata seorsim a fratribus Bebronnensis seu sancti Ragneberti monasterii, duabus admodum leucis horariis a domo Portarum distantis, ex quo victum accipiebat. Huic Bernardus silentium præscribit a completorio usque ad primam æstivo tempore; hiemali vero usque ad tertiam. Pro vestitu laneas tantum vestes ei concedit, pro camisiis duas tunicas, caligarum duo vel tria paria propter frigora, pedulia sufficientia, pelliciam unam vel duas, pelles & cappam. Magnum jejunii & abstinentiæ rigorem ei interdicit, ratus sufficere, ut sexta feria semel reficiat per totum annum cum uno pulmento, abstinendo a vino, nisi festi dies vel sollemnes octavæ in illum diem incidant. Concedit tamen, ut quarta feria, si velit, idem faciat, sed nihil amplius, nisi forte in majoribus vigiliis: de cætero monachorum more jejunet. Cetera prætereo, ne sim longior. Scripsit etiam idem Bernardus ad sanctum Bernardum Claræ-vallensem abbatem, qui ejus rogatu Cantica-canticorum commentatus est. Sacram hanc domum Portarum ante aliquot annos lustravimus ego, sociusque quondam meus Michaël Germanus. Mirati sumus horridum situm loci, inter angustissimas alpium fauces ita coartatum, ut vallis interjecta vix regulares capiat ædes. Illic nec habet hortulanus quod serat, nec vinitor quod excolat. Ecclesia tenuis, sed decenter ornata. Veteres cellæ humiles, angustæ, priscum solitariorum rigorem spirantes, ex quibus una est sancti Anthelmi ex priore Portarum episcopi Bellicensis. Cartusianorum ejus loci habitus ex rudi panno hirsutus quodam modo, & loci horrori optime conveniens. Ibidem supersunt ex libraria supellectile codices non pauci, quorum præcipuus est unus, qui Fulgentii pleraque scripta complectitur. Hi sunt fructus Ambroniacensium nostrorum, qui etiam domni Sellionis originem dederunt, ut suo loco videbimus.

CXV. Res Belgicæ & Germanicæ.

Ad res Belgicas & Germanicas quod attinet, Petrus-Eremita, ex Orientis partibus jam dudum reversus, hoc anno diem obiit VIII. idus Julii apud Hoyum *, ibidemque sepultus est in Novo-monasterio, quod in honorem sancti Sepulcri & beati Johannis-Baptistæ pro canonicis regularibus exstruxerat, ad quorum forte normam, cum antea monachus esset, se ipse demum composuerat. Plura de eo vide sis in tomo secundo de gestis episcoporum Leodicensium, & apud Fisenum in Floribus ecclesiæ Leodiensis.

* Huy.

Eodem anno conditum legitur extra Brunswigam sancti Ægidii monasterium a Gertrude comitissa Northeimensi, uxore quondam Heinrici comitis, qui Bursfeldense cœnobium fundavit. Hæc corpus sancti Auctoris a Brunone Trevirorum episcopo impetravit, reposuitque eo in loco, ubi permagnificum monachorum cœnobium in honorem sancti Ægidii exstruxit, adjuvante Lothario duce, postea imperatore, qui filiam ejus habuit uxorem, ipseque monasterium *Luther* *, ex nomine suo dictum, prope Brunswigam fundavit, ubi & sepultus est, ut Siffridus ᵃ presbyter testatur. Aliud per id tempus prænobile sancti Ægidii monasterium puellarum conditum est prope Monasterium * Westfalorum, cujus prima fuit abbatissa beata Adelheidis seu Alheidis, quæ, testante Cæsario, quoriescumque sacrum Christi Domini corpus sumebat, non panis, sed ipsius sacramenti, instar favi mellis, saporem sentiebat. Huic successit Ermengardis comitissa, quæ locum in spiritualibus & temporalibus multum auxisse dicitur. Ceteras abbatissas, omnes prænobiles, prætereo. Superest etiam nunc hoc monasterium sub congregatione Bursfeldensi. Aliud quoque fuit sancti Ægidii monasterium in diœcesi Halberstadensi, quod modo Lutheranorum est.

* vulgo Konigsluttern.

ᵃ Siffrid. an. 1135.

* Munster.

Ad idem tempus refertur constructio parthenonis Sindeniensis, cujus fundamenta in monte Sindeno in Alsatia hoc anno posuisse dicitur Richwinus ex præposito Neovillano abbas, & quidem tempore alterius Richwini Mauri-monasterii abbatis. Huic Adelo paullo post successit, quo abbate locus sanctimonialibus deputatus est, postmodum anno MCXXXVII. a Theodewino sanctæ Rufinæ episcopo & apostolicæ sedis legato, primitus Mauri-monasterii professo, consecratus rogatu Meinhardi abbatis, ut legitur in veteri inscriptione a Coccio relata, quæ in eo fallit, quod anno MCXV. Callistum II. papam fuisse dicit.

ANN. CHR. 1115.

Eodem anno Tanchelmus hæreticus, mendose Tanchelinus, qui Andoverpiam, Walacram & circumjacentes insulas, & maritima illarum partium loca, multis erroribus infecerat, occisus fuisse dicitur in additamentis ad Anselmum Gemblacensem. Nec tamen cum eo exstincta est ejus hæresis, cujus reliquias sanctus Norbertus apud Antuerpienses debellavit. Exstat apud Tegnagellum epistola Trajectensis ecclesiæ ad Fredericum Coloniensem archiepiscopum de Tanchelmo seductore, qua in epistola ejus reteguntur errores, quorum præcipui erant, quod apud « Tanchelmeistas tantum ecclesiam esse diceret; nihil esse, quod sacerdotum officio « in mensa dominica confertur; ex meritis & sanctitate ministrorum virtutem sacra- « mentis accedere. Cum hæc epistola scripta est, Talchelmus, aut saltem ejus disci- « puli in custodia tenebantur a Frederico, quem rogant Trajectenses, ne eos elabi sinat. Easdem hæreses continuarunt Colonienses & Tullenses hæretici, de quibus in consequentibus agendum.

Hoc ipso anno Pontius Cluniacensis abbas Epponi abbati de monte S. Petri & Theotgero abbati S. Georgii monasteriorum in Nigra-silva exsistentium, eorumque monachis & conversis *barbatis*, necnon sororibus sanctimonialibus & conversis, societatem Cluniacensis fraternitatis concedit. Idem Pontius, ut id obiter notem, statuit, ut in profesto seu vigilia omnium Sanctorum generale officium fieret Cluniaci & in omnibus ejus cellis pro animabus omnium fratrum & propinquorum ipso anno defunctorum: quo die omnibus fratribus refectionem ex suo administrari præcipit; & die sequenti festum Sanctorum refectionem pauperibus exhiberi de pane & carne. quæ dies si in feriam sextam cadat, refectio illa in sabbatum vel dominicam transferatur: ita ut tres pauperes pro singulis fratribus viventibus reficiantur. Ubi vides abstinentiam a carne necdum tunc in sabbato præceptam, receptamve fuisse. Denique hoc ipso anno initia Selodensis in Basiliensi episcopatu monasterii consignanda sunt. quod Geraldus vir nobilis in proprio castello conditum Cluniacensi monasterio subjecit. Illud vero hoc pacto recepit Pontius abbas, ut illuc sanctimoniales, quas S. Udalricus prope Cellam, monasterium a se conditum in Silva-nigra, apud Bolswiller constituerat, transferrentur. Ejus rei instrumentum ex nostris schedis habes in Appendice.

ANN. CHR. CXVI. Lateranense concilium.

Anno subsequente, ejus sæculi sexto-decimo, concilium apud Lateranum ad pridie nonas Martii a Paschali papa indictum est. Hoc intellecto, Heinricus imperator iter in Italiam instituit, veritus ne privilegium illud, quod a pontifice vi extorserat, in concilio rescinderetur, & ipse sollemniter excommunicaretur. Hinc legatos ad papam præmittit, ut ne concordia, sacerdotium inter ac regnum haud legitime inita, disturbaretur. Hujus *legationis primatum*, ut in chronico Saxonico nondum edito legitur, abbas Cluniacensis, scilicet Pontius, *cognatus, ut putabatur, domni papa tenuit, qui & inter utramque partem pro componendis pacifice rebus fidelis & impiger apocrisiarius invigilare studuit*. Et is quidem concilio cum multis aliis abbatibus interfuit, ut mox videbimus. In illo concilio, ut tradit Petrus [a] diaconus, cum idem Pontius se *abbatem abbatum* jactitaret; interrogatus a Johanne cancellario, utrum Casinenses a Cluniacensibus, an Cluniacenses a Casinensibus regulam accepissent? respondit, non modo Cluniacenses, sed etiam universos orbis Romani monachos regulam patris Benedicti a Casinensi cœnobio accepisse. Ergo, reposuit cancellarius, ipse solus qui Benedicti legislatoris vicarius est, abbas abbatum merito vocari potest.

Pontius abbas Cluniacensis interest.

[a] Chron. Casin. lib. 4. c. 39.

Initio concilii cum alii alia negotia discutienda proponerent, unus ex episcopis intercessit, pontificem monens, ut de ecclesiasticis rebus, propter quas episcopi convenerant, tractaretur. Tunc Paschalis fassus est se male egisse, cum scriptum illud quod *privilegium* vocabant, imperatori concessisset, seque illud condemnare dixit.

ANN. CHR. 1116.

Mox Bruno Signiensis gratias Deo egit, quod pontifex ore proprio condemnasset scriptum illud, quod hæresim continebat. Ad hæc quidam cavillatorie subjunxit: Si privilegium illud hæresim continebat, ejus auctor hæreticus fuit. Ergone, inquit Johannes Cajetanus, Romanum pontificem appellas hæreticum? Malum quidem fuit illud, sed non hæresis. Immo ne malum quidem, ait alter. Si enim populum Dei liberare bonum est; quod dominus papa fecit, bonum fuit. Ad hæc patientia papæ horrendo hæresis nomine pulsata, excitata est, & ipse silentio manu indicto, dissidentium clamorem compescuit; probavitque Romanam ecclesiam numquam hæresim admisisse, immo hæreses omnes conquassasse. Hæc acta quatuor primis diebus tertiæ hebdomadæ quadragesimæ. Quinta feria papa concilio non interfuit, multis & maxime regiis negotiis per domnum Cluniacensem, Johannem Cajetanum, & Petrum Leonis Urbis præfectum, ceterosque illius partis fautores impeditus. Feria sexta Conon cardinalis & legatus in Gallia excommunicari Heinricum volebat: at Johannes Cajetanus cum Petro-Leonis ceterisque regis fidelibus restitit: sed tamen ille acta legationis suæ confirmari petiit, obtinuitque. Sabbato episcoporum de sede Mediolanensi disceptantium causa finita est, & Jordani archiepiscopatus assertus. Hæc fuse referuntur in chronico nostro Saxonico, quæ totidem fere verbis retulit Conradus Urspergensis: sed plura chronographus ille, qui eo tempore scribebat, hoc anno commemorat, ex quibus pauca delibare juvabit.

CXVII. Res Germanicæ.

In primis Heinricus imperator, natali Domini Spiræ celebrato, ea quæ interim Coloniæ gerebantur, graviter tulisse dicitur. *Audivit enim*, inquit chronographus, *quam plurimos ibi convenisse, non solum metropalitanos, sed etiam alios episcopos vel optimates regni*, nempe ut sententiam excommunicationis in se latam manifestarent. at *Dietericus cardinalis, cujus hæc initiabantur auctoritate*, in itinere jam defunctus, illò ad sepulturam potius, quam *ad actionem concilii delatus est. Sepultus est Coloniæ astantibus episcopis* XIIII. *cum Liuderico duce, alisque nonnullis principibus*. De hoc cardinali nihil alibi legere memini, præterquam apud Trithemium in historia Hirsaugiensi, qui hæc ab eodem chronico acceperat. Dein agit chronographus de Erluwino Wirceburgensi episcopo, cui imperatur, quod ab ipsius communione recessisset, *ducatum orientalis Franciæ, qui Wirceburgensi episcopo antiqua regum concessione competebat*, abstulit, *& Conrado sororis suæ filio, qui postea regnavit, commisit.* Tum *scandala principum declinans, in Italiam se una cum regina, totaque domo sua contulit, ac circa Padum regni negotiis insistens, legatos ad apostolicum pro componendis causis destinavit*, cujus *legationis abbas Cluniacensis*, ut mox dicebam, *primatum tenuit.* Post hæc Lateranensis concilii acta ex integro refert chronographus; subditque absente imperatore regnum Teutonicum in varias factiones scissum fuisse; multasque hinc strages factas; abbatiam Lintburgensem occupatam atque obsessam, & loca finitima direpta; abbatem Corbeïensem, scilicet Erchinbertum, rebus suis a Moguntinis spoliatum, denique eo effusum calicem furoris Dei, ut *locupletissimum illud ac per totam Germaniam famosissimum ac principale Fuldense cœnobium usque ad ultimam redactum fuerit inopiam, & victus etiam necessarii* deessent. Tunc etiam Thietmarus Verdensium episcopus ab archiepiscopo Coloniensi Friderico ordinatus est in monasterio sancti Albani, cujus loci abbas Theodoricus obiit hoc anno, ut scribit Dodechinus, cui Bertolfus substituitur, eique post triennium Volpertus succedit. Hoc ipso anno Hallense monasterium extra muros Magdeburgenses novo opere constructum est ab Adelgoto archiepiscopo, testante Siffrido presbytero.

Fabariensis libertas asserta.

a V. lib. 71. n. 95.

Ad hæc Paschalis papa Geroldo abbati monasterii sanctæ Mariæ Fabariensis insigne privilegium indulget, quo definitionem, quæ super controversia, inter eum & Basileensem episcopum [a] Rudolfum habita, episcoporum & cardinalium judicio, ipso Geroldo & episcopi legatis præsentibus facta erat, confirmat: videlicet ut abbatia illa in sua semper libertate permaneat: quippe quæ non a regibus vel imperatoribus, sed ab aliis fidelibus viris fundata & ditata fuerit. Unde regum vel imperatorum præceptis sancitum erat, ut ab omni extranea & iniqua potestate esset immunis; & nulli regum vel imperatorum liceret eam cuiquam dare in beneficium. *Datum Lateranis per manum Chrysogoni subdiaconi, agentis vices domni Johannis cancellarii*, IIII. *kal. Februarii, indictione* VIIII. *anno dominicæ incarnationis* M C XVI. *pontificatus autem domni Paschalis secundi papæ anno* XVII. Ubi vides annum incarnationis non a paschate repeti, sed a kalendis Januarii: secus alia ejusdem pontificis pro

Miciaco

Miciaco, de qua anno sequenti. Hanc Paschalis constitutionem confirmavit Honorius secundus, bulla ad Wicrammum abbatem data Laterani anno M C XVI. x. kal. Februarii indictione IV.

ANN. CHR. 1116.

Inter ea prædones quoque per Galliam, maxime in Lingonensi pago, debacchabantur, & monasteria vastabant. His cladibus ut occurrerent episcopi, *placitum Dei*, ut tum vocabant, habendum censuere, in primis Jocerannus, Lingonum episcopus, quem hæc cura maxime tangebat. *Anno itaque a conceptu celeberrimo Virginis intemeratæ millesimo centesimo sexto-decimo*, ut loquitur Theobaudus [a] Besuensis monachus, *Lingonica promoto cathedra religiosi nominis viro Jocerauno, ejusdem præsulis pervolat edictum, omnes invitans ad concilium* VI. *idus Junii.* Ad hunc conventum electus est locus sub divo, a Besua Burgundiæ opido distans stadiis duodecim, juxta villulam, quam Lucum [*] vocant, ubi gratissima planities erat. Illuc delatæ ex Besuensi monasterio sancti Prudentii martyris reliquiæ, & sub papilione depositæ, ad quas miracula facta referuntur a Theobaudo mox laudato. Facto conventu, cui innumerabilis populi multitudo adfuit, Guido Viennensis archiepiscopus, qui ei præsidebat, gravi oratione temporum injurias, prædonum vexationes & rapinas exposuit, adstantiumque animos ita flexit, ut jurata pace, deinceps ab ejusmodi facinoribus abstinere constituerint. His actis, sancti Prudentii reliquias Besuam retulit cum suis fratribus Stephanus venerabilis abbas, cujus meritis concessum fuisse putat Theobaudus, quod ejus tempore sanctus Prudentius tot tantisque virtutibus emicuerit.

CXVIII. Lingonense seu Lucense concilium.

a Labbe to. 2. p. 619.

* Luz.

In Burgundia item habitum creditur primum Cisterciense capitulum generale, quod deinceps annuum esse cœpit, aliisque Ordinibus exemplum dedit. Crescente quippe Cisterciensi familia, jamque propagata ad quatuor præter Cistercium monasteria, convenientissimum patribus visum est, ut ex mutuo colloquio uniformis ubique vivendi ratio & mutua consensio & concordia institueretur. Hujusce capituli, duorumque subsequentium acta non habentur: sed non dubito, quin actum in eis sit de constituenda Charta, ut vocant, caritatis, quæ anno tandem ejus sæculi undevicesimo probata, publicataque est in quarto, ut videtur, capitulo generali. Etsi enim hæc Charta brevis sit, magno tamen judicio & singulari prudentia confecta est, tantique momenti, ut illustrissimo Benedictinæ familiæ corpori formam dederit, adeoque non leviter, nec uno statim capitulo concepta, perfecta & approbata.

CXIX. Cisterciense primum capitulum generale.

In Cistercienses optime, si quis alius, affectus fuit Hugo de Monte-Acuto, qui ex abbate [b] sancti Germani Antissiodorensis monasterii in locum Humbaldi illius urbis episcopi, in via Jerosolymitana defuncti, hoc anno suffectus est, & a Paschali pontifice Romæ consecratus, in reditu a rege ceterisque, qui ejus electioni principio restiterant, bene acceptus. Mos erat illorum temporum, primis quoque sæculis usurpatus, quod de sancto Martino Turonum episcopo liquet, ut apertis sacris codicibus, ex versu qui primus occurrisset, quoddam de novi episcopi futuræ vitæ qualitate præsagium conciperetur. Id cum de Hugone nostro factum fuisset, aperto libro hic versus occurrit, *Ave Maria gratia plena* &c. quo ejus continentissimam vitam significari creditum est. In episcopatu monastici instituti mores, quoad licuit, retinere studuit, monasteria suæ diœceseos frequentare sollicitus, in primis monasterium Caritatis, cui, ne gravaretur, annonam & vinum suppeditari curabat. Ordinem Cisterciensem, qui tunc adhuc recens erat, magnopere dilexit fovitque: ejusque tempore Regniacum, Rupes, & Bonus-radius in sua diœcesi condita sunt. Conventui Pontiniacensi, Regniacensi, & virginibus Christi de Crisinone optimum cellarii sui vinum distribui præcepit. Monachus vero, qui res virginum dispensabat, obtulit vinum illud venale, ut ex pretio vilius emeret. quo intellecto, episcopus vinum illud statuto pretio emit; eoque persoluto, vinum illud denuo Christi virginibus donavit, eisque expendi jussit. Forte aliquando adiit Claram-vallem, &, cum Bernardus ejusque fratres in agrum quemdam irent ad metendum, episcopus cum falce pro more suo eis se adjunxit. Ventum est ad locum, ubi seges erat: secant omnes, & segetem in manipulos colligunt. Tum, densa nube cælum obnubilante & multam pluviam minitante, Bernardus episcopum rogat, ut imminentem pluviam dicto avertat. at ille se non hujus meriti respondit, & Bernardum monet, ut ipse Deum ad hoc precetur. Contra Bernardus: Et tu, pater, inquit, precare, & ego tecum. Mox precantur ambo, statimque nubes recessit, & subsecuta est aëris

CXX. Hugo abbas fit episcopus Autissiodorensis.

b V. lib. 69. n. 131.

ANN. CHR. 1116.

serenitas. Multa alia præclara de hoc venerabili antistite referuntur in actis[a] episcoporum Autisiodorensium, inter quæ id memoria dignum, quod cuidam nepoti suo præbendam numquam dare voluit; & quod monachum domus suæ procuratorem, qui aliquot nummos a quodam familiari suo, cui beneficium contulerat, ipso nesciente acceperat, ubi ab eodem monacho id rescivit, iratus datori restitui jussit.

a *Labb. to. 1. p. 460. & seqq.*

CXXI. Gervasius in abbatia ei succedit.

Hugoni in abbatiali dignitate successit Gervasius, beati Hugonis Cluniacensis abbatis nepos, & a teneris apud Cluniacum alumnus, qui una cum Hugone Montacutio mox laudato ad reformandum sancti Germani monasterium missus fuerat. Hic factus abbas multa suo monasterio commoda procuravit. Sancti Florentini ecclesiam, in qua usque ad ipsius tempus fuerant canonici sæculares, in cellam monachorum commutavit assensu Henrici archiepiscopi, quod Innocentius II. confirmavit. Idem litem habuit super justitia castri & *burgorum*, ut vocant, sancti Germani cum Guillelmo comite Nivernensi, ejus nominis tertio, qui postmodum, abdicato principatu, ad Cartusianos migravit. Multum etiam negotii ei facessivit Hugo-Mansellus, qui in prædio sancti Germani apud Aunaium ædificavit castrum, quod ut destrueret, & sancto Germano satisfaceret, ecclesiasticis tandem pœnis compulsus est.

Hugo abbas Pratensis.

Eodem anno Rainaldo[b] Pratensis monasterii apud Parisios abbati successit Hugo, assumtus ex Dionysiano cœnobio, qui ecclesiæ suæ libertatem restituit, ordinem reformavit, & vetera ædificia renovavit. Primum probant apostolicæ sedis privilegia, quæ a Callisto II. Innocentio II. Lucio II. & Eugenio III. impetravit. Ante biennium revelata fuerant corpora sanctorum martyrum Georgii Bethleemitæ monachi, & Aurelii Cordubensis cum capite uxoris suæ Nathaliæ, a domno Walone Parisiensi episcopo & Rainaldo abbate.

b *V. lib. 70. n. 40. & lib. 71. n. 77.*

CXXII. S. Remigio satisfacit Ingelramnus.

Consimilem quoque S. Remigii apud Remos cœnobio vexationem per id tempus inferebat Ingelramnus[c] comes, molestissimus ecclesiarum deprædator. Sancti Remigii ecclesia terram pagi Laudunensis, quæ Megium dicitur, in qua Cociacum seu Codiciacum castrum situm est, primitus possidebat, beato Remigio ab ipsis Francorum principibus olim donatam. Ptocessu temporis milites, qui Cociacum obtinebant, a monachis Remigianis Cociacum castellum sub annuo censu sexaginta solidorum impetrarunt. Hunc censum quotannis persolverunt Cociacenses castellani, usque ad tempus Ingelramni, qui illum beato Remigio denegavit. Tandem religiosorum virorum adhortamentis resipiscens, censum illum singulis annis ad festum sancti Remigii se persoluturum pollicitus est Azenario ejusque monachis; advocationem vero ipse retinuit. Hanc autem constitutionem Bartholomæus Laudunensium episcopus, in cujus diœcesi Cociacum situm est, rogatu utriusque partis sub anathemate hoc anno confirmavit. Huic constitutioni præsentes interfuere Wibertus seu Guibertus abbas Noujanti, Guido castellanus, multiqne alii.

c *Marlot to. 2. p. 260.*

CXXIII. Mathildis abbatissa Suessionensis, ejusque parentes.

Post mortem Adelaidis abbatissæ beatæ Mariæ Suessionensis, quæ nonis Septembris hoc anno accidit, in ejus locum subrogata est nobilis & piissima virgo Mathildis, filia Godefridi[d] vicecomitis Firmitatis-Ausculfi seu sub Jotro, & Ermengardis ex stirpe comitum Aiziacensium. Hujus abbatissæ tempore multa in illa Deiparæ basilica miracula patrata sunt, maxime erga eos, qui sacro igne passim per Gallias correpti erant, ut inferius videbimus. Ea vero fuit Mathildis ejusque sororum pietatis efficacia, ut Ermengardis ipsius mater se ejus disciplinæ subjecerit assensu viri sui, qui & ipse postmodum monasticen amplexus est. Tunc adeo excrevit ejus loci sanctimonialium numerus, ut ex illis colonia deducta sit ad quamdam cellam* prope Augustam-Viromanduorum, quam cellam Simon Noviomensium & Tornacensium episcopus a quolibet onere immunem esse voluit.

d *Hist. de N. D. de Soissons p. 243.*

*vulgo *Espargnemail.*

CXXIV. Ivonis epistola de Jotrensi abbatissa, ejusque obitus.

Una ex postremis Ivonis episcopi Carnutensis epistolis scripta est Manassæ[e] Meldensium episcopo, ejus nominis primo, de abbatissa Jotrensi, quæ ipsum consuluerat. Ut hæc epistola nonnihil obscura intelligatur, præmittendum est Jotrense monasterium tunc exemtum fuisse a jurisdictione Meldensis episcopi, & presbyteros ejus loci abbatissæ subjectos. Unus ex his, immo plures, *cuidam ægroto, ex consuetudine post prandium vomenti, viaticum dare non ausi fuerant*; ipseque ægrotus consilium dederat, *ut differrent in crastinum, quatinus hoc sacramentum jejunus acciperet, & ei debitam reverentiam pro viribus exhiberet.* Verum ad crastinum non supervixit

e *Ivo ep. 252.*

ægrotus; ficque abfque viatico mortuus eft. Id ubi refcivit Manaffes Meldenfium epifcopus, presbyteros negligentiæ arguit, & in jus forte vocavit. Sollicita hac de re abbatiffa Ivonem confuluit, utrum hoc in facto deliquiffent presbyteri, eumque rogaffe videtur, ut Manaffen placaret. Ei itaque fcripfit Ivo, *fe languentis pietatem laudare, & presbyterorum diligentem negligentiam* in quo reprehenderet non invenire. *In utroque ergo*, inquit, *non fuit culpabilis negligentia, fed falubris & cauta diligentia: ubi nec medicus fuo defuiffe videtur officio, nec moriens divino caruiffe beneficio.* In fine Manaffen hortatur, ut rei veritatem inveftiget; &, fi ita veritas habeat, nullum inde fcandalum in ecclefia faciat: *ne aut nimiæ imputetur fimplicitati, aut alicui occultæ cupiditati*, quafi fcilicet hac occafione uteretur, ut monafterii & abbatiffæ privilegium impugnaret. Hactenus Ivo, vir hominum fui temporis canonum fcientiffimus & ftudiofiffimus ecclefiafticæ difciplinæ.

ANN. CHR. 1116.

CXXV. Probatur ex actis Rotberti de Arbriffelis.

De ejus obitus anno difcrepantes funt fententiæ. Carnutenfes quippe fafti eum anno MCXV. obiiffe tradunt; Albericus in chronico anno MCXVI. Auctor fupplementi Roberti de Monte & Matthæus Parifius anno fequenti. At præferenda fine dubio Alberici auctoritas, cui Andreas fcriptor, ut creditur, fecundæ vitæ Rotberti de Arbriffello, ejufque collega adftipulatur. Narrat hic auctor, Rotbertum proximo anno ante fuum obitum, quem anno MCXVII. accidiffe conftat, inftituti fui domos vifitare voluiffe: in his Altæ-Brugeriæ * monafterium, quod in deferto quodam agri Parifienfis loco, concedente Ludovico Francorum rege exftruxerat. Dum eo tenderet, in tranfcurfu concordiam inter Ivonem epifcopum & Bernerium Bonæ-vallis abbatem reformaffe dicitur, deinde dominicam nativitatem apud Altam Brugeriam (Brogariam veteres, recentiores Brueriam vocant) cum dilectis fibi filiabus celebraffe; indeque peracta follemnitate, cum res ejus loci, tam interius quam exterius difpofuiffet, Carnutas reverfiffe, ubi Ivonem epifcopum mortuum acceperit, & Theobaldum comitem fuper electione venerabilis Gaufridi de Leugis in canonicos fævientem invenerit, eifque placatum reddiderit, quod alii fruftra tentaverant. Ex quibus intelligitur, Ivonem fub finem illius anni defunctum fuiffe; illius, inquam, anni, qui Roberti de Arbriffellis obitus annum præceffit. Hic enim Carnutis digreffus, Blefas perrexit, ubi Guillelmum Nivernenfem comitem a Theobaldo detentum cum Bernardo Tironii abbate invifit; dein Bituricenfem pagum ingreffus, apud Urfanum e vivis exceffit v. kal. Martii, & quidem anno MCXVII. ut inferius videbimus. Ivo igitur fub finem anni præcedentis obierat, fcilicet x. kal. Januarii, quo die ejus depofitio in faftis ecclefiæ Carnutenfis notatur. Sepultus eft in ecclefia fancti Johannis de Valle canonicorum regularium fancti Auguftini, quorum Ordinem in Gallia multum illuftravit.

* Hautebruere.

CXXVI. Toroldo abbati Columbenfi annuum miraculum S. Gratiani probatum.

Columbenfi diœcefis Carnutenfis monafterio ad hoc ufque tempus præfuit Turoldus feu Toroldus abbas, aliis Theoroldus dictus, cujus tempore multæ eidem loco donationes factæ funt. Illic affervantur etiam nunc fancti Gratiani martyris reliquiæ, cujus cultus ibidem celebris eft, eratque olim apud Ambianos in quadam ecclefia tertio ab urbe milliario remota, ob quoddam miraculum, quod fingulis annis patrari confueverat x. kal. Novembris, quo die paffionis ejus feftum recolitur. Ipfo enim die corylus quædam, illius ecclefiæ adhærens, foliis jam exfpoliata, pubefcebat, frondefcebat, & nuces pariebat, quas, antequam hora diei fexta compleretur, ad maturitatem perducebat. Id ubi refcivit quidam Columbenfis monachus, Petrus nomine, cui rei facræ cura commiffa erat, a Toroldo abbate facultatem petiit adeundi locum illum, ubi idem martyr pro Chrifto occubuerat, & ubi hoc miraculum quotannis fiebat, rei veritatem exploraturus. Ivit ille, viditque in ipfa vigilia fefti folia nata, & fub unius noctis fpatio nuces natas & adultas, quas collegit, ad fua retulit, duafque ex illis venerabili Gaufrido Carnutenfi epifcopo dono dedit, quas pius præful grataner accepit, & in quadam buxtula inter facras ecclefiæ fuæ reliquias repofuit: reliquas vero idem Petrus in Columbenfi ecclefia. Atque ut ejus dictis fides adhiberetur, Ingelranni feu Ingeranni a epifcopi Ambianenfis hac de re litteras, figillo ejus fignatas detulit, quarum hic tenor.

a V. fupra n. 109.

Ingeraunus Dei gratia Ambianenfis epifcopus, Torolda venerabili abbati Columbenfis cœnobii, omnique monachorum congregationi, in extremo examine audire feliciter Domini lata verba, Venite benedicti Patris mei &c. Frater Petrus vefter monachus, ad nos veniens, & de miraculo, quod Deus omnipotens meritis martyris fui beati Gratiani

ANN. CHR. 1116.

apud nos annis singulis operari non desinit, diligenter inquirens, quod ita res habet vidit, & evidenter agnovit. Nos autem petitioni ejus ob veritatis assertionem adquiescere non abnuentes, sanctitatem vestram de eodem miracula certiarem reddere auctaritatis nostra litteris curavimus. Sciatis itaque procul dubio, dilectissimi, quia ille qui dicit in evangelio, Pater meus usque modo operatur, & ego operor; ad laudem & gloriam & honorem prafati martyris in episcopio nostra, tertia videlicet ab urbe nostra milliaria, tale miraculum quotannis declarare dignatur, ut quædam corylus, qua juxta ecclesiam ejus, in pede scilicet maceria, antiquitus plantata est, & vulgo dicitur, quod baculus ejus fuerit, in natalitio ipsius martyris, unius noctis & diei spatio, floreat, & fructum plene formatum integre adultum emittenda praferat. De hoc vero nulla habeatur ambiguitas, quia expertis credendum est: & quod dilectioni vestræ intimando asserimus, oculis nostris vidimus, & idoneorum testium, & etiam domni Godefridi beata memoria episcapi, pradecessoris nastri, qui frequenter huic miracula interfuere, revelatione cognovimus. Valete. Ego vero Achardus, hujusce epistalæ notarius, hoc miraculum aspexi, & in ipsa arbore prædicta, prasente Gadefrido episcopo, nuces novas callegi, & ei attribui, de quibus ipse episcopus, me vidente comedit.

Hactenus Ingelramni epistola, quæ prædicto miraculo fidem facit, descripta ex codice Columbensi, in quo præmittitur sermo de corylo sancti Gratiani martyris, quem in Appendice legere licet. Ceterum quo tempore, quave occasione ejusdem martyris reliquiæ ad Columbense monasterium translatæ sint, incertum. Illic hodie quoque religiose asservantur in argentea capsa, quæ nuper a nostris affabre confecta est. Aperta veteri capsa, ut mihi a nostro Antonio *Beaugendre*, tunc ejus loci priore, assertum est, inventa parva pyxis ex plumbo, in qua nuces illæ, a Petro monacho ex sancti Gratiani ecclesia allatæ, linteolis involutæ repertæ sunt. Ejus cultus hodie quoque celebris in vico ejus nomine & passione illustratus, duabus ab urbe Ambianorum leucis versus Donincum opidum, quod vulgus Dulendum, corrupte Durlendum vocat: sed annuum illud miraculum jam dudum desiit, tametsi nucum sancti Gratiani fama & nomen hactenus in ore vulgi perseverat.

Columbenses abbates.

Quod attinet ad Toroldum abbatem, non multo post, cum Columbensibus novemdecim annis præfuisset, apud sanctum Germanum in Laya decessit XIII. kal. Novembris in ipsa S. Germani ecclesia, quæ cella est Columbensi abbatiæ subjecta. Ejus corpus ad Columbense monasterium relatum, in capitulo sepultum est. Rogerius ejus successor, Gumimari militis filius, Hugonis frater, monasterii jura strenue propugnavit, famis tempore egenis summa caritate opitulatus est, monomachiæ leges dissolvit. Vixit ad multam ætatem, & annis sexaginta monasterium rexisse dicitur, fato functus VII. idus Januarii, circiter annum M CLXVI. Ei successit ad decem circiter annos Stephanus, quem Humbertus seu Gumbertus, Alermus & Theobaldus excepere.

CXXVII. Nobiliaci abbas Radulfus, ejusque successores.

Apud Pictones Nobiliacense sancti Juniani monasterium post Gausridum abbatem regebat hoc anno Radulfus; ut patet ex quodam instrumento, quo domina quædam nobilissima, Amelia nomine, eidem monasterio, ut illic sepeliretur, dimidiam partem contulisse dicitur cujusdam alodi, cujus alteram partem ei loco jam dederat germanus ejus, Petrus-Samuelis, qui ibidem jam humatus erat. Utramque donationem confirmarunt eorum propinqui, propterea quod *maxima pars generis* sui ibidem sepulta esset; hocque donum *cum baculo buxi* unus post alterum se ratum habere testati sunt, quem baculum super altare posuerunt; atque in charta hac de re facta signum crucis propriis manibus impresserunt. Actnm hoc anno, indictione IX. *Willelmo Pictavis comite, domno Radulfo abbate ecclesiam beati Juniani regente.* His litteris apposita sunt cum signo crucis nomina Ugonis Focaudi & filiorum ipsius Ameliæ, Bosonis, Jordani, Petri & Petri Tallaserri. Post biennium Willelmus Pictavorum antistes concordiam paciscitur inter Radulfum & Willelmum Talamonensem abbates, de Auriaci ecclesia disceptantes, quam Radulfus Talamonensibus sub annuo censu cessit. Eidem Radulfo abbati Gelasius eodem anno possessiones monasterii confirmavit. Radulfo successit Guillelmus eo nomine primus anno circiter M C XXX. quem excepit Rotbertus sub annum M C L. successorem sortitus Joscelinum de Mortuo-mari de quo alias.

CXXVIII. Donoaldus abbas fit episcopus Aletensis. a V. lib. 66. n. 13.

Redonense sancti Melanii monasterium administravit ad hunc usque annum Donoaldus abbas [a], antea sancti Michaëlis de Monte monachus, qui tunc ad Aletensem episcopatum promotus est. In abbatiæ regimine successorem babuit Radulfum, qui

hoc ipso anno cum Marbodo Redonensium præsule pactum iniit super duabus ecclesiis apud Guerchiam positis. Donoaldus episcopus, sui quondam monasterii memor, non pauca ei beneficia contulit tempore Radulfi abbatis, & Hervei ejus successoris, eo nomine secundi, qui anno MCXXX. cum Rodoaldo Vitreïensi præposito concordiam iniit, ab Honorio pontifice confirmatam. Plura de eo in consequentibus. Donoaldo episcopo Aletensi successit Benedictus III. sub annum MCXL. eique non multo post Johannes de Craticula ex abbate sanctæ Crucis de Guingampo canonicorum regularium, qui sedem episcopalem Aleta transtulit ad insulam Aaron dictam, quæ modo urbs sancti Maclovii vocatur.

ANN. CHR. 1116
S. Melanii abbates.

Haud confundenda Aletensis ecclesia cum Alectensi, ut quidam minus bene scribunt, melius alii Electensi [a]. Utraque jam episcopalis sedes, sed posterior nobile quondam fuit Ordinis nostri monasterium, in comitatu Redensi, ad Atacem fluvium, in Occitania, de quo pauca adbuc dicta sunt [a] deficientibus veteribus loci instrumentis, quæ in arcbivum archiepiscopale Narbonense translata hactenus delituerant. Sed iis illustrissimi archipræsulis hodierni humanitate communicaris, celebre monasterium silentio præteriri non debet. Ex ipsa charta donationis fundatum discimus a Bera seu Berano comite, ejusque uxore Romella, seu Romilla aut Romildi, ex *proprio suo*, quod Berano comiti advenerat *a domno & genitore suo Guillelmo comite qui nuper fuit, & domno imperatore, meo*, inquit comes, *seniore Carolo. Donamus ergo*, addit, *unum nostrum dictum Electum, & monasterium nostrum sancta Maria, fundatum a nobis, nostro Domina Deo omnipotenti, & domno Petro apostolorum principi urbis Roma & inclyto papa Leoni Romano, cunctisque successoribus suis, ad bene peragendum & custodiendum.* Ea vero conditione hoc facit, ut ab hodierno die & deinceps Romani pontifices sub propria « dirione teneant, nec a se prædictum locum abalienent, & ut futura dedicatio ipsius « loci, domno Leone pontifice favente & præcipiente, decentissime fiat, missis illuc sanctorum apostolorum & martyrum reliquiis, & aliqua portiuncula dominicæ crucis. « Rogat insuper comes, ut illud monasterium ita liberum sub apostolica defensione permaneat, ut nullius alterius sive regularis sive sæcularis personæ potestati subjaceat. « In signum vero subjectionis jubet, ut singulis trienniis locus Electi libram argenti « persolvat Romano pontifici vel ejus legato. Huic chartæ, sine chronicis notis, « subscribunt Recosindus, forte abbas Arulensis, Astremirus, Prodisus & Bera comes, *qui hanc donationem fecit, & testes firmare rogavit.* Quo præcise anno conditum fuerit Electense monasterium, non liquet. Sed citius condi non potuit anno DCCCXLVII. quo pontificatum iniit Leo papa IV. cui offertur, nec tardius anno DCCCLV. quo idem pontifex vivere desiit. ac proinde ejus origo referri potest ad annum DCCCL. Carolo Calvo rege Francorum. Eo quippe tempore vixisse Beram comitem Ruscinonensem seu Russulionensem, discimus ex aliis ejusdem chartis [b], quarum una confert monasterio sancti Andreæ Exalatensi ecclesiam sancti Andreæ, cum decimis & primitiis & oblationibus. *Facta charta donationis sexto kalendas Martii anno sexto regnante Carolo*, cui subscribit *Bera comes Dei gratia*. Ejusdem comitis mentionem facit chartarium Helenensis ecclesiæ pluribus in locis. Is ex uxore sua Romilla suscepit filium, nomine Argilam, & filiam Hotradem. Argila filium habuit Beranum [c], cui vendidit villas duas in suburbio Elenensi, *in pago Russulionensi*, quas acceperat a patre suo Berano comite, & alteram *Donacanum* dictam, in pago Redensi (in quo situm erat Electum) in loco qui dicitur *Saltum. Anno quinto regnante Karulo rege.* Hotrudis vero [d] *filia Berani comitis & Romilla*, nupsit Alarico comiti, ex quo genuit filium Auriolum, cui Hotrudis vendidit villam *Truliars* in territorio Elenensi. *Anno quinto regnante domno nostro Karulo rege.*

CXXIX.
Monasterium S. Mariæ Electense a Bera comite fundatum.
[a] Alet.
[a] V. lib. 53. n. 13.
[b] Marca Hisp. p. 354. 356. 781.
[c] ibid. p. 78.
[d] ibid. p. 837.

Qui fuerint primi sanctæ Mariæ Electensis abbates, prorsus incompertum, nullusque occurrit ante Benedictum, qui sub Guarino, Coxanensi abbate, regebat monasterium sancti Hilarii Carcassonense & sanctæ Mariæ Electense. Quippe Johannes papa XIX [e]. anno MVIII. Guarino, veluti generali præposito, commiserat regimen abbatiarum quinque, scilicet sancti Petri Lezatensis, sancti Hilarii Carcassonensis, sanctæ Mariæ Electensis, sancti Petri Garnensis, & sancti Michaëlis Coxanensis. Hic vero habebat sub sua potestate vicarios abbates, Benedictum in Lezatensi, qui & duorum sequentium monasteriorum, nempe sancti Hilarii & sanctæ Mariæ rector erat; Hugonem in Garnensi, & Giffredum in Coxanensi, ut alibi [f] observatum est: ita ut res omnes, bona & jura prædictorum quinque monasteriorum ad abbatem

Abbates Electenses.
[e] ibid. p. 966.
[f] lib. 53. n. 13.

ANN. CHR. 1116.

Coxanensem ejusque successores pertioereot, a vicariis abbatibus illorum consensu & auctoritate regenda & administranda. Non diu tamen Coxanensibus abbatibus subjectum fuisse videtur Electense monasterium. Nam anno M L. Geroldus abbas Electensis proprio oomine obtinuit a Leooe IX. confirmationem bonorum monasterii sui. quod idem privilegium a Callisto II. & Eugenio III. indultum fuisse dicit Alexander III. in bulla suo loco memoranda. Eo abbate contigisse videtur quod legimus [a] *in Querimouia* Berengarii vicecomitis Narboneosis adversus Guifredum Narbonensem, proposita in concilio apud Tolosam habito, aono Cbristi M LVI. scilicet Petrum Raimundi, Biterrensium comitem, insuper habita *tregua Dei*, ut vocabaot, violasse ecclesiam sanctæ Mariæ cœnobii loci Electi, *ubi mirificum habetur lignum dominicum*, indeque vi abstractis militibus duobus *iuclinatis atque inuoxiis*, unum, qui erat Berengarii vicecomitis consanguineus, patibulo suspendi, alterum morte crudeli, quasi furem occidi jussisse: archiepiscopum vero iis violentiis suffragatum, sacrilegos & homicidas illos, ad se confugientes, in clientelam suam recepisse, nullamque in eo justitiam a vicecomite inveniri potuisse. Nec ecclesiam tantum violavit Petrus Raimundi, sed & monasterii bona depopulatus est. Nam anno M C XIII. Remundus abbas, Geroldi successor, an immediatus ecclesiam, de terra Caplada, quam invaserant Petrus Raimundi & Rogerius Isarni, recuperavit. Testes Amelius episcopus Tolosanus, & Bernardus Laburnensis.

[a] Conc. Gall. Narbon p. 8.

Lis inter Electenses & Crassenses de monasterio S. Polycarpi.

Denique hoc ipso anno in quo sumus, gravis etat controversia inter Raimundum Electi, & Berengarium Crassæ abbates, de abbatia sancti Polycarpi. De ea jam disceptaverant Dalmatius Narbonensis archiepiscopus, & Rodbertus Crassensis abbas [b]: sed taodem io concilio Narbonensi anni M XC. lis io gratiam abbatis composita fuerat, ipsique ac ejus monasterio asserta sub certis quibusdam conditionibus abbatia sancti Polycarpi. At non vocati in judicium, qui vocari debuerant, Electeoses, præcipuæ in negotio partes, frequentes ad apostolicam sedem querelas detulerunt. Re ad concilium apud sanctum Ægidium babitum aono præcedenti coram legato apostolico relata, terminus utrique parti constitutus est, quo coram Paschali II. se sisterent. Statuto tempore adfuere Electenses, sed Crassenses defuere. Cum idoneis testibus probassent illi, Urbanum papam, Electeosis abbatis querela semel & iterum cognita jam præcepisse, ut beati Polycarpi ecclesia Electensi monasterio restitueretur; decessoris sui sententiam interim coofirmavit Paschalis, salvo Crassensium, si quod esset, jure, partibusque diem indixit, quo negotio accuratius expenso decretoria taodem seotentia ferri posset. Ad diem adfuere Electenses, *opportuna causa munimina perferentes*: ex Crassensi mooasterio unus dumtaxat adfuit monachus, *nullos testes, nulla munimina repræsentans*, nec alii deinceps, quamvis diutius exspectati ex eo monasterio comparuerunt. Id unum pro se allegare poterant Crassenses, Ermengardam comitissam, cum beati Polycarpi ecclesiam Electeosi monasterio confirmasset, mutato postea consilio, Crassensi contulisse; quod non negabant Electenses: sed ii veteribus insttumentis probabaot dictam ecclesiam sibi a Guillelmundo comite, Caroli, Calvi scilicet, imperatoris tempore collatam, & a Remundo comite, regnante Francorum rege Pbilippo, redditam ac confirmatam, & ab Electensi monasterio possessam semper fuisse, nec ecclesiastici potestate judicii, sed potestatum sæcularium violentia ab eo subtractam. Quibus probationibus cum Crassensis frater verba dumtaxat oppooeret, dicta beati Polycarpi ecclesia Remundo Electensi abbati ejusque successoribus, papæ cardioaliumque sententia, restituta & asserta, & in cellam, sub Electeosium abbatum obedientia & regimine deinceps permansuram redacta. Hæc omnia discimus ex decreto Paschalis II. cui subscribuot Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus, Petrus Portuensis episcopus, Cono Prænestinus episcopus, Petrus Romanæ ecclesiæ cardinalis diaconus, aliique cardinales sex. *Datum apud .... trans-Tiberim per manum Johannis S. R. E. cardinalis diaconi ac bibliothecarii*, IX. *Decembris, indictione* X. a kal. Septembris, *incarnationis dominicæ anno* M C XVI. *pontificatus autem domni Paschalis II. anno* XVIII. Hanc Paschalis sententiam confirmavit Alexander III. anno M C LXII. Paullopost tamen vetus illud sancti Polycarpi monasterium, excusso, ut videtur, Electensis jugo, denuo in abbatiam evasit. Nam anno M C XCVII. Bernardus a S. Ferreolo ex abbate S. Polycarpi electus est abbas Electensis, ut soo loco dicetur. Perstat adhuc San-Polycarpense monasterium, sed sub abbatum sæcularium administratiooe ad tres quatuorve monachos redactum.

[b] ibid. p. 18. & seqq. V. lib. 67. n. 107.

ANN. CHR. 1116

CXXX. S. Johannis de Podio monasterium.

Distulimus ad hunc locum agere de monasterio sancti Johannis de Podio * in Gallicia, diœcesis Compostellanæ, quod a sancto Fructuoso conditum fuisse Yepesius conjicit. Prima ejus mentio occurrit in quadam charta donationis eidem loco factæ ante medium sæculum decimum: at insignior est in diplomate Urracæ reginæ, apud Moralem cum illa charta relato, quo Urraca *Fromarico abbati & omnibus ibidem Deo servientibus* quædam bona eis ablata restitui curavit, ab eis deinceps possidenda, " ut ea priscis temporibus *serenissimi avi Berimundi* seu Veremundi, aliorumque avo- " rum suorum monasterium illud habuerat. ubi *avi* nomine generatim majores suos regina intelligit. Datum est hoc diploma æra M C LIV. quæ huic anno respondet. Huic monasterio proximum erat Castrum-Leonis, ut ex aliis chartis discimus, ubi sanctus Fructuosus monasterium exstruxerat. quod favet Yepesii conjecturæ, censentis, monasterium sancti Johannis de Podio eidem sancto suam debere originem. Illic monachi districte sub regula sancti Benedicti sæculo tertio-decimo degebant sub Johanne *de Muros* abbate, ibidemque refloruit regularis disciplina Carolo V. imperante sub Benedictina congregatione Vallisoletana, quæ illic etiam nunc viget. Abbatum ejus loci catalogum apud Yepesium [a] Centuria v. videre licet.

* S. Jean de Podio ou Poyo.

a Yepes. an 942

CXXXI. S. Ægidii miracula & nova basilica.

In Septimania sancti Ægidii monasterium regebat hoc tempore Hugo abbas, cujus jussu Petrus Guillelmus, ejus loci monachus, ac bibliothecarius librum de miraculis sancti Ægidii composuit sub hac inscriptione, *Reverentissimo patri domno Hugoni abbati monasterii sancti Egidii, quod in valle Flaviana situm est, frater Petrus cognomento Guillelmus, ejusdem loci bibliothecarius, debitum in omnibus ut filius famulatum.* In illis miraculis, quæ partim a se visa, partim ab aliis accepta commemorat, mentionem facit de duobus viris ab interitu servatis, dum nova sancti Ægidii ecclesia ædificaretur. *Dum enim*, inquit auctor, *anno incarnationis dominicæ* M C XVI. *fundamenta basilicæ nova poneremus, quia ecclesia alia minus continens erat, & multitudinem adventantium capere non poterat, subversioni ecclesiarum operam dedimus. Cum autem ecclesiam majorem, quæ cum tribus cryptis, maximis & quadratis lapidibus antiquitus exædificata fuerat, destrueremus, necnon & ecclesiam sancti Petri, quæ octoginta fratres in choro capere poterat, simul cum portico lapidea, quæ ei adhærebat, a parte Septemtrionis & a capite superioris ecclesiæ usque ad extremitatem ecclesiæ sancti Petri in longum protendebatur, in qua fratres ad processionem diebus sollemnibus egredi soliti erant, & antiquitus Via-sacra vocabatur, necnon & ecclesiam sanctæ Mariæ destrueremus; mira virtus omnipotentis Dei patefiebat. Inter tot quippe moles ruinarum & ædificiorum corruentium, beato Egidio interveniente & plebem fidelem defendente, numquam aliquis ingredientium & egredientium ecclesias ipsas, lapidis unius ictu attaminatus est &c.* In alio capitulo refertur sanatio cujusdam Britonis, cui manus arida facta erat, propterea quod die festo sancti Ægidii terram arasset. Id accidisse dicitur *in Britannia citeriori, quæ & Britannia minor dicitur*, ubi *in episcopatu civitatis Namnetis, vicus quidam Bonobria * vocatur*, & est ibi ecclesia in honore beati Martini, in qua fratres monasterii sancti Florentii Salmurensis omnipotenti Deo deserviunt, in qua etiam & habetur altare *in honore beati Egidii constructum.* Hæc ecclesia seu cella corrupte a recentioribus vocatur sancti Martini de Bono-opere, quæ *super fluvium Herdis* sita dicitur in litteris Quiriaci episcopi Namnetensis, qui eam sancto Florentio confirmavit. Denique, ut cetera omittam, in illis sancti Ægidii miraculis unum refertur de quodam Teutonico, ex Ciza civitate oriundo, qui ter suspensus, invocato sancto Ægidio nihil mali passus est. Testis vir honestus, *& per cuncta laudabilis, Guirardus nomine, abbas monasterii sanctæ Mariæ, quod situm est in insula quæ Hedoa dicitur.* Hæc in specimen ex illo libro miraculorum retulisse sufficiat.

* Boneuvre.

CXXXII. Rupertus in Willelmum & Anselmum scribit.

Per id tempus Rupertus in Sigebergensi [b] monasterio degens, scripsit contra Willelmum Catalaunensem & Anselmum seu Ansellum Laudunensem episcopum, qui docebant, quod Deus malum fieri velit, voluntate permittente, non approbante. Adversus duos illos celebres [c] magistros Rupertus primo composuit librum de voluntate Dei, ubi ait se ad illum scribendum compulsum fuisse assertionibus cujusdam e suis, qui ex eorum scholis se accepisse dicebat, quod *Deus malum fieri vult; & quod voluntas Dei fuit, quod Adam prævaricatus est*; idque *non scripturarum auctoritatibus*, sed eorum *nominis magnitudini* innixus; traditamque ab eis hujusmodi divisionem jactaret: *Voluntas mali alia approbans, alia permittens.* quam divisionem Rupertus impugnat hoc dilemmate: Vel voluntas illa permittens bona est vel mala.

b supra n. 63.

c V. supra n. 8.

ANN. CHR. 1116.

Si mala, quomodo approbanti malum opposita? Si bona, quomodo species voluntatis mali? Dein contendit permissionem Dei ex auctoritate scripturarum nihil aliud esse quam patientiam Dei. *Ergo*, inquit, *confidenter dicimus, quia numquam Deus volendo malum fieri permisit, sed sustinendo malos patiens fuit.* Hunc librum scribebat Rupertus Willelmo jam episcopo, adeoque non ante annum M C XIII. quo Willelmus ad sedem Catalaunensem promotus est; sed vivente Anselmo Laudunensi, qui anno M C XVII. decessit. Sic autem eos initio libri alloquitur. *Hac idcirco nunc ad vos scribere incipimus, ô magistri temporibus nostris inclyti, Willelme Cathalaunensis pontifex, & Anselme Laudunensis lucifer: quia de scholis vestris hoc se quidam nostrarum accepisse fatetur, ut diceret, quia Deus malum fieri vult* &c. Ubi ad duos illos magistros perlatus est bic liber, utrumque valde commovit, eorumque discipulos, qui Ruperto imperitiam objiciebant, quippe qui monasterii claustris contentus, tantos magistros, eorumve similes nusquam vidisset. Hos ille in libro primo super quædam capitula regulæ sancti Benedicti refellit, quem librum post suum ex urbe Lauduno reditum scribebat, id est anno M C XVIII.

CXXXIII. Anselmi epistola in Rupertum.

Ruperti libertate offensus Anselmus, epistolam scripsit ad Heribrandum sancti Laurentii abbatem, cujus monachus semper censebatur Rupertus, etiamsi Sigebergæ forte tum degeret. Hæc epistola edita est a nostro Acherio in notis ad Guibertum: sed eam hic exhibere visum est ex codice bibliothecæ sancti Martini Autissiodorensis, ut perspicua sit Anselmi hoc de argumento sententia, in qua fatendum quædam videri tantisper duriora, quæ Rupertum non immerito ad eum impugnandum excitarunt. Sic habet hæc Anselmi epistola:

* Heribrando.

Venerabili abbati de sancto Laurentio H. Anselmus humilis filius Laudunensis ecclesiæ salutem. Videndum est, domine, ne illa quæstio, quæ apud nos sic agitatur, non in sententia, sed in pugnis verborum sit. Rectos sensus discutere virorum est: de rebus litigare puerorum est, qui nonnisi tenuiter intelligunt quæ dicunt vel audiunt. quos arguit apostolus: Nolite effici parvuli sensibus. præcipit autem: Malitia parvuli estote. Hoc non attendentes quidam, maxime inflati nomine scientiæ, sensus patrum ignorantes, languent, ut ait Apostolus, circa quæstiones & pugnas verborum. Sententiæ quidem omnium catholicarum diversæ, sed non adversæ, in unam concurrunt convenientiam. In verbis vero sonant quædam quasi contrarietates & pugnæ in quibus scandalizantur pusilli, exercentur strenui, contendunt superbi, excluduntur probati, qui aliis languentibus dissonantia consonare expedite ostendunt. In hoc genere pugnantium verborum hæc ex scripturis proponuntur: Non vult Deus malum. item, Vult omnia quæ sunt, inter quæ sunt etiam mala; nec aliquid eo invito, vel nolente & coacto. Non vult quidem malum, id est non amat, non gratum habet, non approbat; sed odit, prohibet, damnat. Porro constat Deum fecisse rationabilem creaturam liberæ voluntatis, ut possit mereri; ipsa vero libera voluntas per se non potest vel ad majus dirigi, vel in bono in quo facta est persistere; per se autem potest, si sibi relinquitur, corruere. Præsto est igitur ei divina gratia parata adjuvare, sed non cogere: quod esset libertatem quam dederat tollere. Si ergo ipsa libera voluntas præmonita audit & consentit, ad gratiam dirigitur; si renuit, relinquitur, & sibi relicta corruit. Quis autem Deum neget velle, & sibi consentientem dirigere? Cum enim universæ viæ Domini sint misericordia & veritas: sicut vult Deus quod est misericordia, nihilominus vult quod est justitia. Vult ergo per misericordiam consentientem adjuvare; vult etiam per justitiam relinquere renuentem. quod relinquere dicitur in scripturis in reprobum sensum tradere, indurare, præcipitare. Non enim Deus auctor & incentor est mali; sed dum juste, ut diximus, relinquit, rationalis creatura in reprobum sensum traditur, induratur, præcipitatur. Nemo ergo neget misericordem & justum Deum & velle misereri, & velle indurare, ut ait apostolus: Cui vult miseretur, & quem vult indurat. & Augustinus super illum versiculum; Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Manifestum est Deum in animis hominum operari inclinando voluntates eorum quocumque voluerit, sive ad bonum pro sua misericordia, sive ad malum pro meritis eorum, judicio suo aliquando aperto, aliquando occulto, sed semper justo. Plena est divina pagina hujusmodi locutionibus, quas nullus subitaneus debet sinistre accipere, sed cum diligentia prudenter attendere. Hæc scribere sensui meo ostendendo satis habeo, vestræ autem prudentiæ, quæ hæc & alia novit, perfectius superesse credo.*

CXXXIV. Rupertus scribit librum de Omnipotentia Dei.

Accepta hac epistola, Heribrandus Rupertum sisti voluit coram decano Leodicensis ecclesiæ, aliisque viris doctis, quos illius causæ cognitores adhibuit. Ubi ejus

ANN CHR. 1116.

ejus rationem coram eis reddidisset, approbassetque Rupertus, librum *de Omnipotentia Dei* in eosdem magistros scripsit, cujus principio ait idem sibi accidisse quod Psalmistæ, qui quod obmutuisset, cor suum concaluisse, & dolorem fuisse renovatum dicit. *Pene istud mihi contigisse sentio*, inquit, *ô doctores nostri, & boni auditores Dei, S. & A. qui cum abbate meo H*. coram illustri viro, vestra ecclesia archidiacono & decano H. causa Dei & nostra adfuistis, & injuriam, quam pro veritate sustinui, indoluistis. Locutus enim fueram in lingua mea, libellum scribens* DE VOLUNTATE DEI, *propter temeritatem quarumdam, dicentium, quia vult Deus malum fieri; quodque, ut prævaricaretur Adam, voluntas Dei fuerit: & causa ista nimios contra me tumultus excitavit, quasi defendentium omnipotentiam Dei. Aiunt enim: Si non volente Deo malum fieri, malum nihilo minus factum est, & fit; consequitur quod omnipotens non sit. Omnipotens enim quomodo est, si quod fieri non vult malum, ne fiat avertere non potest? Hac & his similia dicentibus illis, & frementibus in me, obmutui parumper, & humiliatus sum, & silui a bonis.... Igitur & locutus sum, & adhuc loquar in lingua mea, non jam solum, ut in illo libello, de voluntate Dei; sed & de voluntate simul & omnipotentia Dei. Porro & quod præter ea dicunt, id me agere, olimque egisse arrogantia depravatum, & spiritu elationis excitatum; Deo totum committo, qui melius novit occulta cordium.* In hoc itaque libro totus est Rupertus, ut probet, Dei voluntate non fieri malum seu peccatum; nec tamen id ejus omnipotentiæ derogare. quod quidem probat primum argumento petito *ab eximio patre & doctore Augustino*, tum ex scripturis sacris. quæ fusius persequi non est hujus loci. Verum neque hoc libro contentus Rupertus, Anselmum adire constituit, eumque coram disputando refellere, at cum Laudunum pervenisset, Anselmus mortuus erat, ut anno sequenti videbimus.

* Heribrando.

CXXXV. Paschalis litteræ de monialium reformatione.

Per id tempus Reinhardus Halberstadensis præsul, de monasteriorum suæ diœcesis bono ordine sollicitus, puellarum cœnobia, quæ a recto tramire deflexerant, ad meliorem frugem revocare curavit, atque ut id stabile ac diuturnum foret, Paschalis summi pontificis auctoritatem interposuit. Id vero pergratum habuit pontifex, idque litteris suis comprobavit, ad oram chronici Saxonici necdum editi, relatis in hunc modum:

P. episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Reinhardo episcopo Halberstadensi salutem & apostolicam benedictionem. Quædam monasteria monialium audivimus per vestram industriam correcta, ut remotis sæcularis pompæ vanitatibus regulari debeant disciplinæ operam dare. Hanc profecto sollicitudinem tuam laude dignam ducimus, & assertionis nostræ robore confirmamus. Statuimus ergo, ut in locis ipsis monastica semper religio conservetur, nec cuiquam liceat regularem disciplinam ab eisdem monasteriis removere: ut correctionis tuæ gratia perpetuis illic temporibus conservetur. Data Laterani* XIII. *kal. Aprilis.*

* Paschalis.

Ibidem etiam ad marginem ejusdem chronici habetur alia epistola, haud scio an ejusdem Paschalis, de quadam abbatissa, cujus nomen una littera D. exprimitur: quæ cum fuisset per apostolicæ sedis legatum, cooperantibus Moguntino archiepiscopo aliisque episcopis, abjecta & excommunicata, ipsa nihilominus abbatiam denuo invaserat. Quam ob rem pontifex eamdem abbatissam, omnesque, qui ejus *reinvasioni* cooperati fuerant, divini participatione officii & communione interdicit. Hæc prætermittere visum non est, tametsi quænam sint illa monasteria ignoremus.

CXXXVI. Sidestetense monasterium nostris datum.

Sidestetense Austriæ inferioris monasterium, quod ante annos decem pro canonicis regularibus conditum fuerat, hoc anno ab Udalrico seu Udalscalco comite illius fundatore monachis instituti nostri commissum fuisse perhibetur, ipsoque anno ecclesia ab Ulrico episcopo Pataviensi, uterino ejus fratre, in honorem beatæ Mariæ dedicata. Illic postmodum comes Udalricus, deposito militiæ cingulo, monasticæ vitæ se mancipavit: cujus exemplum Rembertus ejus sororis conjux imitatus est. Primus ejus loci abbas e nostris fuit Leopoldus, assumtus e monasterio Gotwicensi, qui gregem sibi creditum annis quatuor & viginti recte gubernavit. Præcipuos ejusdem loci abbates recenset Stengelius, a quo hæc accepimus. Perstat etiam nunc hoc monasterium, cujus iconem idem Stengelius exhibet.

FINIS.

INDEX APPENDICIS SEQUENTIS.

APPENDIX

TOMI QUINTI ANNALIUM BENEDICTINORUM,

Varia diplomata & monumenta complectens.

I.

Ad lib. 63. n. 56.

Placitum de Gisorcio cum monachis de Cruce.

NOVERIT posteritas nostra, Odilonem abbatem S. Leufredi de Cruce calumniasse nobis, videlicet monachis S. Martini Majoris-monasterii, ecclesiam S. Audoëni de Gisorcio, consistentem super fluviolum quemdam nomine Etham, quam olim dederat nobis solutam & quietam miles quidam nomine Hugo de Calvo-monte. De qua calumnia ad hunc tandem finem devenimus in curia Rothomagensis archiepiscopi Johannis, ipso eodem archiepiscopo & Rotgerio de Bello-monte judicibus. Post plurima utrinque verba, tandem guerpivit nobis idem Odilo supradictam ecclesiam solutam & quietam ab omni calumnia sui suorumque monachorum. Nicolaus quoque abbas S. Audoëni ad quem abbatia de Cruce respicit, in eodem loco similiter nobis eam guerpivit, & in capitulo suo hoc ipsum postea coram omni congregatione sua confirmavit. Nos vero propter pacis caritatisque confirmationem dedimus supradicto Odiloni sex libras denariorum. Acta sunt hæc in curia archiepiscopi anno incarnationis Domini M LXX. XIII. calendas Martii, audientibus & videntibus quamplurimis optimatum Normanniæ cum multis aliis quos præsens pagina subnotabit. Et eorum quidem quæ facta sunt in curia archiepiscopi testes sunt ipse archiepiscopus Johannes, Rotbertus comes de Ol, Goterius archidiaconus, Rotbertus archidiaconus, Ricoardus canonicus, Rotgerius de Bello-monte, Hainricus filius ejus, Radulfus camerlarius, Geroldus Senescalcus, Nicolaus de Quirreio, Hugo Borellarius, Radulfus homo archiepiscopi, Nicolaus abbas S. Audoëni, Gislebertus monachus, Rotbertus camerlarius abbatis, Odilo abbas de Cruce, Wismundus monachus, Boso monachus, Orbertus presbyter, Ansquillnus de Autorio, Odo monachus, Garinus monachus, Radulfus monachus, Dacfredus monachus, Ainardus monachus, Herveus famulus. Sequenti die, id est XII calendas Martii, auctoravit nobis ipsam ecclesiam Nicolaus abbas S. Audoëni in capitulo suo, testibus istis, Milone, Erchengerio, Herveo famulo, Johanne famulo, Odone monacho, Garino monacho, Radulfo monacho, Dacfredo monacho, Ainardo monacho, Tetbaldo pagano, Sigeunto. Dehinc quarto die, id est VIIII. calend. Martii, abbas Odilo de Cruce ingressus capitulum suum, clamavit nobis prædictam ecclesiam solutam & quietam, annuente toto capitulo suo. Testibus istis: De suis Guismundo monacho, Eudone monacho, Osberto presbytero: De nostris Herveo, Torestingo Gastinello, Odone monacho, Garino monacho, Dacfredo monacho, Guillelmo monacho.

II.

Chirographum inter Majus-monasterium, & episcopum Rotomagensem & canonicos ejus de loco Gisort.

NOtum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ cultoribus, quod ego Johannes divina ordinante providentia Rotomagensis ecclesiæ episcopus, loco consistenti apud Gisorcium qui vocatur S. Audoënus, quidquid videtur habere ipse de rebus quæ pertinent ad casamentum Rotomagensis ecclesiæ per donationem Hugonis militis de Calvo-monte, mei fidelis, & uxoris ejus Mehildis, de cujus dote est ipse locus, necnon & filiorum suorum Totbaldi, Drogonis, Hugonis, atque Lamberti, totum ex integro concedo & annuo, corroborando ex mea auctoritate, jure perpetuo, possidendum ad usum videlicet monachorum ibidem omnipotenti Deo famulantium, tali coodirione posita, ut ipsa ecclesia recognoscat se dotatam de rebus S Mariæ, in solvendo annuatim tres aureos denarios, termino constituto XVII. calendas Novembris, omnibus episcopis qui pro tempore præerunt prædictæ ecclesiæ. Additis

quoque tribus servitiis quæ reddet per annos singulos monachus qui præerit illi obedientiæ, id est legationem portabit ex parte Rotomagensis ecclesiæ regi Francorum tribus vicibus in anno, inter duos fluvios, Etham videlicet & Hyseram, si necesse fuerit. Additur etiam his aliud quod est maximum, id est ut cum episcopus prædictæ ecclesiæ morte finierit, & hoc certa relatione monachis Majoris-monasterii cognitum fuerit, præcedente sonitu signorum cum modulatione psalmorum pro absolutione animæ illius, sicut monasticus ordo exigit, facient unum trigesimum; ita ut prima missa erit in conventu celebrata, aliæ vero privatæ. De canonicis quoque cum aliquis obierit, & hoc per notitiam brevi monachis compertum fuerit, facto sonitu signorum, tres missæ in conventu celebrabuntur pro illorum animarum salute. Hæc eadem facient canonici pro monachis, reddentes illis vicem media interveniente fraterna caritate. Facta est hæc conventio in capitulo S. Mariæ inter nos & monachos S. Martini, quando accepimus beneficium Majoris-monasterii per manum domni Bartholomæi ipsius loci abbatis; & ipse & monachi ejus similiter a nobis beneficium nostri loci, audientibus & videntibus his quorum nomina subscripta sunt. Domnus Johannes episcopus †, Goterius archidiaconus †, Robertus archidiaconus, Goslenus archidiaconus, Fulco archidiaconus, Ascelinus decanus, Herlecinus, Gotbertus, Ansfredus, Guillelmus Rosto, Landricus Ricardus, Walterius puer, Guillelmus filius Ansfredi, Guillelmus filius decani, Johannes subcantor.

III.

Confirmatio donationis ecclesiæ S. Clementis de Credonio per Rainaldum dominum Credonensem.

Ad lib. 63 n. 60

NOtum sit universis sanctissimæ Dei ecclesiæ fidelibus, præcipueque monachis sanctæ Trinitatis Vindocinensis cœnobii, quod ego Rainaldus filius Roberti Burgundionis, & uxor mea, nomine Ennoguena, filia Roberti de Vitreo, nata de ipsius legali conjuge, filia videlicet Warini naturalis heredis & domini Cred. honoris, confirmamus, & nostra auctoritate corroboramus Domino Deo & loco ejus Vindocinensi donum illud factum de ecclesia sancti Clementis, quæ sita est apud Credonem, quod quidem Gaufredus Andegavorum comes eidem præfato fecerat loco; sic & nos per rectam fidem concedimus integre, sicut ipse dederat, cum universis rebus & reditibus juste ad præfatam ecclesiam pertinentibus, ad supplementum victualium monachorum perpetualiter habendum, deinceps & quiete semper possidendum. Quapropter donaverunt mihi monachi jam facto naturali heredi per susceptionem meæ conjugis, quinquaginta denariorum libras, & uxori meæ septem, ut eis & loco Vindocinensi de præfata ecclesia nostra perpetualiter per rectam, sicut præfatum est, firmaremus auctoritatem. quod quidem & nos ipsi libenter accipientes, ad eamdem ambo venimus ecclesiam, ibique sub Dei testimonio & monachorum, aliorumque virorum fidelium, quorum nomina subscribi fecimus, item, sicut monachi postulaverant, per rectam fidem & sine malo ingenio, donum illud, quod prius Gaufredus Andegavorum comes fecerat, confirmantes, monachis habendum jure perpetuo, & tenendum sine cujusquam calumnia, ac quiete deinceps possidendum super altare sancti Clementis per frustum ligni tradidimus. Atque ut ex cassari nullo modo possit, auctoramentum nostrum in carta conscribi jussimus, & ad sanctam & apostolicam sedem transmittere per quemlibet fidelem, & super altare beati Petri Apostolorum principis imponere decrevimus, atque vero corde spopondimus; quodque in sanctæ Romanæ ecclesiæ scriniis optamus simul & obsecramus ad testimonium perpetualiter reservari, ad honorem videlicet ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ, cujus auctoritate & tuitione locus Vindocinensis sese confidit inter sæculares procellas posse subsistere & quietum fore. S. Rainaldi. S. Eunoguenæ uxoris ejus. Hujus igitur rei testes sunt viri isti qui affuerunt, Salomon filius Ottardi, Hugo abbas, Robertus filius Geraldi, Normannus filius Saludii &c. Datum v. non. Martii. Actum est hoc apud Credonem in monasterio sancti Clementis, anno ab incarnatione Domini M LXX. indict. VIII. regnante Philippo Francorum rege anno XI. & præsulante Eusebio episcopo anno XXII. patrocinante etiam domno Oderico abbate anno XXV.

IV.

Alexander papa recipit in clientelam abbatiam S. Rigaldi, & tribuit facultatem fratribus eligendi abbatem secundum regulam S. Benedicti.

Ad lib. 63 n. 65.

ALexander episcopus servus servorum Dei Congregationi de monasterio S. Rigaldi de Ancisa in perpetuum. Religiosis desideriis ea pietate & benevolentia consulendum atque concedendum est, ut propositum piæ devotionis de fructu suæ provectionis gaudeat, & meritum benignitatis acquirat, quod huic sine difficultate præsidia præstat. Igitur venerabilis frater Eustorgius monasterii S. Austremonii de Alverno monachus, in silva quadam quæ dicitur Adversa, in episcopatu Matisconensi, eremum inhabitaverat, & desertum loci ad usque monasterii & aliquantulæ congregationis fructum, adjutorio divinæ miserationis & pia collatione fidelium animarum excoluerat, apostolatus nostri præsentiam adiens, interveniensibus fratris nostri Aganonis Augustodunensis episcopi precibus suppliciter postulavit, ut idem monasterium in apostolica jura reciperemus, & privilegio apostolicæ tuitionis muniremus: quatenus ille venerabilis locus singulari patrocinio & defensione matris omnium ecclesiarum suffultus & roboratus, & felicior in omni bono crescat; & securior inter humana testamenta consistat. Cujus precibus sine contemtu pietatis & justitiæ effectum non potuimus denegare. Notum ergo sit omnibus fidelibus in perpetuum, quoniam eidem fratri & carissimo

filio nostro Eustorgio suisque fratribus, cunctisque eorum successoribus privilegium nostræ apostolicæ tuitionis concessimus, statuentes & expresse decernentes, ut ipsum monasterium S. Rigaldi de Anceisa, & omnia quæcumque jure habet, aut divina pietas . . . . . . in futurum sibi habenda concesserit, ita sub jure & apostolicæ majestatis protectione consistant, ut nullus imperator, rex, dux, marchio, episcopus, comes, seu abbas, vel aliqua persona sæcularis, aut ecclesiastica, magna vel parva, aut invadere, aut molestare, vel in aliquo inquietare, & a statu suo aliquid conditionaliter inde exigendo turbare præsumat. His etiam addimus, ut nullus in eodem monasterio, nisi per electionem fratrum, juxta regulam sancti Benedicti, abbas constituatur: & episcopus Matisconensis, in cujus parochia est, si gratis, hoc est sine pretio, licet velit facere, electum a fratribus debeat consecrare, & suo regimini cœtu sibi commendare: sin vero pretium exigat pro consecratione, aut aliquo modo canonicam electionem fratrum temptet impedire, ad apostolicam sedem pro ordinando & consecrando abbate suo veniant. Si quis vero citra hujus nostræ constitutionis & confirmationis paginam nefario ausu agere & venire temptaverit, nisi resipiscat, auctoritate apostolorum Petri & Pauli ac nostra excommunicandum, & ab omni consortio fidelium repellendum se esse pertimescat. Qui autem piæ venerationis intuitu observaverit, & hic apostolicæ benedictionis gratiam & consolationem habeat, & æternæ remunerationis præmium Deo donante capiat. Datum Laterani XVI. kal. Aprilis per manus Petri sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis anno X. pontificatus domni Alexandri II. papæ, dominicæ vero incarnationis M L XXI. indictione VIIII.

V.

Electio Hugonis abbatis in abbatem sancti Rigaldi a monachis ejusdem abbatiæ, & confirmata ab archiepiscopo Lugdunensi.

ANno millesimo septuagesimo-secundo incarnationis Domini nostri Jesu-Christi, cum auctoritate & privilegio Alexandri venerabilis papæ sanctæ Romanæ ecclesiæ, ex præcepto quoque domni Drogonis Matiscensis episcopi, qui jam obierat in Christo, & cum adjutorio & assensu canonicorum ipsius ecclesiæ, atque cum magna opitulatione domni Aganonis Æduensis præsulis: Nos humilis grex monachorum degentium in monasterio sancti Rigaldi vocitato, in honore summæ & individuæ Trinitatis, atque sanctæ Dei genitricis Mariæ, necnon & ipsius prædicti confessoris dicato, eligimus nobis unum de prioribus fratribus nostris abbatem nomine Ugonem, a puero sub regula beati Benedicti enutritum, doctrina institutum, natura prudentem, moribus temperatum, vita justum, hominibus affabilem, fide catholicum, litteratum in lege Domini institutum, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum. Hunc itaque quoniam Matisconensi ecclesiæ, in cujus episcopatu degimus, deest episcopus, cuique nos subjici canonice profitemur, cum assensu canonicorum ejusdem domno archiepiscopo Lugdunensis ecclesiæ Umberto offerimus in abbatem consecrandum, optantes nobis eum præesse & prodesse; simulque promittentes ei audientiam juxta beati Benedicti patris nostri institutionem. S. Umberti Lugdunensis archiepiscopi, S. domni Armanni Viennensis archiepiscopi, S. Guichardi Athenacensis abbatis, S. Bladinæ decani, S. Ugonis præcentoris & camerarii, S. Rothaldi archicapellani, S. Pulcherii æditui. Item S. Ugonis Matiscensis decani, S. Anserardi secretarii, S. Rainulfi præcentoris & cancellarii, S. Eudeleni archidiaconi, S. Gausfredi, S. Odonis, S. Stephani.

VI.

Charta donationis villæ Nantulfi Majori-monasterio factæ ab Ebrardo vicecomite Carnotensi. Ad lib. 64. n. 44.

ILlustris quidam Carnotensium vicecomes Ebrardus nomine, audita Domini voce, qua dicit: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Timens ne si ab ista Domini benignissima admonitione se faceret alienum, alienaretur etiam in futuro a regno cælorum, excogitare cœpit, qualiter ad ipsum Dominum propius accederet, ipsiusque servitio se familiarius manciparet. Et quia ad hoc magnum ei faciebant impedimentum, & præsens sæculum, & quæque in eo possidere videbatur, nec facile illi erat adimplere quod volebat: maluit omnia omnino relinquere, quam pro his in perpetuum infernales cruciatus sustinere. Igitur honorem suum & possessiones fratribus suis dereliquit. Reliqua autem quæ in auro & argento habere potuit, pauperibus erogavit, quatinus nihil jam sollicitus de rebus transitoriis, securius & expeditius inhiaret divinis. Inter illa quidem, quæ Domino per manus pauperum suorum condonavit, dedit nobis monachis, videlicet Majoris-monasterii beati Martini, sub regimine nunc agentibus domni abbatis nostri Bartholomæi, anno ab incarnatione Domini M LXXIII. quicquid in dominio habere videbatur in villa illa quæ Nantulfi nuncupatur, quæ in Dunensi territorio consistit, id est medietatem ipsius villæ, & ecclesiam quamdam quæ apud Averdonum sita est. Reliqua vero prædictæ villæ medietas in manu fratris sui Hugonis, scilicet domini de Puteolo castro ad tempus remansit. Non absurde autem videtur hic inserere, quod prædicta villa non solum ipsa ab omni prorsus exactione libera huc usque perseveravit, verum etiam in tantum hujusmodi privilegio omnes ceteras antecellit, ut de proximis circumquaque villis ad judicium calidi ferri portandum, & ad bellum campionum clipeo & baculo faciendum ex antiquitate semper illic accusatores & accusati conveniant, totaque causa ad jus villæ domini deferatur audientiam. Sed ut ad propositum redeamus, domnus Ebrardus nudus & pauper

effectus, patria & parentibus suis derelictis, peregre profectus est. Cumque de peregrioatione illa, in qua multo rempore demorarus est, reverteretur, ad Majus-monasterium habitum inibi moniachorum susceprurus devenit, ubi cum pro quibusdam uxoris suæ impedimentis aliquamdiu in laïcali babitu moraretur, venir ad eum Hugo frater ipsius, qui ei in honorem vicecomitatus successerat : qui cum ab eo plurima saluris suæ monita audisset, compunctus timore divino, immo etiam commotus amore fraterno dedit nobis medietatem illius villæ, cujus alteram medietatem jam supra diximus domnum Ebrardum nobis donasse, & insuper donum ipsius domni Ebrardi auctoritate sua in capitulo nostro nobis libeotissime confirmavit, & de utroque donum super altare beati Martini portavit. Eodem quoque modo gratantissime auctorizavit utriusque donationem Gualerannus dominus de Breulio frater ipsorum. Sed quamvis sic se habeant horum trium fratrum dona & auctoramenta; sciendum tamen, quia non facta sunt omnia uno die, nec in uno loco, nec sub iisdem testibus; sed de singulis quibusque & loca & testes distincte inferius subscribuntur. Primum domni Ebrardi donum factum est apud Blesis castrum in ipsius domo, & affuerunt hi testes, Gualerannus frater ejus, Galterius Normannus, Burdinus Odo, domna Maria, Rogrinus serviens, Girbertus mariscalcus, Guillelmus filius Odonis, Hezdo filius Rainaldi, Odardus de Paliardo, domnus abbas Bartholomæus, Galterius, Adraldus, Rotbertus de Virsonio, Petrus tunc ptior, Isembertus, monachi nostri. Donum & auctoramentum domni Hugoois vicecomitis, fratris domni Ebrardi, factum est apud Majus-monasterium io capitulo, ubi & affueruot hi audientes & videntes. Domnus Ebrardus frater ejus, Adam filius Bernelini, Ansellus filius Arembetti, Robertus filius Beringeri de Aureliano, Ingrannus filius Guarnerii, Hainricus de Pitveris. Et quando misit hujusmodi donum super altare beati Martini, affuerunt Guicherius de Castro-Rainaldi, & Sulpitius de Calmonte, & multi de hominibus eorum. Auctoramentum Gualeranni factum est apud Puteolum, castellum domni Hugonis fratris ipsius, quando domnus abbas Bartholomæus quærebat solutionem inter domnum Ebrardum & uxorem ejus, & affuerunt audientes & videntes qui subnotati suot testes. Oto Borellus, Odo Malæ-herbæ, Simon filius Alberici, Herbertus Eschancus, Herbertus de Tiliaco, Gilduinus frater ejus, Odo. De monachis domnus abbas Bartholomæus, Walterius monachus, Wanilo monachus, Odo monachus, Adraldus monachus bajulus. De hominibus qui cum domno abbate Bartholomæo ierant, Raimbaldus de Columbariis, Odo frater ejus, Frotgerius mariscalcus, Bernardus major, Gausbertus coquus. Sed nec illod est omittendum, quod hoc quoque sub dono supradicto vicecomes Hugo concessit nobis, annuente ibi tunc domno Ebrardo, & apud castrum Puteolum postea Gualeranno fratribus suis, ut quicunque fevati erant, de his quæ ad honorem pertinebant possessionis villæ Nantulfi fevos ipsos, aut aliquid ex eis, si vellent, vel donarent nobis, vel venderent, vel etiam de nobis tenerent. Quicquid ergo hinc fieret, suo nobis firmavit auctoramento.

VII.

Auctoramentum comitis Tetbaldi de villa Nantulfi.

Notum pene omnibus satisque manifestum credimus, Tetbaldum comitem, Franciæ palatinnm, loci istius, Majoris scilicet monasterii, defensorem atque patronum, plurima de rebus suis post mortem patris, ex quo in principatum illius successit, nobis dedisse, & multa dona sive empcones de beneficiis satellitum suorum perpetuo possidenda libentissime annuisse. Cum ergo In dominium S. Martini possessio quædam, nomine villa Nantulfi, sita in pago Dunensi, cum ecclesiæ cujusdam duabus partibus, quæ est in pago Blesiensi, loco qui dicitur Averdonum, devenisset, quod utrumque de casamento illius descendebat, petitionem domni Bartholomæi abbatis, qui forte tunc illum apud Blesium castrum adierat, tam ipse quam filius ejus Stephanus consuetudinaria liberalitate firmissime annuerunt, & uterque signum suum, sicut subtus paret, manibus propriis annotarunt : qui rameo more suo, illo scilicet nobilissimo, nobis quoque per omnia ejus auctoramenta notissimo, a domno abbate satis humiliter & devote petiit, ut pro hoc sibi centum missas a sacerdotibus monachis juberet celebrari. Quam precem domnus abba, utpote qui salurem illius & vitæ longitudinem nobis fore non minus utilem quam illi prævidebar, libentissime suscepit, & audieore Guidone abbate & Guarino præposito, qui forte tunc aderant, se facturum esse promisit. Factum est hoc, sicur diximus, apud castrum Blesium, intra curiam, retro palatium, prope turrem patulo inter caminatas ejusdem palatii sito xv. cal. Maii, die dominico post meridianam, testibus istis Gilduino vicecomite, Herberto de Altri, Alzone Borello, Gaulterio Paneparato, Harduino Ruillo, Bonidomo clerico, Odone Malamusca, Alberto de Vitriaco, Milone de Bello-monte, Raherio de Burgomedio, Archembaldo Pejore-lupo, Johanne filio Amalrici, Ernaldo Aculeo, Hugone præposito, abbate Guidone, Huberto priore, Herberto monacho, Isemberto monacho, Jacobo monacho, Fulberto monacho, Haimerico monacbo, Roberto monacho, Adraldo monacho, Girardo famulo coquo.

Signum Tetbaldi comitis †. Signum Stephani filii ejus †.

VIII.

Breve elogium quatuordecim primorum abbatum Montis-sanctæ-Catharinæ prope Rotomagum, auctore Guillelmo Forestier ejusdem loci monacho, sub annum M CCC IV.

Ad lib. 64. n. 71.

ABBAS I. ISAMBERTUS.

Ex schedis nostris Pomeraii.

Primus cœnobio fuit Isambertus io isto
Abbas, pro certo sic est in codice nostro.
Hic Audoëni primo monachus fuit almi.

Hic probus ac mitis fuerat monachisque fidelis.
Hic abbas dulcis, pius fuit atque humilis.
Regula tunc sancti servata fuit Benedicti;
Fratres in pace servavit hic sine lite,
Et bona constituit monachis in tempore jura.
Uno cœnobii fuit annis atque viginti
Abbas istius, sic est libro titulatus.
In crypta sanctæ jacuit primo Katerinæ:
Ad magnum templum fuit ejus postea latum
Abbatis corpus in primi tempore cautus.
Tam breve, tam juste, caste, tam vixit honeste,
Esse virum sanctum quod certe credimus illum.
Per bona, per merita quæ fecit tempore vitæ,
Esse coronatus cum sanctis est reputatus.

ABBAS II. RAYNERIUS.

Abbas Raynerius ista fuit æde secundus;
Libris cœnobii bene possunt ista videri.
Primo Raynerius altus majorque decanus
Rotomagi magna constitit ecclesia.
Tunc petiit sanctæ monachus fieri Katerinæ,
Etsi majorem probus hic dimisit honorem.
Dum fuit hic monachus inter fratres quasi primus
Semper vivebat, dominari nec cupiebat.
Post Isambertum quem credimus esse beatum,
Hic fuit electus abbas, & tam cito factus.
Clericus excellens fuit, hic multum quoque prudens,
Grammata noscebat, leges. divina sciebat.
Hic sermocinium nitebatur cum grege fratrum
Multotiens agere, vel quasi quotidie.
Carnem jejuniis maceravit tempore multo.
Semper vixit ita simplex sicut eremita.
Quatuor ille loci fuit abbas atque viginti.
Ille fuit positus in capituloque sepultus:
Cum sanctis anima sua cælis sit comitata.

ABBAS III. GALTERUS.

Quidam Galterus fuit abbas tertius hujus
Cœnobique domus, Caleto fuit hic homo natus,
Vandregisili monachus fuit ille beati
Et cantor, sanctæ misit hunc Deus Katerinæ:
Nam fuit hic justus, humilis, prudensque, pudicus,
Sobrius, & castus, sapiens, mirisque, modestus,
Templo devotus, ad fratrum jura paratus,
Ecclesiam magnam nostram fecit quasi totam,
Introitus fecit, cancellos claustraque crevit.
Quadraginta vel plus annos loca nostra
Ille gubernavit, conventum semper amavit.
Hic fecit tantum libraras tempore centum,
Quas per quinque vices hic emit reddituales,
Prædia tam sanctæque domos crevit Katerinæ:
Tam nos dilexit, nobis tot bona fecit,
Pro se conventus est Christum poscere tentus.
Templi sub tumba jacet hic in parte sinistra.
Fecit plura bona, ô Domine, illi gaudia dona.

ABBAS IV. HELIAS.

Quartus in hoc abbas tecto permansit Helias,
Libro testante qui nobis scribitur inde.
Primo conventus prior extiterat bene summus;
Et quia conventus vitam noscebat & actus,
Illum dilexit melius quo tempore vixit.
Illi nulla re voluit contrarius esse,
Regula talis sit nobis, quantumque prior sit.
Conventus pœnæque laboris totius ille
Dicitur esse prior, in cunctis participator.
Abbas cœnobio tres sex permansit & uno
Annis, sic nostri declarat littera libri.
Ille jacet navi, jussit hic hoc fieri.

ABBAS V. GALTERUS.

Post hæc Galterus abbas quintus fuit hujus
Cœnobiique domus; sit ab hoc formidine nullus.
Quatuor hic tecti fuit annis atque viginti.
Hujus per librum reperimus sic fere factum.
Hic in capitulo ponitur in tumulo.
Qui fecit cælos, a pœnis eruat illos.

ABBAS VI. DROCO.

Dum nostris legimus in libris, nos reperimus,
Quod noster sextus fuit abbas Droco vocatus.
De Cadomo Stephani monachus primo fuit almi,
Nosque locum semper bene rexit sufficienter,
Fratres dilexit, Katerinæ commoda fecit.
Abbas octo bis & sex nobis fuit annis.
Hic abbas positus, nam fuit atque sepultus.
Illic sub tumba fuit corpus ejus & ossa.
Quando defunctus fuit, abbas extitit actus
Becci. Guillelmus qui fuerat monachus,
Qui non decessit abbas, immo resinavit,
Unice per merita littera dicit ita.

ABBAS VII. ROGERUS.

Abbas cœnobio Rogerus septimus isto
Exstitit, hoc scripta testificantur ita.
Tectum temporibus in pace satis fuit ejus.
Pacifice tenuit bene, fratres & bene rexit.
Cum sanctis Christi requiescat luce perenni.

ABBAS VIII. ADAM.

Quando Radulphus resinavit, constitit unus
Tunc abbas qui dictus Adam, Bacon erat ortus
Ex Hardinvilla, fuit ecclesiæ sibi cura.
Illius villæ fuerat jam presbyter ille.
Hic abbas uno Katerinæ constitit anno
Cœnobii sanctæ, scripturæ testificantur.
Post Audoëni fuit abbas ille beati,
Ac ibidem solùm fuit abbas ille per annum.
Mundus non placuit, sed sponte sua resinavit;
Devote sanctam remeavit hic ad Katerinam,
Abbas unde prius extitit & monachus.
Mundi despiciens, ad cæli gaudia tendens,
Ille rogavit ibi corpus ponique recludi.
Abbas Guillelmus erat illo tempore nonus,
Cujus consensum super hoc habuit quoque fratrum.
Recluso positus, gaudens ex orbe remotus
Esse, nimis duram cœpit traducere vitam,
Martyrium forte sustinuitque grave.

ABBAS IX. GUILLELMUS VASTEL.

Vastel Guillelmus fuit abbas ordine nonus:
Sat tenuit semper nos vota sufficienter.
Celarium pulchrum, majorem fecit & aulam;
Fecit cœnobii muros ex parte parari,
Atque novos fieri: per eum sanctique Boniti
Argento theca fuit ex auro cooperta.
Pastor cœnobii fuit annis ille viginti

Inde tribus demptis, reperimus nos ita scriptis.
Virginis in sanctæ festoque die Katerinæ
Officium fecit, magnam missam celebravit.
Hic tenuit plures magnas ad prandia gentes,
Et bibit & comedit, multum læte sibi fecit.
Illos post esus hic conduxit quasi sanus
Post reditum cameras ridens intravit hic abbas;
Morte repentina cecidit mox ille cathedra,
Ante cubile suum mors subitavit eum.
Gentes quæ cum se fuerant, tristes rediere,
Flentes pro morte, nimis a casu stupefactæ.
Hic ubi quotidie cantatur missa Mariæ,
Ponitur atque jacet, animæ Christus requiem det.

Abbas X.

Soto-villæ denus abbas noster fuit ortus.
Atrox, crudelis fuit is, sed corde fidelis;
Et tamen iste locus fuit ejus tempore plenus
Divitiis & equis, potibus atque cibis.
Vivus erat dives, post mortem nos locupletes
Dimisit, gazis & loca plena nimis.
Condidit hic aulam simul & grangiam prope portam,
Atque refectorium reparavit tempore multum,
Et per eum sanctus Vincentius est celebratus
Cappis nobiliter, sic est usus modo noster;
Octavas vere sanctum præcepit habere,
De vini modio fieri pirancia festo
Et quadraginta solidis debet quia vita
Abbas emit ea nobis, nam scivimus ita.
Ecclesiam cappis, casulis ornavit & albis.
Coodidit ille cruces . . . . nobiliores
Argentique crucem fecit pernobilitatam
Ornari gemmis, clavis multum pretiosis,
Et calices multo decorans condidit auro.
Fecit vas ubi sunt, & sanctorum requiescunt
Reliquiæ caris & resplendentibus auris.
Ille tegi pariter tempore nobiliter
Templi majora fecit fieri duo signa,
Quæ fere pulsata debent ad maxima festa.
Cœnobiique viros hic cum sex octo per annos
Rexit, scriptura testificatur ita.
Illius in navi corpus jacet. hic paradisi
In sedibus sedeat, gaudia possideat.

Obiit 1261.

Abbas XI. Robertus.

De plano nemore Robertus singula more
Mente prior pura servavit tempore jura.
Abbas undecimus loca rexit nostra Robertus,
Temporibus nostrum qui fecit nobile claustrum.
Infirmitorium fuit ejus tempore factum,
Ille super portam condidit atque casam.
Prædia de monte bonus abbas condidit ille;
Muros & portas condidit & cameras,
Temporibusque suis hic redditibus loca multis
Abbas ditavit, terras, census satis emit
Nummos, gallinas, cappones emit hic abbas.
Hic obitum nostri fundatoris celebrari
Ut festum cappis sic præcepit fore nobis.
Cœnobio nostros reliquo de tempore totos
Præcepit fieri sotulares & reparari.
Antea sutores faciebant Rotomagenses;
Sutorem proprium jussit habere domum.
Hic manifestavit, & fratribus hic bene dixit,
Quod quadraginta monachos sanctæ domus ista
Debet de jure Katerinæ semper habere.
De parco quercus & fagos ille Robertus
Condidit evelli pomis pirisque repleri
Ac multis aliis arboribus validis
Robertus multum decoravit tempore parcum.
Nobis proficiunt fructus qui nunc ibi crescunt.
Quatuor & quinque fuit annis pastor in æde.
Hac Robertus ita testatur littera nostra.
Ille suum navi corpus jussit sepeliri.
Cum sanctis Christi sibi detur gloria cæli.

Obiit 1271.

Abbas XII. Richardus.

Abbas Richardus fuit numero duodenus.
Nam sic per scriptum nobis est testificatum.
His fuit ille locis abbas bis quatuor annis:
Capella sancti tumulatur Bartholomæi.

Abbas XIII. Johannes.

Quando forestarius Willelmus, qui fuit ortus,
Et venit sancti de villa Vandregisili,
Hunc librum fecit, descripsit, versificavit,
De Cantu-piæ Johannes erat Katerinæ
Abbas tredecimus tunc sanctæ; nos bene scimus.
Dum fuit hic abbas Johannes, tam cito sylvas
Nostras de Grouchy commisit venditioni.
Turbavit valde coovenrum venditione.
Hic fuit a suibus & porcellis maledictus:
Fructibus ex horum poterant per quemlibet annum
Sex decies porci vel plus fieri bene crassi.
Anno milleno trecenteno quoque primo
Quatuor auratos venundedit octoque pannos
Ecclesiæ sanctæ de thesauro Katerinæ.
Ex hoc conventum non petiit licitum:
Hinc suscepit tres & sexaginta Johannes
Libras, & libram thuris suscepit hic unam.
Jura domus dextra sua perdidit intus & extra:
Devastare bona fuit huic sapientia prona.
Gazæ thesaurum proli donavit & aurum,
Cum tenuit fortis gravis hunc angustia mortis.
Quidquid habebat, ei placuit dare progeniei.
Librarum mille plus debita desiit ille.
Abbas tredecimus fuit in numero, reperimus.
Ante suum funus numerantur bis sex & unus.
In dextra cruce de templo parva jacet æde.
Vermibus esca datur. quod promeruit patiatur.

Abbas XIV. Willelmus.

Anno milleno trecenteno quoque quarto,
Tunc quartus-decimus fuit abbas, nomine dictus
Domnus Willelmus, multis prior ante diebus.
Constituit fieri festum sancti Benedicti
Nobis in cappis, quod mense solet fore Martis,
Tempore de veteri solet in tribus hoc venerari.
Ille dedit nobis indicta luce decem bis
Ad piscem solidos prior ex tunc emerat illos;
Et sic donandos jussit per quoslibet annos,
Abbas Willelmus prædictus constituit plus
Sancti devote Benedicti tactus amore,
Quod re quotidie memoratio condita læte
Cum cantu nostro conventu de Benedicto,
Quæ solet ex usu fieri tacite sine cantu.
Ille prior mitis, humilis fuit atque fidelis;
Hic abbas talis, nec ob hoc ascendit in altis:
Nomine prælati numquam voluit dominari.

Sunt

Sunt monachi plures, quando veniunt ad honores,
Qui cupiunt socios suppeditare suos.

IX.

Ad lib. 64. n. 80.

Definitio concilii Burdegalensis & procerum Aquitaniæ super ecclesia de Soliaco, quæ sanctæ Crucis Burdegalensi cœnobio attribuitur.

Ex cartulario S. Crucis Burdeg.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Ego Amatus, S. R. E. legatus, Ellorensiumque humilis episcopus, jussu ac vice domini domni PP. Gregorii VII. ob ecclesiarum Dei correctionem in Aquitaniæ partes directus, omnibus fidelibus præsentibus & futuris. Per hoc privilegium nostræ auctoritatis notum fieri volo, quod controversiæ illi & altercationi, quæ inter Arnaldum-Trencardi abbatem sanctæ Crucis, & Arnaudum abbatem sancti Severi, & monachos utriusque congregationis, super ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco diutius agitata, & usque ad prædictam sedem apostolicam fuerat perlata, in synodo, quam cum confratre nostro Hugone, S. R. E. legato, Diensiumque venerabili episcopo, apud Burdegalensem celebravimus urbem, quantum in nobis, vel potius quantum in ipsa fuit justitia, certum tandem & canonicum imposuimus finem. Cum enim in prædicta synodo, convocatis archiepiscopis, Gocilino scilicet Burdegalensi & Willelmo Ausciensi, Radulfo quoque Turonensi, necnon & Dolensi, cum eorum suffraganeis coëpiscopis & abbatibus, simulque aliis religiosis personis tam clericorum quam laicorum, resideremus, atque Domino nostro Jesu-Christo cooperante, & sermones concilii confirmante, de multis utilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ profuturis pertractando decerneremus, ad dandam definitionem canonicam super controversia, quæ erat inter supra memoratos abbates de prædicta ecclesia sanctæ Mariæ, penultimum concilii indiximus diem. Die igitur determinata instante, utrique supra nominati abbates, cum advocatis & ratiocinationibus suis, in concilio astiterunt, & prout quisque melius potuit, causam suam licenter enarraverunt, & enarrando peroraverunt. Clamoribus itaque & tenoribus utriusque partis, omnibusque eorum rationibus a concilio diligenter auditis, ac subtiliter pertractatis; ad ultimum, ut per omnem modum satisfieret importunæ invasioni Arnaldi abbatis sancti Severi, & ut perpetuum silentium ipsi & omnibus successoribus, & super ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco canonica censura imponeretur, ex decreto concilii juravit Arnaldus-Trencardi, abbas sanctæ Crucis, sexta manu monachorum suorum, ante nos in medio & in conspectu concilii, illud idem sacramentum sive juramentum, de veritate scilicet privilegii sui, quod domnus PP. Alexander jam diu ante decreverat Romæ debere ante se jurari ab ipso Arnaldo-Trencardi, tertia tantum manu monachorum suorum, Gregorio abbati sancti Severi. Omnium etenim fidelium posteritati notificare volumus, quod multis testificationibus canonicis in ipso concilio Burdegalensi coram nobis approbatum fuit, Gregorium abbatem, antecessorem Arnaldi abbatis sancti Severi, usque adeo legibus canonicis jam ante convictum fuisse Romæ ante domnum papam Alexandrum pro injuria quam faciebat Arnaldo abbati sanctæ Crucis de ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco, quod ipse abbas Gregorius ipsam ecclesiam sanctæ Mariæ de Solaco in manu ipsius domni papæ Alexandri dimisit, & in manu ejusdem in ipsam ecclesiam se ulterius non invasurum promisit. Subinde ipse domnus papa Alexander ipsum Arnaldum-Trencardi abbatem S. Crucis de ipsa ecclesia S. Mariæ de Solaco revestivit, & nos in ipso concilio revestivimus, & ab omnibus successoribus suis jure perpetuo cum omnibus ad se pertinentibus possidendam canonum censura decrevimus. Ut autem hæc concilii definitio firma semper & illibata per succedentia maneat tempora, hoc privilegium nostræ auctoritatis scribi præcepimus, & sigilli nostri impressione signari jussimus. Actum & definitum in concilio Burdegalensi in ipsa matre ecclesia in honore beatorum apostolorum Andreæ & Jacobi constructa, anno M LXXVIIII. ab incarnatione Domini, indictione II. concurrens I. epacta XV. IIII. idus Octobris, anno vero pontificatus domni papæ Gregorii VII. sexto, adstante & confirmante Guillelmo nobilissimo Aquitanorum duce & comite Vasconiæ cum suis principibus.

X.

Ad lib. 64. n. 106.

Monasterium novum apud Pictavos Hugoni abbati Cluniacensi commissum.

Ex veteri membrana.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu-Christi, Guillelmus dux Aquitanorum Wasconum. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem sibi famulantes beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Dominum æternæ remunerationis rependi non diffidimus; idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum solertia, quia nos Hugonem venerabilem abbatem ex monasterio sanctorum apostolorum Petri & Pauli Cluniacensi, ubi eorum memoria digne recolitur, una cum congregatione ibidem Deo famulante, nec non successoribus eorum concedo monasterium, quod facio ædificare juxta civitatis sedem Pictavum cum ipsis constructis, quas ad præsens licitum mihi non est dissolvere; sed Dei auxilio gubernante futuro adveniente temporis spatio opportune vel decenter concessurum me adfirmo; & cum expleverim omnia, ita ut abbas & congregatio regulariter & honeste vivere possint, supra dictus abbas Hugo regulariter secundum præceptum Domini & sancti Benedicti abbatem ordinet cum monachorum catervis ob redemtionem animæ meæ & parentum meorum, omniumque fidelium. Quapropter volumus, & per hoc nostræ auctoritatis decrevimus præceptum atque jubemus, ut nullus judex publicus, vel quilibet ex judiciaria potestate in ecclesias aut loca vel agros, seu aliquas possef-

siones memorati monasterii, quas moderno tempore infra ditionem imperii nostri juste & rationabiliter possidet, vel quæque deinceps in jure ipsius monasterii voluerit divina pietas augeri, ad causas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut paratas faciendas, vel mansiones, aut fidejussores colendos, aut homines ejusdem monasterii, tam ingenuos, quam servos super terram ipsius commanentes distringendos, nec ullas redhibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra commemorata sunt penitus exigere præsumat; sed liceat memorato abbati, suisque successoribus res prædicti monasterii sub immunitatis nostræ deffensione, quieto ordine possidere; & quidquid exinde fiscus sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione præfato monasterio concedimus, ut in alimoniam pauperum & stipendia monachorum ibidem Deo famulantium proficiat perennibus in augmentis. Hæc vero immunitatis nostræ auctoritas, ut per diuturna tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, & ut a fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris verius certiusque credatur & diligentius conservetur, manu propria firmavimus anno M LXXVI. præsidente domino Gregorio Romanæ sedis papa, regnante Philippo rege Fancorum.

XI.

Ad lib. 64. n. 132.

Epistola clericorum Cameracensium ad Remenses in gratiam uxorum suarum, quibus nuntium remittere detrectabant.

Ex ms. cod. olim Petaviano, nunc Ottoboniano.

SAnctæ matri ecclesiæ Remensi, omnibusque ipsius diœcesis attitulatis, Cameracenses fratres in tuenda publica clericorum libertate esse efficaces. Insusitati diu decreti noviter intonante procella non minus aliis conturbati, & finitimorum litteris probabilibus ad resistendum iovitati nos Cameracenses, quibus pro experimento credendum est, non fuimus pigri vobis rescribere, & in his de oppressione nostra quæcumque ut digna videbantur memoria interserere. Hactenus, fratres carissimi, in clericali ordine quo vivimus, maximus vigebat honor & reverentia, & clericorum nomen, tamquam in sorte Dei attributum, ceteris insignius dignitate præibat & gratia. Nuoc autem facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & derisum his qui in circuitu nostro sunt, nisi ad ea quæ prætenduntur vestra nostraque sollerter invigilaverit industria. Siquidem Romanorum, ut audistis, importunitas tanta tamque vehemens nobis incubuit, ut nihil jam intactum, nihilque relinquat intentatum: præsertim cum etiam de imminutione regiæ majestatis agere audeant, metropolitanos vero excommunicare, episcopos autem quoslibet deponere, quoslibet sublimare præsumant sub specie religionis, cum potius sit ambitionis, crebra indicentes concilia, & peregrina inserentes nobis judicia. Et hoc totum per quosdam impostores, quibus omnia cum pretio, & quorum dextera semper repleta est muneribus; HUGONEM videlicet Lingonensem, cujus vita & mores satis omnibus innotuerunt; HUGONEM quoque Diensem, ut dicunt, episcopum, cujus præter nomen nulla nobis est cognitio. Fertur etiam eos interminando hoc addidisse, ne quis in ecclesia duplici potiatur honore, & una tantum quisque contentus vivat præbenda; cum vix duabus aut tribus possit provenire necessariorum sufficientia. Inter hæc, carissimi, verecundiæ nostræ nihil ab illis parcitum, ubi clericorum filiis ut ordinari debeant penitus interdicitur: cum beatus dicat Augustinus: Undecumque nascantur homines, si vitia parentum non sectantur, & recte Deum colunt, honesti sunt, & salvi erunt. Et beatus Isidorus: Quicumque fidem Domini promerentur, nullis maculis carnalis nativitatis obfuscantur. Adhuc eadem sententia, quæ prius de conjugatis sacerdotibus fuerat ventilata, nunc etiam in omni ordine clericorum ab illis decernitur: cum regula nostra hoc habeat, ut unius matrimonii clericus traderetur vinculo, qui se continentiæ non devoverit titulo; cum etiam Paphnutius de hoc eodem ita intulerit in Nicæna synodo. Synodus enim ipsa corrigere volens hominum vitam in ecclesiis commorantium, posuit leges quas canones appellamus, in quorum tractatu videbatur aliquis introducere legem, ut episcopi & presbyteri, diaconi & subdiaconi cum conjugibus non dormirent, quas ante consecrationem duxerant. Surgens autem in medio Paphnutius confessor, ad cujus intuitum omnium pendebat sententia, contradixit, honorabiles confessus nuptias, & castum esse dicens concubitum cum propria conjuge sua; sicque concilio, ne talem ponerent legem, gravem asserens causam, quæ aut ipsis aut eorum jugalibus occasio fornicationis exsisteret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptias inexpertus exposuit, synodusque ejus laudavit sententiam, & nihil ex hac parte sancivit; sed hoc in uniuscujusque voluntate, non necessitate, dimisit. Reperitur autem in tripertita historia cap. 2. libri XIIII. Quidquid autem in talibus agitur, a quibusdam adinventum dicitur atque suggestum, qui totius catholicæ religionis, Eucharistiæ videlicet atque baptismi, confessionis & pœnitentiæ, quæ pro nihilo ducunt, destruere machinantur sacramentum. Et quia absolute nec libera voce audent vel contradicere, sub prætextu religionis ac dolosa imagine sanctitatis quærunt pervertere, credentes suæ pravitati aliquid inde lucrari. In quibusdam Italiæ partibus cognovimus actum, ubi pro hujusmodi voto jam.... divinæ religionis penitus non agitur mysterium. Qui etiam ideo abominari dicuntur conjugium, quia irreverenter & impie operantur quod abominabile est & nefarium. Pastores autem nostri, tamquam Romanæ auctoritati appareant obedientes, his & talibus aurem accommodant libenter. Gravia onera nobis imponere satagunt, & dum sibi quisque timet, in contumeliam nostri nominis gratanter consentiunt; & quasi honeste & irreprehensibiliter vivant, consuetudinibus nostris contraire non desinunt: a quorum fructibus si perpendantur conversatio & vita; aut

nulla, aut vix aliqua invenientur bona opera. Quorum adstipulationi episcopus noster consciens, nos intolerabiliter aggressus ad imponendum prædictum onus cervici nostræ, multus ac vehemens nuper incubuit: quia & clericos conjugatos chorum intrare & ministrare, & eorum filios ad sacros ordines provehi inhibuit. Cujus impositionis articulo nobis admodum oppressis, ne id ageret humiliter orantibus; & ne præter consensum metropolitani aliquid decerneret canonice suggillantibus, & ipsius ejusdem ecclesiæ metropolitani nostri audientiam appellantibus, ab intentione tamen sua neutiquam devocari potuit. Cujus rationis nulla alia auctoritate subnixa est responsio, nisi quod ab Hugone Diensi impositum sibi [mandatum] transgredi non auderet, a quo ei exhibita est benedictio. In his igitur quæ prælibata sunt, & nostri nominis intolerabilem injuriam consideramus, & apud laïcos, quibus futuri sumus in sibilum, maxime perhorrescere oportet infamiam: quantoque apud majores nostros constat esse inauditum, tanto nobis videtur indecens atque inhonestum. Quod si viri estis, si viriliter agere vultis, parvi pendenda sunt hujusmodi concilia, quæ tot & tanta nobis invehunt opprobria, contra illud sanctissimi viri Hieronymi, ubi ait: Absit ut aliquid sinistrum de clericis loquar. Nobis autem hæc est immutabilis sententia. Consuetudinem hactenus nostram, religiosorum patrum æquanimitate sapienter indultam, inconvulsam tenere: neque inusitatis & periculosis traditionibus in aliquo consentire. Audito itaque & nostræ deliberationis efficaci proposito, & quid periculi, quidve ignominiæ in tali, nisi resistamus, nos sequatur in negotio; scire a vobis volumus per litteras, quæ sit erga hujusmodi animi vestri sententia, maxime obsecrantes ut circa eamdem providentiam mutuo vestra excubet vigilantia, & super his vestra habeamus solatia. Valete.

XII.

De libertate Beccensis monasterii.

Ad lib. 65. n. 40. & lib. 67 n. 48. lib. 68 n. 89.

Operæ pretium puto mandare litteris, his qui sunt, & qui futuri sunt post nos, quo ordine & qua libertate Beccensis ecclesia constet ab initio. Neque enim videtur absque culpa esse, si per negligentiam scribendi ea, quæ acta sunt præteritis temporibus, aliqua perturbatio evenerit Beccensi ecclesiæ quoquo modo aliquo tempore. Plurimum enim valere solet notitia præteritorum.

Igitur fundatio Beccensis ecclesiæ constat initium habuisse a quodam militari converso, nomine Herluino. Hic in proprio patrimonio istud Beccense cœnobium construxit Dei voluntate & adjutorio, suoque labore & studio. De hoc enim est necesse ut plura loquamur; quia & vita & actus illius optime perscripta tenentur. Tamen quantum ad rem, quam in manibus habemus, pertinet, breviter dicemus. Hic enim cum jam quadraginta annos decessisset ætatis, & omnino sæculum deseruisset, a nobili quodam episcopo Normanniæ, qui ducibus terræ illius propinquus extabat, nomine Herberto, sacrum habitum monachi accepit, & non post multum tempus sacerdos & abbas est constitutus his, qui ei adhærebant, quamvis pauci admodum essent. Si quæritur quare eum ordinaverit, cum de illius parochia non esset; ideo id factum est, quia tunc ecclesia Rotomagensis absque pastore erat, & idem episcopus, utpote propinquus ducis Roberti, quæque volebat, sine contradictione faciebat. Hic venerabilis abbas Herluinus nulli umquam hominium fecit de rebus ecclesiæ suæ: quia de patrimonio proprio pæne omnia possidebat, & cetera de eleemosynis baronum terræ illius. Professionem alicui episcopo numquam fecit, quia mos non erat, ut aliquis abbas professionem faceret alieno episcopo.

Hic vir nobilis genere & moribus postquam decessit, monachi illius, qui jam cœperant adolescere in bonitate & religione, prudentiam pastoris amissi retinentes, cautis consiliis in omnibus se providentes, Deo se primum commendaverunt, orationibus & jejuniis obnixe pietatem illius postulantes, ut dignum pastorem eis proponere dignaretur. Quorum orationes Deus non distulit adimplere. nam peractis orationibus & jejuniis, communi consensu elegerunt sibi in abbatem ejusdem ecclesiæ priorem, nomine Anselmum, qui jam tenuerat prioratum pæne xv. annis. Hoc fecerunt absque ulla indictione & ulla permissione alicujus ecclesiasticæ personæ. Electione peracta, innotuerunt hoc, scilicet suam electionem principi Willelmo, quam ipse non refutavit. Sed concessionem atque donationem distulit usque dum veniret Brionio, quo in proximo erat venturus. Qui cum illuc venisset, misit tres ex optimatibus suis ad ecclesiam, scilicet Rogerium comitem, & Willelmum de Britolio, & Rogerium de Bello-monte, ut scirent & renuntiarent si communiter in electionem sui prioris concordarent. Qui pergentes & quæ imperata fecerant peragentes, reversi sunt ad dominum suum læti & hilares. Dux autem cognovit per hos communem voluntatem conventus, & humilem illorum petitionem; gavisus est valde, atque iisdem baronibus jussit, ut ei deducerent virum cum aliquantis fratribus. Qui venientes ad cœnobium jussa principis patefecerunt. Ille vero electus hoc audiens, nimium reluctari cœpit, sicut supra fecerat in electione prioratus, ut in vita illius pleniter describitur. Tandem humilibus precibus monachorum victus, ivit ad curiam cum aliquantis fratribus. Princeps vero Willelmus cum honore & gaudio suscepit eum, abbatiamque ei tradidit donatione baculi pastoralis, sicut mos erat illius regionis, nec ab eo requisivit ullum hominium. Deinde jussit cuidam episcopo, qui præsens aderat, ut eum Beccum reduceret, & in statione abbatis cum honore poneret. Sed Anselmus nullo modo consensit, ut baculum portaret, nec aliquid agere voluit, nisi quantum in prioratu faciebat. Quapropter monachi acceleraverunt negotium, ut benediceretur. Sed quia ecclesia Rotomagensis tunc exstabat absque pastore, jussu

principis GISLEBERTUS Ebroïcensis episcopus peregit hoc opus in ipsa Beccensi ecclesia absque ulla mentione professionis VIII. kalendas Martias.

Hujus venerabilis patris ANSELMI temporibus, ROBERTUS comes Mellenti sua astutia obtinuit apud ducem Normanniæ ROBERTUM castrum Brionnense in dominio suo, quod hactenus fecerat dominium ducibus Normanniæ. Qui compos voti sui, voluit Beccense cœnobium sub suo dominio possidere, eo quod idem cœnobium in fisco Brionnensis castri constat ædificatum. Tunc primum, ut astutus homo, privatim autem patris ANSELMI per nuntios expetiit, rogans & quasi supplex exorans, ut hoc concederet, promittens multas augmentationes ecclesiæ de suis rebus, maximeque in eodem castro. Quibus pater ANSELMUS respondit, Hoc non est meum concedere: abbatia ista non est mea, sed domini principis Normanniæ, quod illi placuerit, erit. Illi e contra: Concessum principis facile assequi sperat dominus noster, sed voluntatem vestram inde vult scire, & assensum vestrum inde habere. Et abbas: Ego per me de hac re nihil possum facere. dico autem vobis, quod difficilem rem, ut æstimo, elaborat dominus comes. Et legati: Quomodo? Abbas statim edisserit causas. quibus finitis, sine ulla controversia reversi sunt legati ad dominum suum. Comes audiens responsum ANSELMI, obstupuit ad prudentiam viri. Cumque hæc ad notitiam monachorum venissent, veluti destructionem totius ecclesiæ audissent, exhorruerunt, & mature consilium inierunt quidnam contra agerent. Et facillime reperto, ducem ROBERTUM festinanter adierunt, eique causam intimaverunt pro qua venerant. Cumque dux hæc audisset, ira commotus magna voce dixit: Per mirabilia Dei quid est hoc? quæ insania est quam audio? Vult comes Mellenti mihi auferre meam abbatiam, illam utique quam super omnes diligo, vult iste traditor mihi subtrahere? Per mirabilia Dei de dono, quod ei feci, non diu gaudebit. Tunc forte supervenerunt WILLELMUS CRISPINUS, & WILLELMUS de Britolio & ROGERIUS de Benefacta, qui cum causam scissent, magna indignatione commoti, magnis vocibus & terribilibus juramentis protestati sunt, quicquid sui parentes ecclesiæ Becci dederant, se auferre, si comes Mellenti cœnobium Beccense in suo dominio quoquo modo haberet; simulque ducem vehementer increpavere, quod clavem suæ provinciæ homini infideli tradidisset. Quid plura? Monachi, petita licentia, redierunt, ducis & principum promissionibus firmati. Post paucos dies comes Mellenti, nesciens quid monachi fecissent, cum paucis venit Beccum, volens per semetipsum animum patris ANSELMI tentare de re supradicta; cujus adventum monachi agnoscentes, cum vehementi furore, quasi ad destructionem loci venisset, præsto ei adfuerunt, scilicet FARMANNUS celerarius, EUSTACHIUS, ALBERTUS, ROBERTUS, quem tamen moderata voce interrogaverunt, qua causa venisset. Comes e contra affectuosis verbis, ut mos erat ei, cœpit loqui. Monachi magna indignatione ad hæc permoti, vehementer contra eum, argutis versutiis vilipendentes personam ejus in hac parte, respondere cœperunt. Cumque utrique pro hac causa vehementer inter se contenderent, pater ANSELMUS supervenit, opponensque se medium inter utrosque compescuit. Deinde sedens dixit comiti inter cetera: Domine comes, hanc rem, quam elaboratis habere, nullo modo assequi valebitis, quia nec dominus noster vult, nec principes, quorum beneficio vivimus; & insuper domini & filii nostri nullo modo hoc concedere volunt. Non enim est hereditas vestra hoc castrum, sed donum domini principis, qui, quando voluerit, ut rem propriam repetet. Sed de hac re quid opus est, ut inter nos contendamus? Requirite voluntatem domini nostri & vestri, & inde quod judicabit, quod jusserit, fiet. Ad hæc Eustachius erigens se, & manum dextram elevans contra ecclesiam dixit: Per istam ecclesiam, cujus monachi sumus, si tu, pater ANSELME, & dominus noster princeps R. in hoc assensum præberetis, quod non spero, ante omnes de ecclesia exiremus, quam hoc concederemus. Et conversus ad comitem, cum nimia constantia dixit illi: Domine ROBERTE, per istam ecclesiam juro tibi, quia, quamdiu ego & ceteri monachi, qui modo in hac ecclesia sumus, superstites fuerimus, nullo modo, nulloque ingenio libertas Beccensis ecclesiæ per vos ancillabitur. Cumque & multa Eustachius & alii monachi præsente patre & contra comitem dixissent, comes cum nimia ira discessit. Cujus iram pro nihilo monachi duxerunt, ad hoc omnino studentes, ut libertatem suæ ecclesiæ liberam conservare possent. Post paucos dies comes perrexit ad curiam: quod cognoscentes monachi, & levitatem ducis nimium pertimescentes, de suis elegerunt, quos ad curiam festinanter direxerunt, & adventum comitis duci prædixerunt, multisque precibus exoraverunt, ne in suis promissis erga Beccensem ecclesiam verbo aliquo mutaretur. Quibus invicem sermocinantibus, adest comes. Quem dux ut vidit, cachinnando dixit ei: Domine ROBERTE, quid est? Quo modo inter vos & monachos Beccenses? Comes cernens monachos adesse præsentes, demisso vultu respondit, Bene; quidquid enim jusseritis, benigne concessuri sunt. Et dux e contra: Omnino mentiris. Et elevans vocem cum ira, iterum dixit: Per mirabilia Dei, falsissime speras, quod ita sum hebes, ut velim tibi dare abbatiam meam. Et illapsus in verbis, ut mos erat ei, quando irascebatur, quamvis raro, nimium exprobavit comitem propter hanc rem. Comes videns suum studium in hac re fore vacuum, omnino resilivit ab spe sua; & non post multos dies dux repetiit castrum suum, & de manu comitis abstulit, ROGERIOQUE de Benefacta tradidit, qui hæreditario jure illud requirebat: & inde Beccensis ecclesia pacem de hac re habuit.

Quam abbatiam ANSELMUS strenue gubernavit per XV. annos. Postea propter multa negotia ecclesiæ suæ perrexit in Angliam permissu monachorum: in qua dum demoraretur, retentus est in archiepiscopatu Cantuariensis ecclesiæ. quod audientes fratres, qui domi remanserant, graviter

tulerunt, quod sine illorum permissu ista fecisset: immo quia eos deseruisset. quæ controversia ex utraque parte multum diuque duravit. Tandem pace reddita, consilio illius, immo jussioni illius volentes parere, sicuti illi qui eos nutrierat, & educaverat in omni religione: non enim ullum alium agnovimus nostris diebus, qui tam ardenter dilexerit monachicam religionem, & tam bene & honeste atque prudenter sciverit eam aliis edocere. Ille igitur sciens voluntatem eorum, mandat eis per litteras, ut abbatem eligant loco suo, simulque remittens eis baculum suum pastoralem. Ad ista iterum fit magna perturbatio. Interim mittunt, petunt, & multis precibus exorant, ut misereatur, nec eos ex toto relinquat; sed nomen & potestatem abbatis super se retineat, & per præpositos & alios perspicuos ministros sub sua jussione & potestate domus tota intus & foris gubernetur. Ille vero e contra nimium reluctans, nullo modo acquiescens precibus eorum, mandat eis iterum, ut abbatem eligant, reddens rationem ad eorum postulata, quod longius est hic inserere. Hoc diu multumque duravit. Ad extremum fratres videntes suas preces omnino nihil valere ad id quod petebant, in illius electione posuerunt electionem suam, semper timentes de se, ut viri prudentes, ne si per se facerent electionem, & non bene proveniret, ab omnibus merito culparentur: quapropter in ejus judicio & potestate posuerunt electionem suam, parati ad id quod vellet per omnia obedire. Quod ut ANSELMUS audivit, gavisus est valde, & pro illorum bonitate & humilitate multum Deum collaudans, direxit eis litteras plenas monasticæ doctrinæ: deinde jussit humili præceptione, ut unum ex suis eligerent abbatem, scilicet WILLELMUM de Bello-monte; illique jussit per obedientiam, ne in hac re ullo modo contradiceret. quod, ut jusserat, factum est. Misit & alias litteras suo priori BALDRICO privatim, præcipiens ei, ut nihil de hac re privatim ageret: nec ulla conciliabula privatim monachis sineret habere inter se; sed in capitulo omnes communiter congregati, litteras, quas congregationi miserat, coram omnibus recitari faceret. Deinde, sicut in sua electione fuerat factum, omnes singillatim per ordinem interrogaret, quid quisque de hac re diceret. Si omnes communiter hanc electionem concederent, bene: si non, citius illi remandaret. quod ut jusserat pleniter adimpletum est. Namque omnes communiter consilio & jussioni illius consenserunt, quamvis multi ex illis multo aliter voluissent, sed voluntates suas voluntati patris ANSELMI supposuerunt, per omnia ei volentes obedire, sicut illi, quem super omnem hominem dilexerant. Post hæc ille, qui legationem attulerat, protulit alias litteras, ex parte archiepiscopi transmissas duci ROBERTO pro causis Beccensis ecclesiæ. Tunc fratres gavisi post aliquot dies curiam adierunt, scilicet abbas ROGERIUS monachus Beccensis ecclesiæ & BALDRICUS prior, & alii quam plures, simul & electus abbas. Interim quandiu fuit Becco, locum proprium non mutavit. Venientes autem ad curiam, læto vultu recepit eos dux. Illi vero humiliter pro quo venerant edixerunt. Deinde ille, qui litteras attulerat, tradidit eas BALDRICO priori, & prior obtulit eas duci. Ille statim jussit cancellario suo, nomine ERNULFO, legere eas coram omnibus. Cumque perlectæ fuissent, jocundo affamine dux dixit: Per mirabilia Dei, oportet facere quod domnus meus ANSELMUS jubet: fiat. Tunc statim tradidit abbatiam illi, qui electus fuerat, donatione baculi pastoralis. Deinde jussit cancellario, ut cum monachis pergeret ad archiepiscopum Rotomagensem, & illi ex sua parte diceret, ut quod ad eum de hac re pertinebat, perficeret. Quod archiepiscopus libenter perfecit, tradens ei curam animarum. Deinde jussit abbati ROGERO, ut vice sua in statu babatis eum poneret: quod abbas ROGERUS adimplevit ad matutinas nocte festivitatis ecclesiæ: venerant enim tarde. Sed cum ad Primam abbas WILLELMUS venisset in chorum, noluit intrare in statum suum, sed in illum, qui juxta erat, nec ad missam in cathedra sedere, nec baculum portare, nec proprium sigillum habere usque ad benedictionem, quam benedictionem, nec ipse abbas umquam requisivit, nec monachi per multum tempus: & hoc fecerunt per consilium.

Cum vero illis placuisset, requisierunt archiepiscopum ANSELMUM, quid de hoc illi placeret: ille adjudicavit fieri, mandans per literas archiepiscopo Rotomagensi WILLELMO, ut Dei amore & suo illum honorifice benediceret. Quod ille libenter annuit, dans diem in quo benediceretur. Ventum est ad locum; cumque dies illuxisset, venerunt ad ecclesiam. Tunc quidam ex clericis privatim innotuerunt abbati, quod archiepiscopus vellet omnino ab eo requirere professionem. Quod ille, ut audivit, nimium perturbatus est. Qui cum vellet redire ad hospitium, prior dixit ei: Domine, ad vos nihil pertinet de hac re, sed nobis: sufferte & expectate quid nos faciemus. Statim ipse & aliqui, qui cum illo erant, perrexerunt ad ducem ROBERTUM, & audacter introierunt ubi erat. Quos dux ut conspexit, jucundo affamine dixit, Quid est? babetis necesse? Illi statim dixerunt causam. Et dux statim respondit: Per mirabilia Dei nullo modo volo, ut abbas Becci faciat professionem. Mox ERNULFO cancellario, & WILLELMO de Britolio, & Willelmo filio Richardi, qui ibi præsentes tunc aderant, præcepit, ut ad archiepiscopum festinanter pergerent, & ex sua parte dicerent, ut WILLELMUM Beccensium abbatem cum honore benediceret, ita libere ut absque mentione professionis fieret: & hoc faceret, si omnino amorem suum retinere vellet. Illi vero statim perrexerunt, quo jussi fuerant. Sed cum venissent ad ecclesiam, ut callidi homines expectaverunt foras, usque dum archiepiscopus altari assisteret. Erat solemnitas passionis S. LAURENTII. Prior BALDRICUS fecit ad missam revestiri abbatem de vestimentis Rotomagensis ecclesiæ. sic enim est consuetudo. Ante evangelium dum decantaretur Sequentia, venerunt qui missi fuerant a duce ante archiepiscopum ubi sedebat, & dixerunt ei præceptum sui Domini. Ille ut hoc audivit, turbatus est non modice, videns se interceptum. Sed ut sapiens vir & religiosus ad se reversus, postposita ira, executus est mandatum sui

Olim cum apud dominum apostolicum URBANUM conversarer, promisi ei quasi ex fide, quod numquam laïco homini hominium facerem; & si dominus noster rex hoc a me voluerit, ut ei faciam, quod nullatenus possum facere, timeo ne per hoc aliqua commotio oriatur in hac ecclesia; quod nullatenus volo ut fiat. Ad ista archiepiscopus, ut sapiens vir, multa respondit. Deinde reversi sunt in capitulo. Tunc dixit archiepiscopus conventui: Audivi causam domni prioris, pro qua se excusat obedire vestris voluntatibus; sed, ut mihi videtur, non est talis pro qua debeat hoc facere. Nunc autem revertar ad dominum meum, & hi qui mecum sunt, & dicemus ei quæque vidimus, & audivimus. Vos autem nolite cessare ab orationibus, quia ipse Salvator sic dixit: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Deinde exiit de capitulo & ad regem profectus est. Cumque iter ageret, aperuit episcopo Luxoviensi, quare prior Boso nollet obedire. Audiens hoc episcopus indignatus est nimium, & cœpit invehi verbis super monachos. Quid multa? venerunt ad regem, & archiepiscopus quæque viderat & audierat, manifestavit. Ad cujus verba rex nimium admiratus est ex una parte, videlicet humilitatem & religiositatem fratrum, ex altera parte constantiam viri. Cum hoc audissent episcopus Ebroïcensis & episcopus Luxoviensis, cœperunt nimium murmurare coram rege, & dicere: Nos, qui episcopi sumus, facimus hominium domino nostro, & iste monachus dicit se nullo modo facere, quod omnes alii faciunt. Per hæc verba & multo amariora cum vellent animum regis ad iracundiam concitari, rex pacato animo & vultu sereno dixit: Causa hæc ad me pertinet, quod mihi placuerit, erit. Hæc dicens surrexit, & alias se contulit. Ipsa die redditum est sibi castrum cum pace, & ipse diluculo mane surrexit, & contulit se apud sanctam Wiburgam, propter recreationem. Interim monachi positi sub dubia re, & scientes certo relatu, quod episcopus Luxoviensis & episcopus Ebroïcensis vellent eis nocere; nimium timidi ad consuetum confugium concurrerunt, & assiduis precibus Deum exorantes, ut illorum voluntatem, quæ ex se erat, ut putabant, perficere dignaretur. Quorum preces atque vota Deus non distulit adimplere: sed, ut in multis jam fecerat, & facit sua clementia. Nam post aliquot dies dum rex ad civitatem pergeret, obviam ei venerunt GAUFRIDUS ejusdem civitatis archiepiscopus, & JOHANNES episcopus Luxoviensis, & cœperunt simul equitare, unus a dextris, & alter a sinistris. Cumque inter se confabularentur, cœperunt verbum habere, archiepiscopus videlicet & episcopus de priore Becci, qui dicebat se nulli homini laïco facturum hominium pro ulla re, volentes regem ad hoc deducere, ut mutaret suam sententiam. Verba quorum rex non diu ferens, sed conversus ad archiepiscopum, dixit ei: Domine archiepiscope, scitote pro certo, quia iste abbas nec mihi faciet hominium, nec vobis professionem. Et archiepiscopus e contra: Domine, quod vobis beneplacitum est de re vestra facere, ut dominus: de re vero, quæ ad me proprie pertinet, inter me & ipsum bene conveniet. Rex vero e contra: Dixi vobis & adhuc dico per mortem Christi, quia abbas Becci nec mihi faciet hominium, nec vobis professionem. ad hæc conticuerunt ambo episcopi, & de re alia cœperunt loqui. Post aliquot igitur dies, misit rex priorem sanctæ Mariæ de Prato Becco, mandans priori ut ad eum veniret, & secum adduceret ex personis ecclesiæ. Mandans etiam conventui salutem, & ut pro eo orarent, & ne ullo modo tristes extarent de re tandiu protelata, quia modo paratus erat in omnibus adimplere voluntatem illorum. Prior vero hoc prius recusavit, sed post precibus fratrum victus perrexit. Qui veniens Prato, ibi remansit. In crastinum autem venit rex ibi, & locutus est privatim cum priore. Quid multa? discesserunt ab invicem pacifici. Deinde jussit monachis ut ibi remanerent, usque dum ipse mitteret pro eis, quia admodum impeditus erat multis negotiis. qui ita fecerunt. Post tertium vero diem, mandavit priorem & monachos, ut ad eum privatim venirent; & ita fecerunt, continentes se in una secretiori camera. Ut hoc rex cognovit, dimisit a se omnes, archiepiscopum vero & quemdam episcopum de Anglia, & duos ex optimatibus suis secum retinens. Et vocans priorem & monachos, ante se honorifice sedere fecit. Deinde breviter collaudans eos de illorum perseverantia & de illorum bonitate, quam in eos sperabat, tradidit abbatiam priori, per quamdam donationem sine mentione hominii. Hoc videns archiepiscopus & ceteri, qui ibi erant, admirati sunt valde bonitatem regis erga ecclesiam Beccensem. Deinde requisitus rex a monachis quis poneret abbatem in proprio statu, vocavit episcopum Sagiensem, & jussit ut cum abbate & monachis iret Beccum, & eum honorifice poneret in proprio statu. Audiens hoc archiepiscopus dixit regi: Quia video bonam voluntatem vestram erga ecclesiam Beccensem, ego ipse pergam & mittam eum in proprio statu. Audiens hæc rex & collaudans hoc factum, jussit ut ita ageret.

Ad pentecostem, qui prope erat, venit archiepiscopus Beccum; & in ipso die festivitatis, revestitis omnibus, ut dies requirit, ad tertiam ipse archiepiscopus, ut erat revestitus, posuit abbatem in suo statu, dum hebdomadarius incœpit hymnum, *Veni creator Spiritus*. Ad quam horam ibi fuit, & non amplius usque ad benedictionem. Archiepiscopus ipsa die fecit sermonem ad populum, & missam celebravit. In crastinum summo mane antequam proficisceretur, jussit ut in sequenti sabbato veniret Rotomago; quia in sequenti die dominica vellet eum benedicere. Factum est ut jusserat. Sed antequam ad ecclesiam pergerent, perrexerunt ad regem: quos ut vidit, læto affamine vocavit eos & dixit: Habetis necesse? Illi dixerunt causam pro qua venerant. Rex cognoscens causam, vocavit ROBERTUM de sigillo & alium clericum & misit ad eos archiepiscopum, mandans & præcipiens per amorem quem erga ipsum habebat, ut abbatem Becci honorifice susciperet, & abbatem consecraret sine

ulla mentione professionis, & adjunxit: Ita faciat, si vult retinere suum erga me amorem. Archiepiscopus ut mandatum regis percepit, sicut sapiens vir, nihil contradixit, sed per omnia adimplevit. Ventum est ad missam. Archiepiscopus abbatem honorifice fecit revestiri ornamentis Rotomagensis ecclesiæ, & ante se fecit sedere usque ad evangelium. Ventum est ad benedictionem. Tunc archiepiscopus ad abbatem: Quamvis non sit necesse, mi domne, ut te interrogem, sicuti mos est alios interrogare & discutere; tamen ne consuetudo ecclesiæ relinquatur, breviter quæro, si vis subjectus & obediens esse huic sanctæ Rotomagensi ecclesiæ, & eis qui ei præsunt? Abbas respondit, Volo; & archiepiscopus, Deo gratias. Deinde incœpit *Veni creator Spiritus*. Hoc ordine fuit benedictus.

Post missam invitavit eum archiepiscopus ad prandium suum. Circa vesperam vero redierunt ad regem, gratias agentes pro omnibus bonis, quæ per eum contigerant in hoc negotio. Quas grates rex libenter accepit, collaudans nimium illorum prudentiam & religiositatem. Deinde admonuit eos, ut laïcus homo, ut ordinem suum districte servare studerent, & ne hospitalitatem, quæ magnum eis nomen acquisierat, relinquerent, dicens inter cetera abbati verbum dignum memoriæ: Tu esto intus abbas in ordine tuo, & ego ero abbas in rebus exterioribus. Nam, in quantum potero, deinceps ero proficuus ecclesiæ vestræ, tantum ut de vobis bona audiam, sicut hactenus audivi. Quibus dictis dimisit eum cum gaudio.

In crastino venit abbas Beccum, & receptus est cum magno gaudio, ut dignitas Beccensis ecclesiæ exigit, ut supra jam diximus. Rex autem deinceps nimium eum dilexit, intelligens in eum puram bonitatem, quam plurimum etiam sapientem. Quapropter super omnes personas regni sui eum honoravit. Abbas e contra dulciter eum dilexit, & assiduis orationibus eum commendabat Deo & suæ ecclesiæ. Quam ecclesiam pie & sancte gubernavit per XIII. annos & XXII. dies. Fuit enim sapiens homo, magnique consilii, prudens & providus in omni actione sua, optime litteratus, benignus & munificus, caritate plenus, animo & corpore castissimus, patientissimus, mente, verbo, actu tranquillissimus, habens semper cor suum sub moderamine discretionis, & super multos alios homines nostri temporis monachos suos regens paterna disciplina, & eos diligens & fovens materno affectu. Quapropter quod de Joseph legitur, de eo dici veraciter potest, quia Deus erat cum illo, & ideo in cunctis prospere agebat. Transiit autem e mundo media nocte festivitatis sancti Johannis-Baptistæ post multas sufferentias & passiones sui corporis, anima cujus sit cum anima domni & magistri sui ANSELMI, ubi vivit immortaliter, videt Deum perenniter, lætatur insatiabiliter, perfruitur ipse perpetua beatitudine immarcessibiliter. Amen.

XIII.

Privilegium Gregorii papæ de monasterio S. Benedicti.

Ad lib. 65. n. 85.

Ex archivo Cluniacensi.

GRegorius episcopus servus servorum Dei, Hugoni venerabili abbati Cluniacensis monasterii, suisque successoribus in perpetuum. Suscepti nos officii cura compellit venerabilibus locis, & præcipue his quæ proprii juris sunt sanctæ Romanæ ecclesiæ, talem nostræ dispensationis adhibere diligentiam, ut in illis ea maxime apostolicis privilegiis & memorabili auctoritate firmentur, quæ ad sacræ eruditionis studium, & ad religiosæ vitæ propositum, & diuturnam spiritalis gratiæ ædificationem potissimum valere noscuntur. Quapropter de spiritali gubernatione & statu monasterii sancti Benedicti consistentis inter littora Padi & Larionis fluminum, hujusmodi instituta sancire & confirmare dignum duximus, ut nostra, quam semel impendimus, semper cum Dei adjutorio sollicitudo vigilet, & sicut in illo auctorum, a quibus constructum & Deo oblatum est, omni tempore devotio, fides vivit & pietas, ita ad commune ipsorum se nostræ devotionis meritum nostra ibidem providentia, Deo disponente, vivat ac operetur auctoritas. Namque monasterium illud a Thedaldo illustri viro patre marchionis Bonifacii constitutum est, traditum vero, & in proprium jus collatum beato Petro & ejus apostolicæ sedi, sicut & aliqua alia monasteria tempore nostri pontificatus a Mathilde filia ejusdem marchionis Bonifacii quondam decreta & corroborata constitutione, sicut etiam in aliis, quæ ad communionem & confirmationem ejusdem loci fecimus, habetur privilegiis, ut inde per singulos annos beato Petro & ejus apostolicæ sedi, in præsentia Romani pontificis, aut ejus archilegati, Romæ aut ubi ipse jusserit, octo diebus ante vel post kal. Maii, id est Romanæ, uncia auri impensioni reddatur. Verum quia tu, dilectissime frater & abbas venerande, ad regendum illud idem monasterium de congregatione Cluniacensis monasterii, cui, Deo auctore, præesse dinosceris, fratrem Widonem nobis donasti virum religiosum & prudenter edoctum, qui ibidem sacræ religionis formam atque doctrinam secundum regulam sancti Benedicti & vestræ conversationis consuetudinem edoceret, &, Deo auxiliante, institueret, ne hujus ædificationis vestigia in posterum deleantur, aut tui, frater, spiritualis germinis fructus per subrogationem alicujus extraneæ conversationis & infœcundæ supplantationis, aliquo deinceps tempore deficiat, vel occasione depereat; curam illius loci tibi tuisque successoribus in perpetuum in nostra vice committimus, ut in ejus gubernatione atque custodia nostræ sollicitudinis, tu, omnesque successores tui & potestatem habeant, & studium procurationis impendant. Decernimus etiam ut, obeunte ibi abbate, vestra semper provideat diligentia, quatenus idonea & huic officio digna in loco regiminis secundum regulam S. Benedicti persona subrogetur, & quidquid

in

in monasterio ad augmentum & observationem monasticæ religionis institui vel emendari oportuerit, vestro semper magisterio & dispensatione administretur, salva quidem in omnibus authoritate sedis apostolicæ, cujus juris locus ille esse dignoscitur, & ceteris quæ de consecratione abbatis & fratrum monasterii, nec non & aliorum ad id pertinentium, seu de redditione census, postremo de omni statu ejus in privilegiis pro sua stabilitate & speciali munitione sibi concessis decreta ac statuta firmavimus.

XIV.

Ad lib. 65. n. 96.

Statutum Geraldi abbatis & conventus Silvæ-majoris in gratiam Vvillelmi-Guidonis Aquitaniæ ducis.

Ex archivo Silvæ majoris.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus cunctis sanctæ ecclesiæ fidelibus, tam posteris quam præsentibus, quod domnus Willelmus venerabilis Aquitaniæ dux, quidquid habebat in territorio, quod Silva-major appellatur, sanctæ Mariæ tradidit, atque omni libertate donavit. Ego itaque Geraldus, providentia Dei abbas primus, cum omni fratrum collegio decrevimus, decretumque in congregatione statuimus, ut pro hoc aliisque beneficiis, quæ plurima erga nos operatur, in nostra semper orationis memoria habeatur, quatenus a Christo remunerationem mereatur. Hoc quoque constituimus, ut pro eo singulis hebdomadis specialis missa canatur, atque quanta singulis fratribus, tanta ei quotidie decernatur præbenda pro eo pauperibus eroganda. Quod ita definitum est, ut sicut hoc in vita ipsius agitur, non minori studio post mortem, quamdiu steterit ecclesia, agatur. Necessarium ergo duximus, ut hoc memoriæ chartisque mandetur, ne futurorum negligentia privetur. Scriptæ sunt itaque duæ similex chartulæ, ut præfatus dux habeat unam, altera vero sit apud ecclesiam. Quod si forte quisquam huic decreto contraire præsumpserit, anathematis periculo reus erit, donec satisfactione obedierit. Ad confirmandum ergo hujus rei testimonium subscripsimus nomina eorum, qui huic decreto interfuerunt. S. Roberti de Burgundia. S. Willelmi Elyæ Burdegalensis. S. Petri vicecomitis de Castellione. S. Amaneuri de Marcha. S. Rodulphi de sancto Eligio.

XV.

Ad lib. 66. n. 26.

Hugonis Diensis decretum de consuetudinibus Breonensis comitis pro Dervensi monasterio.

Ex chartario Dervensi.

HUgo Diensis, Dei gratia legatus sedis apostolicæ, omnibus tam præsentibus quam futuris filiis sanctæ ecclesiæ. Quoniam juxta divinum præsagium, ubi abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum, quibusdam ecclesiarum Dei provisoribus, malorum incursantium torturis exigentibus, minus curæ pastoralis regimen procurantibus, utilitati multorum consulentes, apud

Meldensem Galliæ urbem concilium tenere decrevimus, ubi a Tebaudo comite palatino, magno & magnifico viro, rogati sumus, uti pro injustitiis & inlicitis exactionibus, quas comes Breonensis violenter faciebat in abbatia monasterii Dervensis, quod est constructum in honore beatorum apostolorum Petri & Pauli, sanctique Bercharii martyris atque abbatis, excommunicaremus, videlicet ut nec ipse, nec aliquis heredum ejus post eum aliquam violentiam eidem ecclesiæ inferret, nichil ab hominibus supradictorum sanctorum injusta dominatione eriperet, nihil præter constitutas consuetudines acciperet, quas supramemoratus comes Tebaudus sibi quamquam injuste denominasset: ita tamen ut his contentus, ab injustis & superfluis exactionibus omnino abstineret. Nam, ut ipse comes Tebaudus nobis dicebat, has denominaverat consuetudines, quæ ipsi comiti Breonensi certis temporibus anni persolverentur, id est carroperum, frescennas, opus castelli, conventum generale semel in anno, tamen mensurare, & ut loco eidem videretur possibile esse. Verumtamen prius ex decreto primatum suorum sacramento eum constrinxerat, quod videlicet præter consuetudines denominatas, nihil omnino tam ipse quam heredes ejus acciperent in abbatia. Ille etiam promiserat, &, ut dictum est, se servaturum juramento firmaverat. Itaque tam ipse comes Tebaudus, quam fratres ejusdem cœnobii qui aderant, precabantur, quatinus hanc conventionem per manum nostram, ac totius sancti concilii sub anathemate confirmaremus. Nos autem communi decreto totius concilii, rogatu etiam domni Hugonis episcopi Trecensis, quoniam parrocchianus ejus erat comes Breonensis, & ab eodem episcopi testimonio confirmato audieramus veritatem præsentis negotii, perpetuo confirmavimus sub districtione hujus anathematis. Auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli excommunicamus, & a liminibus sanctæ matris ecclesiæ separamus & removemus, æterna quoque damnatione percutimus & damnamus eum quicumque ex heredibus comitis Teobaudi, seu comitis Breonensis Walteri, hujus decreti infregerit statutum, nisi resipiscens, & eidem ecclesiæ satisfaciens, dignæ pœnitentiæ gesserit fructum, & tantæ torritudinis non reiteraverit malefactum.

S. Hugonis Diensis episcopi.
S. Amati vicarii papæ Gregorii.
S. Richardi archiepiscopi Bituricensis.
S. Hugonis Trecensis episcopi.
S. Rogeri Cathalaunensis episcopi.
S. Rorici Ambianensis episcopi.
S. Hngonis Grannopolitani episcopi.
S. Hugonis Lingonensis episcopi.
S. Hugonis Nivernensis episcopi.
S. Haganonis Augustidunensis episcopi.
S. Arnulfi Suessionensis episcopi.
S. Landrici Matisconensis episcopi.
S. Tebaudi comitis.
S. Alaïdis nxoris ejus.
S. Odonis filii ejus.

Actum Meldis civitate in concilio publico, ubi multitudo sacerdotum, jussu Gregorii papæ, qui & Hildebrandus dictus est, convenerant.

Mmmm

XVI.

Ad lib. 66. n. 26

Ex eodem chartario.

Charta Guarini comitis pro eodem monasterio.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Omnibus sanctæ catholicæ ecclesiæ filiis, præsentibus atque futuris, notissimum volo fieri ego Guarinus dictus comes Rosnacensis territorii, quod propter gratiam ejusdem honoris transitorii dum essem filius sæculi, cogitavi ut in alimoniam filiorum Dei, qui pro peccatis meis & totius populi creduntur orare pietatem Domini, donarem partem allodii mei, & illud quod habebam in ecclesia sanctæ Margaritæ, Deo & sancto Petro Cluniacensis cœnobii. quod præcogitatum, Domino volente, perfeci, constitutis inibi fratribus, qui sub præposito regulari Deo deservirent & sanctæ Virgini: sed altare & quartam partem ipsius ecclesiæ tunc temporis possidebant fratres Dervensis monasterii, ubi honorifice requiescit corpus venerabilis Bercharii. Ut ergo prædictam ecclesiam ex integro haberent Cluniacenses monachi, consilio habito cum domno apostolico, Hildebranno nomine, in papatu autem dicto Gregorio, ut moterer mundo, & viverem Deo, in remissionem omnium delictorum, & ad salutem antecessorum meorum, cum benedictione apostolica, & cum licentia episcopi mei, donni Hugonis Trecassini, & cum favore Teodebaldi comitis palatini, cum laude etiam propinquorum meorum, dedi me cum alodiis meis, principibus apostolorum Petro & Paulo, venerabili quoque Berchario, in præsentia donni abbatis Brunonis, & monachorum fideliumque suorum. Itaque jam dictus abbas & monachi annuerunt Cluniacensibus altare & quartam partem supra memoratæ ecclesiæ, acceptis sibi alodiis, quæ erant liberæ conditionis, & absque jugo ullius advocationis, sine alicujus judiciaria potestate, sine banno, ad postremum sine aliqua redhibutione omnis hominis. Hæc igitur sunt alodia, quæ tradidi Deo & sanctis apostolis Petro & Paulo, beato quoque martyri Berchario, monachisque suis perpetualiter habenda, Roserias, Muceïum, Junchereium cum appenditiis suis, videlicet servis & ancillis, terris cultis & incultis, silvis, pratis, aquis, aquarumque decursibus. Ut autem hoc meum donum eidem ecclesiæ & fratribus inibi Deo servientibus perpetuo habendum remaneat, & ut nullius calumniatoris injusta invasione rescindi valeat, donnum Hugonem Lugdunensem archiepiscopum & apostolicæ sedis legatum, ex præcepto jam dicti donni apostolici Gregorii rogavi, ut facta excommunicatione hanc chartam confirmaret, sub testimonio & laude omnium episcoporum, abbatum, & ceterorum Dei fidelium concilio Meldensi adsistentium. Ipse vero libentissime annuens petitioni meæ adsensum præbuit, & communi decreto totius sancti concilii, ut petieram confirmavit sub districtione hujus anathematis. Auctoritate Dei omnipotentis & beatorum apostolorum Petri & Pauli excommunicamus & a liminibus matris ecclesiæ separamus & removemus, æterna quoque damnatione percutimus & dampnamus eos quicumque de rebus supradictorum alodiorum comitis Guarini aliquam fraudem vel injustitiam fecerint ecclesiæ Dervensis monasterii, nisi resipiscentes, & eidem ecclesiæ satisfacientes dignum pœnitentiæ fructum egerint.

Nomina testium qui sua signa subscripserunt.

S. Hugonis Diensis episcopi.
S. Amati vicarii papæ Gregorii.
S. Richardi archiepiscopi Bituricensis.
S. Hugonis Trecassini episcopi.
S. Rogeri Cathalaunensis episcopi.
S. Rorici Ambianensis episcopi.
S. Hugonis Grannopolitani episcopi.
S. Hugonis Lingonensis episcopi.
S. Haganonis Augustidunensis episcopi.
S. Hugonis Nivernensis episcopi.
S. Arnulfi Suessionensis episcopi.
S. Landrici Matisconensis episcopi.
Comes etiam Tebaldus & uxor ejus, Alaïdis nomine, & Odo filius ejus laudaverunt, & sua signa fecerunt.
S. Tebaudi comitis.
S. Alaïdis uxoris ejus.
S. Odonis filii ejus.

XVII.

Dervensium pactio cum Goffrido Junvillæ domino de consuetudinibus terræ Blesensis.

Ad lib. 66. n. 26.

Ex chartario Dervensi.

EGo Dudo gratia Dei Dervensis ecclesiæ abbas cum sibi creditis, ad notitiam tam præsentium quam futurorum mandamus proclamationem, quam ad magnanimum comitem Teobaldum de Gosfrido, Junvillæ domino, multis injuriis coacti fecimus. Qui Goffridus nomen advocati & defensoris terræ nostræ Blesensis habebat, cui multas tortitudines versa vice inferebat, unde monitus ab ipso comite, ut omnem justitiam pro his tortitudinibus exhiberet nobis in præsentia sui apud civitatem Meldis, & die constituto exhibendæ justitiæ ipso comite, gratia captionis filii sui Stephani carcerali custodiæ a rege Francorum mancipati, vehementer occupato, inde reversus, hæsitansque ne pari proclamatione iterum monitus acrius argueretur, per domnum Hugonem primicerium, & per alios fideles nostræ ecclesiæ, promisit se a rapinis & injustitiis abstinere, & eas solas consuetudines accipere, quas quondam avus suus Stephanus cum laude abbatis & monachorum visus est accepisse. Quæ consuetudines hoc modo recognitæ & diffinitæ sunt. In duabus potestatibus, quas ibi possidemus, id est Villa, & Donno-Martino in mense Maio quadraginta arietes accipiet; id est in una quaque potestate viginti, quos nostri ministeriales colligentes, ad castellum deducent. Pari ratione totidem porcorum fresoengias in festo sancti Andreæ accipiet. Carropera sic accipiet, ut mane progredientes cum carris & animalibus suis ad vesperum revertantur. Hoc autem semel in anno fiet. Similiter de opere castelli ministeriales nostri ordinabunt, ut quando non potuerit quilibet hominum nostrorum solus operarium solvere, duos

vel tres, vel etiam quatuor de pauperioribus simul adsocient, qui operarium integra septimana persolvant. Servitia prandiorum vel hospitiorum, quas receptiones vocant, ter per annum in una quaque potestate accipiet, id est simul sex, non tamen ut pro oppressione hominum multitudinem secum adducat, sed simpliciter sicut ei transire contigerit. A clericis nostris & equitibus, quos casatos vocant, & servientibus indominicatis, id est bubulcis & porcariis, vacariis, vinitoribus, furnariis; neque de prædictis consuetudinibus, neque de aliis rebus quicquam omnino accipiet. Si quid ei ab hominibus nostris in eadem advocatione degentibus forfactum fuerit, ipse vel præpositus suus advocationem faciet ad villicum sancti Petri, vel ad præpositum, vel ad abbatem. Si ab eis justitiam non impetraverit, tunc demum sicut advocatus justitiam sibi legalem accipiet. Hæc omnia, sicut præscriptum est, prædictus Goffredus publice recognovit & laudavit, & acceptis a nobis centum viginti libris denariorum, ultroneus & spontaneus super reliquias sanctorum se ita observaturum juravit, & præpositum suum, nomine Burdinum, id jurare fecit; & quotienscumque præpositi substituerentur, similiter eos id ipsum juraturos infra dies quindecim In eodem firmavit. Obsides etiam de suis liberis hominibus per sacramentum nobis contradidit, Hilduinum, Jocelinum de Scoth, Hugonem Album, Amalricum fratrem ejus, Bosonem de Panceio, Bosonem de Bracheio, Haibertum filium Rogeri, Achardum filium Dodonis, Fredericum filium Seieti, Brunellum de Maisnix. Hos ea ratione contradidit, ut quotiens aliquis ex eis decederet, vel heredem ipsius, vel æqualis valentiæ hominem in obsidatu reponeret. Hi omnes juraverunt, quod hæc, quæ prædicta sunt, observari facerent, & si quid a donno Goffrido, vel præpositis suis forfactum foret, & per ipsos obsides id emendare nollet, ipsi dampnum infra dies quadragiota ex quo conventi essent a nobis, de suo restaurarent, & deinceps si fractura accideret, totiens simili ratione emendationem facerent.

XVIII.

Ad lib. 66. n. 26.

Vvalteri Meldensis episcopi donum duorum altarium factum monasterio de cella Briensi.

QUantum intellectus mentis nostræ potest animo sagaci pensare, atque solerter indagatione perpendere, nihil amplius valet in hujus sæculi luce de gaudiis fugitivis lucrari, quam quod de rebus suis locis venerabilibus in alimoniis videtur quis impendere. Sacrorum etenim assertionibus eloquiorum evidenter cunctis fidelium cultoribus datur iotelligi, eorum eloquiis roborari ac stipendiis ecclesiam munerari, quatinus orante elecmosyna ad Dominum, deleantur maculæ peccatorum. Oportet itaque unumquemque, priusquam subitanea transpositio eveniat, pro salute animæ vigilare, & dum proprio libertatis jure quis subsistit, vitam æternam sibi mercari. Igitur ego Walterius sanctæ matris Meldensis ecclesiæ præsul, dono fratribus cœnobii Lacellensis, quod sacratum est sub honore apostolorum principis, duo altaria; unum sub abbatiali nomine, quod est in villa quæ Lacella dicitur; alterum ad ejusdem abbatiæ supplementum, quod in villa est quæ vulgo Wairat nuncupatur; & ne quis, quod absit, hæc altaria auferre elaboret a loco, hanc chartulam, multis adstantibus, manu propria corroboro, eo videlicet tenore, ut episcopis tam successoribus meis, quam mihi, parere non differant abbas & & monachi. Ceterum sanctam synodum custodiant, & episcopum, si per illos habuerit transitum, competenti honore excipiant. Taliter præsul Bernerius, vir religiosus, adhuc vivens facere disposuit, sed, morte præventus, adimplere nequivit. Actum est Meldis hoc IIII. calend. Aprilis, annis ab incarnatione Domini M XLV. regnante rege Francorum Henrico, anno regni sui XVI. S. Walteri pontificis. S. Jothelini archidiaconi. S. Giraldi archidiaconi. S. Hugonis decani. S. Bernardi exodiarii. S. Rozonis diaconi. S. Ivonis subdiaconi. S. Orlandi præpositi. S. Lamberti militis. S. Hugonis nigri. S. Hilduini †. Pax sit custodientibus eam.

XIX.

Charta donationis abbatiæ de cella Briensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

Si in temporalibus & transitoriis quæ ministrorum incuria negligenter tractata sunt, mutatis officialibus ut corrigantur, cura diligenter adhibetur; quanto diligentius & attentius in his quæ spiritualia sunt, in his profecto quæ non tantum ad corporum sustentationem, verum etiam ad animarum profectum & ad futuram proficiunt beatitudinem, si ignavia administrantium neglecti data sont; ut emendentur, mutatis malis ministratoribus, invigilandum sit, res ipsa manifestat. præsertim cum illis corruptibilis & transiens, istis vero fructus adquiritur indeficiens. Hujusmodi consideratione ad rem reducti, ego Ebalus ac frater meus Andreas cum cognato nostro Hugone comite de Domno-Martino, & cum uxoribus nostris Sibilla, Adelaïde, & Roes, & cum aliis amicis nostris habito consilio super quadam abbatiola nostra, quæ Cella nuncupatur, jam pridem totius religionis rectitudine destituta, & pene ad nihilum temporalis substantiæ redacta, ut eam S. Martino Majoris-monasterii & monachis suis daremus, divina nobis inspiravit providentia. Per collata enim nobis beneficia, quamvis parva, experti sumus quid religionis, quid sanctitatis sit in istis, quæ voluntas ædificandi, quale ingenium loca destructa restaurandi. Fuit nempe hæc, quam diximus, cella a prædecessoribus nostris in alodio ipsorum fundata, ut regularis disciplinæ jugis exercitatio inibidem ad honorem & laudem Dei celebraretur, beneficiis quam pluribus constructa & adulta. Sed quoniam illic refriguit caritas, necesse fuit ut multorum abundaret iniquitas: abundante autem iniquitate, defecit etiam commodum temporale. Nos vero hæc considerantes, ordinem videlicet adnihilari, & ecclesiæ facultates negligentia inhabitantium omnino periclitari,

& quoniam præceperat domnus Hugo Romanus legatus in Meldensi concilio, ut abbatiæ decem monachorum & infra, aut Cluniaco, aut Majori-monasterio subderentur; multo precatu accersito Majoris-monasterii abbate Bartholomæo cum fratribus quot sibi placuit, ut eam recipere dignaretur, quamvis reniteretur & ammonitioni suorum vix faveret, tandem obtinuimus. Et licet domnus Hugo comes ex nostra parte & sua donum hoc apud Cellam fecisset, & locum omnem & substantiam loci jam domno abbati tradidisset, & omnes casati loci liberi & servi fidelitatem ei fecissent; placuit tamen eidem domno abbati usque ad Novum-castrum nostram adire præsentiam, ut confirmatio doni supradicti majori corroboraretur auctoritate. Quo suscepto a nobis honorifice, & impensa ei quam debuimus humana benignitate, recapitulando & iterando donum, quod per domnum Hugonem comitem assensu nostro jam factum fuerat, ex integro dedimus ego Ebalus, & frater meus Andreas, & uxor mea Sibilla sancto Martino & domno Bartholomæo abbati & monachis Majoris-monasterii, tam præsentibus quam futuris, Cellam nominatim de Briaco cum omnibus appenditiis suis absque ullo retinaculo, ut in ea possit abbas qualemcumque providere priorem, mittere & mutare ad consilium capituli Majoris-monasterii, tamquam io aliis cellis suis. Et quia donum de Rameruco in præsentia domni abbatis nondum feceramus, similiter hic confirmando iteravimus. His ita peractis donaverunt nos cariore pignore, recipiendo in consortio fraternitatis suæ, ut deinceps participes simus tam beneficö eleemosynarum quam & orationum Majoris-monasterii omni tempore, & anniversarium patris mei Hilduini & matris meæ Adelaïdis & Hugonis fratris mei quotannis apud Majus-monasterium, & nostrûm omnium qui dedimus, in æterna memoria habeatur. Interfuerunt huic dono de monachis, Gisl. bertus camerarius, Bernardus de S. Venantio, Drogo bajulus domni abbatis, Andreas de Gomecio, Supplicius de Ventilaio, Guillelmus de Roceio, Ansellus monachus de S. Berchario. De clericis, Manasses Remensis præpositus, avunculus Ebali comitis. Rodulfus-viridis. Fulco de Alterio Remenses canonici. De laïcis Ebalus Milvus. Albericus frater Widonis. Milo filius Ertaldi. Dudo dapifer. Evrardus Dei amicus. Milo filius Benonis. Falco filius Hecelini præpositi. Giraldus parvus, Giraldus vir Hersendis. Ogerius præpositus. Hilbertus de Bovonis-curte. Giraldus filius Girelli. Gualterius filius Hilduini. Gualterius frater Irerii. Rodulfus filius Rolandi de S. Susanna. De famulis domni abbatis, Ebalus de Turone. Frogerius Durandus. Stabularius Agaso. Girardus de Ventilaio. Renerius Vastinus. Odo celerarius. Engelricus filius Ansegisi. Isembardus clericus. Liardus camerarius. Benedictus Bucca-bruna. Gualterius.

Facta sunt hæc assensu & consilio domni Tetbaldi comitis & uxoris suæ Adelaïdis & filiorum ejus Stephani comitis & Odonis, unde sunt testes Eustachius vicedominus de Catalaune. Dudo dapifer. Bonidonius capellanarius comitissæ. Milo filius Freherii. Hubaldus de Chæmisiaco. Girardus præpositus. Gilduinus vicecomes de Blesis. Manasses de Basilicis. Milo medicus & Rainardus filius Remigii Remensis canonici.

Dominicæ incarnationis anno M LXXXI. indictione V. regnante rege Philippo anno XXIII. episcopatus Roberti Meldensis episcopi primo facta sunt hæc, auxiliante Domino.

XX.

Charta de cella Briensi, de ecclesiis S. Nicolai de Ruceio & de Rameruco, qualiter Majori-monasterio subjectæ fuerint.

SI prædia nostra vel quaslibet terrenas possessiones, cum eas deteriorari per negligentiam procuratorum & annullari videmus, quantum possumus restaurare satagimus, & in pristinum statum, correctis vel mutatis procuratoribus, revocare; quanto magis cum loca Deo sacrata & Dei servitio mancipata, per malos habitatores pessumdari, & ipsos habitatores, qui per habitum & tunsuram sæculi actibus se renuntiasse profitentur, sæculariter vivere, & non Deo, sed voluntatibus suis & voluptatibus deservire videntur, videmus; totis viribus satagere debemus, quatenus & ipsa loca in melius reparentur, & in eis servitus Dei cum omni honore, ut dignum est, celebretur. Hac consideratione permoti ego Ebalus comes de Rameruco, & domnus Hugo de Domno-Martino, cum haberemus locum quemdam qui Cella nominatur, in quo patres mei, qui illum construxerunt, monachos ad serviendum Deo esse constituerunt; & videremus eos non regulariter, sed sæculariter vivere, & voluptatibus potius suis quam Deo servire, utpote qui in tantum mali proruerant, ut proprietatis vitium jam quasi licitum usu & consuetudine haberent & pro nihilo computarent; & plura alia quæ & dicere pudet, & audire turpe est, & commemorare longum est, nec possent a pravitatibus suis revocari ac corrigi, pro abbate, qui eis præerat, sed non proderat; immo nec præerat, nec proderat; quia illos nec regebat nec corrigebat, miserabiliterque se ipsos & res ecclesiæ quasi certatim pessumdarent. Super his ergo malis nos diu multumque dolentes, & qualiter eis finem daremus diutissime pertractantes; tandem, reperto salubri consilio, dedimus locum illum abbati & monachis sancti Martini Majoris-monasterii, & de jure nostro in jus illorum transposuimus, ita ut præfati monasterii, scilicet sancti Martini abbas, prout voluerit, locum illum tamquam unam de cellis suis regat & ordinet, & quantos sibi placuerit & loci facultatem posse ferre viderit, tantos illic ad serviendum Deo fratres constituat. Fecimus autem hoc per consilium & assensum domini nostri comitis Tetbaudi & uxoris ejus dominæ nostræ A. qui ambo hoc concesserant apud Castellionem coram abbate præfati monasterii venerabili Bartholomæo, in domo in qua ipse hospitabatur, qui illuc propter hanc causam venerat. Ibi & ego affui, & coram ipsis donationem confirmavi. In crastino quoque ipse comes & filius ejus comes Stephanus hoc idem auctoraverunt, multis præsentibus, in porticu domus, quæ est ante ecclesiam ipsius castelli, via

interposita. Et licet domnus Hugo comes ex nostra parte & sua donum hoc apud Cellam fecisset, & locum & omnem substantiam loci jam domno abbati tradidisset, & omnes casati ecclesiæ liberi & servi fidelitatem ei fecissent; placuit tamen eidem domno abbati, hortatu quidem nostro, usque ad Novum-castrum venire, ut donatio ista majori firmaretur auctoritate. Ibi ego & frater meus Andreas & uxor mea Sibilla & avunculus meus domnus Manasses dedimus B. Martino & monachis ejus Majoris-monasterii has tres ecclesias cum universis quæ ad eas pertinent, id est ecclesiam de Rameruco cum omnibus appenditiis suis, ecclesiam S. Nicolai de Roccio cum omnibus appenditiis suis, ecclesiam S. Petri de Cella, cum omnibus appenditiis suis, ac de totis his tribus præfato abbati donum fecimus, ut abbas Majoris-monasterii pro arbitrio suo eas disponere, & quemcumque priorem, vel quantos fratres in unaquaque earum ponere vel auferre voluerit, secundum consilium capituli Majoris-monasterii, in sua libera habeat potestate. Notum autem omnibus esse volumus nos nihil dominationis vel consuetudinis in illis ecclesiis vel in rebus earum retinuisse, sed solutas & quietas & ab omni inquietatione omnium hominum vel dominatione vel exactione liberas præfati Majoris-monasterii abbati & monachis concessisse, quatenus fratres qui in eis Domino servient, nullius hominis inquietudine ab opere Dei præpediantur; sed in omni tranquillitate & quiete creatori nostro famulentur, ipsumque pro animarum nostrarum ac parentum nostrorum salute sine impedimento jugiter deprecentur, ut, quam actibus nostris non meremur, eorum & omnium fratrum Majoris-monasterii precibus vitam æternam, Deo propitio, consequamur. His ita peractis, donaverunt nos domnus abbas ceterique fratres cariore pignore, videlicet recipiendo nos in consortio fraternitatis suæ, ut deinceps participes simus tam beneficii eleemosynarum, quam & orationum Majoris-monasterii omni tempore, & anniversarium patris mei Hilduini ac matris meæ Adelaïdis & Hugonis fratris mei quotannis apud Majus-monasterium, & nostrûm omnium, qui dedimus, in æterna memoria habeatur. Ad quod donum isti testes fuerunt de monachis Gislebertus camerarius, Bernardus de S. Venantio, Drogo bajulus domni abbatis, Andreas de Gometrio. De laïcis, Ebalus Milvus, Albricus frater Guidonis. Milo filius Artaldi. Dudo dapifer. Evrardus Dei amicus. Milo filius Benonis. Falco filius Hecelini præpositi. Giraudus parvus. Giraldus vir Hersendis. Ogerius præpositus. Hilbertus de Bovini-curte. Girardus filius Gerelli. Gualterius filius Hilduini. Gualterius frater Itetii. Rodulfus filius Rolandi de S. Susanna. De famulis domni abbatis, Ebalus de Turone. Frogerius. Durannus Mariscalcus. Girardus de Ventilaio. Raginerus Vaslinus. Odo cellerarius. Ingelricus filius Ansegisi. Isenbardus clericus. Seardus camerarius. Benedictus Bucca-bruna. Gualterius. Ubi vero comes Terbaldus & oxor sua Adelaïdis, ac filii sui Stephanus & Odo concesserunt hæc quæ supra diximus B. Martino ac monachis suis, isti testes fuerunt. Eustagius Catalaunensis vicedominus. Dudo dapifer. Bonidonius capellanus. Milo filius Freerii. Hubaldus de Camilliaco. Girardus præpositus. Gilduinus vicecomes de Blesis. Manasses de Basilicis. Milo Medicus. Rainaldus filius Remigii.

Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo secundo, indictione v. regnante rege Philippo anno XXIII. episcopatus Roberti Meldensis episcopi anno I.

XXI.

Roberti Meldensis episcopi concessio cellæ Curiæ-Evroldi & Villaris.

EGO R. in Meldensi concilio a Romano legato, nomine Hugone, Meldensis ecclesiæ consecratus episcopus, notum facio tam futuris quam præsentibus, quod in episcopatu nostro quædam erat ecclesia beatorum apostolorum Petri & Pauli nomini dedicata, quæ abbatiæ nomen habebat, sed per incuriam habitantium dignitatem hujus nominis amiserat. Ordinavit igitur supradictum concilium, ut hujusmodi abbatiæ cellæ fierent & cellæ nominarentur, religiosisque monachis traderentur. Tali igitur auctoritate admonitus, cum assensu & voluntate comitum Eboli scilicet de Ruceio & Hugonis de Domno-Martino, quorum beneficiis parentum fundata erat, monachis B. Martini Majoris-monasterii illam concessi; & ut eam jure perpetuo sicut cellam possiderent, assertione nostrarum litterarum confirmavi. Concessi etiam illis duas alias ecclesias, ecclesiam videlicet de Curia-Evroldi & ecclesiam cujusdam vici nomine Villaris, & quicquid in diœcesi nostra fideles viri eis donaverint, & quicquid ipsi juste acquisierint.

XXII.

Philippi regis Francorum præceptum de auctoramento Cellæ.

IN nomine sanctæ Trinitatis, Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverit dilectio fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum, locum quem Cellam appellant, in terra comitis Terbaldi prope Criciacum, monasterium in ipso loco cum omnibus monasterio pertinentibus, quæ omnia Ebolus de Rociaco, & Hugo comes de Domno-Martino fratribus sancti Martini Majoris-monasterii largiri fuerant, idipsum annuente præfato comite Terbaldo, & nos ipsos eidem Monasterio majori & fratribus ibidem Deo militantibus, rogatu & petitione domni Bartholomæi abbatis ipsius Majoris-monasterii & ceterorum fratrum jure perpetuo concessisse possidendum & habendum. Annuimus etiam & volumus, quatenus quicquid fideles animæ fratribus præfati Majoris-monasterii largitæ sunt in regno nostro, fratres ipsi, tam præsentes quam posteri, auctoritate nostræ majestatis pati jure ubicumque locorum in perpetuum possideant & habeant. Et ut hoc largitionis donum & concessio nostra firma & inconcussa permaneat, memoriale istud inde fieri, & nostri nominis caractere & sigillo præ-

sentibus de palatio nostro, quorum nomina subtitulata sunt signari & corroborari præcipimus. S. Philippi Francorum regis. S. Hugonis fratris regis. S. Galeranni camerarii. S. Gervasii. S. Tetbaldi constabularii. S. Adelardi buticularii. Hi testes interfuere Gilo de Soliaco. Hugo de castello Theoderici. Fratres monasterii Archembaldus & Droco.

Actum Parisius anno incarnati Verbi millesimo octogesimo secundo, regnante Philippo rege anno XXIII. Gislebertus regis clericus ad vicem Goisfridi cancellarii, Parisiorum episcopi, legendo subscripsi.

XXIII.

Auctoramentum Johannis domini de Comburnio super ecclesia de Gusguen, & de Voël & de aliis.

Ad lib. 66. n. 47.

JOHANNES, dictus Dolensis Comburnii dominus, omnibus fidelibus salutem in Domino. Ego futurorum notitiæ declarare decrevi, quod plurium relatione audivi & didici, scilicet quod MAINO filius TRHENIGETE dedit Deo & B MARTINO Majoris-monasterii & abbati BARTHOLOMÆO & monachis ejusdem cœnobii apud Comburnum commorantibus ecclesiam S. MARTINI de Guguen & ecclesiam S. MARTINI de Voël cum omnibus appendiciis suis perpetuo jure possidendas. Descenderat enim aliquando idem venerabilis abbas in Britanniam causa visitandi domos, quas habebat in Britanniæ partibus, & hospitandi gratia venit Comburnium. Tunc venit ad eum supradictus MAINO, rogans eum ut descenderet apud Guguen visitare filios suos HAIMONEM & GAUTERIUM, qui gravi tenebantur infirmitate. Descendit & signum crucis frontibus eorum imposuit, & statim obdormierunt, & post somnum integræ sanitati restituti sunt. Quo viso & audito, quod leprosum osculo sanaverat supradictus abbas, & aquam in vinum converterat; supradictus MAINO & THEENUS pater ejus senior supradictas ecclesias ei dederunt concedentibus filiis suis HAIMONE & GAUTERIO. Et ALANUS filius FLOANDI quidquid juris io ecclesia de GUGUIN habebat, eidem abbati concessit ac monachis Comburnii. Monachi vero GAUTERIUM presbyterum ibi constituerunt, & BAUDRICO archiepiscopo præsentaverunt, & in tempore ipsius GAUTERII tertiam partem decimæ de Guguen habuerunt. Hoc ego JOHANNES a pluribus audivi; quæ sequuntur vidi, scilicet quod HAIMO presbyter de Guguen in præsentia HUGONIS archiepiscopi se deposuit, & ad jurisdictionem monachorum supradictam ecclesiam pertinere recognovit, & de manu GUILLELMI prioris ipse HAIMO ecclesiam recepit, & HUGONI archiepiscopo eum prior WILLELMUS præsentavit; & HUGO hoc concessit, & concessionem sigillo suo confirmavit. Necnon sciant omnes, quod ALANUS filius JORDANI, & EUDO Spina donationes antecessorum suorum concesserunt de ecclesia de Guguen, & innovaverunt in præsentia HUGONIS archiepiscopi, videntibus istis GUILLELMO priore, TURPINO & DURANDO monachis, magistro WILLELMO Suessionensi, EVANO Cato, NORMANNO de Listerio, & filio ejus GAUFREDO, PHILIPPO de Boteniguel, magistro HERVÆO, GAUTERIO Brasart, & multis aliis.

Dedit insuper coram istis prædictis ALANUS per manus HUGONIS archiepiscopi ecclesiam de Trunehet cum omnibus appendiciis suis, concedente GAUTERIO ejusdem loci magistro & omnibus fratribus ejus.

XXIV.

Charta Hugonis episcopi Gratianopolitani, vetantis ne mulieres Cartusiam accedant.

Ad lib. 66. n. 64.

Ex archivo Cartusiæ-majoris.

HUgo Gratianopolitanæ ecclesiæ vocatus episcopus, presbyteris & laïcis in Gratianopolitano episcopatu commorantibus, æternam in Domino salutem. Quomodo fratres nostri Cartusiæ monachi Deo placere desiderent, mundus quem fugiunt, & loci in quo habitant asperitas & solitudo satis probant. quorum desiderio, quoniam pax & quies maxime necessariæ sunt, supra pontem, qui terminus possessionis eorum est, ad removenda ea quæ proposito eorum contraria sunt, domum ædificari consuluimus, & præcepimus. Rogamus itaque dilectionem vestram, & authoritate divina injungimus, ut feminæ per terram eorum nullatenus transeant, neque viri arma portantes. Præter ea infra terminos ipsorum possessionis, piscationem & venationem & avium captionem, ovium vel caprarum, atque omnium domesticorum animalium pascua & transitum prohibemus. Obedientes monitis nostris divina clementia in gratia sua multiplicet, & in omnibus bonis quæ ibidem a servis Dei geruntur, vel usque in sæculi finem gerenda sunt, eamdem, quam habere ipsi cupiunt, partem tribuat. Inobedientes vero divino judicio reos relinquimus, & sæculari potestate puniri faciemus. Datum mense Julii, anno M LXXXIV.

XXV.

Abbatia S. Stephani de Vallibus diœcesis Santonensis subjicitur monasterio Malliacensi.

Ad lib. 66. n. 115.

Ex chartario Malleac.

VEnerabilium virorum, imo sanctorum Patrum authoritate ad nos usque pervenit, ea quæ inter mortales fiunt, donationes videlicet, conventiones, concessiones, sanctiones, & horum similia, memoriæ litterarum debere mandari, ne quod a sanctis & religiosis viris pro quiete & religionis custodia bene est dispositum, ulla valeat aboleri vetustate per successiones temporum, vel pravorum hominum invidiosa contentione perturbando debilitari. Proinde omnium posteritati fidelium veraci testimonio scripturæ notificamus, quod monachi S. Stephani de Vallibus religionis studio poposcerunt unum de fratribus Malliacensibus sibi dari abbatem, cujus doctrina & magisterio secundum instituta S. patris Benedicti regulariter vivere possent: bene memores sanctæ recordationis Goderanni, qui Malliacensis abbas, idemque Santonensis episcopus locum suum primus ab-

batiam constituit, & primum abbatem de Malliacensi monasterio primus ibidem ordinavit. Qui prædicti Vallenses monachi regularis vitæ affectu, ac sanctæ conversationis desiderio, immo sui fundatoris ducti amore, communi assensu dederunt ordinationem sui Vallensis monasterii domno Gaufredo abbati Malliacensi, suisque successoribus in perpetuum, & dando concesserunt: ita ut quotiescumque vel obitu, vel recessu abbas defuerit, semper petant sibi abbatem de Malliacensi monasterio,& habeant pro abbatis arbitrio & voluntate fratrum. Hoc etiam retento, quod si in suo Vallensi monasterio talis poterit inveniri, qui dignus sit ad tale & tantum onus suscipiendum, atque idoneus, ducatur ad Malliacense cœnobium, factaque inibi professione, promittat abbati & monachis de sua conversatione & sui ordinis observatione obedientiam. Denique ab ipso abbate & monachis ad pastorale officium electus, atque in electionem confirmatus,cum honore debito & reverentia ad sæpius dictum reducatur monasterium, ordinatusque ibi fungatur abbatis officio. Ergo quia dictus abbas Malliacensis, domnus videlicet Gaufredus, multum rogatus a monachis, & a bonæ memoriæ Rannulpho Xantonensi episcopo, & ab Helia de Didona nobili viro, petitioni ipsorum assensum præbuit, fratrem quemdam Rainaudum nomine illis tenore supascripto constituendo abbatem. quod præfatus episcopus pastoralis curæ non immemor, non solum fieri rogavit, verum etiam ordinationem jam dictam suorum consilio clericorum, Arduini scilicet, Guichardi, Oberti, atque Gaufredi, Malliacensi monasterio sua sententia pontificali autoritate more supradicto ipse concessit: pro quo, ut fieret, supplicaverunt episcopo ipsi monachi, & supra memoratus Helias de Didona, Helias quoque cognomine Arnaudus, & alii quamplurimi, qui supplicantes fieri rogaverunt, & rogantes, prout scriptum est, concesserunt; isti videlicet, Willelmus prior, Urso, Bernardus, Gumbaudus, Johannes, Petrus, Arnaudus, Willelmus frater ejus, Mainardus, Ricardus, Arbertus, Hostencius, Humbertus, Giraudus, Ursus, Humbertus, Petrus monachi, & cæteri, si quos prætermisimus. Helias de Didona, Goscelinus nepos ejus, Helias cognomento Arnaudus, Adhelardus de Morniaco, Gifardus, Willelmus cognomine Vivianus, Gaino Arnaudus, laïci. Isti, ut prædictum est, concesserunt præfatam ordinationem domno Gaufredo abbati Malliaci, suisque successoribus, audientibus istis, domno Rannulfo Xantonensi episcopo, cum clericis suis Arduino, Gauzberto, Gaufredo, Philippo S. Leodegarii* abbate, Willelmo, Terbaudo, Fulcardo, Rainardo monachis, & fratre ejus Galebruno, Aimerico cæmentario, laïcis, multisque aliis.

* S. Liguaire.

XXVI.

Ad lib. 67. n. 24.

Victoris papæ III. epistola ad imperatricem pro relevando tributo S. Sepulchri.

Victor episcopus, servus servorum Dei, gloriosæ & dilectæ filiæ A. imperatrici augustæ. Apostolicæ sedis debito compellimur, carissima nobis in Christo filia, majoribus & minoribus non subtrahere solitaria monita. in qua utrique causa tanto magis insistere sublimioribus debemus, quanto eos temporaliter plus prodesse aut nocere posse Christi pauperibus scimus. Unde cupiens tuam dignitatem in futuro non condemnari pro temporali oppressione peregrinorum & pauperum, sed glorificari pro revelatione eorum, denunciamus & obsecramus in Domino Jesu, ut ab oratoribus & visitatoribus sancti & gloriosi Sepulchri ejus facias cessare gravissimum & importabile tributum quod eis imponitur a tuis officialibus. Ut enim alia quæ ubivis locorum imperii tui patiuntur taceamus, in duobus tantum locis adeo angariantur, ut pro singulis equis tres aurei, & ex binis peditibus totidem tollantur. Insuper equos eorumdem oratorum violenter ablatos quandiu volunt angariant & vexant. Cujus quidem periculi malum, nisi quantocius imperiali edicto a regno tuo propellas, in animam tuam, quod absit, redundaturum scias: quia ad majores respicit quicquid a minoribus delinquitur, & facientes & consentientes pari pœna plectentur. Nos tamen, ut decet, semper in bono memores tui, & tuæ venerabilis genealogiæ, optamus te præ multis sic temet atque tuos regere, quatenus sic nomen bonum, quod melius est quam divitiæ multæ, acquiras, & in futuro gaudium domini tui feliciter introeas. Valere perpetuo tuam excellentiam & optamus & oramus: atque ut Romanæ ecclesiæ, scilicet primæ & propriæ matris tuæ, sicut te decet, recorderis, eamque semper venereris admonemus. Equidem ipsa jugiter tui in bono recordatur, & avitam prosapiam tuam veneratur.

XXVII.

Cella Gravensis fundatio.

Ad lib. 67. n. 30.

Omnibus notum sit quod nos Stephanus abbas S. Rigaldi, & frater Ermenaldus prior ejusdem loci, votiva concordia declinare volentes tumultuosas procellas sæcularium actionum, divino nutu devenimus in quamdam insulam in occidentali Oceano sitam. Cumque solitudinis gratia ibi manere vellemus, ipsam insulam juris esse Cluniacensis ecclesiæ accepimus. Factis itaque litteris, assensum domni Hugonis super hoc quæsivimus, & paullo post litteras ipsius mellissua consolatione refertas cum auctoramento ædificandi in fidelitate apostolorum Petri & Pauli & sua suscepimus. Venerat autem ad nos cohabitandi gratia quidam Cluniacensis monachus, nomine Willelmus, mihi Stephano germanus, in labore strenuus, ad piscandum sagacissimus, in cunctis actionibus accomodatissimus. Itaque ipso retia componente, piscarias construente, centuplo divinæ repromissionis cœpimus abundare.

Audientes incolæ famam nostræ conversationis optabant perfrui solatio nostræ collocutionis. Sed quoniam illuc non intratur sine metu naufragii, nos maximus tremor invaserat, ne aliqui interirent, dum nostri causa tantum subirent periculum.

Gratia igitur hæc evitandi pericula monachis

ac principibus devote suadentibus haud procul ab ipsa insula in locum qui dicitur Grava transmigravimus, ibique illis ad quos pertinebat concedentibus, oratorium & officinaspro posse construximus.

Antequam oratorium inciperemus, ad nos convenire dignatus est domnus Amatus sedis apostolicæ legatus, Burdegalensis archiepiscopus, qui nobiscum manducavit ac pernoctavit, missam celebravit, aquam exorcisavit, cœmeterium consecravit; & ut strenue monasterium ædificaremus, non solum concessit atque laudavit, verum etiam & sub obedientia imperavit.

Considerantes itaque tam ex nostrorum ipsorum labore, quam ex reddinbus præfatæ insulæ multa nobis provenire, simulque desiderantes monachos regulares in hoc loco nobis succedere, unanimiter concordavimus, ut nos, & omnia nostra quæcumque sunt, atque futura sunt, ecclesiæ Cluniacensi subjiciamus.

Notum sit etiam omnibus, quod ex longo tempore, antequam huc venissemus, ex quo scilicet litteras domni Hugonis cum licentia habitandi in Corda insula recepimus, quidquid habebamus, vel quidquid alias vel ibi ædificaturi, vel adquisituri eramus, totum memorato abbati & ecclesiæ Cluniacensi concessimus atque concedimus.

XXVIII.

Ad lib. 67. n. 60.

Charta de S. Laurentio sito in Ambianensi episcopio.

Ex chartario Angeriacensi.

* Wido. * Fulco. * Anselmus.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, W.* decanus, F.* & A.* archilevitæ, senatus & clerus universis ecclesiæ sanctæ Ambianensis fratribus nostris in Christo præsentibus & successuris de turbine & naufragio mundi periclitantis mente & desiderio exire, & in stadio vitæ præsentis suspirare, & niti ad bravium supernæ vocationis. Dilectioni vestræ innotescere decrevimus, fratres in Domino carissimi, quod precum nostrarum instantia, & diligentissimo hortatu, etiam ammonitione fratrum nostrorum R.* & bonæ indolis nepotis ejus R.* monachi, domnus O.* congregationis nostræ celeberrimus frater utiliter sibi providens, & suæ agnitioni ob salutem & remedium patris & matris, & ut declinare valeat increpationem & iram furoris Domini, quando tremens assistet etiam universa curia militiæ celestis, ecclesiam quamdam beati Laurentii martyris sitam in Corbeïensi territorio, beato Johanni-Baptistæ & abbati dedit & fratribus qui tanto famulantur præcursori, quatinus in æternum eam libere & absque omni censu possideant, assensu & benevolentia totius nostræ fraternitatis, ita quidem salvo jure ecclesiæ Ambianensis, & ejus qui secundum Dominum in ea pontifex præsidebit.... Concessit etiam T* frater ejus, ut sit particeps elemosinæ & orationis, silvam suam quæ ibi adjacet, fratribus, quoscumque abbas in monasterio illo deputabit, quantumcumque necessarium erit quoquinæ & omnibus eorum edificiis. Præter hæc libens & ultroneus annuit quatinus diebus singulis tantum lignorum in eadem silva incidant, quantum quadriga una trahere sufficiat, & hoc pro piscibus emendis. Dedit etiam tantum fertilis terræ & fœcundæ, in quantum karrutæ uni per totum annum pleniter sufficiat & uberrimæ, ea tamen conditione, quatinus universa ea, quæ misericordia Domini affluens ibi deputavit, & quæ, ut credimus, jam in posterum prolixius accumulabit, ea universa usibus fratrum conserventur, qui ibi Deo famulabuntur & beato Johanni-Baptistæ præcursori & martyri & sancto Laurentio, qui licet assatus, flecti tamen non potuit. Karta autem hæc lecta & approbata fuit in Ambianensi capitulo, anno ab incarnatione Domini M LXXXVIII. indictione XI. qua recitata, universus clerus qui aderat, assensit, & dixit: Si quis, quod absit, aliquid horum dissolvere voluerit, sit anathema, maranata, percussus gladio oris cum his deputandus, qui dixerunt Domino Deo: Recede a nobis. Gratia & pax & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen. Hæc sunt nomina supradictorum, Wido decanus videlicet & Fulco & Anselmus archilevitæ, Rotbertus canonicus, Raimundus monachus, Otbertus, Tetbaudus.

* Raimundi. * Roberti. * Otbertus. * Tetbaudus.

XXIX.

Lanfranci archiepiscopi Cantuariensium obituarium.

Ad lib. 67. n. 64

Ex tom. I. Angl. sacr.

QUinto cal. Junii obiit felicis memoriæ Lanfrancus archiepiscopus, catholicæ fidei fidelissimus observator & firmissimus roborator, qui coperante gratia Dei istam ecclesiam a fundamentis fundavit & consummavit, & multis ac honestis ornamentis, aliis ex auro mundissimo factis, aliis auro, gemmisque paratis, aliis etsi sine auro ac gemmis, magnifice tamen laudandis, ornavit; multis ac religiosis monachorum personis ditavit, multa multumque reverenda religione decoravit. Hic etiam claustra, celaria, refectoria, dormitoria, ceterasque omnes officinas necessarias, & omnia ædificia infra ambitum curiæ consistentia cum ipso ambitu mirabiliter miranda ædificavit. Pretioso insuper ornamento librorum istam ecclesiam apprime honestavit; [ex] quibus quam plurimos per semetipsum emendavit. Archiepiscopum quoque Eboracensem ceterosque hujus regni episcopos a subjectione hujus ecclesiæ resilientes ad veram & debitam subjectionem revocavit. Per hoc* etiam & ipso faciente omnes illas terras, quæ in anniversaria die regis Willelmi commemorantur, longo tempore amissas ecclesia ista recuperavit. Extra civitatem larga habitacula fecit, quæ pauperibus & infirmis replevit; quibus de propriis rebus victum & vestitum largiri præcepit. Similiter foris civitatem ecclesiam B. Gregorii composuit, in qua clericos posuit, a quibus morientes & unde sepulturam sibi possent præparare non habentes, & absque pretio susciperentur, suscepti illuc deferrentur, delati honeste sepelirentur. In maneriis ad archiepiscopum pertinentibus multas & honestas ecclesias ædificavit; multas & honestissimas domos præparavit, quod & archiepiscopis essent delectationi & honori, & pauperibus hominibus, qui archiepiscopis domos sæpissime præparabant, essent

* l. hunc.

sent

sent [in] tanti laboris sublevationem. Ecclesiam etiam Roffensem a fundamentis incœpit, incœptam honeste perfecit, quam multis & honestis decoravit ornamentis. Insuper & reverendam inibi monachorum religionem instituit. Terras de ecclesia longo tempore ablatas adquisivit, quas monachis ad victum & vestitum habere permisit. Necnon ecclesiam sancti Albani fundavit & fere consummavit, quam etiam multis & pretiosis ornamentis ampliavit.

Semper legatur obitus Lanfranci in ordine suo, licet in ebdomada pentecostes contigerit. Pronunciato anniversario domini Lanfranci archiepiscopi in capitulo, omnes simul fratres procedant in ecclesiam canentes *Verba mea*, interim sonantibus omnibus signis. Post cœnam pulsato signo ad vigilias, omnes solito more conveniant; ipsas vigilias festive peragant, duo tertium, tres sextum, quatuor nonum responsorium canant. In crastino quisque sacerdos missam unam pro eo celebrare debet; & qui missam non cantant, quinquaginta psalmos * cantet. Missa in conventu in albis festive celebretur, ad quam cantor & cum eo duo alii fratres sint capis induti; tres ad responsorium, quatuor ad tractum, similiter in capis. Ad pauperes pascendos ipso die thesaurarii debent dare quadraginta solidos. Servitium refectorii festive fieri debet, sicut in festivitate unius apostoli. Ecclesia parata permaneat, sicut in festivitate S. Augustini, donec peragatur servitium.

*cantent.

XXX.

Charta pro monasterio S. Quintini de Monte, de albanis.

Ad lib. 67. n. 94.

Ex autographo.

Anno ab incarnatione Domini millesimo & nonagesimo, Francis imperante Philippo regis Henrici filio, Remensem vero gubernante cathedram sanctæ memoriæ archipræsule Rainaldo, urbis Noviomorum domnus Ratbodus administrabat episcopatum, adeo dilectus & electus, ut prudens & fidelis in domo fidei præsulatus ageret principatum: cujus ordinationis vigintitribus volventibus annis, contra domnum abbatem Godefridum ecclesiæ Montis S. Quintini, quamdam litem promovit dominus Odo castri Peronensis, abbatiæ scilicet auferre volens omnes albanos, qui se se martyri prælibato pro tutela & advocatione dederant, antequam præventi essent a suis ministris, prohibendo ne ad prædictæ ecclesiæ dominium ex more confugerent, neve censūs capitalitios exsolverent. Quæ contentio cum in dies augmentaretur, nec abbate jus ecclesiæ, quod ab antiquis temporibus inconvulsum tenuerat, ipsius dominio concedente, nec milite a proposito petitus desistente; tandem supernæ pietatis respectus mentem illius ab hac removit intentione, & advenas avide prius usurpatos, facta donatione, perpetualiter habendos contulit jam dictæ ecclesiæ, ea videlicet conditione, ut si prius martyri manciparentur, quam a suis procuratoribus prævenirentur, nullum deinceps eis jugum servituris legaliter posset imponere. Ut ergo munus hoc .... per succedentia tempora firmum ac stabile foret, tertio anno, ex quo paternum jure heres susceperat honorem, idem Odo Peronensis, quod ecclesiæ sancti Quintini Christi testis dederat, deditionem scilicet ac permansionem albanorum, lege superius dicta scribro commendare voluit; neve in posterum sibi quisquam id vendicaret, in præsentia domni Ratbodi episcopi clericorumque ejus confirmare curavit, ab eodemque præsule auctorizatum proprio sigillo corroboravit. Addidit etiam martyri denominato alia quædam donaria tribuere; data quoque ab aliis huic suæ chartæ fecit adnotari. Ea vero quæ dedit sunt hæc. Ad Alowanniam quattuor hospites & mansus I. &c. Soror quoque ejus Adila sancto dedit post suum decessum alodium, quod habebat in Logiis,& partem suam de cambis Bitruniensis oppidi. Robertus etiam, pater ipsorum, medietatem altaris de Clariaco, & altare de Cumulis. Helvidis, Roberti mater, pro anima filii Odonis alodium suum de Dignifcurt &c. Domnus Ivo clericus, frater Odonis ac Roberti, quartarium largitus est de Liniaco, &c. Post dona horum virorum nobilium, dominorum scilicet castri Peronensis, contulerunt martyri sæpe fato viri insignes provinciæ, necne matronæ pro suis animabus ea quæ subsequuntur. Paganus de Roïa unum mansum terræ ad Clariacum. Milo de Clariaco I. campum ad Veleroïa. Emmelotz nonam partem alodii sui de Manuncurt. Adila, filia Gislanæ de Incra, quartam partem alodii de Bietizeiler, & quartam partem Gislanæ suæ matris alodii Bittuniensis. Balduinus comes de Montz XXXI. curt. & I. culturam terræ, & sedem unius furni ad Hatmies. Alelmus & Hadvidis soror ejus ad Bus duas partes medietatis vilæ ejusdem cum appenditiis suis; & Odo noster monachus unum clausum vineæ ad Cophetas. Elisabet mater ad Morilluncurt clausum vineæ & mansum I. &c. Monachi sanctæ Mariæ Humolariensis eidem sancto quotannis persolvunt sex solidos.... ad Cauviniacum pro eadem terra, quam ab eo mutuaverunt. Orulfus monachus dedit Phaphaï montem cum silva &c. Gofzelinus de Aurea-villa ad Fins alodium Wimeri Grossi de S. Paulo pro Oylardo monacho &c. Herbertus de Suessonis ad Alamans mansum usque in monasterio & gardonium & pratum & quatuor hospites & campum I. terræ &c.

XXXI.

Charta de cella Tauniacensi, Angeriacensibus subjecta.

Ad lib. 67. n. 106.

Ex Antiq. chartario Angeriacensi.

Sanctis attestantibus scripturis innumerabiles viros ac mulieres fuisse firmiter retinemus, qui amore & desiderio æternæ felicitatis perquirendæ succensi, propriis corporibus parcere despexerunt. Verumtamen tantæ beatitudinis ingressus non solum martyribus concessus est, sed & omnibus boni operis actiones habentibus pervius patet. Ad hujus igitur tantæ beatitudinis dulcedinem, GAUFRIDUS de Tauniaco inter cetera misericordiæ opera, quæ facere studuit, quoddam beneficium, cujus ALTANUS, cognomine MASCELINUS, incœptor exstiterat, sicut in consequentibus apparebit, satis convenienter ad finem usque perduxit. Est autem ecclesia beatæ Mariæ fem-

per virginis infra Tauniacenses muros fundata, quæ de sancti martyris Hippolyti corpore venerando fit præcipue gloriosa; in hac quoque a præfato Mascelino collocantur canonici, ut devota mente servi Deo famularentur, quorum numerum, majoribus suis defunctis, Gaufridus adauxit in diebus suis. Canonici vero male viventes sæpius admoniti, dum vitam suam corripere nollent in præsentia venerabilis RAMNULFI, Santonicæ sedis episcopi, ecclesiam tali tenore relinquunt, generaliter omnes, ut in eadem ecclesia monachi ponantur & abbas, qui die noctuque Deo pariter & martyri suo dignam servitutem exhiberent. De quorum relictione Gaufridus vehementer admirans & gaudens, quippe qui diu quod desideraverat, sine difficultate adimpleri videbat, concito gradu ad Angeriacense cœnobium, ODONI ejusdem loci abbati, quæ facta fuerant per ordinem relaturus; & ut ordine monastico corroboraret, secundam canonicorum petitionem omnimodo rogaturus. Vix tandem apud abbatem auditus, turba cleri & populi subsequente, capitulum ingreditur, ibi nempe circumstante conventu in manu præfati Odonis abbatis ecclesiam, ubi fieri abbatiam precabatur, ordinationem quoque & omnia quæ ipsius sunt ecclesiæ, vel quæ possint esse, Deo sanctoque Johanni per hanc chartulam subjugavit, quam postmodum depicta cruce, propria manu principali altari sancti Johannis superposuit videntibus illis, quorum nomina in summitate chartulæ scripta habentur. Hujusmodi autem abbatiam tali conditione Odo abbas accepisse perhibetur, ut quemlibet de suis monachis in ea abbatia jusserit ordinari, vel ipse vel successores sui, illi scilicet ordinando virga pastoralis in capitulo dabitur, & ibidem auferetur, si negligenter vivens deponi meruerit. Sane novitios, qui per ejus doctrinam & magisterium adhærere Deo voluerint, in congregatione sua recipiet, ac postea ad monasterium sancti Johannis professionem suam facturos adducet.

His itaque firmatis, Romam petiit Gaufridus, notificans URBANO papæ reverentissimo, qualiter ecclesiam suam de manu canonicorum male viventium justo Dei judicio ereptam, ad gradum libertatis per Odonem erexerat; unde papa valde lætificatus ex auctoritate beatorum Petri & Pauli, & sua, quidquid de ecclesia fiebat, & danti & accipienti diligenter annuit, secutus antecessorem suum Ildebrandum, magnæ & admirandæ sanctitatis virum, qui dum adhuc viveret, hoc ipsum Gaufrido concessisse cognoscitur. Itaque auctoritate sedis apostolicæ & privilegio Odo abbas prædictus quosdam de monachis suis transmisit Tauniacum, quibus præfecit abbatem, nomine FULCHERIUM. Ad hunc ergo benedicendum cum accessisset prædictus Santonensis ecclesiæ præsul, & paupertatem novellæ abbatiæ visu corporeo intueretur, motus tam pietate quam præsentium prece, prout divina benignitas disposuerat, ei compatiendo subvenit: Sciant, inquit, omnes quicumque in illis partibus Santonicæ diœcesis ecclesiarum sunt possessores, quæ dominii vel juris Tauniacensis domini existunt, a me datam esse liberalem licentiam, qua cuicumque volenti licebit, quod in eisdem ecclesiis suum est proprium, donare soli sancto Hippolyto martyri &c. *multi multa dederunt*. Deinde celebratur benedictio abbatis, quæ quidem Gaufrido sæpius nominato tantum gaudium attulit & generavit, ut mox dederit ei, scilicet novello abbati & posteris suis tantum calefactionis omni tempore, &c. Facta sunt hæc anno ab incarnatione Domini M XCVI. indictione XIV. regnante Philippo Francorum rege, duce Aquitanorum Willelmo, episcopo Sanctonarum Ramnulfo &c.

XXXII.

Charta Odonis episcopi Bajocensis pro libertate ecclesiæ de Ros. — Ad lib. 68. n. 36.

Ex authentico in archivis S. Audoeni.

EGo Odo, sanctæ Bajocensis ecclesiæ episcopus, notum esse volo fratribus & coëpiscopis nostris, & maxime hujus ecclesiæ nostræ rectoribus, tam præsentibus quam futuris, quod calumniam illam, quam adversus congregationem sancti Audoëni totiens procuraveram pro ecclesia quadam nostræ diocesis, id est de Ros, quod inter ejusdem diocesis ecclesias ipsa sola cum appenditiis suis capellis a debiti pontificalis solutione libera manebat, ipsam calumniam ab hodierna die in posterum remissibilem facio, non pecuniæ amore captus, sed scriptis & privilegiis sancti Audoëni perfractus, quibus recitatis, in veritate comperi, quod multa ante nos tempora ecclesia beati Audoëni hanc ecclesiam inconcussa quietudine in usu famulorum Dei tenuit. Et ideo ne videar adversus sanctum Dei injuriosum clamorem renovare, & hunc, quem hactenus exercui, penitus remitto; & si quem de hac ipsa re ad damnum sancti patris nostri Audoëni & servorum ejus venire contigerit, ex auctoritate Dei patris omnipotentis hunc ipsum, & sanctorum canonum, a liminibus sanctæ ecclesiæ & a cœtu christianorum alienum facio, excommunico & anathematizo.

Illud autem prætermittendum non est, quod domnus abbas Nicholaus unam pretiosissimam candidi coloris capam michi pro signo contulit, non tamen mea monitus petitione, sed sua spontanea voluntate, quatenus ratum & inconcussum scriptum semper maneat. † S. Odonis episcopi. † S. Bernardi archidiaconi. † S. Rodulfi archidiaconi. † S. Gozelmi archidiaconi. † S. Richardi gramatici. † S. Ogeri cantoris. † S. Fulconis. † S. Osmundi. † S. Stephani. † S. Anskitilli. † S. Normanni. † S. Huberti. † S. Osmundi. † S. Normanni. † S. Rannulfi. † S. Turstini. † S. Richardi. † S. Willelmi script. † S. Willelmi. † S. Lamberti. † S. Odonis.

XXXIII.

Excerpta ex libro Godefridi Remensis magistri, cui titulus, SOMNIUM DE ODONE AURELIANENSI. — Ad lib. 68. n. 42.

Ex cod. ms. colleg. Soc. Jesu Paris.

ABdiderat celerem sol pronus in æquora cursum &c.

Adstitit Odo meos magnum decus inter amicos &c.

Multis laudat ejus dotes, tum de ejus prosapia sic prosequitur:

Quem genus a proavis, & linea sanguinis alti
Ornat, ab ingenuis tota trahenda viris.
Quorum res gestas, titulos, pacem, horrida bella,
Flaventis Ligeris unda silere nequit.
Hunc super innumero fregerunt agmine castra,
Si qua fuere suis ausa nocere viris.
Hunc super hostiles armis stravere catervas,
Hunc super indomitos edomuere viros.
Ortus ab his atavis, & ab his majoribus Odo,
Contiguus cælo jure videndus erat.
Sed licet & generis cesset clarissimus ordo
Tantus & ad laudem nil operetur honor,
Sufficit ingenii liquidissima vena profundi,
Et quod se infudit tota Minerva sibi.
Sic certe deducta mihi sua carmina fiunt,
Ut si quis docili pollice fila trahat,
Nil illic quod corda oneret, quod prægravet aurem,
Quodque supervacuum jure vocetur opus *&c.*

Pluribus laudat ejus versus, tum narrat quomodo ei in somno visus fuerit.

Denique me modico speculatus tempore, sedit
Et tacita tetigit pectora nostra manu,
Atque ait, Odo tuus subii tua tecta, tuoque
Proximus assideo, mi Godefride, thoro;
Sed nec vectus equo, nec cerula per freta velo,
Nec pedibus veni, labilibusve rotis.
Aëra per vacuum, suspenso corpore pennis,
A Genabo Remis me levis aura tulit. *&c.*

Multa habet de desiderio eum videndi, quo actus ita venerit.

Sic ergo me ventis credens te propter, amice,
Non timui dubias pendulus ire vias.
Et quia nostra tibi sunt semper opuscula cordi,
Nec sunt arbitrio projicienda tuo.
Attulimus qui bella canit Trojana libellum,
Quem tu sæpe tibi me recitare facis. *&c.*

Orat, ut recitet quæ de bello Trojano carmina ediderat.

XXXIV.

Ad lib. 68. n. 75.

Ex authentico Burguliensi.

Fundatio prioratus S. Michaëlis prope ligerim.

A. Ω. ANtiqua traditio & necessaria consuetudo obtinuit, ut si quid ageretur quod dignum memoria posteris temporibus censeretur, ne vetustate ingruente rei gestæ veritas fuscaretur, res gesta solemniter litteris mandaretur. Quod, id ipsum ego Aymericus Machelli Santonensis filius fieri mandavi, ne elemosyna scilicet quam legaliter egeram, aliquando traderetur oblivioni. Sciant igitur coetanei & successores nostri, quoniam super fluvium Ligerim prope castellum quod dicitur Legais, est vicus quidam, in quo est in honore sancti Michaëlis ecclesia, a quo ipsa villa sibi nomen vindicavit: ita ut hodie sancti Michaëlis locus ille vulgariter appelletur, pro veneratione scilicet beati archangeli taliter nuncupatus. Ecclesiam itaque præfatam antecessores mei terris, pratis, vineis, decimis, aliis reditibus aliquantulum ditaverant: ditatam quatuor clericis commiserant, quos canonicos appellabant. Ingelgerius autem avus meus videns quoniam quantum ad Dei servicium ecclesia debebat emendari, ut monachos ibi mitteret, voluntatem quidem habuit, sed voluntatem suam minime implevit. Hoc tamen constituit, ut si aliquando ibi monachi mitterentur, de nullo alio, nisi de loco assumerentur Burguliensi. Id ipsum pater meus Machellus, qui Burgulii monachus effectus est, & filiam Ingelgerii, matrem meam Richeldim habebat, obtestatus est. Ego vero Aymericus avi & patris mei satisfaciens voluntatibus, & matris meæ Richeldis obsecundans postulationibus, loco sancti Petri Burguliensis in jus & dominationem monachorum inibi Deo servicium * dedi & transfudi ecclesiam illam, sicuti canonici eam tenuerant & possederant, ipsis canonicis concedentibus: ut de cetero eam quietam teneant & possideant, & ab omni inquietudine sæculari immunem habeant. Consuetudines etiam quas ab decessoribus meis canonici habuerant, monachi identidem habeant, scilicet in bosco meo porcos suos sine pascuario mittant. quicquid homines mei liberi vel non liberi de suo loco illi dare voluerint, habeant, & si in datis rebus aliquid consuetudinis ego vel successores mei ...., habuer ..... absque consuetudinis illius redibitione monachi quiete possideant. Nam & illud canonici similiter fecerant. Præter vineas, prata, terras cultas & incultas, quæ ejusdem ecclesiæ extiterant, homines monachorum vel in domo vel in terra sua commanentes liberi existant ab omni vicaria. Precor itaque & obtestor omnes successores meos, ut hanc elemosinam meam, quam pro prædecessoribus & successoribus meis feci, ipsi quoque conservent, augmentent, & muniant: ne si aliter egerint, beneficii hujus priventur participio, & trudantur in infernum pro tam nefando sacrilegio. Feci enim hanc elemosinam fidelium meorum sano usus consilio, Richeldis matris meæ, Ingelgerii filiæ, indesinenti succensus precatio, omnium fratrum meorum assensu suffultus benivolo. Feci autem hanc donationem legaliter in capitulo Burguliensi, videntibus monachis & laïcis, ubi reciproca vicissitudine in eodem capitulo beneficium orationum recepi. Et pactum est ut in eodem capitulo ego & Carbonellus frater meus mortui pausaremus, aut si vellemus viventes monachi essemus. Dono in capitulo facto accessi ad Radulphum secundum Turonensem archiepiscopum, deprecans uti dono huic assentiret, quod & ipse fecit, & in capitulo sancti Mauricii Turonensis confirmavit. Supplicavi etiam super hoc Fulconi Andegavensi comiti, Goffredi Martelli nepoti, qui meæ petitioni libenter assensum præbuit, ut pote pro anima Goffredi Martelli avunculi sui, & ipse confirmavit, & optimatibus suis hanc chartam ad confirmandum tradere jussit. Hoc autem factum est anno incarnationis dominicæ millesimo nonagesimo III. indictione I. epacta XX. concurrentibus V. Hoc donum supradicti Aymerici Machelli viderunt isti testes, nomina quorum subsequuntur. Gislebertus Alo, Aymericus Launus, Hugo Rigaut, Gausridus de Velottio, Hucbertus de Silinniaco, Galo de Prulliaco, Andreas sacerdos, Petrus Rufus, Aymericus Rufus, Goffridus de

* servientium.

Curtiaco, Ivo de Condua, Hugo de Gisuis, Boso Rabastenus, Aymericus filius ejus, Constantinus judex, Maura. Ex oostris vero, Bernardus serviens abbati, Stabulus coccus, Mainardus filius ejus, Goffridus cellerarius, Silvester frater ejus, Ricardus famulus. Viderunt hi, Galoïus vicarius, Beraldus major, Ademarus Vendarius, Fulco major, Fulcherius, Goffredus S. Carbonelli, Goslenus frater Vicarii, Gaufredus filius Galoïi, Bernardus Arduinus, Constantinus serviens. † S. Aymerici. † S. Berlali de Mosterio. † S. Franconis. † S. Comiris. † Signum Aimeriei Faïacensis.

XXXV.

Ad lib. 68. n. 71.

Ex chartario Regulensi.

Concilium Burdegalense anno M XCIII. *celebratum.*

OMnibus sanctæ Dei ecclesiæ cultoribus notificare curavimus, cœnobium sancti Caprasii, quod est situm io loco, qui dicitur Pontonis, & quod per multa spatia temporum fuerat subtractum violentia quorumdam pravorum, qualiter sit redditum & restitutum monasterio sancti patris Benedicti Floriacensis. Fuit quidam monachus, nomine Otgerius [de Landerroo] prior loci Regulæ, qui graviter ferens amissionem tantæ rei, audiens & intelligens ex chartis antiquitus conscripris supradictam fore juris conscripti sancti patris Benedicti, veniens ad Burdegalense concilium coram domno Amato, legato apostolicæ sedis & archiepiscopo Burdegalensi, & archiepiscopo Auxiensi, nomine Willelmo-Bernardo, & coram omnibus circumsedentibus, episcopis videlicet & abbatibus, de Bernardo Aquensi episcopo, qui tunc temporis locum injuste possidebat, proclamationem facere noo distulit. Ille vero legatus, utpote vir apostolicus & veritatis amator, recognoscens ex his dictis multorum proclamationem non esse fictam, super hoc requirens prædictum Aquensem episcopum, facere justitiam canonice noo negavit. Quapropter ille Bernardus condescendens præceptis canonum, recognoscens veritatem, non multum reluctans totum cum omnibus appenditiis suis Deo & sancto patri Benedicto per manum supradicti legati, & archiepiscopi Auxiensis, plenissimo in concilio reddidit. Hujus redditionis testes & visores hoc in privilegio subscribuntur. Signum domni Amati vicarii & archiepiscopi, signum archiepiscopi Auxiensis Wilhelmi-Bernardi, signum episcopi Agennensis Simonis, signum episcopi Petragoticensis Raimaldi, signum Ademari episcopi Engolismensis, signum Hodonis episcopi Bigorræ, signum Bertrandi Coovenensis episcopi, signum Petri Adurensis episcopi, signum Stephani episcopi Vasatensis, signum Bernardi Aquensis episcopi, cum quo excussa & definita est causa. Actum anno M XCIII.

XXXVI.

Ad lib. 68. n. 96.

Ex ms colleg. Soc. J. Paris.

Versus cujusdam monachi carpentis quemdam abbatem, nomine Yvonem.

QUæ titulata pii titulus profert Dyonisii,
Hæc modicus modico direxit amicus amico,
Qui nondum notat sub quale caribde laborat,
Occultans illa fiat damnata favilla,
Et ceu scintillæ stipularum corruat ille.
Virtus Samsonis, sapientia vel Salomonis
In melius mutent te, consolando salutent
Cum tu dormites, cum non instantia nites.
Yvo tuum nomen miserum nanciscitur omeo,
Sicut enim spero, quæres suffragia sero,
Ni vigili cura ceries superare futura.
Ecce cadit vilis, sublimis honor monachilis,
En cadit & per te, clamatur utrumque super te.
Jam sedet in Rama tua præ tristissima fama,
Crimeo inauditum, quem terrirat omne peritum.
Quem dabis abbatum similem fecisse reatum?
Compedibus fessi, nimiaque tyrannide pressi,
Vocibus & scriptis sibi, te nolente, relictis,
Per mare, per terras quam veraciter erras
Hac hæresi inulta, quæ noo remanebit inulta;
Nam super altare præsto sunt dicta probare.
Asserit Algisus in Xhristi nomine fisus,
Yvo simoniace quia vixeris & sine pace,
Ex quo sumpsisti, quam nequiter obtinuisti,
Virgam pastoris sumptam fallacibus horis;
Et gemit, & dicit, Quæ me vesania vicit?
Ah miser! huic hæresi consensu captus adhæsi,
Ne cum Robertus post mole doloris opertus,
Quem tibi credentem, sed multum proficientem
Carcere pœnali sub persona laïcali
Nequam clausisti, dehinc exilio pepulisti.
Septimus est annus; rex vindicet, obsecro, magnus.
Talibus insudas; sudabat in his quoque Judas.
Ergo dum patrem perdis, sanctam quoque matrem
Ecclesiam flere facis, inque dolore sedere.
Nam quos nutrivit, in se retinere nequivit.
Ad quidquid velles hostes nec lege rebelles
Tu subtraxisti sibi, tu sub morte dedisti,
Et sic quod nullam debes portare cucullam.
Quid magis iratus faceret pro plebe Pilatus?
Approbat a notis nugis omnino remotis
Qualis & a puero sis, & nunc ordine vero
Quod licet imberbis ex rusticitate superbis,
Quod ne dedicas meretrices pascis amicas.
Quod sis exosus, quod sis irreligiosus,
Quod cupis avelli precibus pro turbine belli,
Quod sis perjurus, cleptes, homicidaque durus.
Si quid habes profer, & te, miserabilis, offer
Judicis ante pedes, noo has rediturus in ædes,
Deque sua causa sic describit manus ausa.
Non est sub divo similis tibi traditor, Yvo,
Quippe tuo more posito de fronte pudore,
Me tibi confessum oimis egritudine pressum,
Omnibus esutum propriis & te duce tutum
Tecum duxisti furtim regique dedisti,
Rexque suis servis in me torquendo protervis,
Me, cujus pectus reprimit miseranda senectus,
Sudibus afflicto minima cista male stricto,
Præter habere cutem mihi diripuere salutem,
Responde, quæro, faceretne simillima Nero?
His aliisque modis decerneris instar Herodis.
Huic quocumque modo valet ardens præstitat Odo
Fortunæ casum nigriore dæmone suasum,
Quid facies inde fit quæstio de Fredesinde,
Quam ni cognosses, felix esistere posses &c...
Vix est tuta fides, argentea munera si des,
Fraude quidem nacta propter tot munera facta,

Ut minus astutum regalia jussa secutum
Pace data tutum cum rege diuque locutum
Sumptibus allatis de regis parte paratis,
Cum jam cœnaret, cum nulla sinistra putaret
Petrus fraude catus, qui nunc est exoculatus,
Azo suus frater, quem spiritus effugat ater,
Illum ceperunt, tortoribus exhibuerunt
Tanquam latronem contra jus & rationem;
Non daret insanus pejora Diocletianus.
An rex nescisset, ao munera capta cupisset,
Credidimus miræ districti judicis iræ,
Cum miseri flerent, cum livida membra dolerent,
Corporibus strictis, digitisque rigalibus actis
Imbre superfusi, quo non sunt amplius usi,
Ut misereris; at tu nihil inde vereris:
Implotaverunt, nec quicquam promeruerunt.
Hos pietas digna miseris miserendi benigna
Jure suæ fortis rapuit de numine mortis.
Nunc iterum quærunt quod sæpius experierunt
Supplicibus verbis, etsi nimis inde superbis,
Vinclis eductas nec adhuc ad ovile reductas
Pastor oves humeris referas, ut propitieris
Illis omnino derosis dente lupino,
Si qua tibi cura præstet de morte futura.
Ante pluet sanguis, & fiet lucifer anguis,
Et nix fervebit, & flamma gelata manebit,
Quam cessent isti tibi reddere quod meruisti,
Ni defungaris & sandapila tenearis,
His ni compescas ut quisque famelicus escas,
Ut sitiens potum cupit, extat amabile votum,
Ut te deponant idem sua crimina donant.
Odo petit synodum, cupiens dissolvere nodum.
Talia Roma sciet, per eam res cognita fiet.
Quamvis in baratrum det te sententia patrum,
Audis illatum vera ratione reatum.
Si petis e contra, quid sit fallacia monstra.
Appetitur vindex & claret criminis index,
Quidquid narrabit, ferro candente probabit.
Cervicis duræ vir, non sunt hic ubi curæ,
Ad te prædoni magis assimilas Pharaoni.
Ecce perit quartus vinclis & sudibus artus,
Proditione datus camerarius Odo vocatus,
Pro libris centum, tibi det Deus emolumentum.
Turpis & immanis carcer ligat Aurelianis.
Vos illi, patres, & vos succurrite, fratres.
Clamitat insomnis & plebs & grex pius omnis,
Vel deforis f..ctum, vel ubi vel quando sit actum.
Talibus apponis stimulos tibi perditionis,
Hæc tibi veridicus audita notavit amicus.
Quod mage miramur modo de Fredesinde loquamur.
Verus amor nescit abscondi, nec requiescit *&c.*
Taliter apponis maculas tibi suspicionis:
Rodululo credis, nec ab ejus velle recedis,
Quem scis sactilegum, contemptorem quoque legum,
Cum tantum damnum faciat tibi quemque per annum,
Cum d. cies mille tibi libras auferat ille,
Turpis & ignarus pro nequitia tibi carus,
Ecclesiæ tantæ post te dominetur & ante,
Et grex tristatur vilis Geta cui dominatur.
Hic tuus archadicus super omnes regnat amicus.
Frangatur collo, certe sic laudat Apollo.
Eugerus vero demisso corde severo
Effugiens litem volt se de paupere ditem.
En facinorosum scelus, en ignominiosum
Ergo dicatur lucrum, nam uxor amatur.
Yvo tamen mando caveas scelus hoc agitando,
Nam nisi desistis ab amatis sordibus istis,
Aut cæsus fueris vehementius, aut morieris.
Multa quidem recolo, quorum plus scribere nolo.
Quæso tui pulchri relegas epigramma sepulchri;
Dignus ea laude, per idonea tempora gaude *&c.*

XXXVII.

Viennensis S. Andreæ abbatia Casæ-Dei subjicitur a Guidone archiepiscopo.

Ad lib. 68. n. 103.

Ex archivo Casæ-Dei.

GUido Dei gratia sanctæ Viennensis ecclesiæ servus, omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus perpetuam in Domino salutem. Ego Guido, per gratiam Dei Viennensium archiepiscopus, gravissimum animadvertens de neglectibus commissorum pastoribus imminere periculum, & copiosum beatitudinis provenire præmium, si salubria eis & recta providerint; cum desiderarem beati Andreæ apostoli abbatiam quondam religiosam ac multa dignitate præditam, infra mœnia urbis Viennæ sitam, omni penitus monastica disciplina inhabitantium pravitate desolatam & temporalibus beneficiis prorsus attenuatam, ne de ipsorum iniquitate judicium subirem divinæ ultionis, convocatis sanctæ Viennensis ecclesiæ fratribus, domno videlicet Rostagno præposito & Sigebodo decano, Ademaro atque Richardo, ceterisque archidiaconibus ac aliis canonicis, sollicite de prædicti monasterii restauratione in commune tractavimus. Communicato autem consilio, cum manifesta suggereret ratio, nullatenus per prædictos habitatores in pristinam dignitatem ac religionem posse reformari, utile duximus prædictam abbatiam venerabili ac religiosæ abbatiæ, quæ Casa-Dei dicitur, tradere, & tradendo ad instruendum committere. Quapropter universali Viennensis ecclesiæ conventu unanimiter laudante ac confirmante, domno Pontio Casæ-Dei venerabili abbati ejusque successoribus regulariter viventibus prædictam sancti Andreæ abbatiam ad honorem Dei & ecclesiæ Viennensis pro salute animarum nostrarum concedimus, & concedendo donamus, ut exinde domnus Pontius abbas Casæ-Dei, successoresque ejus eamdem libertatem eademque jura habeant in abbatia prædicta, quæ in Casa-Dei habere videntur, salva reverentia Viennensis ecclesiæ & nostra, successorumque nostrorum in omnibus & per omnia, ita tamen ut prædictus locus numquam a dignitate abbatiæ descendat. Ille vero, quem abbas Casæ-Dei in abbatem sancti Andreæ de suis & consilio fratrum Casæ-Dei elegerit, cum ab archiepiscopo consecratus fuerit, omnem obedientiam & reverentiam, sicut ipse ante electionem persolvere solebat abbati Casæ-Dei, cum omni humilitate exhibeat. Si autem, quod absit, in vitium rebellionis se contra archiepiscopum Viennensem, aut contra abbatem Casæ-Dei erexerit, aut aliqua digna depositione infamia notatus fuerit, nostra successorumque nostrorum concessione & authoritate abbas Casæ-Dei in eum tamquam in suum monachum corrigendi, suspendendi liberam exerceat potestatem, deponendi vero cum Viennensis

archiepiscopi consilio. Si quis autem cum manu tenere aut deffendere contra archiepiscopum, aut contra abbatem Casæ-Dei præsumpserit, judicio subjaceat excommunicationis, & Viennensis mater ecclesia totis viribus in eum insurgat. Illi vero qui impræsentiarum in abbatia sancti Andreæ monachi sunt, aut in futuro ibi ad conversionem venerint, consecrati ab abbate ejusdem loci obedientiam sibi promittant, sed professionem secundum morem monasticum abbatiæ, quæ Casa-Dei dicitur, faciant. Et ut hoc donum firmum permaneat, ego Guido Guillielmi comitis Burgundiæ filius, sigilli nostri impressione hanc nostræ donationis paginam signavi. S. domni Rostagni præpositi. S. Sigebodi decani ..... ceteris canonicis collaudantibus.

XXXVIII.

Ad lib. 69. n. 21.

Epistola sanctimonialium Blasiliensium ad Urbanum II.

Ex ms. col. communic. a D. Theilhard.

SUmmo domino papæ Romanæ ecclesiæ Urbano, humilis grex monialium seu clericorum monasterii Blasiliæ in Domino optimam gratiam & salutem, atque in omnibus obedientiæ sibi servitutem. Apostolica ac venerabilis tua dignitas, domine pater, manifeste sciat & credat nos quotidie flexis genibus Deum orare, ut te tuosque salvos & incolumes custodiat, necnon digne & laudabiliter regimen vestrum omni ecclesiæ vigere & præsidere concedat. Vestra enim targa nobis arma & scutum inexpugnabile debet esse, vestri autem privilegii authoritas nos tutos ac liberos ab omni aliorum servitute sibi in perpetuum debet habere. Temporibus igitur priscis, matrona quædam, nomine Ermengarda comitissa, uxor Bernardi comitis Pictavorum, pro salute sua, utriusque sui, & pro animabus filiorum suorum defunctorum, Warini scilicet & Willelmi, monasterium Blasiliæ in prædiis suis constituit, atque circa adjacentibus campis & villis & ecclesiis sanctimoniales Deo servientes ibi unde viverent hæreditavit, deinde diligenter Romam petivit, ipsumque cœnobium beato Petro apostolo, atque episcopo, qui tunc temporis apostolicæ sedi præsidebat, in proprio juri concessit; ipse autem papa huic dono benigne favens quinque solidos monetæ Pictaviensis sancto Petro semel in anno decrevit, insuper etiam apostolici privilegii auctoritate idem cœnobium abbatiam monacharum in perpetuum constituit, altari etiam, quod adhuc habemus, sua propria manu consecratum per ipsam matronam nobis transmisit, apostolicam quidem absolutionem & benedictionem nostris benefactoribus, excommunicationem atque anathematisationem, calumniam atque inquietudinem nobis inferentibus propriis litteris semper nobis notavit. His igitur firmissimis decretis & constitutionibus nostrum monasterium ædificatum cum omnibus nobis appenditiis diu in pace & magna in prosperitate permansit. Statim ut Roma caput nostrum & defensio nostra inquietari ac perturbari cœpit, insurrexerunt monachi Casæ-Dei, & ecclesiam sancti Stephani protomartyris & sancti Leonis papæ urbis Romæ, quem Romani, quia Carolus imperator elegit eum, excœcaverunt, corpus cujus, ut credimus, ibi requiescit, manu ac violentia cujusdam potentis Stephani Mercoriensis, nobis contradicentibus abstulerunt, & auxilio domini Durandi Claramontensis episcopi ipsam tenuerunt, quamdio vixit supra dictus Stephanus. Post mortem vero ejus, judicio præpositi & abbatis Claramontensis septem presbyteri nostri juraverunt alodium esse sancti Petri, ut altaris Blasiliæ, recipiente episcopo hoc sacramentum: ipsi tamen monachi adhuc rebelles, rectum quod firmaverunt, per septem milites tenent, & excommunicatione episcopi illam ecclesiam destitutam & absque ministerio faciunt esse, ministrum etiam ejus in modum sacrilegi extra ecclesiam. Ideoque suppliciter & benigne rogamus & obsecramus, ut consuetudinem quam tui antecessores fecerunt, facias, & ecclesiam quam clamamus, atque monasterium nostrum cum omnibus rebus suis ab invasione & ereptione supradictorum monachorum eripias, & nos a servitute omnium aliorum in perpetuum protegas & defendas. Vale.

XXXIX.

Ad lib. 69. n. 21.

Placitum inter Archimbaldum V. dominum Burbonensem & monachos Silviniacenses, tempore S. Hugonis.

Ex chartario Silviniacensi.

CUm certissime constet humanum genus jugiter torrentis more ab ortu ad occasum defluere, & cum transeuntibus hominibus facta quoque eorum & dicta oblivione pariter præterire, recti videtur esse consilii, si quoties aliqua certæ utilitatis causa futurorum sunt notitiæ imprimenda, ea ne oblivione depereant, litteris studeamus inserere. Hujus igitur rei gratia, volumus ad cunctorum tam præsentium, quam etiam futurorum notitiam huic tradere chartæ, qualiter inter domnum Hugonem abbatem & Archimbaldum quintum de Silviniacensis loci consuetudinibus placitaverint, qualiterque eas in eodem placito ordinaverint. Locus quippe jam dictus ab ipso sui exordio usque ad hæc nostra tempora satis nobiliter magna pace, & sui de die in diem melioratione floruerat, tam meritis sanctorum ibidem quiescentium, quam etiam devota provisione & tuitione, necnon etiam largitione principum Borbonensium, ejusdem villæ advocatorum dumtaxat vice præsidentium. At vero tenente ejusdem terræ principatum quarto Archimbaldo, filio videlicet illius qui apud Monticulum jacet, cum esset isdem vir sæculari prudentia & potentia satis præeminens, & sæculari ambitione, non solum in rebus laïcorum, sed etiam sanctorum locorum immoderatius exardescens, in prædicta villa Silviniaca quasdam pravas consuetudines primus cœpit intromittere. Sæpius ergo blande, sæpius severe correctus a domno Hugone Cluniacensis monasterii patre, cum nequaquam monitis salutaribus adquiesceret, ad ultimum etiam apud Carum-locum synodus congregata est episcoporum, ob ejus vel maxime coërcendam duritiam. Sed quamvis discretus pater confidens de ejus melioratione, excommunicationis gladium etiam

tunc ab eo suspendi fecisset, non tamen ad plenum malo incœpta deseruit. Cum vero, non multo interjecto tempore, decubuisset, languore quo & obiit, rogantibus se multis honestis personis, omnes malas consuetudines, quas hactenus tenuerat, assentiente filio Archimbaldo penitus dimisit. Eo vero vita decedente, isdem successor ejus honoris & nominis heres Archimbaldus rursum malarum consuetudinum malos cœpit requirere usus. Eodem itaque tempore facto intra Gallias, pro quibusdam sanctæ ecclesiæ utilitatibus, adventu domni Urbani papæ II. cum apud Silviniacum fere per dies octo moraretur, & quodam die in capitulo resideret, cunctorum circumsedentium fratrum cœtus pedibus ejus provolutus, auxilium implorare cœpit super malis quæ jam diu fuerant perpessi. Suscepta eorum petitione benignissime domnus papa, cum altera die rogaretur a jam dicto Archimbaldo, ut patris sui animam apostolica absolveret auctoritate, post expletam absolutionem, antequam a se Archimbaldus idem discederet, antequam etiam a tumulo pedes removeret, monitis ipsius princeps præfatus omnes malas consuetudines, quas injuste quærebat, reliquit: & ut melius sui dicti memor esset, osculum pacis ab eodem papa accepit. Sed postea eum nequaquam sui promissi memor, ea quæ promiserat irrumpere cœpisset, prævidens domnus abbas jamjamque, ut ita dicam, beati Petri rempublicam labefactari, totis viribus tam immani se objiciens periculo, in illa magna synodo, quæ apud Arvernensem celebrata est civitatem, domni papæ auribus hæc intimavit. At vero isdem papa, ut semper paratus erat in omnibus jam dicti patris obtemperare votis, evocato ad concilium Archimbaldo, ad hoc coëgit, ut promitteret se juxta consilium archiepiscopi Bituricensis, & episcopi Aniciensis, Guillelmi quoque de Basia, & aliorum quorumdam nobilium virorum, cuncta prave a se contra domnum abbatem gesta emendaturum. Igitur paucis post hæc evolutis diebus, posito apud Silviniacum domno abbate, & supra nominatis personis præsentibus, advenit eo Archimbaldus cum non parva nobilium caterva virorum, & habito inter se generali placito, prima die miseratione divina ad hoc res processit, ut etiam ab his a quibus sibi veritas timebat jacturam, ab eis acciperet testificata victoriam. Denique omnia quæ domnus Mayolus & ætate & morum probitate reverendus, qui triginta & quatuor annis præfati loci prioratum tenuerat, & Raimundus qui prope viginti annis decaniam habuerat, aliique veraces viri, concordantibus sibi antiquissimis cartis, de sæpe fatæ villæ antiqua libertate testati sunt, hæc eadem cuncta homines Archimbaldi, sive ministri, ad disceptandum contra nos ab ipso evocati, Aymo videlicet senescalcus Borbonensis, & Giraldus & Bernardus, fratres de Colna, Bernardus quoque de Vilars, multique alii suis affirmavere testimoniis. Sic itaque utrarumque partium consonantibus dictis, prima placiti die venit ipse Archimbaldus coram domno abbate, & ejus provolutus pedibus, wadium suum pro omnibus quæ contra eum non recte egerat, dedit: moxque illud ab ipso sibi in sua fide commissum recepit. Altera vero die iterum ante ejus præsentiam veniens, genibus solo fixis, omnes malas consuetudines, quas ipse, vel pater ejus quocumque modo in villa Silviniaca tenuerant, ex toto dimisit. Insuper ut nequaquam ulterius in eadem villa, vel vinum, vel aliud quid per bannum venderet, cum baculo ipsius domni abbatis reliquit, medietatemque curtis Silviniacensis ab ipso in beneficium accepit, sicut antecessores ejus tam ab ipso domno abbate, quam & ab ejus prædecessoribus, secundum quod etiam carta Archimbaldi, cognomento Franci, declarat, tenuisse noscuntur. Post hæc absolvit eum domnus abbas ab omnibus malis quæ contra beatum Petrum egerat, excepto de helemosina bonorum virorum, & terris quas pater ejus, vel ipse a jure S. Petri abstulerant: & in tantum alacer ab eodem domno abbate discessit, ut alio die invitatus ad prandium ejus, cum duobus sociis, Matthæo scilicet de Pariniaco & Guitfredo de Duno, gaudens veniret, & copiosissimis ammonitionum ejus dapibus exsatiatus, etiam usque ad effusionem lacrymarum lætus recederet. His ita secundum rerum gestarum veritatem præmissis, veniendum est nunc ad ea quæ tunc diffinita fuerunt, ut omnis protsus dubietas ab eorum qui futuri sunt cordibus abstergatur. Diffinitum fuit in jam dicto placito, & multorum testimoniis approbatum, non debere Archimbaldum, nec aliquam personam in villa Silviniaca aliquem omnino hominem capere, nec ipsum, nec facultatem ejus, non indigenam, non extraneum, non mercatorem, non peregrinum, non intrantem vel exeuntem, non etiam servum suum, vel alterius alicujus omnino occasionis causa. quod ita hactenus firmissime constat custoditum fuisse, ut etiam quodam tempore, eom ministri Archimbaldi IV. ordeum cujusdam servi sui, qui vocabatur Girardus, cognomine Denerosus, non in villa Silviniaca, sed extra in loco qui dicitur verus Silviniacus, ad opus equorum abstulissent, proclamante hoc ipsum Raimundo decano ante eumdem Archimbaldum, statim restitui jussit. Diffinitum fuit etiam justitiam omnium hominum ejusdem villæ, sive peregrinorum, vel mercatorum, vel quorumcumque hominum per eam pertranseuntium, in potestate prioris vel decani debere consistere, præter de solis ministris Archimbaldi, nec debere ibi ante priorem vel decanum quemquam clamorem Archimbaldi opponere, vel securitate, vel familiaritate illius, aut aliquo servitio sibi impenso, ne faciat rectum differre, nisi ob hoc tantum, ut si se præjudicatum fateatur; tunc licitum erit in curiam Archimbaldi pergere; & si ibi approbatum fuerit judicium primo factum, sic demom pœnas contemptus in priorem vel decanum persolvet hujus rei auctor. Si vero tale fuerit crimen, quod vel multatione membrorum, vel etiam ipsius vitæ ademtione videatur debere vindicari, hoc quia incongruum monachis vel religiosis personis videtur esse, potestati sæculari, ipsi videlicet Archimbaldo concessum est: non tamen ideo ut aliquid quod pecunia emendari possit, ad eum pertineat. Diffinitum quoque est, quod non debeant cogi homines Silviniacensis villæ ire in expeditionibus Archimbaldi, nisi tribus ex causis, id est, si forte aliquis potens ei bellum mandaverit, aut castellum contra eum, vel ipse super alium firmare voluerit: qui tamen tunc nullum om-

nino instrumentum, vel ad terram purgandam, vel ad materiam incidendam, aut ad aliquod aliud opus secum deferent, nisi solummodo gladios ad defendendum. Hoc tamen sciendum est, nullam omnino consuetudinem, vel expeditionem, vel alterius alicujus rei debere Archimbaldi homines, qui in alodis vel terris sancto Petro à nobilibus viris collatis, & in quibus ipse antea nihil requirebat, inhabitant, quod ipsa ratio evidenter demonstrat. De banno satis superius dictum est. Sciendum vero est, quod de prædictis consuetudinibus maxima primo controversia exstitit, sed ad postremum adjuravit isdem Archimbaldus Giraldum de Colna & Bernardum fratrem ejus, Aymonem quoque senescalcum, per fidelitatem, quam sibi, sicut domino suo, debebant, ut de his vera testarentur; quique cum testimonio supra scriptarum personarum ista quæ supra scripsimus, vera esse approbaverunt. Venit ergo Archimbaldus ante pedes domni Hugonis abbatis, & dedit wadium suum pro omnibus quæ contra eum injuste egerat, promisitque se amplius in eadem villa nullam malam consuetudinem immissurum vel retenturum: ipsum vero wadium a domno abbate traxerunt domnus Ademarus episcopus Anicienſis & Goillelmus de Basia, qui ipso tempore effectus est episcopus Arverneosis. Hujus placiti testes fuerunt præfati duo episcopi, Unbaldus de Borbonio, Matthæus de Pariniaco, Guitfredus Duno, Guillelmus de sancto Amando, Gulterius de Jaliniaco, Robertus de Castellione, Arnulfus Rabia, Rainaldus de Scola. De famulis vero sancti Petri, Guillelmus de Grangis, Girardus vicarius, Adalardus sartor, Guillelmus de Hospitali, Bernardus de Longoverno, Hugo Caddellus, Petrus Adalardus.

Post peractum placitum supra scriptum, paucissimis interjectis diebus, defunctus est isdem Archimbaldus, & die sepulturæ ejus venit Aymo frater ejus in capitulum, vix adhuc exsequiis peractis, cunctis fratribus, multis etiam laicis præsentibus, & cuncta quæ frater suus Archimbaldus, cui etiam patrisque sui dono honoris potestas relicta fuerat, concesserat, concessit, quæ reliquerat, reliquit: insuper & locum ipsum donis & honoribus se ampliaturum promisit. Et ex ipso capitulo duxit eum Guillelmus de Bananiaco in ecclesiam, atque iterum super altare sancti Petri cum codice quodam, placitum quod frater ejus Archimbaldus cum domno abbate fecerat, se ex integro servaturum Deo promisit, atque ad confirmationem rei, detulit ei vexillum quoddam de ecclesia Giraldus secretarius, quod tali tenore ex ipso altario isdem Aymo suscepit, ut omnia quæ sancto Petro concesserat, fideliter conservaret, & taliter, ut propter hoc donum alio honore Deus sibi adjutor & consiliator esset. Testes sunt Bernardus Atraldus, Eldinus Brunus, Aimo Bauret, Giraldus vicarius, Guillelmus de Grangis, Bernardus Grasset. Factum apud Silviniacum publice, in præsentia domni Hugonis abbatis, & Einrici prioris, anno ab incarnatione Domini MXCVI. indictione III.

XL.

Stephani comitis Blesensis charta pro Majori-monasterio.

Ad lib. 69. n. 36.

Ex chartario Dunensi.

IN nomine summæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Ego Stephanus comes, Terbaldi incliti comitis Palatini filius atque hæres, una cum uxore mea, Adela nomine, illustris Anglorum regis & Normannorum ducis, nobilissimi Willelmi, filia, universos ecclesiæ sanctæ fideles, tam futuros, quam præsentes, scire volumus, qualiter fecerimus eleemosynam quamdam beato Martino Majoris-monasterii & monachis ejus, ubi comes Odo avus meus, & frater ejus Hugo, Biturigensis archiepiscopus, & eorum mater humati jacent, & quod post eversionem a Danis factam exstructum, & amotis canonicis, facultatibus suis auctum, monastico ordini, qui ab initio antiquitus a tempore beati Martini ibi fuerat, restituerunt, abbatemque Willebertum nomine, posuerunt, a sancto Maiolo sibi de Cluniaco datum. Quorum sequens vestigia pater meus, tam pro reverentia & amore gloriosi confessoris Christi Martini, quam pro religione inhabitantium monachorum, eamdem abbatiam de substantia sua honoravit admodum & augmentavit; & quia pater suus apud eam sepultus erat, in tantum caram habuit, ut cum totam Turonicam cum civitate ipsa traderet Andegavorum comiti Gaufredo Martello, qui eum ceperat, in redemptionem sui, ipsam tamen, id est abbatiam Majoris-monasterii nominatim exciperet, atque sibi in proprio dominio retineret; quam & ego hactenus, etsi non ut debui, assidue tutatus sum atque juvi, non multum tamen graviter offendere curavi, nec valde molestus fui. Mortuo denique patre meo, timens ego eum minus honorando, vel minus ei parendo, meipsum, quoad vix erat, offendisse, cum sæpius inde conquererer, & cum præfata conjuge & amicis & familiaribus meis plerumque inde loquerer, tandem post annos circiter sex accersivi duos quosdam jam dicti monasterii familiares meos, Bernardum scilicet, cognomento Flagellum, & Gausbertum Ludovici, qui mihi solebant frequenter suadere, ut Majori-monasterio facerem aliquid eleemosynæ pro anima patris mei, sicut fecerant antecessores mei. Tempore autem illo eram apud castrum quod * Columbarium vocatur, una cum præfata conjuge mea, volensque ire in Jerusalem cum exercitu Christianorum contra Paganos, jussu papæ Romani, Urbani scilicet secundi euntium, parabam quæ necessaria erant itineri meo. Venerunt itaque monachi ad me, sicut mandaveram, per quos dedi Deo & patrono meo beato Martino monachisque Majoris-monasterii, pro anima Terbaldi patris mei præcipue, & deinde pro animabus mea & Adelæ uxoris meæ, non solum assensu ejus & ammonitione, sed etiam prece, pro animabus quoque parentum & antecessorum filiorumque, sed & successorum nostrorum, & ut Deus interventu beati Martini & monachorum ejus indulgeret mihi quicquid in se deliqueram, & in patrem meum, sanumque me & incolumem duceret

* Colemiers

ac

ac reduceret per iter memoratum, atque Adelam sæpe dictam, conjugem meam, liberosque nostros custodiret, quamdam partem cujusdam alodii nostri, id est bosci, qui silva Lonnia dicitur, ab omni prorsus consuetudine solutissimam atque liberrimam. Præcepi quoque ipsi conjugi meæ quæ remanebat, ut ipsam partem faceret determinari ac metiri per manum cujusdam præpositi nostri, Willelmi scilicet de Villariis, cui ego ipse jam illud idem præceperam, limitesque poni undique faceret, & sic eam monachis traderet: ne quis videlicet inde quicquam ipsis ullomodo minuere vel demere umquam posset. Augere eam liceat cuicumque successorum nostrorum Deus hoc inspiraverit. Infra terminos igitur illos ac limites nullus umquam aliquid violentiæ cuilibet inferre audeat, vel manum mittere in ullam rem gratia nocendi, vel extorquendi quippiam, vel etiam surripiendi præsumat. Sed omnium rerum quæ inibi quocumque modo fuerint consuetudines, reddibitiones, forisfacturæ, justitiæ, vicariæ, districturæ, exactiones, emendationes, leges, sint in æternum beati Martini Majoris-monasterii & monachorum ejus. Atque ut omnia breviter concludantur, sic liberum & solidum habeat deinceps ipsum locum, sicut antecessores nostri, & nos temporibus retroactis habueramus eum. Insuper etiam nihil ibidem nobis, nihil forestario & secretario ulli, nihil ulli officialium nostrorum sive ministrorum, nihil denique ulli cuicumque mortalium reservamus, aut habendum permittimus. Eleemosynam quippe nostram volumus esse liberrimam. Hoc enim solummodo habet homo ex universis facultatibus & possessionibus suis, quod inde Christo per manus pauperum suorum tribuerit. Ipso enim dicente, centuplum illud recipiet, & vitam æternam possidebit. Est autem locus ipse inter castrum, quod vocatur Fractavallis, & Frigidum-mantellum, juxta fluvium qui Leda nuncupatur. Rogavimus deinde sæpe dictos monachos, ut locum ipsum faciant ædificari, quamquam non videatur admodum competens atque uber, sive utilis. Quod, ut libentius faciant, damus eis & concedimus, tam ad opus fratrum suorum, quos ibidem voluerint habitare, quam ad opus omnium hospitum suorum, inter præfatos terminos habitaturorum, & de alia foreste quam nobis retinemus, quantumcumque semper inde voluerint, & ad ardendum, & ad ædificandum, & ad omnes ceteros usus suos, excepto quod nihil inde vendant. Si qui vero eorumdem hospitum fuerint carpentarii, dent forestagium tantummodo forestariis nostris, & iode operentur atque vendant quantum opus eis fuerit. Qui omnes hospites per totam terram nostram sint ab omni consuetudine liberrimi. Si quis autem illorum nobis aut ministris nostris unquam aliquid foris-fecerit alicubi, nullus audeat in eum mittere manum, sed faciant inde clamorem monachis. Qui si fecerint eis inde justitiam, benigne suscipiant eam; sin autem, differatur causa, donec in præsentia nostra examinetur, sicut nobis competens videbitur agendum de eleemosyna nostra. Habeant etiam gratis tam monachi inibi habitantes, quam omnes ejusdem terræ hospites, universis pecoribus & bestiis suis per totam forestem, quam nobis retinemus, pascuas ubicumque eis placuerit, sine reddibitione ullius consuetudinis, & absque ullius hominis contradictione, vel alicujus rei exactione. Tempore quoque pastionis mittant ipsi monachi porcos suos in forestem illam nostram, & nullum pasnagium inde reddant, sed insuper pasnagium de omnibus porcis suorum hospitum ipsimet habeant. De extraneorum vero porcis, qui in terra sua illa jacuerint, & in pastionem nostram cucurrerint, nos & ministri nostri habebimus pasnagium. Porci vero silvestres, & cervi, & quæcumque feræ hujusmodi, quæ infra memoratos captæ fuerint terminos, monachorum sint. Omnia hæc illis ideo ego Stephanus comes & uxor mea Adela comitissa damus, ut & in hac vita & post mortem precibus eorum adjuvari apud Deum mereamur, & tanto copiosior merces sit inde nobis, quanto locus ille melius fuerit ædificatus. Post discessum itaque viri mei Stephani comitis in Jerusalem, ut dictum est, euntis, ego Adela comitissa, præcepti ejus non oblita, sæpe dictam partem bosci memorati, id est silvæ Lonniæ, feci determinari, prout ipse mihi imperaverat, & metiri per manum Willelmi de Villariis, cui ipsemet idem præceperat, fecique limites undique poni, atque tradidi eam præfatis monachis Majoris-monasterii, sicut dictum est superius, omnino solutissimam atque liberrimam a consuetudine prorsus omni. Unde & præsentem cartam sive præceptum tuitionis, gratiæ, immunitatisque, impressione sigilli mei, ex auctoritate viri mei atque mea sigillatum, & assensu liberorum nostrorum † in præsentia testium circumstantium, quorum nomina subscribuntur dominicæ crucis impressione † propriis manibus facta, roboratum & auctorizatum ipsis, id est monachis Majoris-monasterii, tradidi. Testium vero nomina hæc sunt. † † Hugo de Basochis. Godefredus dapifer. Herbertus de Castellione. Butardus de Lisi. Gelduinus de Magduno. Hugo de Leugis. Herveos Belonus. Archembaldus Pejorlupo. Gaufredus Burrellus. Paganus Burrellus. Theodericus de Avaziaco. Hugo Rudillus. Hainricus Rufus. Rotbertus de Villariis. Gosbertus Beveros. Landricus de Papia. Emmauricus de Medio-vico. Lisvius Panis-paratus. Erlencus Belonus. Hugo Guhillus. Hugo magister panetarius. Guastho de Sezana. Walterius de Castroduno. Burdinus coquus. Guenencus vigerius. Hainricus portarius. Hugo de Lachi. Fulcherius decanus. Herveus de Losduno. Engelbaldus S. Martini homo. Hugo de Castello-Theoderici. Rainaldus de Sezana. Hos omnes testes descripsit scriba Johannes. Ad hanc cartam fingendam fuerunt monachi tres, Bernardus mon. cognomento Flagellum, Adelelmus de Pontivo mon. Goffredus mon.

XLI.

Epistola Amati Burdegalensis archiepiscopi & sedis apostolicæ legati ad Goffridum abbatem Vindocinensem, qua significat restitutam monasterio illius ecclesiam Oleronensem.

Ad lib. 69. n. 38.

Ex Archivo Vindocin.

AMatus Dei gratia Burdegalensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, dilecto filio Goffrido Vindocinensi abbati, & sibi commissæ

congregationi, salutem. Sicut carissimus filius noster Guillelmus Aquitanorum dux nos contristavit, cum ecclesiam S. Georgii, quæ est in Olerona cum pertinentiis suis, vobis abstulit, & Ebloni de castro Allionis dedit, sic nos lætificavit, cum ab injustitia sua resipiscens, ablata vobis restituit, & donum, quod venerabilis comes Andegavorum Goffridus de eadem ecclesia & aliis rebus in Pictavensi & Sanctonensi pago vestro monasterio fecerat, confirmavit. Insuper etiam nos humiliter rogavit, ut eamdem suam restitutionem & concessionem sanctæ Romanæ ecclesiæ auctoritate & nostra confirmaremus, ut ita libere & quiete omnia, quæ venerabilis comes Goffridus & uxor ejus Agnes comitissa Pictavensis vobis dederant, vos & successores vestri jure perpetuo possideretis, sicut ipsi eo die possidebant, quo ea vestro contulerunt monasterio. Confirmamus igitur eamdem restitutionem, & illam quam, sicut dicimus vobis, libertatem concessit, auctoritate Dei & nostra sub anathemate prohibentes, ut nullus deinceps ea vobis auferre, vel concessam vobis in eis libertatem violare præsumat. Hoc etiam veraciter testificamur, quod Eblo de Castro Allionis hanc restitutionem vobis factam de ecclesia S. Georgii & ejus pertinentiis concessit, imprecans omnibus illis Dei maledictionem, qui ea Vindocinensibus monachis auferrent, vel quocumque modo eos inde inquietarent.

XLII.

Privilegium monasterii Juviniacensis.

Ad lib. 69. n. 44.

URbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ Galburgi abbatissæ monasterii Juviniacensis, & ceteris quæ post eam regulariter in ejusdem monasterii regimine substituendæ sunt. Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum ecclesiarum statu satagere, & earum maxime, quæ ejus sedi specialius adhærent, & tamquam proprio jure subjectæ sunt, quieti, auxiliante Domino, providere. Quapropter, filia in Christo carissima Galburgis, devotionis tuæ precibus clementer annuimus, & beatæ Scholasticæ virginis monasterium, cui, Domino auctore, præsides, apud villam, quæ Juviniacum dicitur, constitutum, sub apostolicæ sedis protectionem specialiter confovendum præsentis decreti auctoritate suscipimus. Quod videlicet monasterium egregiæ memoriæ Bonifacius marchio, & ejus uxor Beatrix, cum insigni filia sua domina Mathilde, beato Petro & episcopis sanctæ Romanæ ecclesiæ obtulerunt. Per præsentis igitur privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quæuis bona a prædictis principibus eidem monasterio data, firma & illibata semper permaneant: ipsa videlicet Juviniacensis villa integra cum utrisque medietatibus suis, quarum alteram præfatus marchio & ejus conjux in vita sua, alteram post obitum eorum comitissa Mathildis beatæ Scholasticæ tradidisse cognoscitur: Remonis villa cum pertinentiis suis & redditibus: medietas villæ Verinoli magni: Yreïa cum duabus ecclesiis: Bosonis villa cum appenditiis suis: Minus Virolinum totum: in villa Vismoli mansi duodecim: in Marceïo tres mansi cum ecclesia: in Clymenceïo terra cum quarta parte ecclesiæ: in Hastoir mansi quatuor & tertia pars ecclesiæ cum molendino: in Betrui mansi duo cum ecclesia: in Vellanis mansi duo & semis, sexta pars mansi ecclesiæ & molendini & piscarionis: in Gualketingi mansus unus: apud Ase juxta Masenceium terræ: apud aliud Ase quatta pars mansi: apud Nemachium mansus: apud Ham mansus cum quarta parte ecclesiæ & molendini. Confirmamus etiam vobis ecclesiam de Surreio cum alodio & municipiis, novem perticata vinearum Læsura, quadraginta & septem diurnata boum in Remoni-villa, quæ tua prudentia ab Arluino pretio comparavit. Quidquid præterea idem beatæ Scholasticæ monasterium juste possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice poterit adipisci, ratum vobis illibatumque servari sancimus. Decrevimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat supra dicti cœnobii congregationem temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, aut oblata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Trevirensis ecclesiæ canonica reverentia. Obeunte te, nunc ejus loci abbatissa, vel earum quæcumque post te in ejusdem loci regimine successerint, nulla ibi quælibet subreptionis astutia vel violentia præponatur, sed quam sorores communi consensu, vel sororum pars consilii sanioris secundum Deum & beati Benedicti regulam providerint eligendam, adhibito etiam diœcesani episcopi consilio, si catholicus religiosusque exstiterit, ut jam omnino non liceat infra abbatiam ipsam aliquid violentiæ vel pravæ consuetudinis vindicare, aut gravaminis quicquam, quod ancillarum Domini Dei quieti impediat, irrogare. Advocatum quoque ejusdem loci non alium fore statuimus, nisi quem monasterio utilem abbatissa cum religiosarum suarum voluntate poposcerit. Nec ipsi, aut abbatissæ, nec alicui loci ipsius ministro facultas sit ecclesiæ bona vel in feudum personis sæcularibus dare, vel sub censum redigere, vel modis quibuslibet alienare. Nullum præterea clericum in monasterio vestro ministrare permittimus, nisi de regularium canonicorum numero quos apud beati Montani [a] ecclesiam religionis vestræ sollicitudo constituit, quibus delegatum ex vestrarum facultatum portionibus victum, ne qua in posterum persona subtrahere audeat, interdicimus. Ad indicium autem perceptæ a Romana ecclesia libertatis, Virdunensis monetæ sex argenteos quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in crastinum ecclesiastica persona sæcularisve hujus decreti paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sanctissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis

a Superest haud procul a Juviniaco ecclesia S. Montani, qui S. Remigii ortum prædixerat, ubi duo eremitæ degunt sub clientela monasterii.

autem eodem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Datum in monasterio sancti Ægidii apud vallem Flavianam per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis decimo-quarto kal. Augusti, indictione quarta, incarnationis dominicæ anno M XCVI. pontificatus autem domini Urbani secundi PP. IX.

XLIII.

Ad lib. 69. n. 44.

Ex mss. cod. olim bibliotheca S. Stephani Cadom. nunc Ottoboniana.

Rotberti de Tumbalenia prioris S. Vigoris epistola ad monachos S. Miche de Monte, de quodam monacho epileptico a levitate converso.

Fratribus Montem beati Michaëlis habitantibus frater Robertus & fratres ceteri beati Vigori in Monte-chrismatum servientes. Benedictus Deus Pater & benedictus Deus Dei Filius, sanctusque utriusque Spiritus, trinus in ejusdem majestatis substantia Deus, qui nil odit eorum quæ fecit, quoniam vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui nos etiam contemtores non contemnit, sed adversos convertit, conversos diligit, dilectosque ad vultus sui hilarissimam beatissimamque visionem in mirabilibus suæ potestatis singularis provehit. Hic est Deus noster, solus timendus, solus amandus, qui non respicit hominis, sed perdit ea quæ sunt, ut ea quæ non sunt instruat; qui apud nos quoque ultimos servos suos timorem suum & amorem revelavit, percutiens superbos, & sanans humiles. Rem vobis loquar dignam memoria, nostris temporibus inauditam, quæ cum omnium aures magnitudine singularitatis suæ valeat exturbare, vos tamen Montanos fratres maxime percutit & sollicitat, quia de vobis est & vobis mittitur. Hugo vocatus frater quidam apud nos degens, nepos Lonensis abbatis quem vos optime nostis, quia apud vos in scolis nutritus est puer, iste quem loquor rem incurrit, quæ vobis necesse est ut nota fiat. In choro quadam die, tertia feria, dum fratres nostri missam matutinalem celebrarent, erat & ipse cum ceteris, ut nobis videbatur, sanus & hilaris, qui pauxillulum doloris in capite sentiens lectum adiit, ut se prosterneret & quiesceret; ubi cum, nobis omnibus ignorantibus, jaceret, subito illa molestia arripitur, quam medici epilepsiam vocabulo græco dicunt, vel sacrum morbum, eo quod sacras hominis partes, ut est caput, & mentem occupet. Nos vero vulgariter guttam caducam, ex eo quod cadere faciat, vocamus. Hac igitur arreptus est; confestim mentem perdidit, oculos clausit, quos etiam manibus stringit, genua curvavit, calcitrans & volvens se in lecto. Ego vero cum fortuito casu in claustro sedens scriberem, cucurrit frater quidam exturbatus, & dicens Hugonem mori. Ad hanc vocem cum ego tremefactus surgerem, curreremque post eum, jam finita missa, fratres omnes currebant portantes crucem aquamque benedictam. Venientes igitur, sine mente jacentem invenimus, stringentem manibus oculos, & genibus calcitrantem. Expergefacti itaque, septem psalmos pœnitentiales incepimus; videns vero manus illius oculos ultra quam expedire videretur opprimentes, attraxi eas a loco, dedique fratribus ut tenerent, reluctante illo plurimum, quamvis nihil sentiente. Paululum vero cum ibi super illum psallentes & signantes cum cruce stetissemus, jussi ut in oratorium portaretur, quem cum obedientes fratres undique apprehensum vix portassent, jaciebatur enim inter manus nostras morbo, & dissolvebatur omnibus membris torsione mirabili & miserabili, ante beati Nicolai prostraverunt altare, seque prosternentes & nimia contritione psallentes. Ubi cum ego adessem & mirabiliter dolerem, adeo cruciabar lacrymis & suspiriis quatientibus, ut nec loqui nec psallere valerem, hærens tantum solo & fletibus mœstis. Dictis itaque psalmis septem & litania, postea dicebantur triginta, quos usus monachis est ante nocturnam synaxim celebrare, cum ille surrexit planctus miserabiles emittens, nosque, qui cum circumdederamus, dolore nimio & intolerabili concutiens. Surrexi tunc e solo veniens ad illum, ubi in manibus fratrum jacuerat, jamque surrexerat tantum ut sederet. Aspicientem vero eum & vix me agnoscentem rogavi lacrymis infusus, ut nobis quomodo erga se esset ediceret; qui tandem nimis .... & summisse loquens ait se miserabiliter tortum & confractum. Præcepi igitur ut in quodam, qui ibi aderat, lecto poneretur ut quiesceret. quo sic facto, rogavi fratres ut more suo in capitulum irent, quia ego a fratre, omnino dolore me agitante, recedere non valebam; sedi vero coram eo mœrens & lacrymans, locutusque cum eo, ait itaque: Mihi facta est vox quædam terribilis modo dicens: Cur de monasterio tuo egressus es? Cui sic increpanti me & terrenti, alia vox, me audiente, satis placida & suavis confestim respondit: Quid ex hoc ad te? Dumque ego si aliquid vidisset quæsissem, tantum audisse, nihilque se vidisse dixit. Finito tandem capitulo, & vocatis quibusdam fratribus, jussi ut in domum infirmorum portaretur, qui portatus jacuit. egoque secutus eum, quippe quem nullo modo res tam nova & tam tristis dimittere me sinebat, assiduus eram. Septies autem usque ad eamdem horam crastinam, nobis præsentibus & videntibus, eadem passio eum arripuit, aliis vero diebus pæne omni die semel aut bis idem passus est. Vocati igitur medici duo doctissimi, qui in civitate præsentes aderant, fecerunt ei quidquid potuerunt; sed quem sua manu prostratum Deus sola sua operatione sanandum providebat, humanæ manus molitionibus erigendum non aptavit. Dum hæc agerentur, quadam die ego, qui pæne assiduus aderam, domum in qua frater separatus, ut hujuscemodi rei competebat, habebatur, intrans, eum & ridentem, sedentem, jocantemque cum famulis, qui ejus servitio, me præcipiente, seduli assistebant, inveni; tantæ namque levitatis erat, quantæ vos scitis, ut dum mecum in claustro ante hanc ægritudinem viveret, nullis minis, nullis plagis, nullis blanditiis, nullis admonitionibus ad se rediret ut se cognosceret; indomabiliter enim levitati, jocis, & lasciviæ juvenili instans, scurrilitates ex toto sequens, contemnebat omnino, nec alio modo frænabat. Sed quid loquor de humano

annisu, cum tunc divino judicio tortus, tam incertis, tam horribilibus tormentis quateretur; nec sic duritia ejus frangeretur, ut vel aliquantulum minus lasciviret, imo amplius & amplius moribus solvebatur; neque enim continua passione, sed incertis spatiis accedebat passio, torquebatur, tenebatur, & dimittebatur. qui dimissus una hora aut dimidia, repertis viribus, surgebat & pristina levitate pascebatur, morboque tortus insania juventutis eo pejus quo voluptuosius torquebatur. Intrans itaque, ut dicere cœperam, domum, cum mihi valde risus tam importunus displiceret, tacui, & sedi cum eo, parcens ei nihilque dicens, etiam non displicere quod agebat simulavi; timebam enim ne forte verbis meis, si aliquid durius loquerer, turbatus passionem solitam incurreret, unde & ego sæpe etiam dissimulans jocabar, congaudens omnino sanitati ejus & quieti. Cum igitur sederem cum eo, ait: Nocte ista præterita dormiens, visus sum mihi judicio divino præsentari; ubi cum assisterem, conscientia torquente, accusabar, adductis coram me multis, quæ feceram, malis quæ horrebam pœnaliter, erubescens amplius, quam nunc cogitatione comprehendam. Hoc ego audiens & in eo nihil timoris nihilque aspiciens gravitatis, tacitus dolui, & inclinatis oculis cogitabam quantæ duritiæ esset homo, qui nec divino judicio exterritus terrebatur. Transactis tandem in hac passionis euntis & redeuntis alternatione viginti & septem diebus, vicesimooctavo ego, qui eum absque intermissione in memoriam gerebam, post cœnam fratrum locum ingrediens sedi juxta cortinam, quæ ante lectum fratris tensa pendebat. Cumque diu sederem, & ille in lecto jaceret, mirabar quod non loqueretur; aperiens vero cortinam aspexi, & ecce jacebat supinus, clausis oculis, tanquam dormiens. Cumque aspiciens hæsitarem, dubitans utrum somno an morbo teneretur; nullatenus enim, sicut pridem accedente passione solebat, movebatur, accessi propius, & caput ejus agitans, clamansque eum nomine proprio, cum non respondisset, nec oculos aperuisset, deprehendi passionem accessisse, & exspectavi donec recederet: quæ cum recessisset, aperuit ille oculos, & extensis poplitibus planctum flebilem emisit, dicens se nimis laborasse, & lacessentibus membris fatigari, sicque ter eadem hora mecum eo loquente, accedente passione ivit & rediit. Cumque ego valde dolerem, tanta contritione videns fratrem & filium meum laborare, pro quo animam ponerem, si possem, nec valerem succurrere, ingemiscens interno suspirio, dixit mihi: Pater, pater, quam pessimam noctem ducere me oportet hanc, quæ imminet! Cum rogassem ut diceret quid timeret, & qualiter hoc sciret, adjecit: Vocem audivi terrentem me nimis ac dicentem: Roga priorem tuum Robertum & fratres tuos ceteros, ut orent pro te, quia nisi divina pietas subvenerit, pessimam noctem passurus es istam. Nunc ergo, patres succurrite & orate pro me, quia valde timeo attendens verba quæ dicta sunt mihi. Me itaque præcipiente, confestim vocati sunt fratres quatuor, quos ego nominibus designavi, allatoque cum cruce & candelabris Christi Domini nostri sacrosancto corpore, me exhortante, præmissaque confessione, corporis sacri communionem sumsit, factusque securior jacebat, nobis coram sedentibus & expectantibus pariter omnibus aut gratiam aut judicium Dei, qui omnia quæcumque vult potest. Et ecce, jam facta nocte & quiescentibus fratribus, exceptis iis, qui mecum erant, accedente passione, abiit a nobis, sicut consueverat, claudens oculos, & jacens immotus. Cumque nos psalleremus, & ipse sæpius iret & rediret, jussi excitari fratres qui dormiebant, ut venirent; quibus ilico introgressis, psallebamus omnes eadem intentione precantes, ut fratri nostro, qui erat sicut nos, pietas divina subveniret. Tum subito ille, videntibus nobis omnibus, claudens more suo oculos abscessit, sicque aliquantulum jacens rediit, apertisque oculis me intuens, qui semper faciei ejus assistebam, dixit: Dicite domnis istis ut vadant & requiescant, quia ego Dei gratia liber sum & absolutus ab hac passione, nihil passurus usque in diem tertium. A quo cum quæsivissem qualiter hoc sciret, respondit: Audivi vocem quæ mihi diceret: Dic servis Dei qui circa te sunt, ut vadant & requiescant, quia usque in tertium diem nihil hujus morbi passurus es. Certus igitur factus, jussi ut recederent qui venerant, & abierunt. His itaque dictis & actis, factus est sanus frater, sic permanens tota illa die, nocte, & die sequenti, usque in diei tertiæ nonam vel decimam horam. Mansit vero timidus valde; & frænata admodum pristina levitate, cum mœrore gravi præstolabatur, quid super eo fieri vellet Deus. Adii autem eum & accersivi verbis, rogans ut ad cor suum rediret & agnosceret quid fuerit, confiteretur que omnia peccata sua, & illa maxime, quibus tamquam tormentis conscientia eum in divino judicio, sicut in somnis visum est sibi, cruciaverat; quod ille audiens & annuens, ilico confitens exposuit mihi omnem vitam suam præteritam, quantum recordari potuit, planctu quo valuit, assumensque consilium a me, quod melius inveni. Die tertia, quæ minarum dies erat, me consulente & monente, mane in oratorium, cum & ego secum irem, perrexit, fratribusque Primam psalmosque sequentes & missam matutinalem, quæ etiam ex jussu nostro pro peccatis illius celebrantibus, ille extra chorum sedens, in meditationibus & lacrymis perseverabat. Nos vero finitis quæ finienda erant, hora illa capitulum introgressi sedimus, & post alias sermocinationes, quæ necessariæ videbantur, de illo mentionem introduxi, omnibusque annuentibus vocatus est in capitulum, hoc enim a me petierat, me tamen prius consulente & monente, sequebatur; quippe jam multum domitus voluntatem meam ex toto in quibuscumque poterat. Ingressus igitur prosternitur toto corpore coram nobis, tanis lacrymis plenus, tanto luctu fractus, ut me ex imo corde concuteret, tantoque dolore, ut vix loqui ad verba illius valerem, mixto gaudio agitaret. Gaudebam enim vehementer, quod tam superbum, tam lascivum, tam pertinacem in omni adolescentiæ vanitate, modo prostratum, tam humilem, tam modestum, tam conversum ad omnem pœnitentiæ gravitatem videbam. Surrexit igitur, me jubente, & in eodem luctu persistens, adeo ut vix loqueretur, quæsivit a nobis ut super eo & super peccatis suis, quæ valde plurima se

fecisse cognoscebat, & quibus, ultra quam putaverat, gravabatur, præciperemus quod placeret. Ergo respondi ego pro omnibus ut potui; neque enim ad perfectum cordis gemitus & lacrymæ defluentes exprimere permittebant quod volebam. Suscepit itaque a fratre, cui præceptum est, exutus staminio judicium virgarum cum tanta humilitate, sicut mihi postea privatim ab eo dictum est, ut parum sibi videretur, quod percutiebatur. Præcepi igitur fratribus, qui per omnia obedientes erant, ut illa die jejunantes & pulmentorum coctorum perceptione penitus abstinerent. Prandium vero vestrum, inquam, ex toto ego, ut solitum est, vobis parari faciam, quod pro vobis pauperes in eadem domo refectoria una hora ante vos discumbentes comedant, ut in omnibus quæ possumus, & jejuniis & orationibus & eleemosynis fratri in necessitate tanta posito succurramus. Quibus omnibus concessis, petitisque orationibus a fratre, qui coram adstabat flens ubertim & graviter suspirans, & præmissis a nobis qui sedebamus vix fletus ut loqueremur interrumpentes, surreximus, euntes cum psalmorum septem decantatione in oratorium, ubi prostrati jacuimus, donec finiti sunt. Post quæ omnia præcepi uni ex fratribus, ut missam pro peccatis illius statim diceret, quam audiret ipse, & sacramenta corporis & sanguinis Christi perciperet. Factis igitur omnibus quæ dicta sunt, datisque pauperibus refectis per singulos singulis denariis, feci etiam coram fratre, propter quem hæc omnia fiebant, comedente, pauperem qui inventus est sedere, ut cum eo comederet. Volebam enim omnino ut non solum pro eo, sed etiam cum eo Christus in forma pauperis reficeretur, quem in necessitate tam proxime futura deprecabamur omnes fieri adjutorem. Dati sunt etiam huic duo denarii, quos ad hoc ego fratri tradideram. Cum itaque comedissemus omnes, & hora quæ timebatur proxima fieret, ego domum intrans fratrem sedentem inveni & timidum: qui ilico mihi dans manum & a me susceptus surrexit a loco in quo sedebat, vadens mecum & jaciens se in lectum, ubi cum coram eo sederem, post paullulum suspirans, ait: Heu, pater, quantum modo in capite doleo! modo mihi genua dolent; modo crura; nunc brachia, & ecce per totum corpus dolor ingeminatur & erescit: cumque hæc dicens vehementer doleret, affuit quidam laïcus, cui ut loquerer oportebat, & exivi, cum statim revocatus a puero, qui ægroto assistebat, ingrediensque domum inveni eum jacentem arreptumque molestia pristina; non tamen calcitrabat aut volvebatur sicut prius; sed clausis oculis, tanquam dormiens non movebatur. Cumque post aliquantulum temporis rediens aperiret oculos, meque inspiceret assistentem, iterum eodem modo raptus est; & cum sæpius fieret, & ille spumaret, videns ego laborem ejus tantum ingemui ex intimo, & misi pro conventu fratrum ut adessent; quibus præsentibus & psallentibus nobis coram omnibus ægrotum molestia sua arripuit. Cumque adhuc ab eadem teneretur, clausisque oculis & pugnis, nihil eorum, quæ a nobis gerebantur, sentiret, aperuit manum dextram subito, & erigens eam ad caput, signavit seipsum ter, nobis videntibus & mirantibus. Psallebamus igitur quantum poteramus, exspectantes ut rediret ad sensus, & sciremus ab eo quare hoc fecisset. Et ecce rediit, planctu se concutiens, & dicens: Deus, Deus, quantum constringor. Cui cum ego, psallentibus ceteris, dicerem, ut quid erga se fieret aperiret, respondit: Malæ bestiæ me impetunt. A quo cum quærerem utrum nunc præsentes sunt, an recesserunt, ait: Recesserunt. Præcepi ilico fratribus omnibus, ut euntes agerent orationes & laudes vespertinas. Quibus egressis, remanens ego solus cum fratre jacente sciscitabar diligenter, ut audirem ab eo de signo crucis quod ter fecerat, & bestiis quas dixerat, veritatem. De quo cum sollicitum me vidisset, ait: Visus est mihi modo ostiolum istud intrare homo nigerrimus & horridus plusquam dicere valeam, oculos habens igneos & ab ore ignem jaciens & super me efflans, trahensque duos canes horridos manu, sicut erat & ipse, quos cum in me animaret & cogeret, egoque illos me impetentes valde expavescerem, unum eorum, qui anteibat, pugno percussi & effugavi, cumque accessisset alter, nec tam proximus, quam alius fuerat, fieret, percussi & eum pugno, & post primum expuli. Ab iis liberatus effugatis ivi ad hominem, qui loco hæserat, & similiter pugno percutiens, post canes ejeci, sicque, Domino miserante, tribus ictibus liber factus sum ab his tribus hostibus. Intellexi igitur, quod tres ictus isti fuerunt tria signa crucis quæ videram, nobis psallentibus, fieri. Interea, revocato uno ex fratribus qui abierant, pensum orationum vespertinarum & laudum cum ægroto, qui & ipse nobiscum psallebat, persolvimus. Postea etiam alium vocari præcepi, ut tres essemus cum fratre jacente; alii vero omnes, finitis officiis diurnalibus, ex præcepto nostro temperius quam consuevissent dormitum ierunt. Reputabam enim tractans in corde, ut si maxima imminente necessitate aut mortis aut alicujus exitii, quid enim futurum esset incerti eramus, oportebat omnes affuturos esse; bonum erat si aliquantum somno refecti fuerint, & magis sobrie facerent quidquid agendum esset. Fuimus itaque tres cum illo quarto qui patiebatur, loquentes cum eo & consolantes eum, quantum posse dabatur nobis. Tantæ vero debilitatis vel lassitudinis in corpore erat, ut cum in lecto quo jacebat, quoquo modo, ut vel parum tam maxima molestia saltem mutandi situm levigaretur, componere se vellet, nullo modo valeret. Nos vero, qui aderamus, cum ad appetitum, quem fieri in eo videbamus, vellemus eum componere, vix eum etiam cum labore movebamus. Ad naturæ necessaria cum ire vellet, nec surgere nec a loco se movere valens, duobus fratribus, tensis brachiis, erigendum portandumque se præbuit, qui eum cum labore, sine illius aliquo motu auxiliabili, excepto quod pedes per terram magis trahebat quam regebat, portantes & reportantes in lecto coram me posuerunt quomodo potuerunt. Et cum tantæ ægritudinis pondere premeretur, dicebat tamen videri sibi quod nihil in corpore pateretur, præ timore quo animus ejus cruciabatur. Cumque ego quærerem quid timeret: Timeo, inquit, me in illorum, quos vidi, manus aut in nequiores reversurum. Loquebamur autem sic invicem, & ecce, jam nocte imminente, raptus est iterum & spumabat, erigensque sicut prius ma-

num, signavit se totum. Cumque nos psalleremus, & ille rediret, quæsivimus utrumne vidisset aliquid ? Vidi, inquit, intrantes domum hanc homines tres, qui lanceas tres gestabant igneas fœtentes tanquam essent sulfureæ, quibus cum me vellent transfigere, signo crucis quod a me teneri videbatur, (nos quippe in manu illius crucem tenebamus) me deffendebam, & illos fugabam. Jacuit itaque dolens & plangens se vehementer: jam tamen, consolatione accepta, dicebat se sperare optime evasurum. Cumque ego, ipso auditore, ob illius consolationem confirmandam aliqua fratribus qui aderant de scripturis & de fide Trinitatis dicerem, & multa jam noctis pars transisset, subito cum ille diligenter audiret, clausit oculos, & sensu abiit a nobis. Cumque in eodem excessu positus, jam enim excessum, non molestiam aut passionem nominare habeo, manus jungens ad cælum erigeret tamquam orans, nosque psalmum fidei diceremus, *Quicumqe vult salvus*, repetitumque mediaremus, ille aperiens oculos, erectasque tenens manus, sicut eas junxerat, locutus est, dicens: Gloria tibi, Deus. cumque nos psalmi finem accelerassemus, & ille sæpius, Gloria tibi, Deus, repetisset, omnino unde tam læta tamque amabilis vox illi data esset, quæ toties reiterabatur, scire appetentes, sciscitati sumus. At ille aliquantulum severe me intuens, ait: Vocentur mihi omnes monachi de Monte sancti Michaëlis, qui in monasterio isto commorantur; missus sum enim nuntius: cumque hoc mihi satis displiceret, timens hoc aliquod esse illusorium phantasma, verensque fratres, qui ad nocturnas surrecturi erant orationes, excitando fatigare, multis verbis ne hoc fieret renitebar. At ille mihi prorsus restitit, dicens, ex toto sic fieri expedire. Nolui tandem amplius resistere, metuens ex altero, ne si hoc præceptum divinum esset, Deo inobedientem fratrem facerem, unde ego & ipse pariter rei exsisteremus: quæsivimus de se ipso quid sibi futurum videretur, & ille se adhuc nescire respondit. Vocati itaque quos voluit, citissime affuerunt, quibus præsentibus, me rogante ut loqueretur, ait: A Deo & a sancto Michaële & a sancto Vigore, optimo patrono, vobis omnibus dico, ut numquam in Montem sancti Michaëlis redeatis aut intretis gratia ibi remanendi, quandiu iste, qui nunc ibi abbas est, vixerit. Quod si ieritis & manseritis, sine malo & morte pessima consumemini. Cumque illi ad verba se inclinassent, flentes præ gaudio, adjecit ille & ait: Signa vobis verborum istorum, quod vera sint, dicturus sum; sed nondum ea audita, audienda præstolor. Quibus dictis, ego fratribus illis Montanis, (erant autem quinque) Eïa, domini mei, audistis, quæ a Deo præcepta sunt vobis; recedite nunc, ut iterum in stratis vestris quiescatis; neque enim cum omnia alia optime attendissem, de signis quæ dicenda erant aliquid perceperam; sed hoc ipse idem, restantibus omnibus qui affuerant, se sicut dixisse mihi postea manifestavit. Præcepto igitur meo fratres velocius obedientes jam surgebant, cum ille qui jacebat coram nobis raptus est: detinui itaque hoc videns fratres qui jam surrexerant, ut simul psalleremus, eventum rei expectantes. Diximus ergo totum psalmum *Quicumque vult*, & adjecimus *Gloria Patri*; quo finito rediit ille & sedit in lecto, dixitque: Benedictus Deus, Benedictus Deus, jungens manus & adorans; oculisque alacribus nos aspiciens: En signa, ait, vobis ut dicam, si audire placuerit. Quod cum omnino placere respondissemus omnes, nos verbis, & illi nutu qui completorium dixerant, sic locutus est: Si umquam amplius in omni vita mea & vestra me hujus infirmitatis propter quam hic jaceo, signum aliquod aut molestiam patientem videritis, sciatis nequaquam verum fuisse quod a me dictum est; & ecce nunc integre sanus factus sum & firmus, potens surgere & ire & agere quidquid sano homini agendum est. Cumque stupefacti gaudio & evidentia rei, (videbamus enim in ejus facie nescio quod divinum signum sanitatis) miraremur, incunte mihi quodam ex fratribus diximus voce sobria & submisse *Te Deum laudamus*; & illi quidem fratres, quibus propter completorium loquendi licentia non erat, ad strata sua, me jubente, abierunt. Ille vero statim nobis coram positis & cum eo surgentibus qui non abieramus, surrexit, mihi data manu, sanus & hilaris & robustus sicut nos. Stabat igitur gaudens, & nos mirabamur & congaudebamus; videbamus quippe hominem modo in lecto jacentem, diuturna & molesta passione collisum contritumque, & pæne omnibus membris dissolutum, ut nec etiam moveri ad sedendum valeret, essetque ei ipsa lecti mollicies tormentum ingens, nunc vero ipsa eadem hora robuste surrexisse, stare nobiscum sanum & gaudentem. Benediximus itaque Deum, qui percutit & sanat, mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Est ergo hodie in claustro, nobiscum benedicens Deum, qui eum vere, ut pater diligens filium, percussit & sanavit. Sanus namque corpore meliorem & de fide ampliorem suscepit in anima sanitatem. Correptus enim & correctus mores omnino mutavit, Deo omnipotenti subdidit ipsa sua vita dans testimonium, quod vere manum Omnipotentis senserit, cui est honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum, amen.

XLIV.

Fundatio cellæ S. Theobaldi in castro Porcensi.

Ad lib. 69. n. 49.

Ex archivo S. Huberti.

IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, amen. Notum sit omnibus sanctæ ecclesiæ filiis præsentibus & futuris, quod ego Rogerus comes Porcensis territorii, recogitans ex animo de bonis a summo & omnipotenti Deo acceptis, fui inspiratus, ut in suburbio urbis Castri-Porcensis ecclesiam Deo ædificarem sub invocatione sancti confessoris Theobaldi, pro remedio animæ meæ Ermengaldis uxoris meæ & filiæ meæ Sibiliæ ac omnium progenitorum meorum. Quapropter de consensu comitissæ uxoris meæ, & annuente filia mea carissima, vocatis ex monasterio S. Huberti in Ardenna religiosis viris ejusdem monasterii monachis, ecclesiam & cellam ante castrum Porcense construxi, quarum proprietatem, dispositionem, regimen, nominationem seu provisionem trado & tradidi in perpetuum religiosissimo abbati Theodorico & ejus successoribus prædicti monasterii abbatibus, nihil juris in dicta cella

mihi reservans, nec successoribus meis. Et ut dicti religiosi Deo alacriorem reddant servitutem, pro dictæ cellæ fundatione do abbati & conventui S. Huberti quidquid juris mihi competit in burgo seu suburbio urbis, in quo ecclesiam construxi, illud computando a ponte magno usque ad pontem aquæ mortuæ versus orientem cum banno ipsius suburbii cum omnibus appendiciis suis, cum terris cultis & incultis, quas tenebat villicus Godeslarus, cum molendinis juxta pontem magnum sitis, cum pratis, silvis & vineis eidem Godeslaro in censum datis, cum furno bannali, cum omni censu & universo jure & telonio nundinarum quæ sunt & fient singulis annis in dicto banno, in festo S. Theobaldi, incipiendo a vigilia festi usque ad meridiem diei sequentis. Do præterea sextilagium & minagium omnium granorum, quæ venduntur in dicto banno quolibet anni & hebdomadis die cum domo sextilagii, quæ mihi competit in dicto burgo; quæ omnia vocabuntur feudum abbatis, quod erit & volo ut sit ab omni subjectione, onere & servitute liberum, nisi quod propter omnem justitiam, quam trado & tradidi ecclesiæ S. Huberti in dicto banno, quivis abbas S. Huberti aut commissus ejus tenebitur semel mihi & successoribus meis præstare juramentum fidelitatis in recognitionem donationis. Tenebuntur insuper religiosi in dicta cella commissi singulis diebus dominicis tantum summo mane sacrum dicere, dum continget venatores ire ad venationem, & a nobis requisiti fuerint, & non alias. Et ob hoc tenebuntur comites pro tempore exsistentes, singulis annis dare prædictis religiosis dolium vini & mensuræ Remensis. Quod si quæ bona ab eisdem religiosis acquirentur, volo ut sint libera ab omni decima, terragio, impositione & onere, quæ mihi debentur. Denique in recognitionem pro bonis a Deo datis, comitatum Porcensem censui annuo decem solidorum Parisiensium subjicio dictæ ecclesiæ tamquam Deo. Quam donationem ita liberam, astante & approbante Raginoldo Remensi archiepiscopo, astantibus quoque nobilibus & ignobilibus feci, ut nemini successorum vel ministrorum meorum reclamare quicquam liceat. Hujus donationis testes fuerunt, quorum nomina subscripta sunt, Rogeri comitis, Reginoldi archiepiscopi Remensis, Alberti comitis Namurcensis, Ermengardis comitissæ, Sibiliæ filiæ, Hugonis Scotti, Pungardi, Odardi filii ejus, Eratdi præpositi & aliorum multorum. Actum publice anno incarnati Verbi M LXXXVI. indictione X. regnante rege Francorum Philippo XXVIII. anno.

XLV.

Conventio inter monachos Molismenses & Alpenses.

Ad lib. 69. n. 74.

Ex archivo Molismensi.

NOtum volumus fieri universis ecclesiæ filiis, tam futuris quam præsentibus, inter nos cœnobii Molismensis fratres locumque Alsensem * super ejusdem loci abbatis ordinatione & subjectione taliter diffinitum fuisse. Cum scilicet fundus ille olim nostræ ecclesiæ collatus, & per omnia subjectus ut cella fuerit; ipsius loci fratres, Deo inspirante, S. P. nostri Benedicti præceptis artius inhærentes, quorumdam religiosorum consilio animati, ipsius etiam regulæ auctoritate edocti, abbatem sibi a nobis donari petierunt. In qua petitione suppliciter in nostro capitulo perseverantibus sic tandem annuimus, ut ejusdem loci abbate obeunte, sicut hic primus, ita omnes ejus successores a nostro loco expetiti atque collati, suscipientes illius loci curam, a nostro abbate ibidem substituantur. Eumdem quoque abbatem nostrum, Molismensem scilicet, dum illuc venire contigerit, omnis ei reverentia tam in sede quam in justitiis, regulariter tamen peragendis, exhibebitur. Si vero (quod absit) inter illos fratres ac suum abbatem discordiæ malum irrepserit, ad hoc examinandum vel pacificandum noster abbas, non alia quælibet persona advocabitur. Id quoque statutum est, ut si frater quilibet loci illius in aliquo scandalizatus ad nos confugerit, vel de nostris quispiam ad eos itidem facere pertentaverit, sine proprii abbatis permissu minime suscipiatur. Quod si forte illi fratres (quod Deus avertat) ab ipsa quam arripuerunt, districtione ad usus sæcularium revertentes apostataverint, pristino more nobis, ut cella, locus ille restituetur. Diffinitum est hoc a domno Roberto Molismensium abbate primo in præsentia subscriptorum, domni videlicet Widonis in eodem loco primitus in abbatem constituti, Alberici Molismensis prioris, Adæ monachi, Walteri monachi, Liesceliní monachi, Stephani quoque monachi, per cujus manum scriptum est. Confirmatum est autem a domno Roberto Lingonensium episcopo, præsentibus domno Amalrico decano, Narigaldo archidiacono, Hugone archidiacono; sed & Genevensis episcopus itidem confirmavit, præsentibus Victoro decano, Bernardo canonico, Alberto de Lanriaco. Id etiam concesserunt Humbertus comes & Giraldus de Alingia, & Gislo miles, a quibus nobis est ille locus attributus. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini millesimo XCVII. indictione IV. pontificatus domni Urbani secundi papæ anno IX. Signum domni Roberti Lingonensis episcopi. Signum domni Widonis Genevensis episcopi.

* Alpensem.

XLVI.

Recognitio chartarum monasterii Centulensis, ab Anschero abbate facta.

Ad lib. 69. n. 89.

Ex ms. cod. Centulensi.

ANno Domini incarnati M XCVIII. indictione V *. regnante Philippo XXXVIII. primo anno regiminis Anscheri, annotatæ sunt chartæ hic, quæ tunc Centulo habebantur. Præceptum Karoli de Cella-forestensi. Præceptum HLudovici imperatoris. Præceptum Lotharii de Borricio. Præceptum Karoli Calvi. Item ejusdem aliud. Item aliud. Precaria Riberti. Præceptum HLudovici filii Calvi Karoli. Præceptum Karoli alterius. Item aliud ejusdem. Item aliud ejusdem. Item Caroli Calvi de Durcapto quod fecit filio suo abbati nostro. Precaria Warulphi, sub tempore Girberti abbatis.

De tempore Ingilardi abbatis. Epistolæ Johannis papæ ad episcopos & comites pro restitutione ecclesiæ sancti Richarii.

* VI.

Præceptum Arnulfi Remorum episcopi.

Conditio ejus cum Roberto. Conditio ejus cum Wlberto de sacro campo. Conditio ejus cum Jona. Conditio ejus cum Nochero Leggiensi episcopo.

Item ejusdem ad eumdem Nocherum petitio super confirmatione prædictæ conventionis.

Ejusdem Nocheri confirmatio de eadem re.

Conventio ejusdem donni Ingelardi de Merimorte.

De tempore autem donni Angelranni abbatis.

Testamentum Ricardi ducis de ecclesia Scabellivillæ.

Precatio Ebali Remorum archiepiscopi ad Rainardum episcopum Leggiensem pro confirmatione conditionis sub donno Ingilardo pactæ.

Item confirmatio ejusdem conditionis a Durando episcopo facta.

Testamentum manu-firmæ de terra Hubiaci. Item aliud de terra in Hamingo monte.

Item aliud de terris in pago Targuanensi. Item aliud cum Adelulfo. Item aliud cum Heriberto abbate Latiniacensi.

Item aliud cum Francone de Mansionibus.

Item aliud cum Vermondo de Altovillari.

Item alia duo vel unum bis scriptum de molendino sub Montiniaco.

Item aliud de sacro campo cum Bernardo de Domno-Med *.

* Medardo.

Item aliud de terra Barelle.

Item aliud de familia ad altare reducta.

Testamentum Henrici regis de Nogueriis. Item aliud de quodam molendino.

Item donni Angelranni de hominum quietudine qui fuerint in Asloas.

Testamentum Angelranni comitis de Comitisvilla.

Item aliud cum Heriberto quodam.

Item testamentum regis Henrici de quietudine Noguerîarum.

Item aliud Angelranni comitis de indulto denario Argubii.

Item testamentum Odonis comitis de consuetudinibus Civinicortis.

De tempore donni Gervini.

Testamentum regis Willelmi de ecclesia Scabellivillæ.

Item ejusdem de Esperlai.

Descriptio consuetudinum quas comes ex abbatia accipere debet.

Descriptio tortitudinum quas idem comes inflixit.

Testamentum regis Philippi de indulto Brennatio Civinicurtis.

Testamentum Widonis episcopi de altaribus donatis Argubii & Montis-Elisii.

Item ejusdem de personatu Montis-Elisii.

Item aliud contra Effridum de Incra.

Testamentum Drogonis episcopi Belvacensis de personatu Civinicurtis.

Testamentum donni Gervini de libertate cujusdam Odonis.

Item aliud de Guibrentio ad Radolfum.

Item aliud de Aginardo.

Item charta de Hundoniscurte.

Item aliud de Nogueriis contra Galrerum Tirel.

Item charta de redditione Ultrebaiz.

Item aliud de Merimorte.

Item aliud de Filcariis in Vimmaco.

Item testamentum Angelranni comitis de Portis.

Item de Majoch, id est de portis.

Item aliud de molendinis in Griheticurte.

Testamentum Anselmi Cosdunensis, de advocatione Civinicurtis.

De tempore donni Gervini alterius.

Testamentum donni Radbodi Noviomensis episcopi de ecclesia Bredenæ in Flandria,

Item aliud super clauso cujusdam vineæ in Civinocurte.

Testamentum cum Roberto de Braïo super consuetuditibus de Asloas.

Item de molendino Amisardi.

Item de Villæ-regiæ terris.

XLVII.

Anscheri abbatis Centulensis elogium auctore, ut videtur, Hariulfo.

Ad lib. 6. n. 89.

Ex ms. cod. Centulensi.

Corpore formosus, vir nobilis, ingeniosus,
 Moribus ornatus, cordis amore pius;
Notior Urbanis, & ditior ille Pisanis,
 Multa dedit digno munere largus homo.
Sic pater Anscherus, probitatum dote procerus,
 Omnia restituens tot nova tecta dedit
Corpora sanctorum, quæ Centula mater habebat,
 Transtulit in capsas, quas dedit esse novas.
Pallia pulcra satis, vel casula, cruxque sacrata
 Ejus sunt studio reddita Richario.
Tempore sub cujus miracula magna peregit
 Angilbertus apex, quo Deus astra beat.
Concurrunt populi præbentes munera sancto:
 Suscipit Anscherus, & bene distribuit.
Libertatis honor per eum stat valde repertus:
 Præsulis infesti clamor abesse ruit.
Ecclesiam sancto Nicolao rite decentem
 Ad populi missas hic pater instituit.
Ecclesiam sanctæ revocavit jure Mariæ,
 Henrici manibus antea complicitam.
Quo simul ecclesiam Benedicti lectio narrat
 Instanti studio cedere Richario.
Stigmata murorum circumdedit ille novorum,
 Atque novas turres hostibus opposuit.
Terræ culturas tibi traxit, Centula, multas,
 Nam pater utilior vix tibi proveniet.
His visis studeat pietatis jura tenere:
 Sit magis utilior fratribus atque sibi.
Quam dat mensuram, quod scit sibi danda, memor sit,
 Judicet & causas judicis ora pavens..
Plurima Richario voluit conferre beato:
 Non tamen his animam liberat ipse suam.
Postulet Anscherum grex ducere longa dierum:
 Optet ei vitam quo moriente cadit.
Non ferat indignum, quia cor servare benignum
 Fratribus insinuo, spernere quos metuo.
Cum sic laudatur, studeat ne plus timeatur:
 Odiri caveat, atque Deum timeat.
Plurima narrando quæ fecerat atque notando,
 Forsitan inflatur: mens fera * quippe datur.
Laudibus emeritis sustollitur ut quasi mitis,
 Signifer Anscherus stirpis honore ferus.
Isto commisso superis, vel nubis abysso,
 Ad patris obsequium flectimus eloquium.

* Allusio ad Feritatis castellum ex quo ortus erat.

De

De te narrari, te promere, kare Richari,
Servulus optat amans, quo tibi complaceat.
Gesta tuæ laudis depinxi vilibus ausis :
Quæ tu suscipias, me quoque respicias.
Fulgidus in cælos famulorum pertrahe melos,
Et memorare mei in statione Dei.

XLVIII.

Ad lib. 69. n. 98.

Ex archivo Casin.

Urbani II. bulla pro Casinensi monasterio.

URbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Casinensis cœnobii monachis, salutem & apostolicam benedictionem. Ex officii nostri debito & auctoritate compellimur ecclesiarum saluti & paci, prout Dominus scire & posse dederit, providere, vestri præcipue monasterii, quod sanctæ nostræ sedis apostolicæ semper familiarius ac devotius adhæsit, & in omni persecutionis opportunitate promptius ac benignius adfuit. Ideoque opportunum duximus, secundum petitionem venerabilis fratris nostri Oderisii abbatis vestri, nostris in posterum litteris annotare, qualiter Cinglensis cellæ causa, unde vestrum cœnobium diutius inquietatum est, nuper in nostra sit audientia nostro judicio diffinita. Quod enim dilectio vestra plenius novit, sæpe de eodem negotio in Romana ecclesia, inter synodales actus, ante prædecessores nostros quæstio acta est a sanctæ memoriæ Desiderio *, apostolicæ sedis presbytero cardinali & monasterii Casinensis abbate, qui postmodum divinæ dignationis gratia ad summi pontificatus apicem pervenit, sed exiguo tempore supervixit. Nostro etiam tempore in synodalibus gestis a confratre vestro, quem superius nominavimus, Oderisio sanctæ nostræ ecclesiæ presbytero cardinali de causa ipsa coram nostra est præsentia sæpius proclamatum. Accidit autem, ut Robertus comes ad beati Benedicti devotionem promtius conversus, locum ipsum ad vestri monasterii jus pertinere cognosceret, qui mox eumdem locum in manum præfati fratris nostri Oderisii reddidit : eo siquidem tempore abbatissa, quæ in cellam violenter ingressa fuerat, pro ejusdem comitis timore discesserat. Cœpit inter hæc illa nostræ auctoritatis aures, dum in Urbe essemus, crebris clamoribus appellare, unde nos ex latere nostro viros strenuos usque Capuam destinavimus, qui diligenter causam utramque cognoscerent, & pacifice definirent; quo tunc quidem quibusdam occasionibus ad effectum pervenire non potuit. Post aliquantum pro causis ecclesiasticis Urbem [a] egressi, cum eamdem causam diligentius in utriusque partis præsentia tractaremus, cognovimus præfatum venerabilem fratrem nostrum Oderisium abbatem vestrum, non malitiæ intentione, sed justitiæ respectu locum illum, tamquam sui juris, de quo sæpius proclamaverat, recepisse. Enim vero, & pontificalibus decretis, & regalibus instrumentis, & terræ principum scriptis, & loci fundatoris cirographo cellam ipsam ad vestrum ostendebatur monasterium pertinere. Quia tamen sine judicio præcedente receperat, æquum nobis visum est, ut abbatissa, quæ se querebatur exspoliata, reinvestiretur; post reversionem vero nostram, in utramque partem legitimum judicium ageretur. In iis diebus, largiente Domino, plenarium in Barensi urbe concilium celebrare disponebamus. Post menses igitur sex abbatissam illam, & litteris & nostri oris invitatione vocavimus; venire quidem renuit, sed nuntium destinavit : cum autem minus plenas, nec satis rationabiles causas de illius absentia coram concilio reddidisset, nos, ne quod illa gravamine pati quereretur, ejusdem causæ actionem usque ad nostrum reditum duximus differendam. Porro Beneventum venientes, iterum nostras ad illam litteras destinavimus, diem & locum, quo causa ventilanda fuerit, designantes. Cum autem nec tunc venisset, ad locum alium eam tertio vocavimus. Venit illa, sed causam aggredi recusavit, asserens se nequaquam omnia Cinglensis cellæ munimenta & litteras recepisse; ad quod fratrum nostrorum quidam sacramentis asserere parati fuerant, se nec plures, nec alias in loco eodem cartas, quam quas reddiderant, invenisse. Illa secreto nonnullis fratrum, qui nobiscum erant, munimenta sua prodidit, nobis autem ostendere detrectavit. Cumque judiciario ordine causam nec vellet agere, nec valeret, nos eam, ut ad abbatis & fratrum vestrorum concordiam satageret, commonuimus, nec monita suscepit, & judicium penitus subterfugit. Iterum cœnobii vestri munimina vidimus; iterum pontificum Romanorum privilegia & imperatorum scripta perspeximus; iterum fundatoris loci cirographum, & Beneventani principis, qui tunc temporis fuerat, concessionem audivimus : quibus omnibus instructi & prius fumus, Cinglensem cellam ab ipso fundationis exordio ad Casinense cœnobium pertinuisse, & per Casinensis abbatis voluntatem sanctimonialium ibi congregationem fuisse dispositam. Sic post multas tandem dilationes, negotii veritate perspecta, communicato cum fratribus nostris episcopis, seu Romanæ ecclesiæ cardinalibus, judicibusque consilio, venerabili fratri Oderisio abbati vestro Cinglense monasterium ex integro restituimus; ita tamen ut de loco ipso sanctimoniales minime expellantur, sed semper illic puellarum Dei congregatio converseturn, tanto, ut speramus, religiosius, quanto sanctiori patrono monasterioque commissæ sunt, salva in omnibus sedis apostolicæ reverentia. Quam scilicet restitutionem litteris præsentibus ratam & inviolatam perpetuo manere censemus, dico decernimus. Si quis autem post hæc, hujusce actionis tenore cognito, constitutioni nostræ temere obviare temptaverit, apostolicæ indignationis ulcione plectetur; qui vero conservator extiterit, divinæ benedictionis gracia perfruatur. Scriptum per manum Petri scriniarii nostri sacri palacii, indictione septima, mensis Decembris die VII. Datum Romæ apud beatum Petrum per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, sexto idus Decembris, indictione septima, anno Dominicæ incarnationis M XCVIII. pontificatus autem domini Urbani II. papæ XI.

*Victore III. papa.

[a] Cum scilicet has partes adiit ante aliquot menses, quo tempore Capua a Rogerio obsidebatur.

XLIX.

Ad lib. 69. n. 98.

Ex cod. ms. Casin.

* Ansoni.

Ejusdem papæ rescriptum pro Casinensi monasterio.

URbanus episcopus, servus servorum Dei, carissimo filio * A. Beneventanorum domino, salutem & apostolicam benedictionem. Cum nuper a te discessimus, nosti sub quanta te affectione dimisimus: in eadem vero affectione, in eamdem benignitatem & nos tibi manere, & te nobis volumus permanere: quoniam quidem nos honorem tuum servare, & in melius augere curabimus, si & tu in beati Petri apostoli, & nostra curaveris fidelitate & amore persistere. De monasterio sanctæ Sophiæ, quoties & ex quanto jam tempore Casinenses monachi reclamaverint, te ipsum ignorare non credimus. Nuper in Barensi concilio cum scriptis & monimentis ecclesiæ suæ justitiam suam astruere parati fuissent, abbas sanctæ Sophiæ occasione tui causæ actionem fugit. Cum Beneventum etiam venissemus in ipsa beatæ Sophiæ domo, fratres ipsi quantum questi fuerint audisti. Quid nos tibi de eadem causa dixerimus meministi, tunc nobis pro voluntatis tuæ placito respondisti. Nos autem diutius pati noluimus, ut Casinense monasterium de his quæ ad ipsum pertinere videntur, injuriam diutius patiatur. Locus enim ipse per Dei gratiam beati Benedicti meritis non tantum nobis, qui prope sumus, sed universæ etiam Italiæ opportunus & necessarius est, multumque nos deceret, ut, si possibile esset, locum ipsum de nostris etiam ditaremus, nedum sua, favente justitia, non recipiat. Tibi igitur, tamquam carissimo & fideli nostro mandamus, ut venerabili fratri nostro Casinensi abbati & ejus fratribus, de sanctæ Sophiæ monasterio vice nostra justiciam facias. Quod si ante te quasi secularem potestatem causam agere excusaverint, tu eos ad præsentiam nostram venire compelle. quo autem termino ante nos pro causa hac convenire debeant, nobis ante significa, ut & nos Casinensi abbati significemus. Porro quicquid nos exinde statuerimus, tuum erit, his etiam renitentibus, adimplere, alioquin auctoritatis nostræ injuriam diutius pati nequibimus, quin adversus contumaces, quod officii nostri est, impleamus, & Casinensi abbati, quæ sua sunt, restituamus, quem, in quantum videtur, plenam habere justiciam credimus. Data Ciperani tertio nonas Novembris.

L.

Ad lib. 69. n. 110.

Ex archivis monast. Montis-Caveosi.

Carta Unfredi comitis pro monasterio sancti Michaelis de Monte-Caveoso.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, anno incarnationis ejusdem millesimo octogesimo quinto, mense Martio, indictione octava. Ego Unfreda comes Montis-Caveosi, cum considerarem nostræ vitæ incommoda, & vigilanti pectore iniquitatum omnium maculas, quibus tenemur impliciti, perscrutaremur, & id solummodo stabile, id firmum esse, quod quis pro sua operatur salute. Idcirco ego prædictus comes Unfreda pro meæ vel parentum meorum remedio animarum, coram subscriptis idoneis testibus per sanctorum evangeliorum librum, quem manibus meis supra sacro-sanctum altare posui, & per eumdem obtuli, imo tradidi & concessi, primo Redemptori omnium Deo & ecclesiæ monasterii sancti Michaëlis archangeli, quod situm constat in civitate vetere, & tibi, venerabilis abbas, Domine Simeon, hanc nostram concessionem tecum recipiente Michel tuo advocato, scilicet, ut ab hodierno die in antea vos vestrique successores abbates teneatis & dominetis libere & absolute & secure cunctas possessiones, territoria, villas, terras cultas vel incultas, cellas quoque & obedientias prædicti S. Michaëlis cœnobio pertinentes, homines quoque qui ibidem serviunt, tam in casalibus vel castellis, quam ubicumque sunt vel habitant in territoriis prædicti S. Michaëlis; ut nec ego, vel mei heredes, aut ordinati audeamus ab eis quærere datum, aut servitium vel angariam seu plazzam erga eos exigere. Et si contigerit in prædictis territoriis aut pertinentiis aliquid inveniri aut comprehendi, ut inventio & comprehensio vobis vestrisque successoribus, ô domine abbas, præscriptæ sint. Præterea & nec monachum quemlibet præfati cœnobii S. Michëlis, aut clericum vel laicum, & de ejusdem pertinentiis, ut nec ego vel mei heredes, seu quilibet noster ordinatus, aut comprehendere vel tenere eum audeamus sine vestra successorumque tuorum voluntate. Insuper nullo futuro tempore quæramus a vobis vel vestris successoribus datum aut adjutorium quolibet modo vel ingenio, excepto, si vestra bona voluntas vestrorumque successorum fuerit dare nobis benedictionem aliquam; & ut generaliter dicamus, nec in vobis vel vestris monachis, clericis vel laïcis, aut omnibus hominibus, prædicto sacro pertinentibus monasterio, potestatem aliquam judicandi, distringendi, aut comprehendendi servamus nobis aut nostris heredibus seu ordinatis, sed semper, ut jam diximus, libere & absolute & secure teneatis omnia, sicut sopra scripta sunt, vos & successores vestri. Si vero instigatione diabolica hoc, quod modo nos pro salute animæ concessimus, sive ego, sive quilibet noster heres, vel successor aut ordinatus, necnon quispiam hominum disrumpere tentaverimus, aut irritum facere hoc quod modo fecimus, vel exire in aliquo, primo omnium omnipotens & terribilis Deus in hoc præsenti sæculo irascatur & maledicat nobis, & in futuro per ministrum suum Michaëlem archangelum tradat nos æternis incendiis, atque cum Juda traditore nostri Redemtoris damnatione & anathemate feriamur æterno. Servantibus autem omnia præfata & custodientibus vita & misericordia tribuatur æterna. Et ad confirmandum hoc nostrum actum, manu propria signum sanctæ crucis feci. Insuper Johanni nostro notario jussi concessionis hanc scribere chartam, mense & indictione prolatis. † Signum propriæ manus Domino Unfreda comes. † Signum manu Gualterius. † Signum manu Goffredus filius domino Unfredus comes. † Signum manu domino Rao Machabeo. † Signum manus Assegetto.

L I.

Charta Radulfi comitis pro eodem loco.

Ex iisdem archiv.

IN nomine Dei æterni & salvatoris nostri Jesu-Christi. Anno ab incarnatione ejusdem Domini nostri Jesu-Christi millesimo nonagesimo-nono, mense Septembris, indictione septima. Ego Radulphus qui & Machabeus, filius Unfredi, una cum Guidelmo fratre meo offero ecclesiæ sancti Michaëlis de Monte-Caveoso, & per hoc scriptum altari ejusdem ecclesiæ trado in dote, eo quod nulla ecclesia oportet ædificari sine dote, in die dedicationis illius coram episcopis eamdem ecclesiam ædificantibus, scilicet Tricaniensi Librando, Potentino Girardo, Gravinensi Guidoni, Mutilensi Amaro, ibidem astante etiam comite Goffredo, filioque ejus Ro'erto uxoreque ejus Sichelgaitta, Ricardoque seniscalco, aliisque proceribus, nec non pluribus militibus, ecclesiam S. Salvatoris, quæ sita est in castello quod comes Robertus edidit, & ecclesiam beati Vasilii, quæ est in territorio Appii, confirmoque illi prædictæ ecclesiæ ea quæ pater meus obtulit pro redemtione animæ illius ipsius ibidem sepulti & animæ matris meæ Beatricis, animæque dilecti mihi fratris mei Goffredi, indulgentiaque meorum delictorum, Crescentio abbati eamdem ecclesiam gubernanti: imprimis ecclesiam B. Laurentii martyris cum cunctis suis pertinentiis, & ecclesiam S. Juliani cum finibus suis, & ipsas Roccas cum omnibus finibus suis, & murum cum divisionibus ex ista parte fluminis & ultra transeuntibus, & veterem civitatem, quæ Arcora vocatur, & ecclesiam S. Joannis de Avinella cum ipso eodem castro quod Avinella vocatur, cum integris suis pertinentiis, & medietatem omnium terrarum mihi pertinentium in Metaponte, & medietatem proficui portus, & ecclesiam S. Mariæ, quæ sita est in loco, qui Cornu vocatur, cum pertinentibus sibi, nec non ecclesiam B. Nicolai de Appio & fines suos; & ecclesiam B. Benedicti de Acina; & ecclesiam B. Viti, & ecclesiam S. Mariæ de Locoria; & ecclesiam S. Mariæ de Monte-Caveoso, quæ vocatur nova, cum omnibus suis pertinentiis; & ecclesiam S. Nicolai, quæ est sub meo castello; & ecclesiam S. Luciæ cum vineis suis sibi pertinentibus; simul & ecclesiam S. Mariæ, quæ Veterana vocatur, & ecclesiam S. Simeonis, quæ edita est juxta turrim Savetianam, & ecclesiam S. proto-martyris Stephani de Rio cum olivis & vineis; & vineas, quæ sunt in loco qui vocatur Rupa; & ecclesiam S. Martini cum vineis; & ecclesiam S. Leonis cum vineis & terris & omnibus ad se pertinentibus. Hæc autem omnia supradicta vo'umus ut ipsa ecclesia & gubernatores illius absque contrarietate libere & integre habeant & possideant ad honorem & utilitatem. Etiam promitto me esse defensorem, gubernatorem, advocatorem contra omnes adversarios ipsius ecclesiæ & illam regentium. Quod si, instigante diabolo, aliquo modo hanc oblationem disrumpere vel evacuare ego vel successores mei tentaverimus, licentia sit gubernatoribus illius ecclesiæ nos innodandum vinculo anathematis, donec ad satisfactionem veniamus. Hæc omnia vero superius scripta Smaragdo, meo proprio notario, ut firmissima videantur, manibus suis exarare jussi, m. & indictione prætitulata. † Signum propriæ manus meæ, qui supra Radulphi Machabei. † Signum propriæ manus meæ, qui supra Goffredus inclitus comes. † Signum propriæ manus, qui supra Roberti Cupersani. † Signum propriæ manus Guidelmi, qui supra fratris mei & filius Unfredi Montis-Caveosi domini. † Signum propriæ manus Assegeste. † Signum manus propriæ Giliberti.

L I I.

Charta Emmæ, ejusdem Radulfi uxoris, pro eodem loco.

IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, anno incarnationis ejus millesimo centesimo quinto-decimo, mense Martii, indictione octava. Ego Emma comitissa, Rogerii comitis filia, civitatis Severianæ domina, cum illius Dei omnipotentis, qui retributor est omnium & peccaminum relaxator, juxta prophetam pedibus appropinquat, qui in ditandis ecclesiis & maxime monasteriis augmentandis, consideratione præhabita, benevolum & beneplacidum cor apponit. Idcirco ego prædicta comitissa Emma considerans esse caduca omnia & momentanea, quæ humanis usibus acquisita videntur; pro me & viri mei Radulphi Machabei, nostrorum filiorum vel parentum remedio animarum, inter cetera collata beneficia, quæ monasterio sancti Michaëlis archangeli, quod situm est in prædicta civitate, contuli diligenti provisione pensatam ad amplioris dignitatem honoris monasterii nominati de ignota benevolentia mea, annuendo etiam petitionibus domni Crescentii venerabilis abbatis dicti cœnobii & conventus ejusdem ad me petentium, ut ad honorem & incrementum dicti monasterii & laudem beatissimi S. Michaëlis archangeli, omni tempore forum & nundinas anno quolibet mense Madii pro festo sancti Michaëlis in eadem civitate celebrari permitterent & haberi; de solita liberalitate mea coram subscriptis idoneis testibus do & concedo forum seu nundinas in eadem civitate anno quolibet mense Madii perpetuo fieri ad honorem & memoriam dicti cœnobii celebrari; habendum de cetero a prima die mensis Madii usque ad decimum ejusdem francas & liberas, ut omnis homo, undecumque sit, ad dictum forom seu nundinas cum rebus venalibus accesserit, tam vendendo quam emendo, de jure plateæ, seu aliquo modo injuste nullatenus molestetur ab officialibus curiæ meæ nec molestari ... sed libere vendat & emat, nemine prohibente. Do etiam & concedo eidem monasterio & abbatibus ipsius jus administrandi justitiam quæstionum civilium, quæ infra dies prædictos possent contingere vel oriri, ut eas possint jure debito terminare, & dicto monasterio acquiri. Si vero istigatione diabolica hoc quod modo nos pro salute animæ concessimus, sive ego, sive quilibet noster heres, vel successor aut ordinatus, nec non quispiam hominum disrumpere tentaverimus aut irritum facere hoc quod modo fecimus, vel exire in aliquo, primo omnium omnipotens & terribilis Deus in hoc præ-

ſenti ſæculo iraſcatur & maledicat nobis, & in futuro per miniſtrum ſuum Michaëlem archangelum tradat nos æternis incendiis, atque cum Juda traditore noſtri Redemptoris damnatione & anathemate feriamur æterno. Servantibus autem omnia præfata & cuſtodientibus vita & miſericordia tribuatur æterna. Et ad confirmandum hoc noſtrum actum, manu mea propria ſignum ſanctæ crucis feci. Inſuper Juliano notario noſtro præcepimus conceſſionis hanc ſcribere chartam menſe & indictione prælatis. † Ego Petrus archiepiſcopus Acheruntinus interfui. † Ego Guido Gravinenſis epiſcopus interfui. † Ego Gaudius abbas S. Mariæ Piſticii interfui. † Signum manus dominæ Emmæ comitiſſæ præſcriptæ, comitis Rogerii filiæ. † Signum manus domini Rogerii Machabei, præſcriptæ comitiſſæ filii. † Signum manus dominæ Adeliſiæ, jam dictæ comitiſſæ filiæ. † Signum manus Arnaldi de Craco. † Signum manus Godardi militis. † Signum manus domini Roberti Barazzi, prædictæ comitiſſæ comeſtabularii.

LIII.

Continuatio præcedentium a Conſtantia uxore Boamundi.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Quoniam quidem ea quæ Deo & ei ſervientibus beneficia impendimus, & in prolata atque intuitu ſalutaria eſſe novimus & propitia, Deo grates & hominibus laudabiles ſumus, juſtum duximus ut ea, quæ oblata fuere a prædeceſſoribus noſtris Radulpho Machabeo ejuſque conjuge D. Emma comitiſſa, eorumque filio D. Rogerio, monaſterio S. Michaëlis archangeli ſito in Montecaveoſo, per hoc præſens ſigillum concedere & confirmare. Id circo nos Conſtantia, Philippi regis Francorum filia, & D. Bohamundi Antiocheni principis quondam uxor, & Bohamundus ipſius bonæ memoriæ & V. Conſtantiæ filius ac heres, pro ſalute animæ ejuſdem domini noſtri & remedio animarum defunctorum parentum noſtrorum & noſtræ, unanimitate mater filiuſque concedimus & confirmamus ipſi S. monaſterio & D. Guarino venerabili ejus abbati ſuiſque ſucceſſoribus coram D. Raynaldo Tarentinorum archiepiſcopo & ceteris probis idoneiſque ſubſcriptis teſtibus totum illud jus, quod præfato monaſterio a prænotatis dominis habere & tenere ac dominari in civitate noſtra S. Trinitatis & pertinentiis ſuis conceſſum eſt, ſecundum privilegium quod monaſterium inde habet, ſcilicet dimidiam Blazzam ejuſdem civitatis & dimidium portaticum & medietatem legum & totius reditus, medietatem etiam portus Baſenti & Bradan fluminum, & dimidiam partem de terratea terrarum adjacentium inter Baſentum & Salandram, & mediam partem noſtræ ſalinæ. Hæc itaque omnia ſuperius declarata conceſſimus Deo & monaſterio ſancti archangeli & D. Guarino ejuſdem monaſterii abbati & ſuis ſucceſſoribus, ad utilitatem & proficuum ipſius ſancti monaſterii & fratrum qui in eo ſunt, atque confirmavimus habere, tenere & poſſidere ac dominari in perpetuum, abſque omni noſtra noſtrorumque heredum & ſucceſſorum & ordinatorum noſtrorum & aliorum hominum contrarietate & moleſtia. Unde pro ipſius ſacri monaſterii & abbatum ejus ſecuritate & firmitate hoc ſigillum ſcribere juſſimus per manum Michaëlis noſtri notarii, & plumbea bulla noſtri ſoliti typarii bullari & prænotato abbati ad defenſionem dari, anno dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo-quarto, indictione ſecunda. † Signum manus D. Raynaldi Tarentinorum archiepiſcopi. † Conſtantia. † Signum manus domini Bohamundi, Antiocheni principis filii.

LIV.

Epiſtola Encyclica de morte Bernardi abbatis Majoris monaſterii.

Ad lib. 69. n. 134.

Ex vetuſtiſſima membrana Baluzii.

OMnibus eccleſiæ Dei ubicumque diffuſæ filiis & filiabus, Domini ſervitio dicatis & conſervis ſuis & comparticipibus ſpei, quæ eſt in Chriſto, Majoris-monaſterii fratres mutuæ caritatis in omnibus bonis participationem. Quoniam, Apoſtolo docente, nos omnes qui Dominum Jeſum confitemur, ſi fidem noſtram male vivendo non mortificamus, membra corporis ejus, quod eſt eccleſia, eſſe didicimus: cum autem patitur unum membrum, cetera commembra oportere compati, eodem inſinuante, non ignoramus. Vobis commembris noſtris, ut nobis compatiamini, ſicut ratio caritatis expoſcit, orbitatis noſtræ importabilem paſſionem nuntiamus. Orbati ſumus etenim patre noſtro Bernardo, viro admodum venerabili, ut pote vere, quod primum eſt, catholico, dulci, ſapienti, pio, & ut quid de eo ſine errore ſentire debeatis breviter pandamus, actu & habitu veræ religionis & ſanctitatis reverendo. Unde abſque dubitationis hæſitatione confidimus, quod ei ſit præclarus quietis locus in ſanctorum beatifica manſione præparatus. Sed quoniam nullum ita circumſpecte vel elimate vivere in hujus ærumnoſa carnis mortalitate, cui nihil mundanæ contagionis inhæſerit, & probatiſſimorum ſanctorum exemplis & divinæ ſcripturæ teſtimoniis cognovimus; ei aliquid carneæ rubiginis, quod purgatoriis pœnalibus ſit expiandum, ex parte aliqua inhæſiſſe formidamus. Hinc eſt quod petimus, in quo a vobis piæ compaſſionis adjutorium poſtulamus, ſcilicet ut ne forte propter aliquam carneæ fragilitatis maculam januam debitæ quietis ad tempus purgationis ei contigerit obfirmari, vos orationum veſtrarum clavibus & piarum oblationum impulſibus impetretis feſtinantius aperiri. Rogamus etiam ut pro nobis communem omnium exoretis creatorem, quatinus ad beneplacitum ſuum vivere, & nos regere faciat patris defuncti ſucceſſorem. Et quoniam pius pater noſter vir ſanctæ ſeveritatis fuit, & non ſolum verba peccatricia, ſed & vana & ſcurrilia, & quæcumque modo inutilia exoſa habuit, & ab auditu ſuo, quantum potuit, rejecit; ſanctitatem veſtram precamur, ut verſuum nænias & deriſiones, quæ potius, quam proſint defuncto, facientibus accumulant damnationem, ab hac charta ſummoveatis, tantumque ſimpliciter locorum veſtrorum nomina, & quid pro defuncto patre noſtro & pro nobis feceritis annotetis, ut quid etiam nos pro

vobis debeamus facere cognoscamus, sicque præceptum apostoli Jacobi complentes: *Orate pro invicem ut salvemini*; ad salvatorem nostrum nos mutuis orationibus pertrahamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu sancto unus beatus & beatificans Deus per omnia secula seculorum. Amen. Obiit autem hic piissimus pater noster anno ab incarnatione Domini M C. indictione VIII. epacta VII. concurrente VII. idibus Aprilis, in ipsa hebdomada Paschæ, sabbato quod est in albis, in ipso diei exortu; tamquam qui de tenebris egrederetur ad lucem.

L V.

Ad lib. 70. n. 19.

Titulus sancti Pauli apostoli Cormaricensis de S. Brunone Cartusiæ fundatore.

Ex vita S. Brunonis.

DOminis & fratribus meis, Deo omnipotenti in monasterio sanctæ Mariæ de Eremo, quæ Turris dicitur, servientibus, Mainardus, uti mundo, frui Deo. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu-Christi millesimo centesimo secundo kalendis Novembris suscepi rotulum istum: legi in eo beatam, ut puto, animam suavissimi magistri mei Brunonis seculi hujus vaporem transitorium, perseverando in vera caritate, efflavisse, pennisque virtutum cælestia regna subiisse. Gavisus utique super tanti viri glorioso fine. Sed quia intentio indefessa mihi inerat ad eum in brevi pergere, cumque videre, & audire, omnesque animi mei æstus in illum refundere, & vobiscum sub ejus ducatu sanctæ Trinitati obedire, ultra quam dicere possim, de inopinato transitu ejus conturbatus sum, nec retinere potui habenas ultro profluentium lacrymarum. Mainardus, inquam, ego in Cormaricensi monasterio monachorum plurimorum nomine, non opere, prior, Remorum civitatis oriundus fui, domini hujus Brunonis aliquot annis doctrinam audivi, Deoque volente admodum profeci, profectusque mei grates domino Brunoni, & si in hac vita reddere non potui, nunc saltem animæ illius exhibere statui. Habebo itaque illum, omnesque in Christo dilectores ejus in memoriali meo, quandiu spirare potero; universosque convictores meos filios ac fratres spirituales ad idem opus pro posse meo provocabo, excitabo, promovebo; preces, oblationes, eleemosynas pro eo, non aliter nec minus quam pro me ipso, offeram Deo Trinitati, quandiu fuerit spiritus in naribus meis.

L V I.

Ad lib. 70. n. 33.

Epistola Jeruntonis abbatis sancti Benigni Divionensis ad abbatem & monachos sancti Huberti in Arduenna.

Ex ms. cod. Virdunensi.

THeoderico abbati de sancto Huberto, viro Dei gratia religione venerando, & toti congregationi sub eodem patre Deo militanti, Jerunto Divionis abbas & sancti Benigni tota congregatio spiritum Moysi in Pharaonem & in omnes servos ejus. Moyses Altissimi servus verus maluit veritatem profiteri & affici cum populo Dei tribulatione, quam mendacio consentiens, filius filiæ Pharaonis appellari. Johannes-Baptista, cujus dextera sanctissimum corpus Salvatoris tangere meruit, sic propugnator & amicus veritatis extitit, ut potius elegerit carceris squalorem & capitis obtruncationem, quam in faciem iniqui regis silere, & nefandis ejus nuptiis legis & justitiæ frænis armatura non obviare. Joannes Evangelista de fonte Salvatoris ebrius, & apud diligentem omnes dilectione præcipuus, senilibus membris fomentum balnei noluit adhibere, quoniam inter balneantes Cherintum conspexit residere, credens illi nihil esse publicum, qui perfidia sua se subtraxerit a consortio christianorum, docensque nullam habendam communionem cum illis, qui per hæresim se se præcidunt a corpore Christi, quique per avaritiam fiunt sagittæ diaboli, dentes in faucibus antichristi, subdola viperarum progenies, organa serpentis antiqui. Cherintus in quo deterior Orberto? Cherintus sola fraude catholicæ fidei nocuit; calliditate perfidiæ suæ quoscumque potuit ad consensum sui erroris attraxit. Orbertus, pecuniam dedit ut hæreticus fieret, ut fornax cupiditatis & avaritiæ templum totius religionis & veritatis obrueret, & omni spurcitiæ infectus inquinatione sancta sanctorum suis maledictionibus, si fas est dici, contaminaret. Ecce verus antechristi satelles, currus Sathanæ & fidelis auriga, Simonis magi quædam similitudo vera, molitur destruere regnum Christi, dum sanctæ matris ecclesiæ statum persequi non desistit, & in corpus suum trajicere laborat, quos Christus cruore suo redemit & pascit & potat. Tanti capitis mortem exinanire cupit, ovesque tanto sudore Salvatoris inventas leoni, qui semper sanguinem animarum nostrarum sitit, prodere non formidat; immo omnes in oblivionem veritatis & odium religionis secum præcipitare festinat. Ergo quia nunc tempora periculosa, quæ prædixit apostolus, instant, omnes quod professi sunt, esse contendant. Si tuba sathanæ graviter intonat, & temporalium bonorum minatur dispendia, carnis etiam quandoque morituræ admovet pœnas, totum libenter excipit Christi caritas, ut neque mors neque vita, neque aliqua creatura terreat nos a defensione veritatis & zelo justitiæ, a gremio matris ecclesiæ nequeamus avelli, & a semita Romanæ exorbitare sedis. Quapropter vos, ô amici Dei, & usque modo veritatis & sanctitatis amatores, locum vestrum, id est fidem catholicam nolite deserere, in castra Domini lupos irruentes cum furore, quantum potestis, exturbate, armati fide & spe cælestis gloriæ corroborati, omne pro nomine Jesu improperium maximam dignitatem reputate, rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscipite, contumelias & corporum vestrorum cruciatus certissimum peccatorum vestrorum medicamentum existimate, gloria & divitiæ Christi sint in corde vestro, bonum conscientiæ vestræ testimonium sit vobis indeficiens consolatio: & si aliquantulum pro veritate sustinetis, fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed veniens veniet & non tardabit, facietque proventum ut sustinere possitis; si vero molas leonum, quas Dominus in ira sua confringet, timetis ne vos devorent &

ſimplicitatis veſtræ curſum aliquo modo perturbent, ſancti Benigni domus fugam filiorum eccleſiæ in Chriſti gratia benigne ſuſcipiet, & paupertatulam noſtram voluntati veſtræ non dicam dare, ſed quaſi vobis reddere vel miniſtrare, quod ſumus parati. Quapropter, fratres cariſſimi, virilem animum in cauſa Dei tenete, & a veritate, quæ Chriſtus eſt, ne excidatis omnino ſatagite; videlicet in exitu Iſraël de Ægypto ſanctificata eſt per Dominum vera confeſſio.

LVII.

Ad lib. 70. n. 45.

Roberti præpoſiti Bethleemitici epiſtola ad Drogonem abbatem Pontelevienſem.

Ex mſ. cod. Pontelevienſi.

DRogoni abbati monaſterii Ponleviacenſis cum omni fratrum noſtrorum collegio, Robertus licet indignus ſanctæ eccleſiæ Bethleem præpoſitus pacem & ſalutem. Sanctitati veſtræ de noſtris patrociniis exiguas quidem, ſed pretii inæſtimabilis portiones mittere decrevimus, quia quod pretioſius invenimus, dignum veſtra dilectione munus judicavimus. Siquidem crucem unam fabrefieri ſtuduimus, in cujus cornibus competenter prominent portiunculæ locorum venerabilium, quas ibi diſtincte inſeri polirique fecimus, videlicet de ligno dominicæ crucis in medio, de præſepi Domini, de ſancto ſepulchro & de loco aſcenſionis ejus in cælum. Præterea de ſepulchro ſanctæ Dei genitricis, quod eſt in Joſaphat, nec non de pretioſiſſimis ejus capillis, ſi tamen fas eſt credere ejus aliquid corporeum reſidere poſt ipſam in terris. Hæc ergo, cariſſimi, cum vos ſuſceperitis, prout decet, reverenter pro ſui dignitate honorantes, noſtri, petimus, in veſtris orationibus in perpetuum eſtote memores. Noſtri quoque conventus titulum veſtro catalogo annotare memineritis, ut nos pariter veſtri celebratores ſentiatis. Valete.

LVIII.

Ad lib. 70. n. 58.

Elogium Milonis monachi S. Albini, dein epiſcopi Prænestini ſub Urbano II. ex Marbodo.

Ex mſ. cod. S. Albini Andeg.

ROma beata nimis, quæ ſic excrevit ab imis,
Ut jam dicatur, meritiſque ſuis habeatur
Eccleſiæ lumen, ſummum mundique cacumen,
Lucem regalem vibrans & pontificalem,
Cujus doctrina fulcitur noſtra ruina,
Cernens eccleſiam turbari per ſimoniam,
Miſit legatum per Gallica regna probatum;
Contra Simonem juſſit pugnare Milonem:
Eccleſiæ preſſæ lapſæque jubetur adeſſe;
Preſſæ tutelam, lapſæ donando medelam.
Hic gladio Petri ducis impetit agmina tetri,
Indigniſque datus aufertur pontificatus,
Et datur inſignis ſedes ſine munere dignis:
Propter vendentes non excuſantur ementes.
Utilis adventus erat, ut res poſtulat, ejus:
Nam ſunt prælati vigilantes utilitati.
Qui faciunt queſtum, ſi dona Dei manifeſtum,
Et Chriſtum vendunt, nec eos alii reprehendunt:
Quidam terrore tolerant, aliique favore;
Nulli donatus gratis eſt pontificatus.
Si ſit ſarta manus, fiet puer ille decanus,
Et bene nummati ſunt ilico canonicati.
Provehitur cenſus, vilet ſine nomine ſenſus,
Eſt ſenſu plena nummis impleta crumena,
Omnia divitiæ vincunt documenta ſophiæ,
Et cedunt diti deliro verba periti.
Plus eſt dona dare, quam veris falſa probare.
In ſacris ſummis aſſurgunt undique nummis:
Nullis decretis damnantur dona locupletis,
Plus valet argentum quam Gregorii documentum.
Nunc ſtatus in donis eſt omnis religionis,
Jam ſunt buccarum paſtores non animarum.
Munus in abſconſo vis, dat dimittere ſponſo,
Si velit uxorem ducere vel nobiliorem.
Si bonus eſſe velis ſociis, dominoque fidelis,
Incipies fieri deriſio maxima cleri:
Aſt inſectator ſociorum, fraudis amator,
Hic formidatur & ab omnibus hic veneratur.
His plenus vitiis eſt totus Gallicus orbis,
Sed fidei pilo penetravit ad intima Milo.
Xenia nulla bonum nec amor flexere patronum,
Mens ſibi fortis erat, ſi vis a corpore deerat.
Emptores vidi verbi mucrone recidi,
Et Simon immundus ſibi ſuccubuit pudibundus.
Gaudia quanta bonis virtus dedit illa Milonis;
Et multo plura nobis foret illa datura,
Et foret invictus, ſed mors ſibi ſuſtulit ictus.
Mens nimium tuta Petrumque rigore ſecuta,
Nunc capis in cælis tua præmia, ſerve fidelis.
Nunc ſuper aſtra ſitus, diademate nunc redimitus,
Noſtros oratus audi ſolvendo reatus.

LIX.

Paſchalis papæ II. decretum pro Saviniacenſi monaſterio.

Ad lib. 70. n. 69.

Ex archivo Saviniacenſi.

PAſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Lugdunenſis capituli canonicis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Saviniacenſium fratrum querelam accepimus ſuper caſtello de Varennis & ſuper obſidibus ab abbate exortis pro caſtello. Nos quidem obſides perperam & contra eccleſiaſticum morem judiciorum cenſemus exortos. Caſtellum vero ſupra monaſterium rite deſtructum, quod neque illud, neque aliud in monaſterii læſionem ædificari debuit, nec ulterius ædificari liceat. Obſides ergo ipſos abbati reſtituendos præcipimus, & eccleſias non juſte interdictas abſolvimus. Cimiterium vero de Bulliaco liberum & integrum, ſicut a Lugdunenſi eccleſia datum fuerat, monaſterio manere decernimus. Sane concordiam, quæ inter abbatem & Stephanum de Varennis per manum Matiſcenſis epiſcopi & Wichardi de Bellojoco & Wigo de Yconio & Berardi Matiſcenſis archidiaconi deliberata eſt, [ſervari præcipimus,] ſi idem Stephanus ſervare voluerit. De cetero prorſus a monaſterii infeſtatione deſiſtat, alioquin ut contemptor canonicæ ultioni ſubjiciatur. Data Laterani quinto idus Decembris.

LX.

'Ad lib. 70. n. 75.

Ex archivo Molismensi.

Hugonis Campaniæ comitis diploma pro Molismensi monasterio.

IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus-sancti, amen. Hugo comes Campaniæ, comitis Theobaudi filius, notum volo fieri omnibus sanctæ ecclesiæ fidelibus, quod excellentiori usus consilio ampliare & honorare de meis propriis redditibus Molismensem, quæ in honore beatæ Mariæ semper virginis fundata est, proposui ecclesiam; credens & certissime sciens tanto me in cælestibus partem habere potiorem, quanto eamdem beatam Mariam interventricem præmittere procuravero meliorem. Trado igitur & graranti animo concedo eidem ecclesiæ ex possessionibus mei juris villam, quæ dicitur Rumilliacus, cum potestate & justitia ejusdem villæ post decessum meum tam in nemoribus quam in agris, pratis, pascuis & aquis, servis & ancillis, (excepta uxore Leobaudi de Trecis & infantibus ejus) quæ in omni usu consuetudinario; & in præsenti pro vestitura dimidiam partem redditum. Præterea concedo redditus venditionis salis, id est salagium de Barro super Albam & justitiam ejusdem salagii, si quis inde foris fecerit. Concedo etiam in possessione Isleosi ea quæ & pater meus concessit, videlicet villam sancti Theobaudi de Volva & duo molendina super ripam Sequanæ sita. Culturam quoque meam ex integro, quæ vulgariter Cumina vocatur, aliasque agrorum partes, quæ juri meo attinent; pratum etiam muro Trecensi adjacens, quod frater meus Odo comes ecclesiæ sancti Quintini dedit perpetualiter tenendum, concedo. Item apud Insulas furnum bannalem concedo. Molendinum quoque de Larricurte, sicut teneo, & quamdam culturam apud castrum Vallicoloris, & tertiam partem in molendino, & tertiam in furno huic dono adjicere disposui. Ne hoc autem aliquando cassaretur, aut tergiversatione alicujus calumniatorum infringeretur, conjugem meam Constantiam, filiam, regis Francorum, necnon & comitissam Adelam, uxorem fratris mei comitis Stephani, nepotes quoque meos, filios, & concessores spontaneos & laudatores huic meæ legitimæ dationi adhibui. In territorio Remensi villam sanctæ Valburgis, quæ alio nomine Diona vocatur, & justitiam ejus cum appenditiis suis, sicut in aliis cartis scriptum reperitur, eidem supradictæ ecclesiæ Molismensi jure perpetuo contradidi tenendum. Hoc idem uxore mea Constantia, ex cujus parte in jure meo transiit, annuente, & fratre suo Ludovico approbante, & sigillo proprio huic concessioni meæ assensum præbuit dominus meus Manasses Remensis archiepiscopus cum clero suo super his quæ ad eum pertinebant, exoratus supplicationibus meis. Acta sunt hæc apud Trecas quinto nonas Aprilis, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo-quarto, indictione XII. epacta XXII. concurrente V. in sede Romana vicem apostolicam gerente domino papa Paschali, Richardo Albanensi episcopo, apostolicæ sedis legato, de negotiis ecclesiasticis in generali concilio Trecis tractante, Philippo episcopo eidem ecclesiæ præsidente, Francorum regnum Philippo & filio ejus Ludovico regente, Hugone comite, filio Theobaudi, Campaniæ comitatum pacifice Dei gratia retinente. Cujus largitione præscriptarum rerum donatio concessa, auctoritate corroborata, petitione in ecclesia Trecensi coram omni synodo recitata, a præfato Richardo cardinali approbata, & a consedentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus collaudata, immo tam clericorum quam laicorum judicio est generaliter confirmata, de quibus aliquos nominamus, & ad corroborationem hujus chartulæ hic inscribendos judicavimus. Daimbertus archiepiscopus Senonensis, Rodulfus Turonensis, Ivo episcopus Carnotensis, Hunbaudus Autissiodorensis, Herveus Nivernensis, Marbodus Redonensis, Robertus Lingonensis, Norgaudus Eduensis, Hugo Catalaunensis, Philippus Trecensis, & clerici ejus Rainaudus præpositus, Gerardus, Goscelinus & Drogo archidiaconi, & ceteri ejusdem ecclesiæ canonici. Abbates hi interfuerunt, domnus Robertus primus Molismensis cœnobii abbas, Hilgodus Majoris-monasterii abbas, Lambertus Pultariensis, Rodolfus sancti Petri Insulæ Germanicæ, Otto Arremarensis. De laïcis fuerunt, Milo comes de Barro, Milo de Cacennaco, Wido de Vangionis rivo, Gaufridus filius Otranni, Raynerius de Castellione. His ita, ut præscripsimus, in Trecensi concilio gestis, eodem anno convenimus Molismum ego Hugo Trecensis & Guillelmus comes Nivernensis, pro quibusdam negotiorum nostrorum rebus tractandis, quos honorifice fratres, licet invitos, procedentes exceperunt. Post processionem vero, ut credo, divinitus tactus, in præsentia domni Roberti abbatis ceterorumque monachorum adhuc in albis astantium, accessi ad altare & medietatem de Rumiliaco, quam mihi in vita mea retinueram, & post meum decessum date disposueram, (nam alteram medietatem jam ex toto ecclesia possidebat) extracto de proprio digito annulo in donum de tota potestate super altare ponens, deinceps jure perpetuo possidendam contradidi. Testes sunt Guilelmus comes Nivernensis, Walterius vicecomes de Damiciaco, Hugo de Tilio, Andreas Ramerruci comes, Hugo cognomine Bruco filius ejus, Milo comes de Barro, Gaufredus filius Otranni, Libaudus & Grimaudus Trecenses, Theobaudus tunc puer filius comitis Stephani fratris mei. Postea denique Hierosolymam tendens, Molismum diverti orationis causa; ibique qui de potestate Rumiliaci apud Trecas morabantur omnes homines & eorum mulieres dono superiori addidi. Concedo igitur Deo & beatæ Mariæ Molismensi universos qui de potestate Rumiliaci degunt, tam apud Trecas quam & Insulas, ne aliquid de potestate jam dudum concessa minuisse aut decidisse videar, excepta uxore Leobaudi & filiis ejus. Concedo etiam salvamentum eorum omnium, quorum capita sunt sanctæ Mariæ Molismensi in potestate Rumiliaci. Licet igitur hæc dona præscripta diversis fuerint collata temporibus, in unam tamen volui paginam universa congerere. Utque inconcussa permaneant, sigilli mei impressione confirmare & subscriptis testibus corroborare decrevi. Sed & hoc non prætereundum. Si quis de casamento meo aliquid

ecclesiæ Molismensi dedit, vel in futurum dare voluerit, ratum & firmum concedo permanere, quod & jam ecclesiis omnibus confiteor concessisse. Si quid vero minus inventum fuerit scriptum in chartula ista de donis patris mei & fratrum meorum & meis, quam jus poposcisset; non idcirco quæ scripsi memorialiter non potuerunt, & tamen dudum concessa habentur a nobis, a confirmatione ista removeo; sed sicut scripta, ita inscripta quæ hactenus tenuit Molismensis ecclesia, fixa permanere decerno.

S. Guillelmi comitis Nivernensis. S. Gerardi comitis Briniæ. S. Milonis comitis Barri. S. Hugonis comitis Risnelli. S. Guidonis Gamelyriæ. S. Rogeri Sevincinvillæ. S. Hamonis Desticoncel. S. Gaufredi de Balmonte. † Bertrannus sine terra. Gaufredus tervernis, Hato de Moneta, † Pontius de Triaggello, Hilduinus de Marsolas, Boso filius Albreæ, Achardus Remensis.

Acta sunt hæc & confirmata apud Castellionem, ab incarnatione Domini anno millesimo centesimo-octavo.

LXI.

Ad lib. 70. n. 101.

Ex archivo Cadurcensi.

Notitia de abbatibus Tutelensibus.

DUo abbates Tutelenses nostri successive unus post alium uno intermedio, quorum primus vocabatur Bernardus, septimus abbas Tutelensis post sanctum Aymonem, & alius similiter vocatus Bernardus, nepos prædicti Bernardi, septimi abbatis, nonus abbas, fuerunt sumpti in episcopos Cadurcenses de monasterio Tutelensi &c. Et isti duo abbates, Bernardus & Bernardus avunculus & nepos, jura abbatiæ ministrabant pro monasterio nostro, & jura episcopatus pro ecclesia Cadurcensi & Tutelensi, & apud Rupem-amatoris magnam residentiam faciebant & in aliis locis nostris ad negotia monasterii exercenda, ibique pro abbatibus se gerebant Tutelensibus, licet essent episcopi, ex quadam permissione antiqua, propter paupertatem ecclesiæ Cadurcensis propter guerras, quæ tunc temporis perniciose vigebant. Post reædificationem monasterii Tutelensis fuit sanctus Aymo abbas primus, sanctus Odo abbas secundus, Adacius abbas tertius, Bernardus filius Ademari quartus, Geraldus abbas quintus, sextus Ademarus, septimus Bernardus abbas Tutelensis & episcopus Cadurci, octavus Petrus abbas, nonus Bernardus abbas Tutelensis & episcopus Cadurci, nepos alterius Bernardi; & uterque istorum, Bernardus scilicet avunculus & Bernardus nepos, quilibet suo tempore rexit abbatiam Tutelensem & episcopatum Cadurcensem, de quibus supra fecimus mentionem. De aliis vero qui postea sunt sequuti usque ad.... supersedimus ad præsens, quoniam non sunt necessaria ad præmissa.

LXII.

Ad lib. 71. n. 6.

Index abbatum Athanacensium a variis auctoribus concinnatus.

SAbinus fuit abbas monasterii Interamnis temporibus sancti Romani abbatis Condadiscensis.

Sanctus Anselmus hic fundavit monasterium Leucense, & venit monasterium Athanaci, quod restauraverat sanctus Salonius episcopus Gennensis, filius sancti Eucherii episcopi Lugdunensis.

Brunechildis quoque regina ad preces Arigii sacerdotis & episcopi Lugdunensis construxit monasterium Athanaci, & dedit multa bona.

Sanctus Aurelianus hic fundavit cœnobium de Saxiaco.

Amblardus hic reparavit abbatiam, & Gislebertus fuit abbas post eum multo tempore.

Utubaldus fuit abbas post mortem Gisleberti.

Asterius post Utubaldum.

Arnulfus post Asterium.

Hugo hic fuit frater Artaudi comitis Forensis, & benefecit.

Raynaudus hic fundavit monasterium sancti Romani in Podio abb anno M VII.

Dayvannus post Raynaudum.

Alius Raynaudus post Dayvannum.

Girardus post Raynaudum & erat abbas anno M LXXI.

Garnerius sedit post eum, & deinde

Humbertus. Huic successit

Artaudus, qui reædificavit suum monasterium, & fuit abbas post eum.

Gauceramnus hic recepit Paschalem papam, qui altare sancti Martini dedicavit, & factus est Gauceranus episcopus Lugdunensis.

Sequentia alterius esse videntur.

Bernardus de Cambernaco fuit abbas post Gauceramnum, & præfuit V. annis.

Pontius sedit post Bernardum.

Augerius fuit abbas post Pontium, & obiit VII. calend. Junii.

Berardus rexit post eum, deinde

Hugo alter, & post eum

Stephanus; huic successit

Humbertus, & deinde

Aymendricus.

Sequentia alia manu adjecta fuisse videntur.

Johannes Rufus electus est abbas anno M CCXIII. erat de Isarone; obiit autem pridie nonas Maii.

Willelmus de Sartinis ei successit, quo mortuo,

Girinus de Claro-monte fuit abbas, & post eum

Ayglerius, deinde

Josserannus de Laviaco, qui obiit XV. calendas Martii.

Sequentia alium habent scriptorem.

Ancelinus Rigaudi electus est abbas anno M CCC. & fuit septem annis, ei successit

Humbertus de Vareyo. Hic visitavit reliquias sancti Annemandi, & obiit anno Domini M CCC XIII. III. idus Maii.

Johannes ei successit, & fuit abbas ad annum M CCC XX. dicebatur Granus.

Bartholomæus fuit abbas post eum, deinde

Johannes de Palude, & post

Guillermus de Aura, cui successit

Bartholomæus de Cuino, qui erat doctor decretorum & fuit abbas XXIX. annis, sepultus est autem ad ostium claustri eundo ad capitulum, & scripta sunt hæc super tumulum ejus. Hic jacet venerabilis

venerabilis dominus D. Bartholomæus de Cuino, abbas hujus monasterii, qui rexit XXIX. annis, & obiit anno Domini M CCC LXI. cujus anima requiescat in pace. Amen.

Sequentia a recentiori adjecta.

Adamus de Monte fuit abbas usque ad annum M CCC LXXXII.

Antonius de Brona ei successit, & fuit abbas usque ad annum M CCCC X. & post eum fuit abbas

Guillelmus de Unciaco, & post eum

Antonius Terrail, qui obiit anno M CCCC LVI. & ei successit

Theodorus Terrail. Hic annis XLVIII. rexit abbatiam; sepultus est autem in navi ecclesiæ, & hæc leguntur in tumulo ejus. Theodorus natione Allobrogus, patria Gratianopolitanus, gentilibus Terralinis, loci hujus summus antistes, hîc situs est. Annis præfuit III. mens. IIII. IIXX. diebus. Decessit anno salutis M D. V. pridie nonas Maii. ætatis vero suæ LXXIII. Vivat Deo.

Quæ sequuntur a domino de la Meure adjecta fuere.

Philibertus Naturel successit Theodoro Terrail anno M D V.

Antonius de Thalaru sedit post eum. Deinde

Nicolaus Gaddius S. R. E. C.

Ludovicus de Borbonio.

Franciscus de Turnone.

Hippolitus Eistensis.

Vespasianus Gribaldy archiepiscopus Viennensis.

Petrus d'Espinac archiepiscopus Lugdunensis.

Camillus de Neuville archiepiscopus Lugdunensis.

LXIII.

Ad lib. 71. n. 3.

Farfensium libellus supplex contra prædones Guarnerio duci porrectus.

Ex chartario Farfensi.

QUoniam Dei ecclesiæ persecutores maximis ac variis pœnis leges persequuntur, & aliquando datis potestatibus semper ulciscuntur, idcirco ego Berlandus abbas, insimul cum Carbone advocato meo, tibi, Guarneri Dei gratia excellentissime dux & marchio, querimur, atque omnibus christianis in Christo pie viventibus notum fieri volumus, sanctæ Dei genitricis ecclesiam multis & variis esse afflictam miseriis. Quapropter conquerimur & proclamationem facimus de Morito & Carbone, qui in tantum Dei ecclesiam persecuti sunt, quia nullus paganus & nullus Judeus super hoc transire valuit. Imprimis scilicet nos stantes & castrum nostræ ecclesiæ corroborantes ipse prædictus Carbo supradictæ ecclesiæ persecutor nobis securitatem dedit, & postea assaltum nobis posuit & duos nostros milites interfecit, ab hac hora in antea terram nostram divastaverunt, prædia abstulerunt, messes nostras ignibus concremaverunt, homines quos potuerunt capere, occiderunt, monasteria nostra spoliaverunt, tribus vicibus infra immunitatem ecclesiæ damnum dederunt, & postea in ecclesiam Dei irruerunt & crimen sacrilegii commiserunt, altaria spoliaverunt, libros & paramenta abstulerunt, monachum infra dormitorium apprehendentes eruerunt, alios verberaverunt, alios in captivitatem funibus in collo ligatis duxerunt, & de scapulariis eorum vestimenta & caligas sibi & suis militibus fecerunt, in capite asini scapularium miserunt, & *domne abba benedicite* dixerunt; insuper Dei famulum spoliatum nudum cum quadam muliere in foveam miserunt, alium vero musellaverunt & morti tradiderunt, quamdam Dei ancillam apprehendentes, cippos in pedibus ejus miserunt & funibus suspensam per gyros eam revolverunt, variisque pœnis affecerunt; in tantum Dei ecclesiam affligebant, ut culvertas suas mitterent, quas offertiones de manu presbyteri per vim distraherent, in quorum manibus qui offerebant, osculum præbebant. Super hæc omnia tam pessimam & nefandam & inauditam injuriam, quam dicere licet verecundemur, reticere tamen non possumus, scilicet quia apprehensum Dei famulum & venerabilem monachum de jumento in terram miserunt, & fustibus cæsum ac male verberatum spoliaverunt, eumque ad caudam vulvam & anum osculari fecerunt, qui eos rogare cœpit ut eum dimitterent, quia pro animabus parentum illorum illo die sacrificaverat. De nostris vero hominibus quos potuerunt cœperunt, & plusquam centum libras extorserunt, prædas & assaltus & injurias innumerabiles nobis fecerunt, abbatem vero alium sine armis in via assallierunt, & armati super eum irruerunt, & in fugam miserunt, & vix fuit quia in captionem eum non habuerunt. Post tanta & tam nefaria nobiscum convenerunt, pactiones & obligationes nobiscum fecerunt & plurimis sacramentis nos firmaverunt, nostrique homines devenerunt, & fidelitatem juraverunt, obsides dederunt. Inter ea dum in eis magis quam in nullo alio nostro fideli confideremus, fraudulenter ad vicecomites nostros venerunt, inimicos nostros prædam nostram captos esse dixerunt, & ut nostri cum aliquid audirent cum præda ad eos fugerent securitatem dederunt; tunc ipsi malitia pleni fraudeque detenti per diversa loca prædones venire fecerunt, omnesque nostri cum omni præda ad eos confugerunt. Postquam vero in sua virtute prædam habuerunt & homines tenuerunt, & ultra centum libras .... acquisierunt. Insuper sanctæ Mariæ castrum Carbo cum sua fortitudine intratum & filiam cujusdam nostri boni hominis per vim rapuit, suoque militi in uxorem tribuit, nec ante eam ejus pater recipere potuit, quam bonum equum & aliud quantum ipse Carbo voluit pro ea dedit; alii etiam nostro bono homini, nomine Zaccios, unoquoque anno prædam auferebant, quam æstimamus valuisse plus quam centum libras. Hæc & alia plura nobis fecerunt, quæ omnia nulla lingua enarrare vel manus scribere valet de tantis & tam nefariis & scelestissimis hominibus, ecclesiam Dei variis & diversis malis persequentibus. Ut fideles christiani deprecamur, ecclesiæ Dei sic persecutæ consoleris, & qui justitiam a divino numine concessam geritis, suppliciter oramus ut quæ leges præcipiunt, pleniter nobis exhibeatis.

Guarnerii ducis judicium.

In nomine Domini nostri Jesu-Christi. Guarne-

rius Dei gratia dux & marchio, notum fieri volumus in Christo pie viventibus, tam futuris quam præsentibus, qualiter Maynardus quondam filius Gualterii bona sanctæ Mariæ in Marchia sita Pharphensi ecclesiæ omni jure pertinentia invadere, molestare, diripere, quoad vixit, sacrilega præsumptione non destitit. Simili etiam tyrannide ejusdem venenati patris venenatus filius Adalpertus, & idem cœnobium omnimodis impugnate, destruere conatum esse. Post hunc quippe Adalpertum sceleratissimi ejus filii Morico & Carbo, quæcumque patri ipsorum, vel avo quæcumque de bonis prædictæ ecclesiæ indestructa remanserunt, temerario ausu & irrefragabili furore præcipitare, demoliri, ac penitus confundere non cessaverunt. Ad quæ sacrilega factione, divina potentia vel imperatorum sive apostolorum concessa prædicto cœnobio præcepta seu privilegia mentes reproborum nullatenus revocaverant. Sed dum tantis, ut jam diximus, pravitatibus prædictam ecclesiam intolerabiliter distraherent, & ejusdem innocentes famulos gravissimis calumniis lacesserent, abbates una cum cœnobitis crebras & miserandas principibus ac rectoribus super his fecerunt querimonias, sed, ut supra docuimus, nec divino timori nec principum jussioni obtemperantes a nefario opere cessavere. Postremo nostri regiminis tempore abbas Berlandus, virtutibus & nobilitate vir clarissimus, zelo justitiæ & ultionis divinæ accensus, contra pestiferas prædictorum fratrum Morici scilicet & Carbonis machinationes potenter se erexit, sæpe de ipsis sacrilegis ecclesiæ Dei ac genitricis ejus invasoribus nobis reclamavit. Sæpe nihilominus ipsum venerabilem abbatem & eosdem scelestos datis finiendæ litis terminis in nostri præsentia ad judicium legaliter vocavimus. Advenientibus autem terminis abbas justitiam & satisfactionem recepturus in nostri præsentia adfuit, sed dignam perpetrari sceleris sententiam & proscriptionem metuentes reproborum fratrum neuter venit, sed in consueta pravitate contumaciter perseveravere. Deinde præfatus abbas, Deo cælitus & ejus sancta genitrice victoriam sibi administrante, vindex præteritorum malorum potenter extitit, contra eosdem hostes prævalens, ipsosque de bonis ipsorum omnibus prorsus exhereditavit. Quapropter quomodo ultione divina ac judiciali censura declaratum est, prædictorum rebellium possessionem & proprietatem præfatæ ecclesiæ jure in omnibus deliberavimus, sive censuimus possidendam, ita ut a modo liceat prædicto abbati ejusque ecclesiæ quiete & libere ac sine aliquo præjudicio rectoribus procurare infandorum præfatorum possessionem & proprietatem. Auctoritate itaque domini imperatoris præsentis serenissimi Henrici & eidem sacro cœnobio antiquitus imperiali vel apostolica statuta in præceptis seu privilegiis censura præcipiente jubemus, ut nullus deinceps marchio, comes, vicecomes, vel aliqua magna parvaque persona prædictam ecclesiam molestare vel inquietare in prædictis bonis præsumat. Quod si aliquis forte contra hæc statuta ire præsumpserit, centum libras auri componat medietatem prædictæ ecclesiæ, medietatem vero cameræ nostræ. Quod ut ratum & inconcussum sit, tam apud posteros quam apud præsentes jugiter permaneat, manu propria hoc signum huic paginæ impressum & nostri sigilli impressione consignari præcipimus.

LXIV.

Epistola clericorum Remensium ad Radulfum præpositum, ut archiepiscopatu Remensi cedat in gratiam Gervasii.

Ad lib. 71. n. 12.

Ex cod. colleg. Paris. Soc. J.

* *Radulfo.*

R*. Remensis ecclesiæ præposito fratres qui Remis sunt sacerdotes omnes. R. cantor & qui cum eis sunt, quæ discordiæ sunt, fugere, & ad pacis visionem tendere. Fratres ecclesiæ Remensis producta tribulatione & continua detritio, genibus tuæ discretionis advolvimus, precantes & obsecrantes, ut dum adhuc tempus est, dum non adhuc opportunitas omnis subterfugit, misercaris ecclesiæ Remensi, condoleas cotidianis lacrymis, remedium præbeas ejus miserabili & violentæ distractioni, indulgeas intolerabili fratrum egestati. Ad ultimum famam tuam ad hæc usque tempora integram, venia sit dicto, ne sis adeo negligens & crudelis: quæ enim asperior & minus audita crudelitas, quam ejus matris lacrymas respuere, quæ te de pulvere suscitavit egenum, quæ cum esses parvulus in oculis tuis, tanquam caput te constituit in tribubus suis? Recordare tanquam peritus in litteris, quia cum omnia vitia sint de domo Sathanæ & familia, hæc duo magis sunt domestica, & intra sathanæ penetralia jugiter versantur, ambitio & invidia. Quem autem nec populus expetit, nec clerus eligit, principes respuunt, regis adjuravit animadversio, cum sese quoquomodo in vocabulum episcopi præcipitare, quid aliud videtur nisi ambitiosus? nemo enim sibi sumere debet honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Eum autem intelligimus vocari a Deo, quem vocat electio. Ille vero sibi sumit honorem, quem per gladios, per ignem & sanguinem, per pauperum oppressiones, per ecclesiarum scissuras rapit ambitio. Sed necesse est ut præceps eat, cujus auriga fuerit ambitio & invidia. Invidia pro certo; quia etsi ore dissimules vel diffitearis, conscientia tua tamen intra se clamat, schisma ecclesiæ Remensis ex zelo religionis non processisse, sed, quod luce clarius est, ex invidia. Ne movearis, si exasperando aliquantulum excesserit pagina nostra, quia difficile est in illis habere verba modum, in quibus cotidiana suspiria, bonorum suorum distractio, violenta & jugis pauperum oppressio, obsequii divini silentium, & omnium fere adversitatum turbines & impetus, nullum queunt invenire terminum. Sed melior est & utilior in ore proximi aspera & minime parcens cum dilectione correptio, quam blanda & quæ famæ non consulat in lingua adulatoris suasio. Videat igitur prudentia tua, quomodo te verbis lacerat omnis sexus, omnis ætas, universa conditio; quia cum in præcedentibus esset eorum de te sententia, pro libertate Remensis ecclesiæ te laborare, ecce omnes improperant quia non est ecclesiæ liberatio, sed causa sit vehemens sola & impudens ambitio, frustra obtendens quod cogi debeas a domino papa, cui leviter ex ratione excusatum te poteris habere, & ne te in

ejus quem accusasti cathedram impellat, facile erit & accommodatum rationi compescere. Si vero, quod absit, nec lacrymis matris tuæ ecclesiæ motus, nec intolerabili fratrum egestate revocatus, nec pauperum oppressione miserans, nec sanguinis effusione reverinus decertas in schismate promoveri, tanquam fratres fratri opponimus, quia nec electioni consensimus, nec promotioni congaudemus. Deus pacis & dilectionis procul faciat ab animo & opere tuo quidquid esse potest schismatis & odii.

LXV.

Ad lib. 71. n. 18.

Paschalis II. epistola ad Radulfum archiepiscopum Turonensem & coepiscopos pro abbate S. Albini.

Ex cod. Capucin. Rotomag.

P. episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus & coëpiscopis R*. Turonensi, J*. Cenomanensi, M*. Rhedonensi salutem & apostolicam benedictionem. Sancta Romana ecclesia, sicut omnium mater est, sic omnes materna caritate complectitur, omnibusque ipsius misericordiam postulantibus satagit subvenire. Præsentium siquidem bajulus P*. Alerici suam penes nos querelam deposuit, quod cum sine audientia & judicio frater noster R*. Andegavensis episcopus a sede ac potestate abbatis, in qua ipsum fratres monasterii sancti Albini posuerant, sub anathematis interdicto expulerit, & A*. qui eamdem abbatiam abdicaverat, post appellationem apostolicæ sedis restituerit: questus est etiam quod fratres qui eum elegerant, præbere sibi auxilium seu consilium prohibentur, & qui cum eo vel pro eo appellaverant, officiis suis & obedientiis postea sunt privari. Aliam rursus querelam apposuit, quod ad executionem appellationis & causæ suæ communes expensas ab iis qui prædictam abbatiam regere videbantur expetierit, & nullatenus potuerit obtinere. In quibus profecto, si vera sunt, non solum appellanti, verum etiam sedi apostolicæ, ad quam appellatum est, non parva injuria irrogata est. Propterea experientiæ vestræ mandamus, ut intra dies quadraginta post harum litterarum acceptionem cum fratribus nostris G. Vindocinensi, G. sancti Florentii, G. sancti Sergii abbatibus, & R. de Arbrixellis in capitulum sancti Albini Andegavensis convenire curetis, & causam istam, Domino adjuvante, ordine canonico terminetis. Quod si unus ex vobis necessitatis imminentia præpeditus adesse nequiverit, reliqui negotium exequantur, cui nimirum negotio & monachos qui prædictum fratrem P. Alerici elegerunt, libera eis ad tuitionem causæ illius facultate concessa, præcipimus interesse. Interim a lectoribus ipsius monasterii eidem P. restituantur quæ pro controversia sua expendit, & de reliquo usque ad consummationem causæ sibi & suis necessaria ministrentur. Porro fratribus ejus officia sua seu obedientiæ, quibus post apostolicæ sedis appellationem privati sunt, cum sua integritate reddantur. Audivimus præterea, quod idem frater P. Alerici deprædationi sit expositus laïcorum. Unde fraternitatem vestram monemus, ut ex parte nostra dilecto filio nostro F. comiti Andegavensium injungatis, quod eum cum suis omnibus officii munimine tueatur. Data Laterani 15. cal. Martii.

* Radulfo. * Ildeberto. * Marbodo. * Paganus. * Archembaldum

LXVI.

Ad lib. 71. n. 19.

Epistola Hugonis archiepiscopi Lugdunensis ad Hugonem archiepiscopum Bisontinensem de ecclesia sancta Maria de Salina.

Ex bibliotheca S. Benigni.

HUgo Dei gratia Lugdunensis ecclesiæ servus, dilecto in Christo fratri Hugoni venerabili Bisontinorum archiepiscopo salutem. Significamus dilectioni vestræ dominum papam nobis nuper litteras direxisse, in quibus præter alia quædam nobis præceptum est, ut vos conveniremus, & authoritate sua commoneremus, quatinus abbati Divionensi ecclesiam sanctæ Mariæ de Salina redderetis, super qua querimonia, prout reminiscimini, præcessor vester sæpe a nobis ad justitiam exequendam cum prædicto abbate vocatus fuit. Et ad ultimum Meldense concilium invitatus, a quo cum nulla existente canonica excusatione se absentasset, ab eodem concilio judicatum est abbatem inde investiendum, aut ecclesiam divino officio usque ad plenam justitiam esse privandam. Proinde præscripta præceptione constricti, dilectionem vestram apostolica auctoritate commonemus, ut idem quod rationabiliter prædicti concilii judicio provisum fuit, abbatem de prædicta ecclesia investiatis. Quod quantum prudentiæ vestræ satagendum sit, ex sententia domini papæ, quam per eadem verba hic subjecimus, poteritis cognoscere, quibus ita nobis scribit.

Præterea præcipimus strenuitati tuæ, ut ex nostra parte Bisontinum antistitem convenias, ut Divionensi abbati ecclesiam sanctæ Mariæ de Salina reddere auctoritate nostra commoneas, insuper & fructum prædiorum quem retentionis tempore usurparunt.

LXVII.

Ad lib. 71. n. 42.

Judicium de cella Gordanica in gratiam Anianensium contra Casæ-Dei monachos.

Ex archivo Anianensi.

CArtam recordationis ad memoriam retinendam in futuris temporibus scribere curamus de lite, quam habuerunt abbas & monachi sancti Salvatoris de Aniana contra abbatem & monachos Casæ-Dei, de quadam ecclesia sanctæ Mariæ sita in loco qui Gordanica nuncupatur. Post proclamationem autem factam ante domnum apostolicum Paschalem II. dati sunt ab eo judices, qui causam utriusque partis diligenter audirent & bene discussam diligenti studio definirent, videlicet domnus Richardus Albanensis episcopus & Girardus Engolismensis episcopus & Albertus Avinionensis episcopus & Eustachius Valentinus episcopus & Gauterius Magalonensis episcopus, & presbyteri cardinales domnus Risus & Landulfus & Divizo, & diacones cardinales Johannes, Ugo & Berardus, qui omnes visis rationibus partium & instrumentis, ex rationibus prædictorum abbatis & monachorum Casæ-Dei, & ex scripturis illorum instrumentorum, cognoverunt prænominatos Anianenses abbatem & monachos ecclesiam supradictam, de qua lis fuerat, prius possedisse, eosque expulsos fuisse a

prædictis monachis Casæ-Dei, & ideo prænominati judices communi consilio judicaverunt ut restitutio præscriptæ ecclesiæ canonice & plenarie daretur Anianensibus abbati & monachis jam sæpe dictis. Quod judicium postquam ante prædictum Romanum pontificem relatum est, ad effectum perducere non distulit, sed præfatum abbatem Casæ-Dei cum cereo quem tenebat in manu sua refutare fecit, & ipsemet papa suscepta eadem refutatione illico Anianensem abbatem & monachos cum eodem cereo & quodam lapide revestivit, salvo tamen jure Casæ-Dei, si quod ibi habere videbitur. Facta sunt hæc apud Valentiam temporibus domni Paschalis II. papæ & coram eo, dominicæ incarnationis anno MCVII. mense Julio, indictione XV.

Ego Risus presbyter cardinalis Damasi S.

Ego Richardus Albanensis episcopus interfui, & S.

Ego Johannes diaconus consensi & S.

† Signum factum manu Leodegari Bituricensis archiepiscopi, qui interfuit, & pro se subscribere jussit.

Ego Landulfus presbyter cardinalis titul. Lucinæ S.

Ego Berardus diaconus S.

Ego Girardus Engolismensis episcopus S.

Ego Divizo cardinalis presbyter tit. beati Martini & beati Silvestri S.

Eustachius Valentinæ ecclesiæ interfuit & manu propria S.

Ego Rembaldus judex supra scriptus interfui & dictavi atque subscripsi & complevi & absolvi præfato domno nostro papa jubente.

LXVIII.

Ad lib. 71. n. 42.

Epistola Suavii abbatis S. Severi, Vuillelmi ducis & Gastonis ad Paschalem papam.

Ex ms. cod. S. Severi.

Paschali sanctæ Romanæ ecclesiæ Dei gratia episcopo, Suavius abbas beati Severi Wasconiæ totusque conventus sibi commissus, atque Willelmus Aquitaniæ dux, & Gasto proconsul de Bearni, inito concilio ecclesiastici ordinis & baronum totius Wasconiæ, domno karissimo pastorique suo digna Deo. Omnes nos pariter scandalizamur super quibusdam rationibus, quas quidam ex vestris sub specie judicii in placito abbatis beati Severi atque abbatis beatæ Crucis protulerunt. Si enim aliquam justitiæ semitam investigare voluissent, decretum domni Alexandri & Gregorii VII. summorum pontificum sanctæ Romanæ ecclesiæ pro adinventionibus suis minime postposuissent. In hoc tamen non modice gaudemus, quod vestra sancta discretio ab illorum se absentavit judicio, eo quod etiam abbati beati Severi consilium a vobis petenti consuluistis, dicens: Si litteras patris nostri Alexandri & Gregorii VII. quas jactas te habere, poteris habere sigillatas, mitte mihi eas, quibus visis te & abbatem sanctæ crucis invitabo, ut termino constituto revertamini ad judicium. Quare quoniam gratia Dei litteræ sunt inventæ, nos vestri servuli vestræ supplicamus sanctitati, quatenus exemplo Danielis prophetæ, qui judicium sanctæ Susannæ minus continens, ad plenariam reduxit justitiam, litteris vestris utrumque abbatem ante reverendam præsentiam vestram dignemini invitare, ut injustitiam quam nos credimus in abbatem sancti Severi ingeri a vestris, vestra præcelsa discretio, Spiritu paraclito prævio, ad canonum revocet justitiam. Vestra vita floreat in augmentum justitiæ.

LXIX.

Hugonis monachi Cluniacensis epistola ad Godefridum Ambianensem episcopum.

Ad lib. 71. n. 73.

Ex archivo S. Lucian.

Reverendo patri & domino G. episcopo & omnibus Ambianensis ecclesiæ filiis, frater Hu. Clun. ultimus servus vester humillimus in Domino salutem. Notum sit vestræ caritati, quod alodium illud de *Granviller*, quod prædecessoris vestri D. Rorigonis episcopi & matris meæ antiquitus fuerat, ipse D. R. & mater mea beato Luciano Belvacensi pro animabus suis & parentum suorum legitime concesserunt; ita videlicet ut eis viventibus aliquantula annui census distributio ex eodem alodio solveretur. Decedente itaque D. R. episcopo, media pars ipsius alodii quitta & sine censu ecclesiæ sancti Luciani omnino libera remansit. Postquam vero mater mea mundo mortua, pro Domino se monacham fecit, quicquid ad ipsam de prædicto alodio pertinuit, possessioni B. Luciani martyris absque censu aliquo & penitus absolutum devenit. Vestræ sanctitati veritatem scribere volui.

LXX.

Donatio facta Cisterciensi Novo-monasterio a monachis S. Germani a Pratis.

Ad lib. 71. n. 77.

Ex archivo Cisterciensi.

Notum sit cunctis sanctæ matris ecclesiæ filiis, quod domnus Rainaldus sancti Germani Parisiacensis abbas & fratres ejus concesserunt domno Stephano abbati Novi-monasterii & fratribus ejusdem ecclesiæ quidquid juris se habere crediderant in terris, silvis, pratis, quæ Helgodus in fundo Giminiaco huc usque tenuerat. Concesserunt etiam idem abbas & monachi sancti Germani prædictis fratribus Novi-monasterii quidquid spinis vel silvis occupatum invenissent in illa parte terrarum, silvarum, pratorum, quæ in eodem fundo Giminiaco ipsi possidere videntur. Prædictus etiam abbas cum monachis suis in omni territorio Gilliacensis potestatis dedit usuaria, ad pastum porcorum & aliorum animalium & ad omnia sibi necessaria in terris, pratis, silvis, aquis, supra dictis monachis Novi-monasterii. Insuper & quatuor jugera terræ, quæ apud Britiniacum possederant. Monachi vero Novi-monasterii spoponderunt se singulis annis tam pro his omnibus quam decimis persoluturos sex sextarios annonæ, medietatem videlicet frumenti, & medietatem avenæ obedientiario Gilliacensi; & si vineas in terra in qua ipsi decimas accipiunt plantarent, cum ipsæ vineæ fructum redderent, unum tantum modium vini pro decem jornalibus prædicto obedientario solverent. Et hi sunt testes, Henricus presbyter de Gilliaco, Walo, itemque Walo nepotes ejusdem Henrici, & Willelmus & Simo & Deodatus decanus, Sennatus & Archadus decimarii.

LXXI.

Alia eorumdem donatio.

NOtum fore cupimus & præsentibus & subsequentibus sanctæ matris nostræ ecclesiæ filiis, Aimonem & conjugem ejus, Varonem quoque & Vidonem filios ejusdem conjugis, ac Dodonem & uxorem ejus, natosque illorum, monachis sanctæ Mariæ Novi-monasterii octo journales terræ incultæ apud Gilliacum fundum concessisse pro remedio animarum suarum, cunctorumque prædecessorum suorum parentum, tam libere, ut ex toto nil sibi retinerent inde. Istis autem prædicti monachi viginti solidos, filiis vero conjugis supradicti Aimonis, quia hujus terræ heredes sperabantur, duas tunicas de fustania sponte sua ob recordationem facti tribuebant. Et hi sunt testes, Henricus & Valo presbyteri, Oldierius, Vido de Sais, Petrus de Granunt, Girardus Leo, Girardus major, Baldricus clericus, Hugo Valo major, Elisabeth quoque domina castri Viziacensis & filii ejus, Arnulfus etiam cognomento Cornutus, qui decem solidos inde suscepit, & conjunx ejus, filiusque illorum Rainaldus, & filia hoc donum laudantes & confirmantes, quidquid juris in prædicta terra hactenus possederant, prædictis servis Dei reliquerunt. Monachi vero sancti Germani de Parisiaco quatuor jornales terræ similiter incultæ, insuper etiam nemorosæ, quæ contigua erat supra memoratis octo jornalibus habentes, ante-dictis monachis pauperibus Novi-monasterii causa Dei magnæque suæ misericordiæ communi consilio capituli sui contulerunt. Et ut esset perpetua memoria hujus doni, monachi S. Mariæ decem solidos ob recordationem facti Parisiacensibus obtulerunt. Dehinc prædicti monachi de Parisiaco igne caritatis ac misericordiæ super inopia ante scriptorum pauperum monachorum succensi annuerunt eis, ut pro decimatione duodecim jornalium terræ, quam ipsi ac præscripti homines illis ad vineam plantandam donaverant, modium tantum vini annuatim solverent. Quod si fructus hujus vineæ aliquo anno perierit, monachique modium reddere nequiverint ex eo parvo quod in vinea remanserit, usitaram illo anno decimam non reddant, denuoque cum dominus fructus vineæ servaverit, ad modium reddendum revertantur. Hæc sunt statuta tempore domni Arnaldi abbatis sancti Germani, illo scilicet ista postulante, ordinante & ad effectum perducente, cui sibique gregi commisso Deus dives in omnibus & potens misericordiam & pietatem in futuro retribuere dignetur. Amen.

LXXII.

Donum episcopi Æduensis.

Ad lib. 71. n. 77.

Ex archivo Cisterciensi.

STephanus Dei gratia Eduensis ecclesiæ episcopus, dilecto in Christo fratri Stephano Cisterciensi abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Religionis Cisterciensis bono odore plurimum delectati, tuis tuorumque fratrum petitionibus annuentes, dedimus ecclesiam Combusti liberam, salvo tamen episcopali jure canonicis Virgiacensis castri. Ipsi autem canonici precibus nostris in manu nostra censum quem annuatim in territorio Gergulii grangiæ vestræ a vobis accipere solebant, Cisterciensi ecclesiæ retinendum in perpetuum guerpiverunt. Cujus donationis & guerpinæ census hi testes fuerunt, Bertrannus archidiaconus de Bella, Humbertus archipresbyter de Belna, Walo presbyter de Gilliaco, Paganus *Rabustel* de Vergiaco.

LXXIII.

Epistola cujusdam canonici regularis ad priorem Caritatis de canonico regulari facto monacho, quem ille repetebat.

Ad lib. 72. n. 81.

Ex ms. cod. bibliotheca modo Ottoboniana.

VEnerabili ac jure diligendo domino N. priori de Caritate S. H. semper bene valere. Audistis scripturam dicentem: Caritas non quærit quæ sua sunt. nostis quod dico, ubi caritas est, lumen est & tenebræ non sunt ullæ, nihil fictum patrat caritas, nihil fuscatur veritas; propterea vero amico loquor nihil dissimulans, sed cum fiducia qua nostis, quoniam ex caritate est quod dico. Si autem quod & vos idipsum sentitis, quoniam eamdem caritatem habetis ad me, non credatis quod nihil vobis dicam nisi ex caritate & pro veritate. Propterea cum fiducia loquar nihil timens offendere in caritate.

Significatum est mihi quemdam de fratribus ecclesiæ sancti Johannis Senonensis clam de ecclesia sua eduxisse, eumque a vobis receptum & in monasterio vestro cucullatum; præterea & vos abbati & supra memoratæ ecclesiæ ovem suam requirentibus dura quædam respondisse & minus dicenda. Non hæc conveniunt servis Christi; apostolus super alienum fundamentum ædificare noluit, & lex divina in messem alienam prohibet falcem mitti. Si autem dicitis, quod tamen dicere vos non puto, sed quosdam qui vobiscum sunt, quia vita vestra melior est, licet omni homini quomodo vult & ubi vult, meliorem vitam & conversationem potiorem eligere. Recordamini quid magister nos docuit: apostoli de primatu contendunt: facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse major: fortassis ideo facta est contentio, quia futura erat contentio. Adhuc contendimus, & dicit unus: Melior sum, alter dicit: Non tu, sed ego: Christus quid dicit, intendite: Qui voluerit, inquit, major esse inter vos, erit vester servus. erit servus, erit Chanaan, erit servus servorum qui dicit membro Christi: Tu malus es, esto bonus; verenda patris deridet, servus servorum erit. O Chanaan quare rides, quare derides? Servus servorum eris; semen Chanaan & non Juda, species decepit te, quia veritas non est apud te; tu gloriaris in specie tua, & sufficere putas cum non habeas veritatem. Si enim veritatem haberes, numquam gloriareris in specie. O lingua impudica, post Christum dicere audes, Tu malus es, ego sum bonus. Ille jam dixit: Qui voluerit major esse, erit servus; & tu adhuc impudenter clamas: Ego melior sum? Attendis post speciem tuam, & in ipsa gloriaris; respicis nigredinem tuam, & candorem meum non atten-

dis, quare? quia nigredo species est humilitatis; & ego dico, quia candor species est puritatis. Nigredo, species abjectionis; candor, gloriæ & exaltationis. Commendamus nos modo de specie; tu gloriaris in nigredine, ego in candore. tu in humilitate gloriaris, & utinam bene gloriareris; si enim de humilitate bene gloriareris, numquam superbires de humilitate, contrariis contraria miscens: humilitas enim & superbia contraria sunt, non possunt simul esse duo hæc. de humilitate superbire potes, sed cum humilitate superbiam habere non potes; quia igitur superbis de humilitate, humilitatem te non habere ostendis. Tu vis major esse, quid eris? parum est ut dicam minor, quia servus eris. Monachi dicunt: Nos meliores sumus; canonici dicunt: Non, sed nos meliores sumus. ego dico: Nec vos nec nos, quia omnes mali sumus; ubi autem omnes mali sunt, nemo melior est. Veniant, inquiunt monachi, canonici ad nos ut boni fiant, quia nos meliores sumus: si vos meliores estis, ergo & illi boni sunt; quomodo ergo apud vos boni fiant, qui & sine vobis jam boni sunt. sed dicitis: Boni sunt, sed veniant ut meliores fiant. Nulli prohiberi potest quin melior fiat, si vult. Audite: dicitis, quod licet canonico, posthabita & spreta professione sua, ad vestram conversationem transire, quia, ut vos dicitis, melior est: ergo licet mulieri nuptæ, contemta matrimonii lege, ad continentiam se transferre, quia, quod negare non potestis, continentia matrimonio melior est. Obliti estis legis, quæ dicit: nec pro bono pejus, nec pro malo melius, idem ipsum, non aliud, quod vovisti, hoc redde; hoc enim debes. Si melius quid dare volueris, cum illo da pro illo; nam non potest nisi per illum cui hoc debes, & per illum per quem debes, quantum in re est, nec aliud debes quam hoc quod vovisti. Si ille aliud accipere voluerit, cui hoc debes in ipsius est voluntate, non in tua potestate. De cetero, pro eo quod dicit apostolus, Honore invicem prævenientes, qui se ipsos commendant, hoc modo fortassis intelligendum putant, ut unusquisque ante alium honorem rapere festinet, jactando & seipsum præferendo: ego sic intelligo: Qui me interrogaverit, si canonicus sum, dico monachos meliores; si monachus sum, dico canonicos potiores. hoc est mandatum Christi & regula christiana Quapropter si meæ parvitati creditis, non aliud sapietis, nec facietis. Quod si forte id, quod a vestris minus discrete factum est, corrigere neglexeritis, timeo ne Deo displiceat; & ecclesiastici juris censura, si Romani pontificis audientiam fratres qui a vobis læsi sunt, adierint, inultum esse non permittet. Idcirco modestiæ vestræ quam hactenus Dei gratia tenuistis, nolite oblivisci. Valete.

LXIV.

Ad lib. 71. n. 95.

Notificatio sive Intitulatio præbendarum aliarumque institutionum, sicut moderni & antecessores nostri ab antiquis institutionibus collatas, ad nostra usque tempora transtulerunt.

In Christi nomine.

Ex codice Fabariensi.

Ego itaque Geroldus abbas subtili indagatione investigans unguentum sancti Spiritus nequaquam redolere posse in domo ubi contentiones, iræ, rixæ, aliaque semina discordiæ locum invenire possunt, pacem in hoc monasterio informare modis omnibus curavi. Attendens itaque per activæ vitæ desudationem levissime procellosis concuti turbinibus, si non contemplativa vita interveniente portus quietus frequenter exoptetur; præbendas aliasque administrationes, prout ab antecessoribus nostris accepimus, in hoc libro, qui dicitur viventium, fecimus adnotari: quatenus fratres liberiores in divino officio peragendo redderemus, sublata totius musmutationis tinea. Sicut enim consuetudinis hujus ad nos linea pervenit, non liberi, non servi hactenus in nobis locum tenuerunt, quomodo ecclesiam istam liberam recepimus, suæ libertatis jura inconvulsa servari, sicut a principibus accepimus consilium. Formam ergo panis triticei studiosissime præparati, qualis digne custodibus diu noctuque non tacentibus debet dari, fratribus constituimus, eo videlicet pondere, ut modius non exorbitet a numero xxx. panum & unius qui dabitur pistori de labore suo. Eminam vini, licet juxta constitutum eximii patris Benedicti ad plenum non possimus administrare, ita tamen ut ordinata fuit primitus ipsis constituimus, duo scilicet per diem pocula, quorum octo galletam recta compleant mensura. Kalendis Octobris computatis fratribus cellerario xxvi. casei consignantur talis ponderis, unde sine querela xii. portiones possint dividi, dimidiusque caseus qui datur quotidie pro præbenda J. de Bulgaria ac de curte de Bidenins eis constitutam dari cottidie constituimus. In omni vigilia apostolorum, similiter B. Mariæ, sancti Laurentii, & in vigilia omnium sanctorum, ferculum unum. In vigilia item Natalis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, & in vigilia Pentecostes ferculum unum. In jejunio quatuor temporum feria quarta ferculum unum, feria vi. ferculum unum; & in sabbato ferculum de jejunio, & ferculum de 12. lectionibus. In litaniis fercula duo de processione & jejunio. In omni pleno officio datur ferculum unum, & si sequentia canitur, potum vini. Quandocumque fratres albis induuntur, datur simila fercula tria & potum vini: præter in assumtione B. Virginis, & in dedicatione hujus ecclesiæ, tunc datur per singulos staupus vini & dimidius de curia abbatis, & quatuor fercula, ut quadrati & caritate sancta & veræ vitis inebriati in tantis digne solempnitatibus gloriari debeant ac lætari. Dantur & de curia abbatis alia duo plena servitia instar priorum quæ prælibavimus. In Natali propinatur fratribus albis indutis infra pulsationem campanarum ad vesperas caritas nati infantis poculum vini singulis singula, & sic fit per triduum. Hæc sunt in quibus induimur albis. In Natali per triduum in missa & in secundis vesperis. In octava Domini, in Epiphania, in purificatione S. Mariæ, in festo S. Benedicti, in annuntiatione S. Mariæ, in palmis, in pascha per triduum ad missam & ad vesperas, & propinatur fratribus per omnia sicut in Natali. in ascensa Domini, in pentecoste sicut in pascha per omnia cum caritate constituta. in festo S. Joannis, B. Petri & Pauli, translatione sancti Benedicti, Laurentii martyris, in assumptione S. Mariæ, in natali ejusdem, in dedicatione S. Michaëlis, in dedicatione hujus ecclesiæ, in festo omnium

Ss. Pirminii confessoris, Martini episcopi, Nicolai episcopi. In omni dominica ferculum carnium in prandio, & in omnibus majoribus festis, si die tali venerint, quando licet uti carnibus. In feria tertia similiter. in quinta feria carnes similiter. io VI. feria ferculum & pisces de lacu, si venerint, qui etiam omni feria VI. sunt fratribus ordinati. in feria 2. post quinquagesimam fratribus dantur legumina, & io feria IV. quæ est in capite jejunii datur fratribus compositum faba, pisces, & milium, & castaneæ, si forte habentur. Omni dominica II. IV. & VI. feria per totam quadragesimam dantur pisces sicci & recentes, si sit unde fuerint. In sabbato paschæ, pentecostes & feriis de lectionibus. In die sancto paschæ ad repellendos malos humores primitus datur sorbitium cum lardo, ut stomachus jejuniorum acerbitate lassus in melius reparetur. Datur & singulis ad vestitum per singulos annos pellicium manicatum anno uno. anno vero altero pellicium strictius aliquatorum, & tunica quam vocamus superpellicium; duæ etiam pelles caprinæ & plantæ IV. XVIII. ulnæ panni linei; calcei nocturni grandes. duæ etiam ulnæ & dimidia panni lanei ad caligas, & coopertoria; quæ omnia in festo S. Andreæ fratribus debent esse dispensata. Ordinavimus etiam de his quæ habuimus libere de vinea quadam commemorationem annuam fieri obitus mei, & ut fratribus ad plenum serviatur a magistro hospitatis.

Decernimus ergo ut quæcumque persona spiritualis sæcularisve ex his constitutionibus, quas ab antecessoribus nostris accepimus, Adalberto scilicet episcopo & abbate, Salomone & Hartmano episcopo & abbate, Wechempro prædecessore nostro, infringete conatus fuerit, sit anathema, maranatha, sentiens vindictam districti examinis & indignationem Dei omnipotentis.

Et ego Henricus humilis abbas hujus cœnobii pto remedio animæ meæ, ea quæ abbas Geroldus ordinavit illibata permanere constitui. Et ferculum unum in dominica ad cœnam, & in V. feria ad cœnam. Item unum dari anniversarium meum studiose peragere, & fratribus plenum servitium dari constitui.

LXXV.

Ad lib. 71. n. 99.

Concordia Alpensium & Balernensium monachorum facta a Rotberto abbate Molismensi.

ABbas Alpensis & Balernensis ad invicem discordiam habentes & pro Balernensis ecclesiæ subjectione, quæ Alpensi subjici debere ferebatur, diu inter se altercantes, tandem pari consensu eademque sententia Molismum petierunt, quatinus domni Roberti primi ejusdem loci abbatis ceterorumque fratrum judicio vel concordia, eorum diurioa controversia ad pacem sedaretur, & sicut Molismensis ecclesiæ concilium definiret, ab utrisque abbatibus firmum ac perpetuo ratum teneretur. Præsidente igitur domno Rotberto abbate Molismensi & præsente domno Lamberto Pultariensi, assistente etiam toto conventu fratrum, taliter prædictarum ecclesiarum pax & concordia determinata est. Statutum est ergo a prædictis abbatibus, quatinus dimissis cunctis retro actis querelis & contentionibus tali subjectione Balernensis abbas Alpensi subderetur, ut si Alpensis Balernum venerit, primam sedem teneat, & quidquid juste vel regulariter disposuerit, vel ordinaverit, & secundum consilium abbatis vel fratrum ejusdem loci, ei cuncti obediant. Si autem Balernensis in aliquo contemtor sanctæ regulæ repertus fuerit, vel in tali causa quæ emendatione digna sit, excesserit, admoneatur ab Alpensi bis, ter, vel quater; si emendaverit, bene; si vero contempserit, vel contra eum rebellare præsumpserit, invitabit eum in suum Alpense capitulum, & secundum Deum, & ut talem decet personam, causam ejus nulla sibi injecta violentia tractabit. Quod si tanta aut talis causa fuerit, quæ nec sic possit emendari, tunc demum abbati & ecclesiæ Molismensi notificabit, & ipse emendare curabit aut per se aut per quos dignum esse cognoverit. Si autem Balernensis gravari se injuste ab illo senserit, prius eodem abbate simili modo usque quartum commonito, licite Molismensis ecclesiæ audientiam appellabit, nulla aliena audientia a neutro eorum pro qualicumque negotio suo vel discordia, priusquam Molismensis deficiat, appellata. Si propter ecclesiæ disciplinam vel necessitatem aliquos de fratribus Alpensibus secum Balernensis habere voluerit, caritative præstabit ei quantos potuerit, præcipiens eis ut ita illi sicut sibimet obediant. Neuter tamen eorum de propriis professis in suum monasterium ad habitandum aliquem sine communi consensu suscipiet. Porro io temporali Balernensium substantia nullam violentiam nullamque exactionem Alpenses inferent, sicut nec isti in illorum rebus, nisi quod ex caritate sibi utrinque servient. Si domnus David abbatiam suam quoquo modo reliquerit, libere ad Molismensem, vel si maluerit, ad Alpeosem ecclesiam, non ad aliam ibit. Factum in capitulo anno ab incarnatione Domini M C X. indictione III. agente domno Rotberto primo ejusdem loci abbate, præsente domno Lamberto Pultariensi. Testes ex utraque parte sunt isti, Willelmus prior Molismensis, Girbaudus subprior claustralis, Teobaudus cantor, Walterius secretarius, Richerius camerarius, Rotbertus cellerarius, immo totus conventus, pusilli cum magnis, senes cum junioribus. Signum Widonis Alpensis & Andreæ monachi ejus. Signum David abbatis Balernensis & Stephani monachi ejus.

LXXVI.

Bulla Paschalis II. pro monasterio S. Vvalarici.

Ad lib. 72. n. 107.

Ex authentico.

PAschalis episcopus servus servorum Dei, dilecto filio in Christo Lamberto abbati venerabilis monasterii S. Gualerici, quod in comitatu Vimacensi situm est, ejusque successoribus regulariter promovendis io perpetuum. Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio. Tuis igitur, fili in Christo carissime Lamberte, justis petitionibus annuentes, beati Gualerici monasterium, cui Deo auctore præsides, & omnia ad ip-

sum pertinentia sub tutelam apostolicæ sedis excipimus. Quod videlicet monasterium ab Hugone quondam comite in loco qui Leugonaus dicebatur, ædificatum agnoscitur. Per præsentis igitur privilegii paginam apostolica auctoritate statuimus, ut quæcumque prædia, quæcumque bona idem comes Hugo vel alii fideles eidem monasterio contulisse de jure proprio cognoscuntur, quæcumque etiam in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste dari offerrive contigerit, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant: ipsum etiam monasterium, juxta prædecessorum nostrorum statuta, semper sub jurisdictione sanctæ Romanæ ecclesiæ conservetur. Nulli etiam sacerdotum in eodem monasterio potestatem exercere liceat, aut ejus bona quibuslibet occasionibus infestare; missas quoque publicas in eodem monasterio celebrari, vel stationes fieri præter abbatis ac fratrum voluntatem omnimodis prohibemus, ne in servorum Dei recessibus popularibus occasio præbeatur ulla conventibus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes monachorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, ab episcopo in cujus diœcesi estis accipietis, si quidem gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quem volueritis adire antistitem, & ab eo consecrationum sacramenta suscipere, qui apostolicæ sedis fultus auctoritate, quæ postulantur indulgeat. Sane adjacens parrochia, cum beati Martini ecclesia & presbytero ejus, in ea quam hactenus possedit libertate permaneat. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. amen, amen, amen. Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus SS. Bene valete.

Datum Beneventi per manum Joannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis ac bibliothecarii IIII. idus Martii, indictione XIIII. incarnationis dominicæ anno MCVI. pontificatus autem domini Paschalis secundi papæ VII.

LXXVII.

Carta ecclesiæ Carnotensis pro Bernardo abbate Tironiensi.

Ad lib. 71. n. 112.

Ex archivo Tironensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ecclesia Carnotensis cunctis Christi fidelibus præsentibus & posteris salutem & pacem. Salvatoris nostri Jesu-Christi ejusque genitricis Mariæ piæ matris nostræ admiranda prodigia & præconia nostris in temporibus accidentia cum silere fas non sit, in lucis notitiam educere volentes, omni posteritati notificamus, quod cum tribus continuatis diebus nostrum pluribus visiones quædam, ut nunc perpendimus, apparuissent: quibusdam agmen apum dulcissimum nostras adiens sedes, aliis vir monachali redimitus habitu, miro vallatus candore, ipsos a somno excitans; visiones autem ipsas mirificus & suavissimus sequebatur omnium aromatum odor, quas flagitatim duobus perpensantes diebus, ad extremum quænam hæ visiones essent, cujusque rei gratia concernerent, singulis quibusque nostrum per dies, per momenta, per horas solerter discutientibus, missa sancti Spiritus celebrata & ejusdem gratia postulata, paullo post nuntiatum fuit adesse dominum Bernardum reverendum Tyronensium patrem nostro cœtui loqui deprecantem, qui intromissus in nostro capitulo nobis in eo congregatis, proponensque se cum sua congregatione malle in beatæ Mariæ territorio quam principis terreni degere, carrucatam terræ ad cœnobium suæ ædificandum congregationi deposcens, a nobis libenter admissus est. Cognoscentes enim ab nudius tertius habitas visiones, libenter eisdem eorumque successoribus dictam carrucatam concessimus cum omni jurisdictione, jure, districtu, & alia quavis libertate spirituali & temporali, & ita libere & quiete tenendam ab ipsis, sicuti ipsam prius tenebamus. Lætabundi autem de eorum adventu, eos, si in carrucata terræ quam eis in territorio nostro de Garzeis concessimus, monasterium sibi ædificent, libertatibus sequentibus immunimus. Volentes siquidem ipsos in pace & tranquillitate foveri, ne mundi crescente malitia super optata per nos pace turbentur; volumus & in perpetuum ipsi monasterio largimur, quod ipsum monasterium & ejus cellæ domus & administrationes præsentes & futuræ, & habitantes in eis præsentes & posteri, soli subsint episcopo Carnotensi, ita quod nec nobis decano & capitulo, nec quibusvis nostris archidiaconis, dignitatibus, officiis, vel præbendis subserunt, nec coram eis in aliquo respondeant, nec per alium quam per Carnotensem episcopum jurisdictio spiritualis sive in civili in eos exerceatur; sic tamen & sub hac conditione præmissa a capitulo, archidiaconis, dignitatibus, officiis & præbendis rejicimus & tollimus & episcopo tribuimus, quod abbam Tyronensem ad suam synodum episcopus venire vel interesse non compellat, nisi ab eo super aliquibus totum diœceseos ecclesiasticum statum concernentibus noviter ordinandis, consilium & consensum exquirentibus, litteratorie sibi insinuatis & expressatis, vocatus & vocandus extiterit. Licentius enim ipsum abbam sollicitudini

&

& curæ sibi commissæ vacare vellemus. Insuper volentes eos honoribus plus ceteris attolli, quia in territorio nostro degere præmaluerunt, volumus & largimur quod Tyronensis abba primo quovis honore primus post episcopum emineat. Ut autem eo magis bonis temporalibus accrescat, quo speramus & optamus eos in domo Domini fructus uberes allaturos, volumus & eis in perpetuum concedimus & largimur, quod in quibuscumque dominiis & territoriis nostris & sub nobis existentibus ipsi libere adquirere possint, & adquisitum in manu mortua libere in perpetuum teneant & possideant, nullaque calumnia per nos vel nostrum aliquem super hoc eis inferri possit. Ab omni autem consuetudine & exactione seculari ipsi & eorum homines in quibuscumque dominiis & districtibus nostris liberi sint & immunes. Ut autem per succedentia tempora hæ nostræ largitiones firmæ eis & validæ permaneant, volumus & largimur nullum ipsis lapsum, nullum in contrarium usum vel possessionem, quin his lilibertatibus & largitionibus in perpetuum inviolabili gaudeant & uti possint in futurum, his obesse posse; quin immo nos ipsos actus, usus & possessiones vel quasi, ac præscriptiones quascumque secutas ex nunc irritamus & annullamus, ac irritas & nullas, irritosque & nullos decernimus. Volentes hæc decreto legati & quorumcumque superiorum nostrorum in perpetuum firmari, & omnes usus, actus, possessiones vel quasi, & præscriptiones sequutas quascumque, præmissis per nos largitis contrarias, per eum & eos irritari & annullari pro in perpetuum, ac irrita ea omnia per quæ contra venirent & nulla decerni. Unde hæc sub nostrorum ecclesiam Carnotensem facientium nominum subscriptionibus & signis, manibus nostris factis, ipsis religiosis sub sigillorum nostrorum characteribus unanimi omnium voluntate & assensu duximus concedenda, perpetuam firmitatem illatura.

Ego Yvo Carnotensis episcopus.
Arnaudus decanus, Gerogius cantor Carnot.
Hugo subdecanus Carnot. Warinus succentor Carnot.
Ansgerius archid. Carnot. Walterus archid. in Duno.
Goslenus archid. in Pisciaco, Rambaudus arch. in Droco.
Odo archid. in Bleso, Landricus archid. in Vindocino.
Goffredus præpositus in Normannia.
Henricus præpositus in Mazeziro.
Jeraudus præpositus in Euvercio.
Hugo præpositus in Ingreyo.
Rodulfus camerarius Carnot.
Stephanus abba sancti Johannis.
Data Carnoti manu Wlgrini cancellarii tertio nonas Februarii anno ab incarnato Verbo M C X. regnante in Francia Ludovico Philippi.

LXXVIII.

Ad lib. 71. n. 2.

Excerptum ex chronico Saxonico mss. de captione & custodia Paschalis papæ II.

Anno dominicæ incarnationis M C XI. rex Heinricus rebus per Langobardiam atque Tusciam dispositis apud Florentiam dominicæ nativitatis gaudia cum ingenti suorum tripudio, & mitando ac eatenus illius patriæ civibus numquam viso decore & honore percelebravit. Moto inde versus Ariciam exercitu, illoque perveniens, a clericis benivole, a civibus subdole recipitur, quorum etiam insolentiam satis abundeque perdomuit, scilicet civitate illorum cum turribus, quas ad repugnandum regi paraverant, funditus eversa, ecclesiæ tamen omni sua justitia, quam iidem cives violenter abstulerant, juxta clericorum petitionem restituta. Inde ad Aquam-pendentem progressus, legatos suos dudum ab Aricia missos ab apostolico boni nuntii bajulos reperit, remissisque aliis cum Romanorum nuntiis, qui supplices illic sibi occurrerant, paulatim Sutriam processit. Ibi legati apostolici cum missis regiis advenientes, paratum esse apostolicum ad consecrationem & omnem regis honorem & voluntatem, si tamen ipse sibimet annueret libertatem ecclesiarum laïcam, ab illis prohibens investituram, recipiendo nihilominus ab ecclesiis ducatus, marchias, comitatus, advocatias, monetas, telonea, ceterorumque regalium, quæ possident, summam. Præbuit rex assensum, sed eo pacto quatenus hæc transmutatio firma & authentica ratione, consilio totius ecclesiæ ac regni principum assensu stabiliretur, quod tamen vix aut nullo modo fieri posse credebatur. Qua conventione facta, dimissis legatis, & obsidibus utrimque missis rex hilariter ad urbem properat, domnus autem apostolicus cum omni clero, immo tota Roma se in ejus occursum adornat. Longum est enarrare quam immensa honorificentia sit receptus & per argenteam portam usque ad mediam rotam antiquo Romanorum instituto sit deductus, ibique lectis publice privilegiis, tumultuantibus in infinitum principibus pro ecclesiarum spoliatione ac pro hac beneficiorum suorum ablatione, quam ingenti periculo, quam varia disceptatione tota dies illa consumta sit. Dum hæc aguntur, factione quorumdam tumultus in ecclesiæ gradibus oritur: vulnerantur plures, quidam trucidantur. quo audito a rege, concilium disturbatur, apostolicus cum cardinalibus regiæ custodiæ deputatur, Romani trans Tiberim diffugiunt, apostolicus ab episcopis & aliis fidelibus regis interim est custoditus usque ad pacatam & ecclesiasticam consecrationem imperatoris, in exemplum patriarchæ Jacob, dicentis ad angelum: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. His in dominica quadragesimæ transactis, eadem nocte civitas Lateranensis tumultu bellico concutitur. Orto mane, erectis signis, Lateranenses unanimiter regem ex improviso invadunt, cubiculaii vero regis arma corripiunt, multitudini viriliter resistunt, rex vero & acies sua jam adaucta, quæ prius rara erat, venientes audacter invadit, occursantes multos obtruncat, ceteros fugat, plenaque victoria potitus, adducto secum apostolico cum cardinalibus versus Albam tendit, castra in campis urbi adjacentibus figit, ubi per totam quadragesimam moratur. His ita gestis, regis optimates quidam, communicato consilio, papam, qui adhuc in custodia regia detinebatur, adeunt, monent, orant, ut super regis negotio mitius agat, injuriæ, si quam adversus regem habeat, obliviscatur, fœdus cum rege ineat, regis sibi fidelitatem & obedientiam proponunt, om-

nino sollicitant, ut quæ pacis & concordiæ sunt, cum primoribus regni disponere dignetur: rex ipse pedibus ejus humiliter profusus veniam postulat, obedientiam spondet, dummodo ei in regia potestate jure antecessorum suorum catholicorum regum uti concedat, sicque sæpius domnum papam, ut aiunt, rigorem aliquantisper temperaret, attentavit. Tandem papa vincitur & cedit, & sic Romam honorifice redire permittitur. Igitur cum cardinalibus ceterisque personis ad tale negotium dignis de consecratione regis tractat. Rex Heinricus Pascha non longe ab urbe in castris suis celebravit, & post octavas paschæ die scilicet idus Aprilis in ecclesia beati Petri in imperatorem consecratur. Cumque usque ad communicandum missæ sollemnitas esset celebrata, apostolicus, dato silentio, imperatorem sic alloquitur: Hoc corpus Domini nostri Jesu-Christi natum ex Maria virgine, passum pro salute generis humani, sit confirmatio veræ pacis & concordiæ inter me & te. & communicantes invicem osculati sunt. Donatus est etiam in præsenti per manum apostolici privilegio investituræ ecclesiasticæ, juxta quod utriusque prædecessoribus placuerat & permanere consueverat. cujus inconvulsibilem stabilitatem papa mox anathemate confirmabat. Sic denique ea die gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, ut ita dixerim, est recuperata, dum tam inveterata & eatenus incorrigibilia de regno Christi schismatum ablata sint scandala. Post hæc imperator apostolicum regiis muneribus donat, a quo tamquam filius a patre salutatus dimittitur. Pentecosten autem Veronæ celebrans, per Langobardiam ad Alpes, indeque ad terras Germanicas est reversus. Post reditum quoque suum nonnulla tam ab ipso quam ab episcopis secum comitantibus, quæ corrigenda videbantur, juxta quod summus pontifex concesserat vel injunxerat, ad planum sunt expolita, vitiataque ad purum excocta. Sic Christo respiciente in terras de cælo sancto suo, sicut ubique devotio & religio christiana, ita etiam rerum prosperitas & copia frugum, ac nova circumquaque crescere cœpit lætitia.

Heinricus imperator mense Augusto plurimos episcopos & abbates, nonnullos etiam principes Spiram convocat, quorum assensu & cooperatione patris sui anniversarium permagnifice celebrat. Nam toto quinquennio suspensa communio sepulturæ & orationum apostolica auctoritate ab eisdem sacerdotibus, qui & Romæ coram papa pœnitentiæ illius testimonium reddiderant, tunc testificantibus conceditur, & quibus nulli imperatorum augustiores impensæ sint exsequiis, juxta majores suos in ecclesia sepelitur. Imperator, habita in assumtione sanctæ Mariæ Moguntiæ curia, Adalbertus omnium cancellariorum, qui ante eum fuerunt, in aula imperatoris celeberrimus, præsente imperatore, & consentiente unanimi ecclesiæ electione, Moguntinus archiepiscopus constituitur. Imperator Sigefridum palatinum comitem, diutina satis afflictum custodia, juxta principum consilium atque petitionem sibi reconciliatum dimittens, benigne tractare cœpit, adeo ut ejus filium de baptismate susciperet & injuriarum præteritarum oblivisci se facturum sponderet. Wladizlaus dux Boëmiæ, matre sua Suatala satagente, & Herimanno episcopo Pragensi mediante, fratrem suum Sobezlaum revocavit de Polonia, & dedit ei civitatem Satec cum omni ad eam pertinente provincia. Ottonem vero patruelem suum idem dux in trienni detinuit custodia.

LXXIX.

Illustrissimo Domino D. Archiepiscopo Lugdunensi, F. Johannes Mabillon S.P.D.

Ad lib. 72. n. 3.

Mihi nostri Ordinis Annales persequenti occurrit non levis difficultas circa seriem archiepiscoporum primatialis tuæ ecclesiæ, Illustrissime Archipræsul, de qua, si bene meministi, non ita pridem te consulebam, ut pro eximia tua eruditione tenebris meis lucem afferres.

Inter magnos istius sedis antistites illustris fuit Hugo S. R. E. legatus, ex Diensi episcopo creatus archiepiscopus Lugdunensis, quem anno M C VI. Segusii mortuum fuisse constat, cum ad Guastallensic concilium, jussu Paschalis II. convocatum, proficisceretur.

Quæstio inter nos erat, quis ei in sede Lugdunensi successisset.

Ante annum M DC X. receptissima omnium sententia erat, Jocerannum seu Gaucerannum (nam ejus nomen varie scribitur) Athanacensem abbatem, ejus successorem fuisse. Verum prædicto anno, cum vir suspiciendæ memoriæ & eruditionis Jacobus Sirmundus, Societatis Jesu lumen, aliam sententiam iniisset in notis ad epistolas Goffridi abbatis Vindocinensis, & inter Hugonem & Jocerannum interposuisset Johannem; omnes ejus judicio pro summa tanti viri auctoritate subscripserunt.

Sirmundi sententia nititur duabus epistolis Ivonis episcopi Carnotensis, nimirum CC. XXXVI. & CC XXXVII. quarum prima *Joanni Lugdunensis primæ sedis archiepiscopo* & Daimberto Senonensi inscripta est: alteram Daimberto scribit ipse *Joannes primæ Lugdunensis sedis archiepiscopus.* Ex his Sirmundus in notis ad lib. II. epistolam XVIII. Goffridi abbatis, qui in reditu ex urbe Roma *Lugduni a domno Primate Lugdunensi & a tota ecclesia ejus* se multum honorifice susceptum fuisse dicit, Sirmundus, inquam, observat, id intelligendum de Johanne Hugonis successore, *quem mirum est*, inquit, *ab iis hactenus præteritum fuisse, qui Antistitum Lugdunensium catalogum texuerunt.* Sed Johannis archiepiscopi Lugdunensis nomen, tempusque, vindicari ex his duabus epistolis, quas anno M C XI. scriptas fuisse constat, postquam scilicet Henricus V. imperator privilegium investiturarum a Paschali captivo per vim extorsisset.

Hæc sententia, ut recte perspicis, Illustrissime Primas, solido nititur fundamento, nec mirum est omnes ei subscripsisse, tametsi nullum Johanni locum antea dedissent illi, qui archiepiscoporum Lugdunensium catalogos texuerant, ut Sirmundus ipse fatetur.

Verumtamen nihil tanti viri existimationi detractum iri puto, si ejus opinionem tantisper ad tuum, Illustrissime Pontifex, examen & judicium sistam. Neque enim tuo examine indigna est hæc difficultas, quæ non parum lucis, si accurate

discutiatur, historiæ ecclesiasticæ afferre potest.

Atque ut dilucide procedam, tota quæstio in eo versatur, uter Hugonis successor fuerit, Johannes an Jocerannus; dein si quidem Jocerannus, an Johannes Joceranno postponendus sit.

Certe Jocerannum seu Gaucerannum fuisse archiepiscopum constat. id enim & veteres catalogi docent, & acta ab eo edita, quæ inferius adducturus sum. At Johannes ex præmissis tantum Ivonis epistolarum inscriptionibus notus est: quæ si dubiæ sint, dubius; si mendosæ, nullus erit Johanni locus in serie Lugdunensium archiepiscoporum, qui re vera in omnibus indicibus deest.

Atqui Jocerannus jam ea dignitate potiebatur ante annum M C XI. quo prædictæ Ivonis epistolæ scriptæ sunt. Id certum ex epistola S. Anselmi archiepiscopi Cantuariensis, quæ est libri IV. epistola LXXXVI. inscripta *Josseranno domino atque cum dilectione reverendo, & cum reverentia diligendo archiepiscopo Lugdunensi*. Porro hæc epistola scripta est ante finem mensis Aprilis, anni M C IX. quo mense & anno decessit Anselmus; immo scripta videtur ipso anno M C VII. quo restitutus est in sedem suam Anselmus, cui Jocerannus litteris suis gratulatus erat, quod cum Deus sua tandem consolatione lætificasset: ad quas litteras Anselmus prædicta epistola respondit.

Itaque Jocerannus sedem Lugdunensem jam occupabat quadriennio aut saltem biennio ante scriptas ab Ivone epistolas, & si quidem quadriennio, proximo anno post obitum Hugonis.

Jam vero Lugdunensem archiepiscopatum retinebat Jocerannus tum anno M C XIII. ut patet ex decreto alterius Gauceranni Lingonensis episcopi ad instituendos canonicos regulares in Divionensi S. Stephani ecclesia, edito *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo-tertio, indictione* I. apud Peratdum [a], *Goceranno Lugdunensis ecclesia episcopatum regente*: tum anno M C XV. quo Trenorchiano concilio interfuit.

a *Perard. p. 213. & seq.*

Si ergo anno M C XI. id est medio illo tempore, quod inter annum M C VII. quo scripta videtur Anselmi ad Jocerannum epistola, & annos M C XIII. & M C XV. effluxit, Johannes Lugdunensem episcopatum tenuit, ut ex duabus illis Ivonis epistolis collegit Sirmundus; consequens est duos eodem tempore ejusdem sedis fuisse archiepiscopos, & quidem publicis testimoniis agnitos. quod cum nullo veterum testimonio stabiliri possit, dispiciendum est, an non mendosæ sint inscriptiones duarum Ivonis epistolarum, & num potius Joceranno, quam Johanni directæ sint.

Illud maxime pro hac sententia facit, quod ad oram posterioris Ivonianæ epistolæ, scilicet CC XXXVII. quam Johannes scripsisse dicitur, Souchetus notavit alias legi in quibusdam codicibus *Joscemnos*, non Johannes. ubi nemo non videt, mendose hoc scriptum *Joscemnos* pro *Josceramnus*, cui in nonnullis codicibus hæc epistola adscripta erat.

At quo pacto, inquis, Johannes pro Josceranno seu Joceranno intrudi potuit? Nimirum in antiquis illis non modo transsumtis, sed etiam autographis non raro nomina propria prima dumtaxat littera designari solebant, ut sexcentis exemplis demonstrari posset, si res viris rei antiquariæ peritis explorata non esset. Cum itaque Joceranni nomen prima tantum littera I. duabus illis Ivonianis litteris designatum esset, factum est, ut amanuenses, proprium illud nomen integrum describere temere volentes, Johannis nomen loco Joceranni scripserint.

Quod ne gratis dixisse videar, præsto adest Soucheti notatio ad epistolam CC XXXVII. ubi observat, varie legi ejus inscriptionem in mss. codicibus: *Sed & in alio*, inquit, *prisco libro prima nominis littera tantum designata habetur*, I. PRIMÆ LUGDUNENSIS &c. quo nihil ad propositum opportunius afferri potest.

Hinc itaque contigisse non dubito, ut Johannes in duabus illis epistolis a temerariis notariis intrusus sit pro Joceranno; adeoque corruit fundamentum, quo Johanni archiepiscopatus Lugdunensis assertus credebatur. Expungendus proinde videtur Johannes iste intrusus e catalogo Lugdunensium archiepiscoporum, nisi alia proferantur argumenta, quæ contrarium persuadeant.

Hæc sunt, Illustrissime Archipræsul, quæ ad illustrandum Joceranni pontificatum, & ad expungendum e catalogo Lugdunensium archiepiscoporum Johannem tibi proponere visum est, ut ex antiquis primatialis istius ecclesiæ monumentis, quæ in numerato memoria retines, decretorium feras judicium, quo vel meus corrigatur error, vel opinatio confirmetur.

Luteciæ Paris. III. kal. Aprilis

M DCC VII.

LXXX.

Epistola apologetica Laurentii abbatis sancti Vitoni ad canonicos Virdunenses.

Ad lib. 72. n. 4.

FRater L. catholicus, Domino miserante abbas, Deo disponente abbatia pulsus, homine persequente, clericatis Virdunensibus quod merentur. Litteras non ad nos, sed de nobis & contra nos, vos comperimus edidisse, editas emisisse & emissis nihil quidpiam respondisse: unde potestis conjicere, quomodo receptæ sunt; siquidem qui acceperunt, ne respondere quidem dignati sunt. Nos autem vobis respondendum censuimus, vestræ potius saluti prospicientes, quam nostram innocentiam, quæ Deo satis nota est, deffendentes. Et nos quidem decreveramus vobis nihil penitus scribere, & persecutiones vestras taciti potius tolerare, ne nos verbo saltem videremur ulcisci, exemplo prophetæ dicentis: Cum consisteret peccator adversum me, obmutui & humiliatus sum & silui a bonis. Domini etiam verbis nos consolantes, quibus ait: Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me. Sed quia ipsi nos provocastis, ignaros rerum in nos concitantes, objectionibus vestris respondere compellimur, vobis ipsis in hoc etiam profuturi, si ea quæ scribimus, legere ad finem usque dignemini.

Aliquoties novimus evenisse, ut qui injuriam irrogavit, prior properaverit ad tribunal, prior arbitros instigarit, prior expetierit ultionem. Hoc in vestram innocentiam ipsi nuperrime admisistis, cum Remensi & Catalaunensi ecclesiæ vestras lit-

teras destinastis, quidquid vobis in buccam adscendit in nos eructantes ad excusandas excusationes in peccatis, cor vestrum in verba malitiæ declinatores, & injurias quas nobis ipsis infertis, nos vobis inferre culpantes; ad qua omnia, si prout competit rescribamus, frustra forsitan faciemus; cum, qui nos ipsos abjicitis, apices utique nostros ne lectione quidem dignos æstimabitis: suspicamur tamen, quia scripta nostra, etsi quidam odio nostri despicient, quidam legendi saltem curiositate respicient. Qua de causa vestris calumniis non subsannatione ironica, sed ratione veridica respondemus.

In ipso vestrarum primordio litterarum, me & monachos nostros erga vos immoderatos & indiscretos, per antiphrasim, dicitis exstitisse, & querimonias nostras ab omni veritate alienas existere. Et ego & monachi nostri, imo nobis commissi, modum & discretionem erga vos eo usque tenuimus, quo usque, salva animarum nostrarum salute, & salva sedis apostolicæ obedientia, tenere potuimus. Ex quo autem ipsi præceptis apostolicis obedire immoderata & indiscreta audacia despexistis, immoderati & indiscreti vobis videmur, quia modo & discretioni universalis ecclesiæ concordare maluimus, præceptis apostolicis obediendo, quam vobis communicare, immoderate & indiscrete eadem contemnendo. Querimoniæ autem nostræ, quas ab omni veritate dicitis alienas, utinam non tam veræ, utinam non tam omni veritati vicinæ, congruæ & individuæ essent. quas si universas enumerare conemur, in ipso nostro conatu deficiemus; sed sicut omnes replicare non est possibilitatis, ita omnes prætermittere non est utique rationis.

Ut autem, plurimis omissis, ea tantum ponamus, quæ conquerendi nobis materiam maximam ingesserunt; in festivitate beati Vitoni vespertinam horam nobis canentibus, vos de industria nos turbare volentes, super nos irruistis. & quia non statim ostiis reseratis vos excepimus, iræ vestræ offensam incurrimus, cum non ob aliud distulimus vos statim recipere, quia necdum pulsatis vespertinis horis, ut moris erat, adventum vestrum præstolabamur, nec communionem vestram, nisi offenso universitatis Domino, poteramus habere. Tunc unum conversorum nostrorum a quibusdam vestrum impelli, distrahi, vellicari caput barbamque aspeximus, aspicientes doluimus, dolentes ei subvenire nequivimus. Tunc ipse, utinam numquam abbas, congregationem mihi commissam patroni sui lætam felicitatem vidi cum perturbatione incipere, cum jejunio deducere, cum luctu finire. Tunc nobis claves ærarii, & non multo post armarii sunt ablatæ, quas ipse acceperam, quando a congregatione concorditer sum electus, a catholico episcopo canonice consecratus, & totius abbatiæ potestate donatus. Ea tunc potestate privatus sum, nulla accusatione pulsatus, nullo crimine convictus, nullo canonico judicio condemnatus; sed ob id tantum quod sedi apostolicæ parebam, quia excommunicatis communicare timebam, nec mihi commissis hoc permittebam.

Facile purgari posse dicitis quod neque scandalo linguæ, neque actu commissum est. Si ea, quæ utroque modo in nos commissa sunt, singillatim recentere velimus, & nos in scribendo, & lector deficit in legendo. Ut enim omittam quod ego ipse non abbas, non frater, nec saltem Laurentius, sed Laurentiolus nominabar; rogo, nonne scandalum linguæ erat, quando fratres nostros, non monachos, sed rusticos, gardones, pantonarios & advenas penuria congregatos vocabatis? Aut numquid non merito scandalisari poterant, qui de sæculo conversi talibus se vocabulis denotari audiebant? Actu etiam ipso nonne magnum in nos scandalum commisistis, quando nos potestate abbatiæ & intus & extra privastis? quando custodiam claustri vobis usurpastis? quando quosdam conversorum & monachorum colaphisabatis? quando eis orantibus juxta eos accubantes, orationes eorum præpediebatis? quando ancillis Dei cum accensis luminaribus, psalmos cantantibus & orantibus, quidam vestrum cum risibus & cachinnis eas infestabant, & exsufflantes earum luminaria extinguebant? Rogo, nonne magnum inferebatis nobis scandalum, quando quosdam confratres nostros, qui ob devotionem a nobis se communicari petiverant, postquam a nobis fuerant communicati, ipsi eos confraternitatem nostram negare coëgistis, & communioni a nobis datæ vestram supposuistis? hanc violentiam intulistis Johanni de Arcubus, Lizoni & Haytico canonicis. Si conscientiam vestram coram Deo in veritate convenire velitis, hæc omnia vera esse, ac per hoc querimoniæ locum dari cognoscetis.

Sed forte opponitis nostrum non fuisse canonicorum vestrorum confessiones recipere, nec eos communicare debuisse. Nec plane fecissemus, si vos, quorum officii est confessiones recipere, gradu presbyterii præditos esse, & gratiam sedis apostolicæ habere sciremus: sed cum utrumque vobis deesse constet, rogo quæ fuit illa immanitas qua in animas confratrum nostrorum odio nostri in tantum sævistis, ut eos communionem nostri, qui catholicæ & apostolicæ sedi communicamus, ac per hoc catholici sumus, compuleritis negare, & cum tanto periculo ad illud tremendi judicis examen feceritis exire? O quicumque hæc, nobis referentibus, audiunt, stuporem pro admiratione concipiunt, & hoc vos fecisse, vos factum non dolere vehementissime dolent.

Quid etiam de Ascelino præcentore vestro dicam? qui cum in ipso mortis articulo animam suam electo vestro committere vellet, & ille eam suscipere noluisset, necessitate suprema compulsus, Torpinum pictorem misit ad accersendum me; ad quem cum venissem ex præcepto vestro, Herbertus filius Gundaldi ita mihi ostium obseravit, ut me ad eum qui me rogaverat, qui me desiderabat, nullatenus ingressurum sacramento interposito testaretur. Ludonem quoque & Walterum & quoslibet alios quomodo possumus præterire, qui, quia devotionis causa ad nos veniebant, publice quibusdam cæsis denuntiastis, ne ad nos, utpote hæreticos, ulterius venire auderent! Quibus cognitis, quilibet arbiter æstimet, qui hæc & his nobis deteriora intulistis, utrum contra nos aliquam injuriæ machinam erexeritis, an sicut ipsi vestræ interrogationi respondentes sub-

junxistis nullam. At nos contra multam, magnam, enormem & intolerabilem, nisi per hanc injuriarum machinam nos cælum scansuros speraremus. Nam ut adhuc de injuriarum machina erecta contra nos pauca dicamus; rogo, quid minus antiquis martyrum persecutoribus in nos fecistis? Antiquitus martyres verborum conviciis dehonestabantur, colaphis cædebantur, patrimoniis privabantur, de loco ad locum fugere cogebantur, in vias publicas progredi vetabantur, emere vel vendere non permittebantur, ad ultimum vario mortis genere necabantur. Hoc postremo excepto, superiora omnia, quæ in eorum passionibus legimus, in nostris tribulationibus experti sumus, nisi quod illi passi sunt pro suorum augenda gloria meritorum, nos utinam patiamur pro nostrorum minuenda ignominia peccatorum.

Hæc sunt quæ non, ut ipsi dicitis, de quasi exsilio, sed de re vera exsilio nostro vos accusabiles, & nos reddunt excusabiles. Quod autem in diffamatione vestri nostram sanctitatem nos dicitis confregisse, scriptori vestro condonandum est, qui verbum quod aptius poneret, ignoravit, Verum, ut quod dixit contemnamus, & id quod dicere voluit condemnemus, nobis non opus est ut vos diffamemus. nam ista vita vestra vos ubique diffamat, & si patienter auditis, diffamando infamat. Ubi enim non diffamatum est, quod cum sacri canones censeant ecclesiam ultra tres menses episcopo vacare non debere; nos jam quinto anno sine episcopalibus officiis vos esse patimini? In tanto annorum spatio quis apud vos criminosus pœnitentiæ est submissus? quis pœnitens reconciliatus? quod oleum consecratum? quod chrisma confectum? qui sacri ordines distributi? quis ignorat quod is ipse, quem pastorem vobis elegistis, non ut pastor ovem pascit, sed ut tyrannus cædibus, rapinis, incendiis in nos omnes desævit, ut lupus dispergit, lacerat, consumit, qui etiam limitem potestatis utcumque acceptæ excedit: qui cum nonnisi dominium temporalium de manu regis acceperit, ipse cum infra ordines sit, ordines ecclesiæ spernens, ordinare præsumit, dans vel auferens archidiaconatus, præposituras, præcenturas, decanias, abbatias, quibus vult, qualibus vult, & quomodo vult? In quibus est ille qui ab abbatia Flaviniacensi repudiatus, ab ecclesia Divionensi, cui jubente domino suo abbate Rodulpho professionem fecit fugitivus, ab abbate Divionensi excommunicatus, virgam pastoralem, qua in æternum verberandus, suscipere præsumpsit. Cujus præsumtionis participes se fecerunt & illi, qui tam infami personæ curam pastoralem commiserunt, & qui se ei committi perpessi sunt. Qui ipse quoque contra eos qui Romanæ ecclesiæ resistunt, librum auctoritatibus munitum confecit, & credimus, quia modo juxta quod rustici dicunt, cultrum duas leges habere, alium librum compilabit, subiturus sententiam apostoli dicentis: Si ea quæ destruxi iterum reædifico, prævaricatorem me constituo.

Huc accedit etiam quod qui Virdunensem ecclesiam noverunt, universi sciunt, scientes mirantur, mirantes detestantur, quod vos ipsi qui decani dicimini, contra canones agitis, cum & officium decanorum tenetis, & officii gradum, id est presbyteratum suscipere recusatis. Unde prudentes quique conjiciunt, aut vos episcopos habere suspectos, a quibus ordinari refugitis, aut tale quid admisisse, propter quod ad gradum officii vestri accedere non audetis.

Hæc sunt quæ vos, nobis etiam tacentibus, ubique diffamant. Sane de archiepiscopi Trevirorum epistola ad communionem vestram commonitoria, cui consultu abbatis Roberti fratres assenserunt, absit ut, quemadmodum dicitis, ab hac concordia, ab hoc osculo, ut vobis videtur, sancto, & ego affirmo illicito, consensus noster non discrepaverit; semper enim discrepavit, & numquam concordabit. Quod evidenter ostendi, cum fratres qui se tali osculo contaminaverunt, ad pœnitentiam provocavi, & hoc feci Dei spiritu tactus, de quo notarius vester bene dixit (nescio quo spiritu.) Si enim eo spiritu quo ecclesia catholica per rectores suos pœnitentes ad pœnitentiam exhortatur, plenus esset; quo spiritu tactus sim, utique non nescisset: sed animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Nonne enim spiritus Dei me tetigit, cum fratres mihi commissos, quia excommunicatis communicasse cognoveram, pœnitentiæ subdidi, & ne iterum communicare pari modo cogerentur, locum mutare præcepi. Hoc, inquam, feci spiritu Dei tactus, cui ipsi audacissime restitistis, cum litteris apostolicis infra scriptis obedire contemsistis, & in hoc contemtu usque hodie perduratis.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, fratribus ecclesiæ Virdonensis catholicis, salutem & apostolicam benedictionem. Richardum ecclesiæ vestræ occupatorem a sancta Romana ecclesia pro suis meritis excommunicatum, etsi hactenus non legistis, certius tamen scire & audisse vos credimus. Hoc autem vobis scripto denuntiamus, quatenus eum excommunicatum scientes, communionem ejus omnino devitetis. Sane abbatem sancti Vitoni & Widonem archidiaconum pro catholicæ veritatis dilectione dignitatibus rebusque suis spoliatos audivimus. Præcipimus ergo, si qua penes vos beati Petri & nostri obedientia est, ut bonis suis restituantur: si autem præsentibus litteris obedire contemnitis, nos ecclesiam vestram a divinis officiis interdicimus: qui vero ab hujus erroris macula resipuerint, confratris nostri archiepiscopi Trevirensis, seu prædicti abbatis consilio, catholicæ unitati reconcilientur. Præfatum Widonem noveritis apud nos diaconum ordinatum . . . Data Lat. xv, kal. Aprilis.

Has litteras, cum is qui attulerat, supra altare posuisset, vos non solum eas recipere & relegere despexistis, sed insuper in eum unanimiter irruentes & capillos ejus vellicantes, juxta altare matris misericordiæ eum sine misericordia cecidistis, cæsum ab ecclesia extraxistis, extractum vinxistis, vinctum ad alia compedibus alligandum, & carcere retrudendum destinastis.

Sed ad hoc quod solitis apponitis; canonicus noster erat, papam illicenter adierat, & ideo nihil deliquimus. Vox ista, vox vestra est, sed non vox rationis, non judicii, non æquitatis. Concedamus enim quod canonicus vester erat, cur ergo eum canonice non tractastis? Canonice autem eum tractavissetis, si tunc quidem, quando vobis litteras & mandata domini papæ deferebat, ei a quo

veniebat, reverentiam servaretis, ac litteras apostolicas, ut filii universalis ecclesiæ, reverenter susciperetis, susceptas legeretis, lectis obediretis; aut si vos sentiretis obedire non posse, causas vestræ impossibilitatis ei qui jusserat suggereretis, & suggerentes ut præceptum superaret, humiliter posceretis. Deinde si adversus illum vestrum canonicum aliquid querimoniæ vos habere crederetis, inter confratres & pares eum convenientes, judicio eorum quod deliquetat corrigeretis. Quis catholicorum neget hoc totum ita fieri debuisse, & ita factum esse, si in corde vestro dominam rationem ira ancillula non præissset, si quæ penes vos reverentia Dei & beati Petri mansisset, si tanto ausu vestra fraternitas a fraternitate totius ecclesiæ dividi timuisset? Cum vero sedes apostolica jussis suis vos obedire noluisse comperisset, has litteras ad me iterum destinavit.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Laurentio abbati sancti Vitoni, salutem & apostolicam benedictionem. Richardus Virdunensis ad nos veniens, nullam reatus sui satisfactionem ecclesiæ fecit, unde nec a nobis in communionem susceptus, nec a vinculo excommunicationis absolutus est. Quapropter dilectioni tuæ mandamus, ut illius consortium omnino devites, & tam eum, quam fautores ejus a nobis excommunicatos esse denunties, & omnes qui ei scienter communicant, &c.

Acceptis litteris apostolicis non eis potui non parere, ne si vestram communionem contra domini papæ interdictum haberem, ejusdem totius ecclesiæ communionem habere non possem. unde pacem universalis ecclesiæ vestra pace pluris feci, & fratres mihi commissos, ubi quietius & christianius viverent, consilio catholicorum, & ipsius domini papæ, migrare ad alia præcepi. Qui autem intra provinciam adhuc a me retenti sunt, non, sicut vos improprie dixistis, per lucos sine jugo vagantur, sed ideo ad alia huc usque differunt migrare, ut si Deus omnipotens cor vestrum ad pœnitentiam emolliret, eo citius ecclesiam suam reintroirent, quo non longius discessissent. quod si vos in incœpto viderimus perdurare; quo alios illos, & istos transducemus: & quotquot nobis inobedientes exstiterint, per potestatem a domino papa nobis indultam a corpore præcidentur.

Quod autem dicitis de stabilitate quam fratres juraverant beato Vitono, & non beato abbati Laurentio: hanc ironiam vestram frater qui dictavit, tacitus præterire non potuit, etiam me volente. Nunc itaque respondite, obsecro, absque contentione: justum est an injustum, ut sedi apostolicæ obediatur? justum est an injustum, ut excommunicatorum communio caveatur? sed justum esse, ut sedi apostolicæ obediatur, ut excommunicatorum communio caveatur, nullus justus negat. At nos apostolicæ sedi obedimus, at nos excommunicatorum communionem cavemus, quia hoc justum esse testimonio omnis justi probamus. Dominus autem in evangelio dicit: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Si hoc verum est, imo quia quod veritas dicit, verum non esse non potest, beatos videlicet qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Nos autem propter eam justitiam qua justum est, ut sedi apostolicæ obediatur, ut excommunicatorum communio caveatur, persecutionem patimur, ergo beati sumus. Ergo fratri quoque Laurentio nomen hujus beatitudinis non immerito coaptatur, qui & ipse propter justitiam persecutionem patitur. Fratres autem qui propter stabilitatem, quam juraverant, exire timuerunt, vel se timere finxerunt, vere ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Recte enim hoc dicerent, si non propter illos locum, sed propter locum illos Dominus elegisset; recte hoc dicerent, si ut beato Vitono, sic & parietibus ecclesiæ juravissent; at Excelsus in manufactis non habitat. Recte, inquam, habitationem sui commutare timerent, si salva pace apostolicæ sedis ibidem consistere possent, super cujus nimirum fundamentum universalis ecclesia fundata subsistit, Domino restante, qui ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Unde monachus quisque tamdio jurat, peccat, si loci sui habitationem mutat, quamdiu ibi stabilitas fidei generalis noo mutat: tamdiu ecclesiæ suæ parietibus stabilitatem promissam debet, quamdiu ibidem bonos mores super universalis fidei fundamentum stare stabilitet videt. Ceterum, si hæc ibi cœperit vacillare, stultum profecto est ibi cum animæ periculo parietes observare, qui certe pro periculo corporis fugere festinaret, si eos proxime ruituros paulisper cerneret titubare. Quod illis qui ad faciendum pœnitentiam de sæculo conversi sunt, maxime expedire beatus Hieronymus ostendit, dicens: Si volueris pœnitentiam agere, segregare te debes a consortio peccatorum vel omnium malorum, & fugere in alium locum, ut perfecte agere possis. Si juxta sancti doctoris consilium acturis perfecte pœnitentiam vitandum est consortium peccatorum & omnium malorum, & fugiendum in alium locum; nemo magis malus est, quam qui a corpore catholicæ ecclesiæ merito inobedientiæ suæ anathematis gladio præcisus est. Rogo, non bene fecerunt fratres nostri, qui se a talium peccatorum consortio segregantes, ad locum alium profugerunt, ad quod agendum beati etiam Cypriani magisterio roboramur, Magno presbytero ita scribentis: Ecclesia una est, quæ intus & foris esse non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit. Novatianus io ecclesia non est, nec episcopis computari potest. Et paullo post: Invenimus in tali facinore non solum duces & auctores, sed & participes pœnis destinari, nisi se a communione malorum separaverint, præcipiente Domino per Moysen, Separamini a tabernaculis hominum istorum durissimorum, & nolite tangi ab omnibus qui sunt eis, ne simul pereatis in peccatis eorum; & quod comminatus fuerat per Moysen implevit, ut quisquis se a Chore & Dathan & Abiron non separasset, pœnas pro impietate persolveret. Quo exemplo ostenditur & probatur obnoxios culpæ & pœnæ futuros, qui se schismaticis contra præpositos & sacerdotes irreligiosa temeritate immiscuerint. Quis vero sit schismaticus, beato Isidoro demonstrante, in promptu est: Schismaticus, inquit, est qui quidem rectam confiteri se simulat fidem, sed sanctorum patrum traditiones superbe contemnit, & se aliqua malevolentia ab unitate ecclesiæ scindit.

Obsecramus vos per Christum, hanc sententiam diligentissima attentione notate, notantes intelligite, intelligentes cavete. Sanctorum patrum traditiones sunt, ante omnia ut fides catholica observetur, ut eadem fides bonis operibus exornetur, ut sedi apostolicæ, quæ mater est omnium ecclesiarum, ab omnibus ecclesiæ filiis obediatur, ut eorum communio, qui ab ea excommunicati sunt, devitetur, ut honores ecclesiastici absque interventu simoniæ dispensentur, ut libera mater ecclesia sub nulla servitute laïca ancilletur, ut ministri ejus a sacris canonibus non discordent, ut usuris non intendant, ut nulla se succubarum pollutione commaculent. Ecce istæ sunt traditiones sanctorum patrum, quas omnes evangelicis, apostolicis, propheticis & canonicis testimoniis comprobare facillimum esset, nisi nos epistolaris brevitas coarctaret. A quibus quicumque discordare se sentit, si non dolet, omnem prorsus sensum doloris amisit. qui nimirum sensus ut in eo aliquantenus reviviscat, acriori stimulo pungendus est, ut deprehendatur, si forte quod exterius obstupuit aliquis, in intimis sensus remansit.

Pelagius papa Viatori & Pancratio inter cetera ait: A schismaticorum sacrificiis, potius autem sacrilegiis, abstinere debetis. Idem in eadem epistola: Non est corpus Christi quod conficit schismaticus; nec enim divisum Christum poterit quisquam sine apostoli reprobatione confringere. Unam, ut sæpe dictum est, quæ corpus Christi est, esse constat ecclesiam, quæ in duo vel in plura dividi non potest. Similiter vero cum ab ea quisquam discesserit, esse desistit ecclesia. Unum Jerusalem templum est; idolis necesse est ut immolet, qui semetipsum diviserit. Gregorius in Registro: Nos consecrationem nullo modo dicere possumus, quæ ab excommunicatis est celebrata. Notate, rogamus vos, notate quæ legitis, quia non sunt nostra, sed pontificum illius ecclesiæ verba sunt, a cujus ecclesiæ unitate quicumque separatur, membris universalis ecclesiæ, cujus iste caput est, non unitur. Tam autem patentia sunt ista, ut dilucidari non egeant, manifestissime namque demonstrant, quod eorum sacrificia, qui extra ecclesiam sunt, irrita sint & nullius omnino momenti. Extra ecclesiam autem sunt omnes hæretici, schismatici, simoniaci, & quicumque ab ecclesia per excommunicationis gladium sunt præcisi, quod evidenter Augustinus ostendit Valeriano Patricio ita scribens: Vide utrum schismatici non sint, qui se ab eminentissima & manifestissima auctoritate apostolicarum sedium separaverunt. Apostolicas autem sedes appellat, quæ vel apostolorum epistolas acceperunt, vel in quibus apostoli sederunt, sicuti est Hierosolyma, ubi Jacobus: Ephesus, ubi Johannes: Antiochia, ubi primo Petrus: Alexandria, ubi Marcus, Roma ubi itidem Petrus sedit.

LXXXI.

Monasterii Fontis-dulcis origo.

Ad lib. 72. n. 17.

Ex ms. cod. Fontis-dulcis.

QUia largiente Domino monasterium Fontis-dulcis cum multo sudore consummavimus, placuit stylo allegare, ne de memoria fugeret, qui primi, quibusve temporibus & sub quibus personis illud ædificaverunt; quomodo etiam calumnias, quas passi sunt, per Dei gratiam terminaverunt, possessiones quoque quas & a quibus dono vel prætio cum Dei adjutorio acquisierunt. Anno igitur ab incarnatione Domini M C XI. Willelmus de Concampo, vir in disciplinis sæcularibus atque divinis valde studiosus, tandem supernæ pietatis gratia admonitus, & divinæ legis scientia illuminatus, quantum a salutis suæ tramite deviarat, agnovit, & confestim sæcularium litterarum studia dereliquit. Venit itaque cum collega suo Petro ad Fontem-dulcem, non illius desiderans satiari dulcedine, sed fontis vitæ. quem suscepit Aimarus senex bonus, in cella sua, quæ tunc sita erat ubi nunc est monachorum hortus, cum quo uno anno nihil ædificans demoratus est. Circumspectis interim adjacentibus locis, aliquando in densissima silva locum oportunum ad ædificandum monasterium reperit, quem nulli antea datum, a dominis, Pardone scilicet & Willelmo Paluel & Landrico Ayraudi, instinctu Spiritus-sancti primus obtinuit. Inde cum fratribus suis arbores extirpavit, primusque in voluntate Dei ac gratia hoc monasterium secundo adventus sui anno fundavit, anno vero ab incarnatione Domini M C XII. papa Paschali II. præsidente, Raginaudo Xantonis episcopante, Ludovico rege Francorum, Willelmo ducatum Aquitaniæ tenente, desiderans inibi Deo servire pauper & abjectus, parvis ædificiis paucisque fratribus contentus. Sed inspirante Jesu-Christo excitati plures fratres ad eum convenerunt, qui post VI. annos, id est ab incarnatione Domini anno M C XVII. eumdem communi consilio in abbatem elegerunt, & secundum regulam beati Benedicti & instituta Cisterciensis cœnobii vivere deliberantes, anno prædicto abbatiam per Dei gratiam feliciter constituerunt. Antea tamen dum prædictus Willelmus adhuc in hac eremo clericus degeret, monachi de Casa-Dei cellam prædicti Aimari senis calumniabantur, sed precibus & auctoritate domini Gerardi, Engolismensis episcopi & sanctæ Romanæ ecclesiæ legati, eamdem manu-miserunt, consona sententia in audientia totius capituli sancti Roberti data, & sigillata charta quæ hodie in hoc monasterio habetur, cujus exemplar in hoc libello scripsimus.

Charta abbatis & capituli de Casa-Dei.

Ego Stephanus, abbas Casæ-Dei, notum fieri volo tam præsentibus quam futuris fidelibus, quod consilio capituli nostri querelam illam, quam habebamus adversus Willelmum de Concampo & fratres ejus de loco, qui dicitur Fons-dulcis, tali tenore penitus dimisimus, ut dum in eo statu, in quo sunt, permanserint, sive etiam fieri voluerint monachi seu canonici regulares, ipsi & successores eorum monasterium suum liberum & quietum cum terra & adjacente in perpetuum possideant. Quod si quandoque ad aliam ecclesiam se transferre voluerint, illam justitiam quam in monasterio illo in præsenti habemus, retinemus. Ut autem hæc concessio firmius teneatur, sigillo ecclesiæ nostræ munivimus. Facta est hæc concessio anno dominicæ incarnationis M C XVII. indictione X. regnante Ludovico rege Francorum, anno regni ejus X.

Dominus vero Robertus de Bruissello, qui jure

obedientiæ prædictam cellam requirebat, eo quod Rotgerius ejus tunc apostata discipulus illam ædificaverat & Aimaro reliquerat, prædicto Willelmo adhuc clerico libere eam dedit ad tuitionem, domno Lamberto abbate de Corona, & domno Arnaudo Raymondi & multis aliis religiosis fratribus audientibus. Monachi etiam sancti Johannis Angeriacensis susurrantes & quasi a tergo, non in auribus nostris, calumniantes, dicentes, Aimarum cellam suam illis dedisse, ab eodem Willelmo jam abbate frequenter in causam vocari ante domnum Petrum Xantonensem episcopum, & dominos ejusdem loci, tenuerunt. Aimarus namque a prædicto abbate adjuratus per obedientiam, obnixe negabat se dedisse; semel tamen fatebatur se promisisse, si eum monachum facerent, sed, illis renuentibus, ipse se retraxit.

Quia vero in parochia sancti Brictii monasterium situm esse Willelmus Arnaudi capellanus ipsius dicebat, domnus Petrus bonæ memoriæ Xantonensis episcopus in Xantonensi ecclesiæ capitulo cum archidiaconis & clericis suis, concedente supradicto presbytero, ab omni jure parochiali nostrum monasterium reddidit liberum, & scripto firmavit: cujus exemplar etiam in hoc opusculo scripsimus.

Peracto itaque monasterio, rogatu domni Willelmi abbatis conveniunt domnus Gerardus Engolismensis episcopus atque legatus, & domnus Willelmus Xantonensis episcopus, & ecclesiam nostram in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ consecraverunt anno incarnationis dominicæ M C XXVII. convocatis abbatibus & religiosis viris & principibus atque omni populo sub Honorio papa, rege Ludovico, duce Aquitanorum Willelmo. Rexit autem monasterium nostrum prædictus abbas Willelmus annis XXV. obiit autem M C XXXVII. anno XIV. kalendas Junii & acquisivit XII. grangias de Chaitac, de Jarnazol &c. Creavit autem abbatiam de Tenalia, & acquisivit huic ecclesiæ locum de Granataria, quem donavit sibi magister Gisslebertus de Casa, ubi postea, Domino adjuvante, a domno Gaufrido abbate fundata est abbatia.

Abbates hi recensentur in chartulario Fontis-dulcis.

Willelmus de Concampo primus abbas Fontis-dulcis, natus de Tailla-burgo, patrem habuit Constantinum de Concampo, qui Constantinus duas particulas cujusdam prati cessit Fonti-dulci.

Gaufredus fuit secundus abbas Fontis-dulcis. Geraldus erat abbas Fontis-dulcis annis M C L. & M C LXX. Arnaudus præerat Fonti-dulci annis M C LXXIV. & M C LXXV. Fulcherius, Guillelmus Calonis. Willelmus præerat in monasterio Fontis-dulcis anno M CC XXII. Hugo abbas anno M CCC XC. Jobertus anno M CCCC XXVIII. Johannes anno M CCCC LVIII. regebat. Johannes Aulbin erat abbas anno M D VII. Karolus Guerin abbas anno M D XXV. Anno M C XXVIII. Hugo Bruni multa contulit cœnobio Fontis-dulcis apud Sulbiziam & alibi, tam in pago Santonico, quam in pago Pictavensi sita. Anno M CCCC XLIX. ab Anglis castrum Cogniacum captum fuit, & monasterium beatæ Mariæ de Fonte-dulci ab iisdem spoliatum fuit. Anno M C LX. Petrus regebat abbatiam beatæ Mariæ de Tenalia in pago Santonico, & Thomas abbatiam beatæ Mariæ de Granataria.

LXXXII.

*De adventu Clusensis * abbatis in Hispaniam.*

Ad lib. 72. n. 17.

Ex apographo D. le Grand.

* *al.* Cluniacensis, *sed mendose.*

INterea prædictus episcopus videns discordiæ tumultum magis magisque multiplicari, & Aragonensem tyrannum feritatis suæ impetu fere totam Hispaniam depopulari, pro totius patriæ pace sollicitus sanctæ Romanæ ecclesiæ pontifici iterum iterumque litteras miserat, admonens & deprecans eum, ut ipse qui totius orbis dominium tenebat, totiusque christianitatis pastor & rector erat, occidentalibus partibus, nimiæ discordiæ tumultu perturbatis, consilium suum porrigeret, scilicet quempiam de cardinalibus suis, seu aliam ecclesiastici gradus venerabilem personam illuc mitteret, qui utrobique examinata norma justitiæ, aut belligerum Aragonensem ad pacis fœdera invitaret, aut renuentem anathematis gladio percuteret. Præter hæc ostendens ei, quæ & qualia prædictus Aragonensis in eisdem partibus ambitione regni fecisset, quot & quanta mala tyrannidis rabie succensus Hispanis intulisset, videlicet divina & humana ab eo audacter temerata, Hispaniarum ecclesias graviter conturbatas, ecclesiarum thesauros violenter direptos, & earum hereditates & prædia distracta, duces omnesque Hiberiæ heredes, alios ab eodem vinculis ferreisque catenis adstrictos, alios gladio peremtos, pauperes ferro, fame, frigore morti deditos, ipsos sacerdotes Domini, ipsos ecclesiarum magistros episcopos, tanquam fures & latrones captos, & a sedibus suis expulsos, diversisque contumeliis afflictos, venerabilem quoque virum Toletanum archiepiscopum & Romanæ ecclesiæ legatum ab eodem graviter inquietatum, & a diœcesi sua per biennium expulsum, episcopum Palentinum proditione atque Osmensem captos, Burgensem & Legionensem expulsos, abbatem sancti Facundi a cœnobio suo abstractum. Præterea tantam ecclesiæ persecutionem, tantam in Hispania afflictionem, quantam nec Sarraceni, si sui juris esset, ei intulissent.

His igitur atque aliis Romanus pontifex a Compostellanæ sedis episcopo multoties suppliciter admonitus, venerabilem personam, scilicet Clusensem abbatem ad Hispanos misit, qui ab eodem legis magistro litteras secum attulit, quatenus omnes Hispaniarum pontifices usque ad proximam beatæ Mariæ festivitatem ad præsentiam ipsius papæ convenirent, & Aragonensis regis & nobilis reginæ Urracæ nuntios secum ducerent, ut utriusque causa plenius indagata tantis cladibus, Deo auxiliante, finis imponeretur, & Hispaniæ finibus pax & tranquillitas reformaretur. Ecclesiæ vero sancti Jacobi supradictum episcopum idem venerabilis pater ad hoc conventum cessare præcepit. noverat enim illum totius patriæ esse firmissum clypeum, & infinita cura pro patriæ tuitione & pacis reformatione sese contra hostes inexpugnabilem opponere murum, & ob hoc Aragonensem tyrannum ei per nimium inimicari, & si posset tota mentis intentione illi muscipulam velle machinari. Heu! miser Aragonensis in mentis promptuario non habebat, quod qui foveam fodit

fodit proximo suo, in illam decidet, & qui statuit lapidem proximo, se offendit in eo, & alibi: Nolite tangere christos meos &c. Supradictus abbas Clusensis occidentales partes ingrediens, & multo plura & nefandiora quam quod audierat, videt, totamque Hispaniam discordiæ stimulo perturbatam invenit. Tunc impium Aragonensem adiit, atque illi ex auctoritate beati Petri apostoli & sanctæ Romanæ ecclesiæ & ejusdem apostolicæ sedis pontificis, uti sibi injunctum fuerat, interdixit, ne deinceps ad consanguineæ suæ illicitam copulationem rediret, & ne Hispaniæ regnum suæ feritatis turbine amplius inquietare præsumeret, quod nobilissimus rex Alfonsus, persolvens jura naturæ, filiæ suæ Urracæ reginæ & nepori suo parvulo regi Alfonso dederat. Quod si aliquid horum facere renueret, anathematis gladio succumberet. Quid igitur ille? nempe quod scriptum est: In malevolam animam non introibit sapientia. Deinde idem abbas Urracam reginam adiit, atque illi eadem retulit. Illa vero, prout eam decuit, congrue respondit, post obitum patris sui regis Alfonsi Aragonensem tyrannum ad regnum suum convolasse, & ne Hispaniæ regnum tanto rege nuper desolatum aliquo discordiæ tumultu fluctuaret, Iberos proceres se ad illius connubii unionem invitam coëgisse. quocirca cum fas & leges talia prohibebant, Romanæ auctoritati satisfacere non repugnabat. Noverat enim, quod sub spe pœnitentiæ Deum offendere, est pœnitentiæ aditum negare. Præterea Clusensis abbas litteras ad Romanum pontificem directas Hispaniarum episcopis tradidit, & eos ad supradictam synodum tempore determinato invitavit, ut de regis & reginæ negotio, & de pacis atque concordiæ negotio in præsentia ipsius papæ plenius tractarent.

Quod idem abbas Galleciam adiit, & a prædicto episcopo consilium accepit.

His ita dispositis, abbas ad Galleciæ partes proficiscitur, per angustas & asperas fauces montium Galleciam ingreditur. Tandem ad apostolicam civitatem Compostellam pervenit, & ab ejusdem loci pontifice honorifice susceptus est. Quumque Clusensis abbas venerabilem ecclesiæ beati Jacobi episcopum prudentiæ profluum fontem habere noverat, & eum firmissimum patriæ clypeum, insuper justitiæ cultorem atque pacis amatorem esse sciebat, & pacis fœdera, si quoquo modo posset fieri, maxime per ipsum restitui non immerito existimabat, ab eis enucleari summopere expostulavit totius rei seriem, & inter impium Aragonensem & reginam Urracam, nobilis regis Alfonsi filiam, totius discordiæ causam, quæ & qualia idem Aragonensis in occidentali plaga fecisset, & quomodo pax & concordia, exstirpata discordiæ lepra, Hispaniæ reformari posset. Ad hæc venerabilis episcopus tale fertur dedisse responsum: Et quidem, venerabilissimus frater, in temporibus nobilissimi regis Alfonsi Hispaniæ regnum divitiarum gloria, & non modica fertilitate nimium & plusquam nimium floruit, & illo regnante pax, fides, leges, jura viguerunt. quo defuncto, postquam Alfonsus rex Aragonensis in illicitum ruens, consanguineam suam Urracam reginam prædicti regis Alfonsi filiam in matrimonium sumsit, omnia supra dicta in contraria conversa sunt. Quid enim referam Hispanorum procerum gloriam in laborem & ærumnam conversam, & pauperes fame, nuditate omnique calamitate oppressos? Quid referam Hispaniarum ecclesias ab illo Aragonensi violatas & destitutas, divina & humana ab eodem temerata? Quid referam Toletanum metropolitanum, venerabilissimum virum & Romanæ ecclesiæ legatum, & expulsum & captum? proh nefas! Insuper Oxmensem, Palentinum, Auriensem, metropolitanos captos, Legionensem, Burgensem, & ecclesiæ sancti Facundi abbatem expulsos, & diversis contumeliis dehonestatos? Quid plura? illius violentia leges, justitia discesserunt; fraus, perjuria & cetera hujusmodi subierunt. Unde omnipotentem Deum suppliciter deprecemur, & beato Jacobo tota mentis devotione supplicemus, ut finem tot & tantis malis dignetur imponere, & Hispaniam de ore cruentali leonis eruere, & quando quidem inter supradictum Aragoniæ regem & reginam Urracam consanguineam suam discidium & discordia habetur, & ab invicem, ut fieri justum est, separantur; totis viribus animi & corporis niti & resistere debemus, ne amplius inter eos illicitæ copulationis fiat concordia; utique enim est ad hoc pluribus de causis elaborare. Si enim illud illicitum connubium Aragonensis lupi & Urracæ reginæ, quod absit, consolidatum fuerit, procul dubio illicitæ copulationis horrendum facinus amodo Occidentis partibus auctores illos sequentes inolebit, & sancta mater ecclesia fundo tenus evelletur & destruetur. Proh dolor! ministri Domini pluribus & intolerabilibus contumeliis opprimentur, principes, duces omnes, omnesque Hispaniarum proceres in contumeliam redigentur. Denique, Aragonensi tyranno in Hispania regnante, pax & concordia prorsus effugabuntur. Qua in re, venerabilissime frater, quem mater nostra sancta Romana ecclesia ad hoc diffiniendum & discutiendum misit, regem illum Aragonensem hortare & hortando compelle, ut consanguinitatis reatu se amplius pollui pertimescat, & Hispaniæ regnum, quod nobilissimus rex Alfonsus, dum adhuc viveret, filiæque suæ reginæ Urracæ & nepori suo parvulo regi Alfonso, ejusdem reginæ filio, tradidit, inquietare desistat, sua habeat, aliena relinquat. Quod si renuerit, a liminibus sanctæ ecclesiæ & a consortio omnium christianorum segregetur. His auditis, Clusensis abbas pontificis prudentiam nimium collaudavit, acceptoque ab eo consilio, ab apostolica urbe discessit.

LXXXIII.

Epistola encyclica sanctimonialium Cadomensium de morte Mathildis, primæ parthenonis sanctæ Trinitatis Cadomensis abbatissæ.

Ad lib. 72. n. 36.

Omnibus . . . . earho . . . . filiis universis . . . . divine rati . . . . devote . . . . suffragia C . . . . . . casus deplo . . . . . . est . . . . Fratres conditio quam in orbem terrarum invidia . . . . . . Evæ ambitio & Adæ . . . . . inobedientia introduxit. Cum enim Eva serpenti, Adam Evæ morem gessisset, in quibus profecto duobus tan-

Ex authentico.

quam primis parentibus humanum genus totum latebat; factum est, ut in omnem eorum futuram progeniem maledictionis etiam & peccati pœna transiret. Quam.... atque miserabilius formidamus & detestamur amarius, cum ejus familiarem violentiam & tormenta sentimus. Porro ipsius aculei mentibus nostris altius sunt impressi, cum piissimam matrem nostram & abbatissam Mathildem legum fatalium extulisset censura. Quæ cum ab ipsis pueritiæ primæ crepundiis regularibus fuerit subdita disciplinis, ipsam nimirum intra Christi cunas ecclesiæ sanctæ fovit mamilla, & evangelici plenius alimenti suavissimum lac in omnem motum & fidei sanctitatem nutrivit. Hæc in teneris adhuc annis immortali sponso virginitatem suam devovit, ut ad ejus nuptias sempiternas & immaculatum cubile plenius mereatur gaudiis introire, & de corona virginum, qui est fructus centesimus, gloriari. In hujus autem desponsionis votivam professionem sacrum velamen in signum subjectionis & humilitatis accepit, contemtoque mundi regno cum ipsius divitiis & ornatu, propter amorem Domini nostri Jesu-Christi, intra monasticæ mansionis claustrales angustias se conclusit: ubi sane verbo vitæ præceptisque salutaribus sic consensit, ut cum ad maturam pervenisset ætatem, & baculum simul pastoralem acciperet, & nobis ad animarum prærogaretur custodiam. In cujus ita ministerio vigilavit, ut & verbo subjectis prodesse satageret & exemplo. Immo sicut in actibus apostolorum invenitur: *Quæ cœpit Jesus facere & docere:* quæ prius ipsa fecerat, postmodum prædicavit. Hæc ad nostri cœnobii magistratum non est alteri subrogata, quæ prima incipientis est monasterii mater effecta. Quod profecto monasterium rex Willelmus, qui de Normannis regnum Anglorum primus obtinuit, & uxor ejus regina Mathildis, cujus probos actus & nobilem vitam suorum operum monimenta declarant, a fundamentis intra juris sui terminos extruxerunt. In quo sane filiam suam Ceciliam, nobilissimam virginem, Deo dicantes, in decorem & exultationem domus Dei cultui mancipaverunt divino, ut securius Deo psallerent cum propheta: *Domine dilexi decorem domus tuæ:* in quo præterea post felices actus, post pietatis opera, post vitam virtutum, eadem est regina, sicut ante rogaverat, tradita sepulturæ: ut sacellum, quod amore vivens coluerat, ossibus mortua decoraret. Ad hujus igitur habitationis regimen est assumta, cujus vobis annuntiamus obitum, mater nostra: quæ cum viveret, in agro dominico triticum seminavit, cum veniret, ejusdem cum exultatione manipulos reportavit in horreum. Hæc profecto plantationis suæ surculos, quos circumquaque multipharium inserebat, in florem aperuit, flores in fructum perduxit. Porro quod de fructu jam ipsius maturuit, divinæ manui colligendum, & in cælesti cellario reponendum mandavit. Multis in locis, gratias Deo, ipsius eruditio custoditur, & ejusdem institutio disciplinæ servatur, quam sicut monasticis necessaria rudimentis divina gratia non reliquit, sed usque in senectam & senium suis incolumem conservavit ancillis. In articulo tamen ultimæ senectutis, cum jam naturæ gloria defecisset, gravi est infirmitate correpta, & per quatuor fere dies doloris continuatione vexata. Porro cum dissolutionis suæ terminum imminere sentiret, filias suas, quas in amorem pietatis verbi cælestis educaverat alimento, jubet ocius convocari, ut in fine quoque, quam semper docuerat, prædicare non desisteret veritatem. Habito igitur aliquamdiu de religione colloquio, *post olei sacri desideratissimam unctionem, post dominici corporis & sanguinis communionem vivificam*, inter sanctarum oscula feminarum, inter suspiria virginum & singultus glorioso transitu migravit a seculo, sine fine regnatura cum Christo. Obiit autem anno prælationis suæ quinquagesimo-quarto, pridie nonas Julias, in confessione fidei christianæ, senex & plena dierum: quam intra monasterii sui parietes cum omni solemnitate filiarum ejus caritas sepelivit & cura: ut quem in vita sua frequentare non destitit, nec in morte locum relinqueret. Agebatur instar exequiarum beati Martini pontificis matris nostræ celeberrimum funus, in quo nec psallentium vocibus fletus, nec lugentium lacrymis poterat cantus abesse. Nemo tamen qui præsentis mundi possit illæsus conversationem evadere, qui non vel levi pulvere sordidetur, quem non oporteat orationum simul & eleemosinarum emundari suffragiis. Rogamus ergo vos per fraternæ viscera caritatis, rogamus & per religionis misericordiam christianæ, ut quod in amphiteatro mundi hujus, in quo cum vitiis quasi cum bestiis depugnatur, mater nostra vulnus accepit, precum sanctarum & liberalitatis in pauperes sanctis remedio. Sed & sorores nostras & omnes in utroque sexu, quorum nomina subnotamus, vestræ semper caritatis diligentiæ commendamus. Mathildem Anglorum reginam, nostri cœnobii fundatricem, Adilidem, Mathildem, Constantiam filias ejus, Murielem, Adelidem, Havisam, Catherinam, Mabiliam, Emmam, Adelam, Murielem, Ansfridam, Adelaidam, Mathildem, Emmam, Havisam, Ermelinam, Eremburgam, Aviriam, Adelidem, Susannam, Rosiam, Basiliam, Emitiam, Basiliam, Lutiam, Ascelinam, Rohaidem, Murielem, Odeldam, Evam, Basiliam, Havisam, Adelidem, Hugonem, Girardum, Hugonem, Gislebertum, atque omnes nostræ congregationis defunctos. Nostro rotulario subvenire precamur pro Domino, ne penuria victus ab incepto deficiat, sed vobis sibi benigne suffragantibus bene cœptum opus ad effectum usque perducat.

LXXXIV.

Titulus S. Leodegarii Pratelli de morte ejusdem Mathildis.

Dum sic polleret, super hoc dum fama volaret,
Abstulit hanc nobis gemmam regina Mathildis,
Tradens cœnobium sibi matris jure regendum,
Quod sub honore Dei construxerat ipsa Cadomi.
Quæ fuerit post hæc, non est recitare necesse,
Cum titulus cartæ bene dixerit, & satis inde
Fundimus ecce preces, cordis suspiria, flentes,
Ut cuncti Christo signati chrismate sancto
Subveniant animæ matris tam magnificandæ.
Nec minus illarum subduntur nomina quarum

Emma, Ansfrida, Richilda, Alberia, Adelina & Alberia, dominæ nostræ Basilia, Haruisa, Adeliza, Papia, Ascelina, Tenscenda, Agnes, Emma, Juliana, Richilda, Mabilia, Ascelina, Albereia, Godelina, IIII. kl. Sept. O Elisabeth m. & Deo sacrata nostri cœnobii.

Titulus S. Petri Nannetis.

Turba puellaris, cur plangis, cur lacrimaris?
Cur gemis, & quereris, cur tua membra feris?
Qui semel exivit, lacrymis non denuo vivit.
Non dolor aut lacrymæ proficiunt animæ.
Ergo tuos fletus depone, piissime cœtus,
Funde preces potius, hoc erit utilius.
Nostraque censura si vobis est placitura,
Quod melius scimus, consilium dabimus.
Abbatissa gregis Cæcilia, filia regis,
Facta fit. illud erit quod melius poterit.
Non videt in rebus, quamvis videt omnia Phœbus,
Quæ magis eniteat, quam magis hoc deceat.
. . . . archidiaconi
Hæc anus & virgo cum præferretur honore,
Cunctis obsequio subdita semper erat.
Se vilem reputans, pretiosior omnibus inde,
Non habuit fastum, cum generosa foret.
Viva Deo, mundo jam mortua, pauca reservans
Multa dabat; multis dives, egensque sibi.

Titulus S. Martini Turonensis.

VERSUS ARDUINI.

Femina femineum domuit non femina sexum,
Mathildis mente non femina, femina carne.
Femina nata quidem, sed in actibus exuit illam.
Ex quo nata Deo data, plena Deo monachata,
Sic crevit corpus; crevit cum corpore virtus.
Post pastoralis non hoc facientibus annis,
Sed meritis illi baculus datur, illa * neganti.
Sicque decem lustris vivens & quatuor annis,
Deque bona totidem nunc optima facta
Mundum deseruit, & cum Christo requiescit.

* *sic.*

Titulus S. Petri Santonicæ sedis.

Cujus sit cartæ titulus prima lego parte;
Est Christo grata Mathildis virgo dicata,
Quæ dum vivebat, nubsisse Deo cupiebat,
Christo velata, regali stirpe creata,
Sprevit mundana, quæ mundi gaudia vana.
Postea multarum princeps fuit hæc monacharum
Per vitæ meritum sub corde diu stabilitum.
Christi digna domo fuit abbatissaque dono.
Mathildis regimen nullum tribuit sibi crimen,
Nec sibi nec multis pullo velamine cultis,
Fecit quod docuit, vivere dum potuit.
Plures instruxit monachas & ad hethera duxit.
Finita meta mundi stet in æthere læta,
Transeat ad cælum, sprevit veneris quia cælum.
Mathildi desit, si quicquam criminis hæsit,
Et condonetur si quid nocuisse videtur.
. . . .
Hujus Christe tuæ, pie rex, famulæ miserere,
Quæ vivens voluit normam pro posse tenere;
Sed si contraxit, quæ posset culpa nocere,
Tolle sibi culpam, quam nullam possit habere.

Titulus S. Dionysii Nongenti Castri-Pertici.

Anima hujus abbatissæ & animæ omnium fidelium in Christi nomine dormientium requiescant in pace, amen. Orate pro nostris, domno Humberto priore nostro, Benedicto p. Bernardo p. Humberto m. Adalardo m. Willelmo m. Widone m. Willelmo m. & pro ceteris fratribus nostris, quorum nomina Deus scit. Requiescant in pace.

Item versus discipulorum.

Si lacrimæ cuiquam cælestia regna par { arent
Defunctum quemquā si carmina nostra juv {
Unus quisque sibi tot carmina composu { isset
Sicut & ipse reor, quod cartula plena fu {
Sed quia nil prosunt lacrymæ nec versificari,
Arbitror instandum votis, sed & invigilandum
Psalmis pro tali, pro virgine tam speciali,
Quæ quoniam munda, prudens nimis, aut pudibunda,
Nec non casta fuit ut dicit epistola pr { ima
Hoc bene confirmo, numquam descendet ad {
Immo virgineis jungetur virgo choreis.

Item alii.

Regia cælestis huic debet jure pat { ari
Spiritus atque suus præcelsa sede loc {
Hæc quia dum vixit, carnis vitium super { avit
Et pura mente factorem semper am {
Nil sibi servabat sua pauperibus tribu { endo
Deseruit mundum terrestria despici {
Sprevit mundana, promisit virginit { atem
Et tenuit votum fugiendo mobilit {
Regibus orta fuit, potuisset sceptra ten { ere
Hæc quia deseruit, requiem mereatur hab {

LXXXV.

Leodegarius archiepiscopus Bituricensis Casalis-Benedicti monachos purgat a simonia.

Ad lib. 72. n. 38.

Ex archiv. Casal. Bened.

SÆpe nobis querimoniam fecit abbas Casal. cum fratribus suis, dicens se & antecessores suos non legitime, ut illi videbatur, esse in loco suo: nam domnus Andreas primus fundator ipsius loci clericis S. Cyrici, in quorum parochia ipse locus esse videbatur, ut sepulturam ad opus fratrum suorum & oratorii in pace possent habere, promisit dimidiam libram incensi per singulos annos reddendam in festivitate S. Cyrici. Postea vero cum domnus Andreas atque fratres sui burgum facere vellent, non potuerunt habere parochialia jura, nisi dando pecuniam supradictis clericis, & nisi v. solidos per singulos annos censualiter reddendos promitterent. Unde nos, Remis accepto consilio a sapientibus episcopis qui concilio interfuerunt, in capitulum illorum venimus: in quo abbas claves ipsius ecclesiæ nobis tradidit, & parrochiam quam injuste adquisiverant, assentientibus fratribus, nobis dereliquit. Nos vero, omnibus monachis illis a capitulo suo expulsis, consilio clericorum nostrorum & monachorum & quorumdam virorum nobilium eos redire fecimus, & illis data pœnitentia de simonia, ex auctoritate Dei & S. Stephani & nostra ecclesiam

reddidimus; censum vero, quem reddere solebant de supradicta ecclesia clericis S. Cyrici, prohibemus ne ultra reddatur. Communicato enim consilio dijudicatum est, ut illi, quorum simoniaca exactione servi Dei quasi pro habenda quiete simpliciter erraverant, lucrum de scelere non consequantur. In periculum ergo anathematis ipsi incurrent, si iniquitatis hujus pretium expostulaverint amplius. Hoc fuit factum in capitulo Casalis-Benedicti coram his testibus. S. domni Leodegarii Bituricensis archiepiscopi, qui hoc fecit. S. domni Litterici abbatis Soldunensis. S. domni Goslini archidiaconi Bituricensis. S. Radulphi archidiaconi. S. Haymerici archidiaconi. S. Harberti archidiaconi. S. Gaufredi archipresbyteri Bituricensis. S. Johannis & Petri fratris sui de Lineriis. S. Emenonis de Debord. S. Arnulfi Euvroini. S. Hogonis Vastinensis.

LXXXVI.

Ad lib. 71. n. 59.

S. Godefridus Ambianensis episcopus confirmat Majori-monasterio ecclesiam S. Dionysii.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Amen.

Godefridus gratia Dei Ambianensis episcopus, omnibus catholicæ ecclesiæ fratribus & filiis præsentibus & futuris, salutis & pacis interminabilem jocunditatem. Necessarium ducimus, fratres in Domino dilectissimi, nos qui gratuita Dei benignitate in ecclesia pastoralis curæ officio fungimur, studiosa sollicitudine, animo quoque indesinenter vigilante, super Dominici gregis ovile, quod nobis a Domino creditum est, officiosissime intendere, atque pro viribus nobis a Deo Patre collatis speculatoris ipsius actiones imitari, qui super specula jugiter stans die ac nocte, nequaquam dormitat, in æternum neque dormiet, populum quem peculiarem sibi ex omnibus elegit, conservando ac protegendo familiæ Israël. Super muros nempe hujus terrestris Jerusalem, quæ in valle lacrymarum primi parentis culpa posita servit cum filiis suis, custodes constituimur, ejus culturam, regimen, tutelam, jugemque observantiam ordinis nostri ratione profitemur. Proinde omni tempore ab hostili incursu sibi debemus providere, indefessaque vigilantia præcavere, ne repentinis perversorum oppressa injuriis, substantiolas ad usus sibi necessarios a fidelibus delegatas negligentiæ nostræ tempore amittat. Consueverunt si quidem ex cupiditatibus hominum perfidorum, rapinas magis quam largitatem diligentium, turbelæ, & quæ non expediunt pacis inquietationes pullulari, damna quoque atque exterminia propagari: quæ omnia, si minus cauta providentia, minime præventa non resecantur; portio ecclesiastica plurimorum utilitatibus distincta distrahitur. Ex qua quidem distractione plurima sequuntur, sicut diximus, incommoda, plurima exoriuntur provisoribus dispensatoribusque pericula, memoriaque eorum, qui aut perfectionis voto, aut pro peccato redimendo, res suas ecclesiis contulerunt, apud nos derelinquitur; quique eas distribuere indigentibus fideliter poterant, officio coronaque fidelium dispensatorum privantur. In facultatibus enim ecclesiasticis existunt pauperum patrimonia, militantibus Christo stipendia debita, peregrinorum & hospitum susceptacula, basilicarum labentium reparatio, captivorum quoque redemptio, compeditorumque solutio. Quæ omnia si adnihilantur, magna necessitatem patientibus solatia subtrahuntur. Consequens est itaque, carissimi, ut propter miseriam inopum devitandam, propter gemitum pauperum supprimendum, propter religionem defendendam, propter nostri loci professionem adimplendam exurgamus, & adversus nefarios ecclesiasticarum possessionum pervasores gladium usque ad animam pervenientem exeramus. Erit enim Deo gratum, cunctisque boni amatoribus acceptum, cum nos senserint studiose præcavere, ne ecclesia defraudetur suo jure. Quare agite, fratres, nobiscum in procinctu castrorum Dei hodie convocati, scuto fidei quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere obarmemur, galeaque salutis protecti, gladio spirituali accingamur, firmique muniminis decretum in perpetuum duraturum concordi conscriptione sanciamus possessionibus omnibus monasterium B. martyris Dionysii in prato Ambianensis suburbii ab Ingutione, divini pro se amoris & gratiæ pleno sacerdote ædificati, & religiosis fratribus Majoris-monasterii ab antecessoribus nostris concessi. Hodie ergo prædicto monasterio privilegium confirmantes, excommunicamus, & anathemate indissolubili percutimus illos omnes qui invadere, lacerare, separare, jurique suo assignare præsumpserint prædia, possessiones, hospites, pecora, aurum, argentum, gemmas, vel quælibet alia mobilia vel immobilia ad victum vel ornatum prædicti monasterii pertinentia, & universaliter cuncta donaria quæ devotione fidelium ei jam accesserunt, quæque in futurum adjicienda sunt, altare scilicet quod jam eis accessit, omnesque ejus oblationes, ecclesiaque omnis prædicti martyris, sepulturaque universa, & quæcumque plantaverunt vel ædificaverunt, decima quoque pecorum suorum atque lanæ sub hujus privilegii consignatione quieta existant, libera quoque atque in perpetuum absoluta ab omni redditu, excepto quod ecclesiæ egregii confessoris Nicolai quoque anno in sua sollemnitate persolvent duos cereos duodecim denariorum, & tantum thuris quod sufficiat in die festi. Fratribus quoque in prædicti confessoris ecclesia degentibus caritatis vinculo sic innectantur, ut in funebribus officiis cum candelis clerici cum monachis, monachique cum clericis præsententur. Animas fratrum defunctorum Deo mutuo commendent, trigintaque diebus pro invicem missas decantent. Anniversarium quoque domni Drogonis Theroanensis episcopi celebrent. Altare quoque Durtii, & atrium, & septem curtilli, & omnes redditus & consuetudines eorum, altare de Sarton & atrium, altare sancti Gratiani & atrium, tertia pars altaris de Curcellis, tertia pars altaris de Cassaincurte, & appositio sacerdotis, altare de Wulpi & atrium, & dimidia pars alodiorum camporum, & nemoris & advocatoriæ; altare de Septemvilla & atrium, & omnis decima; altare de Cuntai & atrium, altare de Chedrisicco, tertia pars duarum partium altaris de Placi, & tres hospites & dimidius, & dimidia pars decimæ casæ ecclesiæ Roboredi, & omnis decima casæ ecclesiæ Uli-

naſtri, & unus curtillus & viridiarium; tres campi & tres hoſpites in Senercurte; terra de Magno-campo, dimidium terrarum Alberti, quæ adjacent civitati Ambianis ex parte prædictæ eccleſiæ, & v. ſolidi decemque capones de hoſpitibus ejuſdem Alberti; quinque ſolidi & ſex denarii & duodecim capones de eleemoſyna Wermundi vicedomini; & quaque hebdomada tres bigadæ lignorum de eleemoſyna Haimonis de Chiodriu in nemore Fragileti, & una quadrigata in nemore Douxville de eleemoſyna Ermecinis & filiæ ejus Emmelinæ, & in eadem villa duo curtilli; hoſpites quoque quos in urbe noſtra habebat, & extra urbem. Allagiſterium quoque ſecundi molendini . . . . epiſcopali curia cum iſtis. Altare quoque Douxville & atrium & dimidia pars decimæ caſæ eccleſiæ. Gavulum quoque ejuſdem villæ, quæ . . . . . . juris Ruriconis epiſcopi ſucceſſorumque ejus.

Signum Godefridi epiſcopi.

Signum Fulconis archidiaconi. S. Ingelranni archidiaconi. S. Rogeri decani. S. Warini theſaurarii. S. Radulfi cancellarii. S. Balduini ſacerdotis. S. Radulfi ſacerdotis. S. Willelmi diaconi. S. Adſonis diaconi. S. Roberti ſubdiaconi. S. Symonis canonici. S. Balduini canonici. Signum canonicorum eccleſiæ S. Nicolai, Milonis ſacerdotis. Walleri diaconi, Rogeri ſubdiaconi, Roberti & Arnulfi acolythorum.

A † Ω.

Confirmata eſt hæc karta anno Verbi incarnati M C XIII. indictione VII. in capitulo S. Mariæ, VI. anno regni Ludovici regis, X. anno epiſcopatus domini Godefridi epiſcopi feliciter, amen.

LXXXVII.

Ad lib. 72. n. 81.

Briceii Namnetenſis epiſcopi epiſtola pro S. Sergii monaſterio.

Ex archivo S. Sergii.

DUm ego B. Nannetenſium epiſcopus in ſede mea ſederem primo ordinationis noſtræ anno, P. abbas S. S. venit ad nos, poſtulans, ut quod habebat apud Radeſium in tribus eccleſiis, videlicet Roent, Chameté & capella, quæ Porſnit ædificabatur, ei concederem . . . . & quia religioſum virum offendere timui, petitionem ipſius canonicam implere non diſtuli. Sed quoniam de capella illa Porſnit erat controverſia inter monachos & ſacerdotes ejuſdem caſtri, ſtatutum eſt, ut monachi de jure ſacerdotum nihil uſurpent, ſcilicet infantes non baptizent, infirmos non viſitent nec eis communionem præbeant, ſi quid tamen beneficii monachis ab illis impendatur, hoc habeant abſque querela. Quod de exſequiis defunctorum juxta conſuetudinem eccleſiaſticam debetur, ſacerdotibus id intactum relinquant. In dominicis & feſtis diebus miſſas ſuas non celebrent, donec in eccleſia ſacerdotum, ad quam parochia caſtri pertinet, miſſa finiatur. Proceſſionem abſque eorum conceſſione non faciant, niſi in feſtivitate beati Andreæ, in cujus honore fundata eſt illa capella, & in dedicatione ejuſdem eccleſiæ. In his tantum duobus feſtis monachi ad velle ſuum mane, & hora tertia miſſas celebrent, & oblationes ſibi accipiant. Schola eſt clericorum. Pro præfata capella pepigit idem abbas reddere annuum cenſum Nannetenſi eccleſiæ unum auri Bizantium, quod Marabotin nuncupatur . . . præſente E. comitiſſa quæ venerat ut nos rogaret de cauſa abbatis. Data Nanneris menſe Auguſto, feria prima, luna vigeſima ſeptima, epacta duodecima, Ludovico rege in Francia, Conano duce in Britannia.

Radulfi archiepiſcopi Turonenſis epiſtola pro eodem.

R. Dei gratia ſanctæ Turonorum matris eccleſiæ humilis metropolitanus, dilectis in Chriſto filiis R. atque R. archidiaconis aliiſque Nanneticæ eccleſiæ clericis ſalutem & paternam benedictionem. Noverit dilectio veſtra fidelem & confratrem noſtrum ſancti Sergii abbatem noſtram adiiſſe humilitatem, ſupplicandoque noſtri miniſterii implorasse clementiam, ut quoniam eccleſiæ veſtræ regiminis ſumma in poteſtate noſtra præcipue nunc conſtare videtur, aſſenſum noſtrum præberemus ei, ſalvo ſiquidem jure veſtræ eccleſiæ, ad celebrandum divinum officium in quodam oratorio apud Porſnitum. Ad cujus humiliter nos flexi petitionem, veſtræ caritatis obedientiam non dedignamur ſuper tali re obſecrare, & etiam apoſtolica noſtraque auctoritate inflectere, quatenus ei & vos, quantum ad noſtrum pertinet miniſterium, hoc concedatis, & pro noſtro amore ad hæc & ad alia, ubicumque veſtro opus ei fuiſque fuerit auxilio, promti adjutores adſitis. Aquam autem ſacratam, quia forſan deeſt vobis, epiſcopo veſtro longius abſente, ad conſperſionem loco ex more faciendam, a nobis eum accepiſſe ſciatis. Ego vero niſi divino permiſſu febrium incommodo pernimium gravarer, veſtras de eccleſiæ veſtræ utilitatibus, divina præeunte providentia, vobis & vobiſcum ordinaturus jam viſitaſſem partes. quod equidem ad præſens, Deo meam confortante infirmitatem, facere diſpono. Valete.

LXXXVIII.

Paſchalis II. decretum de cella Gordanica in favorem Anianenſium.

Ad lib. 72. n. 83.

Ex archivo Anianenſi.

PAſchalis epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Petro, Anianenſis monaſterii abbati, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis auctoritate debitoque compellimur, pro univerſarum eccleſiarum ſtatu ſatagentes, earum quieti, auxiliante Domino, providere. Ea propter opportunum duximus, dum in Galliarum partibus moraremur, controverſiam illam, quæ inter Caſæ-Dei monaſterium & Anianenſe cœnobium ſuper cella de Gordanico agebatur, venerabilibus fratribus Arberto Avenionenſi, Euſtachio Valentino, Hiſmioni Dienſi epiſcopis diſcutiendam determinandamque committere, qui nimirum utriuſque partis ratiocinationibus diligenter diſcuſſis & canonice examinatis, ſicut ex eorum allegatione chirographoque comperimus, & perſpectis pontificalibus ac regalibus inſtrumentis & aliarum chartarum indiciis juſtum eſſe ſenſerunt, & ſcriptis ſubſcriptionibuſque ſanxerunt, ut monaſterium Anianenſe præfatam cellam de Gordanico ad Dei ſervitium regere ac perpetuo habere deberet: ut enim verbis ipſorum loquarur, inter primam juſtam acquiſitionem & ultimam juſtam reveſtitionem, quam per nos acceperant, nullam invenire potuerunt juſtam ipſius poſſeſ-

sionis interruptionem. Nos ergo supra-dictorum fratrum, quos in hoc negotio nostri vice judices dedimus, litterarum præsentium decreto judicium confirmamus, & supra-dictam cellam de Gordanico tibi, carissime Petre abbas prædicti Anianensis monasterii, tuisque successoribus firmam & quietam in perpetuum manere sancimus, præcipientes & interdicentes ne super hac ulterius querimonia Casæ-Dei fratres Anianense cœnobium inquietare præsumant, sed ut quiete ac libere sub Anianensis cœnobii jure ac possessione in perpetuum conservetur cum omnibus pertinentiis ac possessionibus suis, sicut a Lodoico imperatore Caroli-magni imperatoris filio concessum ac traditum Anianensi cœnobio per instrumenti regalis memoriam declaratur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica quælibet sæcularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat, nisi secundo terriove commonita præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit. Cunctis autem eidem cœnobio justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Paschalis catholicæ ecclesiæ episcopus SS. Datum Laterani per manum Johannis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis ac bibliothecarii, II. idus Aprilis, indictione VI *. incarnationis dominicæ anno MCXIII. pontificatus quoque domni Paschalis papæ secundi XIIII.

l. VII.

LXXXIX.

Ad lib. 72. n. 92.

Cononis cardinalis synodica epistola pro monasterio S. Quintini de Monte prope Perronam.

Ex authentico.

CONO divina gratia Prænestinus episcopus, apostolicæ sedis legatus, omnibus fidelibus tam præsentibus quam futuris. Cum legatione in Francia fungeremur, adversus Henricum abbatem sancti Quintini de Monte, de quadam terra de Boiencurt, scilicet quam cyrographo sibi defendebat, a quibusdam monachis sancti Vedasti calumnia exorta est. Abbas tamen sancti Vedasti & plures ex fratribus ejus illi cyrographo testimonium perhibebant & assensum non negabant. Cum igitur causa ista ad nos usque perlata fuisset, ad illos monachos litteras nostras direximus, ut vel ab injusta calumnia quiescerent, aut si quid contra cyrographum se habere confiderent, in concilio, quod Catalaunis futurum indixeramus, calumniam suam ad diffinitionem præsentarent. In indicto igitur termino cum concilium celebraremus, neminem illorum, qui adversus abbatem sancti Quintini vel cyrographum ejus quidquam dicerent, adesse cognovimus. Sic itaque judicio concilii cyrographum illud ratum probavimus, & ut deinceps stabile & inconvulsum permaneat, authoritate apostolicæ sedis in hujus paginæ patrocinio confirmavimus. Actum Catalaunis anno incarnationis dominicæ MCXV. indictione VIII. Huic confirmationi testes interfuerunt. S. Radulphi archiepiscopi, S. Godefridi Ambianensis episcopi, S. Gualonis Parisiensis episcopi, S. Guilelmi Catalaunensis episcopi, S. Johannis Morinensis episcopi, S. Johannis Aurelianensis episcopi, S. Philippi Treecnsis episcopi, S. Rotberti Attrebatensis.

XC.

Ad lib. 72. n. 115.

Seledensis monasterii fundatio.

FRater P *. Cluniacensis abbas, tam præsentibus quam futuris. Princeps nobilis Geraldus pro amore Dei destructo castello suo, voluit fieri monasterium in proprio alodio suo Seleden, donans illud in manu nostra Deo & beato Petro Cluniacensi, ideo scilicet ut sanctimoniales nostras illuc transferri mandaremus; antea enim manebant Boliswilere. Donatio autem ista facta est nobis, præsente Bertolfo duce, scilicet advocato loci, Bertolfo comite, & Adelberto de . . . . & legato episcopi Basiliensis domni Rodolfi, Siginando Grandivalensi præposito, & ceteris venerabilibus plurimis. Statuimus autem ut monasterium Seleden neque Cellæ, neque alicui umquam monasterio subjaceat, nisi tantum Cluniaco. Interdicimus vero, ut in prædictarum monasterio sanctimonialium nulla umquam femina recipiatur, nisi per abbatem Cluniacensem præcipiatur. Decrevimus quoque, ut omnes possessiones, quæ pro susceptione seu sustentatione sanctimonialium, fratribus de Cella aliquando donatæ sunt, qui earum curam multo tempore gesserunt, sanctimoniales ex integro ut proprias sibi recipiant. Diffinivimus etiam quatenus quæcumque monachi de Cella de suis propriis possessionibus ad sustentationem sanctimonialium caritative contulerunt, ex integro recipiant. Illas vero possessiones, quas specialiter pro monialibus quibusdam, videlicet Gisela, Sigeburg, Mathilt, Luigard, Mathilt, pro victu & vestitu earum monachi de Cella distribuerunt, unaquaque earum moriente statim recipiant. Actum anno incarnati Verbi MCXV. Romanorum imperatore augusto Henrico V.

** Pontius.*

XCI.

Ad lib. 72. n. 126.

Ex mss. codd. Columbensi & Beccensi.

Sermo de corylo sancti Gratiani martyris.

CElebrantes hodie, fratres carissimi, beati Gratiani præclara solemnia, tanto majorem causam lætitiæ spiritalis habemus, quanto familiarius pro nostris excessibus Domino supplicat in cælis, cujus hic sacratissimum corpus pio complectentes amore veneramur in terris. Omnes quippe sanctos æternæ beatitudini conjunctos pro prædestinatis exorare, sibique socios optare nequaquam dubitamus. Sed si eos proprios patronos nos habere credamus, quos devotioribus obsequiis venerantes, velut advocatos mittimus ad judicem, non erramus. Pro grativa igitur nostri Gratiani, summi judicis ira placabitur, si nos suæ festivitati viderit intentos, & debita devote reddentes obsequia. Cujus nostris licet exigentibus peccatis ignoremus passionem, quantum tamen de lapide pretioso coronatus, sole lucidior ante Dominum resplendeat, nimis evidenti declaratur miraculo. Quod quamvis suæ magnitudinis inau-

dita novitate, non solum a vobis, sed & diversarum regionum a populis agnoscatur, nequaquam tamen erit incongiuum, si vestræ caritati præsenti sermone referatur.

Est igitur in Ambianensi pago brevis ambitu, magna virtutibus ecclesia quædam pretiosi martyris hujus nomini dicata, cunctis mortalibus admiranda, se juxta positam arborem habens, quæ sancti Gratiani corylus ab incolis appellatur. Hic virum Dei martyrium suscepisse tradit antiquitas, qui dum ab impiis decolaretur, siccum colurinum baculum, quem manu tum forte gestabat, in terram fixit, &, ô res nova! siccitas recipit humorem, ariditas viriditatem, truncus illico vertitur in arborem. Inhærescens humo firmatur imis radicibus, sursum pullulans distenditur in ramos, vestitur foliis, fructibus adornatur. Natura miratur, tempus non exspectare coacta; mutat ordinem, dum veteri plantario subministrat novas vires. Quid longius protraham? Videte miraculum, ne credatur Gratianus mori dum moritur, lignum quod diu fuerat mortuum reviviscit. Quam beata vita perpetua vivens in gloria perfruatur, evidenter testatur miraculum, quod in corpore moriens operatur.

Talia sunt tua munera, Deus magne largitor, tales tuæ retributiones, benigne remunerator, qui bonis quæ tribuis, si non negligantur, meliora retribuis; qui sanctos tuos in terra gloriose magnificans, gloriosius in cælo coronans, pro singularibus multiplicia, pro temporalibus rependis æterna Sed, ut verius loquar, tibi famulantes mortalitatis hujus ergastulo dissolutos de multiplicitate veram perducis ad unitatem per exterioris tabernaculi laboriosas immolationes, interius eos introducens requietionis tabernaculum, ad te scilicet unum & verum Deum sine velamine videndum, sine speculo cognoscendum, sine defectione diligendum, semper contemplando desiderandum, desiderando semper contemplandum. Gratianum nostrum de hoste superbo triumphantem, super alta cælorum cacumina hodie sublimasti. Gratianum nostrum pro præsentis vitæ certamine serto perpetuitatis adornasti. Gratianum nostrum quantum diligas ubi tecum vivit, hic ubi pro te mortuus est, tali tantoque miraculo declarasti. Sed mirandis majora succedunt: immo, fratres mei, parum, comparatione sequentium, quidquid de arbore superius narratum est.

Tantam gratiam Gratiano suo confert divina benignitas, ut non huic simile toto terrarum orbe possit reperiri miraculo. Nam decimo calendas Novembris, quando sacræ passionis martyris hujus annua dies agitur, arbor juxta temporis qualitatem, arbores ut ceteræ fructibus viduata, foliis etiam exspoliata, rursum, quod mirabile dictu, natura mirante pubescit, frondescit, nuces parit, quas antequam hora diei sexta compleatur, ad maturitatem perducit, & temporis non oblita, quo plantata fuit, martyris passionem terrigenis recolendam prædicat, diemque denuntiat. Circumfluit ad tale spectaculum diversis e partibus ingens populorum multitudo, & ludentes, velut apertius rem probaturi, purgant arborem foliis veteribus, si quæ fortasse remanserint, novæ pubertatis alia diluculo visuri, novos fructus quos gratia Gratiano confert collecturi. Sero nihil in ea dignum admiratione reperiunt, divinam in ea virtutem operatam nocte fuisse mane comperiunt. Post deifici mysterii celebrationem certatim a populo curritur, divini muneris ubertas e cælo missa lætabunde colligitur. Vid..... inibi sanctam arborem manibus festinantium decerpi, futuro tamen anno nullum propter hoc damnum passam fuisse cognosceres; nescit enim gratia cedere naturæ. Denique novo refecti cibario, læti remeantes ad propria, ad infirmorum curationem partes reservant in posterum. Si quis enim ægrotus, maxime febricitans, de Gratiani dono gustaverit, in divino judicio mereatur affligi, pristinam sanitatem se recipere gratulatur, quod nostro tempore nostraque patria, non solum de fructu, verum quoque de ramusculis certis experimentis verum esse didicimus. Dicant alii quid senserint; ego quidem fateor me nunquam audisse, nusquam tale legisse miraculum.

O quam magnum esset, si sanctus baculus versus in arborem aliarum arborum consuetudinem sequeretur, & ad testimonium martyrii vivens ordine naturali, tempore fructuum suos etiam fructus afferret? Sed parum id esse Gratiano divina munificentia judicavit, ni passionis illius insignia nobis annuo & nunquam deficiente repræsentaret miraculo. Si enim fortasse contigerit aliquotiens naturales fructus deesse, gratia Gratiano, velut debito coacto, suos deesse fructus non patitur. Evenit nempe, quod silentio præterire non debemus, pretiosissimi martyris ecclesiam igne concremari, & quia parietibus illius erat contigua, sanctam arborem sic omnino fuisse combustam, ut nec reviviscendi spes maneret ulterius: sed adest rursus mira Dei potentia, quantique meriti sit apud eum Gratianus evidens declarat indicium. Ne debiti muneris martyri deesset largitio, prodeunt ex radicibus virgulta multiplicia, quæ contra naturalem morem novæ pullulationis eodem anno die solito tributa reddidere. Quid dicam? Majus esse procul dubio perspicatur; intuentibus aperte liquet nova scilicet virgulta, naturaliter fecunditatis nescia, hyemali prope tempore fructificasse, quam si Gratiani meritis arbor ab igne servaretur intacta; illud enim haberet exempla quam plurima, hoc autem habet nullum.

Nonne tibi modo suo loqui manifestissime tenera virgulta videntur, & dicere: Nos nostram quidem matrem ante tempora nativitatis amisimus; sed ne simus ingrati Gratiano, cujus merito meruimus nasci, contra pubertatem nostram servitia materna rependimus? Sperabat se maximum damnum christianis hostis invidus intulisse, miraculum, per quod Dei magnalia prædicantur, funditus extinxisse; sed suis vinculis irretitus, promissionis suæ damna nunc lugeat, seque tantum licuisse fraude sua deceptus nunc doleat. Quis hæc audiens non admiretur & obstupescat? Quis pie considerans non excitetur ad lacrymas? O miraculum! Cælo residens immortalitatis laurea coronatus, & capitis abscisione candidato martyrum choro junctus, nec uno anno sui redditus munere Gratianus privatur martyris. Si centum in annis semel fieret, nonne dignum admiratione, dignum esset relatione? Quanto magis nunc admirandum & prædicandum est, quod gratia novo genere necessitati subacta, velut sui constitutum solem-

niraris diem transgredi nescit immunis.

Accedit ad miraculi cumulationem, quod non verno tempore, quando naturaliter humor superiora conscendens vires novæ pullulationis subministrat arbusculis, id agitur, ne videatur arbor sancta naturæ fructus præparare, non gratiæ dare. Sed quando radicibus imis immoraturus humor inferiora petit, tum prius naturales fructus largitione gratiæ foliis decoratus fructu fœcundatur. Cum extollant igitur alii suorum martyrum gesta, & litteris assignata transmittant ad posteros, quæ quoniam non visa cernuntur, possunt ab infidelibus decredi, nos nostri Gratiani superexcellens, quia nunquam deficiens miraculum tacere non debemus: quod quia visu cernitur, manu palpatur, ore gustatur, dicere non esse capitis insani. Huic nec incredulitas Judæorum, nec gentilium cervicositas poterit contraire. An nos, cui credulitas famulatur, falsa loquentes fictam contexere fabulam dicemur? Sed cernant oculis, qui corporalibus assueti signa quærunt, & in hoc miraculo, quod pro uno servorum suorum Christus operari dignatur, considerent quam præclara christianorum fides habeatur. An fortasse videbitur, quod terræ natura, non gratia subministret arbori tali tempore renovationis vires? Sed nec quis opinari debet quod ratione caret, caret & exemplo. Quod si miraculum credatur, imo quoniam fides est convictio rerum non apparentium, a nullo miraculum esse dubitabitur quod visu cernitur; alteri cuipiam vel confessori vel martyri præter Gratianum reputabitur, sed illius solius meritis id agi certa sunt indicia, & posteris suis ita tradens antiquitas, & præsentis diei sibi dicata solemnitas, & ecclesiæ, quæ contigua est arbor, vicinitas.

Comparemus, si placet, nova veteribus, & excepto significationis typo, quantum Judaïcis præemineant videamus christiana miracula. Divino jubetur oraculo legislator singulas virgas a singulis tribuum principibus accipere, & eas ad demonstrandum quem illi Deus elegerat sacerdotem, in tabernaculo recondere. Nam quoniam familiarissimus a secretis Dei Moyses fratrem suum pontificatus honore sublimaverat, putabatur a quibusdam perversæ mentis hominibus parentelam suam exaltasse, quod modo facere quosdam nostrum videmus & dolemus, qui, ut multa brevi concludam, recalcitrantes, arcam Dei ferre recusant, tritamque viam deserentes, sinistram divertuntur in partem. Contra quos & ipse Moyses exemplo pugnavit, quia cum tribui Leviticæ quæ tabernaculi erant deferenda distribueret, & filiis Gerson atque Merari ad sublevanda onera plaustrorum emolimenta triburret, filii Cahat, unde ducebat originem, in propriis humeris onus asportare jubentur. Sed quoniam prolixo sermone res indigeret, ut proprietatis genus radicitus amputaretur, his breviter per excessum dictis, ad ordinem redeamus. Cum posuisset Moyses, ut ait sermo divinus, virgas coram Domino in tabernaculo fœderis, sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amigdalas deformati sunt. Transeamus & nunc ostendere, quoniam ad præsens negotium non pertinet, qualiter per ea designatur virga de radice, quæ peperit florem cælos odore replentem, angelos & homines fructu reficientem. Rei puritatem videamus: illa igitur recens excisa de stipite naturale adhuc humoris aliquid retinebat; hæc, juxta traditionem veri, siccus baculus diu gestatus nil humoris habebat. Illa quidem fronduit peperitque nuces, sed non crevit in immensum. Hæc mirabiliter radicibus innitens, in ramos distenta magnam mox crevit in arborem. Illa semel, semper ista repræsentat miraculum. Hæc ob id ista dicimus, non ut veteri detrahamus testamento, sed ne parvum miraculum putemus, quod singulari præditum dignitate videmus. Denique, illa quoniam umbra fuit, patefacta veritate, juxta quorumdam existimationem jam non est: vel, quod nullus ambigit, ubi sit ambigitur: hæc mori nescia semper vivit, & ubi sit certissime scitur. Vivas igitur, ô felix arbor, & certum martyrologium, diem quo Gratianus cælos ascendit, nec anticipans terminum, nec morata denunties. Vivas, precamur, & quod ille vivat in cælis, tu pro modulo tuo demonstres in terris.

Nos autem, fratres carissimi, quia tanti martyris hodie passionem recolimus, exultemus in Domino. Gaudio spirituali dulcis psalmorum resonet melodia, murmur absit, procul sit discordia, sit nobis cor unum in Domino & anima una, divino sermone pascamur, angelorum pane reficiamur, pauperes recreentur, partes eis dentur, qui non præparaverunt ...... sanctus enim dies Domini est. Tu vero, martyr inclite, paradisi rosa non marcescens, decus ecclesiæ, patrone noster, piissime Gratiane, juxta proprietatem tui nominis gratia plene, tibi famulantes ac supplicantes, tua solemnia celebrantes exaudito, & paralisi peccaminum constrictos ante Jesum precibus deponito, quatinus ea quæ retro sunt obliviscentes, tendamus in anteriora, sequentes ad palmam supernæ vocationis Jesum-Christum Dominum nostrum, qui se nobis ad hoc agendum viam stravit humilitatis. quod ipse præstare dignetur, cui honor & imperium in sæc.

Extitit præterea quidam vir monachus, Petrus nomine, tunc temporis secretarius hujus ecclesiæ, qui velut alter Thomas de miraculo nimium dubitans, dixit se nullo modo crediturum, nisi oculis suis contemplaretur factum. Itaque a domno Toroldo abbate licentia petita & accepta, ad locum ubi testis Christi pro ipso Domino occubuit, & ubi miraculum superius annotatum quotannis fit, perrexit, oculis suis, ut desideraverat, vidit in ipsa vigilia cum multis aliis, qui ob assuetam consuetudinem ad festivitatem sanctissimi martyris undique confluxerant, manu sua folia, & quæque alia a prædicta corylo detraxit, & sub uno noctis spatio nuces natas & ad integrum adultas collegit, detulit, pluribus ostendit; etiam domno Gaufrido Carnotensi episcopo duas ex ipsis nucibus dedit, quas ipse domnus gratanter accepit, & ipso vidente comedit, reliquas vero inter reliquias hujus ecclesiæ in quadam parva buxtula posuit ad memoriam præsentium, & testimonium futurorum. Et ut peregrinatio ejus rata fieret, litteras domni Ambianensis sigillo ejus signatas secum detulit ita se habentes: *Ingerannus &c.* pag. 619.

FINIS.

INDEX GENERALIS

EORUM, QUÆ CONTINENTUR IN TOMO QUINTO ANNALIUM BENEDICTINORUM.

Littera a *initium paginæ*, b *medium*, c *finem designat.*

A.

B

C

Canonici

contra

D

Dudo

E

F

G.

Gaufridus

Gualterius

Iiiii

H.

partem

J.

re

K.

L.

M.

In

Mulieri

N.

O.

P.

Prulliaci

Robertus

Sssss

S.

Scantia

T.

Thiofsidas

W.

X

Y

Z

INDEX PECULIARIS
MONASTERIORUM ET ABBATUM.

A

Ambrosianum

B

C.

D

E

F

G

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

A

S.

T.

V.

W.

INDEX SCRIPTORUM PRÆCIPUORUM,

Qui in hoc Tomo quinto laudantur.

A

Godefridus

H

I

L

M

N

O

P

R

S

T

V

Addenda & corrigenda in superioribus tomis, præter ea quæ jam in aliis tomis notata sunt.

IN TOMO PRIMO.

P*Ag.* 23. *l.* 17. quinquagesimo-quarto, *lege* quadragesimo-quarto.

IN TOMO SECUNDO.

Pag. 548. *l.* 10. tricesimi, *lege* vicesimi

IN TOMO TERTIO.

Pag. 611. *l.* 49. alterius Alberici filius, Letaldi nepos, *lege* alterius Alberici nepos, Letaldi filius.

IN TOMO QUARTO.

Pag. 54. *ad marg. num.* 12. S. Pauli cella, *lege* S. Petri cella.

Pag. 108. *l.* 6. His patribus, *lege ex mſ. cod.* Dominis patribus.

Pag. 109. *l.* 5. Hic est Fredericus *&c. sic corrige.* Hic Fredericus Cluniacensis monachus fuisse videtur, nec cum eo confundendus, qui scholis Majoris-monasterii præfectus adversus Bernerii abbatis vitia insurrexerat.

Pag. 194. *l.* 36. Sichardus, *adde* seu Sicbardus.

Pag. 195. *l.* 15. Prima ejus loci abbatissa, *lege.* Tertia ejus loci abbatissa Theophania seu Tiphania.

Pag. 246. *l.* 23. prædium suum Deservum, *lege* partem prædii sui de Servum.

Pag. 310. *l.* 40. Frederico sancti Juliani monacho, *lege*, Frederico Majoris-monasterii monacho. *Et paulopost pro*, Alius eodem tempore Fredericus, *lege.* Is ipse eodem tempore Fredericus Salmurensi monasterio præerat.

Pag. 334. *l.* 16. ipse Wido, *lege*, ipse Otto.

Pag. 362. *l.* 53. regnante rege Rotberto XXXIV. *adde*, vel XLIV. ex quo scilicet regnare cœpit cum patre.

Pag. 391. *l.* 12. Hic est Gislebertus, cognomento Crispinus, *lege*, Haud confundendus hic Gislebertus, Brionensis comes, cum altero cognomine, dicto Crispino, cujus posteri erga Becci monasterium *&c.*

Pag. 392. *l.* 29. filii esse videntur Gilleberti *&c. lege*, superiores domini esse videntur Tavilleii & Succeii villarum, a quibus eas in feudum acceperit Herluinus, sicut Burnevillam & Sernaium a Gillebetto comite.

Pag. 400. *l.* 36. *&* 37. matris ejus nomen ignoratur, quam, *lege*, Matrem ejus, Herlevam nomine, cujusdam Herberti *&c.*

Ibid. l. 42. Ita Albericus, *adde*, qui Falesiam urbem male collocat in Caletis, quam in Sagiensi pago sitam esse constat. & quem Hervelinum de Vado-comitis vocat, alii Herluinum de Contavilla appellant.

Pag. 415. *l.* 18. in atrio ecclesiæ, *lege*, in capitulo. *Ibid. l.* 22. post Hugo, *dele*, scilicet archiepiscopus Bituricensis.

Pag. 438. *l.* 49. Gisleberto, *lege*, Widone. *Ibid. l.* 56. Erat Guillelmus filius naturalis .... sed postea, *lege*, Erat Guillelmus frater naturalis Richardi secundi Nortmannorum docis, cujus beneficentia comitatum Oximensem adeptus est. verum cum in fratrem rebellasset, dignitate ab eodem spoliatus, sed postea *&c.*

Pag. 439. *l.* 4. Fallitur Guillelmus Gemeticensis... Lexoviensem episcopatum obtinebat. *Hæc omnia dele.*

Pag. 511. *l.* 3. & Arnoldus Santonensis, *expuncta conjunctione* &, *lege*, Arnoldus Santonensis & Gozfredus Constantiensis in Nortmannia. *Et paullo post expunctis his verbis*, Ex episcopis enim solus occurrit Gozfredus Constantiensis, *totum hunc locum ab iis verbis*, & Perenesius sancti Salvatoris Rotonensis, *sic corrige:* quos Fulco abbas Corbeiensis paullo post subsecutus est, & Lanfrancus tum prior Beccensis sub Herluino abbate, sive a pontifice accitus, sive ab suo abbate Romam missus negotiorum causa. Mirum est quam pauci ex Germania episcopi & abbates pontifici in urbem redeunti se adjunxerint.

Pag. 520. *l.* 4. ad Ornam fluvium, *lege*, ad Divam fluvium.

Pag. 522. *l.* 9. Marbodus, Hamelinus & Iterius, Namnetenses episcopi, *lege*, Marbodus, Hamelinus, Redonenses, & Iterius Namnetensis, episcopi.

Pag. 538. *l.* 45. 46. v. idus Januarias, *lege*, v. idus Junias.

Pag. 625. *l.* 25. *dele*, quod Guido jurejurando probare paratus erat.

Pag. 646. *l.* 3. Majoris-monasterii abbas Herveus, *lege*, Majoris-monasterii abbas Guillelmus Herveo abbati & monachis Rothonensibus *&c.*

Pag. 674. *n.* XCVI. Si Warinus &c. *lege.* Qui Warinus abbas modo memoratus est, abbas erat sancti Vigoris Cerasiensis, tertius, ut videtur, ab instauratione ejus monasterii, a Rotberto duce Nortmannorum facta. Alia erat ecclesia sancti Vigoris episcopi Bajocensis, quæ sita est juxta murum urbis, ad quam Odonem episcopum monachos posuisse scribit Ordericus Vitalis, eisque religiosum & sapientem Robertum de Tumbalenia patrem præposuisse; ac tandem prædictum monasterium Grentoni seu Jarentoni abbati Divionensi commisisse; & ab eo tempore cellam fuisse Divionensium monachorum. Mons in quo sita est ecclesia hæc sancti Vigoris, urbi Bajocensi proximus, Chrismatum olim dictus est, propterea quod illic ab antiquo ecclesia baptismalis esset, ubi olim gentilium fanum exstiterat. Huic monasterio &c. *Proinde in Indice generali ad nomen*, Warinus abbas S. Vigoris, *dele*, An primus &c. *Et in Indice peculiari monasteriorum, ad nomen*, Bajocense S. Vigoris, *post*, quando ibi monachi? *dele*, & abbas; *tum*, abbas Warinus, &c.

Pag. 849. *in addendis & emendandis, col.* 2. *tota annotatio quæ incipit*, D. Pag. 203. n. 71. lin. 2. lege, translatæ dicuntur &c. *male refertur ad tomum primum: pertinet ad secundum. Transferenda igitur in pag. seq. inter ea quæ spectant ad tomum secundum, proxime ante ea verba:* Pag. 204. l. 33. adde: Non desunt tamen argumenta &c. *quibus postremis verbis concludi debet annotatio.*

ERRATA HUJUS TOMI.

PAg. 5. *lin.* 11. dictus Montensis. Hic cum Roberto Frisio *&c. sic emenda*, dictus Montensis, quo triennio post mortuo, Arnulfus filius cum Roberto Frisio. *Ibid. l.* 28. *dele* Sancti Gemmæ *&c.*
Pag. 6. *l.* 23. revelata, *lege*, relevata.
Pag. 6. *l.* 49. Nivernendis, *lege*, Nivernensis.
Pag. 9. *l.* 42. nec eis ulterius valvæ apertæ sunt, nec obsequia exhibita, *lege*, nec cuiquam ulterius valvæ apertæ sunt, nec obsequia palam exhibita.
Pag. 12. *l.* 21. Sancti Bobani, *lege*, Sancti Gobani, *& ad marg. lege* Saint Gobain.
Pag. 12. *l.* 27. patres, *lege* partes. *Ibid. l.* 38. sancti Albani, *lege* sancti Albini
Pag. 13. *l.* 10. in tertium, *lege* in sextum.
Ibid. l. 56. Godemarus, *lege* Goderannus.
Pag. 16. *l.* 28. Ragoberti, *lege* Dagoberti.
Pag. 24. *l.* 35. Theophaniam primam ejus loci abbatissam *&c. iis omnibus expunctis sic emenda*, Theophaniam ejus loci tertiam abbatissam in superioribus laudavimus. quænam vero eam præcesserint, quæve Odelinæ successerint, nobis incompertum.
Pag. 28. *l.* 13. Balduino, *lege* Ratbodo.
Pag. 33. *l.* 56. Eadgari, *lege* Edwardi.
Pag. 41. *l.* 25. Boionis, *lege* Goderanni.
Pag. 43. *ad marg. num.* XCVIII. *lege* cellæ Trecensi.
Pag. 66. *l.* 55. exstructi, quod, *lege* exstructæ, quam
Pag. 82. *l.* 30. illic, *lege* illi.
Pag. 87. *l.* 49. Benedictum abbatem, *lege* Albertum, ejus nominis secundum, Fructuariensem abbatem.
Pag. 88. *n.* XC. *ad marg.* Herimannus abbas, *dele* abbas.
Pag. 93. *l.* 33. conquerenda, *lege* conquirenda.
Pag. 107. *l. ult.* Codiacensis, *lege* Codiciacensis.
Pag. 113. *l.* 41. Heinrici II. *lege* Heinrici III.
Pag. 117. *ad marg. num.* IX. Torbæ .... monasterio, *lege* Torbæ monasterio.
Pag. 144. *l.* 56. Franco, *lege* Fulco.
Pag. 148. *l.* 21. quartus, *lege* tertius.
Pag. 159. *l.* 37. qu , *lege* quam.
Pag. 178. *l.* 1. MCVIII. *lege* MCIX.
Pag. 197. *l.* 14. *&* 23. Theodericus V. *lege* IV.
Pag. 206. *l.* 42. *& pag.* 294. *l.* 25. Sancti Agerici, *utrobique legendum videtur* Sancti Vitoni.
Pag. 207. *l.* 8. præminebat, *lege* præminebant.
Pag. 216. *l.* 38. fautore, *lege* fautori.
Pag. 335. *l.* 49. Augien. mon. *lege* Augiensis abbas.
Pag. 246. *l.* 18. Eroïcensis, *lege* Ebroïcensis.
Pag. 256. *l.* 30. 31. Drogone Teruanensi, *lege* Ratbodone Noviomensi.
Pag. 258. *l.* 52. facta est, *lege* dedicata est.
Pag. 258. *l.* 52. ecclesia, *lege* ecclesiæ dedicatio.
Pag. 266. *l.* 45. MXII. *adde* vel MXVII. secundum alios.
Pag. 267. *l.* 35. paternus, *lege* maternus.
Pag. 284. *l.* 11. MCX. *lege* MXCI. *Ibid. l.* 16. obitus, *lege* obitum.
Pag. 298. *l.* 45. Robertus, *adde* ejus nominis secundus.
Pag. 299. *l.* 40. Martinus, *lege* Mainardus.
Pag. 301. *l.* 16. nec innocentia, nec æquitas, *lege* nec innocentiam, nec æquitatem.
Pag. 308. *l.* 9. ex Beccensi mon. *lege* ex Cadomensi mon.
Pag. 335. *l.* 3. Bernardus, *lege* Walterius.
Pag. 337. *l.* 48. Brullelmi, *lege* Willelmi.
Pag. 368. *l.* 19. Tolosani. *lege* Toletani.
Pag. 375. *l.* 31. Carnutensis, *lege* Cenomannensis.
Pag. 383. *l.* 47. confitebantur, *lege* confitebatur.
Pag. 384. *l.* 27. vel Goscelino qui anno MXCV. *lege* vel Galoni qui anno MCXV.
Pag. 384. *l.* 38. Gerberto, *lege* Gerrico.
Pag. 427. *l.* 2. sanctum, *lege* factum.
Pag. 432. *l.* 47. Constantiæ, *lege* Clementiæ.
Pag. 433. *l.* 9. triginta & uno, *lege* viginti & duobus.
Pag. 449. *l.* 25. Casinensia, *lege* Casinensi.
Pag. 465. *l.* 32. Laudunensi, *lege* Parisiensi.
Pag. 470. *l.* 3. monachi, *lege* monachos.
Pag. 478. *l.* 18. octavo, *lege* sexto.
Pag. 478. *l.* 19. Balduinus, *lege* Baldricus
Pag. 499. *l.* 13. filiæ, *lege* filia.
Pag. 500. *l.* 36. beatæ Mariæ, *lege* beati Andreæ.
Pag. 508. *l.* 46. conjux, *lege* mater. *Et lin. seq.* marito, *lege* filio.
Pag. 520. *ad marg. num.* LX. *lege* notabiles epistolæ.
Pag. 531. *l.* 53. florebat, *lege* florebat.
Pag. 536. *l.* 9. Richardi, *lege* Radulfi.
Pag. 541. *l.* 55. hoc uno, *lege* hoc anno.
Pag. 543. *l.* 25. Gregorium, *lege* Geruldum.
Pag. 550. *l.* 47. MCIX. *adde* quo.
Pag. 556. *l.* 38. confirmavit, *lege* confirmari curavit.
Pag. 569. *l.* 27. *&* 30. Johannes, *lege* Jocerannus.
Pag. 596. *l.* 38. Bernardo, *lege* Walterio.
Pag. 617. *l.* 2. MCXVI. *lege* MCXXVI.
Pag. 618. *l.* 3. quod monachum, *lege* quod per mon.
Pag. 621. *l.* 7. *&* 8. Johannes de Craticula, ex abbate sanctæ Crucis de Guingampo, canonicor. reg. *lege* Johannes de Craticula, ex monacho Ordinis Cist.
Pag. 624. *l.* 50. Willelmum Catalaunensem & Anselmum Laudunensem ep. *lege* Willelmum Catalaunensem ep. & Anselmum Laudunensem decanum.
Pag. 633. *col.* 1. *ad marg. lege* lib. 64. n. 69.
Pag. 634. *col.* 1. *ad marg. lege* num. 133.
Pag. 666. *col.* 1. *ad marg. Instrum.* 2. *lege* n. 121.
Pag. 669. *col.* 2. *ad marg. lege* lib. 67.
Pag. 672. *col.* 2. *l.* 3. Gennensis, *lege* Genuensis.

e Typographia JACOBI VINCENT.

d.p.Restauro s.n.c.

<u>Intervento di restauro, segnatura 2-77 Vol. V</u>

- collazione
- pulizia a secco
- rammendo alle piega e imbrachettatura (velina giapponese Vang 25502 e 25508)
- integrazione lacune e strappi (carta<giapponese Vang 25502 e Japico 632660)
- spianamento e umido
- cucitura su 6 nervi (filo in cotone, corda di canapa)
- fogli di guardie struttura F (carta Vang 20231)
- prima indorsatura (carte Vang 25517)
- capitelli (lino naturale, cotone colorato)
- seconda indorsatura lino e cuoio sfiorato
- piatti (cartone fibrato tipo Avana)
- compensazioni in cartoncino durevole per la Conservazione Fabriano
- coperta in tutta pelle (capra a concia vegetale)
- doratura diretta
- collanti per operazioni di rattoppo, imbrachettatura e indorsatura Tylose MH300P al 4% e 6%
- collanti per la legatura Tylose MH300P al 6% (80%) e Plextol B500 (20%)